



# CURSUS PHILOSOPHICUS
Ad mentem Doctoris solemnis
# HENRICI DE GANDAVO
ORDINIS SERVORUM B.M.V.
## *DIGESTUS*

In quo Veterum, ac Recentiorum, præsertim Cartesii, aliorumque Athomistarum placitis rejectis, Aristotelicum Systema jam penè labens restituitur, dispersis undique, aptè per Canalem, variæ eruditionis rivulis, quibus arida speculationum prata Geographis, Cosmographis, Astronomis, atque Anatomicis amœniora redduntur, præsertim per figuras ad omnia claré explicanda in fine operis appositas.

*REVERENDISSIMO, AC SAPIENTISSIMO PATRI*

# P. MICHAELI ANGELO
## TAMBURINI
SOCIETATIS JESU
PRÆPOSITO GENERALI

*Dicatus*

AUTHORE

## F. BENEDICTO ANGELO M.A CANALI
MEDIOLANENSI
S. T. P. AC IN REGIENSI ORDINIS SERVORUM STUDIO REGENTE.





## PARMÆ,

Typis Pauli Montii MD. CCXV.
*SUPERIORUM FACULTATE.*



# REVERENDISSIME PATER.



Ihil eſt REVERENDISSIME PATER quod adeo formident ingenii fœtus, ut ortum quandoque perhorreſcant, quàm quod tot Hominum criterio ſe ſubiiciendos certó prænoſcant. Quandiú in intellectu recluſi, ac materna velut reſſerati in alvo deliteſcunt, in tuto ſunt: & ſi quandoque momentaneam inter ſapientum colloquia, aut diſceptationes lucem experiantur, citò prætervolant, nec morſibus dant locum: aſt ubi contingat, quod tenebras peroſi in lucem proferantur, ut diuturnam vitam degant; proh quot cenſuris ſubmittuntur! iis unicè demptis, qui veram incolunt ſapientiam, vix eſt, ut diſſimulatis erroribus quidquid laudabile fuerit benignè excipiat. Cæteri vel ſolos deffectus rimando, quod fortè utilitatis inerit negligunt, vel, quod magis eſt, totum corpus indiſcriminatim rabido dente dilacerant: hinc non immeritò partum Sapientiæ cum naturæ

partu comparant aliqui; quod ſicut iſte non niſi cum lacrimis futurarum contrarietatum quodammodo præſciis primam lucem ſalutat: ita ille ſub prælo ingemiſcens ipſo vel in exortu futuris illacrimare videtur contradictionibus. Quid eſt tamen REVERENDISSIME PATER quod deffectuoſus iſtæ imbecillitatis meæ abortus ridens, (ut ita loquar) exoritur, ac velut adverſa nulla formidet audacter proſilit ad lucem? an fortè quod de ſe temere præſumens procul eſſe putet maculas, unde argui poſſit? at ſcatet innumeris. An quod omni honoris ſtimulo conculcato contemni appetat? doleret ſané. Verùm quid illi pavendum occurrit, dum patrocinii tui munimine fretus prodit in lucem? Prodeat igitur, & quos propria infirmitas timores incuteret, tui nominis robur depellat. Ecquis enim eum læder- audeat, imò ecquis illum non reverenter excipiat, cum nomen tuum in fronte ſculptum per legerit? non ne tu ille es, quem admiranda in omni virtutum genere præſtantia, ad ſublimes honorum apices evexit, ad ſublimiores adhuc ut enixè appetimus evectura? Nonne tu ille, cujus ſapientiæ fama longè, lateque difuſa cunctorum animos ad ſui æſtimationem attrahit, & cultum? at incauté, cum de tuis laudibus agitur tuum efflagito teſtimonium. Omnis porrò teſtis in proprii meriti cauſa ſuſpectus, alii quidem quod ſuum pluſquam par eſt conentur amplificare, æſtimationem apud homines emendicando. Tu verò quod tuum à toto jam orbe recognitum, quantùm potes ſtudeas occultari. Novimus te quantùm in aliorum virtutibus excitandis, promovendis, remunerandis indefeſſum, tantùm in tuis ſilendis, recondendiſque ſollicitum. Sed age neſcit latere virtus, nec poſſet tua. Nemo profectò eſt, in cujus conſpectum, plauſumque non inveniat altiſſima illa in qualibet ſcientia profunditas, quæ tibi Magni Doctoris famam, ubicumque nomen tuum appulit comparavit. Audierunt te præclariora Italiæ, Bononiæ præſertim, & Mantuæ Athænæa, illinc philoſophica, hinc. Theologica dirimentem enigmata, tanto Sapientum plauſu, ut credereris nihil pænitus ignoraſſe, præter ignorationem. Eloquentiam tuam, ipſa eloquentia propemodum admirata eſt, cum é ſacris Roſtris Evangelicæ Doctrinæ ſemina tot ſudoribus à te injecta, verbis, & exemplis, tam mirificè coluiſti, ut centenos ſubinde qui te audiere ſalutis fructus, tu verò *duplicatum de negotio lucrum* utilitatis, & gloriæ reportaveris. Ad hæc nulla theologicarum ſcientiarum eſt, ſive quæ Deum in ſe ſpeculetur, ſive quæ fidei dogmata tueatur, ſivè quæ mores dirigat, cui vaſtiſſimum in ingenium tuum aditum non feceris; ut interim ſilentio comprimam peritiam Sacrorum Canonum, ob quam jamdiù celeberrimus depredicaris, & qua ſimul cum tot aliis animi tui ornamentis allectus EMINENTISSIMUS CARDINALIS ESTENSIS, te ſibi jam dudum in Theologum ſuum adſcivit cuncta ſua conſilia feliciter proceſſura pro certo habens tua comite doctrina. Natus itaque cum ad regendos animos appareres, mirum quantum Religio tua, publicæ fælicitatis amore præmente, impatiens fuerit, ut te in ſummo ſui Ordinis faſtigio, in quo nunc tanta omnium Lætitia perfulges conſtitueret. Voluit tamen, ut per omnes gradus, prout cæteris mos eſt, conſcenderes, ne aut illegitimè ſubreptum, aut liberaliter tibi conceſſum videretur, quod uni merito tuo jam tum debebatur. Rexiſti Mutinenſe Collegium primò,

mò, inde Mantuanum, mox ad Provinciæ regimen eve&ctus, paulò post totius Religionis Secretarius, & successivè Vicarius Generalis assumptus fuisti; hoc tamen singulari ascendendi modo, ut numquam in hisce gradibus præfinitum cæteris tempus expleveris ad altiores semper, ante diem quidem, sed maturè promotus: Donec tandem in suprema totius Societatis Sede collocatus fuisti, in qua jam à multis annis consides tanta integritate, tanto Religionis Zelo, tanto amore, & clementia, tanta pietate, & exemplo... Sed quid singula consector, aut colligo, quasi verò, aut oratione complecti, aut memoria consequi possim? suppleat pro omnibus illa singularis, illa admirabilis, illa tua in regendo prudentia, qua in tam vasto regimine per universum Orbem jam feliciter dilatato, & cum tuo ab ore omnia pendeant jura, tanta equitate cuncta disponis, ut singulorum animos tuæ subditos potestati, suavi quidem, sed insolubili amoris, & obsequii vinculo obstrinxeris; in id necessitatis redigendo, ut jam nec pacem, nec securitatem, nec honores expetant, nec existimationem, sed simplex, simulque hæc omnia complectens, unum omnium votum sit salus tua. Iam non pro te dictum accipiat quisquam illud Erasmi: *quo major fuerit subditorum copia, eo plures continebit Principis emulatores, & hostes*. Tu enim quot numeras subditos, tot jactare vales tuæ potestatis veneratores, hos autem non vulgaris notæ, aut quos ignoratio admiratores efficiat, sed in quibus altissimæ intelligentiæ lumen, quo excellunt quotquot sunt, præstat, ut virtutem tuam, & perspicuè discernant, & sincerè obsequantur. Nec tamen iis tantùm, qui tuo moderamine glorientur, tua virtus comperta est: *Sapientia foris prædicat*. Nec inter claustra tantùm, sed & *in plateis dat vocem suam*. Hinc, & cordatissimi viri, & conspicui virtute, ac dignitate Prælati, & amplissimi Principes de tua in rebus gerendis dexteritate certiores effecti te in difficillimis negotiorum consultorem postulant, futurum sperantes, ut quoniam *ibi salus ubi multa consilia* felix respondeat eventus, ubi unius mentis tuæ, quæ tam uberi pollet consiliorum abundantia judicium accesserit. Nec frustra; tantam enim tibi Deus ingenii perspicacitatem elargitus est, ut unico, simplicique obtutu, & ardua suscipiendorum operum penetres, & plurimas, quibus feliciter superentur vias intuearis, ac pandas, adinstar solis, cujus est eodem temporis momento, & viæ discrimina ob oculos ponere, & quibus devitentur semitas patefacere. Jam verò sicut iste non illuminat tantùm, sed etiam calefacit, sic sapientia tua non modò te ad discernendum illustrat, sed & ad agendum mirum in modum accendit: quamobrem inefabili magnanimitate laboriosissima suscipis opera, & quorum solus aspectus metu fatigat, tu & intrepidè aggrederis, & prudenter tractas, & ad optatum finem feliciter perducis: ut sciscitanti an opus aliquod faustè tibi arriserit, respondere satis sit, te inchoasse. Nullus unquam te labor perterrvit, nec retardarunt obstacula, quæ non semel, nec levis momenti tibi irrepsere, ut quandoquidem, teste Plinio, *secunda fælices, adversa magnos probant*, sicut in prosperis fælix, ita & in adversis non desineres esse maximus. Veruntamen hæc omnia ut pergrandia, ut eximia sint, miranda in te non videntur; sunt enim necessarii effectus illius morum integritatis, qua ita superis defixus adhæres, ut meritò in te, sicut olim in Moyse *Digitum Dei* hæc omnia operantem judicemus: etenim cum

*nulli*

*nulli unquam contigerit*, ut phrasi utamur Bernardi, *& abundare sanctitate, & indigere magnitudine*, æquum prorsus fuit, ut quemadmodum quidquid homines probitatem vocant tua natura est, ita & quidquid magnitudinem indigitant tua foret proprietas. Quanta porrò sit vitæ tuæ sanctimonia, sat nobis ostendit imprimis ingens, & assidua charitas erga proximum (qualis igitur erga Deum,) qua ita alienis angustiis afficeris, ut nullo habito personarum discrimine, totus sis in illis, vel consolatione liniendis, vel consilio adjuvandis, vel etiam industria subveniendis. Item generosus ille tui met contemptus, quo spretis omnibus commodis, ad majorem semper Dei cultum promovendum indefesse laboras. Propè erat, ut existimaremus, te sudore reparari potius, ac refici, quam fatigari, nisi ad nostras usque aures pervenisset Summi Pontificis jussum, quo tibi expresè præcipit, ut curis modum imponeres, timens ne tantò Pastore irrequietus labor prædilectas oves citius viduaret. Est magnum in te perfectæ, raræque probitatis indicium, quod etiam post dimidium sæculum eorum reminiscaris, qui de te aliquando benemeriti sunt; sed majus quod nullatenus iis succenseas, qui minus circa te benevolos se se exhibent: quod si tot præconiis exornatos legimus nonnullos antiquos Cæsares, quod *nihil obliuisci solerent præter injurias* quid de te dicemus, qui eas non oblivisceris modo, sed & eximiis beneficiis compensas? Sed quid adhuc tuis in virtutibus percontandis immoror. Novam patior ex copia difficultatem, quare demirari cum silentio eas præstat, quam cum non possis pro dignitate, ac meritis exequi scribendo deterere. Hoc unum est, quod me tacitum præterire grata beneficiis recordatio non patitur: innata illa benignitas, qua ex honorum fastigio, quod alii metam ponunt, novum tibi accersit ad meos hos REVERENDSSIME PATER labores illustrandos, fovendosque incitamentum. Has ergo quæcumque sint tenuitatis meæ vigilias (quæ tua est humanitas) clementer intuere, exiguum sanè obsequii testimonium; sed nonne in immensum excrescet, cum id erit assecutum, ut faustissimis auspiciis tuis deffendantur? Magnum porrò, & inusitatum lumen accipiet mea hæc Philosophia, cum te Mæcenatem impetraverit. Tu munusculum libenti animo, ut ea soles, quæ scientiæ cultum præseferunt, admitte. Viliores quandoquidem victimas non respuit ipsa Divinitas. Vale Doctorum, ac Religiosorum hominum decus, norma Prælatorum, atque ad immortalem Christiani orbis fælicitatem, simulque ad *præsidium, & dulce decus meum* diutissimè vive. Ita auspicor, ac votis omnibus comprecor.

Regii Lepidi die 24. Novembris 1715.

PATERNITATIS TUÆ REVERENDISSIMÆ

*Humillimus addictissimus, & obsequentissimus Servorum Minimus*

F. Benedictus Angelus Maria Canali.

FR.

F. Antonius Maria Castelli S. Theologiæ humilis Professor, S. R. & Universalis Inquisitoris Qualificator, ac Totius Ordinis Servorum B. M. V. Prior Generalis.

CUm Philosophicum Cursum à Rev. Patre Magistro Benedicto Maria Canali Ordinis Nostri in Conventu Servorum de Regio Studii Regente Compositum, aliqui ex nostris Theologis, quibus id commisimus, recognoverint, & in lucem dari posse judicaverint; Nos officii nostri auctoritate, ut Typis mandetur, præsentium tenore licentiam concedimus; servatis servandis. Cujus rei gratia præsentes manu nostrâ subscriptas, & minori Officii nostri Sigillo munitas dedimus Bononiæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ Servorum die 26. Augusti 1715.

F. Antonius Maria Generalis

F. Sosteneus Maria Cavalli Secretarius Ordinis.

DE mandato Reverendiss. P. Mag. Antonii Mariæ Castelli Generalis Ordinis Nostri Servorum B. M. V. attentè legi Cursum Philosophicum, summo cum studio juxta mentem Henrici elaboratum ab Eruditissimo P. Mag. Benedicto Maria Canali in Conventu Sanctæ Mariæ Servorum de Regio studiorum Regente; quem nedum ortodoxæ Fidei probisque moribus consonum, sed studiosæ juventuti valdè proficuum reperi: quo circa dignum, ut Prælo committatur, atque in publicam lucem exeat, censeo.

Dat. Bononiæ in Conventu Nostro S. Georgii Servorum B. M. V. die 25. Augusti anni 1715.

F. Gregorius Maria Cerbera Sacræ Theol. Mag. & Studii Regens.

FActa mihi comissione per Reverendum Patrem Magistrum Vincentium Mariam Mazzoleni Inquisitorem Parmæ &c. attentè perlegi librum, cujus Titulus Patris Magistri Benedicti Angeli Mariæ Canali Ordinis Servorum B. M Virginis Cursus Philosophicus ad mentem Henrici Gandavensis ejusdem Ordinis Doctoris Solemnis digestus, quem nec à Fide Catholica, nec à bonis moribus dissonum inveni, sed rationum robustarum vi, perspicua, ingenii subtilitate, doctisq; eruditionibus redundantem, & ideo Typis posse mandari censeo. Si ita Reverendissimo Patri Inquisitori placuerit.

Datum Parmæ die 10. Novembris anno 1715.

Fr. Carolus Masini S. P. Magister Examinator Generalis Tertii Ordinis S. Francisci necnon S. Inquisitionis Consultor

Attenta suprascripta attestatione

*IMPRIMATUR*

F. V. M. Mazzoleni Inquisitor Gen. Parmæ, &c.

*IMPRIMATUR*

Jo: Fedolfi P. Vic. Gen.

*VIDIT*

Laurentius Masini Præses Cameræ, &c.

AUCTOR

# AUTHOR AD LECTOREM.



NE eorum objurgationibus succumberem, quorum inutilem scientiam deplorat Jeremias *cap.* 49. laboribus non peperci, ut quantulacumque in me sit Philosophicæ facultatis peritia, eam studiosorum utilitati exponerem, eo vel maximè, quia insanam nimis duxi eorum segnitiem, qui quas à Supremo Donatore acceperunt scientificas cognitiones in proprium unicè comodum vertentes totam deperdunt mercedem, quando, & intelligendo, & docendo, ut magni Gregorii utar phrasi duplicatum de negotio lucrum forent reportaturi. *Si scientia lucerna est intellectus*, ut ajebat Plutarcus, *si fax illuminans mentem*, ut Tullius, cur *sub modio* reponenda? cur non potius *super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt?* Quapropter perbellè Seneca Epist. 7. ad Lucil. *Si cum hac exceptione detur scientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, reiiciam.*

Hoc unum fuerit, quod me aliquali non liberet audacia, & quod accedente præsertim amicorum suggestione, à cæpto opere dimovere propemodum valuerit, disciplinas scilicèt omnes, & scientias nostris tempestatibus ad eum perfectionis apicem eruditissimorum hominum opera pervenisse, ut nulla his fieri videatur posse accessio. Supersedendum proinde ulteriori disquisitione non nemini videbitur, calamusque, opinor, veluti re confecta, ad Aram appendendus, aut Herculis columnæ ad Artes omnes, quasi ultra procedi nequeat, defigendæ.

Ast secus res se habet, nullaque in re magis, quàm præsente, ubi adeò spaciosus est discurrendi campus, ut nullus terminus præfigi, nulli præscribi limites queant. Veritas quippè, rerumq; naturalium notitia, cujus indagatrix est Philosophia, ita abstrusa est, & latens, ita eam in modos quosdam, & enigmata natura conclusit, ut quamvis multorum jam annorum spatio à pluribus, ut eam eruerent, fuerit elaboratum, magna tamen ex parte etiam nunc restet eruenda: qua de causa non inscitè antiqui veritatem in imum Oceani aufugisse, ibique latitare dicebant, seque mortalium oculis subduxisse. Nec ergò iis, in quorum hæc manus pervenerint ingratam, nec rei literariæ inutilem me operam novaturum existimavi, si annorum plurium labores, quos hoc in opere, veritatis indagandæ causa conscriptos, posui in lucem proferrem.

Adde ipsam etiam per se varietatem placere, sententiarumque diversitatem plurimùm ad Scientiarum adeptionem conducere; ex mutuo enim diversa opinantium occursu, & concursu, dum hi unam, illi aliam partem tuentur, variisque adductis rationibus, ut suæ stabilire fundamenta sententiæ, & alienæ convellere nituntur, res etiam obscurissimæ paulatim evoluuntur, seque intuentium veluti oculis subiiciunt. In quibusdam propterea à comuni jam, & trita in scholis procedendi ratione dissentio, aliàque incedo via, quæ, & verior mihi semper, & ad graves enodandas difficultates visa est expeditior.

In Animastica exactum, ni fallor, de Animalium æconomia tractatum elaboravi: ut enim claram, distinctamque partium ideam efformarem, sæpissimè interfui lectionibus anatomicis, quas domi suæ molitur Cæsar Mariscotti Patritius Bononiensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor. Lector publicus, & Anatomes Professor. Vir omnigenæ eruditionis in rebus anatomicis longè curiosissimus, qui magno spectantium plausu Anatomen sustinuit dum Bononiæ degebam; cumque mihi aliqua in facto anatomico, vel circa usum partium difficultas occurrebat, ad eum statim confugiebam.

Accedit quosdam nova in dies dogmata suo arbitratu vendere, veræ Philosophiæ legibus parum consentanea, quæ non tam sua vi, ac robore, quàm aliorum silentio invalescunt apud imperitiores, præsertim & in rebus Philosophicis minus versatos, qui fucatum à verò, & sincerum ab adulterino minimè discernentes, quidquid fulget aurum authumant, & si quid sit, quod novum quidam, & peregrinum sonet, ipso statim tinnitu placet, pronisque illud auribus excipiunt, id nimirum unum spectantes, ut titillatione quadam animum demulceat, quàm firmum sit, ac solidum, quàmque validis nitatur rationum momentis nil pensi habent, imò & si fortasse fidei dogmatibus non satis cohæreat, minimè curant.

Huic ergo malo, ut pro viribus occurrerem, nova hæc modernorum placita occasione data in hoc opere partim confutanda, partim saltem referenda suscepi: quamvis enim multi sapientia, & eruditione præstantes viri negligenda ea potius, & sponte sua ruitura existiment, utpotè nullis nixa fundamentis, sicque figmenta verius, quàm opiniones, cum tamen integrum hic cursum Philosophicum tradam, ubi frequens de his rebus occurrit mentio, ea penitus omittenda non censeo, ne mea hac in re silentium tacita videatur eorum approbatio.

De cætero *neminem*, ut cum Augustino concludam, *velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit*, Scio & ego ex Magno Gregorio, quod nec omnia, quæ sciuntur, dici debent, hæc omnia, quæ dicuntur scribi. Marsilius Ficinus in Plotinum Enneadis quintæ *lib.* 3. de substantiis cognoscentibus *cap.* 8 hæc habet: *Jam verò & Avicenna, & Enricus Magnus Scoti Præceptor &c.* De Solemni, & de Subtili Doctoribus quod ibi semel ille dixit, hic pluries ergò scripsi, sed in verbo unius Philosophi historicam veritatem non jurans Belgicis monumentis decidendam relinquo. Sat mihi erit, Amice Lector, si omnia benevolo animo suscipias: quæ utinam ad Dei Optimi Maximi honorem, quem hoc in opere conscribendo mihi scopum proposui, tuamque aliquam utilitatem cedant.

INTRO-

# INTRODUCTIO
## IN UNIVERSAM LOGICAM.



On minus Logicæ, quam Metaphificæ Inftitutio, ad fcientias perfectè comparandas eft fummè neceffaria; quia ficuti hæc omnes difciplinas univerfaliffimorum terminorum, tum etiam principiorum expofitione fulcit, certitudine firmat, & claritate illuftrat; fimiliter eas Logica fuis benè differendi regulis dirigit, & ordinat, iifque formam fubminiftrat. Unde hæc à Philofopho, Metaphifica nuncupatur; quia ficuti hæc generatim res omnes, ut in fe funt, contemplatur, fic Logica eafdem, ut prædicantur confiderat. Logica itaque dicitur à nomine *Logos*, Ratio, Sermo; quod fit fcientia Sermonis, & rationis directiva. Dicitur etiam, dialectica, quia docet modum probabiliter difputandi in utramque partem. Hæc, vel eft naturalis, ideft, folers Criterium Veritatis, v.g. in viris fagacibus; vel mediocre mentis lumen ad differendum folius naturæ ductu; quale eft in vulgò hominum; vel acquifita, eftque facilitas bene differendi ufu, & affuetudine parta. Eftque vel docens actualis, feù cognitio, & explicatio præceptorum benè differendi, puta in eo, qui, v. g. explicat regulas legitimæ definitionis, vel habitualis, feù facilitas præcepta jucundè, promptè, & ordinatè explicandi; qualis eft in dormiente Logico; vel utens actualis, feù idonea applicatio præceptorum bene differendi; puta in eo, qui v.g. actu difcurrit juxta Regulas Logicæ, vel tandem habitualis, & eft *permanens habilitas, eadem præcepta facilè, promptè, jucundè, ordinatèque applicandi frequenti actuum exercitatione parta*, de quibus plura dicam quæftione prima Proæmialium. Hæc autem cum in quatuor partes dividatur, videlicet in apprehenfivam, enunciativam, difcurfivam, ac Methodicam, de qualibet hic agendum eft, & à prima incipiendo fit.

# TRACTATUS
## PRIMUS.

*De prima mentis operatione, five apprehenfione.*



Pprehenfio, eft fimplex mentis intuitus, dicitur prima mentis operatio; quia eft veluti primus cognitionis gradus. Definitur *notitia mentis expers affirmationis, & negationis*, v g. nuda *folis* conceptio. Appellatur verò Terminus, quia poteft effe propofitionis extremum. Precipuè eft interior, vel exterior. Hicque præfertim eft Vocalis, qui quia eft omnium notiffimus, & ex cujus explicatione Interior, feu mentalis facilè percipitur, tum quia cæteros includit, hic à nobis explicatur, eft que.

*Simplex*, feù una dictio, v g homo. *Complexus*, feù multæ voces inter fe debitè ordinatæ; *vocaturque* oratio, v.g animal rationale. In *termino* fimplici, ut & in fermone exteriori, *eft vox, cogitatio, & res cogitata*. Hinc fumitur *vocaliter, mentaliter, obiectivè*; Terminus quippe *vocalis* fignificat *res*, & *noftros conceptus*, v. g. hæc, vox *equus* fignificat naturam equinam, & conceptum ipfius equi repræfentativum; voces quippe funt figna conceptuum, hi vero funt imagines rerum. Hinc terminus dividitur ratione vocis, cogitationis, & rei fignificatæ.

Terminus ratione vocis, vel eft primæ Impofitionis, feu nomen rei veræ, v. g. homo; vel fictæ, v. g. Chimeræ. Secundæ verò impofitionis, eftquè nomen nominis, vel orationis, v.g. termini fermocinalium artium, putà.

Grammaticæ, *declinatio*, *Cafus*
Poeticæ, *dactilus*, *fpondeus*
Rethoricæ, *tropus*, *exordium*
Logicæ, *genus*, *fubiectum*, *medium*

Terminus veró ratione cogitationis eft, vel

( Abftractus ( Cathegorematicus
( Concretus (
( Communis ( Syncathegorematicus
( non communis ( Mixtus

Terminus abftractus, eft is, qui fignificat formam abftractam feù feorfim a fubiecto, eamque vel realiter feparabilem, v. g. anima refpectu animati, albedo refpectu albi: infeparabilem, v. g. humanitas refpectu hominis. Hæc abftractum dicitur metaphificum; illud Phyficum, dum præfertim fignificat formam corpori naturali propriam, v. g. anima, quantitas.

Terminus concretus, eft is qui fignificat formam concretam fubiecto; Hancque vel realiter infeparabilem, v. g. *homo* humanitatem; Hocquè vocatur Metaphificum; vel feparabilem, v. g. *animatum*, animam; *nigrum* nigredinem. Si forma fit propria corpori naturali dicitur concretum Phificum, v. g. in allatis exemplis; fi forma conveniat etiam fpiritualibus, v. g. intellectio refpectu intelligentis, poterit & vocari concretum metaphificum. Concretum, fi forma fit intrinfeca, exponitur per *habens*; fic album dicitur id, quod habet albedinem; Extrinfeca, fi fit, exponitur per *terminans*; fic amatum, dicitur id, quod terminat amorem; Pictum, quod per Picturam repræfentatur; edificatum quod terminavit ædificationem.

Concretum a quo forma eft feparabilis, præter abftractum, includit fubiectum realiter à forma diftinctum, v. g. *album*, quod præter parietem v. g includit & albedinem ab ipfo realiter diftinctam; *animatum*, præter animam, fignificat corpus. *Intelligens*, præter Intellectionem,

intellectum, nempe in homine, vel Angelo.

Concretum, quod significat formam inseparabilem, in creatis connotat subiectum realiter a forma indistinctum, v. g. *homo*, dum dicitur Id, quod habet humanitatem. Licèt enim sublata humanitate nihil remaneat realiter in homine, nihilominus connotat aliquid instar subiecti; homo enim non est ipsa subsistens humanitas. Deus autem est ipsa subsistens Divinitas. Sapiens in Deo, est ipsa Sapientia subsistens. Unde concretum ab abstracto in divinis à nobis non distinguitur; aut si distinguatur, id fit secundum nostrum imperfectum concipiendi modum.

Concretum distinctè significat formam; confusè subiectum; v. g. album, distinctè significat albedinem, confusè verò, parietem, vel gypsum.

Ad multiplicationem abstractorum, non multiplicantur concreta; nam preter formas connotant subiecta, v. g. album preter albedinem designat subiectum; ad multiplicitatem Paternitatum, non multiplicatur Pater. Unde si quis habeat duos Filios, est bis Pater non duo Patres; qui callet duas artes, est bis artifex, non duo artifices.

Si tamen abstractum sit tota rei natura, puta humanitas, ad multiplicitatem ejusmodi abstracti multiplicatur concretum, v. g ad multiplicitatem humanitatis, multiplicatur homo.

Terminus verò cathegorematicus, sic dictus, quia potest esse Categorema, seù per se attribui, definitur is, qui ex se aliquid significat, v. g. *homo*, Syncatecorematicus definitur is, qui de se nihil significat, v. g. *omnis*, *nullus*. Mixtus verò est is, qui ex categoremate, & syncategoremate constat, v. g *nemo*, idest nullus homo; sic neuter, & nullus amborum.

*De Termino Communi, & non Communi.*

TErminus non communis, est is, qui de pluribus dici non potest, estque vel particularis, qui de uno tantum dici potest sed indeterminatè, v. g. *aliquis homo; aliquod animal*; vel singularis, qui clarè, & distinctè significat rem pluribus incommunicabilem, v. g. *Gabriel*, *Petrus*, *Bucephalus*, *hic lapis*. Diciturque, vel per Antonomasiam, seu excellentiam, v. g. *Philosophus*, qui Aristotelem significat. Secundò ex demonstratione, v. g. *hic Philosophus*. Tertiò ex circumlocutione, seù periphrasi, v. g *Lica. Princeps*. Quartò ex hominum impositione, v. g. *Aristoteles*.

Terminus communis est is, qui de pluribus dici potest, est que, vel communis indivisim, qui dicitur de re indivisa, v. g. Deus de Patre, & Verbo; nec enim in ijs est diversa, aut divisa divinitas. Unde ejusmodi terminus, dicitur in singulari de quolibet, non in plurali de pluribus; dicitur enim Pater est Deus, Verbum est Deus; item & Spiritus Sanctus; non autem Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, sunt Dii, sed Deus.

Communis divisim, est is, qui dicitur de multis divisis, v. g. *homo*, de Petro, & Paulo. Hinc terminus ejusmodi prædicatur in singulari, de quolibet, & in plurali de pluribus; dicitur enim *Petrus est homo*, *Paulus est homo; Petrus, & Paulus sunt homines*.

Terminus communis divisim, est vel univocus, qui dicitur de multis in eadem planè significatione, v. g. *homo* de Petro, & Paulo. Dicitur enim *Petrus est homo*, *Paulus est homo*; & homo, in Petro, & Paulo, & aliis significat animalitatem, & rationalitatem, seù principium vitæ sensus, & ratiocinii, seù differendi dependenter a sensibus. Vel est Analogus, qui dicitur de multis partim in eadem, partim in diversa significatione; v. g. *Sanum* respectu Urinæ, Pharmaci, & Animalis. Tertius est Æquivocus, qui dicitur de multis in diversa planè significatione, v g. canis respectu Syderis, & animalis. Quartus verò est denominativus, qui differt Casu, seu terminatione a denominante, v. g. Grammaticus respectu Grammaticæ; nam hæc terminatur in *à*, ille in *us*.

Univoca sunt, vel univocantia, seù termini multis communes in eadem prorsus ratione, v g. homo respectu Petri, & Pauli. Secundò univocata, vel res, quibus nomen est commune, & definitio nomini respondens planè eadem v. g. Petrus, & Paulus respectu hominis.

Iterum sunt, vel essentialia, quæ habeat idem nomen, & rationem nomine communi significatam essentialiter eadem, v. g. Petrus, & Paulus, respectu hominis, nam Petrus, ut & Paulus dicitur homo, & hominis definitio est definitio Petri, tum Pauli.

Secundò accidentaria, & sunt ea, quæ habent idem nomen, & rationem nomine communi significatam accidentariò eandem, v. g. *nix*, & *lac* respectu albi; nam album in lacte significat disgregativum visus, item in nive: at esse disgregativum visus, neutri essentialiter convenit.

Analoga etiam sunt, vel analogantia, seù voces multis communes partim in eadem, partim in diversa significatione, v. g. *Sanum* respectu Pharmaci, Urinæ, & animalis.

Analogata sunt ea, quorum nomen est commune, & ratio nomini communi accomodata, partim eadem, partim diversa. Hæc alia sunt attributionis, quorum nomen est commune, & ratio nomini respondens secundùm terminum eadem, & secundum habitudinem ad terminum, diversa, v. g. *Urina*, *Pharmacum*, & *animal* respectu *Sani*, nam unumquodque ex illis tendit ad sanitatem: at diversimodè; Urina enim respicit Sanitatem ut illius signum; pharmacum ut causa; Animal, ut subiectum. Alia vero sunt proportionis, quorum nomen est commune ob similitudinem ad varios terminos, v. g. *pes* respectu infimæ partis Montis, Cathedræ, & animalis.

In Analogis Attributionis est idem terminus, & variæ ad ipsum habitudines; sic respectu Sani, est idem terminus, puta sanitas, & variæ ad ipsam habitudines; v. g. in animali, est habitudo subiecti, in urina ratio signi, in Pharmaco ordo Causæ sanitatis.

In Analogis Attributionis sunt, vel ab uno v. g. Fabrilia, ab arte fabrili, vel ad unum, v. g. Fabrilia, ad Fabrum.

In Analogis proportionis, sunt varii termini, eadem Habitudo; v. g. sustinere, respectu Pedis, ad infimam partem hominis, Montis, & Cathedræ. Etenim infima pars hominis, hominem; Montis, Montem, cathedræ, cathedram sustinet.

Nec plura sunt analoga, nec pauciora; quia in iis, vel unus terminus diversimodè spectatur, vel diversi termini eodem modo respiciuntur: hæc sunt analoga proportionis, illa verò attributionis.

Analoga Inæqualitatis, quorum nomen est com-

commune, ratio nomini respondens eadem ob differentias essentiales diversimodè participata, sunt analoga quoad nomen, quoad rem autem sunt univoca v. g. animal, respectu hominis, & Belluæ. Analogum simpliciter, & absolutè prolatum, supponit pro præcipuo analogato. Præcipuum autem analogatum, in analogis attributionis est illud, ad quod cætera tendunt; v. g. animal respectu Sani. In analogis verò proportionis, est illud, a quo cætera nomen sortiuntur, v. g. infima pars animalis respectu cujuslibet pedis; organom visus, respectu cujusvis oculi.

In analogis attributionis forma est intrinseca soli præcipuo analogato, cæteris extrinseca, v. g. *Sanitas* intrinseca soli animali; pharmaco extrinseca; est enim legitima primarum qualitatum temperies ad facilè, & promptè operationes vitales elieiendas: at hæc est intrinseca soli animali. In analogis verò proportionis, forma est omnibus intrinseca, v. g. *dirigere* respectu visus, intellectus, & Prudentiæ; nam visus intrinsecè corpus Intellectus animam rationalem, & Prudentia intrinsecè virtutes dirigit.

Æquivoca sunt, alia Æquivocantia, seù voces communes multis in diversa planè significatione, v. g. *Taurus*, respectu signi cælestis, montis, & animalis, nam in hoc significat animal mugitivum, in monte significatur lapidea moles in Mesopotamia ad Indiam vergens, in signo demum cælesti constellatio in Zodiaco, quam sol mense Aprili decurrit. Alia verò sunt æquivocata, seu res ambiguo nomine significatæ, v. g aliquod signum Zodiaci, mons, & animal respectu Tauri. Alia sunt à Casu, v. g. *Ius* respectu jusculi, debiti, & Fori. Alia à consilio, v. g *Cæsar* respectu hominis picti, & veri.

Denominativa, sunt ea, quæ ab aliquo denominationem sic habent, ut casu, seù terminatione differant. Puta fortis, & fortitudo, nam fortis definit in-is, fortitudo in-do; ea dicuntur conjugata.

In denominativis est subjectum, & forma denominans. Unde denominativum spectari potest secundùm se totum, vel ratione subjecti, vel ratione formæ. Puta *Album*, prout est aliquod constans è subiecto, & albedine, vel ratione subiecti, seù materialiter, puta parietis, vel ratione formæ, seù formaliter, puta respectu albedinis.

Omne denominativuum, distinctè significat formam, confusè, subjectum, v. g. album distinctè significat albedinem: confusè parietem.

Omne denominativum propriè, seù paronymum, est adiectiuum; siquidem significat formam alteri adjacentem, & ab ipso realiter separabilem, v g. album. Undè prædicari paronymè, est adjectivè, non reciprocè prædicari. Sanctum, justum in Deo non est quid Paronymum; quia non significat formam Deo adiacentem, nisi secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum; quo balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus.

## *De Termino simplici ratione Rei significatæ.*

Terminus simplex ratione rei significatæ est, vel absolutus, qui significat aliquid sine ordine ad aliud, v. g. *homo*, naturam humanam secundùm se. Secundus est connotatiuus, qui si significat aliquid per ordinem ad aliud. Hicque est, vel merè relatiuus, v. g. *Filius*; nequit enim concipi sine ordine ad Patrem. Non merè relatiuus, v. g. rationale per ordinem ad animal; nequit enim concipi sine connotatione ad animal, est enim principium ratiocinandi dependenter à sensibus; hoc autem dicitur connotativè ad animal Prædicari absolutè, & simpliciter, est dici sine ordine ad aliud, v. g. *homo* Dici connotarivè, est affirmari per ordinem ad aliud, v. g. discipulus dicitur de Aristotele, per ordinem ad Platonem, aut Socratem. Item terminus simplex ratione rei significatæ est, vel finitus, qui aliquid certum significat, v. g *lapis*. Infinitus verò, cui præfigitur particula *non*, v. g. *non homo*, dicitur infinitus; quia de quolibet affirmari potest, dempto eo, cui particula non prefigitur; quodlibet enim (excepto homine) dici potest non homo.

Prætetea, est vel negativus, qui significat absentiam perfectionis in subjecto inepto, v. g. *non videns*, in lapide, vel privativus, qui significat absentiam perfectionis in subjecto ad eam idoneo, v. g. *cæcitas* in Appio. Uterque verò est, vel nomine, non significatione, v. g. infinitas, significatione, non nomine, v. g. surditas, nomine simul, & significatione, v. g. infirmitas. Alius verò est positiuus, qui significat aliquam perfectionem v. g. videns, qui significat visionem.

Terminus positivus, vel est transcendens, qui dicitur de pluribus Categoriis, v. g unum, verum, bonum; dicitur enim substantia, est una; quantitas est una; item qualitas. Vel est categoricus, qui proprius est uni Categoriæ, v. g. *homo*; coarctatur enim ad categoriam substantiæ.

## *De simplicibus terminis inter se comparatis.*

Termini simplices inter se comparati (è quorum notitia tota pendet discurrendi ratio) . . vel Impertinentes, seù disparati, qui neque connexi sunt, neque repugnantes, v. g. *Statuarius*, *& Medicus*. Vel pertinentes, qui sunt, vel connexi, vel repugnantes. Priores sunt, qui habent inter se connexionem, suntque vel Reciproci, qui de se invicem generaliter affirmari possunt, v. g. homo, & rationale. Reciprocari autem, seù dici ad convertentiam, est de se mutuò universaliter posse affirmari, v. g. ens, & verum, omne enim ens est verum, & vicissim. Homo, & animal, non reciprocantur, nam licèt omnis homo sit animal, non tamen omne animal est homo. Non reciproci sunt, qui de se invicem generatim dici nequeunt, v. g. homo, & animal.

Terminus tum reciprocus, tum nõ reciprocus est antecedens, vel consequens. Posterior, est is quo posito nõ sequitur alius; tale est omne *superius* respectu inferioris, v. g. *vivens* respectu *animalis*, siquidem inferiora sunt essentialiter superiora; puta *homo* est essentialiter animal, superiora sunt accidentariò inferiora, v. g. *animal* est accidentariò homo; illud enim potest esse sine homine. Item pars est consequens respectu totius, v. g. unitas respectu dualitatis, Causa respectu effectus, Deus respectu Creaturæ. Item potentia est consequens respectu actus, à potentia enim ad actum non valet consequentia. Antecedens, est is, quo posito sequitur alius, tale est inferius, ad superius; totum ad partem, effectus ad causam; actus ad potentiam.

Repugnantes, sunt termini incompatibiles puta primò diversa v. gr. *substantia*, *& accidens*; ratio-

*rationale*, *& irrationale*; Item diversa, puta *Homo*, *& Belva*; tum species, & differentia ei opposita, nimirum homo, & irrationale, tum denique opposita propriè, videlicet *relutiva*, Pater, & Filius; *contrariu*, calor, & frigus; *Privativa*, visus, & cæcitas. *Contradictoria*, puta esse, non esse.

### *De Oratione.*

ORatio Logicis, est vox ex instituto significans, cujus aliqua pars separatim significat, ut dictio, non ut affirmatio, aut negatio, v. gr. *Deus bonus*; nam hæc vox *Deus*, est dictio significans sine affirmatione, vel negatione; Item, Bonus.

Vox, est sonus ab animalis ore prolatus, per instrumenta vocalia, cum intentione aliquid significandi. Hinc sonus campanæ, aut similium non est vox; cum non edatur ab animali. Sonus manibus, aut aliis animalis partibus excitatus non est vox, non enim prodit animalis ore. Tussis, verò non est vox; non enim elicitur instrumentis vocalibus; videlicet lingua, dentibus. Hinc sonus instrumentorum artificialium, v. gr. tibiæ, buccinæ non est vox. Cantus avium est vox, sit enim cum intentione lætitiæ declarandæ.

Oratio est vox completa connexione, & ordine, non solùm multitudine. Unde hæ voces Cœlum, Solum, Salum, non est oratio: at sunt solùm plures termini simplices. Partes orationis apud Logicos, sunt tantùm nomen, & verbum.

### *De Nomine.*

NOmen, est vox simplex finita, recta, ex instituto significans sine tempore, cujus nulla pars per se significat separatim, v. gr. *Super*.

Nomen est *Vox simplex*; seù sine periphrasi; aut æquivocatione; nomen enim logicè debet distinctè, & clarè conceptum significare; oratio quippè logica est sermo veritatis: at veritatis sermo est simplex: periphrasis verò confusionem, & æquivocationem patit. *Vox finita*, nam oratio logica debet significare quid determinatum: at vox infinita, v. gr. *non homo*, nihil determinatè significat. *Recta*, casus enim obliqui, aut nihil significant, puta hominis, homini, vel obscuritatem pariunt; sermonisque Philosophici puritatem inficiunt. Unde nomen extra rectum vocatur *casus*, & quid obliquum. Quapropter non valet, v. gr. hæc dicendi ratio, *constat Boetium accuratè definisse* æternitatem, interminabilis vitæ totam simul &c. At rectius dicitur à Boetio, æternitas, est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio.

Nulla pars per se significat separatim, v. gr. huius nominis *calor*. Nomen tamen potest per accidens aliquid aliud significare, quam in toto, v. gr. *Dominus*; do, quidem, & *minus* aliquid significat; at non idem, quod Dominus. *Significat sine tempore*, non enim significat varias temporis differentias. Significat quidem tempus, puta hora, dies. Item rem tempori addictam, v. gr. prandium; est enim comestio fieri solita meridiano tempore; at non significat cum tempore. Finis *orationis vocalis*, est conceptuum declaratio, societatisque conservatio. Materia nominis est vox. Forma, est ejus significatio. In hac propositione, Deus est nomen; *Deus* sumitur materialiter; seu pro sola voce. In hac altera verò *Deus est optimus*, Deus sumitur formaliter, seù pro re significata. Causa efficiens nominis, est hominum institutio; etenim est penes eorum arbitrium, & jus, & norma loquendi.

### *De Verbo.*

VErbum est vox finita, recta, ex instituto significans cum tempore, cujus nulla pars separatim significat, & est semper nota eorum, quæ de aliquo dicuntur. Verbum significat cum tempore; significat enim per varias inflexiones, diversas temporis (puta præsentis, præteriti, & futuri) differentias, v. gr. amo, amavi, amabo.

Vox recta, ideſt temporis præsentis; verbum enim extra præsens, non est verbum; sed verbi inflexio, seu defectio. Hinc propositio de præterito, vel futuro debet verificari per tempus præsens: nulla enim propositio de præterito, vel futuro est vera; nisi fit vera in tempore præsenti; unde hæc propositio Cicero peroravit pro Milone, non est vera, nisi olim verum fuerit dicere, hic, & nunc Cicero perorat pro Milone. Est semper nota eorum, quæ de alio dicuntur; quia Verbum præter tempus denotat actionem, vel passionem v. g. amo, vel amor, amorem.

Participium, & verbi, & nominis actum significat; unde utriusque virtutem participat, v. g. amans.

### *Divisio Orationis.*

ORatio est, vel perfecta, quæ completum ingenerat sensum animis auditorum, v. gr. *invidus est ignarus*. Alia verò est imperfecta, quæ perfectum sensum non ingenerat animis auditorum, v. gr. *quos ego*.

Iterum oratio est, vel enunciativa, quæ aut affirmat, v. gr. Deus est veritas, aut negat v. gr. nullus impius est felix. Non enunciativa, quæ nec affirmat, aut negat v gr. Sol lucidus. Item oratio est vel non logica, quæ non conducit ad veritatis illustrationem, v. gr. Oratio Gramatica, Rethorica, Poetica. Logica verò, quæ per se ducit ad veritatis illustrationem, etenim Grammatica, congruè, Poetica gratè, Rethorica ornatè, Logica autem verè de rebus disserit. Oratio logica præsertim est divisio, definitio, argumentatio, & methodus de quibus sigilatim agemus, ac primò quidem.

### *De Divisione.*

DIvisio, prior est definitione; quia hæc per illam invenitur. Divisio, generatim, est distributio totius in partes. Estque vel Realis, quæ fit independenter à mente v. gr. separatio animæ à corpore; hæcque est Physica, seu naturalis. Vel artificialis, quæ fit intervenientibus artis præceptis, v. gr. Anatomica partium animalis dissectio. Vel mentalis, quæ fit dependenter à mente, vocaturque divisio logica, v. gr. divisio Cœli, vel Terræ in quinque Zonas. Item divisio est vocis, vel rei. Divisio vocis, est distinctio termini ambigui in suos significatus. Estque, vel divisio termini.

Analogi, sic sanum significat subjectum, causam, vel signum Sanitatis.

Æquivoci, sic Taurus significat animal mugitivum

tivum, signum Cœleste, quod Sol decurrit Mense Aprili; vel montem Armeniæ.

Paronymi, seu concreti adiectivi, significat enim diversimodè subjectum, & formam, v. gr. album significat confusè cretam, distinctè verò albedinem.

Divisio rei, est, vel divisio totius per se, vel per accidens; divisio totius per accidens est, vel *totius per*

| | | | |
|---|---|---|---|
| | (Natoralem | | ( Universi |
| 1 *Aggregationē* | (Artific. | (v.g. Divisio | ( Horologii |
| | ( Arbitrariam | | ( Numeri |

2 *Coniunctionem* plurium in eodem subjecto. v. gr. divisio entis in decem Categorias; hæ quippe reperiuntur simul in eodem Petro.

3 Separationem. Hæcque divisio est, vel subjecti in accidentia, v. gr. marmoris in nigrum, album, vel variegatum: accidentis in subjecta, v. gr. divisio Philosophorum in Arabes Egyptios, Grecos, Romanos. item divisio Medicorum in Empiricos, Methodicos, & Dogmaticos divisio totius per se, est vel *totius* essentialis, seù in partes essentiales, vel metaphysicas, nempe genus, & differentiam, v. gr. divisio animalis in vivens, & sensitivum, Physicas, nimirum materiam, & formam, v. gr. divisio animalis in corpus, & animam sensitivam. Integrantis, scilicet in partes integrantes, v. gr partitio corporis humani in caput, truncum, & artus. Sic Medicina est, vel quæ hominis naturam, vires, & functiones considerat. Divisio alia est potentialis, seù divisio totius in partes solùm potestate in toto contentas; puta divisio *Universalis*, in sua inferiora, v gr. *animalis* in hominem, vel belvam; vel in suas differentias divisivas, v. gr. divisio *animalis*, in rationale, vel irrationale; vel causalis in suos effectus, v. gr. divisio potentiæ artificis, in sua opera. Totum, quod dividitur, vocatur *divisum*, v. gr. homo. Partes, in quas totum dividitur, vocantur *membra dividentia*, v. gr. corpus, & anima rationalis respectu hominis. Divisio nominis deceptioni, divisio autem rei confusioni medetur.

*Divisionis Regulæ.*

1 TOtum in suas, non in alienas partes dividatur; hinc malè corpus naturale in athomos dividitur; iis quippe non constat.

2 Divisio sit *adæquata*, non enim partes collectivè latiùs, vel angustiùs patent toto; nec vicissim, quapropter divisio reciproca; sic omne vivens est sensitivum, vel vegetativum, & omne sensitivum, vel vegetativum, est vivens.

Unde divisio est vitiosa, quæ vel est Angustior, v. gr. divisio substantiæ in sensitivam, & vegetativam, Angelus enim est substantia; nec ipse est sensitivus, vel vegetativus. Item, divisio animalis in aereum, terrenum, & aquatile, nam est, & animal amphybium; puta Fiber, Testudo.

Vel est prolixior, v. gr. Divisio Angeli in corporeum, vel incorporeum; aut animalis in mortale, vel immortale; vel medicinæ in speculativam, & practicam. Nulla enim est medicina speculativa; animal immortale, nec ullus Angelus, qui sit corporeus.

3 *Membra opposita*; est enim distributio totius in partes: partes autem sont extra se invicem. Hinc divisio cognitionis in abstractivam, intuitivam, & comprehensivam nulla est; comprehensiva enim intuitiva continetur.

4 *Immediata*, quia divisio est adæquata: at divisio mediata, est ut plurimum angustior, v. g. prædicta substantiæ divisio.

Divisio tamen mediata in practicis, modo sit longo usu à peritis recepta, est retinenda, v. gr. divisio universalis in genus, speciem, & differentiam.

5 Tandem brevis sit; divisio quippe nimia nulla; etenim divisio rei in atomos, est confusio, sicque dividere, est rem concidere, & in confusionem incidere. Unde dividitur accuratiùs litera in vocalem, & cōsonantem, quam in *A B.C.*&c.

Quamobrem quantum fieri potest in divisionibus servanda est *dicotomia*; seu bimembris divsio; seu divisio in duo membra opposita, v. g. divisio entis in subsistens, vel non subsistens.

*De Definitione.*

DEfinitio est aperta operti explicatio. Hæcque est nominis, vel rei.

Definitio seù notatio nominis, quæ & *nomenclatura* appellatur, est interpretatio vocabuli, v.g. mentiri, est ire contra mentem; intelligere, est intuslegere; *humilitas*, virtus, qua quis veluti humi latet. Superbia, vitium, quo quis it super debitum honorem. Hæc non est certa; quia vel nomina mutantur, hinc non rectè dicitur *Pontifex*, is qui facit Pontem. Lapis, id quod lædit Pedem. Elementum, id, quod elevat mentem. Vel casu rebus imponuntur; hinc perfectum, non rectè dicitur perenniter factum, nam Deus est perfectus, nec sine piaculo potest concipi esse factus. Vel per *antiphrasim* dicuntur, v.g. lucus, quia minime lucet. Parca, quia minimè parcit. Fatuus, quia fari nequit.

Definitio nominis differt ab Anagramate, quod hoc solis nominibus propriis conuenit, iisdemque penitus literis constare debeat, v g. *Logica*, *caligo*.

Definitio verò rei, est oratio exponens *quid*, vel *qualis* res sit; hinc duplex est, nempe essentialis, & accidentaria. Hæc oratoribus familiaris, illa verò Philosophis est propria, quia explicat id, per quod res, immutabiliter est id, quod est. *Descriptio* verò id, per quod, nec essentialiter, aut semper res est id, quod est.

Etymologia, est veluti *Umbra*; descriptio quasi *vestigium*, Definitio verò est *Imago* essentiæ definiti; hæc enim graphicè essentiam definiti; descriptio verò minus accuratè, *nomenclatura* denique ipsam incertò, & obscurè repræsentat.

*De Definitione essentiali.*

DEfinitio essentialis est oratio explicativa essentiæ definiti. Duplex est pura Physica, seù oratio explicans naturam rei per partes essentiales physicas, puta per certam materiam, & formam substantialem, v. g dum homo definitur compositum è corpore erecto, & anima rationali. Alia verò Metaphysica, seù Logica, & est oratio explicans essentiam rei per genus proximum, & differentiam maximè propriam, uti v.g. homo est animal rationale.

Hoc tamen commune definitionis essentialis exemplum, quamplurimi non recipiunt. Volunt enim recentium hominis definitionem, nec optimam esse, nec propriam: etenim, dicunt, nec constat genere proximo, ac differentia ultima.

Animal enim genus proximum non est, quia nobis non constat, quod in rerum natura, non detur aliqua substantia etiam composita, quæ sit homini magis cognata, idest magis ad nostræ naturæ perfectionem accedens, quam sint Bruta. Secundò, quia genus proximum, & differentia ultima dicuntur illa attributa, quibus res ultimò differt, & conuenit cum re alterius speciei sibi magis affini; sed res magis homini affinis non est Brutum, cum homo magis conveniat cum Angelo, qui præditus est mente immortali ad Imaginem, & similitudinem, Dei formantus; ergò animal non est genus proximum homini, quemadmodum neque animal illius ultima differentia.

Tertiò, quia non est evidens rationalitatem esse ultimam hominis differentiam; primò, quia ultimæ differentiæ, & esentiæ rerum sunt nobis prorsus ingnotæ.

Secundò, quia saltem est valde probabilis opinio, quæ sustinet Bruta esse prædita ratione, & discursu, quæ tamen nititur assignare discrimen inter Brutum, & hominem. Hæc autem doctrina à pluribus etiam Catholicis defenditur, & præcipuè à Domino de La Chambre, à Petro Gassendo, aliisque nostræ etatis Philosophis; ergò est omnino dubium, & incertum saltem Rationalitatem esse ultimam differentiam, qua homo discernitur à Bruto.

Tertiò, quia ultima differentia summenda est ab attributo magis insigni, necnon illustriori, vi cujus videlicet res magis extollatur supra cæteras res. Sed hoc attributum illustrius, per quod magis supra naturam Brutorum evehitur, & ad dignitatem Dei, magis accedit, non est rationalitas; ergo. Probatur minor, nam esse intellectiuum, videlicet simpliciter intelligere absque ratiocinio, & discursu, modo quo intelliguntur primæ veritates, est quid omnino perfectius ratiocinio, imo, & nobilius discursu, ut patet.

Quartò, quia animal rationale non est radix cæterorum hominis attributorum; nam per hoc, quod homo sit, & intelligatur animal rationale, non ideo illico sequitur, & intelligitur hominem esse volitiuum, liberum, potentem simpliciter intelligere, dubitare, suspendere judicium, amare, odio habere, deliberare, esse felicitabilem, capacem gaudii, aut tristitiæ.

Quintò, quia quod est magis inesabile, & admiratione dignum in homine est unio mentis cum corpore; ergo hæc unio deberet omnino exprimi in esentiali hominis definitione: sed non exprimitur in Vulgari hominis definitione, ergo hæc est tamquam desectuosa, & deficiens reiicienda.

Sed quam falsò Cartesiani sic arguant, inde patet, quod hæ rationes, quibus ausi sunt proscribere vulgatam definitionem, nullius sunt roboris, quidquid in oppositum dicant Le Grand, & Fardella in sua Logica rationali *parte* 2. Primum enim non urget, quia hæc substantia homini magis affinis, quam sit Brutum, hucusque non innotescit, negari autem nequit animal esse genus proximum hominis propter id, quod nobis ignotum est, aliàs negari quoque posset quamplures aliæ definitiones ab omnibus receptæ propter eamdem rationem, ut speculanti patebit.

Secunda ad rem non facit. Homo enim magis convenit cum Brutis, quam cum Angelis. Cum istis convenit in cognitione, & quidem imperfectè, cum diversus sit modus cognoscendi hominis, & Angeli, quando cum Brutis convenit in ratione entis corporei, ac sensitiui.

Tertium pariter facilis est solutionis, primò, quia si ultima differentia non est rationalitas hominis, quia hæc ignota est, quo jure deinde propugnat Fardella unionem mentis cum corpore esse ejusdem hominis differentiam. Secundò, quia hac ratione omnis definitio proscribi poterit. Opinio autem faciens Bruta, ratione prædita, tantum abest, ut probabilis sit, ut temeraria sit, erroribus scatens, vel saltem improbabilis, & pias aures offendens.

Quintum verò soluitur, primò, quia nulla esentia ab attributo desumitur; hoc enim, quamvis perfectum sit, essentiam supponit, ut patet in ipso gradu intellectivi in Deo, in quo esto attributum sit maximam exprimens perfectionem, essentiam tamen Dei in Henrici, & Scoti, aliorumque sententia supponit. Secundò, quia intelligere simpliciter absque ratiocinio uniuersaliter loquendo homini non conuenit.

Sextum verò parui ponderis est. Optimè enim animal Rationale Radix est cæterorum hominis attributorum, quæ homini conueniunt, prout est totum Metaphisicum. Postremum autem non urget, quamuis enim unio inter corpus, & animam inesabilis sit, referri tamen nequit in definitione hominis metaphisica, quia spectat ad definitionem hominis physicam.

*De Descriptione.*

DEscriptio, est oratio explicans rem per adjacentia; sitque multis modis, nam per

1 *Causam finalem*, sic horologium, dicitur artefactum ad indicandas horas. Quodlibet artefactum, ea ratione potest describi; sic dicitur Clauius artefactum ad referandas Seras; pennicillus artefactum ad exarandas tabellas. Domus artefactum ad expellendas aeris iniurias.

2 *Causam efficientem*, sic *Eclypsis* dicitur positio terræ solem inter, & Lunam.

3 *Causam Exemplarem*; sic *Tempus* dicitur immobilis æternitatis mobilis effigies. *Philosophia* similitudo sapientiæ diuinæ.

4 *Effectus*; sic *Philosophia*, dicitur ars vitæ, meditatio mortis, vita animæ, mors corporis.

5 *Proprietates*, sic *Rubarbarum*, dicitur herba bilis purgatiua, *Senna* Melancoliæ; *Agaricum*, pituitæ. Sic *Magnes* dicitur Lapis attractiuus ferri, & conuersiuus ad Polum.

6 *Accidentium congeriem*; sic *Historia*, dicitur testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, Parens immortalitatis.

7 *Metaphoram*, & *Analogiam*; sic *Pax*, dicitur tranquilla libertas, *ira*, cos fortitudinis, *Sanguis* nectar viuificum, *Scientia*, elementum, & animæ alimentum, *Oculus*, fenestra animæ. *Mors*, summa vitæ. *Caput* arx corporis. *Fælicitas*, centrum desideriorum. *Philosophia collectivè*, concentus, consensusque scientiarum.

8 *Aliquid ex iis mixtum*; Sic *Cor*, dicitur principium vitæ, focus caloris natiui, officina spiritus vitalis, arteriarum Scaturigo, pulsus primus motor, quo vigente vigent, languente languent, moriente intereunt omnia.

9 *Negationem*, sic materia, describitur à Philosopho, quod non est quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur; sed est commune eorum subjectum.

*Regulæ*

*Regula definitionis.*

QUodlibet definiatur per id per quod est; hinc non malè definitur *Euphonia*, suauis, & concinna vocis modulatio. Item *Tonus*, acuta, vel grauis enunciatio vocis, *Cantus*, modula vocis flexio. Unde malè definitur Belloa machina sese mouens. Hinc etiam perperam definitur rarum, corpus habens multas vacuitates.

Secundò definitio, sit clarior *definito*; quia est explicatio definiti; obscura enim obscurris efferre, est in tenebris extinctum lumen afferre.

Hinc male Philosophia, vel Iris dicitur, Taumantis; quia id est obscurius Philosophia, aut Iride. Estque aliquid simile veterum picturis, quibus necesse erat inscriptionem apponere, ut noscerentur.

*Quarta* definitio constet vocibus rectis, non alienis, aut absolutis; quamobrem perperam Voluntas dicitur cubile libertatis; Medulla, Ossigena; aut verbum, quod verum Boat. Item anima, numerus per se movens. *Homo* gradus constans animalitate, & rationalitate.

Tertiò definitum, si sit *absolutum*, non ingrediatur definitionem. Hinc malè definitur *perfectum*, id cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis. Albedo, id quod dealbat. Syllogismus oratio includens discursum; discursus enim propriè, & Syllogismus sunt quid unum, & idem.

Quartò definitio sit propria definitio; quia debet exhibere id, per quod definitum in se constitoitur, & à Cæteris distinguitur, hinc male definitur *Planta*, viuens virescens: nam fungus, item cuscuta est Planta, nec virescit. Item Portus, locus conciosus, in quem importantur, & è quo merces exportantur, nam id etiam convenit apothecæ mercatoris.

Item *vox*, est act ictus auditu perceptibilis; Sonus enim Campanæ est ejusmodi, nec est *vox*. Similiter perperam logica, dicitur ars cogitandi; nam Rethorica, est etiam ejusmodi.

5 Sit adæquata, nec latior, seù superflua, ne confusionem pariat; nec *strictior*, seù manca, ne generet obscuritatem. Hoc duplici vitio, hæc definitio laborat, qua dicitur liberum, quod est voluntarium cum inclinatione. Voluntarium enim includit inclinationem, nec omne voluntarium est liberum. Item hæc, qua Philosophia definitur, *cognitio certa, & evidens rerum naturalium per causas*. Siquidem hi duo termini certa, & euidens, sunt superflui, ut diximus. Item est manca, siquidem non solùm est *rerum naturalium*, seù Physicarum, verum etiam rerum metaphisicarum. Item non solùm est cognitio per causas, sed per proprias causas. Hinc, qui probaret Plantam nutriri, quia vegetat, non Philosophicè procederet, nam vegetare, est quid commune ad probandam augmentationem, & Plantarum generationem.

6 Relata per sese invicem definiantur, habent enim suum esse per ordinem ad se invicem. Hinc duplum definiror dimidii duplum; & dimidium, dupli dimidium.

7 Potentiæ, Habitus, eorumquè actiones definiantur per ordinem ad eorum objecta, sic dicitur Medicina, *ars architectonica conservativa possessæ sanitatis, & amissæ reparativa*; Visio perceptio luminis, & coloris.

8 Actio, definiatur per terminum ad quem, sic eductio Physica, dicitur productio formæ dependẽter à subiecto. Item calefactio, productio caloris. Sic etiam illuminatio ut est actio dicitur, productio luminis.

9 Mutatio, per ordinem ad *terminum à quo, & ad quem*. Sic illuminatio, definitur transitus à tenebris ad lumen. Latio, est motus, e loco in locum.

10 Instrumenta, per usum; sic oculus describitur organum visus; calamus, instrumentum scribendi.

11 Nomina desinentia in *Iuus, juum*, debent exponi; per *activum*; sic sensitiuum dicitur, quod habet facultatem sentiendi; seù quod sensu percipere potest.

*Ibilis*, & *ibile*. Debeat exponi per passiuum: sic sensibile describitur; quod potest sensu percipi. Item intelligibile, id quod potest intellectu percipi, seù intelligi.

12 Superlatiuà, per comparatiua, sic explicentur, v. g. optimum, est id, quo nihil melius, supremum, quo nihil superius; primom, quo nihil prius. Ultimum, quo nihil est ulterius.

13 Comparatiua, per verbum *superat, vincit*, aut simile; sic melius, dicitur id, quod aliud bonitate superat; *deterius*, est id, quod aliud malitia vincit. Primum positiuo caret, ut & ultimum; in reliquis verò nullum ferè superlatiuum sine *comparativo*; nec comparatiuum sine positiuo.

14 Conjugata, conjugatè describantur; sic scuti scientia est cognitio rei necessariæ per proprias causas; ita Scire est cognoscere res necessarias per proprias causas. Similiter Scibile, est necessarium cognoscibile per proprias causas.

15 Accidentia, quæ affectant subiectum, definiuntur per ordinem ad ipsum. Sic gibbositas, dicitur tumor dorsi; simitas, curuitas nasi. Curvitas secundum se cum non dicat essentialem ordinem ad certum subiectum, per respectum ad illud non definitur; est enim inflexio cuiusuis lineæ.

16 Similium, similis, est ratio; dissimilium, dissimilis ratio; sicuti enim utile est procurativum boni; sic noxium est boni privativum, seù mali procurativum.

17 Adverbia definiantur per particulam *secundùm v. gr.* hæc, *fundamentaliter*, est spectari secundùm fundamentum; *formaliter*, secundùm formam; *entitativè*, secundùm entitatem.

# TRACTATUS
## SECUNDUS.

*De secunda Mentis operatione.*



Ecunda Mentis operatio, quæ est veluti secundus cognitionis gradus, vocatur *enunciatio*, quod clarè latentes animi conceptus explicet, & exponat, v. gr. *Deus est suum esse. Virtus est laudanda*. Dicitur propositio; quia in syllogismo proponitur, ut ex ea conclusio eruatur.

Est oratio coostans subjecto, attributo, seu prædicato, & copula verbali.

Definitur accuratè à Philosopho, oratio dicens aliquid alteri in esse, vel non in esse, pro temporum divisione.

Hinc

Hinc vocatur judicium, quod judicis officio fungatur; scilicet suum cuique per veram affirmationem tribuendo, v. gr. *Deus est veritas*; & quod alienum est, per negationem auferendo v. gr. *Deus non est mutabilis*.

*Divisio Enunciationis.*

1 ENunciatio est, vel simplex, in qua unum de uno tantùm affirmatur, vel negatur, v. gr. *Deus est Charitas*, *Deus non est mendax*.

2 Complexa, est, in qua, vel unum de multis affirmatur, vel negatur, v. gr. homo, & Belvæ sunt materiales.

Plura dicuntur de uno, v. gr. *homo est*, *& animal*, *& rationalis*; *homo nec est immortalis*, *nec totaliter materialis*.

Plura de pluribus prædicantur, v. gr. *homo*, *& Angelus sunt cognitionis*, *& amoris divini capaces*.

Utraque propositio est, vel absoluta, seù in qua non exprimitur modus, quo attributum inest, vel non inest subjecto, v. gr. *homo est animal*. Vel modalis, est, in qua exprimitur modus, quo attributum inest, vel non inest subjecto. In hac est modus, & dictum. Dictum est propositio absoluta, quæ manet sublato modo.

Modus, hic, est signum indicans genus materiæ, seu internam terminorum connexionem, vel repugnantiam. Estque

Quatruplex; puta ( Necessarium ( possibile
( Contingens ( Impossibile

1 V. gr. Deus, est necessariò, justus
2 Contingens, est Deum impiis condonare
3 Possibile, est Deum delicta non condonare
4 Impossibile est Deum errare.

Necessitas hìc vim habet affirmationis; impossibilitas verò negationis.

Modus materialiter potest habere rationem dicti v. gr. in his propositionibus. Necesse est, quod Chymera sit impossibilis. Omnis propositio contingens universalis est necessariò falsa. Nam in prima propositione, *impossibilis*: in secunda verò *contingens* habet rationem dicti.

Propositio simplex absoluta consideratur secundùm se, vel comparatè ad aliam propositionem, vel ad syllogismum.

In propositione simplici absoluta quatuor sunt spectanda; nimirum materia, Forma, Quantitas, Qualitas.

Materia propositionis sunt duo termini, in quos propositio resolvi potest; puta subjectum, & attributum, seu prædicatum.

Propositio resolvi dicitur in ea, quæ supersunt sublata copula verbali sum, es, est. Sic hæc propositio, animal est vivens, resolvi dicitur in duos terminos, puta animal, & vivens; quia remanent sublata copula verbali, est.

Subjectum, est id, de quo quid dicitur; seu affirmatur, vel negatur, v. gr. in hac propositione, *Deus est Sapientia*. Deus est subjectum; nam in hac propositione *Sapientia* de Deo affirmatur.

Prædicatum, est id quod de subjecto prædicatur; seu affirmatur, aut negatur, v. gr. sapientia in prædicta propositione.

Prædicari sequitur esse. Id est prius est rem alteri inesse, quam de ipso verè affirmetur; vel eam alteri non inesse, prius quam de ipso verè negetur; prius enim est Philosophiam in esse Aristoteli, quàm ipse dicatur verè Philosophus.

Abstracta insunt; concreta prædicantur; Sic albedo inest parieti, & dicitur paries est albus. Tamque absurdum est dicere, paries est albedo; quàm album est in pariete.

De Deo, propter summam illius simplicitatem, & entis plenitudinem, abstracta accuratius, quam concreta prædicantur; convenientius enim dicitur, Deus est sapientia, quam Deus est sapiens. Non item de creatis, propter participationem, & eorum compositionem; hinc subjectum in his, est quid saltem ratione distinctum à prædicato.

Per se prædicatur, quod ponitur in definitione subjecti, v. gr. respectu hominis. Item effectus formalis de subjecto propositionis; sic dicitur per se, quod album sit disgregativum visus.

De quolibet vera est affirmatio, vel negatio, v gr. Socrates, est Philosophus. Vel Socrates non est Philosophus; non enim datur medium inter ens, & non ens: at affirmatio, & negatio se habent, ut ens, & non ens.

Prædicatio, est vera unius de alio affirmatio, vel negatio; estque vel in obliquo, idest extra nominativum, v. gr. dum dicitur; Filius Patris.

In recto, seu in nominatiuo, eaque est, vel causalis, dum causa de effectu affirmatûr, v. gr. dum dicitur, hoc Idioma est lingua Græca. Concupiscentia est peccatum, idest est effectus peccati. Effectualis, cum scilicet effectus affirmatur de causa, v. gr. dum dicitur. Deus est natura, idest, natura est effectus Dei. Item hæc, lingua est Idioma latinum.

Per Concomitantiam, cum ea, quæ sese comitantur de se invicem prædicantur, v. gr. dum dicitur, lucrum unius est damnum alterius item generatio unius, est corruptio alterius. Identica, in qua attributum idem est cum subjecto. Estque.

Nugatoria, in qua attributum, idem, est, eodemque modo sumitur, ac subjectum, v. gr. dum dicitur, animal est animal.

Categorica, in qua attributum, aliquid significat distinctum à subjecto. Estque, vel directa, in qua affirmatur superius de inferiori; forma, de subjecto; differentia, vel proprium, de specie; superiora enim insunt inferiori; puta humanitas Petro; forma subjecto, v. gr. albedo, parieti. Hinc rectè dicitur homo est animal, est rationalis, risibilis, vel albus.

Indirecta, in qua inferius, de superiori; subjectum de forma, affirmantur: siquidem nec inferius, inest superiori, v. gr. Petrus homini; nec subjectum, formæ; nempe paries, albedini: at cum prædicari sequatur esse indirectè solùm dicitur, *aliquis homo est Petrus*; aliquod album est paries, neque directa, neque indirecta, v. g. dum dicitur *Animalitas*, *est Rationalitas*. Hic enim nec superius, de inferiori, nec inferius, de superiori; aut subjectum, de forma affirmatur.

Iterum Prædicatio est, vel identica simpliciter, in qua significatur attributum idem esse merè realiter, ac subjectum, v. gr. dum dicitur Misericordia Dei est justitia. Item in lacte, albedo est dulcedo.

Formalis, in qua attributum, est de conceptu essentiali subjecti; videlicet, dum dicitur homo est animal; album est disgregativum visus. In propositione directa superius prædicatur de inferiori; forma de subjecto.

Attributum propositionis universalis debet convenire

venire

venite suo subjecto universaliter, v. gr. animal, homini. Nam omnis homo est animal. Non debet attributum universaliter conveniee subjecto, seu secundùm omnem suam extensionem: non enim omne animal potest esse homo.
Particula negativa destruit id omne, quod est post se (ut aiunt) unde si dicatur nullus impius est felix: nullus felix est impius.

Forma propositionis est verbum sum, es, est, ut copulat attributum subjecto, vel ipsum mediante negatione à subjecto separat.

Copula verbalis, est idem verbum substantivum sum, es, est. Sic dictum; quia per se copulat subjectum attributo; separat verò per accidens; nempe mediante negatione.

Copula verbalis debet contineri explicitè in propositione, v. gr. dum dicitur invidus est ignarus; vel implicitè, v. gr. justus feliciter vivit.

Qualitas propositionis est, vel formæ scilicet affirmatio, vel negatio, hæc est divisio attributi à subjecto, illa est compositio attributi cum subjecto. Sicuti enim affirmando coniungis attributum subjecto: Sic negando ipsum separas, v g. dum dicitur, nullus impius est quietus, separatur quies ab impietate.

Vel materiæ, nempè veritas, seu conformitas propositionis cum objecto, v. gr. in hac propositione, Deus est Charitas. Veritas propositionis estimanda est è conformitate cum objecto, non cum solo conceptu. Falsitas verò est deformitas propositionis cum objecto v. gr. dum dicitur, fraus parit diuitias.

Affirmatio, & negatio dicuntur qualitas formæ; quia respiciunt Verbum, ut est copula. Veritas, & falsitas, qualitas materiæ, quia spectant convenientiam, vel repugnantiam attributi cum subjecto: at sicuti subjectum, & attributum sunt materia propositionis; sic est verbum, ut est copula, est illius forma.

Quantitas propositionis, est restrictio subjecti ad unum, vel illius extensio ad plura. Ea digno scitur è solo subjecto dum singulare est, vel è signo particularitatis, aut uniuersalitatis, dum subjectum est commune, id patebit modo.

*De Propositione considerata ratione prædictorum.*

PRopositio, ratione materiæ, est vel necessaria, quæ ita vera est, ut nequeat esse falsa; dicitur que propositio æternæ veritatis, v. gr. *Deus est Omnipotens*, vel impossibilis, quæ est ita falsa, ut nequeat esse uera; quæ quia implicat contradictionem, dicitur propositio æternæ falsitas v gr. hæc *non est Deus*. Ita quippe est falsa, ut eius contradictoria, sit absoluté necessaria. Contingens, quæ ita vera est, ut possit esse falsa, & viciſſim, v. gr. hæc, *Filius amat Matrem*.

Ratione verò formæ, vel de primo adiacente, in qua scilicet attributum primò jacet loco, seu cujus verbum fungitur vice subjecti, copulæ, & attributi, v. gr. sufficit.

Secundo adjacente, in qua Verbum secundò jacet loco; seu fungitur vice copulæ, & attributi, v. gr. *gratia mea tibi sufficit*.

Tertio adjacente, in qua *Verbum* tertio jacet loco, seu fungitur vice copulæ tantùm, v. gr. hæc *gratia mea tibi est sufficiens*.

Ratione quantitatis est, vel singularis, cujus subjectum est singulare, v. gr. hæc, *Salomon fuit Regum Sapientiſſimus*. Particularis, cujus subjectum est commune affectum signo particularitatis, aliquis, quidam, nonnullus v. gr. hæc, *aliquis homo est justus*. Indefinita, cujus subjectum est commune nullo affectum signo particularitatis, aut uniuersalitatis, v. gr. hæc, *impius non rohorabitur impietate sua*; demum uniuersalis, cujus subjectum est commune affectum signo uniuersalitatis, *omne*, vel *nullum* v. gr. hæc, *omnis delusor est abominabilis Deo*.

*De Affectionibus Terminorum, prout sunt in Enunciatione.*

PRæcipuus Sophistarum locus, est ambiguitas, hæc autem est, vel equiuocatio, seu usurpatio termini diuersæ significationis v. gr. *Canis*. Vel Amphibologia, & est usurpatio sermonis diuersæ significationis, u. gr. *ajo te Romanos vincere posse*.

Ut eorum Cauillationes, & technas possimus detegere, & dissoluere necesse est diligenter varias terminorum acceptiones nos accuratè dignoscere: eæ porrò sunt, *suppositio*, *ampliatio*, *restrictio*, *ascensus*, *descensus*, *alienatio*, *appellatio*, *status*, *distractio*, *connectio*, *diuisio*, *diminutio*, *prædicatio*.

Suppositio est positio, seu acceptio termini vice alterius. Hæc non est idem, ac *significatio*; nam voces significant conceptus, nec pro iis ullatenus supponunt.

Suppositio est, vel materialis, seu acceptio termini pro ipsa voce, v. gr. dum dicitur, homo est nomen. Alia formalis, seu acceptio termini pro re significata; hæcque est, vel metaphorica, quæ dicitur alienatio; de qua modò. Vel propria, seu acceptio termini pro re, ad quam designandam destinatus est: sic Christus Dominus, propriè dicitur *Verbum Caro*; metaphoricè autem, *Leo de Tribu Juda*.

Propria est, vel singularis, seu acceptio termini pro re aliqua determinata, & singulari, v. g. hic, *homo est justus*. Communis, seu acceptio termini pro significato communi. Estque, vel simplex, seu acceptio termini communis sumpti secundò intentionaliter, v. gr. dum dicitur *homo est species*. Personalis, seu realis, quæ est acceptio nominis pro re primò intentionaliter sumpta, hæcque est quatruplex.

Collectiua, seu acceptio termini pro significatis omnibus collectiuè sumptis, v. g. dum dicitur, *Planetæ sunt septem*, determinata, seu acceptio termini communis pro aliquo determinato, v. g. hæc Venator feram occidit. Confusa, seu acceptio termini pro significatis omnibus disiunctim, & indeterminatè: puta *hic*, *vel alter*; sic miles est necessarius ad stationem: Item oculus ad videndum, id est, dexter, vel sinister.

Distributiua, seu acceptio termini communis pro significatis omnibus sigillatim, & distributiuè sumptis. Hæcque est, *vel pro singulis generum*, seu pro singulis indiuiduis sigillatim naturæ communis, v. g. omne animal est viuens, nam conuenit Petro, Bucephalo, & omnibus aliis indiuiduis sub animali contentis. Hoc sensu hæc propositio sumitur, *Christus Dominus pro omnibus sufficienter mortuus est*. Vel pro generibus singulorum, estque acceptio termini communis pro aliquibus ex omni genere, v. g. dum dicitur, *omne animal fuit in Arca Noë*. Sic sumitur hæc propositio. *Christus Dominus pro omnibus efficaciter mortuus est*.

Ascensus, est progressio à particularibus suffi-

 cienter

cienter enumeratis, ad terminum communem, v.g. ignis corrumpitur, Aer, Aqua, Terra; ergò omne elementum corrumpitur.

Descensus, est progressio à termino communi ad particularia, v.g. si dicatur Planeta. est Sydus erraticum. Igitur Luna, Mercurius, Venus, Sol &c sunt Sydera erratica.

Ampliatio *Grammaticis* est auctio; hinc illud Iurisconsultorum, ampliandi fauores, restringenda odiosa. *Dialecticis* verò est extensio termini à strictiori suppositione ad ampliorem, v.g. dum dicitur, aoimal est viuens; Sensus enim est, quod animal, quod est, fuit, erit; fuerit, sit, & erit viuens.

Restrictio, est coarctatio termini, ad pauciora significanda, quam pro more significat v.g. *Homo doctus*.

Appellatio, est denominatio unius termini ab alio: seù applicatio significati unius ad significationem alterius, cui præsertim accidentariò conuenit. Estque, vel *Materialis*, cum terminus appellans afficit subjectum propositionis, v g. Aristoteles paruus, fuit Philosophus, vel formalis, cum videlicet termious appellans refertur ad attributum, v.g. Aristoteles, *fuit Magnus Philosophus*.

Alienatio, est abductio significatioois propriæ ad alienam significationem v.g *prata rident*.

Status est cum terminus non extenditur ultra tempus verbo adsignificatum; sic cum dicitur. *Petrus studet*. Hæc vera est quandiu attributum ponitur cum subjecto, v.g. studium cum Petro.

Distractio, est translatio termini ad aliam temporis differentiam v.g. *Caeci vident*. Hæc vera est io hoc sensu, qui fuerunt cæci modo vident.

Diminutio, est detractio partis suppositionis additione dictionis, v.g. dum Ethiops dicitur *albus secundum dentes*, ubi per additum *secundùm dentes* diminuitur significatio *albi*, diciturque Ethiops albus secundùm quid, ad differeotiam Itali, qui dicitur albus simpliciter, & sine addito.

*De Propositione Complexa.*

PRopositio implicitè complexa, est ea, in qua complexio latet, vocaturque *Exponibilis*, quia eget exponi per clariorem. Propositio explicitè complexa est ea, in qua Complexioois nota expressè apparet, estque vel copulatiua, seù, in qua plures propositiones uniuntur conjunctione, *&*, *atque*. Illius veritas exigit veritatem utriusque propositionis: falsitas requirit, vel unius falsitatem. Possibilitas, illius requirit utriusque compossibilitatem. Unde hæc *Petrus orat, & non orat*, non est possibilis.

Disiunctiua, ea est, in qua plures propositiones affiuntur nota disiunctioois, *aut*, *vel*. Ad veritatem affirmantis exigitur immediata utriusque oppositio; quare hæc non est vera, Paries est albus, vel oiger. Ad hujus falsitatem requiritur, vel falsitas, vel utriusque veritas. Unde hæc est falsa, Petrus est animal, vel Rationalis, quia utraque est vera.

Conditioonalis, ea est, in qua plures propositiones connectuntur particula cooditionali *Si*. Hujus partes sunt antecedens, seù ea, ex qua alia infertur v.g. *si Planta vegetat*, & Consequens, seù ea, quæ infertur, v g. *Planta viuit*. Ad hujus veritatem requiritur, imo sufficit utriusque partis connexio. Unde hæc est vera, si equus est Rationalis, est admiratiuus.

Causalis, in qua plures propositiones nectuntur signo Causalitatis *quia*. Ad hujus veritatem requiritur, ut antecedeos sit causa coosequentis. Unde hæc, non est vera *homo est rationalis, quia est admiratiuus*.

*De Proprietatibus Propositionis.*

PRoprietates propositionis sunt Quantitas, Qualitas, de quibus supra. Item, Conuersio, Opositio, & Equipollentia. De quibus hic agimus.

Conuersio propositionis, est mutatio subiecti in attrbutum, vel vicissim, seruata eadem qualitate.

v.g ( *Nullus equus est Planta*
( *Nulla Planta est equus*

Propositio, quæ conuertitur dicitur *Conversa*; puta nullus equus est Planta. Ea, in quam conuertitur, dicitur *convertens*, v. g. nulla Planta est Equus. In Conuersiooe oon debet mutari terminorum acceptio, hinc non hæc valet.

*Aliquis Senex fuit Juvenis.*
*Aliquis Iuvenis fuit Senex*

Seosus enim Conuersæ, est quod is, qui olim fuit juuenis, nunc sit Senex. Sic ergò conuertenda est

*Aliquis Senex fuit Iuvenis*
*Aliquis, qui fuit iuuenis, nunc est Senex*

Item, oè unus terminus vice alterius sumatur. Hinc non valet hæc conuersio.

*Equus est in stabulo*
*Stabulum est in equo*, nam stabulum, non est attributum conuersæ: Sed aliquod existens in stabulo; est enim propositio de secundo adjacente. Ideoque sic debet hæc conuersio fieri.

*Equus est in stabulo*
*Aliquod existens in stabulo est Equus*

Seruetur semper eadem qualitas, tum materiæ, tum formæ

Conuersio est triplex, puta simplex, in qua seruatur eadem quantitas. Per accideos, seù ea, in qua non remanet eadem quaotitas in Conuersa, vel in conuertente; quia dum conuersa est particularis, coouertens est uoiuersalis, & viceuersa. Per contra positionem, in qua termini de fioitis, fiunt infiniti. Hæc apud latinos vix ullius est usus. Harum Exempla vide paulò iosra.

Qualiter debeat fieri Conuersio, his versibus accipe.

*Feci* simpliciter conuertitur. *Eva* per accid.
*Asto* per contra; sic fit conuersio tota

Quid designent A. E. I. O. hoc docet Disticon

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | ( A | ( E. | ( generaliter | |
| Asserit | ( negat | ( verùm | ( | (ambo |
| | ( I | ( O | ( particulariter | |

Id est A designat propositionem universalem affirmantem

E uoiuersalem negantem

I propositionem particularem affirmantem

O particulrem negantem

*Feci* simpliciter, conuertitur. Id est propositio uniuersalis negans, vel particularis affirmans conuertitur conuersione simplici, v.g *nullus homo est equus, nullus equus est homo, vel aliquis homo est albus, aliquod album est homo.*

*Eva* per accid. idest propositio uniuersalis negans, vel uniuersalis affirmans conuertitur conuersione per accidens v.g. *nullus homo est equus aliquis equus non est homo*, vel omnis homo est animal

aliquod

aliquod animal est homo.

Propositio uniuersalis affirmans nequit vl formæ converti conuersione simplici; nam è verò, nunquam sequitur falsum *vi formæ*, seù seruata eadem forma. Hinc hæc conuersio valet folùm ratione materiæ: *Omnis homo est Rationalis*, *Omne rationale est homo*, non verò formæ, ut patet in hac alia conuersione: *Omne rationale est animal*, *Omne animal est rationale*.

*Afto* per contra. Ideft, propofitio uniuerfalis affirmans, & particularis negans conuertuntur conuerfione per contrapofitionem v. g. *omnis homo est animal*, *omne non animal est non homo*, *vel aliquod animal non est equus*, *aliquis non equus non est non animal*.

Opofitio propofitionum, eft pugna duarum propofitionum, eodem fubj. cto, eodemque attributo pari ratione acceptis, conftantium. Hæcque eft quadruplex, nempè.

Subalterna, feù quarum una eft uniuerfalis, altera particularis fub uniuerfali contenta v. g. *omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*.

In materia neceffaria, utraque eft vera, ut patet ex aliato Exemplo. Contingente verò uniuerfalis eft falfa, vera particularis v. g *omnis homo est albus*, *aliquis homo est albus*.

Impoffibili, urraque eft falfa v.g. *omnis homo est lapis*, *aliquis homo est lapis*.

Contraria, eft pugna duarum propofitionum uniuerfalium, quarum una eft affirmans, altera negans. v. g. *omnis leo est rugibilis*, *nullus leo est rugibilis*.

Contrariæ nequeunt unquam fimul effe veræ; at in materia contingente, ambæ poffunt effe falfæ v. g. *nullus homo est iustus*, *omnis homo est iustus*.

Subcontraria, eft pugna propofitionum particularium, quarum una eft affirmans, altera negans v. g. *aliquis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*.

In materia neceffaria, vel impoffibili, una eft neceffariò vera, altera falfa, v.g *aliquis homo non est equus*, *aliquis homo est equus*.

In materia contingente, neutra poteft effe falfa, licèt utraque poffit effe vera, v. g. *aliquis homo est albus*, *& aliquis homo non est albus*.

Contradictoria, eft pugna duarum propofitionum iifdem terminis conftantium, quarum una eft uniuerfalis affirmans, altera particularis negans, vel viciffim, v g. *omnis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*. In quauis materia altera neceffario eft vera, altera falfa

Contradictoriæ funt omnium maximè oppofitæ.

Subalternæ, ut plurimum fola quantitate pugnant; numquam verò qualitate formæ. Contrariæ, fola qualitate opponuntur; imò in materia contingente conueniunt qualitate materiæ.

Subcõtrariæ, fola qualitate pugnant, imò in materia contingente qualitate tum materiæ, tum formæ conueniunt.

Contradictoriæ verò, & quantitate, & qualitate tum materiæ, tum formæ pugnant. Id omne conftat è modo allatis exemplis.

Equipollentia hic eft reductio unius propofitionis in fenfum alterius mediante una, vel multiplici negatione; quommodo fiat, docet hic verfus.

*Præ* contradic: *post* contra: *præ postque* fubalter.

*Præ* Contradic. Ideft propofitiones contradicentes fiunt æquiualentes præfigendo particulam non figno uniuerfalitatis, aut particularitatis. Sic, *omnis homo est animal*: fit æquiualens huic, *aliquis homo non est animal*: dicendo, *non omnis homo est animal*.

Item hæc, *aliquis homo non est animal*, fit æquiualens huic, *omnis homo est animal*, dicendo, *non aliquis homo non est non animal*.

*Post* Contra. Ideft, Contrariæ fiunt æquiualentes inter fe poftponendo particulam non fubiecto. Sic hæc propofitio, *omnis homo est animal*, fit æquilens huic contrariæ ipfius, *nullus homo est animal*: dicendo, *nullus homo non est aimal*.

*Præ postque* fubalter. Ideft, propofitiones fubalternæ fiunt æquiualentes præfigendo particulam non, figno uniuerfalitatis, aut particularitatis, & eam poftponendo fubiecto; *Sic omnis homo est albus*, fit æquiualens huic fuæ fubalternæ, *aliquis homo est albus*; dicendo, *non aliquis homo non est albus*.

# TRACTATVS

## TERTIUS.

### *De Tertia Mentis Operatione.*



Difcurfus eft tertia mentis operatio, diciturque difcurfus, quia per eam Ratio ab una propofitione, veluti currit ad aliam. Dicitur Ratiocinatio, quia continet rationem propofitionis dubiæ. Dicitur etiam Argumentatio; quia eft Argumenti elocutio

( *Omne animal est viuens*
v.g. ( *Omnis homo est animal*
( *Ergo omnis homo est viuens*.

Argumentum, dicitur quafi ratio arguens, feù conuincens mentem, à Tullio autem dicitur, ratio rei dubiæ faciens fidem. A Logicis Argumentum dicitur medium; quia eo mediante probatur attributum ineffe, vel non ineffe fubiecto, v g. animal, quo mediante mens conuincitur viuens conuenire homini. In argumentatione diftinguenda funt.

Antecedens, eft propofitio, aut propofitiones, è quibus alia infertur, v.g. propofitiones, e quibus in prædicto Syllogifmo infertur hæc, *Omnis homo est viuens*.

Confequens, eft propofitio, quæ infertur ex alia, vel ex aliis, v.g *ergò omnis homo est viuens*.

Confequentia, eft connexio antecedentis cum confequente, v g. connexio inter hominem, & animal, & inter animal, & viuens, & fignificatur per particulam; *ergò*.

Quifquis ignorat exactum difcrimen confequentis à confequentia, eft Philofophiæ ignarus; quia nefcit, an unum rectè, necne ex alio inferatur. Quare id diligenter addifce ex utriufque modo pofita definitione.

In nullo, nifi in legitimo Syllogifmo, eft confequentia, vi formæ: at confequens poteft effe in quovis imperfecto ratiocinio, v. g. in hoc Enthymemate, *homo est fubftantia*; ergò *est rationalis*, Confequens eft verum, quod *homo sit rationalis*, non tamen confequentia, quia non datur connexio inter effe fubftantiam, & effe rationale, lapis enim eft fubftantia, & non eft rationalis.

Argumentatio Uulgò eft fextuplex, nempe.

1. Exemplum, quod eft argumentatio, in qua

ex

ex uno singulari, aliud singulare infertur. Hoc modo: Romani olim nimis amplificantes imperium ceciderunt Imperio; ergò Ottomani nimis extendentes imperium cadent imperio.

Exemplum, est quædam inchoata inductio Oratoribus propria.

2 Inductio, est argumentatio, in qua è multis particularibus sufficienter enumeratis infertur aliquod universale, vel particulare, v. g.

Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter est erraticus; ergò omnis Planeta est erraticus.

Inductio non valet, si possit afferri instantia in contrarium; hæc Picea fert conum deorsum; Item, Larix, Pinus, Abies; ergò omnis arbor conifera fert conum deorsum, nam Cedrus, fert Conum vergentem sursum. Unde non valet dicere nullum animal mouet maxillam superiorem; nam Crocodilus eam mouet.

Cum notitia singularium sit principium cognitionis universalium; ducit enim experimentum, docet ratio; inductio verò fit sensui familiaris. Hinc quælibet principia inductione declarantur.

3 Gradatio, quæ & dicitur Argumentatio à primo ad ultimum, est ratiocinatio constans pluribus propositionibus ita inter se connexis, ut è subiecto primæ, & attributo ultimæ, conclusio colligatur.

Unde vocatur Sorites à nomine aceruus, quod scilicet sit argumentorum coaceruatio v. g. omnis homo est animal, omne animal est viuens, omne viuens est corpus, omne corpus est substantia; ergò omnis homo est substantia.

4 Dylema, ita dictum, quod utrinque capiat, est argumentatio constans pluribus propositionibus, quarum quælibet concessa capit, & decipit aduersarium, v. g si quis negando veritatem ita arguereret.

Negando veritatem, vel verum dicis, vel falsum, si verum dicis, existit veritas; si falsum dicis, falsum est, quod non existat veritas. Igitur existit veritas.

5 Enthymema, est argumentatio constans duabus propositionibus; quia verò una propositionum Syllogismi perfecti, maior, vel minor reticeatur; Hinc.

Syllogismus imperfectus, & enthymema appellatur, v. g. substantia est ens per se; ergo corpus est ens per se, in quo reticetur minor: sed corpus est substantia.

6 Syllogismus, de quo accuratius est agendum.

## *De Syllogismo.*

Syllogismus est scientiarum Clavus: veritatis referandæ Clavis: falsitatis conterendæ Clava; siquidem sola est, & unica perfectè argumentandi ratio: unde nimium de sua temeritate præsumit, qui sine huius perfecta notitia, sibi fingit, vel primis labiis scientias se unquam delibaturum.

Ex Philosopho, est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quoddam ab his, quæ posita sunt necessariò accidit, eo quod hæc sint. Siue.

Oratio, in qua admissis præmissis, necessariò vi formæ admittenda est Conclusio (non solùm in materia contingente, verum etiam in impossibili) unde, si quis admitteret has præmissas.

*Omnis Equus est Leo*
*Omnis Planta est Equus*

Deberet necessariò admittere hanc Conclusionem;

*Ergo omnis Planta est Leo.*

Nec consecutio, est genus augumentationis; cum aut sit ejus pars, puta consequens; vel connexio antecedentis cum consequente. Nec etiam argumentatio est genus syllogismi; siquidem nulla argumentatio mentem convincit, nisi ad syllogismum reducatur. Quapropter argumentatio, & syllogismus reciprocantur.

Logico, circa *syllogismum*, ut & cuivis artifici circa proprium objectum, prænoscenda sunt structura, examen, species. Ad structuram, ut & ad cujusvis artefacti fabricam, sciendum est, quæ sit ejus materia, quomodo invenienda, quomodo disponenda. De quibus sigillatim, ac primò.

## *De Materia Syllogismi.*

Materia syllogismi est, vel proxima, seu è qua proximè syllogismus componitur, & sunt tres ejus propositiones; puta major, minor, & conclusio.

Vel remota, seu ea, è qua syllogismus remotè componitur, nempe major, minor, & medius terminus

3 Remotissima, seu potius res ipsæ, de quibus fit syllogismus, v. gr. huius syllogismi.

*Omne honestum est laudandum;*
*Omnis Virtus est honesta;*
*Ergo omnis Virtus est laudanda.*

Honestas, laudabile, & ipsa virtus, sunt materia remotissima. Huiusmodi materia, ut plurimum spectat ad alias scientias; puta hæc ad moralem.

Tres hi termini (puta honestum, laudandum, & virtus) sunt hujus materia remota.

Tres hæ propositiones, puta *omne honestum est laudandum, & omnis Virtus &c.* sunt materia proxima. Duplex hæc ultima materia propria est Logicæ.

Major terminus est is, qui prædicatur de minori in conclusione.

Minor, qui subiicitur majori in conclusione.

Medius terminus, est qui nunquam reperitur in conclusione, sed ad eam probandam assumitur.

Major terminus, dicitur majus extremum; minor, minus extremum; medius autem terminus, medium. Quia *major* terminus latius patet, quam cæteri, & semper est prædicatum conclusionis, minor autem terminus, minus patet; estque subjectum in conclusione; medius verò terminus; quia ut plurimùm, minus patet majori extremo, & magis minori extremo, v. gr. animal respectu viventis, & hominis. Hinc in Categoria substantiæ collocatur inter utrumque.

Major propositio, est ea, in qua majus extremum conjungitur cum medio, v. gr. hæc *omne bonum est laudandum.*

Hæc dicitur simpliciter propositio; quia ut plurimum, in ea sunt principia, quæ solùm egent proponi, non probari.

Minor est ea, in qua minus extremum reperitur cum medio, v. gr. hæc *omnis virtus est bona.*

Vocatur assumptio; quia ut plurimum in ea minus extremum assumitur è subjecto majoris ut particulare ex universali, v. gr. virtus ex bono, & medium è majori extremo, v. gr. bonum è laudando. Sicuti enim virtus est particulare bonum: ita & bonum est particulare laudandum.

*Major, & Minor* dicuntur *Præmissæ*; quod *Conclusioni* præmittantur. Dicuntur, & antecedens,

quod

quod conclusionem inferant.

Propositio probanda, dicitur *Quæstio*: probata verò vocatùr conclusio, & quia hæc è præmissis collecta est, appellatur complexio, seu summa totius ratiocinii.

Item, nuncupatur consequens, quia iofertur, seu sequitur ex antecedente, sive è majori, & minori propositiooe.

### *De Inventione Medii.*

AD inveniendam syllogismi materiam sufficit reperire solùm medium, nam major, & minor termious; ex quibus constat conclusio, semper præstò sunt, v. gr. dum quæritur, cur Angeius sit immortalis, in promptu sunt, Angeius, qui est minor, & immortalis, qui est major terminus. Itaque solùm medium est inveniendum.

In probandis problematibus affirmativis, quærenda est ratio, cur attributum conveniat subjecto, v. gr. cur immortale conveoiat Angelo; id autem, quod rectè respondetur, puta spiritale, est medium.

In probandis ejusmodi quæstionibus, legitimum sit aotecedens attributi, & consequens subjecti. Sic spiritale est antecedens immortalis, & consequens Angeli.

In probandis conclusionibus negativis, investiganda est ratio, cur attributum subjecto, vel subjectum attributo repugnet; sic ut concludatur quod Angelus oon sit corrupribilis aut mixtum, spiritale est legitimum medium; mixtum enim est ratio demonstrans corruptibile non convenire Angelo, spiritale verò est ratio arguens Aogelum repugnare corruptibili.

In probandis conclusionibus negativis, *medium* sit consequens subjecti, repugnans attributo; vel consequens attributi, repugnans subjecto. Sic spiritale est consequens Angeli, repugnans corruptibili. Mixtum est consequens corruptibilis, repugnans Angelo.

Ad inveniendum medium requiritur solers animi sagacitas, studium, usus, exercitatio in rebus scientificis ex arte pertractandis; scientia quippe natura, eruditione, studio, & exercitatione comparatur: tum etiam sciendum est, quid sint termini consequentes, tum repugnaotes, de quibus supra.

Omne superios, est consequens, v. gr. animal respectu hominis. Omne inferius, est antecedens, v. gr. homo respectu animalis.

Omne reciprocum est promiscuè antecedens, vel consequens, v. gr. homo, & rationale,

Medium demonstrationis, est definitio. Scientiæ quippe claritas è demonstratione; evidentia verò demonstrationis è defioitione derivatur.

Quodlibet causarum genus, est medium demonstrarioois à posteriori. Utriusque maxima debet esse logico cura; eteoim.

*Felix, qui potuit rerum dignoscere causas.*

### *De Forma Syllogismi.*

FOrma syllogismi est dispositio terminorum, & propositionum ad concludendum idonea. Illa figura dicitur, hæc est Modus.

Figura est apta dispositio medii cum extremis ad rité concludendum. Estque quatruplex, puta.

Prima, in qua medium subiicitur in majori, & prædicatur in minori, v. gr. *animal* in hoc syllogismo.

*Omne animal est vivens*
*Omnis homo est animal;*
ergò. *Omis homo est vivens.*

Secunda, io qua Medium prædicatur in utraque Præmissarum, v. gr. hic, *corruptibile.*

*Nullus Angelus est corruptibilis*
*Omne mixtum est corruptibile;*
ergò *Nullum mixtum est Angelus.*

Tertia, in qua medium subiicitur in utraque præmissarum v. gr. hìc *homo.*

*Omnis homo est animal*
*Omnis homo est rationalis;*
ergò. *Aliquod rationale est homo.*

Quarta figura, quæ Gaieno adscribitur, est in qua medium prædicatur in majori, & subiicitur in minori, v. gr. *Omnis homo est animal; omne animal est vivens*; ergò *aliquod vivens est homo*. Hæc figura quamvis à multis reijciatur contendentibus solùm materialiter differre à prima, nempe per solam præmissarum transpositionem, tamen validè sustineri potest, observando, quod major propositio illa est io qua majus extremum, hoc est prædicatum conclusionis, & minor, in qua minus extremum, idest subjectum conclusionis reperitur; prima enim propositio non ab ordioe materiali, sed à majori extremo Major dicitur, & minor à minori; majus autem extremum semper est prædicatum, & minus extremum subjectum conclusioois, quia prædicatum magis latè patet, quàm subjectum.

Hinc manifestè patet 4. figuram formaliter differre à prima, idest per diversam dispositionem medii cum extremis conclusionis, imò magis differre à prima, quam differrant secunda, & tertia, istæ enim aliquam convenientiam habent cum prima, nam secunda convenit cum prima in minori, quia utrobique medium prædicatur de mioori extremo; tertia verò convenit in majori, quia tam in prima, quam in tertia medium subiicitur majori extremo.

At verò quarta figura ex diametro oppooitur primæ quoad dispositionem medii cum extremis cooclusionis, oam in prima medium subiicitur majori extremo, & prædicatur de minori, in quarta verò prædicatur de majori, & subiicitur minori extremo; unde differunt secuodùm dispositionem medii, & non per meram transpositionem præmissarum.

Ex his inferas valde hallucioari, qui quartæ figoræ eos adscribunt syilogismos, in quibus major, & minor ioverso ordine ponuntur, ut in hoc: *Omnis homo est animal; Omne animal est vivens*; ergò *Omnis homo est vivens*; oam hic syllogismus verè ad primam pertioet figuram, & ratio est, quia propositio, quæ primò occurrit verè est minor, & secunda verè est major, cum in prima reperiatur minus extremum, & in secunda majus; ex dictis enim constat majorem esse illam, io qua majus extremum coniungitur cum medio, & minorem io qua minus extremum coniungitur cum eodem medio, uode quantumvis transponantur, non mutantur.

Dices medium in quarta figura semel subiicitur, & semel prædicatur, ut in prima; ergò.

Respondetur medium semel subiici, & semel prædicari respectu diversorum extremorum, ut patet ex dictis, adeòque quartam figuram differre à prima par diversam dispositionem medii cum extremis conclusionis.

Ex figuris Prima est omnium nobilissima, &

cæterarum regula. Ut infra demonstrabitur. Secunda, ipsam dignitate sequitur; quia medium prædicatur: at prædicari est nobilius, quàm subiici; prædicari enim est instar formæ: subiici est instar materiæ. Tertia verò, est dignitate postrema, cum in ea medium bis subiiciatur.

Ut id, ad dialecticæ apices calleas, adverte ad subsequentes regulas.

In prima figura in modis directis medium subiicitur in maiori, & majus extremum attribuitur.

Minus extremum subiicitur in minori, & medium attribuitur.

Minus extremum subiicitur in conclusione, & majus extremum attribuitur, v. gr.

*Omne vivens est corpus*
*Omne animal est vivens*; ergò.
*Omne animal est corpus*.

In secunda figura majus extremum subiicitur in majori, medium attribuitur.

Minus extremum subiicitur in minori, medium attribuitur.

Minus extremum subiicitur in conclusione, majus extremum attribuitur.

Secunda figura differt à prima, dispositione solius majoris, v. gr.

*Nullum mortale est spiritale*
*Omnis Angelus est spiritalis*; ergò.
*Nullus Angelus est mortalis*.

In tertia figura. Medium subiicitur in majori, majus extremum attribuitur.

Medium subiicitur in minori, minus extremum attribuitur.

Minus extremum subiicitur in conclusione, majus extremum attribuitur v. g.

*Omne rationale est admirativum*
*Omne Rationale est disciplinæ capax*;
ergò. *Aliquod disciplinæ capax est admirativum*.

Tertia figura discrepat à prima, sola minoris dispositione.

Modus attenditur è propositionum, figura verò è debita Terminorum dispositione, præsertim autem medii termini cum extremis conclusionis.

Modus est dispositio propositionum secundùm quantitatem, & qualitatem.

Modi sunt novemdecim, nempe
Quatuor directi, primæ figuræ videlicet
*Barbara, Celarent, Darii, Ferio*
Quinque indirecti, eiusdem figure scilicet
*Baralipton, Celantes, dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*.
Quatuor Secundæ Figuræ nempe
*Cesare, Camestres, Festino, Baroco*.
Sex tertiæ figuræ, videlicet.
*Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferisono*.

| | | |
|---|---|---|
| Prima | | ( Maiorem |
| Secunda | (Syllaba designat | ( Minorem |
| Tertia | | ( Conclusionem |

Quod si fortè plures Syllabæ in his reperiantur, v. g. in *Frisesomorum*, sunt Metri gratia, & solùm attendendæ sunt tres primæ Syllabæ; deinde animaduertendæ sunt quatuor vocales, nempe A E. I. O. Quorum valor est notus è supradictis.

Item omnia problematum genera sunt affirmativa, vel nagatina; uniuersalia, vel particularia quisquis autem nouit concludere uniuersaliter, poterit, & concludere particulariter. Idcirco, qui callet *Barbara*, calet & *Darii*: qui probè scit *Celarent*, scit & *Ferio*. Quamobrem ad perfectè demonstrandum, opus solùm est accuratè nosse *Barbara*, & *Celarent*: at nemo potest perfectè Scire hos modos, qui nescit imperfectos ad perfectos reducere. Quapropter qui ignorat artem reducendi Syllogismos numquam ad scientiam poterit peruenire.

Igitur hic agemus de Reductione Syllogismorum, hæc autem alia est *ostensiva*, alia *ad impossibile*.

## De Reductione Ostensiva.

Reductio ostensiua ea est, qua conclusio Syllogismi imperfecti eruitur via directa in modo perfecto, per transpositionem, vel conuersionem propositionum.

Quænam propositiones transponi, vel conuerti debeant, discas hoc distico.

*S. vult simpliciter verti; P. verò per acci.*
*M. vult trasponi, C per impossibile duci.*

*S. vult simpliciter verti*. Id est, quæuis propositio modi, in qua reperitur litera S, debet conuerti Conversione simplici.

*P. verò per accidens*. Id est, propositio modi affecta litera P., debet conuerti conuersione per accidens.

*M vult transponi*. Id est propositio, in qua reperitur litera M, debet transponi, si sit maior, fiat minor, si minor fiat maior.

Id omne constat in

Fap ( *Omne animal est vivens*
esm ( *Nullum marmor est animal*;
o ( *Ergò aliquod vivens non est marmor*.

Antequam hunc modum reducas (idem dicas de reliquis seruata proportione) adverte omnes modos incipere à literis B, C, D, F, Modosque omnes incipi entes à litera B, qui possunt reduci ostensiue pura *Baralipton*, revocandos ad *Barbara*; qui incipiunt à litera C, v. g. *Cesare*, reducendos esse ad *Celarent*. Idem dicas de cæteris.

Deinde aduertas ad literas medias, scilicèt S. P. M. C. Quorum valor iam innotesit sic ergò; prædictum Syllogismum, quia incipit per F, reduces ad Ferio, scilicèt maiorem, quia affecta est litera P, conuertendo conuersione per accidens; nempe dicendo aliquod viuens est animal, & minorem; quia est affecta litera S, conuertendo conuersione simplici, sic dicendo, *nullum animal est marmor*, & quia adiunctam habet literam M, ipsam transponendo è loco minoris, in locum maioris. Unde habes hunc Syllogismum reductum in

Fe ( *Nullum animal est marmor*
ri ( *Aliquod vivens est animal*;
o ( *Ergo aliquod vivens non est marmor*.

Sic reducitur *Frisesomorum* in *Ferio*.

Fris ( *Aliquod vivens est Planta*
es ( *Nullus lapis est vivens*;
om ( *Ergò aliqua Planta non est lapis*.

Fe ( *Nullum vivens est lapis*
ri ( *Aliqua Planta est vivens*;
o ( *Ergò aliqua Planta, non est lapis*.

In his duobus modis habes omne artificium Reductionis ostensivæ.

*C, per impossibile duci*. Idest modus, cuius propositio est affecta letera C, (puta *Baroco*, & *Bocardo*) reducendus est solùm per impossibile. Enim verò neuter modus revocari potest ostensiuè ad *Barbara*, aut *Celarent*; nam Conclusio sequitur deteriorem partem. Nec ad *Ferio*; nam minor negans, nequit conuerti in affirmantem; qualis est in Baroco, aut major negans, in uniuersalem affir-

affirmantem, ut liquet è regulis Conuerſionis: id tamen fieri deberet, ut Bocardo, in Barbara conuerteretur.

*De Reductione ad impoſſibile.*

Reductio ad impoſſibile probat quod Syllogiſmi directi primæ figuræ, admiſſis præmiſis, neceſſariò concludant, cum Syllogiſmi imperfecti, hoc pacto rectè concludant; nam admiſſis eorum præmiſſis, neceſſe eſt admittere concluſionem, aut incidere in contradictionem, ut patebit è dicendis.

Deductio ad impoſſibile, ea eſt quà quis cogitur admittere contradictoriam, aut ſaltem contrariam propoſitioni à ſe jam conceſſæ.

Dicitur deductio ad incommodum; quia indirectè probamus concluſionem ab aduerſario negatam per ipſius contradictoriam, aut ſaltem contrariam: at nullum eſt maius incommodum in Logica, quam in contradictionem incidere; nam eſt à veritate recedere. Ut deducas ad impoſſibile.

1 Sciendum eſt cuiuſnam Figuræ ſit Syllogiſmus cujus concluſio eſt negata.

2 Aſſumenda eſt contradictio concluſionis negatæ, vera profectò ad mentem aduerſarii.

3 Aſſumenda eſt altera præmiſſarum jam conceſſa, ut eam cum contradictione ordines in Syllogiſmum.

4. Intelligendus eſt ſenſus verſuum modò dicendorum, ut ſcias quænam propoſitio retineri, aut reticeri, aut quomodò cum contradictoria admiſſa debeat ordinari.

*Maior ſit minor, & ſit Contradictio major,*
*Excipe Celantes, in quo pervertitur ordo*
*Servat majorem, variatque ſecunda minorem*
*Tertia maiorem variat, ſervatque minorem.*

*Maior ſit minor.* Ideſt in modis indirectis primæ figuræ, maior propoſitio Syllogiſmi reducendi [ſeù cujus concluſio eſt negata) ſit minor Syllogiſmi reducti, & contradictio admiſſa ſit illius maior: at habitis præmiſſis facilè concluſio eruitur, ut conſtat è diſpoſitione terminorum primæ figuræ in modis directis.

Sit tibi igitur hic Syllogiſmus reducendus puta.

Ba *Omne animal eſt vivens*
ra *Omnis homo eſt animal;*
lip *Ergò aliquod vivens eſt homo.*

Primò animaduertes eſse Syllogiſmum indirectum primæ Figuræ. Tum aſsumes contradictionem concluſionis negatæ, nempe *nullum vivens eſt homo*; tunc (juxta præceptum primi verſus) conſtitues eam in maiorem, & maiorem Syllogiſmi reducendi, nempe *omne animal eſt vivens* in minorem, & poſtea directè concludes. Huncque Syllogiſmum inſeres.

*Nullum vivens eſt homo*
*Omne animal eſt vivens;*
*Ergò nullum animal eſt homo.*

Maior, eſt Contradictio concluſionis negatæ: minor eſt major Syllogiſmi reducendi: Concluſio verò eſt contraria minoris admiſsæ in Syllogiſmo reducendo.

*Excipe Celantes in quo &c.* Ideſt, ut reducatur ad impoſſibile is, qui negauit concluſionem modi *Celantes*, huius minor ſit major, & contradictio ipſius concluſionis, ſit minor v.g.

Ce *Nullum animal eſt Planta*
lan *Omnis homo eſt animal;*
tes *Ergò nulla Planta eſt homo.*

Sic dices

*Omnis homo eſt animal*
*Aliqua Planta eſt homo;*
*Ergò aliqua Planta eſt animal.*

Maior hujus, eſt minor ſupradicti, & minor eſt contradictio concluſionis *Celantes*, Concluſio eſt contradictio maioris propoſitionis modi *Celantes* ab aduerſario admiſsæ.

*Servat maiorem, variatq; &c.* ideſt, modus ſecundæ figuræ reducitur ad impoſſibile, ſeruando ipſius maiorem in Syllogiſmo reducto, & aſsumendo contradictionem concluſionis loco minoris. Sic reducitur.

Ce *Nullum animal eſt lapis*
ſa *Omne marmor eſt lapis;*
re *Ergò nullum marmor eſt animal.*

Dicendo in hunc modum.

*Nullum animal eſt lapis*
*Aliquod marmor eſt animal;*
*Ergò aliquod marmor non eſt lapis.*

Quæ concluſio eſt contradictoria minori conceſsæ.

*Tertia maiorem variat &c.* ideſt, modus tertiæ figuræ reducitur ad impoſſibile, collocando contradictionem ipſius Concluſionis loco maioris, minoremque ipſius ſeruando, v.g.

Da *Omne animal eſt vivens*
rap *Omne animal eſt ſenſitiuum;*
ti *Ergò aliquod ſenſitiuum eſt viuens.*

*Nullum ſenſitiuum eſt viuens*
Dicendo *Omne animal eſt ſenſitiuum;*
*Ergò nullum animal eſt vivens.*

Hæc Concluſio eſt contraria maiori conceſsæ, puta omne animal eſt viuens, & contradictoria huic concedendæ, puta aliquod animal eſt vivens.

*De Principiis & Regulis Syllogiſmorum.*

Principia Syllogiſmorum perfectorum ſunt primò: *Dici de omni* (conſequente) ſeù quicquid dicitur per ſe de conſequente, & quatenus ipſum, dicitur, & de omni eius Antecedente: quicquid dicitur de animali uniuerſaliter, dicitur de homine, & Bellua.

*Dici de nullo*, quicquid negatur de conſequente uniuerſaliter, negatur, & de eius antecedente.

Quicquid negatur de animali quatenus animal, negatur quoque de homine, & Bellua.

Hoc præceptum convenit omni Syllogiſmo negatiuo: alterum verò omni affirmatiuo, cuiuſvis modi, & figuræ.

Fundamentum Syllogiſmorum.

Secundæ Figuræ: quicquid ſequitur ex antecedente, ſequitur & è conſequente. Hinc concludit hic Syllogiſmus.

*Omne animal ſentit*
*Nullus Lapis ſentit;*
*Ergò nullus lapis eſt animal.*

Repugnat, quod lapis ſit animal; quia repugnat lapidi ſentire, quod tamen convenit animali.

Tertiæ Figuræ: quæ ſunt eadem veni tertio, ſunt eadem inter ſe Cum Pater Diuinus, & Verbum ſint unum in diuinitate, ſunt & unus Deus.

*Regulæ Generales Syllogiſmorum Repulæ.*

Syllogiſmus conſtet tantùm tribus terminis explicatè, vel implicitè, rectè ad concludendum ordina-

ordinatis. Unde vitiosi sunt hi syllogismi.

*Omnis definitio prædicatur in quid;*
*Omnis differentia includitur in definitione;*
*Ergò omnis differentia prædicatur in quid.*
*Secundum est immediatè post primum;*
*Tertium est immediatè post secundum;*
*Ergò tertium est immediatè post primum.*

Secundò nullus terminus sit in consequente, qui non fuerit in antecedente. Hinc non valet dicere.

*Omne animal est vivens*
*Omnis homo est animal;*
*Ergò omnis homo pictus est vivens.*

Tertiò. Medium nunquam ingrediatur conclusionem; probaretur enim idem per seipsum; tum quia est mensura, qua probatur attributum conclusionis subiecto inesse, vel non inesse: at mensura conclusionis præcedere debet conclusionem.

Quartò medium debet distributivè sumi in altera præmissarum, ideft sumi universaliter; quare hic Syllogismus non concludit.

*Aliquod animal est quadrupes;*
*Omnis homo est animal;*
*Ergò aliquis homo est quadrupes.*

Quintò nullus terminus distribuatur in consequente, qui non fuerit distributus in antecedente. Ideft in consequente non sumatur universaliter, seu secundùm omnem suam extensionem, qui fuerit solùm sumptus particulariter, seu pro aliquo particulari in antecedente.

Signum universalitatis affirmans, *omne*, distribuit solùm subiectum, puta in ista propositione.

*Omne animal est vivens*
*Omne, distribuit animal, non vivens.*

Signum universalitatis negans, *Nullum* distribuit subiectum, & attributum; v. g. in illa propositione nullum animal est Planta, *Nullum*, distribuit animal simul, & Plantam.

Signum particularitatis, *Aliquis, nonnullus*, quia est affirmans; nihil distribuit; signū particularitatis negans, *aliquis non* distribuit attributum, v.g. aliquod animal non est lapis, *aliquod non* distribuit lapidem, non animal. E puris negativis, aut particularibus nihil concluditur vi formæ. Hinc non valent isti Syllogismi.

*Nullus equus est Planta*
*Nullum vegetans est Equus*
*Ergò nullum vegetans est Planta*

*Aliquis, homo est albus*
*Quilibet Æthiops est homo;*
*Ergò quilibet Æthiops est albus.*

Septimò Conclusio sequitur debiliorem partem; si enim altera præmissarum sit negans, aut particularis, conclusio sit negans, vel particularis: Si una præmissa sit negans, & altera particularis, conclusio sit simul negans, & particularis, ut patet in Ferio.

Particularitas deterior est universalitate, negatio affirmatione. Hinc non valent isti Syllogismi.

*Nullum animal est lapis*
*Omnis homo est animal*
*Ergò omnis homo est lapis.*

*Omnis homo est Rationalis*
*Aliquod animal est homo;*
*Ergò omne animal est Rationale.*

E quovis, non quodvis concluditur: è quavis enim causa quilibet effectus non producitur, nec è quovis ligno sit Mercurius. Unde non valet concludere, Sol lucet; ergò Plantæ foliis nudantur; licèt & Sol luceat, & Plantæ foliis nudentur; lumen enim Solis non est ratio casus Foliorum ex arboribus, sed humor in ramis frigore concretus, qui foliis non amplius communicatur.

## *Præcepta Peculiaria Syllogismorum.*

DUò sunt propria cuilibet figuræ.

In prima figura major sit universalis: alioquin medium non distribueretur. Hinc nullus est hic syllogismus.

*Aliquod animal est equus*
*Omnis Leo est animal;*
ergò. *Aliquis Leo est equus.*

Minor sit affirmans; alioquin majus extremum distribueretur in conclusione, non distributum in antecedente; ut patet.

*Omnis Leo est vivens*
*Nullus homo est Leo;*
ergò. *Nullus homo est vivens.*

In secunda figura major sit universalis; quia majus extremum distribueretur in consequente, non distributum in antecedente, puta.

*Aliquod vivens non est Planta*
*Omnis arbor est Planta;*
ergò. *Aliqua arbor non est vivens.*

E puris affirmantibus nihil sequitur vi formæ; unde non valet dicere

*Beatitudo est jucunda*
*Voluptas corporis est jucunda;*
ergò. *Voluptas corporis est Beatitudo.*

In tertia figura, sit minor affirmans, unde vitiosus est hic syllogismus.

*Omne Saccarum est dulce*
*Nullum Saccarum est Lac;*
ergò. *Nullum Lac est dulce.*

Conclusio sit specialis: unde non valet iste syllogismus.

*Omnis ignis est corruptivus*
*Omnis ignis est Levis;*
ergò. *Omne leve est corruptivum.*

## *De Syllogismorum Speciebus.*

SYllogismus multiplex est ratione Figuræ, & Modi, de quibus supra; modi syllogismorum præsertim sunt.

Perfecti, in quibus nempe consequentiæ bonitas naturali lumine apparet; ut sunt soli quatuor primæ figuræ, qui directè dicuntur, quia directè concludunt; id est secundùm, expectationem auditorum; siquidem ita ordinantur, ut eorum omnes propositiones sint directæ, v.gr.

*Omne animal est vivens*
*Omnis homo est animal;*
ergò. *Omnis homo est vivens.*

In hoc enim omnes propositiones sunt categoricæ, & termini ponuntur in conclusione eo modo, quo sunt in præmissis: quod enim subiicitur in conclusione, subiicitur & in minore; quod attribuitur in conclusione attribuitur in majore. Dicuntur perfecti; quia nihil iis addi, vel ab iis detrahi potest, ut præstantiores evadant.

Imperfecti sunt, in quibus consequentiæ bonitas obscurius apparet, quod indirectè concludant: non enim majus, & minus extremum disponuntur in conclusione, ut in præmissis.

Licèt modi secundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludant; tamen non simpliciter dicuntur indi-

indirecti; quia oon ita iodirectè concludunt; ficut quinque ultimi modi primæ figuræ; nam in iis majus extremum eſt ſubjectum concluſionis, minus extremum eſt attributum. Unde fit, quod inferius dicatur de ſuperiori; ſpecies de differentia; ſubjectum de forma; ut patet in hoc

Ba *Omne animal eſt vivens*
ra *Omnis bomo eſt animal;*
lip ergò. *Aliquid vivens eſt bomo.*

*Alia Diviſio Syllogiſmi.*

SYllogiſmus eſt, vel

Commuois ( Commune
( cuius medium eſt (
Expoſitorius ( Singulare
Abſolutus ( Abſolutæ
( cujus propoſitiones ſunt (
Modalis ( Modales
Simplex ( Simplicibus
( qui conſtaot propoſitionibus
Complexus ( Complexis

Complexus, eſt is cuius tota vis pendet ab una propoſitione; eſtque vel

Cooditionalis, cauſalis, diſiunctivus, copulativus, & per analogiam

Conditiooalis, eſt is, qui affectus eſt particula conditionali *ſi, niſi*

Eo non utetur peritus logicæ, niſi dum argumeotabitur ex hypoteſi admiſſa ab adverſario, nec quidquam eoim aliter vi formæ concludit, puta

*Si bomo eſt animal, eſt ſenſitivus;*
*Sed bomo eſt aaimal;*
ergò. *Homo eſt ſenſitivus.*

Ea ſiquidem ratio dicendi obſcurior eſt, & ſervata eadem ſorma, poteſt ſequi falſum, ut ſi dicas.

*Si bomo eſt animal eſt Equus;*
*Sed bomo eſt animal;*
ergò. *Homo eſt Equus.*

Syllogiſmus cauſalis, eſt is, qui conſtat propoſitionibus affectis patticula cauſali *ideo quia* v. gr. Si quis ita loquatur.

*Ideò bomo eſt admirativus, quia eſt rationalis,*
*Sed omne admirativum eſt diſciplinæ capax;*
ergò. *Homo ideò eſt diſciplinæ capax, quia eſt rationalis.*

Non valet illud argumentum, niſi in argumentis ad hominem, & ex conceſſis ab adverſario: tum quia obſcurior, prolixior eſt, & deceptorius, poteſtque ferè ſemper abſolutè efferri, v. gr. ſuperior dicendo.

*Omne rationale eſt diſciplinæ capax*
*Omnis bomo eſt rationalis;*
ergò. *Omnis bomo eſt diſciplinæ capax.*

Syllogiſmus diſiunctivus, eſt is cuius tota vis pendet è propoſitione diſiunctiva; puta

*Homo eſt aaimal rationale, vel irrationale*
*Homo non eſt animal irrationale;*
ergò. *Homo eſt animal rationale.*

Logico eſt neceſſarius; licèt quandoque ſit cavillatorius, v. gr. hic

*Homo eſt aſinus, vel non eſt aſinus;*
*Sed bomo non eſt aſinus;*
ergò. *Homo eſt aſinus.*

Copulativus, eſt is cuius vis pendet à propoſitione copulativa; v. gr.

*Numerus non eſt par ſimul, & impar;*
*Numerus biaarius eſt par;*
ergò. *Numerus binarius non eſt impar.*

Syllogiſmus per comparationem ille eſt, in quo unum de alio paritate probatur: non reiiciendus, ſed in ſcholis retinendus: Analogia quippè, licèt remotum, eſt tamen inſtrumeotum ſciendi, ut patet hoc ſyllogiſmo.

*Se babent bonæ leges ad Rempublicam, ut fundamenta ad ædificium*
*Fundamenta fulciunt ædificium;*
ergò. *Bonæ leges fulciunt Rempublicam.*

Syllogiſmus iterum eſt, vel logicus, nempè cooſtans tantùm tribus propoſitionibus claris, conſcitis, quantùm fieri poteſt abſolutis, & neceſſariis, v. gr.

*Omne par eſt dividaam in duas partes æquales.*
*Binarius eſt par;*
ergò. *Binarius eſt dividuus in duas partes æquales.*

Rethoricus, qui conſtat majori, & ſi oeceſſe eſt, majoris probatione; minori, & ejus probatione, tum elicit concluſionem, v. gr.

*Quod appetitur naturaliter baberi poteſt,*
*Appetitus enim naturalis non fertur ad impoſſibile*
*Virtus appetitur naturaliter ab bomine,*
*Eſt enim altimum ipſius complementum;*
ergò. *Virtus baberi poteſt ab bomine.*

*Diviſio Syllogiſmi ratione materiæ.*

SYllogiſmus ratione materiæ remotiſſimæ eſt, vel Demonſtrativus, vel Topicus, vel Sophiſticus; demonſtrativus conſtat ex certis, & evidentibus, Topicus ex probabilibus, Sophiſticus ex apparenter veris.

Primus verſatur, circa res, quæ ita veræ ſunt, ut nequeant eſſe falſæ: Secundus circa res modò veras, modo falſas: Tertius circa res falſas, ſed apparenter veras.

*De Demonſtratione.*

SYllogiſmus demonſtrativus, item & ſcieotificus, ſeu, qui parit ſcientiam, vocatur demonſtratio. Hæcque eſt duplex à priori, & à poſteriori.

A Poſteriori, per quam probatur cauſa per effectum, v. gr. exiſtentia Dei, per creaturas, effectus enim neceſſariò deducere poteſt ad notitiam ſuæ cauſæ.

A priori, per quam probatur effectus per cauſam, v. gr. admirativum de homioe per rationale.

Hæc demonſtratio defioitur, ſyllogiſmus conſtans propoſitionibus veris, primis, ſeu immediatis, notioribus, & cauſis concluſionis.

Primò conſtat *veris*. Per hoc enim demonſtratio differt à Syllogiſmo Topico, & Sophiſtico.

Secundò *primis*, ſeu immediatis; enim verò ejus propoſitiones ſunt indemooſtrabiles, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, ut plurimùm enim ſunt per ſe ootæ.

Tertiò *notioribus* eteoim propter *quod unum quodque tale eſt illud magis*: at propter præmiſſas concluſio eſt evidens. Igitur multò magis præmiſſæ ſunt claræ.

Quartò & *cauſis* concluſionis; quia eſt à priori.

*Demonſtratio.*

1 UNiverſalis potior eſt demonſtratione particulari; quia verſatur circa res magis ſcibiles, & intelligibiles, quibus plura noſcimus, quàm per ſingularia.

2 Affirmans negante: etenim illa se habet ad *hanc*, ut affirmatio, ad negationem: at affirmatio est potior negatione, sicuti ens non ente. Hinc demonstratio affirmativa non eget negatione at negativa eget; affirmatione; è puris enim negativis nihil concluditur.

Cum igitur demonstratio affirmativa potior sit negante, universalis, particulari: Hinc *Barbara* est omnium demonstrationum prima; cum sit modus universaliter affirmativè concludens.

Demonstratio, est syllogismus scientificus, seu scientiæ genitivus.

Scientia est cognitio rei necessariæ per propriam causam, v.g. cognitio virtutis admirandi, per rationalitatem.

### *De Topico Syllogismo.*

Syllogismus probabilis, Topicus, Dialecticus, seu Opinativus est, qui constat præmissis probabilibus, vel altera præmissarum probabili v. g.
*Omne animal diligit sibi simile*
*Omnis homo est animal;*
ergò. *Omnis homo diligit sibi simile.*

Problemata Topica sunt, vel de ( Genere ( Proprio ( Definitione ( Accidente communi

Probatur quia, quidquid de aliquo prædicatur est, vel

1 Reciprocum, hocque, vel essentiam rei explicat, & est definitio; vel non, & est proprium.

2 Non reciprocum, hocque vel est pars definitionis; estque genus, vel differentia; vel ad definitionem non spectat, & est accidens commune.

Propositio Probabilis, ea est, quæ videtur omnibus, vel plerisque, aut sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque, aut horum præstantissimis.

Improbabile dicitur, vel

1 Id ex quo sequuntur absurda, v. gr. quod anima rationalis sit mortalis. Sequeretur enim impios probis fore feliciores.

2 Quod sensibus, omniumque judicio repugnat, v. gr. quod Belvæ non vivant.

3 Id cujus electio est improbitatis, v.g. fraudem esse utilem.

4 Quod votis hominum dissentaneum est, v.gr. vitium esse melius virtute.

Problema dialecticum, est Quæstio ad veritatis agnitionem, vel ad electionem, aut fugam pertinens.

Problema, in quæstionem non debet adduci, de cuius veritate qui dubitat, vi, vel punitione, non ratione debet convinci. Puta an ignis sit calidus, necne? An Deus colendus sit necne? Uno verbo nullum improbabile debet è professò in quæstionem vocari.

Locus Dialecticus, seu argumentorum sedes, est promptuarium, è quo argumenta eruuntur. Estque, vel

1 Maxima, seu propositio è qua plures eliciuntur, v. gr. simile simili gaudet.

2 Differentia maximæ, seu vox indicans differentiam maximæ, è qua educitur argumentum, v. gr. hæc vox à simili; à contrariis.

### *De Syllogismo Sophistico.*

Syllogismus sophisticus, qui Sophisma, seu Paralogismus appellatur, est is, qui constat propositionibus apparenter veris. Estque, vel

1 Pseudographus, qui mentitur demonstrationem; estque is, qui videtur procedere è principiis scientiæ propriis, v. gr.
*Naturalissimum est optimum*
*Voluptas corporis est naturalissima;*
ergò. *Est optima.*

2 Sophisticus strictè, seu contentiosus, qui præsefert Syllogismi Topici speciem, seu Syllogismus falax, qui videtur procedere è principiis communibus, v. gr.
*Quod à pluribus probatur est rectum*
*Fraus inter vendendum, à pluribus probatur;*
ergò. *Fraus inter vendendum est recta.*

Sophista, olim sapiens; nunc verò is, qui quæstum ex apparente scientia captare tentat appellatur.

Sophistæ Scopus est.

Ostendere aliquid evidenter falsum.

Inducere, ut admittatur aliquid communi opinioni repugnans.

Cogere ad idem multoties inutiliter repetendū.

Præstare, ut respondens solœcismum committat.

Præpostero ordine ad aliquid probandum multas rationes, tum ad astruendum, tum ad evertendum conglobare.

Mentem occultare.

Ex æquo utramque contradictionis partem interrogare.

Propositionem, quam quis sibi vult concedi, cum contraria interrogare.

# TRACTATUS QUARTUS.

### *De Methodo.*

Logica quandoque, quia est scientiarum organum, Methodus appellatur. Hic autem Methodus, est ordo discendæ, docendæque disciplinæ.

Dicitur via brevis; quia ejus ope citò, & tutò possumus ad scientiarum adeptionem pervenire.

Propriè, est ordo divisionum, definitionum, enunciationum, argumentationum, idoneus ad scientiam justæ magnitudinis comparandam.

Methodus est ( Synthetica ( Compositiva ( seu ( Analytica ( Resolutiva

### *De Methodo Synthetica, & Analitica.*

Methodus Synthetica, quæ & Methodus à principiis appellatur, est progressus à simplicioribus ad composita, v. gr. à partibus ad totum; puta à litteris, ad syllabas; ab his, ad dictiones. Item à principiis, causis, proprietatibus, ad species, & à simplicioribus speciebus, ad magis compositas; qualis observatur in Compendio Physicæ.

Methodus Analytica, quæ & dicitur methodus ad principia, est progressio à compositis ad simplicia, v. gr. à fine ad media: à toto ad partes, v. gr. ea, qua exposito mundo universim, implicantur variæ corporum species. Sic Geographi ab explicatione orbis terrarum, ad expositionem ejus partium, puta Europæ, Asiæ; Tum ad

ad descriptionem, Regnorum, Provinciarum, Locorum, Civitatum, & Pagorum progrediuntur.

Utraque Methodus maximè inservit ad veritatis agnitionem; sicuti enim, nisi quis viderit partes horologii in horologium compactas earum vim ignorat, & confusè solùm eas cognoscit, nisi, & sigillatim perspexerit; similiter qui novit totum, non cognitis eius partibus sigillatim sumptis, vel partes solùm seorsim à toto, huius naturam perfectè non intelligit; totum enim, & partes, sunt correlata.

Utraque eiusmodi methodus, est vel (inventiva
(dispositiva

*De Methodo inventiva.*

MEthodus inuentiva est, qua occulta, & obscura detegimus, idque fit.

1 Similitudine, & dissimilitudine, nam cognito simili, simile, item cognito dissimili, facilè illius dissimile cognoscitur, similium enim similis est ratio, dissimilium, dissimilis. Unde cognita animalitate hominis, facile dignoscitur animalitas Bruti: cognita rationalitate hominis, facilè cognoscitur irrationalitas Bruti. Quamobrem ignara temeritate Cartesius animalitatem hominis aliter apprehendit, quam in Belluis, formamque substantialem, atque accidentia, cum materia confundit.

2 Propositione, sic cognita definitione unius, potest cognosci definitio alterius, sicuti enim definitio unius constat genere proximo, & differentia maximè propria, sic & alterius definitio iisdem debet constare. Item cognita bonitate rerum, puta, quod una sequatur earum essentiam, altera verò earum accidentia: pariter cognoscitur, quod una bonitas actionum humanarum sit, quæ earum speciem, altera verò, quæ earum accidentia spectet.

3 Resolutione, & distinctione, sic mirabilem corporis humani fabricam noscimus benefitio Anatomiæ, de qua plura dicam in Animastica.

4 Compositione, nam totum est actus partium; unde quis potest naturam hominis cognoscere è compositione animæ rationalis cum corpore. Item, potest quis cognoscere literarum vim ex earum coniunctione in Syllabas; Syllabarum, ex earum compactione in dictiones.

Ad inveniendum requiritur sensuum perspicacia, Ingenii Solertia, Studii perseverantia, ut enim nolenti nihil est facilè, sic & volenti nihil impossibile; sicuti enim cognitio perficit amorem, similiter amor excitat actionem, actio autem non est rei impossibilis.

*De Methodo dispositiva.*

MEthodus dispositiua, ea est, qua inuenta in debitum sciendi ordinem digerimus.

Ad disponendum, requiritur sermonis claritas, brevitas, ordinatio, fæcunditas: obscuritas enim, prolixitas, sterilitas, & confusio sunt indubitatum ignorantiæ argumentum. Claritas conciliatur, inutilia omittendo, obscuriora illustrando; tum posteriora, prioribus elucidando. Præsertim si vitetur casuum obliquitas, sermonis ambiguitas, necnon terminorum inordinata dispositio.

Brevitas, tot enim scientis verba, debent esse tot veritatis pondera. Vitandæ sunt igitur periphrases, eiusdemque rei importuna repetitio.

Sermonis ordo, est Sapientiæ fætus. Hic autem postulat, ut à levioribus, notioribusque exordium ducatur. Hinc ignorantis est, demonstratiua ratione Thæsim probare; tum in probatione topica desinere.

Servandus ordo naturæ, & disciplinæ, quantum fieri potest.

Ordo naturæ hic, non est ordo generationis, qui est progressus ab imperfectioribus ad perfectiora, sed ordo actus, seù dignitatis, quo priora dicuntur, quæ sunt præstantiora. Ordo disciplinæ, est ordo evidentiæ, quo evidentiora sunt priora.

Prius exponi debent priora ordine naturæ, nisi obstet ordo disciplinæ. Unde Aristoteles in logicia prius agit de Relatione, quam de Qualitate; licèt qualitas (utpotè quid absolutum) sit prior relatione, ordine naturæ. Item Porphyrius prius agit de specie, quam de differentia: licèt Hæc, quippè quæ sit pars, prior sit specie ordine naturæ Obstabat enim ordo disciplinæ; relatorum enim notitia est conjungenda: at species, & genus sunt correlata; non autem genus, & differentia.

In tractandis quæstionibus, responsiones adversariorum non sunt admiscendæ probationibus; sed hæ continuandæ, donec ad primam causam devenerimus: tum adversariorum responsiones obiectionum instar proponere, & soluere.

Non est probanda aduersario Thesis, principiis, quæ non admittit, v. g. existere naturas communes adversus Platonicos, aut Stoicos authoritate Aristotelis Aut veritatem Christianam, aduersus Iudæos, authoritate novi Testamenti.

Non sunt confundendæ Methodi. Tam est absurdum Theologum Mysteria Fidei ratione humana velle demonstrare, quam Philosophum arcana naturæ revelatione divina probanda suscipere; non enim debemus mittere falcem in Messem alienam; quæ sunt Medicorum tractent Medici; fabrilia Fabri. Diuersa enim est diversæ artis materiæ pertractandæ ratio. Fabula Fictum Historia verò factum exigit; hæc est uniformis veritatis Imago, illa est solùm ipsius umbra.

Hinc tractare passiones *Anatomicè*; Physicam, *Mathematicè* (ut pro suæ imaginationis deceptione præstitit Cartesius) est methodi rationem susdeque vertere.

Quam prolixa est, & plena ignorantiæ, hæc probandi ratio. Illud fundat relationem, quod est causa, cur inter duo exurgat nova Relatio: Sed relatio est causa, cur inter duo exurgat nova Relatio; quia illud est causa, cur inter duo exurgat nova Relatio, quod est Causa, cur inter duo exurgat noua identitas. Hic enim stylus Sextanum, non Philosophum redolet.

Logicus idipsum sic efferret. Causa Relationis fundat relationem: Relatio est causa Relationis; puta identitatis, &c Adeo oportet imperitum Logicæ, esse ignarum. Denique status quæstionis probè statuendus est. Nam ut plurimum quæstionem intelligere, est soluere. Tum quia nisi quis quæstionis statum apprimè calleat, eam probare nec improbare ullatenus potest.

De re qualibet perfectè scienda, quatuor tantum quæstiones fieri possunt, puta.

1 An sit, ubi agitur de nomine, possibilitate (& si opus est) de rei existentia; frustra enim quæreretur, an existat numerus.

Frustra probatur existentia rei per quid ipsa obscurius, v. g. existentia boni per existentiam virtutis.

2 Quid

2 Quid sit? ubi agitur de rei essentia, seù definitione: hæc autem constat genere, & differentia, vel materia, & forma. Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo quæritur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | existentiam | | quod |
| Per | | (noscimus | ( res sit |
| | essentiam | | quid |

3 Qualis sit? ubi de proprietatibus, puta unitate, multiplicitate, veritate, intelligibilitate, bonitate, necessitate, rei ipsius agitur.

4 Propter quid sit, ubi de causis tel agitur, nempe de finali, efficiente, exemplari. Hæc Methodus, quantùm exiget ordo disciplinæ, seruanda est, & in singulis quæstionibus pertractandis obseruanda.

*Officia Argumentantis, & Respondentis.*

Uterque sit docilis, & logicus, ut clarè, certò, ordinateque, hic argumentetur, ille verò respondeat: cum ament alterna Camenæ; nè ille præfocet responsiones, neque hic præripiat argumentantis rationes. Neuter sit pertinax, nè fortè principia, & veritatem agnitam temerè neget; non decet enim respondentem propugnare falsum, nec argumentantem è professo impugnare verum.

Disputatio est de veritate propositæ quæstionis disceptatio. Est enim ratiocinatio ad alterum, ut ei quid propositum probetur. Hinc eadem ratiocinatio, ut est ad se ipsum dicitur argumentatio: ut est inter opponentem, & respondentem dicitur disputatio.

Disputatio alia est verus, quæ fit dialogis, sicuti apud Platonē: altera est noua, quæ fit Syllogismis, ut apud Aristotelem: illa deceptioni, hæc verò captioni minimè est obnoxia: illa commodior est Aggredienti, hæc sustinenti.

*Munus Argumentantis.*

Argumentans oppugnet Thesim, opposita ratione, destructione fundamenti ab aduersario positi, vel instantia obiectionis, donec ad contradictionem, aduersarium deduxerit.

Hinc puerile est eiusmodi disputationis initium, dicendo tua Thesis est falsa; ergò nulla.

Inutilis est de solo nomine disputatio.

Ludere fagaciter, non illudere quis debet: Inter disputandum ardor, languori præstat; attamen, nè quid nimis: nè non sit ostensio veritatis, sed ostentatio vanitatis.

Ne medium varietur, quod facilè vitatur, dum quis non obsoleris, & conditionatis: sed absolutis, primæque figuræ Syllogismis, quantùm fieri potest, ne umquam enthymematis, nisi in te-sumptionibus utatur; iis enim uti, est imperiti, non autem Logici.

Ne variis loquendi modis idem significantibus multiplicet, intricetque Syllogismos; non enim hi numerandi, sed sunt ponderandi.

Curet etiam, nè captionibus contendat, sed necessarium, aut saltem probabilem Syllogismum inter disputandum adhibeat. Nè importunè, & ad fastidium, sed opportunè disputet, & ad delectamentum, semperque absit æscrologia, corrumpunt enim bonos mores, colloquia prava.

*Munus Respondentis.*

Respondens oderit tricas, triuialesque Responsiones. Multò minus fingat inutiles, ridiculas, & insoleores distinctiones. Ut casu accidit, dum Neapolim arguebam quibusdam in Thesibus Theologicis, in quibus pro eiusdem argumenti solutione distinctio hæc in argumenti decursu fuit assignata: concedo maiorem si falsa est minor; nego maiorem, si vera est minor, & pariter minorem concedo, si falsa est maior nego si vera est maior: & alibi formaliter, formaliter formalissime concedo, formaliter non formalissime nego; unde his distinctionibus factum est, quod sicuti defendenti non fuit datum assequi difficultatis intelligentiam, ita propriam solutionem percipere.

Propositiones Syllogismi, vel sunt veræ, vel falsæ, vel ambiguæ.

1 Veræ semper debent admitti; nihil enim à Philosophia magis est alienum, quam veritatem non admittere, quod non evenit, dum quibusdam in Thesibus Bononiæ arguebam, in quibus mihi negata fuit hæc propositio: *potentia materiæ est entitativè finita*, quapropter opus fuit eiusdem veritatem suadere, sed inutiliter.

Falsè debent semper negari, earumque negationis usque est afferenda ratio, ne videatur, quid temere proferre (dum tamen propositio falsa nil confert ad propositam difficultatem, & si negaretur aliò Quæstio diverteretur) non est absolutè inficienda: sed huius falsitas, est obiter indicanda.

3 Ambiguæ sunt distinguendæ; certa enim ab incertis; vera à falsis sunt secernenda. Dum distinguis, & non subdistinguis, debes super prius concedere veritatem, quam falsitatem negare. Ratio est, quia affirmatio sequitur ens, negatio non ens; at ens est prius non ente.

Deinde si incertò aliquando prius, aliquando posterius concedas, nullus tibi erit certus distinctionis modus. Quare facilè poteris inter respondendum interturbari.

Demum, quia dum primò concedis, tum postea negas; qui aduersus te argumentatur, faciliori ratione tuam percipit mentem, clariorique methodo procedit disputatio. Eundem etiam observabis inter scribendum, respondendi ordinem.

INDEX

# INDEX

## DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM.

## DISPUTATIO I.

*De Logicæ Proœmialibus.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum habitus docentis, & utentis realiter strictè inter se distinguantur.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum Logica artificialis sit habitus scientialis.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum hæc Logica artificialis sit scientia pratica, vel speculatiua.*



### QUÆSTIO QUARTA.

*Quodnam sit Logicæ artificialis obiectum.*



### QUÆSTIO ULTIMA.

*Utrum Logica artificialis sit necessaria ad alias scientias acquirendas, & quomodo.*



## DISPUTATIO SECUNDA.

*De Unitate, Identitate, & Distinctione.*



### QUÆSTIO PRIMA.

*In quo formaliter consistat distinctio.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*An detur distinctio formalis ex natura rei.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*An inter gradus Metaphysicos prædicamentales detur distinctio formalis ex natura rei.*



### QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum detur distinctio formalis ex natura rei inter prædicata diuina.*



### QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum quælibet natura creata distinctione media à sua singularitate distinguatur.*



### QVÆSTIO SEXTA.

*Quomodo in Creatis essentia, & existentia distinguantur.*



### QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum detur præcisio obiectiua, vel solùm rationis inter gradus Metaphysicos.*



✠ Cap. 2.

## DISPUTATIO TERTIA.

*De Uniuersalibus.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum à parte rei detur uniuersale metaphysicum.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum indifferentia naturæ ad plura individua conveniat rebus extra operationem intellectus.*



## DISPUTATIO QUARTA.

*De universali Logico.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum detur à parte rei universale Logicum.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum requiratur actus comparativus simplex ad perfectè universalizandum in actu quamlibet naturam, vel potius sufficiat abstractivus.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum cæteræ potentiæ ab intellectu valeant facere universale.*



### QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum universale in actuali prædicatione suam retineat universalitatem.*



## DISPUTATIO QUINTA.

*De Universalibus in particulari.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum universalia in particulari, seu prædicabilia sint quinque, vel plura, vel pauciora.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*De Genere.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*De Specie Logica.*



### QÆSTIO QUARTA.

*De Differentia tertio prædicabili.*



### QUÆSTIO QUINTA.

*Quid sit proprium quartum prædicabile.*



### QUÆSTIO SEXTA.

*De accidenti quinto prædicabili.*



### QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum genus in unica specie, & species in unico individuo cæteris impossibilibus saluari possint.*



QUÆ-

QUÆ-

LIBER

# LIBER II.

PHISICÆ DISPUT. COMPLECTENS.

## DISPUTATIO PRIMA.

*De Principiis rerum naturalium.*



## DISPUTATIO PRIMA.

*De Materia prima.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*In quo sensu materia sit pura potentia.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum materia habeat propriam existentiam.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum potentia materiæ ad formas, sit quid ipsi superadditum.*



### QUÆSTIO QUARTA.



### QUÆSTIO QUINTA.



### QUÆSTIO SEXTA.



### QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum materia appetat formas corruptas.*



### QUÆSTIO OCTAVA.



### QUÆSTIO NONA.

*An materia divinitus existere valeat absque omni forma substantiali.*



## DISPVTATIO TERTIA.

*De Formis substantialibus, & accidentalibus.*



### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum dentur accidentia realia peripatetica.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*An duæ formæ substantiales totales, & non subordinatæ possint informare eandem numero materiam.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*An admittenda sit forma corporeitatis in viventibus.*



## DISPVTATIO QVARTA.

*De privatione, unione, & toto composito.*

### QUÆSTIO PRIMA.

DISPU-

QVAE

QUÆ.

QUÆSTIO TERTIA.

*An ultima dispositio ad formam producatur ab ipsa forma subsequenti.*



QUÆSTIO QUARTA.

*Quodnam sit subiectum radicale accidentium.*



QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum quantitas sit subiectum accidentium immediatum.*



QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum in generationibus substantialibus detur resolutio usque ad materiam primam.*



## DISPUTATIO SECUNDA.

*De causis extrinsecis generationis substantialis.*

QUÆSTIO PRIMA.

*Quænam sit causa proxima productiua substantiæ.* ibi.



QUÆSTIO SECUNDA.

*An Deus concurrat concursu immediato cum causis secundis ad earum operationes.*



QUÆSTIO TERTIA.

*Quomodo Deus concurrat cum causis secundis ad istarum operationes.* p.379.



QUÆSTIO QUARTA.

*Quænam sit causa determinans ad indiuiduationem effectus.*



## DISPUTATIO TERTIA.

*De generatione accidentali, seu de alteratione.*



QUÆSTIO PRIMA.

*Quomodo fiat intensio qualitatis.*



QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum gradus efformantes qualitatis intensionem, sint homogenei, vel eterogenei.*



QUÆSTIO TERTIA.

*An agentia creata iuxta præsentem operandi modum agant in distans.*



QUÆSTIO QUARTA.

*Quid sint Rarum, & densum, & in quo consistant.*

DE ELEMENTIS. 

## DISPVTATIO PRIMA.

*De Elementis, eorumque qualitatibus.*

### QUÆSTIO PRIMA.



### QUÆSTIO SECUNDA.



### QUÆSTIO TERTIA.



### QUÆSTIO QUARTA.



### QUÆSTIO QUINTA.



## DISPUTATIO SECUNDA.

### QUÆSTIO PRIMA.



### QUÆSTIO SECUNDA.



### QUÆSTIO TERTIA.



# LIBER ULT.

## TRACTATUS.

# DE ANIMA

## DISPUTATIO PRIMA.

### QUÆSTIO PRIMA. 



### QUÆSTIO SECUNDA.



### QUÆSTIO TERTIA.



### QVÆSTIO QUARTA.



### QUÆSTIO QUINTA.



### QVÆSTIO SEXTA.



Cap.

## DISPUTATIO SECUNDA.

*De anima sensitiva.*



### QUÆSTIO PRIMA.

*An bruta sint purè authomata.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*In qua quamplura proponuntur, & brevi calamo discutiuntur ex iis, quæ spectant ad sensus internos, externos, lucem, & colores.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum sensus externi, & interni indigeant speciebus, ut sentiant, eo sensu, quo istas Peripatetici defendunt.*



## DISPUTATIO TERTIA.

*De nutritione, & Augumentatione.*



## DISPUTATIO QUARTA.

*De Animalium, & præcipuè Hominis generatione.* 

## DISPUTATIO QUINTA.

*De Anima rationali.*



### QUÆSTIO PRIMA.

*Vtrum anima rationalis sit forma spiritualis.*



### QUÆSTIO SECUNDA.

*Quid sit anima rationalis, & an fiat ex traduce.*



### QUÆSTIO TERTIA.

*In quo residcat præcipua differentia rei corporeæ à re spirituali.*



### QUÆSTIO QUARTA.

*An anima rationalis sit forma informans corpus.*



### QUÆSTIO QUINTA.

*Quot formæ viventes sint in vivente rationali.*



### QUÆSTIO SEXTA.

*An Animæ rationalis immortalitas sola fide, an verò etiam ratione demonstratiuè cognoscatur.*



### QUÆSTIO SEPTIMA.

*Vtrum omnes Animæ rationales sint æqualis perfectionis essentialis.*



DISPU-

DISPU-

# DISPUTATIO PRIMA

## DE LOGICÆ PROOEMIALIBUS

## QUÆSTIO PRIMA.

### *Utrùm habitus docentis, & utentis realiter strictè inter se distinguantur.*



Irca hanc primam controversiam duæ adsunt sententiæ ex diametro oppositæ, ex quibus prima docet realem distinctionem inter hos habitus. Huic adhæret Mastrius quamvis à proprio Doctore ipsum recedere existiment nonnulli Scotistæ in habituum sustinenda reali distinctione. Secunda verò sententia, & quidem communissima negat hanc distinctionem. Ita ex Thomistis Flandria 2. Metaph. quæst. 5. art. 2. Arauxo quæst. 3 Navarete prima parte controvet. 10. quæst. 2. Procemialium, Saochez lib. 5. Logicæ quæst. 6. Massius sect. 1. quæst. 4. Gallego controv. 2. Didacus à Jesu quæst. 25. Complutenses disp. 5. Procemialium quæst. 5. Joannes à Sancto Thoma quæst 5. in Logica, & Pater Paulus Cavinus Collegii Casanatensis Theologus.

Huic secundæ standum esse judico, non quia Thomistica sit, sed quia ipsam propugnat Doctor Solemnis pluribus in locis, oon quidem art. 7. quæst. 7. in Summa aurea, ut aliqui in Henrici schola credunt; sed art. 60 quæst 2. num 95. ubi postquàm docuetat habitum speculativum practicum evadere (impropriè tamen accepto habitu practico) dum procedit ad cognitionem universalis in particulari, hæc habet: *Secundo autem modo habitus, quo cognoscitur universale, fit practicus, quando primò cognito universali speculativè ponit se sciens ad experiendum, & per hoc ad cognoscendum universale in particulari, quod priùs novit secundùm se. Et semper* (nota) *est idem habitus simpliciter speculativus, & practicus sola ratione distinctus, & perfectione, sicuti idem est universale, quod secundùm se consideratur, & quod consideratur existens in particulari*. Modò cum habitus utentis impropriè, & metaphoricè sit practicus, & docentis speculativus, jam non realiter in Henrici schola, sed ratione ipsos distinguere opus erit. Sit ergo.

### CAPUT PRIMUM.

*Divi Thomæ, & Henrici sententia rationum pondere firmatur.*

Nonnulli Thomistæ utriusque Doctoris assertum ostendere solent, sic discurrendo. Si habitus isti distinguerentur realiter inter se, distingui deberent vel numero, vel specie; atqui neutro modo distingui possunt; ergo sunt unus, & idem realiter habitus. Majorem dicunt certam, cum genere distingui non possint, quia in ratione generica habituum conveniunt. Minorem verò ostendunt, quia illa, quæ specie distinguuntur, tenentur habere diversam rationem formalem sub qua, quam certè non habent habitus, de quibus est difficultas, cum respiciant eadem prima principia, ex quibus procedunt. Nec etiam distingui possunt numero, quia in eodem subiecto esse nequeunt accidentia solùm numero distincta. Sed

Ego huic rationi subscribere non possum. Primò quidem, quia supponit accidentia individuari à subiecto, & propterea tales habitus numero inter se distingui non posse, cum in eodem subiecto recipiantur, videlicèt in eodem intellectu; quod tamen penitùs esse falsum constabit, ubi de principio individuationis Secundò, quia diversæ rationes formales optimè inveniri possunt in prædictis habitibus, quamuis ambo versentur circa eadem prima principia, & hoc quia circa ipsa versantur veluti sub diversis rationibus formalibus. Docens enim tendit circa ipsa ut tradenda, utens verò ut applicanda.

Alia ergo methodo, & quidem solidiori veritatem propositam ostendo, & hæc sit. Actus illi, qui quamvis diversi, & distincti sint, proceduot tamen inter se cum tali ordine, ut unus sit primarius, secundarius alter, qui supra primarium difficultatem non addat, non exigunt pro principio habitus diversos; sed ab eodem provenire optimè possunt; atqui ita est in casu, ergo. Major liquet tum ratione, tum sui explicatione, liquidem ideò actus amoris Dei, & proximi oriuntur ab eodem habitu charitatis, quia inter se servant superiorem ordinem; in eo enim qui Deum diligit, nulla est difficultas in hoc, quod est Creaturas etiam amore prosequi. Tum etiam quia habitus quilibet in creatis ad tollendas difficultates ponuntur, quapropter pœnitentiam esse virtutem specialem volunt Theologi, quia ad ipsam habendam, maxima est difficultas superanda; retractare enim debemus priores electiones, & omnia ea, quæ carni concupiscenti adversùs rationem erant consona: quod adeò verum est, ut aliqui existiment de ratione habitus in tota sua latitudine esse supponere difficultatem in potentia, à qua ipsam tollat; quapropter nolunt scientiam divinam rationem habitus habere, cum Intellectus Divinus ab intrinseco summè facilis sit in intelligendo; unde Thomistæ negant communiter in Angelis habitus infusos, quamvis admittant species ob difficultatis carentiam in operando. Verissima itaque est maior propositio apud omnes. Minor autem ostenditur, & præcipuè quoad illam partem, in qua dicimus actum secundum, vel utentem novam non tollere difficultatem,

tatem, quia difficultas, quæ remanere posset superanda, proveniret ex triplici capite Primò ex ignorantia Præceptorum, secundò ex indispositione potentiæ, tertiò verò ex defectu materiæ; atqui ex nullo triplici capite oriri potest, ergo. Probatur minor, siquidem qui habet habitum Logicæ docentis Præceptorum ignorantiam habere nequit, cum supponamus ea cognoscere per Logicam docentem. Secundò habere nequit indispositionem potentiæ, nam cum eadem sit potentia exequens, ac dirigens, nempè Intellectus, si hæc parata sit ad tradenda, disposita quoque erit ad eadem præcepta applicanda. Tertiò tandem hæc difficultas oriri non potest ex defectu materiæ, quia materia Logicæ docentis, & utentis non est diversa, cum sint eadem præcepta cum hoc solo discrimine, quòd docens respiciat præcepta ut tradenda, utens verò ut applicanda. Hæc ratio mihi valida est ad excludendam distinctionem strictè realem inter hos habitus, non tamen mediam, ut falsò Caramuel libro primo asseruit. Hæc enim sufficienter desumitur à sola diversa rerum intrinseca conceptibilitate.

## CAPUT SECUNDUM.

*Audiuntur adversæ partis Auctores diversimodè arguentes*,

PRimum argumentum contra statutum assertum sic procedit. Quemadmodum habitus physici dantur per se ad tollendam difficultatem, ita gratia sanctificans datur ut conferat Animæ sanctitatem; sed nihilominùs in aliquo est gratia sanctificans, quin eandem conferat sanctitatem, ut in Christi Anima, in qua hanc non contulit, cum jam fuerit infinitè per sanctitatem essentialem Verbi sanctificata; ergo etiam à pari dari poterunt habitus physici distincti, esto nulla tollenda sit difficultas. Confirmatur: Quemadmodum habitus physici dantur per se ad tollendam difficultatem, ita habitus omnes naturales inclinant potentiam ad operandum ex motivo naturali; sed nihilominus dantur habitus naturales in Christo Domino in plausibili Theologorum sententia, quin inclinent potentiam ad operandum ex eodem motivo, ut patet in eodem Christo Domino, in quo virtutes naturales exierunt semper in actum ex motivo supernaturali; ergo etiam dari poterunt habitus physici, quin ullam tollant difficultatem.

Confirmatur secundò. In eodem Christo quamplures dantur habitus morales, qui tamen in ipso nullam difficultatem tollunt. Et scientia Dei juxta Henrici sententiam habet rationem habitus, cum tamen in intellectu Divino nulla supponatur difficultas tollenda; ergo etiam in casu dari poterunt habitus distincti, etsi nulla sit difficultas superanda.

Respondeo ad singula, & ad præcipuum argumentum dico, gratiam sanctificantem suo modo sanctificare Christi Animam, videlicet sanctitate accidentali. Per Sanctitatem enim Verbi redditur tantùm infinitè Sancta Sanctitate substantiali solùm explendo sanctificabilitatem intensivam, utì communiter, extra scholam Scoti, affirmant Theologi loquendo de qualibet Divina subsistentia relatè ad humanitatem.

Prima autem confirmatio non urget. Habitus enim naturales in Christo Domino si dentur, quantum est de se semper inclinant potentiam ad operandum ex motiuo naturali, per accidens autem ex motivo supernaturali, quatenus aliquando regulantur, ut docet Doctor ex motivo charitatis, ut contigit in Christo Domino: sed de hoc redibit sermo, ubi de causa productiva substantiæ.

Ad secundam tandem confirmationem dico, habitus morales per se non dari ad tollendam difficultatem, quapropter nil mirum si adsint in Christo non obstante carentia difficultatis; nisi dicere velimus cum quibusdam Thomistis recentioribus etiam in Christo Domino extitisse difficultatem ad operandum quodcunque opus, & hoc quia quamvis in Christo appetitus vi unionis esset subordinatus rectæ rationi quantùm ad communem rationem boni honesti, ita ut non posset ferri nisi in honestum, tamen ex vi unionis præcisè non erat inclinatus ad operandum connaturaliter, & faciliter circa quodlibet bonum honestum in particulari. Scientia autem in Deo habet rationem habitus, esto in Intellectu Divino nulla insit difficultas ad operandum, quia difficultatem supponere non est de ratione universalissima habitus, sed unicè de ratione habitus physici creati.

Arguit secundò Mastrius. Impossibile est unum, & eundem habitum esse simul, & semel practicum, & speculativum; atqui Logica docens est habitus speculativus, utens veró est practicus; ergo habere nequeunt rationem unius habitus. Major est certa. Ideò enim defendimus Logicam ipsam non posse esse partim practicam, & partim speculativam contra nonnullos, quia practicum, & speculativum sunt differentiæ essentialiter dividentes habitum. Probatur itaque Minor quoad duplicem partem Habitus illi, quorum unus versatur circa universalia, & necessaria, alter verò circa particularia, & contingentia, sunt practici, & speculativi; sed docens habitualis versatur circa universalia, & necessaria, utens verò circa particularia, & contingentia, ergo, &c.

Respondeo in forma concessa Majori negando Minorem. Logica enim utens habitualis, de qua inquiritur hic utrùm distinguatur à docente, non est habitus practicus propriè accepto vocabulo praxis, ut revera accipiunt ipsum Henricus, & Scotus; nam esto dicat applicationem regularum ad opus, hæc tamen applicatio non est regularum practicabilium ad opus practicum, cum applicet præcepta in ordine ad operationes intellectus, quæ non sunt opus practicum.

Cui solutioni addo Logicam utentem habitualem nec in sententia arguentis esse habitum practicum, cum sustineat arguens Logicam esse simpliciter, & absolutè, vel totaliter speculativam, quod certè non verificaretur, si Logica artificialis practica esset secundùm utentem. Vel ergo hic Scotista sumit praxim propriè, vel impropriè. Si primum falsum est, habitum utentis esse practicum in Mastrii sententia. Si secundum, jam amplius colligi nequit distinctio utentis à docente, cum idem habitus, qui propriè speculativus est, impropriè practicus esse possit.

Arguit tertiò idem Auctor. Quæ constituunt diversas species, & non subalternatim sunt posita, diversæ sunt speciei; sed scientia, & ars constituunt diversas species, ergo sunt diversæ speciei: sed Logica docens est scientia, & non ars, utens verò est ars, & non scientia, ergo sunt diversæ. Probatur Minor subsumpta. Logica docens est scientia, ergo non est ars. Patet hæc Consequentia, quia

quia scientia versatur circa universalia, & necessaria; ars verò circa singularia, quia versatur circa generationem rerum, quæ singularium est; Sed idem nequit simul versari circa singulare, & universale, contingens, & necessarium; ergo si est scientia, non est ars. Secunda verò pars Minoris pariter ostenditur, eò quia utens versatur circa singularia, ergo non est scientia; aliunde verò est ars, quia est habitus cum vera ratione factivus.

In hoc argumento Complutenses concedunt docentem esse scientiam, non verò utentem, sed nihilominùs ex hoc ineptè colligi habitus esse realiter distinctos putant, cum idem habitus scientificus, & non scientificus esse possit sub diversa ratione, & comparativè ad diversos actus, ut in casu, in quo habitus utentis realiter & entitativè est scientia, reduplicativè verò, & formaliter non est scientia, quod idem est ac dicere Logicam scientiam esse relatè ad actus docentis, non verò in ordine ad actus utentis. Sed ego hanc non amplector solutionem, cum Logicam, etiam prout utentem scientiam esse propugnem. Aliam itaque solutionem exhibeo in forma distinguendo Minorem. Scientia, & ars factiva, vel mechanica constituunt diversas species concedo Minorem; scientia, & ars activa nego Minorem, & pariter distincto Consequenti nego Minorem subsumptam. Ars itaque, quæ fundat speciale genus virtutis contradistinctum à scientia, est ars factiva, quæ cum versetur circa contingentia, ideò cadit à ratione scientiæ; non verò est ars activa ad intra, quia hæc in modo operandi interno scientificè procedit, unde simul rationem scientiæ, & artis sustinet.

Sed pariter falsum omnino est, quòd Logica docens sit scientia, & non ars; utens verò ars, & non scientia. Utraque enim est scientia, cum utraque probet demonstrativè bonitatem suorum actuum, & quælibet ars est; utens quidem quia est habitus effectivus cum vera ratione operis interni, ut asserit arguens; docens vero, quia ordinatur ad talem effectionem. Nec obstat, quòd docens non versetur circa singularia, & contingentia, quia defectus talis ordinationis solùm excludit à docente rationem artis factivæ, de cujus ratione solùm est tendere circa contingentia. Nec pariter utens deficit à ratione scientiæ, esto tendat circa hanc, vel illam materiam, quia hæc tantùm per se respicit bonitatem, quæ relucet in ipsa definitione, vel argumentatione.

Arguunt quartò alii Scotistæ. Ubi cognitio aliquorum non est propter speculari simpliciter, sed etiam aliquo modo propter operari, tunc respectu eorum duplex est necessarius habitus in intellectu nostro, quorum unus sit universalium, particularium alter, genitus ex particularibus actibus; Sed cognitio instrumentorum logicalium non est propter se ipsam simpliciter, sed ad dirigendas operationes intellectus; ergo duplex ponendus est habitus in mente nostra, unus universalium, quo generales regulas cognoscimus, alter particularium genitus ex frequenti applicatione omnium illarum regularum ad certas, & determinatas materias in particulari. Major est certa, nam scientia moralis, & prudentia, quæ distinguuntur realiter ita se habent, ut scientia sit cognitio universalium, & prudentia, quæ est particularis quidam habitus genitus ex pluribus actibus.

Respondeo utique verum esse, quòd cognitio præceptorum Logicæ non est propter se ipsam, sed propter operari, videlicet pro dirigendis operationibus intellectus; attamen quamvis sit propter operationem, adhuc non debet adstrui duplex habitus realiter distinctus, & hoc, quia supposito habitu universalium nulla remanet difficultas auferenda, quæ possit inducere, & necessitare ad positionem novi habitus, ut constat ex superiori nostro fundamento. Nec scientia moralis est habitus realiter distinctus à prudentia, quia hæc sit particularium, illa verò universalium; sed quia post scientiam acquisitam, adhuc remanet difficultas tollenda. Post enim cognitionem objecti in se eligibilis, & à philosophia morali propositi, adhuc voluntas aliquando resistit tali bono, unde prudentia determinat voluntatem ipsam dirigendo ad id, quod bonum est. Sed

Instabis contra hanc solutionem. Intellectus instructus habitu logicæ docentis, definit, dividit, conformiter ad illas regulas, sed cum aliqua difficultate, non expeditè, & promptè; frequentando verò actus, acquirit facilitatem quandam, & promptitudinem ad illos actus promptiùs, & faciliùs eliciendos; Sed hoc est indicium manifestum habitus acquisiti, cum quo promptiùs, & faciliùs actus operamur, quos priùs difficulter eliciebamus, ergo. Probatur Major. Tyrones, etsi optimè sciant definitionem debere constare ex genere, & differentia, & omnia præcepta Logicæ, tamen difficultatem sentiunt in conficiendis syllogismis.

Huic instantiæ, quam non semel contra nos affert Mastrius, non unica est solutio, nedum in schola Divi Thomæ, & Henrici, verùm etiam in eadem Scoti, & præcipuè apud Pontium in suo cursu philosophico; quibus omnibus omissis, & maximè solutione, quam exhibet Joannes à Sancto Thoma existimans actus Logicæ utentis solùm generare quandam facilitatem dispositionis, & expeditionis in applicatione materiæ, quæ tamen novum habitum non producat, ut optimè patet in ipsis actibus verecundiæ frequenter elicitis, qui ideò habitum distinctum à temperantia non generant, quia verecundia non est habitus virtutis perfectæ, sed dispositio ad generandam temperantiam; censeo congruentiùs negandum esse, nos majorem adipisci facilitatem in applicatione, si habitus docentis sit in statu perfecto, uti certè non est in tyronibus, unde nil mirum, quòd difficultatem experiantur.

Arguunt ultimò alii. Actus diversæ speciei diversos habitus generant; sed actus Logicæ utentis, & docentis sunt specie diversi, ergo. Major liquet. Habitus enim producuntur ex actibus, & consequenter, ubi erunt diversi actus, erunt quoque diversi etiam habitus. Minor etiam patet. Logica enim docens versatur circa præcepta definiendi, dividendi; utens verò circa res definiendas.

Respondetur majorem non esse universaliter veram. Actus enim amoris Dei, & proximi diversi sunt, & tamen procedunt ab eodem habitu; quinimmò in Henrici schola (quidquid in contrarium afferat Petrus de Godoy) ut alibi advertimus, actus charitatis eliciti in via, & in Patria erga Deum ipsum eandem diversitatem habent, cum tamen proveniant ab eodem habitu charitatis in utroque statu perseverante; & ab eodem habitu temperantiæ procedunt actus amoris sobrietatis, & odii ebrietatis. Nihilominùs majori concessa, dico actus docentis, & utentis quamvis diversos, habitus diver

sos non exigere, nec producere, quia obtento habitu Logicæ docentis in statu perfecto, nulla remanet amplius difficultas tollenda per posteriores actus utentis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrùm Logica artificialis sit habitus scientialis.*

### CAPUT PRIMUM.

*Quibusdam præmissis sententia affirmativa eligitur.*

CUm certum sit aliquos habitus scientiales esse, alios verò non, jure meritò quærere solent Logici, an Logica artificialis reponenda sit inter primos, an verò inter secundos. Quod antequàm decernamus, primò supponimus, virtutes intellectus esse quinque, ut ex Philosopho primo metaph cap. 3. colligitur. Ex his autem prima est intelligentia, vel habitus primorum principiorum, quæ certè non est ipse intellectus, ut falsò affirmarunt nonnulli, & de more egregiè ostendit hìc Joannes à Sancto Thoma. Secunda verò est scientia, & est notitia certa, & evidens de objecto necessario habita per discursum Syllogisticum Tertia est sapientia, estquæ notitia rerum præstantissimarum, & maximè universalium. Quarta est prudentia, vel notitia directiva actionum humanarum, ut benè fiant in genere moris, & laudabiliter. Quinta tandem est ars, vel habitus cum ratione activus, vel factivus.

Scientia autem multipliciter sumi potest, primò quidem prout solùm importat notitiam certam, quam certitudinem extendit Doctor ad omnem cognitionem rei absque omni errore, ut optimè colligitur ex Summa art. 1. quæst. 1. num 14 illis verbis: *dicendum, quòd scire largè accepto ad omnem notitiam certam, qua cognoscitur res, sicuti & absque omni fallacia, & deceptione*. Secundò verò usurpari potest pro notitia certa habita ab alieno testimonio. Sic scientiam habemus de existentia Byzantii, cum habeamus certam notitiam ortam ex testimonio hominum testantium adesse Byzantium. Hæc notitia pariter impropriè est scientia, cum sit solùm certa certitudine morali. Quapropter certitudo, quam habemus de meritoriis operibus elicitis scientiam non parit. Hæc enim est solùm conjecturalis, & per quandam confidentiam ipsius bonæ voluntatis, quæ consurgit ex conscientia bona. Puritas enim Conscientiæ, ut docet Divus Bonaventura libro tertio dist. 26. dat ipsi Animæ quandam securitatem, & certitudinem de merito jam inchoato. Nec sufficit, quòd sit vel pura certitudo conveniens spei, repugnans diffidentiæ, atque hæsitationi, quæ est circa affectum, vel certitudo fidei, quia quamvis hæc sit omnium maxima (innititur enim motiuo infallibiliori, & robustiori, primæ scilicet Veritati, cui inferior est omnis veritas) tamen oritur ab extrinseco, idest ab infallibili auctoritate Revelantis; sed exigitur certitudo metaphysica orta ex intrinseca connexione essentialium prædicatorum, idest, quæ talis sit, ut omninò talis cognitio falli non possit: unde Angeli juxtà nonnullorum sententiam non habuerunt propriè scientiam de sua beatitudine, sed solùm cognitionem probabilem, quatenus rationabiliter, & conjecturaliter poterant conjicere ex iis bonis, quæ acceperunt, quòd ad beatitudinem parati essent, maximè cum in se nullam viderent maculam, ut advertunt Henricus, Scotus, & Divus Bonaventura dist 4. lib. 2. supra 2. Sententiarum. Certitudo itaque Methaphysica est perfectio formalis scientiæ, ut etiam insinuat Doctor in Summa art 6. quæst. 2. quæ simul cum evidentia scientiam constituit, quam his verbis explicavit Doctor: *Est non quæcunque notitia certa, sed solummodò eorum, quorum veritas intellectui ex rei evidentia apparet*. Ex evidentia, inquam, vel intuitiva, si sit scientia visionis; vel abstractiva, si sit scientia abstractiva, & sic accepta diffiniti potest, quòd sit habitus per demonstrationem acquisitus, & ad demonstrationem inclinans. Sed

Instabis primò contra priorem divisionem virtutū Intellectus factam. Illa divisio non est ad rem, quæ non adæquat divisum, sed divisio supra allata non adæquat divisum, dantur enim alii habitus intellectus extra quinque assignatos, nempe habitus opinionis, dubitationis, & suspicionis, qui certè sunt contradistincti ab omnibus superiùs relatis, ut patet, & ex alia parte sunt habitus Intellectus; ergo, divisio illa facta non videtur legitima.

Instabis secundò. Triplex tantùm est objectum, circa quod cognoscendum eget aliqua facilitate Intellectus hominis. Vel enim objectum est theoreticum, vel practium, vel effectiuum. Si primum adiuuatur intellectus ab habitu Scientiæ: Si secundùm ab habitu prudentiæ: Si verò tertium ipso actis habitu perficitur; ergo tantùm tres sunt virtutes intellectus.

Respondeo divisionem optimam esse in quinque species assignatas: nec alii habitus ab enumeratis contradistincti efficiunt specialem Intellectus virtutem. Habitus enim relati sunt sine ulla prorsus certitudine, adeoque sortiri nequeunt rationem habitus, ut insinuat Doctor in Summa quæst. 1 art. 6. num. 7 illis verbis: *Opinio, dubitatio, & suspicio, quæ sunt operationes intellectus, & notitia absque ulla certitudine Propter quod Philosophus 6. Ethicorum illis tribus non ponit esse habitus intellectuales. Unde quia fides dicit certam notitiam eorum, quæ tenentur per fidem sub isto nomine scientiæ continetur notitia fidei, & sic largè sumendo scientiam*; Sed

Dices; ergo saltem actus fidei generabunt suum specialem habitum; sed habitus fidei Divinæ est habitus contradistinctus ab assignatis; ergò illa divisio in quinque species semper est inadæquata. Probatur prima Consequentia. Nam actus fidei Divinæ sunt actus conjuncti cum certitudine, & quidem summa.

Respondeo concessa prima Consequentia negando minorem, nam in sententia Doctoris notitia fidei continetur sub scientia, seu sub habitu scientiæ, ut patet ex illis verbis: *Unde quia fides dicit certam notitiam eorum, quæ tenentur per fidem, sub isto modo scientiæ continetur notitia fidei*. Quinque ergo solùm sunt virtutes intellectus, quidquid afferat in suis quæstionibus proœmialibus Pater Mastrius distinguens notitias intellectuales in sex genera, referens etiam opinionem.

Ad secundam verò instantiam facilis est solutio. Si enim aliquid probaret Stephanus Chauuin, cujus est Argumentum, probaret etiam, & prædicabilia non esse quinque, nec prædicamenta decem, pluraque alia, quæ tamen communiter concedunt etiam Cartesiani, & Atomistæ. Pro omnibus itaque dico, quod esto objectum materiale sit triplicis generis, formale tamen ternarium numerum excedit. Practicum enim esse potest circa ea, quæ sunt

ſunt Hominis bona, vel mala moraliter, vel circa opus artificiale conforme arti. Si primum, prudentiam habemus; ſi ſecundum, artem. Quod idem etiam dicere poſſumus loquendo de theoretico, data proportione, ut conſideranti patebit. Hoc ipſo autem quòd objectum formale excedit numerum ternarium, etiam eundem virtutes intellectuales ſuperabunt.

Hoc itaque ſuppoſito, quæritur hic, an Logica artificialis ſit ſcientia, & quidem propriè ſecundùm omnes ſuas partes, nimirùm analyticam, topicam, & ſophiſticam, tam ſecundùm docentem, quàm ſecundùm utentem. In qua difficultate diſſidium eſt inter Doctores. Putant enim Thomiſtæ ferè communiter Logicam docentem ſecundùm omnes ſui partes eſſe ſcientiam, non verò utentem; ſic enim potiùs habere rationem artis liberalis. Sic Complutenſes in proœmialibus Logicæ quæſt. 5. diſp. 1. & quidem ut ipſi dicunt ex Divo Thoma in 4. metaph. ſect. 4. quamuis oppoſitum firmet ex eodem Angelico Joannes à Sancto Thoma. Huic etiam adhærent quamplures Scotiſtæ quos inter Maſtrius hic.

Secunda ſententia docet Logicam ipſam eſſe ſcientiam nedum ſecundùm docentem, verùm etiam ſecundùm utentem. Hanc propugnat Doctor in ſumma art. 7. quæſt. 12. num. 5 & 9 quam Patres Societatis magis communiter ſequuntur, cum quibus ſit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Oſtenditur utraque Concluſio.*

Utraque pars breviter eſt oſtendenda, & primò quòd Logica docens ſecundùm omnes ſui partes ſit ſcientia ſic inſinuatur. Scientia eſt cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita; Sed Logica docens ſecundùm omnes ſuas partes eſt cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita; ergo Maior liquet ex ſuperiùs dictis. Minor itaque oſtenditur. Tunc eſſet cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita, quando non ſolùm traderet regulas, & præcepta diſcurrendi, verùm etiam ipſa demonſtrativè probaret; atqui revera Logica docens probat ſua præcepta demonſtrativè, ergo. Probatur minor per partes, & in primis Analytica, & Topica docent quòd in ſyllogiſmo eſſe non poſſint niſi tres termini, & quidem demonſtrativè, quia ſi eſſent plures, vel pauciores non teneret Concluſio. Sophiſtica verò docet diſſoluere ſophiſmata, & hoc pariter demonſtrativè præſtat detegendo errores, & fallaciam, teddendo ſimul rationem talis erroris, ergo.

Secunda verò procedit de Logica prout utens eſt, quæ ſic oſtenditur. Tunc Logica utens ſecundùm omnes ſui partes eſſet ſcientia, quando ſecundùm eaſdem demonſtrativè probaret bonitatem ſuorum actuum; ſed reverà ſecundùm omnes ſuas partes probat bonitatem ſuorum actuum, ergò. Major eſt certa. Probatur itaque minor. Actus logicæ analyticæ eſt Syllogiſmus demonſtrativus, topicæ probabilis, ſophiſticæ diſſolutio fallaciarum. Sed logica utens probat demonſtrativè bonitatem ſuorum actuum, ergò. Probatur minor. Logica in primis probat bonitatem demonſtrationis, eò quia conſtat ex præmiſſis certis, & evidentibus. Probat ſecundò bonitatem ſyllogiſmi probabilis, eo quia conſtat ex premiſſis contingentibus. Probat tandem bonitatem diſſolutionis fallaciarum, quia eſt ſegregatio, & diſcretio veri apparentis à vero reali.

## CAPUT TERTIUM.

*Audiuntur Thomiſtæ & Scotiſtæ arguentes contra ſecundam poſitam Concluſionem.*

Arguunt primò Complutentes. Scientia ut ſcientia eſt, non efficit ſyllogiſmos probabiles, & apparentes, ſed ſolùm demonſtrativos; ſed logica ut utens ſolùm concurrit ad ſyllogiſmos apparentes, & probabiles, procedit enim ex principiis extraneis; ergò logica ſub expreſſione utentis degenerat à modo ſcientiæ.

Reſpondeo huc ſuo argumento nec obtinere Complutenſes Logicam utentem analyticam non eſſe ſcientiam, cum hæc non efficiat ſyllogiſmos probabiles, & apparentes, ſed demonſtrativos, & evidentes: nec urgere etiam loquendo de Logica utente ſecundùm partem topicam, & ſophiſticam, quia prima non inclinat intellectum, ad aſſentiendum concluſioni probabili, ſed ſolùm eſt applicatio regularum in materia probabili. Unde in forma diſtinguo majorem. Scientia ut ſcientia non efficit ſyllogiſmos probabiles, & apparentes per modum habitus inclinantis ad aſſentiendum concluſioni probabili concedo majorem, per modum applicantis ſuas regulas in eadem materia nego majorem, & diſtinguo minorem. Logica utens concurrit ad ſyllogiſmos apparentes inclinando intellectum ad aſſentiendum merè probabiliter nego minorem; non inclinando, ſed applicando regulas materiæ probabili concedo minorem, & nego conſequentiam. Diſtinctio jam patet.

Arguit ſecundò Maſtrius. Scientia prout ſcientia verſari non debet circa ſingularia, & res à nobis operabiles; ſed logica utens verſatur circa ſingularia, & res à nobis operabiles; ergo non erit ſcientia; ſed potiùs ars cum hæc ſit habitus cum recta ratione effectivus.

Reſpondeo majorem eſſe veram ſi hoc ſenſu ipſa proferatur, nimirùm ſcientiam non verſari circa ſingularia attendendo ad ſingularitatem: ſed ſi tendat circa ipſa, tendere debet ſub ratione univerſali, ut in caſu in quo quamvis actus utentis ſint ſemper in materia particulari, non conſiderat tamen Logica rationem ſyllogiſmi in particulari, ſed in univerſali, nempè bonitatem logicam ejuſdem, præſcindendo ab hoc quòd in hac vel in illa materia ſit.

Arguunt tertiò Scotiſtæ. Ratio artis repugnat ſcientiæ; Sed Logica utens eſt ars; ergo non eſt ſcientia. Major probatur quia ars agit de ſingularibus, & contingentibus, & eſt in parte animæ opinativæ. Scientia verò agit de univerſalibus, & neceſſariis. Similiter ars procedit modo practico, & compoſitivo: ſcientia verò modo reſolutivo, & ſpeculativo; ſed implicat ſimul procedere modo reſolutivo, & compoſitivo, verſari ſimul circa objectum ſub ratione univerſali, & particulari; ergo ratio artis repugnat ſcientiæ. Minor verò primi ſyllogiſmi eſt evidens, nam ars eſt habitus cum recta ratione factivus ſive operis interni, ſive externi; ſed Logica utens eſt verè habitus cum vera ratione factivus operis quidem interni, ergò.

Huic argumento reſpondent Thomiſtæ, artem dupliciter conſiderari poſſe. Primò ex parte appli-

plicationis ad opus: secundò ex parte regularum, quod idem est ac ex parte directionis, & regulationis. Priori modo verum esse dicunt artem attingere singularia, & contingentia, quia semper applicatur objecto singulari, & contingenti: falsum tamen esse sustinent si secundo modo accipiatur, quia ex parte regularum, non est de singularibus, & contingentibus, sed de universalibus. Solùm autem in hac secunda acceptione ars numeratur inter virtutes intellectuales. Unde in forma distinguunt antecedens. Ars repugnat scientiæ ex parte applicationis ad opus, concedunt majorem; ex parte regularum, vel directionis, & regulationis negant majorem, & pariter distincta minori negant consequentiam. Sed

Hæc solutio recipi nequit, obstat enim secundæ superiori conclusioni, in qua diximus Logicam utentem esse scientiam etiam prout est ipsarum regularum applicativa; cui asserto Thomistica superior solutio opponitur concedens scientiam non esse ex parte applicationis ad opus, quia tendit circa singularia, & contingentia. Quapropter hac omissa aliter solvere placet argumentum dicendo, rationem artis mechanicæ repugnare scientiæ, non verò artis liberalis, uti est ipsa Logica, quæ ut ars tendit circa contingentia, ut verò scientia circa universalia, & necessaria, in quo nulla est repugnantia, cum diversa reduplicatio tollat omnem contradictionem, quæ in hoc reperiri posset. Sed

Dices Ars liberalis est ars solùm impropriè, & per quandam similitudinem; ergo, si Logica est ars liberalis, impropriè solùm erit ars.

Respondeo verissimum esse artem liberalem impropriè esse artem, quod etiam agnovit Divus Thomas prima secundæ quæstione 57. art. 3. ad 3 propriè rationem artis tribuens solùm artibus factivis, ut sunt ars Æris mallearivа, & quæcunque alia, similis conditionis, ars Tinctoria, ars navifactiva, & domifactiva, vel artes Carpentaria, & Architectonica. Attamen adhuc est locus evadendi, si dicamus, artes liberales esse artes similitudinariè ex parte materiæ dirigibilis; cum materia artis liberalis sit opus internum, & rationis, quod minùs servile est, & minùs subjicitur imperio, & directioni artis, quàm opus artis mechanicæ; non verò esse artes impropriè ex parte regulæ dirigentis, cum ars liberalis, & mechanica univocè in hoc conveniant.

Arguunt quartò alii. Logica est modus, & instrumentum sciendi; ergo non est scientia. Antecedens est commune proloquium, & desumitur ex Philosopho secundo metaph. circa finem, & Divo Thoma Opusculo 7. quæst. 5. art. primo, & ex Henrico in Summa art. 5. quæst 6. Probatur itaque consequentia. Quia instrumentum ex genere suo non est ejusdem principalitatis cum sua causa, vel effectu; sed si esset scientia simul esset ejusdem naturæ cum effectu, ergo. Secundò ex Philosopho docente, absurdum esse utrumque simul quærere.

Respondeo Logicam esse modum, & instrumentum sciendi quasi objectivè, non verò formaliter, agit enim tanquàm de objecto de modo sciendi, & instrumentis necessariis ad alias scientias, ut sunt syllogismi, propositiones, & ex parte hujus objecti, differt ab aliis scientiis, quia aliæ agunt de rebus, ista de modo sciendi, & quia priùs debet cognosci modus sciendi quàm res, ideò dixit Philosophus esse absurdum utrumque simul quærere; & est communis Thomistarum solutio; cui adderem ego, Logicam non esse instrumentum aliarum scientiarum, sed potius ipsius Intellectus, qui ipsa Logica utitur, ut instrumento ad alias scientias acquirendas, & sic solùm sequi, quòd Logica non adæquetur intellectui, non verò aliis scientiis.

Ultimò arguunt alii Scientia esse debet de objecto necessario; sed objectum Logicæ non est necessarium; ergo Logica non est scientia. Minor ostenditur. Objectum Logicæ sunt operationes intellectus, sed istæ non sunt necessariæ. Modò enim sunt, modò non; ergo.

Respondeo objectum scientiæ necessarium esse, non quidem necessitate existentiæ, aliàs sola Theologia esset scientia, cum hæc sola habeat ens sic necessarium pro objecto; sed solùm essentiæ, ut asserit Doctor in Summa art. 26. quæst 1. iis verbis, non enim requiritur, ut res sit in existentia, ad hoc quòd de ipsa sit scientia, sed sufficit, quòd sit res, & natura aliqua in sua essentia; cum autem reverà operationes intellectus necessariæ sint quoad essentiam, seu quoad Connexionem prædicatorum, quamvis contingentes sint secundùm existentiam, hinc optimè Logica erit scientia, quamvis ejus objectum sint mentis operationes.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrùm hæc Logica artificialis sit scientia practica, vel speculativa.*

CUm quælibet scientia practica sit, vel speculativa, non immeritò quærimus hic, supposito quòd Logica sit scientia, an potius sit practica, quàm specularivа, vel è contra. Quod totum antequàm videamus non incongruum erit advertere, quid sit praxis; hoc enim statuto facillima erit difficultatis propositæ solutio. Praxis itaque secundùm scholam Divi Thomæ nil aliud est, quàm operatio ordinata ad opus practicum; secundùm verò Subtilis mentem, est actus alterius potentiæ, quàm intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi, ad hoc ut sit actus rectus. Ex his duabus definitionibus secunda magis arridet, nedum quia aliquid explicat, quod non facit prima, verùm etiam, quia ipsam tradit Doctor quodlib: 8. quæst. 5. illis verbis: *Speculans enim operando ad scire verum speculativus est, extendens autem se ulteriùs, ut non solùm intendat cognitionem veri, sed quærat scire verum, ut secundùm eam voluntas operetur, statim est practicus*: ex quibus patet Doctorem cohærenter loqui cum Scoto circa rationem praxis efficaciter decernendo, quòd sit actus alterius potentiæ, quàm intellectus

Huic itaque praxis ideæ standum est, quam cum proscribant Patres Societatis ferè communiter, firmare volumus hac ratione communi. Illa descriptio est bona, quæ omni, & soli rei descriptæ congruit; sed revera recensita praxis descriptio ita se habet; ergo &c. Minor ostenditur, & primò prior pars ex Philosophi auctoritate tertio de anima cap. 11. suadetur. Intellectus enim extensione fit practicus, sed hic stando intra se ipsum propriè non extenditur, sicuti propriè non se extendit Princeps solùm novas conficiendo Urbes intra ejus ditionem; ergo praxis erit actus alterius potentiæ. Secunda autem ejusdem minoris pars pariter certa est. Praxis enim regulari debet ab actu intellectus; sed omne regulatum naturaliter posterius est suo regulativo; ergo praxis debet esse posterior intellectione. Unde actus naturales vegetativi, & sensitivi, qui præcedunt

omnem

omnem intellectionem non sunt practici, quia non sunt posteriores intellectione, nec ab ea regulabiles. Ultima tandem patet, quia hic nobis solum est sermo de praxi recta, quæ certe conformis est rectæ rationi.

Secundò etiam advertere opus est, pro difficultatis ressolutione, discrimen interveniens inter intellectum specularivum, & practicum, seu inter intellectum instructum habitu speculativo, & ipsum operantem manuductione habitus practici. Discrimeo autem hoc interveniens oon unicum est apud Henricum, qui *in Summa art.* 37. *quæst.* 4., primò assignat ex parte objecti, secundò ex parte modi cognoscendi, tertiò ex parte finis. Ex parte objecti, quia speculativi objectum illud est, cujus principia non contingit aliter se habere; practici verò illud est, quod aliter se habere potest. Secundò ex parte modi cognoscendi, quia intellectus speculativus cognoscit modo scientifico, practicus verò modo consiliativo: & randem ex parte finis, quatenus finis speculativi est veritas, practici verò operatio. Vult tamen Doctor præcipuam diversitatem accipiendam esse ex parte finis, non quidem scientis, ut etiam obiter tetigit Vasquez; sed scientiæ, qui cum duplex sit, nimirum primarius, & secundarius, monet scientiam practicam, vel speculativam esse in ordine ad finem primarium, ut parec ex illis verbis: *finis primarius scientiæ est ille, ad quem talis scientia ordinatur ex se, & per se*. Dixi autem non ex parte finis scientis, quia sciens potest respicere alium finem diversum à fine primario scientiæ, qui cum non esset finis proximus scientiæ, vel intellectus scientis, quà scientis tali scientia, non posset immutare, & tribuere scientiæ denominationem praxis, vel speculativi.

Huic doctrinæ Doctoris, quamvis vera sit, oon arridet Mastrius Henricum oppugnans asserendo scientiam practicam non specificari à fine suo primario, sed solùm ab objecto, quia si finis esset ratio, cur scientia aliqua esset practica, vel esset finis, ut est productus, vel ut consideratus, vel ut intentus, & amatus; sed sub nullis hisce considerationibus esse potest specificativum formale praxis; ergo à fine non desumitur ratio praxis. Probat Minorem per partes idem Mastrius, & quidem primò nequit esse finis productus, quia hic cum sit posterior actu practico, non poterit esse ipsius distinctivum formale, cum hoc esse debeat quid prius. Non secundum, quia ut consideratus non habet rationem finis, sed potiùs objecti, adeoque potiùs specificabitur ab objecto, quàm à fine. Non tertium, quia ratio practici convenit actui practico, sive finis moveat agens, sive non. Sed

Contra est. Hæ enim rationes insufficientes sunt ad doctrinam Henrici evertendam. Henricus enim optimè assignavit discrimen inter practicum, & specularivum docendo practicam scientiam illam esse, quæ per se non est nisi ad operationem; speculativam verò, quæ per se solùm respicit speculationem, & veri cognitionem. Nec obstaot rationes allatæ, siquidem operanda non sunt finis intrinsecus scientiæ practicæ, ut actu ab ipsa effecta, sed præcisè quia à tali scientia intenduntur, ut operanda, adeo ut sublata hac intentione scientia non amplius practica intelligeretur. Finis autem sic expressus noo est posterior scientia, quà practica est. His itaque suppositis sit,

## CAPUT PRIMUM.

*Divi Thomæ, Henrici, & Scoti Sententia defenditur, nimirum quod habitus Logicalis sit totaliter speculativus.*

Conclusio hæc præfixo titulo posita, nedum adversatur Patribus Societatis, verùm etiam iis, qui partim esse practicam sustinent, uti Ruvius quæst. 5. proœmialium, Suarius, Gabriel Vasquez, ut optimè advertit hic Joannes Caramuel in sua Metalogica disp. 5. quibus adhæret ex nostris Magister Angelus Maria Ventura in suo cursu philosophico. Nos tamen veriorem sequentes sententiam contendimus Logicam nec esse totaliter practicam, nec partim, & quidem ut supra innuimus ex Doctore, ut optimè ostendit meus amatissimus Præceptor Magister Sosteneus Cavalli vir rari ingenii, ac nostro præconio Major. Hoc autem primò ostendimus tali methodo. Scientia speculativa illa est, quæ non dirigit praxim, sed Logica secundùm omnes sui partes non dirigit praxim; ergo secundùm omnes sui partes est speculativa, & nullo modo practica. Major evidens est ex ipsa definitione scientiæ speculativæ. Minor patet, nam Logica, ut inferiùs dicam, secundùm omnes suas partes dirigit operationes intellectus; hæ autem ut superiùs diximus non sunt practicæ. Confirmatur. Scientia in qua quæritur scire propter scire, est speculativa; sed per Logicam artificialem quæritur scire propter scire, cum sit habitus ordinatus ex se, ut intellectus absque errore, & rectè procedat in cognoscendo; ergo est speculativa. Major certa est, ipsamque insinuat Philosophus illis verbis, *Speculativæ finis est veritas*; & etiam Henricus approbat *quodlib.* 8. *quæst.* 1.

Probatur secundò, & præcipuè contra asserentes partim esse practicam, & partim speculativam. Repugnat differentias essentiales, & proprietates ex differentiis essentialibus profluentes, uni eidemque rei competere; sed speculativum, & practicum, aut sunt differentiæ essentiales scientiæ, ut volunt nonnulli, aut ad minus proprietates à differentiis essentialibus oppositis proveoientes, ut volunt alii; ergo uni, & eidem scientiæ convenire nequeunt, ergo Logica nequit esse practica simul, & speculativa.

Hujus argumenti non unica est solutio apud Auctores adversæ partis. Respondet primò Vasquez, tunc solùm practicum, & speculativum esse differentias essentiales habituum, quando habitus sunt omnino practici, vel speculativi, quia tunc respiciunt objectum omninò diversum; ex diversitate autem objecti adæquati differentia essentialis optimè infertur in ipsis habitibus. At partim practicum, & partim speculativum esse nequeunt signum sufficiens distinctionis secundùm speciem; eidem enim habitui secundùm rem simul convenire, unde non sunt causa diversi objecti adæquati secundùm speciem. Sed

Contra est. Practicum enim, & speculativum nedum sunt differentiæ essentiales, quia respiciunt diversum objectum; sed ulteriùs, quia habent diversum finem, à fine enim in Henrici Schola (cui etiam adhæret Vasquez) specificantur inter se scientiæ practicæ, & speculativæ; ergo etiam in habitu partim practico, & partim speculativo erunt signa distinctionis secundùm speciem.

Res-

Respondet secundò Gaspar Juvenin ad consimilem rationem in suis Theologiæ Proœmialibus, differentias oppositas utique non posse convenire eidem habitui secundùm eundem respectum, posse tamen secundùm diversum. Speculativum enim convenit Logicæ prout tendit circa præcepta eadem contemplando. Practicum verò prout eadem præcepta ordinat ad confectionem argumentationis, vel rectæ definitionis. Sed.

Contra est. Siquidem etiam omisso practicum, & speculativum non esse rationes oppositas in eadem scientia secundùm diversum respectum, adhuc non sequitur, Logicam esse partim practicam, quia adhuc non esset, unde ratio praxis desumi posset, eò vel maximè, quòd opus logicale est sola intellectus operatio, cui ratio praxis propriè non convenit. Dixi omisso, quia firmiter teneo respectuum diversitatem nullatenùs derogare repugnantiæ, aliàs hæc nullibi esset reperibilis propter facilitatem recurrendi ad diversitatem respectuum, unde posset simul idem intellectus actu formidare de objecti existentia, illamque simul certò tenere, quòd tamen omnes negant. Patet hoc, quia intellectus esset actu incertus, & actu certus secundùm diversos respectus nimirùm scientiæ, & opinionis.

Probatur ultimò assertum. Scientia illa, quæ tota est propter speculationem, tota est speculativa; atqui habitus logicalis totus est propter speculationem, cum totus sit propter definitionem, divisionem, & argumentationem, quæ speculationes sunt; tunc enim vere speculamur, quando definimus, dividimus, & argumentamur; ergo erit totaliter speculativa.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit adversæ partis argumentis.*

Quamvis Thesim positam manifestè docuerit Angelicus Præceptor, cum tamen non desint aliqui, qui oppositum firmant ex eodem, inter quos novissimè Andreas Semeri Societatis Jesu plura referens in contrarium testimonia, ideò placet hæc referre, ut magis manifesta appareat Divi Thomæ mens. Ex his autem primum est. *Speculativarum scientiarum materiam oportet esse res, quæ à nostro opere non fiunt; unde eorum consideratio in operationem ordinari non potest, sicuti in finem; practicarum autem Scientiarum materiam esse res illas, quæ à nostro opere fieri possunt, ut eum cognitio in operationem, quasi in finem ordinari possit.* Secundum verò est, *Speculativus habet pro fine veritatem, quam considerat; practicus autem veritatem consideratam ordinat in operationem tanquàm in finem.* Ex quibus sic arguit relatus Auctor. Ad hoc ut scientia sit speculativa, opus est, quòd sit eorum, quæ à nostro opere non fiunt, seu clariùs quòd materia, circa quam tendit, non fiat ab eadem scientia; sed materia, circa quam Logica versatur, fit ab ipsa Logica, ut inferiùs apparebit; ergo est practica, non verò speculativa. Secundò Scientia practica est, quæ ordinat veritatem consideratam in operationem; sed Logica ordinat veritatem præceptorum in operationem rectam, tanquàm in finem, ergo.

Quo jure hic arguens ostendat ex Divo Thoma assertum, quod propugnat, non video, cum potiùs oppositum expressè doceat 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 6. *ad* 3. & 22. *quæst.* 47. *ad* 3. & 51. *art.* 2. *ad* 3. ut optimè etiam advertit Joannes à Sancto Thoma explicans *quæst.* 1. *Logicæ art.* 4. varia Angelici Præceptoris monumenta, quæ opponi videntur Thesi positæ; quibus explicationibus etiam Nos adhærentes dicimus Divum Thomam, ubi refert Logicam non esse speculativam, ipsam solùm excludere à ratione speculativæ principalis, non verò ministerialis deservientis aliis scientiis, cui non obstat, quòd eorum sit, quæ à nostro opere fiunt, dummodò non fiant modo practico. Per quod patet in forma, quid dicendum sit.

Arguit secundò idem Auctor. Scientia directiva cognoscentis ad effectionem objecti cogniti, est practica; sed de facto Logica est scientia directiva intellectus ad efficiendam rectam operationem, tanquàm ejus proximum objectum, ergo.

Respondeo distinguendo Majorem. Scientia directiva cognoscentis ad effectionem objecti cogniti est practica, si dirigat modo practico concedo Majorem, non practico nego Majorem, & pariter distincta Minori nego Consequentiam. Directio ad effectionem objecti modo practico est, quando vel dirigit actus alterius potentiæ, vel dirigit ad opus propter opus, quod non fit objecti speculatio. Modò non sic Logica dirigit ad opus, cum non dirigat actus alterius potentiæ, neque dirigat opus propter opus, sed dirigat opus intendendo in ipso veritatem.

Quòd autem non sufficiat ad habendam scientiam practicam, quòd hæc solùm sit de objecto factibili, sed ulteriùs esse debeat de objecto uno, vel altero modo factibili, fateri debet etiam arguens, cum doceat relate ad objectum factibile nos sæpe sæpiùs scientiam speculativam habere, quod tunc contingit si in eodem objecto sit aliquod prædicatum, cujus cognitio sit per se expetibilis, ut in casu nostro. Ipsa enim rectitudo operationis, vel ordinata cognitio rei est per se expetibilis, quinimmò de facto experitur à Logica.

Hæc solutio adeo vera est, ut ulteriùs ipsam confirmare velim exemplo scientiarum Mathematicæ, & Geometriæ, quæ etsi speculativæ sint, tamen sunt operativæ trianguli, sphæræ, & Astrolabij, & hoc quia talis constructio ordinatur ad cognitionem veritatis, tanquàm ad finem principalem. Cum autem hoc idem eveniat in casu nostro, ut Inferiùs magis demonstrabitur, jam patet, Infimum esse superius argumentum.

Arguit tertiò Rodericus Arriaga. Omnis actus virtutis moralis est practicus, sed aliqui actus virtutis moralis sunt intellectuales, ut fidei, prudentiæ; ergo actus intellectus sunt practici.

Confirmant aliqui hoc argumentum primò. Si omnis actus intellectus esset speculativus, etiam omnis habitus ejusdem sic esse deberet. Habitus enim speculativi illi sunt, quorum actus sunt speculativi; sed falsum est omnem habitum intellectus speculativum esse, ergo.

Confirmo ego secundò argumentum hoc medio. Datur peccatum consistens in sola cognitione, sed omnis actio peccaminosa est practica, ergo. Probatur Minor. Omnis actio, quæ esse potest peccaminosa, esse potest dirigibilis in genere moris; sed actio, quæ est dirigibilis in genere moris est practica, ergo.

Huic argumento, quod est instantia prioris solutionis, respondeo distinguendo Minorem. Aliqui actus virtutis moralis sunt intellectuales, & habent sibi conjunctam voluntatem, quam dirigunt concedo Minorem, aliter nego Minorem, & Consequen-

quentiam Prudentia itaque ideò est practica, vel ejus actus ideò sunt practici, quia sunt actus, qui regulant voluntatem, vel quia prudentia est perfectiva intellectus in ordine ad voluntatem. At cum ipsa Logica non sit per se regulativa voluntatis, ipsumque intellectum non perficiat in ordine ad voluntatem, sed in ordine solùm ad suos actus eliciendos, ideò non cadit à ratione scientiæ speculativæ.

Ad illud verò de fide Divina affirmo, hanc per se importare actum voluntatis imperantem, unde nil mirum quòd sit actus practicus. Actus enim fidei non solùm dicit assensum, sed etiam constitutivè, & initiativè actum, quo volumus assentiri, qui actus voluntatis est.

Ad primam confirmationem dico, me non defendere omnem actum intellectus speculativum esse, sed solùm illum, qui non est datus à natura in ordine ad dirigendam aliam potentiam. Cum autem ex actibus intellectus aliqui sint in ordine ad dirigendam aliam potentiam, hinc aliqui habitus intellectus erunt practici.

Secunda autem argumenti confirmatio non urget. Cognitio enim peccaminosa est solùm prout deliberata, & a voluntate imperata. Sic autem inspecta involuit actum alterius potentiæ, nimirùm potentiæ deliberantis, & imperantis.

Arguunt quartò alij. Possunt in eadem scientia uniri practicum, & speculativum, ergo non sunt differentiæ oppositæ, adeoque convenire poterunt eidem Logicæ artificiali. Probant Antecedens multipliciter, & primò de facto eadem Theologia est simul practica, & speculativa, ut cum Augustino sustinent Thomistæ, & Gabriel Vasquezius Secundò ipsa Medicina est partim practica, & partim speculativa, ut docent Divus Thomas *opusc.* 7. *quæst.* 5 *art.* 1. *ad* 4. Henricus *quodl.* 12. *quæst* 22. & *art.* 60. *quæst.* 1 *num.* 90. & 91. *in Summa*, & Scotus *quæst.* 4. & 5. *Prologi Senten.*

Tertiò, anima vegetativa, & sensitiva continentur in intellectiva, esto sint formæ speciei diversæ; ergo etiam habitus practici, & speculativi, esto specie distincti, contineri poterunt in Theologia.

Quartò, quia de facto idem intellectus est simul practicus, & speculativus; ergo praxis, & speculativum non sunt differentiæ oppositæ. Consequentia hæc liquet, quia differentiæ oppositæ convenire nequeunt uni, & eidem rei.

Quintò, Idea habet simul rationem causæ efficientis, finalis, & formalis, ita ut primò sibi vindicet causalitatem formalem, secundò efficientem, tertiò finalem; ergo etiam poterit habitus aliquis scientificus sibi vindicare esse practicum, & speculativum. Patet hæc Consequentia paritate rationis.

Sextò. Idea secundùm diversam rationem est simul practica & speculativa, practica prout exemplar est operis faciendi, speculativa verò, prout principium cognoscendi, adeoque secundùm diversam sui considerationem, sicuti dicunt Theologi in nostra Henrici schola, loquendo de scientia simplicis intelligentiæ, quæ esto secundùm se speculativa sit, practica tamen est conjuncta cum decreto; ergo hoc idem evenire poterit in Logica.

Septimò, esto habitus intellectus, & scientiæ sint habitus specie diversi, nihilominùs continentur in eadem sapientia; ergo etiam practicum, & speculativum in eadem scientia. Rursus elementa esto specie distinguantur, continentur tamen in eodem mixto; ergo etiam in Logica speculativum, & practicum, eò vel maximè quòd Logica Idea est operis faciendi. Idea autem ex genere suo est forma practica.

Respondeo ad singula, & à primo incipiendo, adverto solùm per se practicum, & per se speculativum esse differentias oppositas. Theologiam autem, licèt omittamus, quòd practica, & speculativa sit, utrunque tamen non est primariò, sed potiùs primò speculativa, & secundariò practica. Nec juvat adversariis Augustini auctoritas, quæ legitur libro de doctrina Christiana *cap* 35. & *lib.* 2. *cap.* 7. his verbis expressa: *Legis, & omnium divinarum scripturarum plenitudo, & finis dilectio est, qua fruendum*; ex qua colligitur, quod finis Theologiæ sit Dei dilectio, adeoque aliquid practicum. Non, inquam, juvat, quia hæc non est finis intrinsecus, & præcipuus Theologiæ, sed extrinsecus. Intrinsecus enim, & primarius est Divinæ essentiæ contemplatio cum omnibus aliis prædicatis sive absolutis, sive relativis, ut optimè Augustini textum explicat Henricus illis verbis. *Unde, & quia huius scientiæ Speculatio, sicuti & vitæ futuræ, perficitur in affectione dilectionis, & fruitionis, dicitur à quibusdam, quòd ista scientia dici debet potiùs affectiva, quàm speculativa, sed non ita. Denominationes enim scientiæ esse debent à fine suo intrinseco, in quo stat ipsa cognitio intra suos limites. Nunc autem illud, quod est in affectione sequens huius scientiæ speculationem, finis extra se est, sed ipsa speculatio, quæ stat in cognitione.*

Secundum verò, quod affertur, non urget. Medicina enim impropriè est speculativa, videlicèt vel quatenùs utitur principiis speculativis, in quo sensu solùm Divum Thomam alicubi medicinam vocasse scientiam speculativam sustinet hic Magister Frater Cavinus novissimus scriptor; vel etiam secundùm docentem partem, quatenùs secundùm illam medicina est de universalibus, nec ita propinquior praxi eliciendæ, sicuti est medicina utens, ut explicat Henricus, ubi medicinam speculativam esse scripsit.

Ad tertium verò dico, nil mirum esse, quòd Anima rationalis sibi identificet principium sentiendi, & vegetandi, quia hæc principia, quamvis diversa sint juxta diversitatem operationum sibi correspondentium, non tamen opposita sunt. At verò praxis, & speculativum sunt duæ differentiæ essentiales oppositæ; speculativæ enim finis non est opus, sed veritas; practicæ verò è contra finis est opus, quod excludit speculativam. Quartum verò non valet, quia praxis, & speculativum non sunt differentiæ essentiales relativè ad intellectum, sed solùm in ordine ad scientiam, unde nil mirum, quòd intellectui convenire possint.

Ad quintum respondeo, exemplar non habere triplicem causalitatem superiùs descriptam. Habet enim solùm rationem causæ efficientis, ut suo dicam loco contra Thomistarum sententiam.

Sextum revera difficilis est solutionis, nihilominùs, ut aliqualiter satisfaciam omisso, quòd eadem forma esse possit secundùm diversas inspectiones simul practica, & speculatia, scire vellem ex qua parte volunt adversarii Logicam artificialem practicam esse. Forsan quia ordinatur ad operis constructionem? At ineptè ex hoc deduci potest, cum non ordinetur ad constructionem operis practici, ut superiùs ostensum est. Quòd si dicas, etiam opus intellectuale lato modo esse practicum; etiam ego dicam illud idem, quod antea me docuerat doctissimus meus Magister, videlicet in tali casu Logicam potiùs esse dicendam totam practicam,

 cum

cum tota ordinetur ad operationes dirigendas, tanquàm ad eius finem intrinſecum.

Ad ſeptimum verò diſparitas eſt, quia habitus relati verſantur modo conſimili, vel homogeneo in ſuum objectum, videlicet cognoſcendo. At verò praxis, & ſpeculativum tendunt in obiectum modo oppoſito, nimirùm operando, & non operando, intendendo operationem, ipſamque non intendendo. Quod tandem additur de elementis, dicam ſuo loco hæc formaliter non manere in mixto, quidquid in contrarium nonnulli cum Camerario, aliiſque recentioribus doceant, ſed de hoc alibi.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quodnam ſit Logicæ artificialis objectum.*

### CAPUT PRIMUM.

*Nonnullis breviter præmiſſis ponitur Henrici ſententia.*

CUm quælibet ſcientia objecto ſuo materiali, & formali gaudeat, non immeritò quærimus hic quodnam ſit Logicæ obiectum poſt ſuperiùs determinata. Quod antequàm fiat, adverto objectum in tota ſua latitudine illud eſſe, circa quod potentia, vel habitus, vel actus verſantur. Sic coloratum dicitur objectum potentiæ viſivæ, quia hæc circa coloratum tendit. Sonorum dicitur obiectum auditivæ, quia pariter hæc circa ſonum verſatur. Hoc autem obiectum communiter dividi ſolet primò in materiale, & illud eſt, quod ita ab habitu, vel potentia attingitur, ut ratione alterius attingatur; & in formale, vel in id quod ita attingitur ratione ſui, ut ſit etiam ratio attingendi aliud. Secundò dividitur in objectum attributionis, & illud eſt, quod ita attingitur, ut per attributionem ad ipſum cætera attingantur; & objectum attributi, quod attingimus per attributionem ad aliud. Hoc autem breviter ſuppoſito, in præſenti diſſidium eſt de objecto formali, & adæquato Logicæ, quærendo quodnam illud ſit. Circa quod duplex præcipuè adeſt ſententia. Prima eſt Thomiſtarum omnium aſſerentium objectum formale Logicæ eſſe ens rationis, quod docent nil aliud eſſe, quàm quandam artificioſam diſpoſitionem à ratione factam in rebus cognitis. An autem ſit quælibet artificioſa diſpoſitio, vel ſolum aliqua, diſſidium eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas, aſſerentibus primis ferè communiter eſſe quamlibet ſecundam intentionem logicalem, quæ conſequitur ad intellectus conſiderationem, ut ex *opuſculo* 42. *cap.* 2. divi Thomæ optimè colligunt iidem Thomiſtæ; negantibus ſecundis eſſe ſecundam intentionem in tota ſua latitudine, ſed ſolùm ens rationis, quatenùs ad argumentationem, ſeu ſyllogiſmum coarctatur, quibus adhæret Maſtrius ex Scoto. Dixi ſuperiùs aſſerentibus Thomiſtis ferè communiter, quia etiam in ſchola Divi Thomæ non deſunt, qui affirment eſſe ſolam argumentationem objectum formale Logicæ, ut videre eſt apud Complutenſes.

Secunda verò ſententia ſuſtinet operationes intellectus eſſe Logicæ objectum, ut dirigibiles. Hanc communiter defendere ſolent Patres Societatis, & præcipuè Oviedo, Hurtado, Arriaga, Lynceus, Quiros, Izquierdo, & ex noviſſimis Andreas Semeri, & Benedictus de Benedictis, cum aliquali tamen diſſidio. Hurtado primam reſpuit operationem, alii verò etiam ſecundam, ut Spinula. Communior tamen ſententia omnes tres collectivè ſuſtinet eſſe Logicæ artificialis objectum, cui & ego adhæreo cum Henrico pluribus in locis, ſed præcipuè *art.* 33. *quæſt* 5. *num.* 44. illis verbis. *Conſideratio primarum intentionum pertinet ad ſcientias reales, conſideratio verò ſecundarum, vel eſt circa res, ut ſunt expreſſibiles vocibus, & hoc quoad intentiones logicales, vel eſt circa ipſas voces, & hoc quoad intentiones grammaticales.* Quatuor itaque hic oſtendenda ſunt. Primò quidem operationes eſſe objectum materiale. Secundò rectitudinem eſſe formale. Tertiò complexum ex operatione, & rectitudine eſſe attributionis. Ultimò tandem omnes tres operationes eſſe eiuſdem Logicæ objectum, quæ omnia cum ordine probanda ſunt, &

Primò, illud eſt objectum materiale Logicæ, circa quod Logica verſatur, & in quod inducit primò, & per ſe formam intentam; ſed Logica verſatur circa operationes intellectus, & in ipſis inducit formam à ſe intentam; ergo operationes intellectus ſunt objectum materiale Logicæ. Maior eſt certa, ut patet ex definitione objecti materialis. Probatur itaque Minor. Omnia præcepta Logicæ eò tendunt, ut operationes intellectus ſint rectæ; ergo Logica conſiderat operationes intellectus, ut in ipſas inducat formam à ſe intentam.

Secundò, objectum formale eſt illa ratio, propter quam conſideratur objectum materiale; ſed ratio propter quam Logica conſiderat ſuum objectum materiale, nempe ſecundas intentiones, eſt rectitudo; ergo hæc eſt obiectum formale Logicæ. Maior certa eſt ex definitone obiecti formalis. Oſtenditur itaque Minor, quia Logica ideò conſiderat operationes intellectus, ut fiant rectæ; ergo rectitudo eſt ratio, propter quam Logica conſiderat operationes intellectus.

Tertiò, quia obiectum attributionis Logicæ illud eſt, quod primò, & per ſe conſideratur à Logica, & in ordine ad quod cætera omnia ordinantur; Sed huiuſmodi ſunt operationes intellectus in Logica, ergo. Probatur Minor. Totum id, quod intenditur à Logica eſt, quod operationes intellectus fiant rectæ, & ad has rectas obtinendas omnia ea, de quibus tractat, ordinat, ut conſideranti patebit.

Quarta tandem pars ſuadetur, quia poteſt prima operatio eſſe per ſe primò expetibilis à Logica artificiali; ergo poterit induere rationem objecti. Conſequentia hæc eſt evidens; ideò enim autumant ipſam non poſſe eſſe objectum, quia exiſtimant in ſe non præcontinere ſufficientem bonitatem. Probatur itaque antecedens. Poteſt illa operatio per ſe primò expeti à Logica artificiali, quæ eſt clara, & rei accurata cognitio; atqui prima intellectus operatio eſſe poteſt clara, & rei ordinata cognitio, quamvis abſque ulla affirmatione, dantur enim de facto plures apprehenſiones, quæ clarè rem ipſam prout eſt in ſe repræſentant; ergo.

Confirmatur. Illa operatio eſſe poteſt Logicæ objectum, pro cujus directione adſunt præcepta; atqui quamplura ſunt pro prima operatione præcepta, ut certum eſt; ergo. Maior eſt evidens, ſiquidem ubi eſſe poteſt dirigibilitas, illic quoque eſſe poteſt capacitas veritatis, & falſitatis, ubi autem eſt capacitas, ibi etiam eſſe poteſt ratio obiecti,



CAPUT

## CAPUT SECUNDUM.

*Adverſæ partis argumenta præcipua referuntur, & enervantur.*

QUi ens rationis eſſe Logicæ objectum ſuſtinent excludendo operationes intellectus, diverſimodè arguunt, ut ſuam propugnent ſententiam, noſtram verò impugnent. Præcipua referam argumenta ex Thomiſticæ, & Scotiſticæ Scholæ Auctoribus alia quamplura addendo.

Arguunt itaque primò Complutenſes. Omnia, quæ tractantur in Logica ſunt entia rationis, & ad ipſa omnia ordinantur. Sunt enim genus, ſpecies, univerſale, Syllogiſmus, ad quorum rectam cognitionem habendam præcipuè tendit Logica; ergo ejus objectum erit ens rationis.

Confirmant hoc argumentum primò. Principia Logicæ ſunt entia rationis; ſunt enim genus, ſpecies, differentia, dici de omni, dici de nullo, ſuper quæ omnia innititur ars definiendi, dividendi, & arguendi; ergo hæc etiam erunt objectum. Patet hæc conſequentia, quia principia vel ſunt partes objecti, ut materia, & forma reſpectu entis naturalis, vel ſunt ipſius eſſentia.

Confirmat ſecundò Joannes à Sancto Thoma. Objectum Logicæ illud eſſe debet, quod inveniri poteſt in omni ente, ſiquidem ejus materia eſt omne ens; Sed id, quod inveniri poteſt in omni ente ſolùm eſt vel ens reale, vel ens rationis; ergo unum ex his erit eius objectum: atqui nequit eſſe ens prout reale, quia hoc eſt objectum metaphyſicæ; ergo erit ens rationis

Confirmat tertiò. Logica diſtinguitur à ſcientiis realibus, & appellatur rationalis; Sed ſic non appellatur, quia ipſa ſit ens rationis, neque quia dirigit intellectum, cum hoc conveniat omni ſcientiæ, neque quia habet pro objecto actus rationis, aliàs etiam ſcientia de Anima diceretur rationalis; ergo ideò talis eſt, quia verſatur circa ens rationis.

Confirmat quartò Goudin. Quamvis in definitione, aut argumentatione ſint iſta tria, actus nimirùm definiens, vel arguens, denominatio definiti, aut argumentati, & ipſa artificioſa diſpoſitio rerum in modum definitionis, aut argumentationis; attamen id quod propriè dicitur definitio, & argumentatio, & quod pertinet ad Logicam non eſt ſola denominatio extrinſeca, neque ipſe actus; ſed talis diſpoſitio conceptuum noſtrorum, & rerum cognitarum in modum ſyllogiſmi, vel definitionis.

Reſpondeo ad præcipuum argumentum omiſſa prima parte, negando ſecundam. Quæ enim in Logica tractantur ad rectam intellectus operationem efficiendam, non verò ad rectam cognitionem ipſarum regularum ordinantur, quinimmò hæc cognitio ultima ulteriùs ordinatur ad ipſam operationem rectam efficiendam.

Ad primam confirmationem reſpondeo, objectum debere eſſe eiuſdem rationis cum ſuis principiis, quando hæc intrinſeca ſunt, & per ſui inexiſtentiam rem ipſam conſtituunt; non verò ſi extrinſeca ſint, ut in caſu.

Ad ſecundam confirmationem dico, opus non eſſe rationem objecti Logicæ inveniri in omni ente, quemadmodùm objectum Phyſicæ non invenitur in omni ente. Senſibilitas enim invenitur ſolùm in ente corporeo, & accidentibus materialibus affecto. Objectum autem metaphyſicæ invenitur in omni ente propter quandam univerſalitatem, qua hæc gaudet ſupra cæteras ſcientias. De cætero verò ad rationem objecti cujuslibet ſcientiæ, & conſequenter etiam Logicæ, ſufficit, quòd ſit aliquid ſub peculiari ratione ab ipſa conſideratum, ut evenit in noſtra ſententia. Logica autem ſcientia ſermocinalis dicitur, non quia verſetur circa ens rationis tanquàm ejus objectum, ſed potiùs quia dirigit intellectum, ut in ſuis operationibus non erret. Per quod patet ad tertiam confirmationem.

Quarta verò confirmatio non urget: ſiquidem objectum Logicæ eſt actus definiens, vel arguens, qui profectò non eſt ens rationis, ſed reale; & ratio eſt, quia omnia præcepta Logicæ tendunt ad rectas operationes habendas tanquàm ad objectum principale, ex quibus quodammodo reſultat artificioſa diſpoſitio veluti objectum ſecundarium.

Arguit ſecundò Joannes à Sancto Thoma, immediatè evertendo Henrici ſententiam, & primò. Logica nobilior eſſet aliis ſcientiis, ſi ejus objectum eſſent actus vitales; nobilius enim explicaret objectum, cum hoc eſſet aliquid ſpirituale, vitale, & abſtractum, ſeu univerſale. Secundò, quia conceptus prout ſunt reales perfectiones intellectus, ſunt objectum formale ſcientiarum realium, & maximè loquendo de operationibus intellectus, de quibus eſt Animaſtica, quatenùs ſunt perfectiones reales intellectus; ergo. Sed

Nullum argumentum ex his: urget non quidem primum, nam quamvis Logica tendat ad actus dicentes notabilem perfectionem, tamen non tendit ad ipſos prout vitales, & ſpirituales. Cum autem ſcientiæ ab objecto non utcunque, ſed ſolùm formali ſpecificentur, ſi ratio formalis, ratione cujus Logica tendit circa intellectus operationes, non ſit vitalitas, quamvis operationes vitales ſint, & ſpirituales, Logicam ſcientiam cæteris nobiliorem conſtituere non poterunt. Per quod patet etiam ad ſecundum; operationes enim intellectus ad Logicam ſpectant prout dirigibiles, non verò ſecundùm vitalitatem.

Tertiò arguit Illuſtriſſimus Spinula oſtendens, Iudicium pertinere non poſſe ad objectum Logicæ. Arguit autem hoc medio. Judicium quà judicium non eſt dirigibile, ergo non eſt objectum Logicæ. Conſequentia hæc liquet. Probatur Antecedens. Dirigibile, quà dirigibile, reſpicit operationem non factam, ſed faciendam; ſed judicium, quà judicium, eſt operatio iam facta, ergo. Probatur Minor. Judicium, quà judicium, eſt connexio affirmata, vel negata de ſubjecto; ſed hæc eſt operatio jam facta, ergo.

Reſpondeo, judicium duplicem ſtatum habere, videlicèt poſſibilitatis, & exiſtentiæ, vel prout eſt in cauſa, vel prout eſt extra cauſas. Hoc ſecundo modo verum eſt, quòd amplius non eſt dirigibile propter dicta in argumento; ſecus ſecundo modo, propter ipſam capacitatem directionis. Sed

Inſtabis. Non minùs judicium in ſtatu poſſibilitatis, ſive prout eſt extra ſuas cauſas, eſt contractum, ac ſit in ſtatu exiſtentiæ; ſed quia eſt contractum in ſtatu exiſtentiæ non eſt dirigibile; ergo nec etiam in ſtatu poſſibilitatis. Major evidens eſt in Henrici ſchola. Refellendo enim univerſale Fonſecæ obiter dicemus infra, rem non minùs eſſe contractam, dum eſt extra cauſas, ac dum eſt in ſuis cauſis, ſeu in ſtatu poſſibilitatis. Præterea judicium in ſtatu poſſibilitatis nihil eſt; ſed quod nihil eſt dirigi nequit; ergo judicium nec in ſtatu poſſibilitatis cum rei veritate erit dirigibile.

Revera

Revera difficilis est legitima hujus primæ instantiæ solutio, si cohærenter loqui velimus ad ea, quæ dicturus sum ubi de universali logico, ubi Ponsecæ sententia impugnabitur. Nihilominùs, ut ex parte satisfaciam instantiæ à me olim excogitatæ, & pluribus in disputationibus adductæ, sed nunquam solutæ, dico judicium, quantum est de se, esse dirigibile, & quamvis nullum sit reperibile judicium, quod neque verum sit, neque falsum, tamen judicium ex rei natura indifferens est ad veritatem, vel falsitatem habendam, quæ indifferentia sufficiens est, ut à Logica dirigi possit.

Ad instantiæ verò confirmationem dico, judicium in statu possibilitatis aliquid esse in eadem linea, cum aliquid sit importans essentiam aptam existere.

Arguunt quartò alii paritate primam excludendo operationem ab obiecto Logicæ, hoc medio. Deus ut præcisè Redemptor non est obiectum attributionis fidei totale, & hoc nisi quia ad Deum ut Redemptorem non omnia, quæ attingit fides, ordinem habent; Opus enim Creationis, verbi gratia, fides attingit, quod certè non habet attributionem ad Deum ut Redemptorem: ergo à pari, quia non omnia, quæ tractat Logica, ordinantur ad primam operationem intellectus dirigendam, sed potiùs ad tertiam, hæc, non prima, erit attributionis objectum.

Ut hujus argumenti vim auferant nonnulli, distinguere solent obiectum attributionis in totale, & partiale, docentes solùm primum exigere, quòd ad ipsum omnia ordinentur; non verò secundum, quod esse censent in Logica ipsam rectam apprehensionem. Huic solutioni non dissentio, sed unicè addo, quòd si argumentum valeret, nec tertia esset objectum habitus logicalis, cum ad hanc certè non omnia præcepta Logicæ ordinentur. Hæc enim præcepta ita se habent, ut aliqua sint ad primam, alia ad secundam, nonnulla ad tertiam dirigendam mentis operationem. Per quod patet disparitas.

## QUÆSTIO ULTIMA.

*Utrùm Logica artificialis sit necessaria ad alias scientias acquirendas, & quomodo.*

DUo hìc præmittenda sunt, ex quibus primum est, necessitatem duplicis generis esse. Prima *simplex* vocatur, & est, qua unum ad aliud ita exigitur, ut absolutè, & simpliciter ad illud exigatur, uti respiratio ad vitam corpoream, gratia ad vitam spiritualem, Dei concursus immediatus ad Creaturarum operationes. Secunda verò nuncupari solet *secundùm quid*, & ea est, qua unum ita ad aliud utile est, ut ad ipsius obviam consecutionem ducat, quando absque ipso assecutio ardua esset.

Advertendum est etiam secundò, scientiam dupliciter considerari posse, idest totaliter, vel quatenus comprehendit omnes Conclusiones ad ipsas spectantes, & partialiter idest secundùm unam, vel alteram Conclusionem. Utroque modo accepta scientia, adhuc dupliciter ipsam considerare possumus, nimirum in statu perfecto, & imperfecto. Priori modo est habitus potens reducere Conclusiones ad sua principia, atque vim cognoscere, & earum efficaciam. In statu verò imperfecto ipsam nos habere contingit, quando nescimus conclusionem reducere ad sua principia, neque eiusdem vim certò cognoscere. Modò hìc controversia est de aliis scientiis totaliter, & in statu perfecto acceptis; unam enim, vel alteram demonstrationem aliquando evenit nos elicere Logica non instructos, ut ferè communiter concedunt Thomistæ. Prima sententia, & quidem plausibilis affirmativa est, quam sustinent in schola Divi Thomæ Joannes à Sancto Thoma quæst. 1 art. 2. in Logica, Complutentes quæst. 7. prooemialiū in disputationibus Dialecticis, Nicolaus Arnù quæst. 1. art. 5. in Logica, Antonius Goudin lib. 1. de natura Logicæ art. 5 Paulus Cavinus, Illustrissimus Petrus de Gody in suis aureis manuscriptis Philosophicis; ex exteris verò Eminentissimus Joseph de Aguirre in suo cursu Philosophico, Illustrissimus Caramuel lib. 1. in sua Metalogica, Bernardus Quiros part. 2. disput. 7. in Logicæ Proœmialibus, & alii quamplures Divum Thomam in hoc sequentes, qui opusc. 70 quæst. ultima art. 1. ad 3 hanc sententiam approbat his verbis, *quòd necessitas requirit, ut à discendo incipiamus à Logica, licèt non sit facilior aliis scientiis, quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent*. Dixi autem superiùs ferè communiter in schola Thomistica, ut excipiam Arauxo 2. metaph. quæst. 3. art. 3. & Gallego contr. 1. existimantes simpliciter Logicam esse necessariam ad alias scientias acquirendas etiam in statu imperfecto, quorum sententia displicet quamplurimis Thomistis, ut insinuant Complutenses hìc.

Secunda verò opinio vult nullatenus esse simpliciter necessariam ad alias scientias acquirendas in statu perfecto, & à fortiori in statu imperfecto. Hanc amplectuntur Mastrius cum aliis Scotistis, Oviedo, Arriaga, Hurtado, Amicus, Benedictus de Benedictis cum aliis Patribus Societatis, Petrus à Sancto Joseph Fuliensi Cisterciensis in Logicæ Præludio art 6 & alii innumeri existimantes hanc esse veram Divi Thomæ sententiam propter hæc verba, quæ leguntur lib. 1. poster. lect. 1. *Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis per quam scilicet Homo in actu rationis ordinatè, & faciliter* (nota) *& sine errore procedat. Et hæc est ars Logica, idest rationalis scientia*. Huic sententiæ secundæ adhæreo, unde sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Firmatur nonnullis rationibus Henrici sententia.*

VErba, quæ Doctor habet in Summa quæst. 4 nedum hanc, quam posuimus, ostendunt esse ejusdem sententiam, verum etiam rationem simul exhibent, qua Thesis proposita firmatur. Hæc enim sunt. *Dicendum secundùm Philosophum secundo Ethicorum, quòd sicut contingit, quid grammaticum grammaticè facere, & non grammaticè, similiter & syllogisticum quid contingit facere syllogisticè, & non syllogisticè, syllogisticè facit homo aliquid, quando attendendo ordinem medii ad extrema, operatur procedendo ad intentum, quòd solùm potest homo facere habens Artem acquisitam, vel per alterius instructionem, vel per propriæ industriæ investigationem acquisitam*; & quæst. 1. art 5. in Summa hæc alia habet. *Sciendum*, quòd sicuti in naturalibus aliquando principium agens intra ita potens est, ut sine omni adminiculo exterioris agentis potentiam potest in actum deducere, aliquando verò ita est debile, quòd sibi non sufficiat ad illud sine adminiculo agentis superioris; verbi gratia, In ægrotante aliquando vis naturalis intra curativa morbi tam potens est, ut absque omni adminiculo exteriori,

riori, & adiutorio medicinæ exterioris sanare valeat. Similiter contingit in proposito, quòd aliquis homo aliquando inveniatur ex solertia naturali ita subtilis, & industrius, ut solo adiutorio interiori luminis intellectus agentis possit ex primis principiis naturaliter intellectis elicere ductu naturalis rationis conclusiones proximas, & ex illis alias ulteriores, & sic deinceps gradatim, & ordinatim procedendo usque ad conclusiones ultimas particulares rei cognoscendas.

Ex his autem duplex efformo argumentum, ex quibus primum est. Non est minoris virtutis lumen naturale intellectus in ordine ad notitiam scientificam obtinendam, quàm sit vis naturalis in Ægroto ad sanitatem recuperandam; sed teste Henrico, atque experientia vis naturalis aliquando tam est potens in ordine ad sanitatem, ut absque ullo adminiculo exteriori perfecta sanctas possit recuperari; ergò etiam tam est potens lumen naturale intellectus, ut se solo possit notitiam scientificam acquirere ex sola solertia naturali: sed hoc ipso Logica artificialis non est simpliciter, & absolutè omnibus necessaria, ergo

Secundum verò argumentum procedit, quia acquirere scientiam in statu perfecto est nedum cognoscere scientificè conclusiones proximas, sed etiam ultimas particulares rei cognoscendæ, hoc est reducere primas Conclusiones usque ad prima principia; sed per Henricum Homo solo lumine rationis hoc præstare potest, ergo solo ductu rationis possunt scientiæ haberi in statu perfecto, ergo non est simpliciter necessaria.

Quòd si dicas, Henricum solùm hic velle, intellectum absque Logica artificiali posse aliquam facillimam demonstrationem elicere, ut patet ex eadem demonstratione, quam refert: nimirum omne pulchrius, & delectabilius est magis eligendum; sed ex duobus Pomis unum eorum est pulchrius, & delectabilius, ergo erit magis eligendum. Perpende Lector Doctorem hic loqui indefinitè, & in universali, dum asserit posse hominem syllogisticè discurrere per propriæ industriæ investigationem, atque adeo comprehendere omnem demonstrationem etiam non obviam.

Secundò probatur eadem Conclusio. Habitus acquisiti non requiruntur ad simpliciter operandum, sed solùm ad faciliter; atqui Logica artificialis est habitus acquisitus; ergo. Major ex discrimine intervenienter inter habitus infusos, & acquisitos fit manifesta. Primi enim ut fides, spes, charitas, lumen gloriæ dant posse simpliciter agere, secundi verò solùm faciliter

Hanc rationem viderat Divus Thomas, ac proinde respondet, habitus naturaliter acquisitos non esse simpliciter necessarios ad proprios actus, attamen aliqui sunt simpliciter necessarii ad actus aliorum habituum, ut in casu. Habitus enim Logicæ necessariò exigitur ad scientiam actualem, vel habitualem. Cujus ratio à priori est, quia ut dicit Philosophus, nemo scire potest nisi sciat sciendi modum, hunc autem scire solùm valemus instructi Logica. Sed

Contra est, & simul secundò Conclusio confirmatur. Habitus Logicæ artificialis solùm concurrit ad perfectam acquisitionem scientiarum medio suo actu, quo dirigit intellectum, ut absque errore procedat; ergo Logica habitualis non est necessaria majori necessitate respectu acquisitionis scientiarum, quàm respectu sui actus, medio quo concurrit ad ipsam acquisitionem; sed actus Logicæ potest simpliciter haberi absque habitu, ergo etiam absque eodem poterunt scientiæ acquiri in statu perfecto. Antecedens patet cum prima Consequentia, siquidem Logica artificialis ideò est ad alias scientias necessaria, quia illis subministrat suos actus, adeoque eadem necessitate est necessaria ad alias scientias, qua ad suos actus. Minor autem subsumpta veritatem desumit ex superiori ratione. Habitus enim acquisitus non requiritur ad simpliciter operandum, ut dictum est, sed solùm ad faciliter intelligendum.

Dices hinc solùm sequi, posse nos absque Logica artificiali acquirere aliquam Conclusionem cuiuslibet scientiæ, & hanc non perfecto modo, quia ad hoc opus est, ut intellectus per actum reflexum cognoscat bonitatem illationis, & quòd per demonstrationem bonitatem consequentiæ ostendat, illam ad sua principia reducendo, ad quod habendum penitùs necessaria est Logica artificialis. Quòd autem hoc judicium reflexum requiratur, quo intellectus sciat se scire, ostendere possunt paritate actus fidei, ad quem eliciendum exigitur judicium actum ipsum fidei præcedens, quo intellectus reflectat, atque cognoscat Mysteria esse credibilia, seu habere in se evidentiam credibilitatis; ergò à pari ad hoc ut intellectus actu scientiam habeat de objecto aliquo formali, erit opus judicii reflexi, quo cognoscat ipsum actum revera esse scientificum.

Contra est, & in primis non mihi ignotum est, hanc cognitionem reflexam multipliciter ostendere adversæ partis Auctores doctissimos, & præcipuè hanc cognitionem reflexam suadere conantur Antonius Bernaldus de Quiros è Societate Jesu, & Magister Paulus Cavinus Illustrissimi Ordinis Sancti Dominici; sed quam falsò inde constat, quòd ut aliqua cognitio acquiratur, sufficit, quòd intellectus sit certus de bonitate Consequentiæ, & connexione illius cum præmissis, & cognoscat rem aliter non posse se habere, quod totum solo lumine naturali cognoscere possumus etiam præscindendo à nova reflexione.

Contra est secundò, quia si sciens scire tenetur, quòd actus suæ cognitionis sit scientificus, & certus per aliam cognitionem reflexam ergo etiam ad hoc; ut adhæreat, & firmiter assentiatur cognitioni, multò magis debebit firmiter adhærere secundæ reflexæ cognitioni, hæc enim est ratio formalis, qua adhæreat primæ: sed nequit firmiter adhærere huic secundæ, nisi sciat se scire hanc secundam, hoc est nisi habeat reflexam cognitionem de bonitate, & veritate hujus secundæ cognitionis, non enim est major ratio de hac, quàm de illa; ergo ad hanc secundam ulteriùs requireretur tertia reflexa cognitio, & sic processus sequeretur in infinitum. Nec paritas ab actu fidei desumpta ad rem facit. Disparitas enim est, quia cum veritas Mysterii revelati intellectui evidenter non appareat, hinc saltem iste habere debet judicium de evidentia credibilitatis, ut salvetur, quod actus fidei sit prudenter elicitus. At in casu cum per actum scientificum appareat veritas rei, quæ scitur, & quidem evidenter, jam superfluum redditur quodlibet judicium reflexum; veritati enim evidenter cognitæ intellectus debet assensum præbere.

Probatur tandem Conclusio. Illud est simpliciter necessarium ad aliud, sine quo illud aliud nequit solis naturæ viribus obtineri; sed sine prævia Logica aliæ scientiæ in statu perfecto acquiri possunt, ergo. Probatur minor, quandoquidem antequam inventa esset Logica quamplures evaserunt sapientes, & scien-

tias perfectè calluerunt, ut Plato Philosophus; ergo absque Logica artificiali possunt aliæ scientiæ in statu perfecto acquiri, & cum ex alia parte hoc contingere non possit nisi cum ingenti difficultate, sequitur hanc esse secundùm quid necessariam.

## CAPUT ULTIMUM.

*Audiuntur Thomistæ arguentes contra positam Conclusionem.*

PLura sunt argumenta, quibus urgere solent Adversarii contra Henrici assertum. Præcipua adducam, ex quibus primum illud est, quod refert hic Joannes à Sancto Thoma sic arguens. Nuda potentia intellectus absque arte cognoscere nequit omnes Consequentiarum defectus, & scientificè attingere bonitatem cujuscunque Consequentiæ, cum multæ non sint notæ ex ipsis terminis solo lumine naturali, sed per discursum colligantur. Multa enim pendent ex principiis, & præceptis artis Logicæ sicut est notitia Prædicamentorum, in quibus prædicata essentialia disponuntur, & Prædicabilium, in quibus traduntur modi prædicandi essentialiter, vel accidentaliter. Rursus pendet à Logica discretio materiæ necessariæ, vel contingentis; Consequentiæ legitimæ, vel defectibilis; ergo non potest intellectus pervenire ad statum perfectum scientiæ, in quo omnes errores istos vitet, & ad diversas Conclusiones suas se extendat, nisi sit perfectus per aliquod principium sibi superadditum, quod talem artificiosum modum procedendi demonstret. Itaque sicut Animal in statu perfecto, idest in statu, in quo per se nutritur, & augmentatur, indiget cibo tanquam materia nutritionis, & digestione, & concoctione alimenti; ita ad extensionem, & quasi nutritionem scientiarum, quæ debet fieri per plures Conclusiones, & varias consequentias, indiget intellectus cibo, idest speciebus, sed digestis, & concoctis, & artificiosè dispositis ad inferendum aliqua, quibus seclusis conclusiones non scientificè colligit, & hoc præstat ars Logicæ.

Hoc argumentum, quod commune est in schola Thomistica, & à Paulo Cavino Thomista tecentissimo clariori methodo refertur, facilè solvimus dicendo, per solam potentiam intellectivam quolibet habitu exclusso haberi posse perfectam cognitionem defectuum, qui evenire possunt in qualibet Consequentia, & hoc quia Logica artificialis est habitus acquisitus, & consequenter non simpliciter necessarius ad habendam discretionem consequentiæ legitimæ à defectibili, & illegitima. Quòd si dicas cum Complutensibus ex hoc solùm sequi Logicam ipsam artificialem non esse simpliciter necessariam ad substantiam operis, esse tamen ad modum operis, nimirum ad faciliter, promptè, & expeditè operandum; dico sic respondendo nihil obtineri, siquidem scientiæ quo ad substantiam sunt scientiæ prout important cognitionem certam, & evidentem rei per causam, sed scientiæ sic acceptæ sunt in statu perfecto, ergo ad ipsas in tali statu obtinendas non erit necessaria Logica artificialis.

Arguunt secundò alii Thomistæ. Ut aliquis scientiam habeat in statu perfecto, necesse est, ut omnibus illius Conclusionibus certum præbeat assensum, easque sciat resoluere usque ad prima principia, sed ad hoc est simpliciter necessaria Logica, ergo. Probatur minor, nam firmitas, & certitudo assensus, qui habetur per resolutionem usque ad prima principia, necessariò petit evidentem notitiam materiæ, & formæ syllogismi, bonitatis, illationum, necessitatis, & conditionis præmissarum, & deceptionum, quæ circa illas contingere solent; sed hæc omnia haberi non possunt absque Logica, cum ista sit profundior ipsius doctrina; ergo.

Confirmatur. Nam Veteres Philosophi ob Dialecticæ imperitiam in plures lapsi sunt errores, ut testatur Philosophus 1. poster. cap. 3., & nullus hucusque absque lumine Logicæ in aliqua disciplina consummatus evasit; cum tamen illius ductu absque alio Magisterio multi compararverint scientias: nam ut omittamus alios, magnum Ecclesiæ lumen Augustinum solius dialecticæ fuisse discipulum asserit Possidonius. Nec refert id, quod allatum est in probationibus, plures nempe absque habitu Logicæ in scientiis mathematicis instructos insigniter inveniri; siquidem quamvis studio Logicæ non vacaverint ex professo, minimè tamen carent Logica, sed illam simul cum Mathematicis acquisierunt; sicuti virtutes morales comparari nequeunt, quin simul compareatur prudentia, cujus ductu in propriis actibus diriguntur.

Respondeo minorem penitùs esse falsam, cujus falsitas deprehendi potest ex superioribus probationibus, & præcipuè ex natura habitus acquisiti, qui simpliciter, & absolutè non exigitur ad proprios actus. Confirmatio autem non urget, siquidem aliqui scientias in statu perfecto habuerunt etiam absque Logica artificiali, ut de Hippocrate medico refert Henricus, qui propter excellentiam sui ingenii naturaliter Logicam scivit. Ideò autem nullus nunc perfectè scientias acquirit, quin Logicam præmittat, non quia simpliciter, & absolutè impotens sit ad istarum acquisitionem; sed solùm ob non mediocrem difficultatem, quam non præmisso studio Logicæ experimur. Quòd autem nequeant acquiri aliæ scientiæ in statu perfecto, quin simul acquiratur Logica non probat ad alias scientias necessariò præmittendam esse Logicam, quemadmodùm probari oporteret.

# DISPUTATIO SECUNDA.

## De Unitate, identitate, & distinctione.

## CAPUT UNICUM.

*Brevis præmittitur notitia Unitatis, Identitatis, & Distinctionis.*

REvera Disputatio hæc ad Logicam non spectat, cum locus ejus proprius in Metaphysica resideat. At cum plures Auctores etiam in Logica proponant quamplurima discutienda, quæ ad Metaphysicam attinent, ideò placet horum sequi vestigia, aliqua inquirendo sub hac Disputatione, quæ non modicam lucem ad universalium intelligentiam præseferunt. Quod antequam fiat, priùs suppono, unitatem explicari per indivisionem in se, & divisionem à quolibet alio; Unitatis autem variæ sunt species, quas hic referre omittimus, cum alibi futurus sit sermo. Secundò suppono pariter, Identitatem esse mutuam affirmabilitatem duorum in recto; cujus species optimè cognosci possunt ex ipsa distinctionum varietate, cum ipsi contradictoriè opponatur ipsa distinctio, quam com-

communiter Auctores definiunt esse mutuam duorum negabilitatem.

Hæc autem alia realis est, vel mutua negatio ab intellectu independens; altera verò rationis, vel dependens ab intellectu. Utramque dividere solent nonnulli, priorem quidem in realem, modalem, & formalem, docentes priorem adesse inter res & res propriam habentes existentiam; secundam verò inter rem & modum rei; tertiam tandem inter formalitates realiter identificatas, quarum una in suo conceptu quidditativo aliam non includat. Secundam verò subdividere solent Auctores in distinctionem rationis ratiocinatæ, vel cum fundamento in re, & ratiocinantis, vel sine fundamento. His breviter suppositis, sit

## QUÆSTIO PRIMA.

*In quo formaliter consistat distinctio.*

IN hac difficultate non unica est sententia, & quidem quælibet plausibilis, tertia in ordine excepta. Prima vult ipsam formaliter consistere in entitate positiva, sic Oviedo in Metaph controversia 3. de entis attributis, Hurtado, Gabriel. Ochamus, Pasqualigus in Metaph. t. 2. disputatione 47. sect. 1 Joannes à S. Thoma parte 2. Logicæ quæst. 2. art. 5. Nicolaus Martinez in suis manuscriptis philosophicis quæst. 2. in Logica, aliique quamplures.

Secunda verò sententia sustinet, distinctionem formaliter consistere in negativo. Sic Suarez disp. 7. Metaph. sect 1. Arriaga, aliique PP. Societatis; ex nostris autem Ipsam propugnant Magister Sosteneus Maria Cavalli eximius Theologus, in Oratoria facultate longè excellens, Magister noster dilectissimus, & Magister Ventura in Logica quæst. 1. disp. 2 In schola verò Subtilis Joannes Pontius disp. 4 in Metaph. quæst. 2.

Tertia tandem sententia vult distinctionem ipsam formaliter consistere in quadam relatione prædicamentali emergente ad cujuslibet rei existentiam; hæc tribui solet quibusdam antiquis Scotistis, qui certè in hoc locuti sunt falsa, nedum quia omnis relatio prædicamentalis extrinseca est, & contingens, distinctio verò è contra intrinseca, sed etiam quia non omnis relatio prædicamentalis est mutua, cum tamen omnis distinctio mutua sit.

Quænam autem sit in hac re novissimorum Scotistarum sententia, non est evidens apud Scoti discipulos. Mastrius enim esto difficultatem hanc nobiscum proponat in Logica disp. 1. quæst. 5. non dirimit tamen, affirmans inutilem esse hujus difficultatis investigationem, cum existimet reperibilem non esse rationem aliquam omnibus distinctionibus communem, in quo asserendo non parum à vero distat. Primò quia hujus controversiæ solutio valde utilis est ad perfectam eorum notitiam, quæ inferius exponenda sunt. Secundò quia gratis dicitur, dari non posse rationem aliquam cuilibet distinctioni communem. Quamvis enim distinctiones inter se diversificentur, in ratione tamen puræ negationis, vel in natura distinctionis conveniunt, cum ipsa negatio identitatis sit veluti ratio superior, quam quælibet participat; distinctio cum autem omnis ratio superior ab inferiori præscindat in Scoti sententia, jam in ratione aliqua distinctiones omnes inter se convenient, adeoque unica definitione definiri poterunt; sed quidquid sit de hoc sit,

## CAPUT PRIMUM.

*Reprobatur tertia sententia, & secunda approbatur.*

UNico fundamento, sed mihi solido ultima refellitur sententia, quod sub hac forma exhibere placet. Omnis relatio supponit extrema distincta realiter, si distinctio realis sit, formaliter verò si formalis; ergo distinctio formaliter non consistit in relativo. Consequentia hæc liquet, implicat enim distinctionem ipsam supponi ad relationem, & per ipsam constitui, quapropter non alia ratione dicimus gradum Intellectivi non esse prædicatum primò constituens Divinam essentiam, nisi quia hic habet supponere ipsam jam constitutam in suo esse; & extensio localis, vel ratio mensuræ sive activæ, sive passivæ, vel etiam ipsa impenetrabilitas ideo primò non constituunt quantitatem, quia hanc supponunt in priori jam constitutam; & actus ipse comparativus, sive simplex, sive compositus, ideò non constituit naturam logicè universalem, quia sub tali reduplicatione in priori ad omnem comparationem præsupponitur. Ostenditur itaque antecedens. Omne id, quod se tenet ex parte actus primi, habere debet aliquam prioritatem in ordine ad actum secundum; atqui distinctio ad relationem se tenet veluti ex parte actus primi, quapropter nulla est relatio, nisi ubi est distinctio, unde aliqui asseruerunt distinctionem esse veluti fundamentum remotum relationis, vel ad ipsum reduci; ergo omnis relatio supponit extrema in priori distincta.

Huic rationi respondent Scotistæ nonnulli, relationes duplicis generis esse, aliquas nimirum relativas distinctorum, alias verò distinctivas relativorum. Primi generis sunt relationes similitudinis, & æqualitatis, quæ supponunt extrema jam distincta. Secundi generis verò sunt paternitas, & filiatio in Divinis, quæ non supponunt, sed potiùs faciunt extrema distinguere. Modò relatio quæ distinctionem constituit est secundi generis. Sed

Contra est; non enim suspicor hic de divisione relationis in duplicem speciem, sed unicè an relatio, quæ intervenit inter distincta, (extremum enim ut distinctum dicit ordinem ad illud à quo distinguitur, cum nihil sit à se distinctum) sit secundi generis, quod diffiteor, eo quia intantum unum extremum, quà distinctum, ad aliud relationem dicit, quia nihil à se ipso distinguitur, sed ab alio; ergo jam distinctio est quodamodo prior relatione, quod verum est etiam in istorum Scotistarum sententia docentium pluralitatem fundare, seu radicem esse relationis, adeoque pluralitatem esse in priori ad relationem.

Dices quemadmodum in priori est pluralitas ad relationem, ita ad negationem; sed hoc non obstante distinctio stat in negatione, ergo etiam in relatione.

Respondeo disparem esse rationem siquidem negatio identitatis ita est posterior, ut sit id quod intellectui nostro objicitur inter distincta quà distincta, adeoque reponi poterit distinctio in hac negatione; at verò non sic loquendo de respectu, quem primo non intelligimus inter distincta, sed solùm discursu mediante, ut speculanti patebit. Nec valet paritas relationum Divinarum siquidem disparitas obvia est, personæ enim Divinæ cum non distinguantur in natura, omnem desumunt distinctionem à relationibus; hoc autem non contingit in creatis cum res etiam in natura distinguantur.

Quod

Quòd verò in negatione consistat, dupliciter constare potest & quidem primò quia distinctio opponitur contradictoriè identitati; ergo formaliter consistere debet in negatiuo, quod est ipsa identitatis negatio. Consequentia hæc tenet, quia ea contradictoriè opponuntur, quorum unum alterum negat; ergo si distinctio contradictoriè opponitur identitati, dicere debet pro formali identitatis negationem. Antecedens verò probatur, quia distinctio est formalis identitatis exclusio, sicuti unum non esse idem cum alio formaliter excludit hoc quod est unum esse idem cum altero; ergo distinctio contradictoriè opponitur identitati.

Rationem hanc viderat Nicolaus Martinez, & proinde respondet totam contradictionem esse in conceptibus, quia unus est assensus, & dissensus alter; non verò esse in objectis, in quæ tendunt conceptus, nam hic conceptus verbi gratia: *Petrus est id quod est*, verificatur per entitatem positiuam Petri, quæ entitas, licèt in se positiua sit, potest etiam verificare hanc negatiuam: *Petrus non est Paulus.* Præterquamquod argumentum potius retorquetur, siquidem propositiones contradictoriæ, verbi gratia *Petrus est Paulus*, *Petrus non est Paulus*, ut sint contradictoriæ, habere debent idem obiectum, aliàs una non idem negaret quod altera affirmat; sed prima habet obiectum positiuum, ergo etiam secunda, quæ à prima differt, non per obiectum, sed per modum tendendi quatenus una procedit modo compositiuo denotato per particulam *est*, altera verò modo diuisiuo per particulam *non est*; eo modo quo propositio copulatiua, & disiunctiua, verbi gratia hæ: *Petrus & Paulus currunt: vel Petrus vel Paulus currit*, habent idem obiectum, sed differunt in modo tendendi significato per *&*, & per *vel.*

Contra est; contradictio enim non solùm stat in conceptibus, verùm etiam in ipsis rebus, cum impossibile sit rem unam esse ab altera distinctam & simul cum ipsa identificatam, quod verum non esset, si contradictio ex parte obiecti non adesset. Hæc autem optimè saluatur inter identitatem & distinctionem, si hæc afficiant idem subiectum respectu eiusdem, quod & fateri debet Martinez, in cuius sententia forma, eiusdemque priuatio certè contradictoriè opponuntur, cum tamen priuatio sit purum nihil, forma verò quid positiuum.

Respondet secundò Scotus, distinctionem, et identitatem non opponi contradictoriè, sed vel contrariè, vel relatiuè. Idem enim, & diuersum non sunt contradictoria, licèt idem, & non idem sint talia, loquendo de iis quæ sunt idem, & non idem secundum esse completum, & numericum.

Contra est; hæc enim solutio est juxta principia Sancti Bonauenturæ Seraficí Doctoris (quam sequitur Bartholomæus de Barberiis à Castrovetro Mutinensis) propugnantis distinctionem formaliter esse quid positiuum, negatiuum verò connotatiuè tantum, & ex consequenti; sed falsò, siquidem innegabilis est contradictio inter identitatem, & distinctionem, sicuti innegabilis est inter esse idem & non idem in eodem statu, in eadem linea, & respectu eiusdem, quod inde patet, quia simul verificari nequit, rem aliquam simul identificari eadem identitate, qua est distincta, per quod indicatur contradictio quam puro esse priuatiuam.

Secundò probatur conclusio alia Doctoris ratione deducta ex art. 43. quæst. 3. ad tertium, quæ sic breuiter exponitur. Propotionali modo debemus discurrere de distinctione relatè ad extrema, quæ dicuntur distincta, quo discurrimus de diuisione relatè ad extrema, quæ dicuntur diuisa; sed loquendo de diuisione, hanc nemo dicet consistere formaliter in extremis, quæ dicuntur diuisa, sed potiùs in negatione unionis unius extremi cum alio; ergo pariter loquendo de distinctione, dici non poterit ipsam formaliter consistere in entitate extremorum, quæ dicuntur distincta, sed in negatione identitatis unius extremi cum altero. Maior patet ex modò dictis. Minor, & consequentia stant ex communi Philosophorum loquendi usu.

Huic rationi Doctoris ex aduersæ sententiæ Auctoribus solus Bartholomæus de Barberiis occurrit, & quidem, ut asserit ex Diuo Bonauentura, disparitatem afferendo, quæ in eo stat, quòd diuisio formalissimè est negatio continui, non verò distinctio, sed potius differentia inter prædicata positiua, connotando negationem identitatis. Sed

Contra est; & imprimis diffiteor, solutionem hanc esse Sancti Doctoris, cum nimis friuola sit, confundit enim distinctionem cum differentia, cum tamen omnibus compertum sit primam à secunda diuersam esse. Distinctio enim dicit unum non esse aliud, siue deinde utriusque prædicata sint similia, vel non: secunda verò non abstrahit à prædicatis dissimilibus; unde esto omnis diuersitas dicat distinctionem, non tamen omnis distinctio dicit diuersitatem.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit argumentis contrariis.*

Contra positam thesim arguebant aliqui olim contra me hoc medio. Priusquam intelligatur in Petro negatio Ioannis, debent intelligi Petrus, & Ioannes; sed in illo priori intelligitur Petrus ut non Ioannes, & Ioannes ut non Petrus; ergo independenter ab omni negatione Petrus non est Ioannes. Maiorem ostendebant, eo quia negatio supponit subiectum, cui inhærens concipitur formaliter existere, & connotat habitum, quo priuat, intellectum secundum se independenter ab ipsa; sed illa negatio apprehenditur in Petro tanquam in subiecto, & apprehenditur respiciens Ioannem tanquam habitum, quo priuat; ergo supponit Petrum existentem, & connotat habitum, nempe Ioannem, ut distinctum ab illa, constitutum in suis differentiis indiuidualibus: sed eo ipso quòd Petrus, & Ioannes intelliguntur cum suis differentiis indiuidualibus, seclusa negatione superaddita, præcisè per ipsas differentias intelligitur Petrus non Ioannes, & intelligitur Ioannes non Petrus; ergo ad hoc ut Petrus non sit Ioannes, vel ad hoc ut Ioannes non sit Petrus, non requiritur formaliter aliqua negatio.

Confirmatur; siquidem si rogetur, cur rationale habeat hanc negationem respectu hinnibilis, & non illam habeat cum animali? Respondebitur, quia rationale non est idem cum hinnibili, & est idem cum animali; ergo prius est hoc eos esse idem, & non esse idem cum illo, quàm habere, aut non habere negationem superadditam; ergo antecedenter ad omnem negationem habet rationale non esse hinnibile.

Confirmatur secundò: negatio metaphysica, & necessaria rei impossibilis nequit esse purum negatiuum; atqui negatio identitatis inter distincta, ut inter Petrum & Paulum, est negatio metaphysica, & necessaria rei impossibilis; ergo nequit esse purum negatiuum ipsa distinctio. Major, quæ sola

indi-

indiget ostensione patet, quia talis negatio est ipsa rei essentia ab ipsa indistincta.

Respondeo argumentum hoc, nedum militare contra positum assertum, verùm etiam contra asserentes, vel principium individuationis formaliter consistere in duplici negatione, vel ipsam subsistentiam consistere in negativo; siquidem negatio identitatis supponit sui subjectum, sic etiam negatio duplicis unionis, quam importat subsistentia habet supponere naturam; & quemadmodum optimè stat tales negationes naturas ipsas supponere, quibus adveniunt, simulq; ipsas constituere individuas, & sistentes, sic stabit, quòd in priori ad talem negationem supponantur Petrus, & Paulus, & tamen formaliter per ipsam negationē distinguātur: & ratio totius est, quia nō supponunrur extrema cum illa denominatione formali, quā acquirunt per sibi posterius.

Ad primam confirmationem dico interroganti, quare Petrus habeat negationem identitatis cum Paulo innanem esse responsionem dicendo: quia non est idem cum Paulo, siquidem Petrum habere negationem identitatis cum Paulo est formalissimè non esse idem cum ipso: undè responsio, & interrogatio essent penitus unum, & idem. Iudico itaque dicendum esse Petrum habere negationem, quia distinguitur, quemadmodum optimè dicimus: Petrum esse animal rationale, quia est homo.

Secunda verò confirmatio non urget: potest enim optimè negatio metaphysica, & necessaria rei impossibilis inniti supra negativum: quod evidens esse existimo in illorum sententia, qui propugnant subsistentiam creatam in duplici negatione formaliter consistere, qua sententia stante, naturæ subsistenti, qua tali, repugnaret communicabilitas cum altero supposito: & tamen hæc repugnantia metaphysica radicaretur in duplici negatione. Si hoc ergo evenire potest in natura subsistenti qua tali, cur idem evenire non poterit in distinctis. Nec urget quòd ultimò additur in majoris tutelam: siquidem negatio hæc non est rei essentia, sed potius ipsam necessariò consequitur.

Secundum argumentum illud est, quod ego proposui Neapolim arguendo quibusdam in Thesibus, & quidem sub hac forma: res qua formaliter ab altera distincta est quid positivum; ergo distinctio formaliter stat in positivo. Consequentia hæc evidens est; nulla enim res potest formaliter constitui in esse positivi per formam, quæ positiva non est. Probatur itaque antecedens. Res qua formaliter distincta ab altera, vel præsefert negabilitatem, vel negationem; sed secundum affirmari nequit, cùm actualis negatio posterior sit distinctione; pullulat enim à distinctis; ideò enim una res actualiter negatur de altera, quia ab ipsa est in priori distincta; quemadmodum actualis comparatio inter duo posterior est merito ipso, quod habent, ut comparentur; ergo jam erit negabilitas; ergo quid positivum cum hæc sit ipsa essentia rei positiva.

Confirmatur: si distinctio formaliter consisteret in negatione identitatis, etiam identitas consistere deberet in negatione distinctionis; sed hoc alienum est à veritate, ergo & primum; probatur sequela paritate. Si calor esset pura frigoris carentia, eodem jure etiam frigus esset pura caloris privatio, ergo à pari si distinctio sit pura negatio identitatis, etiam identitas erit sola negatio distinctionis.

Respondeo distinctionem formaliter consistere in negatione quodammodo pullulante ab essentia, quæ esto posterior sit distinctione radicali, non est tamen formali; sicuti esto accidens posterius sit virtute radicaliter operativa, nō est tamen in Thomistica schola posterius virtute proxime activa, & in schola Henrici, esto omnipotentia posterior sit scientia, non est tamē, prout hęc est, possibiliū proximè repręsētativa.

Ad Confirmationem occurrit Doctor advertens identitatem formaliter esse perfectionem; perfectio autem non est pura negatio: unde adest potior ratio asserendi ipsam identitatem non esse puram negationem distinctionis, quæ non esset in asserendo frigiditatem non esse puram caloris negationem, si calor esset sola frigiditatis negatio.

Tertiò arguit Martinez. Petrus per suam entitatem positivam est Petrus formaliter, ergo per eandem non est non Petrus; consequentia patet, quia hæ propositiones sunt æquivalentes: *Petrus est Petrus: Petrus non est non Petrus*; ergo si Petrus per suam entitatem positivam adequatè habet quod sit Petrus per illam eandem habebit quod non sit non Petrus; ergo etiam per suam entitatem habebit adequatè, & formaliter non esse equum, non esse Paulum, adeòque distingui, & ab equo, & à Paulo.

Confirmatur primò: Petrus per solam suam entitatem positivam distinguitur realiter ab omni ente impossibili; ergo per eandem à possibili. Consequentia patet; antecedens ostenditur. Idem est formalissimè dicere Petrum existere esse possibile, ac dicere Petrū existere non est impossibile; sed Petrus per suam entitatem positivam absq; superaddita negatione verificat primū conceptum; ergo etiam verificabit secundum; ergo per suam entitatem nihil habet esse, ex his, quæ sunt impossibilia; ergo per suam entitatem habet distingui ab omni impossibili.

Respondeo concesso antecedenti distinguo consequens radicaliter concedo, formaliter nego consequentiam. Ad ejus probationem dico has propositiones: *Petrus est Petrus, & Petrus non est non Petrus* esse æquivalentes tantùm radicaliter, non verò formaliter, quatenus nimirum prima verificatur per ipsam Petri entitatem, à qua, tanquam à radice, habet pullulare negationem identitatis, per quam formaliter verificatur secunda, quod scilicet Petrus non sit idem cum non Petro.

Ad confirmationem nego antecedens; ad ejus probationem nego Majorem, nam licet radicaliter sit idem dicere: *Petrum existere est possibile, & Petrum existere non est impossibile*, ut supra dictum est, non est tamen idem formalissimè, quia sensus prioris est, quod Petrus identitatem habeat cum sui possibilitate, nempè cum suis prædicatis essentialibus inter se non repugnantibus; sensus verò posterioris est, quod Petrus non habeat identitatem cum ullo objecto impossibili, adeòque verificatur formaliter per negationem identitatis, non verò per ipsam Petri entitatem, licèt ab hac talis negatio necessariò pullulet tanquam à radice.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An detur distinctio formalis ex natura rei.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur sententia affirmativa.*

Sub his terminis in schola subtilis, & solemnis proponi non solet hæc difficultas, cum tamen ejus resolutio penitùs necessaria sit; ineptum est enim quætere, utrum hæc detur inter gradus metaphysicos, nisi priùs ipsius distinctionis inquiramus, & probemus existentiam, ut autem hoc feliciter fiat, quandam adverto doctrinam Patris Suarez, quam tradit in sua metaphysica disp. 7. sect. 1. in qua docet distinctionem intervenientem

Inter rem & modum rei realem esse, minorem tamen distinctione reali stricta; nedum quia modus ipse non est res, accepta re, prout importat suum esse essentialiter alteri non affixum, verùm etiam, quia est omninò inseparabilis à re, quam modificat, quodammodo importans quendam identitatis modum cum eadem re; hac autem doctrina supposita.

Probatur hac ratione efficaci exposita propositio. Si hæc distinctio formalis ex natura rei detur ut medians inter strictè realem & rationis, jam datur in rerum natura in ea ratione, qua negari solet; atqui re vera datur distinctio aliqua medians inter distinctionem strictè realem, & rationis; ergo &c. Probatur minor. In genere rerum non dantur res strictè, ut sunt omnes partes physicè, sed etiam res minùs strictæ, uti sunt partes metaphysicæ; ergo in genere distinctionis datur aliqua distinctio medians inter distinctionem realem & rationis. Antecedens est certum maximè juxta doctrinam doctissimi auctoris, secundùm quam prædicata metaphysica non sunt propriè res, sed purè formalitates propriam importantes essentiam, non verò existentiam. Probatur itaque consequentia, & quidem ad hominem, quia modus non est res stricta, sed potius dicit quendam modum identitatis cum re modificata, ideò ab ipsa, esto distinguatur realiter, non distinguitur tamen realiter strictè, sed minus strictè idest modaliter; ergo quia in genere entitatum à parte rei dantur etiam entitates minùs strictè, quæ inter se non se habent ut res, & res, vel res & modus, sed tanquam formalitates, dabitur quoque distinctio ipsis correspondens, idest formalis ex natura rei.

Confirmatur: distinctio vel formaliter consistit in positivo, ut propugnat Oviedo, vel fundamentaliter tantùm in positivo, ut Suarez cum aliis; ergo juxta diversitatem rei positivæ erit quoque diversa distinctio. Patet hæc consequentia; nam ad variationem constitutivi variari debet constitutum; atqui res à parte rei aliæ sunt propriæ tales, ut illæ, quæ ex sua essentia alteri non sunt affixæ, & peculiarem dicunt existentiam; aliæ verò quæ alteri sunt affixæ, ut sunt omnes modi; aliæ denique quæ neque sunt res strictæ, vel non habent peculiarem existentiam; neque sunt modi, quia non sunt alteri essentialiter affixæ; ergo distinctio alia erit propriè talis, altera modalis, formalis altera, vel ex natura rei.

Quòd si dicas non dari tertium genus rerum distinctarum ab ente prout alteri non essentialiter affixo, & ab ente essentialiter affixo, dico hoc ineptè negari; non enim asserimus tale genus rerum ab ente essentialiter affixo, & non essentialiter affixo; sed solùm dicimus ens essentialiter alteri non affixum, aliud esse propriè tale, vel propriæ existentiæ capax; aliud verò non, in qua sub divisione entis essentialiter non affixi nullam video esse repugnantiam allatam ab ipso Suarezio reliquisque Societatis Patribus.

Probatur secundò. Ideò distinctio media inter realem & rationis non est dabilis, quia hæc distinctio, quæ media à nobis nuncupatur, vel esset ab intellectu independens, vel dependens, adeòque vel realis, vel rationis; atqui hæc distinctio revera est independens ab intellectu, & nihilominus non est strictè realis; ergo. Probatur minor paritate: distinctio, quà dependens est ab intellectu ex genere suo non importat distinctionem propriam rationis ratiocinatæ; ergo etiam independens ab intellectu ex genere suo non infert distinctionem propriè realem; probatur hæc consequentia. Sicuti dependens ab intellectu est genus in linea intentionali, ità independens in linea reali; sed dependens ab intellectu ita est genus in linea intentionali, ut quamvis inferat distinctionem rationis, non inferat tamen propriam distinctionem rationis, idest ratiocinatæ; ergo à pari distinctio independens ab intellectu ità erit genus in linea distinctionis realis, ut non inferat determinatè distinctionem realem strictam.

## CAPUT SECUNDUM.

*Solvuntur argumenta contraria.*

Qui nolunt in rerum natura distinctionem hanc mediam, multipliciter, sed præcipuè sic arguunt. Non stat actualiter aliqua duo distingui, & realiter strictè non distingui; sed talis distinctio formalis est distinctio actualis; ergo non est media. Probatur major; primò, quia non stat actu, & à parte rei aliquod ad aliud referri, & realiter propriè non referri; ergo à pari, non stabit actu, & à parte rei distingui actualiter, & realiter strictè non distingui. Consequentia hæc liquet, siquidē non minus distinctio facit extrema non esse idem, aut distingui, quàm relato faciat relatum. Secundò non stat actu, & à parte rei duo componere aliquod tertium, & realiter non componere exclusa simplicitate reali; ergo non stat actu, & à parte rei distingui, & realiter non distingui exclusa identitate. Probatur hæc consequentia, sicut enim actualis compositio opponitur actuali simplicitati, ita actualis distinctio actuali identitati. Tertiò quia Negatio est malignantis naturæ, ita ut totum, quòd post se inuenit destruat; ergo si per distinctionem formalem ex natura rei fit, quod unum non sit idem cum alio, actu, & à parte rei, non solùm non erit idem formaliter, sed etiam realiter. Quartò quia distinctio realis stricta ex genere suo nihil plus dicit quàm actualem negationem. Quintò quia distinctio realis non suscipit magis, & minus.

Respondeo optimè stare duo actualiter distingui, & realiter strictè non distingui, sicut optimè stat duo actualiter distingui quin necessario distinguantur ut res absolutæ; & hoc quia distinctio propriè realis non tantùm attenditur penes actualem negationem, sed fundamentaliter etiam penes extrema, inter quæ intervenit ipsa negatio, quæ cum diversa sint, diversa quoque debet esse distinctio. Nec primum obstat; disparitas enim est, quod adæquatum constitutiuum relationis realis est purus ordo unius ad aliud, unde hoc posito statim relatio propria habetur. At verò distinctio realis propria non desumitur à sola negatione actuali, sed ulterius ab extremis, quæ propriè sint res, ut fateri debent etiam Patres Societatis Suarezii Doctrinæ adhærentes, qua asserit eximius Doctor, distinctionem inter rem, & modum non esse propriè realem, quia unum ex extremis non est propriè res sed rei modus.

Ad secundum verò respondeo cum distinctione: non stat actu, & à parte rei duo componere aliquod tertium, & realiter non componere exclusa simplicitate reali, si componant per modum potentiæ, & actus concedo antecedens, aliter nego antecedens, & distinguo pariter consequens, ergo non stat actu, & à parte rei distingui, & realiter non distingui, vel strictè, vel minus strictè concedo consequentiam, semper strictè subdistinguo, ubi interveniunt res strictæ concedo consequentiam; ubi hæ non interueniunt nego consequentiam. distinctio patet.

Ad

Ad tertium verò, quod obiiciunt Chavlnus ex Thomistis, de Quiros ex Societate, aliique; distinguo pariter antecedens, negatio totum id, quod post se invenit destruit in eadem linea, in qua ipsa est, concedo antecedens, in diversa nego antecedens, & consequentiam. Distinctio obvia est.

Ad ultimum tandem dico, distinctionem utique realem ex genere suo pro ut distinctio realis est præscindens à stricta, vel minùs stricta non importare nisi actualem negationem; at distinctio propriè realis ultra ipsam negationem aliquid aliud dicit de fundamentali, ut etiam Thomistæ fatentur, docentes distinctionem inter actionem, & passionem realem esse entitativam, quia actio, & passio sunt entitates strictæ.

Arguit secundò, & ultimo Cajetanus. Distinctio illa, quæ attenditur penes intrinseca, & rei essentialia oportet quòd sit distinctio strictè realis; sed distinctio formalis ex natura rei attenditur penes intrinseca, & essentialia rei, quæ distinguitur; ergo. Major est certa; siquidem distinctio per differentias essentiales major est distinctione desumpta ab extrinseco. Minor etiam evidens est, quia distinctio formalis ex natura rei desumitur à prædicatis essentialibus, cum fundetur in diversa actualitate essentiæ.

Omissa solutione communi Scotistarum in eo consistente, quòd si argumentum urgeret sequeretur distinctionem specificam majorem esse generica, & sic magis distinguererur Petrus ab equo, quam à lapide in genere distinctionis, quòd tamen falsum est, esto quæ distinguuntur specie distinguantur per prædicata proximiora, quam illa, quæ distinguuntur per prædicata generica, vel remotiora. Omissa, inquam, hàc solutione, dico majorem distinctionem per se non attendi penes hoc, quòd sit magis, vel minùs intima rei, sed penes hoc, quòd sit cujuslibet ideotitatis exclusiva.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An inter gradus Metaphysicos prædicamentales detur distinctio formalis ex natura rei.*

Difficilis est hæc controversia proposita, & adeò difficilis est, ut continuò in scholis circa hanc materiam novæ insurgant difficultates. Antequam autem resoluatur advertendum est primò, quod gradus Metaphysici dicuntur illa prædicata essentialia, quæ eidem rei conveniunt, verbi gratia. Petro convenit esse substantiam, esse vivens, esse animal, & rationale. Hæc prædicata dicuntur gradus, quia habent inter se quemdam ordinem superioris, & inferioris, & per ipsa gradatim itur in considerationem objecti; dicuntur verò Metaphysici, quia non distinguuntur realiter, nec faciunt compositionem physicam, cum reperiantur etiam in Angelis, in quibus nulla datur compositio physica.

Advertendum est secundò difficultatem non procedere de prædicatis transcendentalibus. Hæc enim talis naturæ sunt, ut in qualibet re, & formalitate imbibita sint, ut ante opus intellectus non distinguantur, ut suo dicam loco; circa quam

Triplex est sententia. Prima ponit solam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ fundamentalitèr, vel originaliter est in re, complectivè verò, & formalitèr per intellectum. Hanc propugnant Patres ferè omnes Societatis, si nonnulli excipiantur, qui ponunt distinctionem realem in tertio duarum formalitatum inter se tamen immediatè omninò indistinctarum ex parte objecti, inter quos Beroaldus de Quiros tract. 2. part. 2. disp. 16. sic explicans distinctionem virtualem intrinsecam Thomistarum.

Secunda sententia distinctionem virtualem intrinsecam acriter propugnat; Interim certum est hanc non explicari, ut superiùs explicavit de Quiros, quia in sententia Thomistica distinctio virtualis intrinseca nihil distinctionis ponit à parte rei, sed solam capacitatem ad verificanda contradictoria.

Tertia verò sententia vult distingui formaliter ex natura rei, quod idem est, ac dicere ex parte objecti, quæ distinctio minor est, quàm sit realis stricta [hæc enim versatur inter tes propriam habentes existentiam) major verò distinctione rationis. Huic adhærent Scotistæ, & Hericistæ, contra quos stant quamplures, præcipuè tamen de Quiros disp. 17. tract. 2. parte 2 Izquierdo disp. 13. quæst. 5. Lyncius lib. 2. Metaphysicæ tract. 3. cap. 2. 3. Martinez in suis manuscriptis quæst. 3. in Logica, aliique, dummodo excipias Fonsecham lib. 5. Methaphysicæ cap. 7 quæst. 1. sect. 3, Gregorium, aliosque nonnullos recentiores extra scholam Scoti & Henrici.

An autem distinctionem hanc mediam priùs excogitaverit Scotus, an Henricus, dissidium est inter utramque Scholam; Scoti alumni ipsius inventum esse sustinent. Oppositum vero firmant solemnis Doctoris doctrinam sequentes; ego tamen, ut sincerè loquar, judico secundis adhærendum esse. Ratio est quia Henricus natus est anno 1223. mortuus verò anno 1293. ætatis suæ anno 70. uti referunt Laurentius Beijerlinck in Theatro Vitæ Humanæ, Joannes Baptista Riciolius Ferrariensis in sua Chronologia reformata tom. 1. & Ludovicus Moreri in magno Dictionario Historico. Scotum verò natum legimus anno 1274. juxta Epitome Annalium Ordinis Minorum industria Francisci Faroldi Hiberni Limiricensis, & Lucæ Waddingo ejusdem Ordinis Chrographorum. Parisiis autem legit anno 1304 ergo jam Henricus probabiliter dum hanc docuit, ex Scoti ore, vel scriptis relictis non desumpsit; sed potius dicendum erit Scotum ex Henrico, vel ipsam accepisse, vel primo saltem non invenisse, sed potius sub novo nomine distinctionis formalis ex natura rei promulgasse, cum Henricus sub aliis terminis ipsam tradidisse constet, & præcipue art. 26. quæst. 2 numero 10. & art. 27. quæst. 1. numero 2. & quodl. 10. quæst. 7. ubi hæc habet: *Dicendum est enim rationale, & animal non differre sola ratione &c. nec etiam differre re tantum, quantum differunt substantia, & accidens &c. Sed medio modo nempe plusquam ratione sola, & minus quam re;* & ulterius: *oportet quod ratio, & intentio differentiæ sit alia extra rationem, & intentionem generis non inclusa in illa, aliter enim idem, ut ratio generis, bis poneretur in definitione, & esset omnis definitio nugatoria:* & inferius: *dicendum quod in aliquo indeterminatum, & determinatum differunt non solùm ratione, sed etiam intentione, secundùm quod alia est intentio universalis, & particularis in eadem re. In Deo autem, ut dictum est, & amplius infra dicetur, sola ratione differunt, quæcunque essentialia in eo desiderantur:* ex quibus omnibus patet Doctorem nomine distinctionis intentionis non puram distinctionem rationis intelligere, sed aliam majorem, quàm intentionis vocat, unde nescio quo fundamento Richardus

Lyn-

Lynceus lib. 2. tract. 3. cap. 2. Henricum referat pro prima sententia.

## CAPUT PRIMUM.

*Defenditur distinctio formalis ex natura rei inter gradus Metaphysicos prædicamentales.*

PHilosophi auctoritate non esse destitutam expositam thesim Scotistæ fere omnes ostendunt, & præcipuè Mastrius hic, Petrus à Sancta Catharina, Bartholomæus Barberius, Dupasquier, aliique recensiores Scotistæ, quidquid dicant Patres Societatis, qui aliter Stagyritam sensisse judicant. Nobis tempus conterrere non placet in Phylosophi inquirenda sententia, quam indicasse sufficiat, remittendo lectorem ad relatos auctores. Solumitaque rationes hic, & quidem efficacissimas referre placet clariori, breviori, & fortiori methodo; & primo. Quæ in eodem subjecto separari nequeunt, & separata inveniuntur in diversis ex natura rei non identificantur, sed potiùs distinguuntur; sed gradus metaphysici ejusdem individui ita se habent; in Petro enim, v.g, dantur gradus vegetativi, sensitivi, & rationalis, à Petro, & inter se inseparabiles, realiter tamen separati in diversis subjectis, nempe in Brutis, ut experientia constat; In planta etenim est gradus vegetativi sine sensitivo, & sensitivi in brutis sine rationali; ergo gradus metaphysici ejusdem individui distinguuntur inter se formaliter ex natura rei.

Dices primò rationem hanc nullam esse; inseparabilitas enim in eodem, & separabilitas in diversis non inferunt distinctionem mediam; non prima quia oriri potest vel ex simultate naturæ, ut in duobus relativis, vel quia unum pendens ab alio tanquam posterius à suo priori, vel etiam ab identitate reali. Nec secunda quia hæc ex genere suo infert potius distinctionem propriè realem. Nec tandem simul, quia hoc ipso quod seorsim non inferunt inseparabilitas, & separabilitas distinctionem mediam, nec simul inferre valebunt; Sed

Contra est, & ut fiat satis advertenda est quædam doctrina quæ valde prodesse potest, & ea est, quod esto ex separabilitate bene inferatur distinctio strictè realis, non tamen ex hac separabilitas infertur, quemadmodum ex inseparabilitate duorum inter se, determinatè neque identitas, neque distinctio infertur. Primum quod affirmo patet, quia nunquam invenies aliqua duo ratione sui esse separabilia, & realiter strictè non distingui. Secundum verò pariter evidens est. Personæ enim in divinis realiter strictè distinguuntur, & tamen inter se non sunt separabiles, sed potiùs inseparabiles. Tertium verò parere potest, quia inseparabilitas oriri potest, & radicari etiam ab aliqua connexione, quæ inter duo intercedat. Inseparabilitas itaque hoc disjunctum solùm inferre potest: ergo quæ inseparabilia dicuntur talia sunt, vel quia connectuntur, vel quia identificantur. Hic tamen, quia sermo est de inseparabilitate Metaphysica conveniente realitatibus Metaphysicis, optimè ex hac infertur identitas, & cum aliundè adsit in diversis separabilitas quæ indicat unam realitatem ex sua natura non exigere identitatem cum alia, benè sequitur distinctio formalis ex natura rei, non quidem ex sola inseparabilitate, vel separabilitate, sed ex complexo, intelligendo concretivè *tò inseparabilitate* nimirum de inseparabilitate Metaphysica.

Dices secundò ex de Quiros animalitatem, quæ de facto conjungitur cum rationalitate, non esse separabilem ob identitatem realem cum ipsa rationalitate; nec hanc animalitatem inveniri posse in equo, sed solùm animalitatem secundùm suum esse Metaphysicum, & præcisivum.

Contra est nam de Quiros hic non intelligit Doctrinam Henrici, & Scoti in hac materia, si quidem nos non propugnamus animalitatem hominis esse absolute separabilem à rationalitate; hoc enim fieri non posse etiam nos concedimus propter identitatem realem, sed solùm dicimus animalitatem, quæ in homine est, Metaphysicè inspectam, seu quantum est de se separari posse à rationalitate, esto impedita sit per identitatem realem. Errat etiam de Quiros hic quia confundit esse Metaphysicum rei cùm ejusdem statu intentionali.

Dices tertiò: si animalitas separari posset, vel polieret indifferentia etiam ex suppositione, cum hinnibilitate uniri, & identificari posset, atque à rationalitate avelli, quare intèr illas duas formalitates esset distinctio major formali. Sed

Contra est. Lynceus sic arguendo ostendit se nescire constitutiva indifferentiæ Metaphysicæ intervenientis solùm intèr realiter identificata; unde tantùm abest, ut hæc inferat distinctionem realem, ut potiùs excludat, sicuti ipsam excludit distinctio Media; maximè quod animalitas non est separabilis à rationalitate simpliciter, & absolutè propter identitatem realem intervenientem, sed solùm quantum est ex parte suæ essentiæ, & quidditatis

Probatur secundò conclusio. Quæ definiuntur diversis definitionibus essentialibus adæquatis distinguuntur formaliter ex natura rei; at qui gradus Metaphysici definiuntur diversis definitionibus essentialibus adæquatis ergo. Majoris veritas inferius constabit, minoris patet, animalitas enim quæ est in homine definitur, quod sit principium sentiendi, rationalitas verò principium discurrendi.

Huic rationi respondent adversarii, & primò Martinez; unam rem etiam formaliter indivisibilem posse diversis definitionibus definiri, ut patet in ipsa existentia actuante animalitatem, & rationalitatem, quæ prout priorem formalitatem actuat, diversa definitione definitur, ac pro ut actuat rationalitatem; quod totum ulteriùs patet in ipsis potentiis animæ intellectu, & voluntate, atque in ipsa divina scientia, quæ à se ipsa formaliter ex natura rei non distinguitur, esto diversis definiatur definitionibus; & ratio totius est quia sicuti scientiæ Divinæ, ita recensitæ animalitatis, & rationalitatis definitiones sunt inadequatæ.

Sic hi auctores Societatis non arguerent, si mecum distinguerent esse Metaphysicum rei à physico, & Logico, & adverterent, primùm tangere nudam essentiam, secundum præsentiam physicam in propria mensura & duratione, tertium verò esse intentionale, ità ut tamen solùm in secundo statu animalitas hominis includat rationalitatem; adeoque relata definitio animalitatis, si hæc physicè inspiciatur, erit certè inadæquata, adæquata tamen si primo modo sumatur, cum per sui contractionem suum esse Metaphysicum non deperdat, nec augeat; unde si in priori ad contractionem tota actualitas essentiæ animalitatis erat esse solùm principium sentiendi, erit quoque accedente ipsa contractione, quemadmodum in physicis materia etiam forma informata eamdem actualitatem essentiæ importat, & non majorem, quam dicebat ante informationem, undè quia esse subjectum recepti-

vum

vum erat tota ejus essentia antè informationem, est quoque post informationem. Hoc autem supposito quilibet dummodocæcus non sit, videre potest superiorum solutionum insubsistentiam. Prima quidē insubsistens est, quia relata definiuntur tantùm diversis definitonibus inadæquatis; adæquata enim definitio existentiæ hominis est, quod sit ratio, qua formaliter, nedum animalitas, verùm etiam rationalitas, omnesque ejus proprietates ex nihilo extrahuntur. Secunda pariter solutio Patris Lyncei nulla est. Ratio est, quia semel posito quod adsint diversæ definitiones adæquatæ, jam habetur objectivè diversitas; quoties autem hæc habetur, non intelligimus solam distinctionem virtualem, quæ prout explicatur à Thomistis negat omnem objectivam diversitatem. Tertiâ verò solutio, quam exibent Izquierdo, Semery, & Alii, ex superiori doctrina corruit. Ubi enim diversæ essentiæ adæquatæ habentur, haberi quoque possunt definitiones diversæ adæquatæ.

Dices. Definitio fit per actum intellectus, ergò non explicat rem secundum esse reale, sed intentionale, ergo diversitas definitionum infert solum diversitatem intentionalem, non verò objectivam, aliundè requisitam ad distinctionem mediam.

Contra est: hæc enim instantia est similis huic. Hæ definitiones materia est subjectum uniuscujusquè, forma est principium determinans ad hanc vel illam speciem fiunt per actum intellectus, ergo non explicant rem secundum esse reale, sed intentionale; ergo diversitas inter materiam, & formam erit tantùm intentionalis. Pro omnibus itaquè dico definitionem esse actum intellectus, rem verò definitam esse à parte rei

Probatur tertio Conclusio ratione Scoti: Uni, & eidem entitati à parte rei indistinctæ nequeunt à parte rei convenire Prædicata contradictoria; sed Homini conueniunt à parte rei duo Prædicata contradictoria, oempè conuenire, & non conuenire, nam conuenit cum equo per Animalitatem, & non conuenit per rationalitatem, ergo animalitas & rationalitas, quæ sunt rationes, propter quas Homini conveniunt Prædicata contradictoria aliquo modò à parte rei distinguuntur, sed non distinctione reali strictâ, ergo formali ex natura rei.

Confirmatur ante omnem intellectus operationem Animal in Homine fundat realem similitudinem cum equo, rationale verò fundat realem dissimilitudinem eum eodem; sed idem respectu ejusdem fundare nequit realem similitudinem, & dissimilitudinem; ergò antè omnem operationem intellectus Animal in Homine distinguitur à rationali, seu non est idem cum rationali, non realiter strictè, ergo formaliter ex natura rei. Totus iste discursus fundatur in eo, quod habet Phylosophus 5. Metaphysicorum textu 2. ubi affirmat similitudinem, & conuenientiam fundari super unum, distinctionem verò, & dissimilitudinem super multa idest super diversas rationes.

Huic rationi non unica est solutio apud Patres Societatis. Oviedo occurrit asserendo Hominem secundum se, nec esse similem, nec dissimilem, sed solum ratione diuersarum operationum. Occurrunt secundò Arriaga, & Martinez, dicendo; Hominem esse solum aliqualiter similem, & aliqualiter dissimilem, in quo nulla est repugnantia; ità ut sensus sit, quod simplex Hominis entitas secundùm se totam habeat cum tota essentia equi indiuisibiliter accepta similitudinem aliquam imperfectam, idest propriam Hominis ad equum, non verò perfectam, idest propriam Hominis ad Hominem, vel equi ad equum; quemadmodum aer secundùm omnes suas partes est clarus imperfectè, & non clarus perfectè absque ulla contradictione. Occurrit tertiò de Quiros dicendo dissimilitudinem intrinsecam, & similitudinem extrinsecam non pugnare. Modo Homo est dissimilis intrinsecè equo, non autem similis à parte rei. Ratio est, quia licet Homo sit Animal ex parte objecti, non est tamen ejusdem conditionis, qua equus est Animal. Hic enim est Animal hinnibile: Homo verò rationale Animal; quare sicut album, & nigrum sunt simpliciter dissimilia, ità hic. Potest tamen Homo dici similis equo, sed extrinsecè, quatenus intellectus concipit Hominem esse Animal præcisè, & rursus equum esse Animal.

Occurrunt quattò alii Patres Societatis affirmando similitudinem latam, & impropriam non opponi dissimilitudini propriæ. Homo autem est impropriè similis equo, & propriè dissimilis. Occurrit quintò Izquierdo propugnans similitudinem, & dissimilitudinem à ratione oriri, undè majorem distinctionem, quàm rationis inter extrema, quibus competunt, non efflagitare.

Occurrit sextò Lynceus dicens ex hoc tantum inferri admittendam esse distinctionem aliquam à parte rei, sed hanc esse non formalem, sed virtualem intrinsecam.

Occurrit tandem Benedictus de Benedictis Neapolitanus ejusdem societatis docens similitudinem, & dissimilitudinem Hominis, & Equi non esse Prædicata contradictoria, eo quia Hominem, & Equum esse similes nil aliud sit, quàm esse duo Animalia, & esse dissimiles, quàm non esse duo rationalia: Esse autem duo Animalia, & non esse duo rationalia contradictoria non sunt; Sed

Nulla ex his solutionibus ad rem facit. Non prima Ovledi, quæ ex eadem Societate displicuit hic Patribus de Quiros, & Izquierdo docentibus negari non posse similitudinem, & dissimilitudinem ratione diversarum operationum etiam esse similitudinem, & dissimilitudinem inter substantias etiam secundùm se, cum à principio substantiali proveniant. Non secunda, quia etsi res sortiri possit aliqualem, vel imperfectam similitudinem, & dissimilitudinem pariter aliqualem, tamen etiam hæc similitudo, & dissimilitudo fundari debent supra diversas formalitates, sicuti fundantur aliqualis similitudo, & dissimilitudo, quæ relucent in aqua tepida relatè ad aquam summè calidam. Nec tertia solutio valet, quia si rationalitas fundat realem dissimilitudinem, non est cur animalitas non fundet realem dissimilitudinem; Cui non obstat, quod Animalitas Hominis sit cum rationalitate, quia hoc tantùm verum est physicè loquendo, non verò metaphysicè Non quarta solutio valida est, quia nescio quo fundamento similitudo in aliquo prædicato essentiali, uti est animalitas Hominis dicatur impropria ab eodem Bernaldu de Quiros. Si enim rationalitas fundat propriam dissimilitudinem non est cur animalitas non fundet etiam veram similitudinem.

Quinta verò solutio Izquierdi non subsistit, quia relationes similitudinis, & dissimilitudinis reales sunt; nullo enim cogitante intellectu Homo similis est, & dissimilis Equo, sicuti nullo cogitante intellectu est Animal, & rationale.

Sexta verò solutio ad rem non facit, siquidem hæc distinctio virtualis vel est Thomistica, vel altera, quam propugnat de Quiros, videlicet distinctio

 realis

realis in tertio formalitatum inter se omninò indistinctarum. Si primum, ergo semper redit argumentum, nimirùm impossibile esse unam rem à parte rei indistinctam, à parte rei sustinere contradictoria; ergo falsum est Lynceum ex parte objecti ponere aliquam distinctionem à parte rei, cum hæc distinctio virtualis in sensu Thomistico non dicat distinctionem objectivam. Si verò secundum affirmetur adhuc redit difficultas, quia distinctio esse debet inter ipsas formalitates, cum hæ sint, quæ in tertio fundant realem similitudinem, & dissimilitudinem.

Ultima tandem evasio non est valida, ut etiam advertit Lynceus, quia principium manifestè repetit, cum superior ratio contendat esse duo Animalia, & non esse duo rationalia, esse prædicata contradictoria, cum illud similitudinem, & hoc dissimilitudinem importet. Secundò quia qualibet negata distinctione objectiva inter animalitatem, & rationalitatem esset contradictio, cum esset de eodem secundùm idem.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Diluuntur argumenta Contraria.*

QUi oppositam sustinent Sententiam, nostram impugnant multipliciter. Præcipuè tamen hoc medio. Omnis distinctio existens à parte rei est realis, sed distinctio formalis ex natura rei existit à parte rei, ergo realis est. Major probatur, nam sicuti illud est ens reale, & verum, quod existit à parte rei, ità ea distinctio erit vera, & realis, quæ existit à parte rei.

Confirmant hoc argumentum de Quiros, & Martinez. Implicat quòd de formalitate *A* negetur formalitas *B*; itaut sit vera hæc propositio: *A non est B* quin eo ipso formalitas *A* realiter distinguatur à formalitate *B*, non minus, quàm Petrus distinguitur à Paulo; ergo implicat hujusmodi distinctio formalis. Antecedens probatur, quia implicat non distingui realiter extremum *A* ab extremo *B*, si à parte rei sit vera hæc propositio: *A producitur à B;* ergo etiam ea, quorum unum à parte rei non est aliud, erunt realiter distincta.

Probatur hæc Consequentia, primò quia non minus distinguit negatio, quàm productio, immò expressiùs negatio, quàm productio; secundò quia omne signum realis distinctionis reducitur ad hanc negativam: *A non est B*.

Confirmatur secundò. Distinctio illa, quæ sufficiens est ad verificanda omnia Contradictoria est distinctio realis propria; atqui hæc distinctio formalis ex natura rei est sufficiens ad verificanda omnia contradictoria, ergo &c. Probatur minor. Dualitas ut sic sufficiens est ad verificanda omnia contradictoria. Patet hoc, quia quoties hæc dualitas habetur plura intelligimus. Ubi autem est pluralitas, non est contradictio, quia tunc unum contradictorium capit supra unum extremum, aliud verò supra alterum, ergo etiam dualitas formalitatum sufficiens erit ad tollendam omnem contradictionem. Patet hæc consequentia, quia *tò formalitatum* non tollit rationem ipsam dualitatis exclusivæ cujuscunque contradictionis.

Confirmatur tertiò. Quæ identificantur realiter non possunt distingui formaliter ex natura rei; ergo si gradus metaphysici identificantur realiter, non poterunt distingui formaliter ex natura rei. Probatur antecedens. Quæ distinguuntur realiter non possunt identificari formaliter ex natura rei, ergo quæ identificantur realiter non possunt distingui formaliter ex natura rei.

Confirmatur quartò. In Schola Henrici, quod realiter est ens, est etiam formaliter ens, ergo similiter, quod realiter est idem cum alio formaliter erit idem cum illo.

Confirmatur quintò. Gradus metaphysici non distinguuntur realiter, quia realiter constituunt unam formam, ergo nec formaliter. Patet hæc Consequentia, quia Anima rationalis nedum realiter, sed etiam formaliter est una forma.

Respondeo nullatenus distinctionem hanc mediam esse realem; & hoc quia realis distinctio exigit extrema, quæ propriè sint realitates, seu quæ gaudeant propria existentia, qua cùm careant gradus metaphysici, profectò realiter non distinguuntur. Distinctio autem formalis ex natura rei realis est, *tò realis*, prout dicit negationem independenter ab intellectu, non realis prout hic est controversia.

Prima confirmatio verò non urget. Productio enim terminatur ad esse physicum, undè quæ se habent ut producens, & productum, duplex esse physicum habent, à quo realis distinctio desumi potest. Negatio autem esto distinguat, non semper distinguit realiter strictè, quia non semper cadit inter extrema proportionata; & exigita à distinctione reali.

Ad secundam autem confirmationem dico distinctionem formalem ex natura rei nullatenus sufficere ad omnia verificanda contradictoria, sed solùm illa, quæ esse formale rei tangunt, sicuti dualitas intentionalis non est sufficiens ad tollendam contradictionem realem, sed solùm intentionalem. *Tò* enim *formalis* limitat *tò dualitatem* ad tollendam solùm contradictionem formalem, sicuti respectus omnipotentiæ aditus essentiæ limitat essentiam divinam ad esse solùm medium in quo possibilia videantur.

Tertia confirmatio parvi roboris est, quia distinctio realis summa est, unde exclusiva cujuscunque identitatis. Identitas verò realis non est summa (magis enim identificantur, quæ identificantur formaliter, & ratione, quàm quæ solùm realiter) unde non est exclusiva cujuslibet distinctionis.

Ad quartam confirmationem, quam affert Spinula, dico disparitatem esse, quia ratio entis est prædicatum transcendentale, de cujus ratione est in qualibet re ita imbibi, ut ab ipsa nullatenus distinguatur; non verò sic se habent prædicata, de quibus hìc est Controversia.

Ultima tandem confirmatio, qua quamplures utuntur Thomistæ, non urget; esto enim verbigratia anima rationalis sit formaliter una forma indivisibilis in linea formæ, non est tamen in linea gradus. Sed

Instat contra præcipui argumenti solutionem primò de Quiros. Quod distinctio sit realis non sumitur ex qualitate extremorum, sed ex sola negatione unius de alio, ergo si hæc est independens ab intellectu, erit distinctio propriè realis. Probatur antecedens; nam in distinctione rationis utrumque extremum est reale, & aliquando utrumque est suppositum, ut si idem suppositum realiter in duo ratione distinguamus; sed nihilominus distinctio non est realis, ergo hæc non desumitur ex qualitate extremorum.

Instat secundo Martinez Si posset verificari hæc propositio: *A non est B* absque reali distinctione, posset

posset etiam verificari hæc alia *A est B* absque reali identitate, adeoque poterit esse vera hæc propositio: *Homo est Leo*, licèt inter Hominem, & Leonem detur realis distinctio.

Instant tertio alii. Materia prima realiter strictè distinguitur à qualibet forma, sed nihilominus sub dubio est eius existentia, quam Thomistæ negant, ergò distinctio realis non petit existentiam in extremis sic distinctis.

Instat quartò Lynceus. Inter rem, & carentiam rei summa distinctio reperitur; Sed distinctio inter rem, & carentiam rei, non est inter rem,& rem, carentia enim rei non est res, ergò stat distinctio realis, quin sit inter rem, & rem.

Instat Quinto Izquierdo. Nullatenus est intelligibile, quod conceptus objectivi *B.* & *C.* realiter identificentur, & eorum alter nihilominus non sit alter à parte rei. Patet hoc, quia duo identificari realiter nil aliud est, quam unum esse aliud à parte rei; si autem negari nequit conceptum *B.* esse conceptum *C.* à parte rei, eo ipso quod identificatur realiter, quomodo asseritur nihilominus conceptum *B.* non esse conceptum *C.* à parte rei titulo distinctionis formalis? Potest ne eripi ab aperta contradictione conceptum *B.* esse simul, & non esse à parte rei conceptum *C.*? Minimè sanè.

Instabis sextò. Identitas, quam removet distinctio reperta inter *B.* & *C.* si daretur esset identitas absolutè realis; ergo distinctio reperta inter *B.* & *C.* absolutè realis est, utpotè, quæ opposita est identitati absolutè reali.

Instabis tandem ultimò, quia formalitates Metaphysicæ propriè sunt res, sicut propriè à nihilo distinguuntur.

Respondeo nullam instantiam ex relatis superiorem solutionem infirmare; non quidem, prima, quia distinctio realis desumitur ab extremis realibus, simul cum negatione reali, quæ non adest, ubi distinctio est solùm rationis. Non secunda, siquidem ideo esse potest negatio realis absquè reali distinctione, quia hæc est veluti prædicatum genericum pluribus conveniens. Convenit enim tum realiter, tum modaliter, tum formaliter distinctis. At verò nequit *A.* esse *B.* absque reali identitate, quia hæc est fundamentum mutuæ realis affirmabilitatis. Non tertia instantia, quam excogitavit. Oviedo, siquidem materia, etsi non haberet propriam existentiam, adhuc esset undè realiter distinguerentur, nimirum vel quià est à forma separabilis, vel quià exercet mutuas causæ extrinsecæ erga formas.

Non quarta, quia res, & carentia rei separabilia sunt, quinimmo semper separata sunt, & ulterius carentia rei suo modo est res, ut hic accipitur nomen hoc *res*. Carentia enim rei suo modo existit, & certè non per existentiam formæ oppositæ Præterquamquod ratio rei propriæ relucet saltèm in uno extremo; cum inter gradus Metaphysicos non sit invenibilis ratio strictæ realitatis.

Quinta instantia imbellis est, sicuti sunt omnes aliæ, quas hic affert Izquierdo, ob quarum inefficatiam ipsas non referimus. Unum enim conceptum objectivum esse alterum dupliciter contingere potest, nimirum, vel in sensu reali, vel formali. In primo sensu verum est inintelligibilem esse realem identitatem absquè mutua affirmabilitate, secus in secundo. Ad sextam negandum est antecedens quia distinctio formalis non removet identitatem realem, sed tantùm formalem. Nec tandem ultima paritas urget, quià formalitates Metaphysicæ esto sint propriæ res, pro ut istæ distinguuntur à nihilo, non sunt tamen prout res propriam præseferunt existentiam.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur alia argumenta Adversariorum.*

Arguunt primò communiter Patres Societatis contrà quartam Scoti rationem. Si realis similitudo, & dissimilitudo deberent necessariò fundari suprà diversas formalitates, sequeretur processus in infinitum in formalitatibus, sed hoc asserere ridiculum est, ergo &c. Probatur Sequela majoris; etiam indivisibilis formalitas, verbi gratia, hæcceitas Petri est realiter similis, & realiter dissimilis hæcceitati Pauli; ergo si realis similitudo, & dissimilitudo debent fundari suprà diversas formalitates, in eadem hæcceitate Petri erit opus admittere plures formalitates fundantes realem similitudinem, & dissimilitudinem. Rursus illæ duæ formalitates essent denuò inter se similes, & dissimiles, ut speculanti patebit; ergò si realis similitudo, & dissimilitudo necessariò debent fundari suprà diversas formalitates, jam esset procedere in infinitum in formalitatibus. Probatur primò antecedens, videlicet, quod hæcceitas Petri sit realiter similis hæcceitati Pauli; nam quod sit realiter dissimilis dant Scotistæ, & Henricistæ. Tunc hæcceitas Petri esset realiter similis, quando actu, & à parte rei haberet prædicata similia alteri hæcceitati sed actu, & à parte rei habet prædicata similia &c. ergo &c. Major est certa, non enim stant prædicata similia realiter sine reali similitudine. Probatur itaque minor. Sicut hæcceitas Petri est ratio faciendi differre ultimò Petrum à quolibet alio, ita pariter hæcceitas Pauli, est ratio faciendi differre Paulum à quolibet alio; ergò à parte rei istæ hæcceitates habent prædicata similia, ergo sunt similes, & dissimiles a parte rei; ergo dari debent aliæ formalitates fundantes realem similitudinem, & realem dissimilitudinem, & sic in infinitum.

Respondeo argumentum hoc, quod magni roboris est apud quosdam Patres Societatis, & summæ efficaciæ apud nonnullos Scotistas, & Henricistas in integrum quosdam Auctores solvere dicendo hæcceitates Petri, & Pauli esse primò diversas à parte rei, & tantùm similes per intellectum inadæquatè illas concipientem, scilicet confundentem illas in ratione hæcceitatis. Sed

Hæc solutio non enervat vim argumenti, quod directè probat hæcceitates Petri, & Pauli esse inter se similes similitudine reali, & non tantùm intentionali. Patet hoc, nam nullo cogitante intellectu utraquè hæcceitas est ratio faciendi ultimò differre, utraquè est realitas singularitatis, & quidem à parte rei, ergò jam sunt hæcceitates similes in statu reali.

Respondent alii secundò concedendo libenter Petri hæcceitatem esse nedùm realiter dissimilem, sed etiam similem alteri hæcceitati; sed nihilominus dicunt processum in infinitum non sequi, quia ipsæ hæcceitates sunt rationes, quibus assimilandi, & dissimilandi, quæ non exigunt alias formalitates, quibus inter se assimilentur, & dissimilentur. Quemadmodum unio, quia est ratio uniendi non indiget alia unione, ut uniatur extremis, sed per se ipsam unitur. Sed

Etiam hæc solutio invalida est, siquidem quamvis verum sit, quòd hæcceitas Petri sit ratio, qua dissi-

dissimilandi Petrum à quolibet alio, non est tamen ratio assimilandi, ergo saltem deberet semper geminari formalitas fundans similitudinem.

Respondeo itaquè insistendo priori solutioni, iuxtà quam in forma nego sequelam, ad cuius probationem nego antecedens, ad cujus iteraram antecedentis probationem maximè quo ad secundam partem concessa maiori nego minorem, quià falsum est, quod habeant prædicata similia etiam in ipsa ratione differendi, siquidem Petri hæcceitas est ratio, qua Petrus differt ab omni alio, adeoque etiam ab ipsa hæcceitate Pauli. Hæcceitas autem Pauli non est ratio faciendi differre Paulum à se ipso, quamuis sit ratio faciendi differre Paulum à quolibet alio, & consequenter etiam in ratione differendi non conueniunt; Sed hoc omisso in forma nego maiorem, ad cuius probationem nego Antecedens, & hujus probationis distinguo maiorem, tunc esset similis hæcceitas Petri hæcceitati Pauli, quando realiter haberet prædicata similia similitudine propria fundante propriam formalitatem concedo maiorem similitudine impropria nego maiorem, & pariter distincta minori nego Consequentiam. Hæcceitates tam Petri, quam Pauli non habent à parte rei prædicata similia similitudine propria, nam quod utraquè sit ratio faciendi differre habetur à diuersa forma, cum habeatur à diuersa hæcceitate; prædicata autem quæ à diuersa forma habentur, non possunt esse similia similitudine propria, cum hæc proueniat ab una forma, undè docuit Philosophus, ea similia esse quorum qualitas est una.

Arguunt secundo alii. Distinctio formalis ex natura rei, vel non sufficit ad verificanda prædicata contradictoria à parte rei, vel non est necessaria, cum sufficiat virtualis; ergo sit superflua inter gradus Metaphysicos. Probatur Antecedens quo ad primam partem. Distinctio illa solùm est sufficiens ad verificanda prædicata contradictoria, quæ ipsis est commensurata; sed nec distinctio formalis ex natura rei potest esse commensurata contradictioni, quæ reperitur in eodem Homine, ergo &c. Probatur minor, siquidem contradictio est realis, cum realiter Homo respectu equi conveniat, & realiter non conveniat; sed distinctio non est realis, sed longè minor reali, ergo nec distinctio media est commensurata contradictioni.

Respondetur distinctionem mediam correspondere contradictioni, & hoc quia quamuis verum sit, quod homo realiter conueniat, & realiter non conveniat in ordine ad equum, verum tamen etiam est hanc realem convenientiam, & inconvenientiam esse ratione diuersarum formalitatum, non vero ratione completæ, perfectæ, & strictæ realitatis. Hoc ipso autem, quod contradictio realis est solùm ratione diuersarum formalitatum, distinctio media, quæ ponit diuersas formalitates in rerum natura erit optimè commensurata contradictioni.

Obiicies tertio cum Thomistis. Non minus ratio, ob quam causa efficiens agit, aut producit effectum est illius continentia, quam ratio, ob quam saluantur prædicata contradictoria sit distinctio. sed nihilominus ut causa efficiens intelligatur actu, & formaliter agere sufficit continentia virtualis, nec requiritur necessariò formalis, ergo etiam distinctio virtualis erit sufficiens ad prædicata contradictoria verificanda. Minor est certa; Sol enim dat esse calidum, cum tamen non sit formaliter, sed tantùm virtualiter calidus.

Confirmatur. Sicuti contradictio est realis in Homine respectu equi, quatenus realiter conuenit, & non conuenit Homo cum equo, sic causalitas solis est realis, sed hæc saluatur per solam continentiam virtualem; ergo etiam contradictio per solam distinctionem virtualem.

Respondeo disparitatem esse in eo sitam, quod ad hoc ut causa intelligatur potens effectum producere, sufficit ipsius effectus præcontinentia perfecta, quæ cùm habeatur etiam per continentiam virtualem, hioc hæc sufficiens est ad dandum totum esse effectui. At verò ad tollendam contradictionem actualem requiritur distinctio, quæ ipsi contradictioni opponatur, quæ certè non potest esse nisi actualis.

Obiicies quartò: Anima rationalis propter sui eminentiam præstare potest plures, & diversos effectus distinctos, ut patere potest in pluribus aliis. Sol enim de facto est causa plurium effectum realiter distinctorum, & diversorum. Insuper eadem scientia Dei propter sui infinitam excellentiam habet simul rationem scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ. Forma mixti propter sui eminentiam, & perfectionem suprà cæteras formas elementares producit, & conservat omnes qualitates convenientes ipsis formis elementaribus. Ulterius Theologia propter sui eminentiam simul præcontinet esse practicum, & speculativum. Rursus eadem gratia sanctificans propter sui excellentiam dat esse supernarurale in linea causæ formalis, & simul operari meritoriè; ergo à pari idem Homo propter sui eminentiam suprà cæteros viventes præstare poterit, quod præstant res distinctæ fundando nimirum realem similitudinem, & dissimilitudinem, & ipsa verificando contradictoria.

Resondeo, me hic non negare, quod una indivisibilis res propter sui excellentiam præstare possit plures operationes, vel effectus; sed solùm contendo, & nego, quod Indivisibili entitati à parte rei indistinctæ rationes oppositæ contradictoriè convenire possint, sicuti conveniunt Homini relatè ad equum, ut superiùs diximus.

Arguit quintò Illustrissimus Spinula. Si ratio entis, quæ est in Homine distingueretur ex natura rei ab aliis prædicatis, sequeretur in Homine rationem entis esse creatam, & non creatam ex natura sua; sed hoc implicat; ergo etiam id, undè sequitur. Probatur sequella majoris. Ratio illa entis esset positivè ex natura sua creata, cum esset dessendens à Deo, atquè à nihilo extracta. Ex alia parte non esset creata ex natura sua, quia illa ratio formaliter ex natura sua esset distincta ab omnibus differentiis, ergò ex natura sua non involueret esse creatum, quod est differentia entis, ergò ex natura sua non esset quid craatum, ergò daretur aliquod in Homine, quod nullo cogitante intellectu essentialirer non esset creatum.

Respondeo, hoc argumentum urgere solùm illos (si urget, quod non affirmo) qui nedum prædicamentalia, sed etiam transcendenralia distinctione media distinguunt, Inter quos præcipuè sunt Scoristæ volentes rationem entis à suis differentiis, modis intrinsecis, & passionibus formaliter distingui; at nullatenus illos, qui inter transcendentalia istam non adstruunt distinctionem, ut communiter docent Henricistæ hoc ipsis insinuante Henrico, ut suo loco ostendam. Nihilominus etiam supposita sententia Scoti respondeo, & dico rationem entis, quæ reperitur in Creatura realiter esse creatam, formaliter verò nec creatam, nec increatam, sed ab utraque præscindere, in quo nulla est repugnantia, sicuti nulla est apud Spinulam in hoc

quod

quòd animalitas ratione noſtra neque ſit rationalitas, neque irrationalitas, quamvis realiter unum, vel alterum ſit.

Obiiciunt ultimò Gradus metaphyſici cum tertio identificantur tum realiter, tum formaliter, ergo etiam inter ſe. Antecedens omoibus patet. Cooſequentia certa eſt ex illo proloquio, quæ ſunt eadem uni terrio, ſunt eadem inter ſe.

Hoc argumentum nullius roboris eſt. Inoititur enim ſupra principium, quod tanquam ſalſum reprobat in ſua Metalogica lib 8. de principiis per ſe notis Illuſtriſs. Ioannes Caramuel. Falſum inquam eſt, ſive accipiatur in ſenſu Divi Thomæ prima part. quæſt. 28. art. 3. nimirum illa eſſe idem inter ſe, quæ cum tertio ſunt idem etiam ratione, & ſolo nomine differunt; ſive juxta intelligentiam Scoti in 1. diſt. 2. quæſt. 4. docenris ſenſum ejus legitimum eſſe hunc, quæ ſunt eadem uni tertio, ſuot eadem inter ſe, non in ſe ipſis, ſed in illo tertio, ſive ut explicat Vaſquez in prima parte quæſt. 28 art. 3. diſp. 122. cap. 2. affirmans principium veritatem habere, ſi ſic expliceiur: quæ ſunt eadem uni tertio prædicatione, ſunt eadem inter ſe, etiam prædicatione; ſive tandem, ut alii explicant dicendo, quod ea, quæ ſunt eadem uni tertio intentionalirer, ſunt realiter, vel intentionaliter eadem inter ſe.

Præterea argumentum ſi vim habet, etiam adverſarios urget, cum nedum excludat diſtinctionem mediam inter gradus meraphyſicos, verùm etiam rationis ratiocinatæ; cùm hac certè diſtinctio ne gradus meraphyſici à tertio non diſtinguantur.

Quæres hic pro cumplemento quæſtionis unde digooſcantur diſtioctio realis, & formalis ex natura rei?

Reſpondeo ex pluribus capitibus unam ſecerni ab alia. Et in primis diſtinctio realis cognoſcitur ex diverſitate actionis generativæ, & corruptivæ, ita ut quæ diverſis actionibus producuntur, & corruptionibus corrumpuntur, realiter diſtingui neceſſe ſit. Hoc ſignum impugnant Fonſeca, Martinez, de Quiros hic, quia proprietates Animæ producuotur non diverſa, ſed eadem actione, qua anima producitur, & tameo realiter ab ipſa diſtinguuntur; Et relatio realiter ſtrictè diſtingoitur à ſuo fundamento, & tamen noo diverſa actione à ſuo fundamento producitur.

Sed ſi nullum aliud adeſt fundameotum hoc ſignum impugnandi, gratis reiicitur. Recta enim hujus ſigni explicatio ſolùm eſt, quòd omnia ea, quæ diverſis actionibus producuntur, realiter diſtinguantur, non verò é contra. Eſt enim plauſibilis ſententia formas materiales, & unionem per eandem produci actionem, cùm tamen formæ, & earum unio cum materia realiter diſtinguantur. Proprietates autem animæ ab ipſa nec relatio à fundamento proximo diſtinguuntur, uode ſi habent identitatem actionis, habent etiam identitatem inter ſe.

Secundò diſtioctionem realem cogooſcere poſſumus ex peculiari exiſtentia, qua donaotur res, quæ inter ſe ſe realirer diſtinguantur. Quoties enim aliqua propiium actum eſſentialem, & exiſtentialem habenr, toties diſtinctio inter ipſa eſt realis Hoc ſignum tanquam inutile reſpuit Suarez, hac rarione ductus, quia ſi exiſtentia eſt ſignum utile ad diſtinctionem realem inferendam inter duas eſſenuias, vel eſt exiſtenria, quæ ſit eadem cum eſſentia, vel quæ ſit diſtincta. Primum affirmari nequit, quia diceodo: illa diſtiogui realiter, quæ habeot diverſas exiſtentias, idem eſt, ac dicere, illa diſtingui realirer, quæ habeot diverſas entitates, quod eſt petitio principii. Hoc enim eſt, quod quærimus, videlicet unde diverſæ enritates realiter diſtinguantur. Nec ſecundum propugnari poteſt, quia ſi eſt exiſtentia re diſtincta ab eſſentia; hæc vel eſt duplex duplici eſſentiæ correſpondens, vel eſt unica? Si duplex; ergo nunquam evidens nobis erit aliqua duo realirer diſtingui, cum evidens nunquam ſit duplici exiſtentia exiſtere. Secundo quia nulla eſt maior ratio diſtinguendi eſſentias, quam exiſteotias in his, quæ modaliter diſtinguuntur. Idem enim modus diſtinctionis, qui eſt inrer eſſentias, eſſe poreſt inter exiſtentias. Si verò ſit unica, ergo diſtinguuntur illæ eſſentiæ tantùm modaliter, quia tunc ſolùm eſt realis diſtinctio, quando cum eſſentiarum diſtinctione coniuogitur etiam exiſtentiarum diſtinctio.

Sed ineptè ſuperius ſignum ob rationem hanc proſcribitur, quæ facilis eſt ſolutionis; & cùm detur optio eligendi inter exiſtentiam re diſtinctam, & non diſtinctam ab eſſentia, eligo eſſentiam re indiſtinctam defendere, qua ſtante non ſequitur petitio principii, quia adhuc intervenit diſtinctio formalis ex natora rei inter eſſentiam, & exiſtentiam, vi cujus ſeoſus huius propoſitioois: res illæ ſuot diſtinctæ realiter, quæ habent diverſas exiſtentias, erit res, ideò diſtinguuotur realiter, quia pluribus entitatibus correſpondent plures exiſtentiæ ſecum identificatæ realiter, non verò formaliter.

Tertium ſignum diſtinctionis realis eſt ſeparabilitas. Ea enim, quæ ſeparabilia ſunt, diſtinguuntur realiter ſtrictè, ut optimè etiam advertit Auguſtinus 6. de Trinitate cap. 6. vbi cùm dixiſſet, quòd in unoquoque corpore, aliud eſt magnitudo, aliud color, aliud figura, hæc habet: *poteſt enim, & diminuta magnitudine manere idem color*, & eadem figura noo manente, quod etiam refert Philoſophus 7. Topicorum cap 1. illis verbis *amplius ſi poteſt alterum ſine altero eſſe, non erit idem*.

Signum hoc, quamvis Auguſtini auctoritate firmatum ſit, reprobant quamplures Patres Societatis, præcipue tamen de Quiros, & Martinez hic Plura enim diſtincta realiter ſunt, quæ tamen ſeparabilia oon ſunt, ut patet primo in duabus unionibus, quarum una Animam corpori uniat, altera vero corpus Animæ. Hæ ſiquidem ita ſe habent, ut nec per Divinam omnipotentiam ſeparari poſſiot, cùm tamen diſtinguantur. Secundò verò in ſententia diſtinguente potentias ab Anima, voluntas non poteſt eſſe abſque anima, cùm tamen ab ipſa realiter diſtinguatur, & divinæ perſonæ ſuot realiter diſtinctæ, licèt inſeparabiles ſint.

Sed ineptè repobatur teſſera hæc realis diſtinctionis. Non eoim ſuſtinere hìc volumus illa omnia, quæ realiter propriè diſtinguuntur, ſeparabilitatem præſeferre, ſed ſolùm volumus ea, quæ ſeparabilia ſunt realiter diſtingui.

Quartum tandem, & ultimum diſtinctionis realis ſignum eſt ratio producentis, & producti. Veritas hujus ſigni ex eo deducitur, quod nihil ſolidi in oppoſitum afferant adverſarii Quod enim objicit Martinez, nimirum plura realiter diſtingui, quæ tamen rationem producentis, & producti non habent, ut patet inter Angelum, & Hominem; vel quod objicit Suarez videlicet ſignum hoc ſolùm aptum eſſe ad inferendam realem diſtinctionem abſtrahentem à reali, & modali, veritate caret. Primum quidem, quia ex Scoti ſententia penitus igoorata procedit; intelligi enim debet

signum hoc eodem sensu, quo supra tertium explicavi. Secundum verò, quia communis sententia ponit, & concedit distinctionem propriè realem inferri inter realiter producens, & productum.

Post hæc accedunt distinctionis formalis signa, quæ pariter quatuor sunt. Primum est Henrici ab ipso relatum in Summa art. 27. quæst. 1. nu. 24. his verbis expressum: *Quædam verò differunt intentione, ut diversæ differentiæ unius speciei, quæ in eodem separari non possunt, quia caduut in idipsum re, ut vegetativum, & sensitivum in Bruto, sed in diversis possunt separari, secundùm quod in plantis est vegetativum sine sensitivo, & in Brutis sensitivum sine rationali.*

Secundum verò desumitur ex diversitate definitionum, dummodò adæquatè sint, & essentiales, unde asserit Doctor in Summa art. 27. quæst. 1. illa differre intentione quæcumque formant de se diversos conceptus.

Tertium signum est reduplicationis. Quando enim aliquod convenit alicui à parte rei, vel independenter à consideratione intellectus secundùm unam rationem, quod non convenit secundùm aliam, tunc tales rationes formaliter ex natura rei distinguuntur. Hoc signum Mastrio displicet, quia de facto, inquit, sunt aliqua prædicata, quæ conveniunt alicui secundùm unam rationem, quæ tamen convenire nequeunt secundùm aliam, quin tales rationes nullatenus inter se distinguantur formaliter ex natura rei, v. gr. paries est disgregativus visus, quatenus est albus, non quatenus est quantus, & tamen hæ diversæ reduplicationes non inferunt distinctionem mediam. Sed

Nihilominus dico legitimum esse signum distinctionis formalis ex natura rei, si eius sensus sit, quod unum prædicatum metaphysicum non possit convenire alicui, secundùm unam formalitatem metaphysicam, quod non convenit secundùm aliam, quin tales formalitates ex natura rei distinguantur.

Quartum tandem signum est contradictionis, nimirum, quando à parte rei alicui conveniunt prædicata contradictoria, tunc rationes, ob quas hæc conveniunt, formaliter ex natura rei distingui debent, dummodò contradictio non tangat esse physicum, sed solùm metaphysicum.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum detur distinctio formalis ex natura rei inter prædicata divina.*

### CAPUT PRIMUM.

*Relatis quamplurimis sententiis in hac difficultate resolvitur difficultas negativè.*

IN hac præsenti difficultate. Prima sententia est Scoti propugnantis in divinis distinctionem mediam superius explicatam, quinimò hanc posuit principaliter ad quædam salvanda in divinis, quæ difficultet absque ipsa intelligi possunt. Hanc autem propugnat *in* 1. *dist.* 2 *quæst.* 3 § *sed hic*, ubi hæc lego *dico sine assertione, & præjuditio sententiæ melioris, quod ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, ut essentia habeat aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati*, quam distinctionem sustinet appellari etiam posse nomine distinctionis rationis, *sumpta ratione pro quidditate, & definitione, non verò pro differentia, seu distinctione formata ab intellectu.* Ex quibus manifestè colligitur distinctionem à Scoto positam non esse ejusdem rationis cum distinctione rationis ratiocinatæ, atque adeò nonnisi inutiliter defatigari eos, qui in hac re conciliare conantur Scotum cum Divo Thoma, uti studuerunt Saias ex Thomistis, Soarius, Hurtado ex Societate, & ex Scotistis Herrera, ut optimè advertit Izquierdo. Hanc primam sententiam sequuntur omnes Scotistæ, quos referunt Aguirre, Godoy, & Izquierdo.

Secunda sententia docet distingui sola distinctione rationis ratiocinatæ, & virtuali sumpta pro fundamentali rationis. Hanc esse Divi Thomæ propugnant Petrus de Godoy *disp.* 5. *tract.* 2 *disp.* 3. §. 1. de Deo uno, cui adhærent Capreolus, Ferrara, Cajetanus, Bannez, Zumel, Zanardus, Ripa Salmanticenses, Magister à Sancto Thoma, Serra Aravio, & ex Societate Valentia, Suarez, Vasquez, Granadus, Alarcon, Zuitzius de Montoya, Amicus, Izquierdo, Quiros, Esparza, aliique, quos refert, & sequitur Cardinalis de Aguirre in opuscul. S. Anselmi *tract.* 3. *cap.* 14. *disp.* 25. *sect.* 2. Quid autem sit hæc distinctio virtualis, quam Thomistæ ponunt, non una est apud ipsos explicatio, ut optimè idem Illustriss. Petrus de Godoy *disp.* 7. de divinis relationibus *tom* 3. in primam partem Divi Thomæ refert. Aliqui enim volunt, quòd sit fundamentum, quod habet intellectus, ut formet distinctionem rationis, quod quidem fundamentum datur in Divina essentia, quatenus ob suam infinitatem exercet munia absolutæ, & relativæ entitatis. Hunc dicendi modum sequitur Godoy. Alii verò docent, quòd sit quædam eminens virtus sub unica realitate complectens perfectiones plurium, ac distinctarum entitatum; in quo sensu homo est virtualiter multiplex, quia in se complectitur intellectualitatem angelicam, & sensualitatem brutorum. Alii verò dicunt, quòd sit capacitas verificandi sine contradictione prædicata aliàs contradictoria, quæ beneficio distinctionis virtualis verificentur, & hoc, quia ratione istius forma divinitatis habet æquivalere, & absoluto, & relativo, aliisque diversis lineis increatis, unde distrahuntur illa prædicata, ne verificentur de eodem secundùm idem.

Tertia sententia docet distingui distinctione virtuali intrinseca, quæ neque est realis formalis, neque fundamentalis rationis, sed est virtualis, vel quia æquivalet distinctioni reali in creaturis, vel quia una, & eadem formalitas ita exercet diversa munera, ac si haberet formalem, aut entitativam diversitatem, vel tandem, quia convenit illi constitutivum distinctionis realis in creaturis, scilicet fundare veritatem contradictionis. Hanc propugnat Molina *quæst.* 28. *art.* 2. *disp.* 2 Ægidius de Præsentatione *tom.* 1. de Beatitudine *lib.* 5. *quæst.* 6. *art.* 7 Valentia *prima parte disp.* 1. *quæst.* 13. *puncto* 3. Hurtado *in metaph. disp.* 6. *sect.* 3. Hericè 1. *parte disp.* 12. Arriaga *disp* 42.

Ultima sententia docet distingui solùm ratione ratiocinantis. Ista Ochamus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Gabriel *quæst.* 2. *art.* 1. Gregorius *dist.* 8. *quæst* 2. *art.* 1. Major *quæst.* 1. *concl.* 2. Aliacensis *quæst.* 6. *art.* 2 Aureolus aliique. His positis.

Sententia, quæ hic impugnanda est, illa est, quam Scotus propugnat. Et primò ex pluribus Conciliis manifestè excludi posse quampluries hic advertunt Auctores, ex quibus aliqui non desunt, qui volunt fuisse proscriptam in Concilio Rhemensi ab Eugenio III. adversus Gilbertum Porretanum

Epis-

Epiſcopum Pictavienſem, qui diſtinctionem realem inter divinam eſſentiam, & relationes admittebat, ut fidem faciunt Divus Bernardus *ſerm* 80. in Cantica, occultatus Teſtis dogmatum Gilberti, ejuſdemque acerrimus impugnator in Concilio Rhemenſi, Otho Frigenſis *lib.* 1. de Geſtis Federici Imperatoris. Colligunt autem hoc iſti, quia Gilbertus volebat diſtingui prædicata divina non abſtractione Mathematica, ſed Theologica conſideratione, quod idem eſt, ac dicere, nedum ex parte modi concipiendi, verùm etiam ex parte objecti, ex quibus ſic arguunt. Gilberti ſententia erat relationes, & eſſentiam diſtingui ſecundùm Theologicam conſiderationem, prout hæc contra ponitur diſtinctioni ſecundùm abſtractionem Mathematicam; ſed hæc nedum eſt realis, ſed etiam formalis ex natura rei: hæc enim quoque contraponitur diſtinctioni, quæ ſit ſolius mentalis præciſionis; ergo Scoti ſententia proſcripta eſt cum ea Gilberti: Eo, vel maximè, quòd data ſententia Scoti, in ſenſu nominativi dici non poſſet *Pater eſt deitas*, ſed ſolùm *Pater deitate eſt Deus*, in ſenſu ablativi, ut Gilbertus contendebat. Sed

Quamvis ex hoc Concilio arguant quamplures Theologi non mediocris nominis contra Scoti ſententiam, & præcipue Vaſquezius *diſp.* 120. *cap.* 1. Eminen. Cardinalis Joſeph Saenz de Aguirre in opuſcul. S. Anſelmi *tract.* 3. *cap.* 14 *diſp.* 25. *ſect.* 4. Sebaſtianus Izquierdo *diſp.* 13. *de identitate & diſt quæſt.* 5. ab hoc tamen ego ſuperſedeo. Nolo enim hic gravi cenſura notare ſententiam, quam Theologi præſtantiſſimi propugnant, quamvis à quamplurimis Patribus Societatis, uti à Molina, Valentia, Arubal, Alarcon, ut parum in fide tuta habeatur, ut optimè etiam advertunt hic Godoy, & Izquierdo locis ſuperius allegatis. Ad mentis oculos enim habeo decretum illud Sanctiſſimi Innocentii XI. ſibi reſervantis omnem cenſuram quarumlibet opinionum inter Catholicos controverſarum. Indecens enim eſt cenſuris afficere Scoti ſententiam, maximè, cùm hic hanc propugnet abſque præjudicio ſententiæ melioris.

Aliter itaq; aſſertum ſuadeo, & primò videtur Implicitè excludi à Lateranenſi Sinodo ſub Innocentio III. *cap.* 2. illis verbis *Cum ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpotè ſimplex omninò* Ex quibus primò ſic arguere placet. Ex Concilio Deus dicitur ſummè unus; ſed talis non eſſet, ſi ex parte objecti prædicata divina diſtinguantur; ergo. Probatur minor; ſummæ reali unitati opponitur omnis diſtinctio realis; ergo ſi ſummè unus eſt, excludit omnem realem diſtinctionem Secundò tunc unitas divinæ ſubſtantiæ non eſſet ſumma ſuppoſita diſtinctione formali, quando alia eſſet excogitabilis major; atqui excogitabilis eſt, videlicet illa, qua res ita una eſt, ut neget omnem diſtinctionem tum realem, tum formalem; ergo.

Et confirmatur, ideo volunt Scotiſtæ unitatem genericam, & ſpecificam non eſſe ſummam unitatem, quia adeſt numerica majorem dicens indiviſionem; ergo etiam unitas ſubſtantiæ divinæ non erit ſumma, quia concipi poſſet ſubſtantia Magis una. quia Magis indiſtincta

Dices eſſentiam, relationes, & attributa unum eſſe, penes identitatem realem, vel entitativam. Sed

Contra eſt. Unitas enim, quæ attenditur ſolùm per excluſionem cujuſcumque diſtinctionis realis, non verò per excluſionem cujuſcumque diſtinctionis objectivæ, quocumque nomine nuncupetur, non eſt ſumma. Patet hoc primò quia eſſet unitas ſumma ſolùm in linea reali, non verò in omni linea; adeoque ſimpliciter, & abſolutè non eſſet ſumma, ſed ſolùm ſecundùm quid, quemadmodum quia meritum Chriſti infinitum eſt ſolùm attenta dignitate Perſonæ, non verò attentis aliis ejuſdem meriti cumprincipiis vult Maſtrius meritum eſſe ſolùm infinitum ſecundum quid; atqui ſubſtantia divina omnino una eſt; ergo Secundò, quia ſi prædicata divina facerent compoſitionem formalem ex natura rei, ſubſtantia divina non eſſet omnino ſimplex, & hoc quia admitteret aliquam compoſitionem, unde Scotiſtæ, quamvis divina prædicata intrinſecè diſtinguant, nolunt tamen quòd faciant compoſitionem, ut infra videbimus; ergo à pari ex diſtinctione intrinſeca ipſorum prædicatorum infertur, quòd ſubſtantia Dei non eſſet omnino una. Probatur conſequentia: ſicuti compoſitio opponitur ſimplicitati, ita diviſio unitati; ſed omnis compoſitio intrinſeca ſummæ ſimplicitati opponitur; ergo etiam omnis diviſio intrinſeca ſummæ unitati.

Secundò Scoti ſententia videtur proſcribi poſſe ex hoc alio Concilii vocabulo *ſimplex omnino*, ſiquidem ubi eſt aliqua compoſitio intrinſeca non eſt ſumma ſimplicitas; ſed in Scoti ſententia adeſſet intrinſeca compoſitio. Patet hoc, quia; ut optimè advertit hic Eminentiſſimus Cardinalis Joſeph Saenz de Aguirre, compoſitio nihil aliud eſt, quàm plurium diſtinctorum unio ad conſtituendum aliquod tertium. Relationes autem ſi eſſent ex natura rei diſtinctæ unirentur verè & propriè cùm eſſentia ad conſtituendum aliquod tertium, videlicet Perſonam quæ ex natura, & relatione conſtituitur; ergo inter eſſentiam, & relationes dabitur vera compoſitio.

Huic argumento non unica eſt ſolutio prima eſt eſſentiam, & relationes identificari realiter, adeoque impoſſibilem eſſe compoſitionem. Secunda eſt veram compoſitionem eſſe ex extremis finitis, qualia non ſunt divina prædicata. Tertia eſt compoſitionem eſſe ex potentia, & actu, ſicuti ex materia, & forma in phyſicis, animalitate, & rationalitate in metaphyſicis Sic autem certè non eſt compoſitio divinorum prædicatorum. Sed

Contra eſt. Prima enim ſolutio non tenet, quia identitas entitativa excludit utique compoſitionem entitativam, ſed non excludit compoſitionem formalem, ſicuti non excludit diſtinctionem formalem, ſed ubi eſt compoſitio formalis, non eſt ſumma compoſitio, eſt enim alia major excogitabilis; ergo. Secunda verò non urget, quia admiſſa hac media diſtinctione jam divina prædicata eſſent finita, cùm non præſeferent, quà diſtincta aliorum perfectionem, eo vel maximè, quòd eſſentia, ut diſtincta objectivè à relatione Paternitatis non eſt completa in ratione Perſonæ, ſicuti nec Paternitas, ut diſtincta ab eſſentia; ergo jam eſſent extrema incompleta; ergo finita; ergo ex iſtis reſultaret compoſitio, maximè cum ex hac diſtinctione eſſentia haberet rationem determinabilis, & relatio rationem determinativi. Admiſſa enim diſtinctione Scoti eſſentia de ſe non eſſet formaliter ex natura rei Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, ſed determinaretur ad eſſe Patris per Paternitatem; ergo eſſentia haberet rationem determinabilis.

Tertia verò ſolutio non eſt omnino efficax, vel quia ad veram compoſitionem, non requiritur, quòd hæc ſit ex potentia, & actu, vel quia hæc adeſſet

ſemel

semel posita distinctione media. Primum patet, quia ut optimè advertit Godoy ex subsistentia verbi & humana natura componitur Christus, cùm tamen subsistentia cum natura humana non comparetur ut potentia, vel, ut actus, sed ut purus terminus. Secundum verò manifestum est, quia hæc compositio in Deo optime adesset. Primò, quia unio in Deo ex ratione entis, ut sic, & ipsa asseitate esset compositio ex ratione potentiali, & differentiali. Secundò quia ex positione distinctionis mediæ inter essentiam, & attributa infallibiliter sequitur, quod essentia sit in potentia reali formali, sicuti si distingueretur realiter entitativè ab ipsis esset in potentia reali entitativa.

Quòd si dicas adhuc essentiam non fore in potentia reali formali ob identitatem realem cum attributis, vi cujus sit, quod sit actus purissimus, & infinita simpliciter, adeoque excludat omnem potentialitatem.

Contra est, quia ut hìc optimè advertit Petrus de Godoy ex identitate entitativa essentiæ cum attributis, & cum distinctione reali formali, sequitur solùm in essentia infinitas per essentiam entitativa, non formalis; ergo semper in sensu formali erit in potentia formali; ergo unio essentiæ, & attributorum erit compositio ex potentia reali formali, & actu formali; ergo erit vera compositio summæ simplicitatis exclusiva.

Respondet ulterius Pontius explicando, quo sensu Deus dicatur summè simplex. Docet itaque Deum esse summè simplicem solùm per negationem compositionis arguentis in Deo imperfectionem, non vero per negationem cujuslibet compositionis, etiam non inferentis imperfectionem; hæc enim de facto reperitur in Christo, in quo duæ naturæ componuntur. Quod totum etiam adversa pars fateri debet, siquidem semel admissa distinctione rationis, vel virtuali inter divina prædicata, jam ipsa non tantam haberent simplicitatem, quantam habetent, si non dicerent talem distinctionem, si verum sit, quòd unio distinctorum læsiva sit simplicitatis. Tantùm enim illa unio dicit imperfectionem, quæ dependet in esse realis existentiæ à causa extrinseca, qualis certè est identitas animalitatis cùm rationalitate, quæ quamvis ad realem existentiam dependet à causa efficienti extrinseca, quam dependentiam cùm non dicat unio per identitatem divinarum perfectionum, hinc est, quòd ipsa non præsefert imperfectionem; Sed

Contra est. Compositio enim opponitur summæ simplicitati præcisè quà compositio est, non quà dependens; quà enim dependens solùm habet opponi Deo, qua Deus est à se; atqui independentia compositionis in esse ab altero, tamquam à causa efficiente extrinseca non tollit, quin vera sit compositio, seu unio plurium distinctorum; ergo solutio hæc Pontii non subsistit.

Ad id verò, quod addit hic auctor, nimirum distinctionem rationis læsivam esse simplicitatis, ut fiat satis, adverto cum doctore, quòd unitas plurium ratione nostra, aut est unitas plurium ejusdem rationis, aut diversæ. Si unitas primo modo sit, verum est, quòd major est unitas, ubi nulla est omnino multitudo ejusdem rationis, quàm illa, in qua sit, quapropter in divina essentia non est talis multitudo, in ipsa enim sapientia non sunt plures sapientiæ. Secundò verò modo falsa est propositio, quia potius, quando simplicitas crescit, augeti quoque debet, & ipsa plurium diversæ rationis unio, quod totum patet in ipsa creatura, quæ quanto superior est, & simplicior, tanto est plurium rationum virtualium, & operationum causa, ut patet in homine, qui sua forma vegetat, sentit, & intelligit, & quod Brutum cognoscit pluribus potentiis sensitivis, homo cognoscit una potentia intellectiva.

Tertiò suaderi potest Conclusio ex Concilio Florentino, quod in pluribus sessionibus, & præcipuè 15. videtur hanc proscribere distinctionē mediam. Verba Concilii, ob quæ hoc opinor hæc sunt: *Relatio est eadem re cum natura, solùm verò secundùm modum intellectionis nostræ differt nō re, sed sola ratione paterna hypostasis à substantia sejungitur* Ex quibus verbis sic arguo. Concilium hìc statuit solam distinctionem rationis inter relationes, & attributa. Particula enim solùm est exclusiva, unde sicuti dicere *solus Petrus loquitur*, idem est, ac dicere *Petrus loquitur, & nullus alter loquitur*, ita dicere *relationes divinæ sola ratione distinguuntur ab essentia*, idem est, ac dicere, *per intellectum distinguuntur, & nulla alia distinctione distingui possunt*; sed hoc asserit Concilium; ergo. Quod adeo verum est, ut Concilium hoc ex Patribus definivisse constet, qui solam distinctionem rationis ponunt, ut faciliùs, & expeditius divinam tueantur simplicitatem. Plures enim ex his eruditè refert Izquierdo loco superius allegato, & præcipuè Damascenum *lib. 1. de Fide cap 11* qui loquens de Essentia Dei, ait *quod in ea dictum est cogitatione sola distinguitur*; & Augustinus *in quæstiunculis de Trinitate* loquens de divinis attributis hæc habet: *& non solùm hæc inter se eadem sunt in Deo sed non aliud sunt, quam ipse Deus*. Modò divina prædicata, vel sunt cum essentia idem solùm realiter, vel etiam formaliter. Si hoc secundum dicunt, jam concedunt, quod volumus. Si primum contra est, quia identitas sola realis attributorum cum essentia non est Privilegium Divinitatis, cùm etiam in creatis reperiatur inter essentiam, & existentiam; ergo dicendum est Patres perfectiorem, & strictiorem posuisse identitatem, adeoque etiam formalem.

Ultimò tandem reiicitur hæc distinctio media. Si dentur in Deo contradictoria realia, & non solùm formalia ad illa saluanda insufficiens est sola distinctio formalis; atqui res ita se habet; ergo. Major certa est, siquidem distinctio proportionari debet contradictioni; ergo si contradictio sit realis, ad hanc tollendam erit insufficiens distinctio formalis. Probatur itaque minor, quia, ut etiam advertit Petrus de Godoy, Paternitas in sensu reali communicatur per communicationem essentiæ, quamvis non communicetur in sensu formali; datur etiam non communicari in eodem sensu reali, nam essentia non est tota Trinitas communicata, aliàs Filius cui Trinitas communicaretur esset Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ergo in divinis dantur Contradictoria realia.

Dices primò distinctionem formalem sufficere in divinis ad tollendam realem contradictionem. Secundò in divinis non adesse realem contradictionem, quia communicari, & non communicari sunt solùm contradictoria formalia, quæ respiciunt vel sic esse, vel sic non esse, non verò esse, & non esse rei simpliciter. Sed

Contra est. Prima enim solutio insubsistens est, quia si contradictio realis tolli potest per distinctionem minorem, qualis est media, non est cur tolli etiam non possit per distinctionem rationis. Patet hoc, quia si tolleretur talis contradictio per distinctionem mediam, jam non esset amplius inconcus-

sa

sa hæc Scoti propositio: *distinctio esse debet proportionata contradictioni*.

Secunda etiam ruit, quia negari nequit prædicata contradictoria, quæ conveniunt essentiæ, & relationi esse contradictoria realia, cùm conueniant essentiæ, & relationi in sensu reali, & ideotico.

## CAPUT SECUNDUM.

*Soluuntur objectiones*.

Obiiciunt primò adversarii Patrum auctoritatibus, & primò ex Damasceno lib. 1 Fidei cap. 13. hæc habet: *ingenitum, & genitum, & processibile non substantiæ sunt significatiua, sed ejus, quæ ad inuicem, & habitudinis, & existentiæ modi*. Secundò ex Anselmo lib. de Incarnatione Verbi cap. 2. hæc habet, *aliud esse, esse Patrem, aliud esse Deum*, & Augustinus Epistola 102. habet: *Legitur quidem Spiritus Sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex; multiplex, quoniam multa sunt, quæ habet simplex autem quoniā non aliud, quàm quod habet, est* Ex quibus verbis sic arguunt Ex Patribus relationes aliud sunt ab essentia; sed hæc alieras nequit esse realis, ut optimè Ecclesia definivit contra Gilbertum; neque modalis ut propugnat Durandus; ergo erit formalis ex natura rei. Sed

Hoc argumentum parui roboris est, cum expressè Patres alietatem hanc tradant esse solùm rationis, & præcipuè Damascenus eodem loco allegato, ubi explicans alietarem istam habet: *Secundùm omnia unum sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus præter (si ita dicamus) ingenitam, genitam, & processionem, ratione autem, & intelligentia hoc distinctum* Nec pariter officit Augustini oraculum, quod Scotistæ afferre, solent, & præcipuè *ex* 7 de Trinitate *cap*. 5 ubi docet, *quod non eo Pater, quo Deus, nec eo Deus, quo Pater*, Siquidem explicari potest Augustinus dicendo: Ipsum solùm velle, Patrem non constitui Patrem per divinam essentiam essentialiter acceptam, non verò per essentiam personaliter, & realiter acceptam, in quo sensu Augustinus nobis non opponitur.

Secundò arguunt, & præcipuè. Impossibile est, quòd eidem rei non includenti aliqua prædicata distincta possint actu convenire prædicata contradictoria; sed si nulla esset à parte rei distinctio inter Paternitatem, & essentiam, eidem rei à parte rei non includenti prædicata distincta convenirent prædicata contradictoria, ut communicari actu, & non communicari actu, distingui realiter, & non distingui realiter; ergo

Hoc est potissimum Scoti argumentum, cujus, cùm non unica sit solutio, præcipuas referre liber; & primò Illustrissimus Petrus de Godoy loco allegato docet omnem contradictionem tolli per solam distinctionem rationis ratiocinatæ Sed immeritò, quia cùm contradictio realis sit, circumscripto enim omni actu Intellectus recensita contradictoria verificantur, etiam distinctio objectiva esse debet, ne de eodem contradictoria verificentur. Nec obstat quod addit, ut hanc enervet instantiam contradictionem objectiuam tolli per distinctionem rationis fundamentaliter acceptam, sic enim accepta, cùm non dependeat ab Intellectu (dependet enim in hujus auctoris sententia ab Intellectu solùm, ut formaliter existens) hinc sufficit, ut prædicata contradictoria saluentur. Non inquam obstat, quia inquirendi locus semper remanet ab hoc doctissimo Thomista, an hæc distinctio fundamentalis tollat aliquam identitatem objectivam, nec ne? si primum jam Scotistæ habent, quod optant. Si secundum, jam remanet contradictio, eo vel maximè, quòd distinctio rationis fundamentalis est præcisè fundamentum ad distinctionem rationis absque ulla distinctione reali, vel formali, cùm tamen contradictio realis sit, vel formalis ex natura rei; unde mirum non est quòd hæc solutio quam Vasquez, ejusque discipulus Alarcon cum Ruitzio de Montoya sequuntur, quamplurimis non arrideat, & quia, ut optimè docet Izquierdo loco allegato num. 16 t. contradictoria enunciantur non solùm in sensu formali, vel rationis, sed etiam reali.

Aliorum vero solutio est contradictionem tolli per distinctionem virtualem intrinsecam, ratione cujus, sicuti etiam ratione summæ perfectionis divinæ convenire possunt prædicata contradictoria. Prædicata enim æquivalenter, vel virtualiter distincta idem præstant ob suam emioentiam, ac si formaliter essent distincta. Sed etiam hæc solutio, quam propugnat hic Cardinalis de Aguirre, existimans ex eadem æquiualentia supereminenti pariter oriri, quod Christi humanitati communicata fuerit Personalitas Verbi, quia communicata sint nonnulla attributa, quamuis re indistincta à Personalitate Verbi, non est sufficiens ad intentum, & primò, quia per hoc, quod detur hæc distinctio virtualis intrinseca sic explicata non tollitur, quin essentia, relationes & attributa formaliter, & realiter sint prorsus idem; atqui contradictio realis est; ergo hæc distinctio virtualis non tollit contradictionem. Uno verbo ideo sola distinctio rationis non tollit contradictionem, quia distinctio non est in eo signo, in quo est contradictio; contradictio enim realis est, distinctio verò rationis; sed etiam distinctio virtualis est, & contradictio realis; ergo. Secundò quia esto verum sit, quòd divina essentia possit æquiualere pluribus lineis rerum, quæ licèt dispersæ sint in creatis, adunatæ tamen sint in suprema entitate divinitatis verum tamen non est, quòd hæc æquiualentia se extendere possit ad verificandum de una, & eadem entitate esse, & non esse, seu prædicata aliàs contradictoria, in quo sensu solùm solutionem hanc impugnat noster Illustrissimus Lodgerius in suo Tractatu de Trinitate: Eo vel maximè quòd hæc virtualis distinctio relinquit Mysterium Sanctissimæ Trinitatis sub eadem difficultate, sub qua exhibetur tali distinctione seclusa; ergo inutiliter à suis defensoribus inuenta est in hunc finem. Antecedens probatur. Summa difficultatis stat in hoc, quomodo stet, quòd prædicata aliàs contradictoria conueniant sine contradictione eidem indiuisibili rei, sed hæc dificultas non explicat, quomodo hoc contingat per distinctionem virtualem prædicatam. Per hanc enim nihil aliud dicitur, quàm quòd entitas simplicissima habeat capacitatem dirimendi prædicata contradictoria absque ulla contradictione, quo non obstante difficultas non enodatur, cùm hæc sit in modo quo hoc contingat, aut contingere possit, qui certè nullatenus explicatur, ergo summa difficultas hujus Mysterii nullatenus tollitur. Præterea, quia si eadem simplicissima entitas potest simul communicari, & non communicari propter sui eminentiam, non est cur etiam verificari non possit, quod idem simul sit Principium producens, & terminus productus Patet hoc quia major est oppositio inter communicari, & non communicari, quàm inter producere, & produci, siquidem prima est contradictoria, & quidem contradictione independente ab opere Intellectus, hæc verò est relativa. Quod certè penitus falsum est, aliàs nullum superesset medium

G ad

ad probandum inter Personas divinas dari distinctionem realem.

Tertia solutio illorum est, qui nullam admittentes distinctionem inter essentiam, & relationes docent contradictoria in divinis posse optimè verificari, quamvis in creatis hoc evenire non possit ob creaturæ limitationem. Sed hæc solutio inefficax est. Ratio est, quia veritas Fidei, & Philosophica inter se non pugnant, quinimmò concordant; atqui si contradictoria in divinis verificari possent absque ulla interveniente distinctione, jam veritas Theologica opponeretur veritati Philosophicæ; ergo. Pater minor, quia lumen naturalis rationis dictat contradictoria non posse de eodem secundùm idem verificari; ex alia parte in adversariorum sententia veritas fidei admittit prædicata contradictoria de eodem secundùm idem verificari; ergo.

Ut itaque argumento fiat satis, inquiro ab arguente, cum dicit: *Essentia communicatur*, de quanam communicatione sermo sit, an de communicatione personali, vi cujus confunduntur Personæ in unam personam, vel solùm de communicatione essentiali, vi cujus Personæ sunt unus Deus? Non primum, quia sic revera destrueretur mysterium Trinitatis, nec ullus catholicorum dicet. Communicatur ergo essentialiter, hoc est communicatione constituente tres Personas divinas unum Deum, in quo sensu etiam quælibet Persona communicatur cum altera secundùm se totam, videlicet communicatione per identitatem essentialem. Hæc autem doctrina, cùm vera sit, ubi sunt, quæso, illa contradictoria, quæ de essentia, & Paternitate verificantur, & propter quæ distinctionem hanc mediam excogitaverat Scotus? In forma itaque distinguenda est minor ex data doctrina.

Arguunt tertiò Scotistæ. Essentia, & Relationes diversis definiuntur definitionibus; ergo distinctione formali ex natura rei distinguuntur. Consequentia liquet ex superius dictis. Antecedens verò certum est; relatio enim, nec est definitio essentiæ, neque ingreditur illius definitionem, & similiter natura divina non est definitio relationis. Secundò, quia relatio ut sic, & essentia ut sic, diversas habent definitiones adæquatas; ergo etiam relationes divinæ, & essentia divina. Pater hæc consequentia, quia quæ sunt de essentia relationis, & essentiæ ut sic, reperiuntur in qualibet essentia; sicuti quia esse *ab* est de essentia actionis ut sic, esse *ab*, esse etiam de essentia operationum divinarum dicimus.

Hoc argumentum, quod in se facilis est solutionis, difficilis redditur propter inchoerentiam doctrinæ, quæ primo intuitu se se offerre videtur. Superius enim diximus gradus metaphysicos prædicamentales distingui formaliter ex natura rei propter diversitatem definitionum, quæ diversitas, cùm etiam hic reluceat, relucere deberet etiam eadem distinctio, eo vel maximè, quòd non adest potior ratio, cur definitiones, quæ communiter assignantur inter eosdem gradus, sint adæquatæ, inadæquatæ verò inter essentiam divinam, & relationes, unde non immeritò Eminentiss. Cardinalis de Aguirre loco relato *num.* 14. docet Fonsecam, Conimbricenses, Ægidium à Præsentatione, Arauxo Thomistam, aliosque propugnantes distinctionem mediam in creatis inchoærenter loqui dubitari posse. Sed nihilominus, ut cohærentia propugnem existimo priores adæquatas esse, quia cùm prædicata creata finita sint, & limitata suam objectivè dicunt essentiam, non includendo illam aliorum, adeoque locum relinquunt, ut de ipsis efformari possint diversæ adæquatæ definitiones: at verò in divinis prædicata illimitata sunt, unde non solùm suum esse afferunt, sed etiam aliorum, & si contingit aliquando diversis definiri definitionibus, hoc evenit ex præcisione, aut distinctione rationis à cæteris prædicatis divinis, cum quibus unum, & idem re ipsa sunt; quæ diversitas certè non arguit distinctionem mediam, vel formalem ex natura rei. Scientia enim Dei diversis definitionibus definitur, prout est scientia simplicis intelligentiæ, ac prout est scientia visionis, & Personalitas divina, & divina relatio diversis definitionibus definiuntur, ut optimè advertit Godoy. Persona enim divina dicitur ad se, relatio verò ad aliud, unde Pater non dicitur Persona Filii, dicitur autem Pater Filii, & tamen Personalitas divina ex natura rei à relatione non distinguitur, nisi dicere velimus, quòd Personæ divinæ constituantur per aliquod absolutum, quod negant Scotistæ. Alias instantias vide apud Aguirre.

Quartum argumentum procedit, quia salvari debet veritas istarum propositionum. *Deus intellectu intelligit non vult; voluntate vult, non intelligit; Misericordia miseretur non punit, & è contra justitia punit non miseretur; Verbum procedit per intellectum non per voluntatem; Spiritus Sanctus verò per voluntatem, non per intellectum; Essentia divina est objectum motivum divini intellectus, non verò relationes, & attributa; Intellectio Dei eius volitionem præcedit, non volitio intellectum; Justitia, ut justitia non est sapientia*, & viceversa, *Deus in quantùm æternus non operatur, sed in quantùm omnipotens; neque in quantùm verus amatur, sed in quantùm bonus;* Ultimò tandem, *quia plus distinguitur sapientia à justitia, quàm sapiens à sapientia;* Sed hæc secunda distinguuntur ratione; ergo priora attributa formaliter distingui possunt.

Respondeo hæc omnia posse verificari etiam dempta distinctione formali ex natura rei inter prædicata divina, sicuti absque eadem in schola Scoti verificatur, quòd scientia Dei qua simplicis intelligentiæ non attingat futura, qua scientia verò visionis possibilia, & quod idem intellectus, qua apprehensivus non sit judicativus, & qua judicativus non sit apprehensivus. Ratio verò totius est, quia allatæ propositiones præseferunt sensum formalem, ad cujus veritatem sufficit distinctio rationis inter divina prædicata, sicuti sufficere docemus nos egressum ratione nostra intellectionis ab intellectu divino ad hoc, ut cum proprietate intellectus verè sit potentia realiter intellectiva. Ultimum verò, quod affertur non urget, quia ut optimè hic advertit Izquierdo estò sapientia à justitia, & sapiens à sapientia sola ratione distinguantur, tamen diversimodè hoc contingit. Priora enim distinctione adæquata distinguuntur, posteriora verò inadæquata, vel tamquam includentis ab incluso.

Arguunt ultimò: si Personalitates essent penitus idem cum tertio, videlicet cum essentia, deberent etiam esse inter se; atqui ex fide constat, quòd inter se distinguuntur; ergo etiam à tertio, vel ab ipsa divina essentia.

Hujus argumenti apud Auctores non una est solutio. Sebastianus Izquierdo, nedum ex sua societate, verum etiam ex aliorum schola plures refert solutiones, quasdam approbando, alias reprobando. Non vacat has referre; videri enim possunt apud eumdem non minus subtiliter, quàm eruditè relatæ. His itaque omissis, plausibilis solutio est, axio-

axioma relatum veritatem habere solùm inter ea, quæ cum tertio idem sunt nedum realiter, & formaliter, verùm etiam virtualiter; non verò, quæ ita cum tertio idem sunt, ut virtualiter ab illo distinguantur. Tunc enim ex identitate cum tertio perperam infertur identitas inter se. Sic respondet idem Izquierdo. Alii verò cum Vasqezio, Valentia, Tannero, Ruitzio occurrunt docendo superius axioma Aristotelicum veritatem non habere in divinis docendo, optimè relationes identitatem habere posse cum essentia, quin inter se idem sint, quamvis in rebus creatis hoc contingere nequeat.

His itaque omnibus omissis, quæ ad majorem dicta sunt eruditionem, vera solutio est illa, quam hìc exhibet Eminentiss. Cardinalis de Aguirre, videlicet principium illud etiam verum esse in divinis, ubi tamen non adest oppositio relativa, quia hæc est supra leges communes dialecticæ, & illius Principii, ut in casu. Hoc est quod dicere decrevi in præsenti materia pro Philosophis in Henrici schola. Subtiliora, & quidem diffuso calamo dicam in materia de Trinitate.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum quælibet natura creata distinctione media à sua singularitate distinguatur.*

EX titulo difficultatis, ut vides, rem difficilem aggredimur, quamvis aliquantulum viam sternant omnia ea, quæ superius dicta sunt. Interim hoc unum in hac difficultate certum est, quod qui distinctionem mediam ponit inter gradū genericum, & differentialem, eamdem etiam propugnat inter naturam specificam, & individualem. Quapropter Doctor, qui in Summa pluribus in locis superius relatis distinctionem mediam sustinet inter priores gradus, defendit quoque inter posteriores quodlib 2. quæst 8 illis verbis *nulla ergo essentia creaturæ ratione ea, qua essentia est habet rationem suppositi, aut actualiter subsistentis, ita quod nulla earum, quantum est ex se, de se sit singularitas quædam, nullaque earum, sicut neque effective, sic nec formaliter est suum esse*; ex quibus clarè deducitur hæc distinctio media inter gradus, de quibus controvertitur. Quid est enim hoc, quod quælibet natura creata de se non sit singularitas, nisi quod de sua essentia non importet singularitatem. Quid est autem hoc, naturam creatam de sua essentia non dicere singularitatem, quam in suo conceptu quidditativo non importare conceptum quidditativum singularitatis, adeoque tandem formaliter ex natura rei distingui naturam à singularitate.

Secundò sciendum est controversiam hanc locum habere sive affirmetur naturam individuari per hæcceitatem, seu ultimam differentiam, ut communiter docent Scotistæ omnes ex Scoto in 2. dist: 3. quæst. 6. sive per existentiam fundamentaliter, & formaliter per duplicem negationem, ut propugnat Doctor quodlib: 2. quæst: 8. quidquid Suarez in Metaphysica disp: 5. cum Thomistis oppositum sentiat diversum assignans principium individuationis, ut suo loco inferius videbimus. Interim sit.

### CAPUT PRIMUM

*Ostenditur propositæ Henrici Præceptoris & Scoti discipuli sententia.*

DIstinctionem hanc mediam inter gradum specificum, & individualem suadeo ratione mihi tradita à meo dilectissimo Præceptore alibi laudato. Hæc autem est. Nulla natura creata est de se hæc, & singularis, ergo fit talis per aliquam realitatem superadditam à se ipsa formaliter ex rei natura distinctam. Antecedens, in quo stat difficultas probatur, quia si natura esset de se hæc, fieri non posset cum veritate universalis; sed hoc juxta omnium sententiam à vero recedit, ergo etiam, quod sit de se hæc, & singularis. Probatur sequela. Tunc fallitur intellectus cum rem concipit aliter ac est in se, & modo ei repugnanti, sed sic conciperetur, semel supposito, quod sit de se hæc, & singularis; ergo &c. maior patet, minor ostenditur eo quia concipere, ut communicabile quod est ab intrinseco incommunicabile, est rem ipsam concipere aliter ac est in se; atqui si esset de se singularis, esset incommunicabilis (singulare enim qua tale est incommunicab le) si verò concipi debeat ut universalis, intelligi debet ut communicabilis; ergo &c.

Secundo probatur. Uni, & eidem indivisibili entitati indistinctæ nequeunt à parte rei convenire prædicata contradictoria, sed Petro à parte rei conveniunt prædicata contradictoria nempè convenitecum Paulo per naturam humanam, non convenire per Petreitatem; ergò rationes, per quas talia prædicata contradictoria conveniunt debent inter se distingui, sed non realiter propter identitatem realem intervenientem; ergo formaliter ex natura rei. Hæc ratio potissima est in schola subtili, & mirificè urget contrariæ sententiæ Auctores, quamvis solutionibus superius assignatis conentur ipsam enervare.

### CAPUT SECUNDUM

*Adversæ partis argumenta præcipua referuntur.*

ARguit primò eruditissimus P. Suarez. Si daretur distinctio vera, actualis ex natura rei antevertens omnem intellectus operationem, vel esse deberet inter reales entitates, vel inter entitatem, & modum rei, atqui neutra cuincit distinctionem hanc mediam inter naturam, & singularitatem; ergo &c. Minor in qua sola esse potest difficultas quoad primā partē certa est, quia distinctio entitatum necessariò supponit utramque entitatem in se constitutam, atque adeo unam, & singularem; ergo sic nequit natura distingui a singularitate Quoad secundam verò pariter euidens est; siquidem si distinctio sit inter rem, & modum rei, jam natura præciso modo habebit rationem veræ entitatis realis, sed si præciso modo natura habet entitatem suam, præciso modo est singularis, ergo non indiget individuatione superaddita.

Hujus argumenti in primis falsa est major, præter enim ea, quæ distinguuntur in rerum natura tanquam reales entitates, vel ut res, & modus, sunt etiam illa, quæ tanquam formalitates metaphysicæ de se invicem negantur, quæ entitates minus strictè dicuntur; sed nihilominus majori ut vera omissa, nego minorem quoad utramque partem, cujus ostensio non urget, siquidem quamvis distinctio vel entitatum, vel entitatis, & modi ipsius rei supponat quamlibet entitatem in suo esse constitutam, non supponit tamen constitutam semper in esse physico, & singulari, sed vel in esse Metaphysico, vel Physico. In præsenti autem natura prout à sua singularitate distincta præsupponeretur ut jam constituta in esse, non quidem singulari, sed secundùm sua prædicata essentialia ipsam constituentia,

quæ

quæ talia non sunt, ut ipsam habeant singularizare in ratione individuali, quamvis singularizent in ratione specifica determinando ad talem speciem. Sed

Instabis primò ex eodem Suarezio. Ille modus hæcceitatis, qui constituit Petrum, est singularis, & proprius ejus, & dicitur constituere, & componere Petrum modificando ejus naturam; ergo si illa modificatio est per veram distinctionem, & compositionem, quæ in re fit, oportet, ut illi modo, qui est veluti quidam actus particularis, respondeat etiam particularis entitas per modū potentiæ actuabilis; ergo illa entitas, quæ supponitur ad talem actum, supponi debet ut individua, & singularis.

Instabis secundò. A parte rei nedum cadit distinctio inter Petreitatem, & Pauleitatem, sed etiam inter naturas utriusque individui etiam præcisivé à singularitate; Sed realis distinctio intelligi nequit inter actuales entitates nisi quatenus istæ singulares sunt; ergo si naturæ prout distinctæ à differentiis individualibus realiter distinguuntur, secundùm se erunt singulares.

Instabis tertiò cum de Quiros, quia natura de se ipsa, cùm sit entitas vera, creatur, & existit; ergo ut sic intelligitur singularis. Patet hæc consequentia, quia nihil produci potest, aut existere nisi singulare.

Instabis quartò quia singularitates ipsæ se ipsis sunt singulares, & se ipsis contrahunt rationem singularitatis, ut sic in communi; ergo similiter.

Respondeo ad singula, & ad primum dico, modum ipsum individualem supponere naturam determinatam in linea specifica, non numerica. Sic enim constituitur per modum ipsum advenientem. Secundùm verò non urget, quia æstò distinctio cadat etiam inter naturas, ut à suis singularitatibus distinctas, hæc tamen non est propriè realis propter defectum propriæ existentiæ, adeoquè propriæ singularitatis.

Ad tertium verò censeo rectam non esse Consequentiam, quia estò nihil dari possit à parte rei, quod singulare non sit, dari tamen potest aliquod, quod singularitatem habeat non ratione sui, sed alterius sibi realiter identificati. Ultima tandem instantia nihil valet, est enim modus hic arguendi de Quiros similis huic. Unio per se unitur extremis, non verò per unionem à se distinctam; ergo similiter extrema se ipsis uniuntur.

Arguunt secundò Alii. Natura, quæ est in Petro, ut est à Petreitate distincta, vel est illa, quæ est in Paulo ut à Pauleitate distincta, vel non est. Si secundum dicas; ergo est realiter distincta, cùm non identitas realis sit distinctio realis; sed distinctio realis non datur nisi inter res, & entitates singulares, ergo &c. Si verò primum affirmes, obstant ea omnia, quæ dicturi sumus contra afferentes naturam communem esse per inexistentiam.

Confirmatur. Illud esse naturæ, quod datur in Petro, verè non est natura Pauli; ergo natura Petri se ipsa est singularis. Consequentia probatur quia hoc ipso superfluit omnis modus singularitatis, qui superadditur: nam sicuti natura distinguitur à singularitate, & non per aliquod distinctum, ne proce damus in infinitum, ita dici poterit de ipsa natura Petri collata cum natura Pauli. Sed

Contrà est, licèt enim natura, quæ est in Petro, ut a singularitate præscindit, non sit eadem cum natura Pauli, prout distincta a Pauleitate, tamen affirmari nequit sub tali præcisione realiter distincta, & singularis. Ratio hujus est, quia ut à singularitate præscindit, non est existentiæ propriæ capax, quæ capacitas alioquin exigitur ad hoc ut sit essentialiter singularis. Unde in forma concedo antecedens, quoad secundā partem dilemmatis, & nego consequentiam; ad cujus probationem distinguo, non identitas realis est distinctio realis, si non identitas realis sit inter extrema capacia propriæ existentiæ concedo, tantùm existentiæ tertii, nego.

Ad confirmationem dico illud esse naturæ, quæ est in Petro non esse naturam Pauli, adhuc tamen ipsam naturam non esse individuam, quia sic distincta non est propriæ existentiæ capax.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Quomodo in Creatis essentia, & existentia distinguantur.*

Titulus Controversiæ clarus est. Solùm præmittendum est quod intelligendum nomine essentiæ, atque existentiæ. Essentia itaquè nil aliud est, quàm complexum prædicatorum rem ipsam constituentium. Et hæc definiri solet ex Philosopho 1. Topic. *cap.* 2. his verbis: *essentia est per se primò conveniens rei, & ipsam rem intrinsecè constituens.* Existentiæ verò nomine nil aliud intelligimus, quàm id, per quod res ponitur formaliter extra suas causas, & propterea sic benè describi solet: *existentia est ratio, qua aliquid formaliter est extrà suas causas.* Per ly formaliter secernitur existentia rei à causis ejusdem rei, quæ licèt ponat rem extrà se ipsas, non tamen illam ponunt formaliter ad differentiam existentiæ, quæ illam formaliter ponit. Dixi in creatis, quia in Deo existimo existentiam nullatenus distingui ab ejus essentia, cùm sit ipsa Dei essentia Metaphysicè inspecta, ut suo dicam loco.

Præmitto secundò difficultatem non esse utrum existentia actualis distinguatur ab essentia possibili. Sic enim in confesso est apud omnes essentiam non esse realiter existentiam, cùm essentia solùm possibilis non sit actualiter existens. Advertendum tamen est essentiam possibilem distingui ab existentia actuali, non quidem entitativè, ita ut diversa sit entitas essentiæ, & entitas existentiæ actualis, sed solùm quoad statum. Eadem enim est entitas essentiæ, ac existentiæ, sed in diverso statu. Status enim essentiæ, & existentiæ actualis diversi sunt esto deindè eadem res, quæ existit, sit illa eadem, quæ erat possibilis. Itaque sensus difficultatis est, num essentia actualis distinguatur ab existentia actuali. In qua difficultate triplex est sententia. Prima propugnat distingui realiter, & hæc communissima est in Schola D. Thomæ. Secunda sustinet distingui distinctione rationis ratiocinatæ, quam defendunt PP. Societatis Jesu. Tertia docet distingui formaliter ex natura rei. Hæc est Henrici pluribus in locis, sed præcipuè *art.* 27. *quæst.* 1. *num.* 29 illis verbis: *Secundùm hoc ergo dico, quod essentia creaturæ, & esse ejus comparatum ad ipsam, quantùcumq; incidit in ipsam essentiam, intentione tamen differt ab illa, quia conceptus, quem format de se essentia, ut essentia est, nihil omninò includit de ratione esse.* Henrico autem Præceptori adhæret Joannes Duns Scotus ejusdem maximus Discipulus, ut optimè advertit hic Marsilius Ficinus comment. *in cap.* 8. *lib* 3. de substantiis cognoscentibus, & quidem in 1. *dist.* 36. *quæst.* 1. cum omnibus Scotistis, cum quibus omnibus, atque Præceptore nostro de more subtiliter hìc disserente, & à quo quidquid intelligimus recognoscimus, sit.

CA-

## CAPUT PRIMUM.

*Eſſentia, & exiſtentia in Creatis non diſtinguuntur entitativè.*

TRiplici ratione Theſis hæc firmatur, & prima fit. Exiſtentia identificatur realiter cum ſua exiſtentia, ergo rei cujuslibet eſsentia cum exiſtentia ejuſdem pariter entitativè identificari debet. Antecedens, quamvis probatione non indigeat, probatur tamen. Si exiſtentia non identificaretur cum ſua exiſtentia, ſed fieret exiſtens per exiſtentiam diſtinctam in deſignatione exiſtentiarum daretur proceſſus in infinitum, cùm de qualibet exiſtentia idipſum affirmari poſſet; ſed proceſſus in infinitum in deſignatione exiſtentiarum repugnat, ergo verum eſt Antecedens. Probatur itaque prima Conſequentia. Ideò negatur identitas realis inter eſſentiam, & exiſtentiam, quia eſsentia eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum, ergo ſi hac indifferentia non obſtante exiſtentia ideotificatur realiter cum ſua exiſtentia, etiam rei cujuslibet eſsentia cum exiſtentia ejuſdem realiter identificabitur. Major eſt tota Adverſariorum baſis. Minor oſtenditur. Si exiſtentia non eſset indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum eſset ad alterutrum determinata, ſed neutrum dici poteſt, ergo eſt indifferens. Major patet ex terminis. Probatur Minor, quia ſi eſset ex ſe determinata ad exiſtendum, neceſsariò exiſteret, ſicut Deus, & etiam res, cujus eſset exiſtentia puta, Petrus, neceſsariò exiſteret, cùm repugnet dari Petri exiſtentiam, & non dari Petrum. Si autem eſset determinata ad non exiſtendum, impoſſibile eſset, quod exiſteret, non ſecus ac Chimera, & ſic etiam Petrus repugnaret ad exiſtendum, cum repugnet Petrum exiſtere ſine exiſtentia; ſed hæc omnia falſa ſunt; ergo etiam falſum erit, quod exiſtentia ſit determinata, vel ad exiſtendum, vel ad non exiſtendum.

Huic rationi occurrunt primò Patres Thomiſtæ dicendo exiſtentiam eſse utique indifferentem ad exiſtendum, vel non exiſtendum, quatenus poteſt non poni à parte rei, & poſita deſtrui, attamen ſubjectivè non eſt indifferens, ſeu per modum ſubjecti, & potentiæ, ſeu materiæ ad exiſtendum, vel non exiſtendum, ſed eſt ſolùm indifferens terminativè, & veluti extrinſecè; non inquam ſubjectivè, quia non habet informari, & actuari, ſed per modum puri termini, quatenus exiſtentia terminatur ad eſsentiam tanquam ad potentiam ſeu ſubjectum, quod exiſtere, vel non exiſtere poteſt. Indifferentia autem per modum ſubjecti ad aliquam formam indicat diſtinctionem realem ab ipſa, non verò indifferentia ſolùm terminativa. Sed

Contra eſt, & in primis falſum eſt, quod indifferentia ſubjectiva ſemper dicat diſtinctionem entitativam inter ipſam, & ejus terminum, maximè quando eſt indifferentia metaphyſica, ut de facto eſt indifferentia eſsentiæ ad exiſtendum, vel non exiſtendum. Animalitas ſiquidem indifferens eſt indifferentia metaphyſica relatè ad ſuas differentias, cum tamen ab ipſis realiter non diſtinguatur.

Contrà eſt ſecundò, nam quamuis indifferentia exiſtentiæ relatè ad eſsentiam non ſit indifferentia per modum ſubjecti, ſed ſolum per modum puri termini (exiſtentia enim eſt terminus eſsentiæ) tamen indifferentia, quam habet exiſtentia ad exiſtendum vel non exiſtendum eſt indifferentia per modum ſubjecti, idest eſt ab intrinſeco capax exiſtendi, vel non exiſtendi, ergo ſemper viget eadem ratio de exiſtentia, ac de eſsentia, & conſequenter, ſi hæc exiſtit per exiſtentiam à ſe diſtinctam, etiam exiſtentia ſic exiſtet. Sed

Dices contrà priorem ſolutionem indifferentiam animalitatis eſse ſolum Logicam, non verò in re, ſeu entitatiuam, quiâ tales differentiæ actu, & à parte rei ſunt formale determinatiuum ipſius animalitatis, & de eius eſsentia, quatenus ſunt ultimum complementum eſsentiale ipſius, undè mirum non eſt, quod tali indifferentia non obſtante, adhuc ab ipſis differentiis, non diſtinguatur realiter. At indifferentia eſſentiæ eſt indifferentia entitatiua, adeoque dicens diſtinctionem realem eum extremis, ad quæ eſt indifferens.

Dices ſecundò. Ideo Animal, quamvis indifferens in ordine ad plures differentias, adhuc non diſtingui ab illis, quia hæc indifferentia eſt ſolum præciſiva, non verò poſitiua, nam non eſt idem Animal, quod eſt indifferens ad rationalitatem, & Irrationalitatem. Animalitas enim, quæ eſt in Homine non eſt indifferens ad irrationalitatem, nec è contra. At verò eadem eſſentia eſt indifferens tum ad exiſtentiam, tum ad negationem ejus. Sed

Contrà eſt. Hæ enim ſolutiones, quæ tanquam Divi Thomæ à quibuſdam recentioribus Thomiſtis referuntur, faciliter impugnantur, & primò falſum eſt, quod differentiæ metaphyſicæ ſint complementum eſsentiale, & pertineant ad lineam eſſentiæ ipſius Animalitatis, cum Animalitas in ſua eſsentia nullatenus claudat differentias; quod patet eo, quia in ejus definitione metaphyſica, differentiæ non veniant, quod tamen opus eſset, ſi differentiæ eſsent de linea eſseotiæ ipſius Animalitatis. Hoc autem ſuppoſito ſic denuò argumentum inſtauro. Sicuti indifferentia eſsentię in ordine ad exiſtentiam, eſt indifferentia ad aliquod extra lineam eſsentiæ, ita indifferentia Animalitatis in ordine ad differentias ſpecificas; ſed hoc non obſtante entitative Animalitas non diſtinguitur realiter à ſuis differentiis, & hoc quia eſt pura differentia metaphyſica ex genere ſuo non inferens talem diſtinctionem; ergo à pari idem dicendum erit de indifferentia eſſentiæ in ordine ad exiſtentiam.

Secundò urgeo contra priorē ſolutionē, quā affert Pater Cavinus. Quamuis differentiæ ſpecificæ ſint extrà Animalitatem logicè ſumptam, quia tamen non ſunt extrà ipſam phyſicè inſpectam, ideo ipſæ differentiæ realiter ab Animalitate non diſtinguuntur, & vice verſa, ergo quia exiſtentia eſt ſolum extrà conceptum eſſentiæ metaphyſicè inſpectæ, non verò phyſicè conſideratæ, dicendum erit eſſentiam ab exiſtentia entitativè non diſtingui.

Præterea ſicuti eadem Animalitas eſt indifferens & ad rationalitatem, & ad irrationalitatem, ita eadem numero eſſentia indifferens eſt ad exiſtentiam, & non exiſtentiam, & ſicuti eadem animalitas non eſt indifferens ad eſſe ſimul cum rationalitate, & irrationalitate, ſed ſolum diſiunctivè, ità pariter eadem eſſentia, & ſicuti hæc indifferens eſt ad exiſtendum præciſivè ab exiſtentia ita Animalitas indifferens eſt metaphyſicè inſpecta non phyſicè, & realiter, cum ſic potius ſit determinata.

Reſpondet ſecundo Caietanus: Falſum penitus eſſe exiſtentiam eſſe indifferentem ut ſit, vel non

H fit,

sit, & hoc ideo, quia nihil est indifferens in ea linea, in qua sibi determinat aliquod prædicatum in sua definitione; cùm autem existentia sibi determinet existere, ita ut repugnet concipere existentiam indifferentem ad existere, vel non existere; hinc est, quod poni non debet alia existentia, ut prior existat. Sed

Contra est primò quia de conceptu existentiæ non est actu, & absolutè existere, sed solùm quod sit ratio, qua essentia potest existere, si sit existentia potentialis, vel ratio, qua essentia actu existit si existentia sit actualis. Secundò, quia si existentia esset ex se determinata ad existendum necessariò deberet existere, & cùm nequeat existere quin sit alligata alicui essentiæ, etiam ipsa essentia necessariò existeret. Quod autem necessariò existeret patet eo, quia illud quod est de conceptu metaphysico alicujus rei, necessariò eidem convenit; sed juxta Cajetani solutionem determinatio ad existendum est de conceptu metaphysico ipsius existentiæ; ergo necessariò existentia conveniet existentiæ creatæ.

Secunda ratio est quia distinctio realis debet intercedere inter duo extrema, quorum quodlibet habeat esse actu, & à parte rei, sed essentia quælibet creata prout contradistincta ab existentia non habet existere actu, & à parte rei, ergo etiam non habebit ab ipsa realiter distingui.

Quod si dicas cum Magistro Bannes distinctionem realem essentiæ ab existentia fundari in ipsa essentia creata prout hæc est existens, contra est; quia essentia prout existens non distinguitur ab ipsa existentia, aliàs distinguer etur, à se ipsa; ergo distinctio realis fundari nequit in essentia prout actuata per existentiam; ergo si fundabitur in pura essentia fundabitur; cùm autem in nuda essentia fundari impossibile sit, ut ostensum est, profectò nulla erit inter ipsam, & existentiam distinctio realis.

Tertia ratio ad hominem procedit, qua etiam utitur Mastrius, & sub hac forma proponitur. Essentia quælibet creata per Thomistas concurrit ad existentiam in genere causæ materialis, cùm concurrat per modum subjecti receptivi; sed nequit sic concurrere, nisi pro aliquo signo intelligeretur existens in priori ad ipsam existentiam; ergo non existit per existentiam realiter distinctam. Major certa est, & doctrinam Thomisticam præcontinet docent enim isti, quod existentia creata recipitur in essentia, ut verificetur, quod sit forma limitata. Minor pariter certa est, existenti enim est saltem conditio requisita ad exercitium physicè causalitatis, quantumvis hæc materialis sit, ut per extensum, & firmiter probabitur à nobis, ubi de existentia materiæ primæ.

Dices: stat quòd creatura sit subjectum receptivum dependentiæ, quam importat in ordine ad primam causam, quamvis subjectum in priori ad ipsam dependentiam actualem nihil sit; ergo à pari stabit, quod essentia recipiat existentiam, quamvis in priori non habeat esse existentiale.

Respondeo negando Antecedens, siquidem relatio dependentiæ Creaturæ ad Deum, cum sit relatio transcendentalis, est idem cum Creaturæ essentia, unde non est in ipsa creatura recepta, sed potius cum ipsa identificata.

His tribus rationibus alii alteram addere solent in hoc sitam, quod res quælibet per suam actualem essentiam ponatur extra nihil, adeoque quod essentia quælibet cujuslibet rei sit ipsa existentia. Sed

Huic rationi non acquiesco, cum solutio Cajetani mihi videatur solida, juxta quam asseritur per essentiam rem quamlibet poni extra nihilum essentiæ, non verò existentiæ. Dum autem quærit Mastrius, quid sit hoc aliud, quod existentia addit supra essentiam, facilis est solutio dicendo, hoc esse actuale esse illud idem, quod in Mastrii sententia formaliter ex natura rei distinguitur ab ipsa essentia.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta præcipua Thomistarum.*

ARguit primò Cavinus. Si existentia peteret realiter identificari cum rei essentia, jam tollerentur de medio existentiæ partiales; sed iste ab Henricistis, Scotistis, & quamplurimis aliis non denegantur; ergo &c. Probatur sequela majoris. Tunc posita identitate existentiæ cùm essentia tollerentur existentiæ partiales, quando quælibet existentia esset completa, & perfecta; sed posita hac identitate, quælibet existentia esset completa, & perfecta; ergo &c. Probatur Minor. Tunc posita identitate reali existentiæ cum essentia, quælibet existentia esset completa quando nihil ei deesset in genere existendi; sed posita tali identitate nihil illi deesset in genere existendi, ad hoc ut esset completa; ergo &c. Probatur minor accipiendo in primis existentiam materiæ, quam dicunt esse partialem, & nos probamus debere esse completam, si identificaretur cum essentia; & probatur sic. Si aliqua existentia deesset existentiæ materiæ, ut identificatæ cum essentia, ad hoc ut compleretur in linea existendi maximè existentia formæ, à qua existentia materiæ compleretur; sed supposita identitate existentiæ materiæ cum ipsa essentia materiæ, existentia formæ non posset desiderari ad illam complendam; ergo nihil deesset. Probatur Minor. Existentia formæ realiter distinguitur ab existentia materiæ; ergo existentia materiæ non poterit compleri per existentiam formæ. Probatur hæc ultima Consequentia, quia genus existendi identificari debet cum entitate rei; sed existentia formæ non identificatur cum essentia materiæ; ergo materia non poterit compleri in linea existendi per existentiam formæ.

Argumentum hoc, cui nimis fidit relatus recentior, ut solvatur, recolenda est quædam doctrina à nobis allata, ubi de existentia materiæ, qua dictum est illam existentiam solùm identitatem dicere cum essentia, quæ ipsi est commensurata, ipsique correspondet, ita ut tantùm hoc genus existendi debeat identificari cum essentia; qua brevi doctrina supposita facilis est solutio, & quidem in forma negando sequelam, ad cujus probationem concessa majori nego minorem, ad cujus iterum probationem concessa majori nego minorem, ad cujus pariter probationem nego minorem; ad probationem verò ultimæ consequentiæ distinguo maiorem: Genus existendi identificari debet cum essentia rei, si sit existentia correspondens, & commensurata essentiæ concedo majorem, si non sit essentiæ commensurata nego majorem, & concessa minori neganda est consequentia. Quamvis enim existentia totius, vel formæ distinguatur realiter ab ipsa existentia materiæ, adhuc ipsa materia compleri potest in linea existendi per existentiam formæ, seù melius per existentiam totius, & hoc quia genus existendi existentia perfecta à nobis non ponitur, ut identificatum

catum cum materia, cùm ipsi immediatè non correspondeat neque commensuretur.

Obiiciunt secundò Thomistæ. Si existentia esset realiter identificata cum essentia, esset actus purus, & infinita; sed existentia creata, neque infinita est, neque actus purus est; ergo &c. Probatur sequela majoris. Talis existentia identificata cum essentia esset actus irreceptus, nullam admittens potentialitatem, & limitationem; ergo talis existentia esset actus purus, & infinita. Probatur Antecedens. Actus existendi solùm potest recipi, & limitari per ordinem ad potentiam receptivam in eodem ordine; sed hæc est essentia; ergò supposita identitate cum illa esset actus irreceptus absque potentialitate, & limitatione. Probatur major, quia primum limitativum cujuslibet rei est potentia passiva, sicuti primum perfectivum est actus; ergo carens potentia passiva caret limitatione, & potentialitate.

Confirmatur. Quælibet res limitatur ex propria ratione formali per ordinem ad suum terminum, ad quem per se primò ordinatur; sed terminus ad quem per se primò ordinatur actus, est potentia, sicuti ad quem per se primò ordinatur potentia est actus; ergo.

Confirmatur secundò: Non minus linea essendi in creaturis debet esse finita, & potentialis, quàm linea operandi; sed in linea operandi operatio irrecepta, vel potentia per se ordinata ad operandum non distincta realiter ab operatione esset actus purus, qua ratione solus Deus identificat sibi operationem; ergo pariter existentia irrecepta esset actus purus.

Confirmatur tandem tertiò, quia subsistentia realiter distinguitur à natura; ergo etiam existentia.

Respondeo nullam formam intrinsecè limitari à subjecto suo, sed potius formaliter ex sua entitate, & effectivè à sua causa, per hoc nempe quod ipsa communicet effectui tantam, & non majorem perfectionem. Certum enim est, quod essentia ipsa creaturæ in alio inhæsivè non recipitur, & tamen limitata est. In forma itaque distinguo ultimum Antecedens. Primum limitativum cujuslibet rei, est ipsa potentia passiva, si sermo sit de limitativo in linea perfectionis nego, aliter vel quatenus de indifferenti ad actuandum per actualem receptionem limitatur ad actuandum concedo Antecedens. Distinctio patet.

Hæc solutio adeo legitima est, ut ipsam inveniamus apud Divum Thomam art 3. Io Summa part. 1 in solutione ad 4 ubi docet aliquid finitari posse à sua causa esto non dicat esse receptum, quod evenire existimat, nedum in immaterialibus, sed etiam in materialibus, ut patet ex his verbis: *Substantiæ autem immateriales creatæ sunt finitæ secundum quod earum formæ non sunt receptæ in alio, sicuti si diceremus albedinem separatam existentem esse infinitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod subiectum. Esse tamen eius esse finitum, quia determinatur ad aliquam naturam specialem.*

Dices res non potest ab alio limitari, quin in alio inhæsivè recipiatur; ergo si existentia non recipitur inhæsivè in ipsa essentia, limitari non poterit per ordinem ad suam causam efficientem. Probatur Antecedens. Non potest res aliqua limitari ab extrinseco, quin prius sit ab intrinseco limitata, sed limitatio ab intrinseco habetur per hoc quod inhæsivè in alio recipiatur, ergo. Major certa est; limitatio enim extrinseca supponit intrinsecam.

Respondeo verum esse, quod forma quælibet creata ab intrinseco debet esse limitata; sed hæc limitatio oriri nequit à potentia ipsius receptiva, cum hæc sit extrinseca formæ, adeoque incapax intrinsecè limitandi ipsam formam, quæ potius intrinsecè limitatur à propria essentia. De facto enim essentia Angeli irrecepta est, & tamen finita est, & intrinsecè limitata.

Ad primam confirmationem nego majorem videlicet quod res limitetur intrinsecè per ordinem ad suum terminum. Sicuti enim per talem respectum una res intrinsece non specificatur ab alia, ut docebimus in materia de Anima, ita nec intrinsecè limitatur. Ordo enim per se actus ad potentiam utique fundat relationem transcendentalem, non tamen limitationem intrinsecam in re ipsa dicente talem ordinem, cum res in priori ad ipsum limitata sit, cum creatura sit.

Ad secundam confirmationem disparitas est, quia operatio, est ultima actualitas, identificans autem sibi ultimam actualitatem in linea operativa, identificate sibi debet quamlibet priorem. Identificans autem sibi quamlibet actualitatem. Est actus purus. At verò existentia irrecepta non est actus purus cùm adhuc intelligeretur in potentia ad existendum, vel non existendum dependenter à suo principio effectivo.

Ad tertiam confirmationem pater disparitas, quæ multiplex esse potest. Prima est, quia subsistentia consistit in negativo, positivum autem, & negativum distinguuntur realiter; quod totum dici nequit de essentia, & existentia. Secunda est quia essentia separari potest à subsistentia, priori remanente actu, & à parte rei. Non enim omnia, quæ existunt subsistunt. At verò essentia sine existentia non est extremum actu, & à parte rei existens, adeoque incapax distinctionis realis, & entitativæ. Tertia disparitas est, quia existere est effectus formalis omninò intrinsecus, qui proinde haberi nequit, nisi per identitatem existentiæ cum essentia. Subsistere verò non est huiusmodi, sed potest haberi per unionem subsistentiæ cum natura subsistenti.

Obiiciunt tertiò. Essentia in Creatis est realiter indifferens ad esse, & non esse; ergo nequit sibi identificare realiter actum essendi. Antecedens constat, nam si semel esset determinata ad essendum, & non indifferens, deberet perpetuò esse tanquam ens intrinsecè necessarium, sicuti quia res ex se est possibilis, & determinata ad esse possibilis necessariò est possibilis. Consequentia verò probatur quia implicat idem esse realiter indifferens ad se ipsum, aliàs esset realiter intrinsecè indifferens ad esse idem, & non esse idem.

Confirmatur. Materia prima, quæ est indifferens ad omnes formas, ab ipsis realiter distinguitur; ergo si essentia creata indifferens est ad esse, vel non esse, ab ipso esse oportebit distingui.

Confirmatur secundò. Creatura etiam in statu actualitatis ità habet esse, ut possit intrinsecè non esse actu, seu carere ipsa existentia actuali; ergo essentia etiam in statu actualitatis distinguitur realiter ab existentia. Probatur hæc consequentia, quia implicat, quod illa, quæ semel sunt realiter idem, possint non esse aliquando realiter idem, aliàs essent, & non essent idem; sed illa, quæ ita se habent, ut possit unum carere alio, & ab ipso separari, nequeunt esse realiter idem, nam quæ realiter identificantur non sunt separabilia; ergo si essentia creaturæ etiam in statu actualitatis, potest esse sine existentia actuali, jam in eodem statu actualitatis non identificatur cum sua existentia.

Confirmatur tertio, nam esto res constituatur in

actu

actu per existentiam, tamen ita constituitur res in actu per existentiam, ut existentia contingenter, & defectivè conveniat essentiæ creatæ; ergo existentia non identificatur cum essentia. Antecedens probatur, quia creatura habet existentiam à Deo, à quo participat existere; ergo est prædicatum contingens, & defectiuum. Probatur itaquè prima Consequentia. Est impossibile aliquod per identitatem realem alteri convenire, & defectibiliter conuenire; quapropter dicam in materia de diuina voluntate decretum Dei, quà liberum non esse realiter idem cum Deo, quia Deus est ens summè necessariũ, & decretũ Dei quà liberũ Deo defectibiliter convenit; ergo si existentia convenit essentiæ creatæ defectibiliter, & contingenter, non identificatur realiter cum ipsa essentia.

Respondeo utiquè essentiam in creatis indifferentem esse ad existendum nec ne; sed hæc indifferentia non est physica, ut est illa parietis ad esse album, sed est Logica, & obiectiua consistens in hoc, quod essentia creaturæ non repugnet, neque existere, neq; non existere. Indifferentia autem, quæ fundatur in pura nõ repugnantia prædicaturũ essentialiter rem cõstituentiũ Logica est, & metaphysica, quæ certè non est ad aliquod realiter distinctum, ut patere potest in ipsa indifferentia metaphysica Animalitatis in ordine ad suas differentias, a quibus tamen non distinguitur, sed potius identificatur.

Henricus autem huic argumento aliter respondet quodlib. 11. quæst. 3 Sub his verbis *quod differens sola intention: ab alio bene potest intelligi sub opposito illius, ut contingit in proposito de essentia respectu esse, & non esse*, quæ solutio adeo clara est, ut explicatione non egeat.

Ad primam Confirmationem disparitas iam insinuata est in eo consistens, quod indifferentia materiæ in ordine ad formas est physica, & realis, undè nil mirum, quod sit ad terminum realiter distinctum. At indifferentia essentiæ creatæ non est hujus generis, ut suprà ostensum est, proindè non est opus quod sit ad actualitatem realiter distinctam.

Ad secundam Confirmationem, omissa retorsione, quæ fieri potest in ipsa existentia, cum quibusdam Scotistis recentioribus, adverto, quòd dupliciter considerari potest existentia. Primò prout importat prædicatum aliquod metaphysicum preter ultimum actum essendi. Secundò prout dicit statum, vel possibilitatis vel actualitatis. Primo modo sumpta non convenit essentiæ contingenter ita ut possit essentia illa carere, sed semper illi convenit. Secus secundò modo. Vndè sensus hujus propositionis: *essentia creaturæ etiam in statu existentiæ ità habet esse, ut possit carere existentia*, hic est: essentia ita est sub statu, actualitatis, ut possit etiam non esse sub tali statu ita, ut carentia ipsius existentiæ actualis non cadat inter essentiam, & existentiam, sed inter statum, & statum, undè sensus est, quod essentia carere possit illo statu actuali, non verò quod carendo illo statu actuali, careat aliquo prædicato realiter distincto superaddito. Per quod patet, quid dicendum sit in forma.

Obiiciunt quartò. Si non admitteretur in Creatis distinctio realis inter essentiam, & existentiam, sequeretur, quod non solus Deus per suam essentiam existeret; sed solus Deus per suam essentiam existit; ergo. Probatur maior. Deum existere per suam essentiam, est formalissimè Deum existere per existentiam cum ipsa essentia identificatam, sed negata distinctione reali in creaturis, essentia creata pariter existeret per existentiam sibi identificatam; ergo

Confirmatur. Differentia quæ est inter essentiam Dei, & eius existentiam, & Creaturæ essentiam, & eiusdem existentiam est, quod in Deo essentia, & existentia non faciunt compositionem, benè verò in creatura; sed negata distinctione reali inter essentiam creaturæ; & eius existentiam non facerent compositionem etiam in creatura; ergo.

Hoc argumentum cum sua Confirmatione solvit Henricus in Summa art. 21. quæst. 4. ubi postquam posuerit identitatem realem inter essentiam, & existentiam in creatis, explicat, quid sit existere per suam essentiam; & simul ostendit creaturam per suam essentiam non existere. Primò quidem, quia essentia, & existentia in creatis ex natura rei distinguuntur; secundo, quia tam essentia, quam existentia dicuntur per respectum ad Deum tanquam ad causam. Essentia enim Creaturæ dependet à Deo tanquam à causa exemplari, & ut existens ab eodem tanquam à principio effectivo; quæ omnia non eveniunt loquendo de Dei essentia, quæ existit per existentiam ingredientem ipsius conceptum formalem. Hæc ut dixi est Henrici solutio quodlib 11. quæst. 3. his verbis expressa *unde ex eo, quod dicimus, quod esse existentiæ nihil reale addit suprà essentiam, non sequitur, quod essentia creaturæ sit ipsum suum esse, quod soli Deo convenit, sed tunc illud sequeretur, si nec respectum alterius intentionis adderet essentiæ, quamquia addit, ut aliquid accidentale illi, & ut accidens non reale, sed intentionale, sequitur, quod essentia non sit suum esse, sed quod ut accidente quodam intentionali participet suum esse, quod est primò participatum, ut est receptum in alio, & supponitur in qualibet alia participatione accidentis realis.*

Ad confirmationem nego minorem, cum enim essentia, & existentia intrinsecè adhuc distinguantur, quamuis negetur distinctio entitatiua adhuc remanet undè facere possint intrinsecam compositionem, ut optimè docet Henricus his verbis *Licèt enim ipsum esse eius idest creaturæ, non sit res alia essentiæ addita, alia est tamen intentio essentiæ, & esse creaturæ. In Deo autem nec faciunt in ipso aliam rationem compositionis omninò esse, & essentia, immo essentia ipsa pura, & simplex est ipsum esse, & non aliud re, vel intentione, quàm esse, quia est actus purus simplicissimus.*

Obiiciunt quintò. Quotiescumque aliquod prædicatum reale, positivum ita convenit alicui, ut nec sit illi essentiale, nec cum illo intret in Constitutionem alicujus Tertii, nec ab eadem forma, sed à principio totaliter extrinseco, impossibile est, quod non fundet aliquam distinctionem à parte rei respectu ejus, cui sic convenit; sed existentia in creatis taliter convenit essentiæ; ergo. Major est certa. Da enim aliquod prædicatum illa omnia superius enumerata habere, & nega, si potes distinctionem entitativam, siquidem quamvis duo unum, vel alterum ex illis prædicatis habere possint, quia objectivè distinguantur, ut patet in ipsa Animalitate, & rationalitate, quæ quamvis non se includant in suo conceptu quidditativo, adhuc identificantur realiter, quia ordinantur ad constitutionem alicujus Tertii, vel ab eadem forma proveniunt, nempè ab eadem Anima, & actio, & passio ideo identificantur cum motu realiter in eadem realitate, quia ab eadem forma proveniunt,

nempè

nempè à motu; tamen si aliquod dicat omnia prædicata enumerata in majori, opus est, quod fundet distinctionem entitativam. Probatur itaque Minor per omnes suas partes, quas continet, & in primis quod sit prædicatum reale, & conveniens physicè ipsi rei patet, quia ejus effectus formalis est rem extra causas suas ponere, nec cum illo intrat in constitutionem alicujus tertii, quia existentia essentialiter non convenit rei productæ; sed convenit tanquam à principio extrinseco nempè ab ipsa productione agentis, existentia enim est ipsa productio rei in facto esse.

Hoc suo argumento Thomistæ ostendunt se velle essentiam, & existentiam in creatis non distingui sola ratione; sed aliquam distinctionem importare à parte rei, quam libenter concedimus, dummodò hæc distinctio non sit entitativa, sed media. Quapropter judico argumentum hoc Thomisticum potius urgere Patres Societatis propugnantes solam distinctionem rationis inter gradus essentiæ, & existentiæ, quibus incumbit argumento occurrere. Nec obstat, quod essentiæ existere conveniat à principio extrinseco, nam quamvis hoc verum sit effectivè loquendo, falsum tamen est, si loquamur de re ut formaliter existente. Sic enim existit per realitatem sibi realiter identificatam.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum detur præcisio objectiva, vel solùm rationis inter gradus Metaphysicos.*

### CAPUT PRIMUM.

*Recipitur sententia affirmans præcisionem objectivam.*

Non est locus hìc Henrici mentem inquirere, ut difficultas proposita dirimatur; cùm hæc ex distinctione formali ab ipso posita colligatur. Propugnare enim non possumus distinctionem intrinsecam in objecto, supponendo in ipso diversa intelligibilis, quin simul propugnemus præcisionem objectivam, cujus nomine nihil aliud intelligimus, quàm solam inadæquatam objecti cognitionem, inadæquatione tamen tota se tenente ex parte objecti; unde est quod nullus hucusque ipsam negaverit in schola subtili, quam etiam sustinent Thomistæ ex D. Thoma pluribus in locis, ut optimè advertit Pater Contonius nonnullos referens textus Angelici Præceptoris contra Urtadum existimantem hunc reprobasse præcisionem objectivam. Expressè autem hanc tradit Henricus quodlib. 3. quæst. 6. & 12. illis verbis: *Unde dicitur intentio quasi intus tensio, eo quod mens conceptu suo in aliquid, quod est in re aliqua determinatè tendit, & non in aliquod aliud, quod est aliquod ejusdem rei, ut sic super idem in re aliqua determinatè tendit & non in aliquod aliud, quod est aliquod ejusdem rei, ut sic super idem in re per intellectum, cujus est dividere ea, quæ sunt idem in re, formentur diversi conceptus.* Huic subscribunt Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7 num. 43 Suarez tractatu tertio in Logica, ubi de universalibus in genere disp. 1. Vasquez. 1. part. disput. 117. cap. 2. Fonseca 5. Metaphysicè cap. 28 quæst. 2 Conibricenses in Logica quæst. 4. art. 1. & 2. Spinula in Logica disp. 6 sect. 5. art. 1. Oppositum tamen sustinent Ariaga disp. 5. sect. 2. Oviedo, Urtado disp. 6 Metaphysicè sect. 4 de Quiros, Semeril, Benedictus de Benedictis, aliique innumeri in suis manuscriptis. Contra quos sit.

### CAPUT SECUNDUM.

*Duplici ratione ostenditur præcisio objectiva in cognitionibus abstractivis.*

Loquor hìc, ut vides de cognitione abstractiva, quia de intuitiva diversa est difficultas, aliquibus affirmantibus hanc non esse præcisivam, eo quia teneatur clarè repræsentare omnia prædicata, quæ sunt in objecto, quibus adhæret Suarez, negantibus aliis, quia existimant non esse de ratione visionis intuitivè, quod sit objecti cognitio secundum omnem sui formalitatem; sed solùm quod sit per proprias species, undè dicunt, quod si à Deo infunderetur species aliqua objecti repræsentativa secundùm unam tantùm formalitatem, nihilominus ejusdem objecti cognitio esset intuitiva, uti de facto est illa, qua quis videt albedinem, esto non videat relationem dependentiæ. Sic discurrunt Ariaga, & Spinula; sed hoc dissidio omisso.

Probatur primò superior insinuata Thesis. Unum præscindere objectivè ex duobus realiter identificatis, est unum cognosci, ut non inclusum in conceptu quidditativo alterius; sed in creatis ex duobus realiter identificatis unum cognosci potest, imò cognoscitur, ut non inclusum in conceptu alterius quidditativo; ergo: Minor in qua stat difficultas ostenditur reassumendo ea omnia, quæ supra diximus; & primò, quia hoc ipso quod Animal, & rationale distinguuntur formaliter ex natura rei, neutrum in suo conceptu formali, & quidditativo includit aliud; ergo unum cognosci poterit, ut non inclusum in alio.

Confirmatur, vel clarius explicatur hæc superior ratio. Quæ diversam habent conceptibilitatem objectivam, sive intrinsecam possunt ita cognosci, ut unum absque alio cognoscatur, sed in creatis gradus metaphysici realiter identificati inter se diversam habent conceptibilitatem intrinsecam, & objectivam; ergo. Minor patet eo quia quilibet gradus metaphysicus propriam, & peculiarem habet essentiam, & compositionem realem facit cum alio, quod verum non esset si diversam non haberent conceptibilitatem intrinsecam. Major autem liquet, quia ad ens sequitur verum.

Probatur secundò ad Hominem contra Adversarios. Ideò inter gradus metaphysicos dari nequit præcisio objectiva, quia inter istos adest identitas realis, atqui hæc ratio nulla est Major est Adversariorum. Minor ostenditur. Magis est præcisivus intellectus in purè cognoscendo, quàm inefficiendo, ut de se patet; sed nihilominus potest intellectus inter duo realiter identificata influere in unum, nullatenus influendo in aliud ut patet in ipsa visione intuitiva Dei, in quam intellectus secundùm se influit secundùm vitalitatem, nullatenus ex se influendo in supernaturalitatem visionis; ergo à fortiori poterit ex duobus realiter identificatis unum cognosci ex parte objecti, altero non cognito.

### CAPUT TERTIUM.

*Satisfit argumentis Contrariis.*

Arguunt primò aliqui. Non minùs contradictoriè opponuntur cognosci, & non cognosci ex parte objecti quam existere, & non existere, produci, & non produci, sed repugnat Animalitatem in Homine existere, & non existere rationalitatem, item produci animalitatem, & non pro-

duci rationalitatem; ergo etiam implicabit, quod cognoscatur animalitas non cognita rationalitate. Consequentia est evidens, minor admittitur ab ipsis Adversariis, & est de se evidens, quia inter res, quæ non distinguuntur realiter in creatis, nequit una produci alia improducta. Major autem, in qua tota stat difficultas sic probatur. Existere, & non existere ideò opponuntur contradictoriè, quia illa particula *non* cadens suprà verbum negat totum, quod per illud fuerat affirmatum; negatio autem formæ, & ipsa forma opponuntur contradictoriè, & repugnant inter se; sed *non* cadens suprà verbum cognosci, eo prorsus modo negat cognosci, ac cadens suprà verbum existere negat existere; ergo &c.

Respondeo totum verissimum esse, quod continetur in argumento, videlicet in hypothesi, quod cognosci, & non cognosci cadant suprà unum esse Metaphysicum, non verò duplex, quia non cognosci in illo casu diceret privationem cognitionis illius esse metaphysici, quod aliàs supponitur cognitum. At si cadant cognosci, & non cognosci, supra duplex esse metaphysicum, nulla intervenit repugnantia, quia nulla est in hoc, quod una veritas cognoscatur non cognita alia. Cum autem in casu Animalitas, & rationalitas dicant duplex esse metaphysicum, cum habeant duplicem auctualitatem essentiæ, & quidem diversam ex rei natura, hinc oritur, quod cognosci, & non cognosci non opponantur; quamvis verum sit opponi: unam formalitatem metaphysicam existere, alia non existente, quia hæ formalitates existunt unica metaphysica existentia tertii, adeoquè una existente, etiam alia existere debet, vel una producta, & alia produci debet. Sed

Dices ideo cognosci, & nō cognosci in hypothesi non sunt contradictoria, quia referuntur ad diversas formalitates; ergo pari ratione affirmari poterit non opponi contradictoriè animalitatem produci, non producta rationalitate, quia non sunt respectu ejusdem formalitatis.

Contrà est. Hæc enim instantia Patris Atiagiæ nihil valet, siquidem productio non terminatur ad esse metaphysicum, vel ad formalitates metaphysicas prout metaphysicæ sunt, sed ad esse physicum, & existentiale. Cùm autem gradus metaphysici, quamvis non habeant unicum esse metaphysicum, habeant tamen unicum esse physicum, & existentiale, hinc produci, & non produci in causa opponuntur contradictoriè, cum cadant supra unum, & idem esse physicum.

Arguunt secundò alii promiscuè, & primò Implicat unionem terminari ad animal, & non terminari ad rationale; ergo implicat cognitionem objectivè terminari ad Animal, quin terminetur ad rationale. Consequentia hæc liquet, siquidem quidquid à parte rei convenit uni, convenit etiam alteri ab eo realiter indistincto.

Secundò cognitio intuitiva nequit esse præcisiva; ergo nec abstractiva. Probatur Consequentia, quia non minus cognitio abstractiva attingit objectum indivisibile, quam intuitiva.

Tertiò identitas divinorum facit, quod unum prædicatum videri nequeat sine altero in Henrici sententia; ergo hoc idem efficier identitas prædicatorum in Creatis.

Quartò major est unio per identitatem, quam per solam connexionem; sed duo realiter connexa nequeunt objectivè præscindere, ut patet in correlativis, ita ut unum cognoscatur altero non cognito; ergò multò minus poterunt duo realiter identificata.

Quintò præcisio est repræsentatio unius prædicati relicto alio, sed hæc est ex parte actus, & non est ex parte objecti; ergo etiam præcisio erit ex parte actus, non verò ex parte objecti. Probatur hæc Consequentia, quia effectus formalis præcisionis solùm est, ubi est præcisio, sicuti effectus formalis albedinis, est solùm, ubi est albedo.

Respondeo ad singula, & ad primum disparitas est, quia unio ex suo conceptu est mutua. Est enim mutuus duorum nexus; unde fit, quod quoties una pars alteri unitur, & alia uniri debeat, quod non evenit in secundo casu.

Ad secundum quidquid sit de Antecedenti, de cujus veritate dubitat Spinula, dubitant & alii, quorum rationes suspicandi cursim superius retulimus, dico assignabilem esse disparitatem in eo sitam, quod per cognitionem intuitivam objectum præsens est potentiæ per se ipsum, ut docet Doctor. Hoc ipso autem, quod sic sit præsens, valdè consonum est, quod fiat præsens secundùm se totum, & quod totum videatur, quamvis aliquando contingere possit ipsum clarè videri secundùm unam rationem, non clarè secundùm aliam ob imperfectionem potentiæ, vel ob objecti distantiam, vel quia natum non sit se totum equalitèr manifestare potentiæ Ar verò per cognitionem abstractivam non sic fit præsens objectum, sed potius per speciem alienam, undè optimè evenire poterit præcisio objectiva.

Ad tertium pariter disparitas est, quia prædicata divina inter se connectuntur, nedum in ratione visibilis, verùm etiam in hoc, quod est videri actu, cujus ratio à priori est, quia visio Dei, est visio merito essentiæ. Id autem, quod convenit Deo merito essentiæ, omnibus prædicatis divinis convenit; At verò non sic res se habet in casu ut speculanti parebit. Præterea etiam disparitas desumi potest ab ipsa diversitate identitatis telucente inter diuina, & creata prædicata.

Ad quartum varias exhibent Auctores solutiones. Sunt enim qui dicunt majorem esse vetam si io realiter connexis unum non sit de formali ratione, & conceptu alterius, benè verò de identificatis; Falsum, tamen si unum cum altero connexum sit de formali ratione alterius, ut in casu, in quo quoad relatiua sint simul cognitione, & natura est de ratione formali relationis. At Animal nō obstāte identitate cum rationali non est de conceptu quidditativo rationalitatis; undè in casu non est major unio per identitatem, quàm per puram connexionem. Sed hac solutione magistri Cavini omissa, aliisquè apud nonnullos Auctores videndis, dicerem ego argumentum euanescere si dicamus, verum esse antecedens de relativis quà relativis non verò loquendo de ipsis specificativè acceptis, in quo sensu verum est pariter Consequens, videlicet loquendo de identificatis, ut identificatis, non verò de ipsis præcisivè ab identitate.

Ultimum tandem nullatenus urget. Quamuis enim verum sit, quod præcisio in tota sua latitudine sit repræsentatio unius prædicati alio identificato relicto, præcisio tamen obiectiva non est præcisè hoc, sed insuper est repræsentatio unius prædicati relictor alio, pro ut tale prædicatum se tenet ex parte objecti, seù prout est in se, non verò prout habet esse tantùm in intellectu, à quo solum formaliter desumitur præcisio, quà obiectiua.

Ultimo arguit Bernaldus de Quiros. Si ratio ani-

animalitatis inveniretur in unica tantùm differentia non posset cognosci obiectivè sine tali differentia; ergo nec modò. Hæc Consequentia certa est, quia Animalitas, verbi gratia, ex eo quod in aliis ab Homine reperiatur, non acquirit diuersitatem obiectivam, quia esse in pluribus per accidens se habet. Probatur itaquè Antecedens, quià ratio substantiæ non est nisi in ente, nequit cognosci ratio substantiæ, quin cognoscatur ratio entis; ergo si ratio Animalitatis non esset nisi in unica tantùm differentia, non posset ipsa cognosci obiectivè sine tali differentia. Secundo quia ratio cur possumus præscindere rationalitatem Hominis ab Animalitate, est quia est ratio differendi, animalitas verò est ratio conveniendi; sed stante hypothesi animalitas non esset ratio pluribus conveniendi; ergo in data hypothesi animalitas non posset cognosci obiectivè sine tali differentia.

Respondetur negando Antecedens, siquidem adhuc animalitas obiectivè prescinderet à rationalitate perseverante sua peculiari conceptibilitate à rationalitate distincta, eum hanc diversam conceptibilitatem non habeat à pluralitate differentiarum, sed à se. Quemadmodum esto nulla daretur creatura, adhuc esset ultimi finis existentia, quià hic non pendet ab ipsa, & si pariter nulla daretur creatura, adhuc volitio divina, qua posset creaturam aliquam producere esset positiua, quia in ratione positivi non completur per ipsam creaturam. Ad probationem autem Antecedentis negati, facilis est solutio. Ideò enim cognosci nequit ratio substantiæ, quin cognoscatur ratio entis, quià hæc est ratio constitutiva ipsius, non sic autem rationalitas respectu animalitatis, per quod patet ad secundum.

# DISPUTATIO TERTIA.

*De Universalibus.*

Explicatis omnibus, quæ spectant ad materiam de distinctionibus, communis ordo expostulat, ut de universalibus disputatio instituatur, sed quia propemodum infinitæ sunt difficultates, quæ sub hac disputatione proponi solent, difficiliores hic tantùm discutiam, & quidem ea claritate, quæ nobis possibilis est. Sit itaque.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum à parte rei detur universale metaphysicum.*

### CAPUT PRIMUM.

*In quo præmittitur notitia quædam de universalibus.*

Pro certo tenendum est ultra singularia dari naturas aliquas universales (quidquid sit de statu, in quo universalitas naturis convenit, quod inferius examinabitur). Primò quidem quià scientiæ sunt de universalibus, cum autem non sint de nominibus, aut vocibus, aut concep tibus formalibus, profectò esse debent de aliqua natura in se vniversali. Secondò quia definitio, quæ assignari solet de universali metaphysico non est definitio alicuius entis chimerici; ergo iam debet esse entis realis, cum inter ens reale, & chimericum non detur medium. Tertio tandem quia universale maximè metaphysicum nihil est aliud, quam natura importans aptitudinem ad essendum in pluribus, quæ certè in creatis reperitur, ut patet in natura humana.

Secundò supponendum est universale aliud esse in repræsentando. Sic universalis dici potest ipsa divina essentia sub ratione ideæ, cum omnes creaturarum perfectiones repræsentet; aliud est in significando, & illud est, quod plura significat. Sic, verbi gratia, hæc vox *principium* universalis est in significando, eum significet ea omnia, quæ habent rationem principii. Aliud est in causando, vel ad plurium effectuum productionem concurrens. Aliud verò est in essendo, vel metaphysicum, quod est unum aptum esse in pluribus, vel remotè prædicari de pluribus. Aliud tandem Logicum, seu unum aptum proximè prædicari de pluribus univocè & divisim.

Et hic advertendum est hæc duo universalia se habere per modum actus primi, & secundi ita, ut metaphysicum sit actus primus, & fundamentum logici. Hoc verò sit actus secundus, seu ipsa natura perfecta, & completè universalis, hoc breviter supposito, sit.

### CAPUT SECUNDUM.

*Datur natura à parte rei inclusa in singularibus, quæ est perfectè universalis universalitate Metaphysica.*

Thesis hæc sub his terminis posita oedum adversatur quamplurimis Recentioribus, verùm etiam Antiquis, & præcipuè Platoni Aristotelis præceptori, quem posuisse universalitatem in quibusdam ideis æternis, & necessariis extrà Deum refert idem Philosophus. Sed si verum fateri debeo firmiter existimo calumniam esse Aristotelis Magistro suo impactam, ut doctissimè hic ostendit Adrianus Heereboord volumine 2. de Ideis thæsi prima disp 11 & ego colligo primò ex Augustino lib. 8. de Civitate Dei cap. 4. ubi ex professo Platonem posuisse tantùm ideas in divina intelligentia propugnat his verbis: *Quid in eis Plato senserit, idest ubi finem omnium actionum, ubi causam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum esse cognoverit, vel crediderit, temerè affirmandum esse non arbitror; fortassis enim, qui præ cæteris Platonem fama celebriore laudant, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inveniatur, & causa subsistendi, & ratio intelligendi, & ordo vivendi.* Secundò hoc idem sentit Henticus in summa art. 1 quæst 1. ubi affirmat interpretationem Augustini circa Platonis opinionem legitimam esse illis verbis: *Undè Augustinus sanius interpretans dicta Platonis, quàm Aristoteles ponit principia certa scientiæ, & cognitionis veritatis consistere in regulis, sive rationibus æternis incommutabilibus existentibus in Deo, quarum participatione per intellectualem cognitionem cognoscitur quidquid sinceræ veritatis in creaturis cognoscitur;* quæ explicationes penitus consonæ sunt cum iis, quæ habet Plato in Parmenide, & Timeo, undè opposita sententia Divi Thomæ ab omnibus reprobatur excepto Suarezio, qui ob ea, quæ habet Angelicus Præceptor lib. 1. de Anima art. 9. dubius est.

Hæc autem sententia sub nomine Platonis successivè tradita à quamplurimis impugnatur, quam & ego reprobo brevi calamo, & primò, quia quidquid existit, tenetur habere certam, & determinatam

tam entitatem; sed talis entitas determinata habet necessariò conjunctam negationem; ergo & singularitatem. Minor patet, quia omnis entitas hoc ipso, quod determinata entitas est, dividi nequit à seipsa; ergo nequit dividi in plures, quæ tales sint, qualis ipsa est, alioquin tota illa entitas esset in singulis, & consequenter ut est in una divideretur à seipsa prout est in alia, quod manifestam involuit repugnantiam. Secundò quia repugnat unum prædicari de alio, quod in ipso non est, nam prædicatio petit aliquam identitatem inter prædicatum, & subjectum, sed de quolibet individuo naturæ humanæ verè prædicatur, quod sit Homo; ergo conceptus communis naturæ humanæ existere debet in singularibus.

Tertiò quia hæ ideæ vel sunt aliquid à Deo productum vel non. Si secundum; ergo vel nihil sunt, vel sunt Deus ipse, qui est singularissimus; si verò primum dicatur; ergò sunt productæ per actionem singularem; ergo erunt singulares, cùm singularem terminum habere debeant:

Talis itaque universalitas tribuenda est naturæ, prout inclusa est in singularibus, adeoque in statu reali. Huic asserto adversantur Patres Societatis, negantes naturis creatis universalitatem Metaphysicam in statu reali, quod suadeo primò, quia universale metaphysicum est natura apta esse *in* pluribus. Atqui plures naturæ sunt aptæ à partetei esse in pluribus, quinimò de facto natura aliqua reperitur in pluribus; ergo &c.

Secundò probatur conclusio, & quidem præcipuè: non stat existere à parte rei naturam cum omnibus constitutivis universalis metaphysici, & non esse universalem metaphysicè; atqui à parte rei de facto sic existit; ergo. Major certa est. Ubi enim sunt omnia constitutiva, ibi necesse est, quod sit etiam constitutum, & quidem in eo statu, in quo sunt omnia constitutiva, quapropter negantes naturam à parte rei esse metaphysicè universalem, negant pariter habere omnia ejus constitutiva. Probatur itaque minor, constitutiva universalis metaphysici sunt naturæ numerica multiplicitas, ejus aptitudo remota ad essendum in pluribus, & unitas formalis; atqui hæc omnia natura habet à parte rei; ergo. Minor quoad primam partem certa est apud omnes, quoad secundam probabitur in sequenti Controversia, ubi de communitate naturæ per indifferentiam negativam, quoad tertiam verò sub hoc sequenti capite ostenditur.

## CAPUT TERTIUM.

*Datur unitas formalis positiva in naturis creatis à parte rei, adeoquè forma præcipua universalitatis.*

NEdum Patres Societatis, verùm etiam Thomistæ adversantur huic nostro asserto, cùm tantùm unitatem negativam per negationem divisionis expressam propugnent ut videre est apud Joannem à S. Thoma. Est tamen Henrici pluribus in locis, & præcipue colligitur ex summa art. 35. quæst. 1. num 6. ubi hæc habet: *Unitas est propria passio entis, itant quodlibet ens quomodocumque sumatur sit ex sua essentia unum, ita quod habeat unitatem sibi proportionatam*; cum quo

Probatur primò Conclusio. Unitas positiva consistit in indivisione, sed natura humana secundùm suam essentiam habet indivisionem per principia formalia; ergo ex se habet unitatem formalem positivam. Probatur Minor ipsa sui explicatione; nam quamvis natura humana dividi possit per principia individualia, seu in differentias individuales dividi tamen nequit per differentias essentiales, & principia formalia.

Dices rationem hanc solidam non esse ad intentum obtinendum, quia ex pura negatione divisionis penes principia formalia tantùm sequitur unitas negativa in ipsa negatione consistens, non tamen sequitur unitas positiva, quia hæc desumitur ab entitate in se indivisa, quæ indivisio certè non est in natura Petri, & Pauli à parte rei, quia non ponit eandem entitatem in utroque, quapropter Divus Thomas de ente, & essentia cap. 4 quæst. 6. hæc habet ad rem: *Quod non est de intellectu naturæ absolutè unitas aliqua, neque etiam pluralit as, quia utrumque potest sibi accidere*. Sed

Contra est. Quidquid enim sit de Divi Thomæ sententia aliquibus contendentibus Sanctum Doctorem propugnare unitatem formalem positivam realem, dico superiorem rationem ostendere unitatem positivam, quidquid dicant Joannes à Sancto Thoma, & Goudin, quorum est hæc superior solutio. Patet hoc siquidem unitas positiva est entitas in se indivisa; ergo ubi erit entitas indivisa, erit unitas positiva; atqui natura à parte rei, esto numericè divisa sit, est tamen entitas indivisa per principia formalia; ergo erit una positivè. In hoc discursu non video quid sit de quo dubitare possimus; Antecedens siquidem est certum, cùm sit ipsa definitio unitatis positivæ, quam tradit Goudin, consequentia verò est ipsa veritas Antecedenti supposito. Minor tandem subsunta omnibus certa est, unde nil mirum, quod aliqui Thomistæ mihi dixerint rationem hanc mirabiliter urgere supposito, quod unitas positiva nil aliud sit, quàm ipsa indivisio.

Dices secundò naturam in statu essentiæ præscindere ab hac unitate formali, quemadmodum à numerica præscindit. Sed

Contra est. Sicuti enim impossibile est naturam præscindere à suis prædicatis essentialibus, & proprietatibus pariter essentialibus, ita impossibile est præscindere ab hac unitate formali, quæ est ipsius naturæ proprietas realiter cum ipsa identificata. Ideò autem præscindit ab unitate numerica, quia hæc attenditur penes aliquod extrinsecum ipsi naturæ, cui non repugnat multiplicitas numerica, quod non verificatur loquendo de unitate formali.

Probatur secundò. Si aliqua esset ratio, quare natura in statu existentiæ non retineret unitatem formalem maximè quia in tali statu est multiplicata numericè; sed stat optimè, quod sit una unitate formali, quamvis sit multiplicata numericè; ergo natura secum retinet unitatem formalem etiam in statu existentiæ. Major est adversariorum. Minor ostenditur, quia divisio numerica solùm opponitur unitati numericæ non autem unitati formali, ergo.

Dices verum esse divisionem numericam non opponi unitati formali directè, quia sic opponitur solùm unitati numericæ, opponitur tamen indirectè, quæ oppositio indirecta explicari potest per hoc, quod cum natura includatur in singularibus, ad divisionem individuorum etiam gradus specifici, & generici dividantur. Nascente enim Petro nascitur unus homo, novum animal, nova substantia; sed

Contra est. Hæc enim solutio est nullius roboris, quamvis Goudin referat ipsam sumpsisse ex Divo Tho-

Thoma, ſiquidem, nec indirectè numerica multiplicitas opponitur unitati formali, & hoc quia non obſtante numerica multiplicatione natura eſt ſpecificè indiviſibilis; ſed ſpecifica indiviſibilitas eſt formaliſſima ipſa unitas formalis, quam prætendimus, ergo.

Habet itaque natura tum in ſtatu eſſentiæ, tum exiſtentiæ ſuam unitatem formalem poſitiuam, adeoque potiſſimum conſtitutiuum univerſalis, quam unitatem, & univerſalitatem cùm Adverſarii proſcribere conentur, quid dicant audire præſtat.

## CAPUT QUARTUM.

*Satisfit Argumentis oppoſitis.*

Arguit primo Illuſtriſſimus Spinula. Repugnat, quod eadem entitas ſit à parte rei eſſentialiter una, & eſſentialiter non una, hoc eſt habeat pro prædicato eſſentiali unitatem, & pro eodem negationem unitatis, aliàs non implicaret Chimera. Sed ſi natura humana, quæ eſt in Petro, eſſet formaliter ex natura rei una cum natura humana, quæ eſt in Paulo, ut contendunt Scotiſtæ, eadem entitas, hoc eſt eadem natura eſſet eſſentialiter una, & eſſentialiter non una; ergo &c. Probatur minor, quia per Scotiſtas natura humana ex natura rei eſt una; ergo ex eſſentia rei eſt una; ergo eſſentialiter una. Rurſus natura humana, quæ eſt in Petro eſt eſſentialiter identificata cum Petreitate; ergo eſſentialiter eſt ipſa Petreitas; quæcumque enim identificantur cum eſſentia rei ſunt ipſius eſſentia; ſicuti quæcumque identificantur cum Deo ſunt ipſa eſſentia Dei; ergò natura humana, quæ eſt in Petro eſſentialiter eſt ipſa diuiſio à Paulo, quia ipſa Petreitas eſt eſſentialis diuiſio à Paulo; ergo eſt eſſentialiter diviſio à Paulo; ergo eſſentialiter non una; ergo habet pro prædicato eſſentiali negationem unitatis.

Confirmatur. Natura humana quæ eſt in Petro eſt eſſentialiter una; ergo implicat quod realiter identificetur cum Petreitate, quæ eſt eſſentialis diviſio, & eſſentialis negatio unitatis. Probatur conſequentia, quia implicat quod entitas, quæ eſt eſſentialis unitas identificetur realiter cum eſſentiali diviſione, alias realiter poſſet idem identificari cum negatione ſui; ergo è contrà ſi identificatur natura humana cum Petreitate, quæ eſt eſſentialis diuiſio, & eſſentialis negatio unitatis cum natura Pauli, non poteſt ipſa eſſe realiter una cum natura Pauli.

Reſpondeo hoc argumentum nihil urgere, cum ſolum probet naturam, quæ eſt in quolibet individuo eſſe eſſentialiter unam unitate videlicet formali, non eſſe verò eſſentialiter unam altera unitate nimirum numerica cum illa Pauli, in quo nulla eſt repugnantia, quia ſunt unitates diverſæ lineæ, ſicut nulla eſt in hoc, quod Natura ſit eſſentialiter una unitate fundamentali, non verò ſit unitate numerica, per quod patet ad confirmationem.

Arguunt ſecundò Complutenſes. Omnes proprietates, quæ prædicantur de aliqua natura, prædicantur etiam de indiuiduis illius, ſed data à parte rei hac unitate poſitiua communi, hæc eſſet proprietas realis naturæ; ergo deberet etiam poſſe prædicari de eius individuis, & per conſequens ſicuti hæc eſt vera prædicatio: *natura humana habet unitatem poſitivè communem pluribus*, ità etiam vera eſſet hæc *Petrus habet unitatem poſitivam pluribus communem*.

Hoc argumentum vel non urget, vel ſi urget redarguit etiam arguentes docentes naturas creatas à parte rei gaudere unitate conformitatis, ſeù ſimilitudinis. Urget inquam etiam hos arguentes, quià eodem iure contrà ipſos ſic arguere poſſem. Omnes proprietates, quæ prædicantur de aliqua natura, prædicantur etiam de individuis illius, ſed hæc unitas conformitatis eſt proprietas realis naturæ, ergo debet prædicari de individuis, et per conſequens eſſet vera hæc prædicatio Petrus habet unitatem ſimilitudinis, vel Petreitas habet unitatem ſimilitudinis. Quod ſi dicant Complutenſes priorem propoſitionem veram eſſe, ſed ratione partis. Idem dicam & ego, nimirum propoſitionem hanc Petrus habet unitatem poſitivam pluribus communem veram eſſe ratione partis, ideſt ratione naturæ.

Arguit tertiò Ioannes à Sancto Thoma. Vnitas poſitiva tunc abſolutè, & ſimpliciter eſt unitas, quando non ſolum negat diviſionem ex una parte, ſed relinquit ſubiectum ex omni parte indiviſum, ſed natura conſiderata ſecundum ſe non habet ex omni parte indiuiſionem, neque removet omnia principia pluralitatis; ergo non habet unitatem formalem, poſitivam. Maior eſt certa ſi enim ex aliqua parte natura relinquat locum diviſioni, vel pluralitati ſolum ſecundum quid erit una, & non ſimpliciter. Probatur itaque minor, quia natura ſecundum ſe conſiderata eſt indifferens ad pluralitatem, vel unitatem, & determinatè neutrum ſibi vindicat; ergo non habet ex omni parte indiviſionem.

Hoc argumentum eſt ratio fundamentalis Ioannis à Sancto Thoma, quod deſumitur ex verbis Divi Thomæ de ente, & eſſentia cap. 4 quæſt. 6. illis verbis: *natura ſecundum ſe neque eſt una, neque plures. Si quæratur utrum iſta natura poſſit dici una, vel plures, neutrum concedendum eſt, quia utrumque eſt extra intellectum humanitatis, & utrumque poteſt ſibi accidere*. Sed bona pace hujus celebris Thomiſtæ nec argumentum robur habet, nec ex Divi Thomæ verbis deſumi poteſt, ſaltem ex illis, quæ hic arguens affert in argumento cum per relata verba ſolum inſinuet Sanctus Doctor naturam metaphyſicè inſpectam, ſeu ſecundùm ſe, neque habere unitatem numericam, neque multiplicitatem numeralem, ſed ab utraque præſcindere; nec ullo modo eſt ſermo de unitate formali, ut ex his poſterioribus verbis patere poteſt: *cum tamen una ſit ſecundùm quod eſt in Socrate; ſimiliter ſi unitas eſſet de intellectu, & ratione ejus, tunc eſſet una, & eadem natura Socratis, & Platonis*.

Nec etiam urget argumentum rationi inhærendo, ſiquidem falſa eſt major propoſitio, quæ ſufficienter non probatur per hoc, quod relinquat natura locum diviſioni, ſiquidem hæc non relinquit talem locum, vel indifferentiam, in ea ratione, in qua eſt una, ut conſideranti patebit.

Arguit quartò, & ultimò P. Andreas Semerii. Si natura creata eſſet intrinſecè una jam talis natura non plurificaretur, ſeu multiplicaretur numericè, ſed ad hoc ut ſit univerſalis exigitur talis multiplicatio; ergo. Probatur Major. Ideò talis natura adhuc plurificaretur, quia identificaretur cum pluribus realiter inter ſe diſtinctis, atqui ex hac identitate non ſequitur, quod plurificetur. De facto enim natura divina identificatur cum pluribus realiter inter ſe diſtinctis, & tamen non plurificatur; ergo ſtat identitas cum pluribus ſingularitatibus realiter inter ſe diſtinctis, quin multiplicetur.

Respondeo, quod dum natura in schola Henrici dicitur intrinsecè una, intelligitur sola unitas specifica, quæ certè locum relinquit naturæ, ut numericè multiplicari possit, quæ numerica multiplicatio non desumitur penes hoc, quod identificetur cum pluribus; sed penes hoc, quod ita identificetur cum pluribus, ut in ipsis multiplicetur, & per singularitates dividatur; ad differentiam divinæ naturæ nullatenus per personalitates divisæ. Undè in forma distinguo majorem, si natura creata esset intrinsecè una tam numericè, quam specificè non plurificaretur numericè concedo Majorem, si tantùm sit intrinsecè una specificè nego Majorem, & concessa minori, nego Consequentiam.

## CAPUT ULTIMUM.

*Satisfit argumentis, quibus Adversarii contendunt à parte rei non dari universale Metaphysicum.*

PRimò arguere possunt aliqui ex iis, quæ habet Doctor in Summa art. 72. quæst. 1. nu. 15. ubi universalitatem naturæ solùm tribuit prout substat secundæ intentioni; hæc enim habet: *Est enim in universali, & singulari circa Creaturas primò considerare rationem universalitatis, & singularitatis, quæ sunt rationes secundæ circa rem substractam, neutram illarum natura sibi determinans, sed possibilis, idest indifferens, & quasi materialis ad utramque*. Ex quibus sic argui potest. Pari modo natura se habet ad universalitatem, quo ad singularitatem, sed ad hanc secundam, ita se habet, ut ab ipsa præscindat; ergo etiam à prima.

Respondeo omissa nonnullorum in nostra schola solutione, Doctorem loco recensito solùm negare naturæ secundùm se universalitatem logicam, de qua tantùm sermonem instituit. Quod mihi constat, quia in eadem summa art. 40. quæst. 4. docet extra Animam dari universale in potentia, illis verbis: *Universale quod est in re, est in potentia*; quod idem est ac directè universale metaphysicum esse à parte rei.

Arguunt secundò Adversarii. Nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare ergo nulla natura datur, quæ sit communis, vel possit nominari universalis. Probatur Antecedens: Omne, quod est in rerum natura, est productum per aliquam actionem, sed actiones sunt circa singularia; ergo nihil datur à parte rei, quod non sit singulare.

Confirmatur. Omne quod est in rerum natura est capax existentiæ, sed existentia solùm convenit singularibus; ergo nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare.

Respondeo verum esse singularitatem habere totum id, quod existit à parte rei; at non omne id, quod est singulare tale est de se, & ab intrinseco, sed solùm singulare esse debet, vel formaliter, & secundùm se, vel ratione identitatis cum aliqua differentia individuali. Natura autem creata quælibet singularis est singularitate extrinseca, vel desumpta à differentia individuali, cum qua est realiter identificata; cæterum de se est pluribus communicabilis, & ad plura indifferens, ut suo dicam loco.

Ad confirmationem dico: non omne id, quod est in rerum natura capax esse propriæ existentiæ, sed solùm existentiæ vel propriæ, vel alienæ. Singularitas autem de se solùm rei propriam existentiam habenti convenit, quapropter natura creata, quia existentiam non habet sibi propriam; sed existentia tertii existit, ideò non est per se, sed per accidens singularis.

Arguit tertiò Suarez. Si à parte rei natura non sit apta ad essendum in pluribus, profectò à parte rei non est universalis, atqui de facto à parte rei non est apta ad essendum in pluribus; ergo non est universalis. Probatur Minor. A parte rei nihil est nisi singulare, & nihil est in ipsis singularitatibus, quod sit à singularitate ex natura rei distinctum; ergo natura prout est à parte rei non est apta ad essendum in multis. Patet consequentia, quia in re individua non est aptitudo ad essendum in pluribus; ergo si natura prout est à parte rei est singularis, seu hæc, non erit apta ad essendum in pluribus.

Quod si dicas esse aptitudinem remotam, quamvis non adsit proxima, contra dupliciter insurgit idem Suarez. Primò quia quælibet aptitudo quæcumque sit, non stat sine aliqua indifferentia, & indeterminatione, sed à parte rei non existit natura indeterminata, sed solùm determinata, & ita determinata, ut non possit eadem secundùm rem per aliam singularitatem determinari; ergo neque erit apta ad essendum in pluribus.

Secundò quia hæc aptitudo remota nihil aliud est, quam quod natura quantum est de se, si contractio auferatur, possit communicari pluribus, atqui si sic explicetur aptitudo jam hæc non ponitur à parte rei, cum à parte rei non fit ablatio contractionis, sed potiùs ipsius positio; ergo à parte rei non est apta, nec etiam aptitudine remota.

Urgetur breviùs, & clariùs. Posse pluribus communicari si auferretur contractio, est formalissimè non ablata contractione non posse pluribus communicari. Patet hoc, nam si potest communicari etiam non ablata contractione, jam inepta est talis explicatio aptitudinis remotæ, sed à parte rei natura est tantùm cum contractione, non verò sine contractione; ergo à parte rei non est apta, nec etiam aptitudine remota.

Confirmatur primò. Natura quæ dicitur universalis non habet existere in singularibus nisi sibi identificando ipsam singularitatem, sed talis natura identificata uni singularitati, nequit identificari aliis; ergo natura ut re ipsa communicata individuis nequit habere aptitudinem realem ad essendum in multis. Major est certa, siquidem natura, quæ dicitur universalis non distinguitur formaliter ex natura rei à suis singularitatibus, quinimmò ad efficaciam argumenti sufficit identitas realis, cum etiam ratione identitatis realis non possit genus contractum ad unam speciem contrahi ad aliam. Probatur itaquè minor. Ut talis natura identificata cum uno individuo identificari possit cum aliis, debet posse ammittere identitatem cum illo, in quo est, sed nequit ammittere identitatem cum illo, in quo est; ergo neque poterit identificari cum aliis.

Confirmatur secundò. Si natura existens haberet hanc aptitudinem; jam hæc aptitudo existeret à parte rei, sed si existit à parte rei, jam est singularis; ergo aptitudo est singularis, sed aptitudo singularis esse debet in natura individua, & singulari; ergo hæc aptitudo erit in naturis singularibus; ergo naturæ de se non sunt universales.

Respondeo hoc argumentum cum suis confirmationibus nullius esse roboris, si præmittamus doctrinam superius traditam, distinguentem singulare de se à singularitate per accidens, seu ratione alterius; cui inhærendo dicendum est naturam

quam-

quamlibet ſpecificam à parte rei ſingularem utiquè eſſe per accidens, non verò de ſe, quia hæc ſecunda ſingularitas fundamentaliter à propria exiſtentia deſumitur, quam non habet natura creata. Undè patet in forma ad argumentum. Ad id verò quod addit Suarez in fine eiuſdem, dico ineptè explicari aptitudinem remotam per allatam propoſitionem conditionalem, ſiquidem aptitudo remota non conſiſtit in hoc, quod natura ſit communicabilis pluribus, quantum eſt de ſe, ſi contractio auferatur, ſed in hoc, quod natura ſimpliciter, & abſolutè ſit de ſe communicabilis. Aptitudo enim, quæ reſultat in natura per ablationem contractionis, non eſt remota, ſed proxima, cum nullum impedimentum præſeferat.

Ad primam verò confirmationem conceſſa majori, loquendo de identitate reali ſtricta, diſtinguo minorem, non poteſt identificari cum aliis defectu aptitudinis metaphyſicæ in ipſa natura nego minorem, defectu identitatis realis, quam importat concedo minorem, & nego conſequentiam. Diſtinctio explicabitur, ubi de indifferentia naturæ. Interim pro certo tenendum eſt identitatem realem ejuſdem cum ſingularitate ſolum officere indifferentiæ proximæ naturæ non verò remotæ, quæ ſola conſtituit univerſale metaphyſicum.

Secunda confirmatio integrè ſolvitur, ſi unicè advertamus æquivocationem eſſe poſſe in hac propoſitione: *Si exiſteret in natura à parte rei aptitudo, jam hæc eſſet hæc*, vel enim ſenſus, eſt, quod eſſet determinata aptitudo, ideſt aptitudo alicujus determinatæ naturæ ſpecificæ ad plura individua, vel genericè ad plures ſpecies; vel ſenſus eſt, quod ſit aptitudo ſingularis naturæ entitativæ ſingularis. Si ſenſus propoſitionis primus ſit conceditur, quod aptitudo hæc ſit ſingularis, ſi verò ſecundus, hoc negatur; per quod patet in forma.

Arguit ultimò Suarez. Unitas formalis multiplicatur in individuis cum ipſa natura, ſed unitas, quæ eſt propria naturæ univerſalis, multiplicari nequit in inferioribus, quinimmò hæc potius ſunt unum ſub ea ratione; ergo natura univerſalis aliam unitatem habere debet præter unitatem formalem.

Reſpondetur diſtinguendo majorem unitas formalis multiplicatur in individuis formaliter nego majorem, materialiter concedo majorem, & diſtinguo minorem, Unitas, quæ eſt propria naturæ univerſalis non poteſt multiplicari in inferiora in ea ratione, in qua eſt univerſalis concedo minorem, in alia ratione nego minorem, & conſequentiam. Diſtinctio explicabitur inferius.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum indifferentia naturæ ad plura individua conveniat rebus extrà operationem intellectus.*

### CAPUT PRIMUM.

*In quo præmittitur multiplex ſpecies communitatis.*

Sicuti unitatem formalem poſitivam tribuunt naturæ omnes illi, qui eidem dant univerſalitatem metaphyſicam in ſtatu reali, ſic & indifferentiam, quam communiter dividere ſolent in negativam, & eſt naturæ indifferentia ad plura, quamvis impedita ſit per ſingularitatem; & per inexiſtentiam, quæ conſiſtit in hoc, quod una, & eadem natura realiter entitativè ſine formali ipſius diviſione ſit in omnibus inferioribus omninò immultiplicata. Rurſus communitas per indifferentiam, alia eſt poſitiva, negativa altera. Prima eſt quando natura ità concipitur indiviſa, ut æqualiter reſpiciat omnia individua ſi ſit natura ſpecifica, omnes verò ſpecies, ſi natura generica. Secunda verò illa dicitur, quam adhuc in ſe retinet natura; quamvis contracta ſit per aliquam differentiam. Nuncupatur autem negativa, quià non gaudet illa indifferentia expedita, quam aliundè habet in ſtatu abſtractionis. Iſtæ Communitates explicari ſolent per Analogiam ad indifferentiam materiæ primæ in ordine ad formas, quibus ſi careat, dicitur proximè indifferens ad ipſas, ſi verò non careat, ſed poſſideat, dicitur tantùm remotè capax, & indifferens reſpectivè ad formas, quas non habet.

Hic autem quæri ſolet, quam indifferentiam habeat natura in ſtatu reali, nimirum an negativam, vel per inexiſtentiam? In qua difficultate communis eſt ſententia Scotiſtarum, & Henriciſtarum docentium naturam eſſe communem per indifferentiam negativam. Sic Henricus quodlib. 11. quæſt. 1 Scotus in 2. diſt. 3 quæſt. 1. & 5. Sed contrà, quibus ſe opponunt Thomiſtæ ferè omnes, & Patres Societatis, & præcipuè Joannes à Sancto Thoma quæſt. 3. art. 3. in Logica, Conibricenſes quæſt. 4. de univerſalibus art. 4 Suarez diſp. 6 ſect. 4 Fonſeca 5 Metaphyſicæ cap. 28. quæſt. 5. ſect. 3 Complutenſes diſp. 3. quæſt. 4 de eſſentia univerſalium, Nicolaus Arnù quæſt. 3. de univerſalibus art. 3. cap. 2. Cavinus, Goudin, & Godoy in ſuis manuſcriptis.

Inter hos Auctores prioribus adhæremus, ex quibus probatur hac unica, ſed efficaci ratione indifferentia negativa naturæ. Si natura à parte rei exiſtens non eſſet indifferens maximè quia in tali ſtatu eſt de ſe ſingularis, ſed hoc penitus diſſonum eſt à veritate; ergo &c. Major eſt Adverſæ partis fundamentum, ut legenti Suarezii metaphyſicam, & Joannis à Sancto Thoma opus Logicum locis citatis patere poteſt. Probatur itaquè minor. Si natura ab intrinſeco eſſet ſingularis, vel non poſſet concipi, ut univerſalis, vel ſi conciperetur, hoc fieret per conceptum falſum; ſed utrumque falſum eſt; ergo. Oſtenditur minor, quæ quo ad primam partem conſtat: Ideo enim natura Divina fieri nequit univerſalis, quia eſt de ſe ſingularis, ut optimè advertit Henricus in ſumma art 43. quæſt. 3. illis verbis: *Forma Deitatis eſt unica, & ſingularis unitate rei in diverſis ſuppoſitis, ideircò ſimpliciter dicendum eſt, quod in ipſa nullo modo cadat ratio univerſalis*; ergo ſi natura creata quælibet erit de ſe ſingularis non poterit concipi ut univerſalis, vel ſi talis natura conciperetur, jam cum falſitate hoc eveniret, quia conciperetur ut communicabilis, quando aliundè natura in ſe, & de ſe eſſet ſingularis.

### CAPUT SECUNDUM.

*Satiſſit Argumentis Contrariis.*

Indifferentiam hanc negativam, quam Alumni Doctoris ſolemnis, & ſubtilis ſuſtinent, ferè omnes proſcribunt, & præcipuè Divi Thomæ Doctrinam ſequentes, quid dicant refero, & quidem ea fidelitate, quam ſemper adamavimus. Arguit itaquè primò in ſchola Divi Thomæ inter cæteros Doctiſſimus Joannes à Sancto Thoma. Iſta aptitudo,

do, quæ est fundamentum proximæ universalitatis non est sola communitas negativa, vel pura negatio habendi singularitatem, sed est capacitas, seù non repugnantia ut natura una existens multiplicetur in multis; ergo in statu illo, in quo natura nequè est una, neque plures, vel in statu, in quo est contracta ad individuationem, non habet capacitatem unitatis ad multiplicationem; sed in statu singularitatis habet repugnantiam ad istam multiplicationem; in statu verò solitudinis, seu naturæ secundùm se nondum habet unitatem multiplicabilem in plura, sed solùm prædicata quidditativa, inter quæ non potest numerari ista capacitas, seu non repugnantia unitatis ad multiplicationem; ergo hæc aptitudo, seù indifferentia in natura non datur, sivè in statu essentiæ, sivè existentiæ sumatur.

Confirmatur. Licèt natura secundùm se non sit incapax neque ad existendum in multis, nequè ad singularitatem in uno, tamen dici nequit, quod ibi habeat capacitatem unitatis ad multa, qualis requiritur ad fundandam universalitatem, quæ est capacitas absolutè, & non solùm quod ex aliqua parte non sit incapax. Sicuti etiam in lapide est incapacitas simpliciter ad intelligendum, & consequenter non habet fundamentum intellectualitatis, licèt ex hoc præcisè quod sit substantia non sit incapax ad intellectualitatem. Sic aliud est dicere, quod natura secundùm se non est incapax unitatis ad multa, aliud verò quod secundùm se sit capax, & habeat talem non repugnantiam, cum nondum habeat talem non repugnantiam.

Respondeo verissimum esse aptitudinem naturæ negativam nedum consistere in hoc, quod ipsa secundùm se singularitatem non dicat, sed etiam quod una sit, & capax numericæ multiplicitatis. At quod ad rem facit est, utrumquè habere naturam sivè in statu essentiæ concipiatur, sivè in statu existentiæ, vel pro ut est contracta; Priori quidem statu, quia ipsi convenit unitas formalis, ut suprà ostensum est, simulquè non repugnat multiplicari; secundò verò statu, quia esto ipsi repugnet multiplicari, hoc tamen implicat ratione differentiæ individualis sibi identificatæ per identitatem realem non verò ratione sui, quia de facto est multiplicata, quod non eveniret, si ex intrinsecis suis esset immultiplicabilis

Ad confirmationem dico naturam nedum secundùm se capacem esse ad existendum in multis, sed ulterius habere capacitatem unitatis ad plura, unitatis inquam specificæ, quatenus una specie multiplicari potest numericè specificam unitatem retinendo, quæ simul cum tali capacitate perfectè constituit naturæ indifferentiam. Lapis autem non dicitur capax ad intelligendum, quia nullam immaterialitatem habet, ex qua in sententia Henrici, & Divi Thomæ infertur esse cognoscitivum quid quid in oppositum Scotus, Scotistæ, Cacheranus, aliique sentiant. Sed

Instat Suarez. Si hæc aptitudo conveniret naturæ secundùm se aut conveniret naturæ existenti, aut non existenti; sed convenire nequit naturæ existenti, quia non existit nisi effecta individua per identitatem; ergo nec etiam convenire potest naturæ non existenti, quia ut natura non existens concipi possit, ut habens hanc aptitudinem, debet saltem concipi, ut possibilis, quia posse esse in multis, intrinsecè includit, & supponit posse. Natura autem ut possibilis tam benè est individua, quàm natura ut existens; ergo convenire nequit naturæ ante opus intellectus. Consequentia hæc liquet; siquidem nullus alter est status realis naturæ, quàm status essentiæ, & existentiæ.

Respondeo talem aptitudinem in utroque statu convenire naturæ, in statu scilicet possibilitatis, & existentiæ, & quidem eodem modo ob rationem adductam in argumento mihi certam, & validam, quia nimirum natura, ut possibilis non minùs est individua, quàm sit natura ut existens. Nec officit, quòd in utroque statu singularis sit, quia singularitas non intelligitur, si naturam consideremus secundùm suam realitatem metaphysicam, vel principia formalia, sed solùm si identicè, seu secundùm id, quod importat realiter. Undè est quod Complutenses, qui contrariam nostræ tuentur sententiam, fateantur veram esse hanc propositionem: *Natura secundùm se non est singularis*; Quamvis hæc altera falsa sit: *natura secundùm se est non singularis*. Nec hæc naturæ indifferentia improbabilis videri debet eximio viro Francisco Suarezio, cùm & ipse, si bene advertamus, hanc propugnet his formalibus verbis: *Alio modo potest intelligi merè negativè, nempè quod natura ex vi suæ unitatis formalis præcisè sumptæ, non habeat repugnantiam, ut sit in multis*. Et hic sensus verus est; quæ certè non repugnantia est nostra indifferentia negativa.

Dices denuò: si natura humana, quæ est in Petro esset negativè indifferens ad quamcumque singularitatem, ita ut quantùm est de se posset esse sine Petreitate, sequeretur, quod dum est sub Petreitate, non sibi identificaret realiter Petreitatem; sed hoc falsum penitus est; ergo & primum. Probatur sequela majoris, quia nihil potest identificare sibi illud, sine quo aliquando potuit esse, immò absolutè esse potest; sed natura humana Petri potuit esse sine differentia individuali eiusdem Petri; nam sicut fuit contracta per illam, ità potuit contrahi per differentiam indiuidualem Pauli, immo adhuc ut est cõtracta per differentiam individualem Petri, est indifferens de se, ad hoc ut contrahatur per aliam differentiam indiuidualem saltem diuisiuè, & in hoc consistit indifferentia negatiua; ergo dum est in Petro, nequit sibi identificare differentiam individualem Pauli.

Hæc revera est præcipua in hac materia difficultas, undè Mastrius in Metaph. disp. 9 quæst. 2. num. 37. asserit, se nullum adhuc reperisse Scotistam, qui difficultatem hanc ritè dissoluerit. Omissis itaquè variis solutionibus videndis apud eumdem Auctorem, respondere placet cum quibusdam recentioribus Scotistis, negando sequelam maioris; ad cujus probationem distinguo maiorem, nihil potest sibi identificare illud, sine quo aliquando potuit esse absolutè concedo majorem, solùm ex se præcisè nego maiorem, & minori pari modo distincta, nego Consequentiam. Itaquè verum est, quod natura ex se non determinatur, neque sibi identificat aliquam singularitatem, immo ex se est indifferens ad quamlibet sibi identificandam, tamen absolutè loquendo illam sibi necessariò identificat.

Arguit secundò Urtadus. Quamuis prædicata superiora ex natura rei formaliter distinguantur à differentia individuali, nihilominus realiter cum illa identificantur; sed illa, quæ realiter identificantur, & si formaliter ex natura rei sint distincta, nequeunt de potentia Dei absoluta separari; ergo nullus est status, in quo prædicata superiora, quæ sunt in Petro contracta per hanc differentiam individualem, habeant hanc indifferentiam, ut per

hanc,

hanc, vel per illam differentiam individualem contrahantur; ergo in nullo statu præcedente operationem nostri intellectus indifferentiam habent.

Respondeo, quod si Hurtado melius percepisset explicationem indifferentiæ negativæ, quam ponit Doctor in natura creata ad singularitates contracta, argumentum hoc non efformasset; siquidem hæc naturæ indifferentia in hoc tantùm consistit, quod ipsa quantùm est de se, seù ratione suæ essentiæ, singularis non sit, sed potius indifferens, & pluribus communicabilis. Hæc autem tolli nequit à natura esto sit inseparabilis ab illa differentia individuali, cum qua est contracta. Talis enim inseparabilitas, quamvis officere possit indifferentiæ physicæ, non tamen obstat indifferentiæ remotæ, & metaphysicæ. Patet hoc, quia talis identitas realis, teste arguente, non officit distinctioni formali ex natura rei; ergò non tollit à natura, quod in suo conceptu quidditativo non sit de se hæc, & singularis. Si autem singularis non est de se; ergò jam universalis est, & indifferens. In forma itaque hoc argumentum Hurtadi soluendum est eadem solutione, qua superiori instantiæ satisfecimus.

Arguit tertio, & ultimò Pater Arnù. Natura realiter, & intrinsecè indifferens ad plures actus, vel formas potest successivè realiter illos recipere; ergo si natura humana in Petro de se est intrinsecè indifferens ad plures singularitates, poterit successivè illas recipere, & cum illis conjungi, quod est impossibile. Probatur Antecedens. Quando aliquod est indifferens ad plura accidit illi esse in hoc, vel in alio, ut patet in ipsa materia prima, quæ quia de se indifferens est ad plures formas, accidit illi quod sit sub hac, vel sub illa, & successivè plures recipit.

Confirmatur, quià per intellectum natura abstracta redditur indifferens ad sua inferiora, potest per intellectum cum quolibet inferiori conjungi; ergo si est indifferens intrinsecè realiter, & à parte rei, poterit cum quolibet individuo realiter actu uniri, ad quod intrinsecè remanet indifferens.

Omnium arguentium contra Scoti, & Henrici thesim commune est infortunium, quod impugnent hanc indifferentiam negativam, quando hujus accuratam ideam nundum efformaverint. Indifferentia siquidem hæc, quam in natura reponimus, metaphysica est, adeoque non reducibilis ad actum in ordine ad ea omnia, ad quæ est indifferens, ad differentiam physicæ indifferentiæ ipsius materiæ ad formas, quæ valet illas successivè recipere, & cum illis conjungi, quia est indifferentia ad plura separabiliter.

Ad confirmationem disparitas clarissima est, siquidem natura abstracta est taliter indifferens ad sua inferiora, ut intelligatur expedita à qualibet singularitate conjunctionem impediente; quam certè indifferentiam expeditam, vel proximam, non habet natura à parte rei propter identitatem realem cum singularitate.

## CAPUT TERTIUM.

*In quo exponitur difficultas communitatis naturæ per inexistentiam, & resolvitur negativè.*

Controversia hæc proposita locum habet solum in schola Henrici, & subtilis; Exteri enim cùm negent naturæ creatæ in statu reali communitatem per indifferentiam esto negativam, negent & unitatem formalem, a fortiori negabunt indifferentiam per inexistentiam cùm longè plus sit naturam esse communem per inexistentiam, quam per solam indifferentiam. Dissidium itaque est solum in schola Subtilis, in qua propugnant aliqui hanc per inexistentiam communitatem, ut Frassen Columbus, Boyvinus & Alii Scotistæ, quibus nouissime adhæret quidam Siculus tertii Ordinis Sancti Francisci Romæ Theologiæ Professor; & Lector Scoti subtilis discipulus in suis aureis manuscriptis. Negant verò alii ut Mastrius, Pontius, Petrus à Sancta Catherina, Bartolomæus de Barberis, Dupasquier, quibus adhæret ferè tota Scoti Societas. Dissidium tamen est apud recensitos Auctores in assignanda vera Scoti Sententia. Priores enim Deffensores autumant Subtilem posuisse hanc communitatem per inexistentiam, quam adesse existimant, in 2. dist. 3. quæst. 8., ubi occurrendo illi argumento omnibus noto, videlicet ex communitate naturæ per inexistentiam aliquod mirabilius sequi Mysterio Sanctissimæ Trinitatis hæc habet: *non eodem modo, quo in Divinis est unum reale, eodem modo commune in creatis est unum reale, ibi enim commune est singulare, & individuum, quia natura divina est de se hæc. Eodem modo manifestum est, quod nullum universale in creatis est realiter unum, tamen in creatis est aliquod commune unum unitate reali minus unitate reali*; ex quibus dicunt, colligi posse Doctorem posuisse in natura independenter ab intellectu communitatem hanc per inexistentiam.

Secundæ verò sententiæ Propugnatores ex eodem Magistro repugnantiam desumunt, hanc firmantes ex dist. 3. quæst. 6. in corpore illis verbis: *concedo ergo quòd unitas realis non est alicujus entitatis existentis in duobus individuis; sed in uno*; ex quibus communitatem per inexistentiam repugnare passim colligunt quamplures Scotistæ, quamvis ejusdem Deffensores hæc, & alia Scoti verba explicent de unitate numerica, de qua verum est, unitatem realem non esse alicujus entitatis existentis in duobus, sed in uno.

Sed quinam Scotistæ ex istis Scoti mentem assequantur, res incerta est; in qua tamen incertitudine ego secundis subscribo. Ratio est, quia (ut optimè etiam advertit Mastrius) docet Doctor in 3. dist. 8. quæst. 1. *in singulis individuis naturam communem plurificari ad pluralitatem eorum cum plurificatione etiam unitatis formalis naturæ, ita ut alia sit unitas formalis humanitatis Christi, alia verò humanitatis Mariæ*. Sed quidquid sit de Scoti mente, mihi satis est communitatem hanc expressè ab Henrico negari quodlib. 3. quæst. 7. ubi hæc lego; *manifestum est, quoniam non est possibile, ut natura una habeat esse in istis sensibilibus, ita ut in actu sit universalis, idest ut ipsa una sit communis*. Henrico itaque ut adhæreamus, hanc communitatem per inexistentiam repugnare dicendum est, & probandum, quod antequam fiat, opus est priùs in examen vocare, quid sit hæc naturæ Communitas per inexistentiam, quam opinor nil aliud esse quàm unam naturam positivè existentem in pluribus, ita ut una differat ab alia solùm ratione differentiarum; una inquam non numericè, cum sic multiplex sit; sed solùm formaliter ita, ut natura Petri, & Pauli præcisis differentiis individualibus sint una, & eadem natura entitativè, seu formaliter in omnibus inexistens. Hæc est communis indifferentiæ per inexistentiam explicatio, in quo sensu.

Impugnatur primò. Quia si natura humana esset



omni-

omnibus individuis per inexistentiam communis, sequeretur primò, quod eadem natura esset simul beata, & misera, misera quidem prout existit in uno supposito, v. gr. in anima damnati; beata verò prout est in alio supposito, ut in Christo, sed repugnat eandem naturam entitativè simul esse beatam, & miseram; ergo repugnat quoque, quod sit communis per inexistentiam. Secundò sequeretur Deum nō posse annichilare aliquod individuum, nec aliud de novo creare. Probatur hoc; quia annichilatio ex genere suo est destructio rei nihil de re remanente ad differentiam corruptionis, in qua semper remanet aliquid de corrupto; & creatio est productio rei nihilo physicè præsupposito ad differentiam generationis, quæ semper aliquid præsuponit; sed juxta contrariam sententiam destructo individuo natura ejus remaneret in Paulo, & ad productionem unius individui præsuponeretur in alio illius naturæ, siquidem esset eadem in omnibus; ergo Deus non posset annichilare, nec creare aliquod de novo.

Rationem hanc communitatem per inexistentiam impugnantem viderant adversæ partis Auctores, qui ut occurrant dicunt actiones esse suppositorum; undè non est natura formaliter sumpta, quæ esset misera, & beata, sed natura singularizata. Hæc autem est diversa in quolibet individuo. Unde in forma eum distinctione sic procedunt. Eadem natura specifica esset damnata, & salvata concedunt, numerica negant. Nullum enim est absurdum, quod eadem specie, natura, & numero diversa sit electa in Christo, misera vero in Juda, sed absurdum solùm esset, si eadem natura singularis esset salva, & damnata.

Ad secundum verò in eadem oppugnatione respondent, annichilationem esse totalem destructionem rei singularis in esse singularis, non verò naturæ communis, ita ut destructio cadat supra existentiam singularem, non verò communem, undè non sequitur Deum non posse annichilare Petrum, & Paulum, sicuti non sequitur Deum non posse Petrum creare, quia creatio, est productio totalis rei singularis, ita ut nihil singulare illius præexistat; actiones siquidem immediatè attingunt ipsa singularia, non verò universalia. Sed

Contra est primò. Siquidem quamvis verum sit actiones esse suppositorum denominativè, esse tamen naturæ effectivè nullus negabit; ergo semper eadem entitativè natura esset beata, & misera per modum principii. Insuper natura, quæ est in aliquo individuo dicitur beata nedùm ut singularizata, sed etiam entitativè, ita ut quoties natura in aliquo supposito beata sit, in illo etiam entitativè sit beata; sed per sententiam, quæ impugnatur natura entitativè est una in omnibus; ergo semper esset simul beata, & misera. Ideò autem dicitur, quòd natura, quæ beatificatur, non est nisi natura singularis, non quia natura entitativè non beatificetur, sed quia non beatificatur, nisi ut singularis, & in supposito.

Contra est secundò. Nam si natura in individuis non multiplicatur intrinsecè in ratione naturæ secundùm esse reale physicum, non solùm specie, sed etiam numero esset eadem; sed ex hac solutione repugnat quod eadem natura numero simul sit beata, & misera; ergo etiam quod sit una positivè communis per inexistentiam Ostenditur Major. Ideò natura dicitur una numero in tribus personis, quia personalitates ita identificantur cum natura divina, ut ex vi talis identitatis non fiat multiplex in ratione naturæ, sed tantùm personaliter; ergo si natura creata ita identificatur cum singularitatibus, ut in ratione naturæ entitativè intrinsecè non multiplicetur jam erit una numericè.

Contra est tertiò, quia dum ponitur natura, verbi gratia, humana in pluribus individuis, vel hæc multiplicatur realiter intrinsecè, vel non; si hoc secundum dicas; ergo semper una natura entitativè realiter immultiplicata esset simul beata, & misera. Si verò entitativè multiplicatur; ergo non erit amplius communis per inexistentiam.

Nec minus insubsistens est solutio assignata de creatione, & annichilatione rei, quia quoties aliquid creatur, non solùm producitur secundùm ultimum gradum intellectualem; sed etiam secundùm omnem realitatem, quæ in ipso existit à parte rei usque ad supremam realitatem positam in prædicamento; ergo ad creationem non sufficit, quod nihil singulare præexistat, sed ulterius requiritur, quod nihil prorsus sivè singulare, sive commune debeat in Creatione præcedere, ut optimè advertit Mastrius, cujus doctrinæ.

Adderem ego tunc non officere creationi rei communis presupositionem, quando hæc non ingreditur inter ejusdem rei constirutiva, quæ creatur, quod si ingrediatur, obstat ipsa præsupositio. In casu autem ipsa natura humana ingreditur intrà constitutiva Petri; ergo ejusdem naturæ præsupositio creationi derogaret.

Probatur secundò conclusio. Si natura esset communis pluribus per inexistentiam daretur universale formale à parte rei; Sed hoc penitus falsum est ergo. Minor liquet etiam apud Deffensores communitatis naturæ per inexistentiam. Probatur itaque sequela majoris. Tunc à parte rei esset natura Logicè universalis quoties daretur unitas sufficiens in natura, ut ipsa esset proximè prædicabilis de pluribus, atqui si natura esset communis per inexistentiam, daretur in ipsa natura unitas sufficiens ad hoc ut esset proximè prædicabilis de pluribus; ergo. Probatur minor. Ad hoc ut aliquod sit proximè prædicabile de pluribus, sufficit quod sit intrinsecè, & essentialiter in illis secundùm illam rationem, secundùm quam prædicatur, sed si natura humana, verbi gratia, esset una formaliter, & communis pluribus per inexistentiam, includeretur intrinsecè, & essentialiter in illis secundùm illam rationem, secundùm quam prædicatur; ergo esset formaliter universalis. Minor patet, quia natura humana solùm prædicatur secundùm rationem formalem naturæ; sed si natura humana esset una formaliter, & communis pluribus per inexistentiam, hoc est eadem entitativè in pluribus inexisteret, includeretur intrinsecè, & essentialiter in illis secundùm illam rationem, secundùm quam prædicatur; ergo.

Huic rationi respondent Adversarii: Naturam adhuc non futuram esse à parte rei logicè universalem, quia ad hanc habendam à parte rei non sufficit, quod una sit, & eadem in multis, immultiplicata, sicuti est divina, quæ est in pluribus divinis personis, quin multiplicetur. Hoc enim intervenit discrimen inter universale Logicum, & Metaphysicum, quod secundum est unum in multis; primum verò unum est extrà multa, quia abstrahit, & præscindit à pluralitate; cum autem à parte rei natura non sit extrà multa, sed in multis, jam non poterit esse proximè prædicabilis à parte rei. Sed

Contrà est, siquidem vel natura intrinsecè, & entita-

entitativè, seù formaliter in inferioribus multiplicatur, vel non: Si primum; ergo non est una entitativè existens in omnibus inferioribus, sed multiplex, adeoque non communis per inexistentiam. Si secundum ergo erit Logicè universalis, cum in inferioribus non multiplicetur. Secundò quia tunc requiritur abstractio naturæ à singularitatibus, quando natura unius individui non est eadem entitativè cum alia alterius, non verò quando eadem est natura utriusque, atqui stante communitate per inexistentiam eadem esset natura utriusque entitativè; ergo.

Probatur tertiò, & ultimo Conclusio. Natura in Petro desinere potest, quin desinat in Paulo; ergo non est una, & eadem positivè in Petro, & Paulo per inexistentiam. Consequentia liquet. Separabilitas enim est signum distinctionis realis inter duo. Hæc ratio tam efficax est, ut Mastrius dicat, sententiam hanc, quam impugnamus, reddi improbabilem.

## CAPUT QUARTUM.

*Solvuntur rationes dubitandi.*

Obiiciunt primò. Universale per inexistentiam nihil aliud est, quàm una natura positivè existens in multis; sed independenter à quocumque opere intellectus natura humana verbi gratia est una positivè existens in multis; ergo &c. Major est ipsa definitio universalis per inexistentiam. Minor probatur, & primò quod sit realiter multiplex conceditur ab ipsis adversariis. Solùm itaque probandum est quod natura humana sit una positivè, quod sic suadeo. Si natura Petri præcisa Petreitate non esset una, & eadem formaliter ac natura Pauli præcisa Pauleitate sequeretur, quod Petrus, & Paulus differrent essentialiter, sed hoc est absurdum; aliter eodem modo differrent Petrus, & Paulus, ac Petrus, & Bucefalus; ergo natura humana Petri, & humana Pauli præcisis individuationibus sunt una, & eadem natura unitate specifica. Major probatur, quia Petrus, & Paulus differrent in natura; ergo differrent essentialiter.

Respondeo in forma ad argumentum distinguendo majorem. Universale per inexistentiam nihil aliud est, quàm natura una positivè in pluribus, hoc est quod una, & eadem natura entitativè intrinsecè sit in omnibus concedo majorem, aliter nego majorem, & distinguo minorem. Natura humana est una positivè existens in pluribus per indifferentiam, carens divisione per principia formalia, concedo minorem, hoc est à parte rei est eadem entitativè intrinsecè natura Petri, & Pauli, non verò sunt duæ naturæ entitativæ distinctæ, nego minorem, & Consequentiam. Ad probationem minoris distinctæ nego majorem, ad cujus iteratam probationem, nego pariter Antecedens; siquidem aliud est unum non esse idem cum alio, aliud verò esse ab illo diversum. Naturæ Petri, & Pauli præcisis individuationibus non sunt eædem, sed distinctæ; non sunt tamen diversæ, quia non sunt diversæ rationis, sed inter se omninò similes ob prædicata similia, quæ habent. Distinctio patet. Sed

Dices, si natura humana Petri non est eadem, ac natura Pauli entitativè, sed solùm per similitudinem, jam natura humana Petri, & humana Pauli essent plures naturæ; similitudo enim ex genere est inter plura, cum quælibet relatio exposcat duos terminos; sed si natura Petri, & Pauli etiam præcisis individuationibus essent plures naturæ Petrus, & Paulus non convenirent adæquatè in natura; alia enim esset natura Petri, alia verò Pauli; ergo non daretur distinctio formalis inter naturam, & hæcceitatem. Probatur hæc Consequentia, quia in tantùm per Scotistas admittitur distinctio formalis inter naturam, & hæcceitatem, quia Petrus convenit adæquatè cum Paulo in natura, disconvenit verò in hæcceitate; sed juxta hanc solutionem Petrus, & Paulus non conveniunt adæquatè in natura; ergo.

Confirmatur. Si alia est natura Petri, alia Pauli etiam præcisis individuationibus in natura deberet dari ratio, per quam natura Petri sit diversa à natura Pauli; ergo & in ipsa natura daretur distinctio formalis ex natura rei, quia ex una parte daretur convenientia, ex altera verò disconvenientia.

Respondeo esse plures naturas entitativè Petri, & Pauli etiam præcisis singularitatibus, & adhuc convenire adequatè inter se in essentialibus naturæ. Quia dum dicimus, quod natura Petri alia sit entitativè ab illa Pauli, non intelligimus alietatem importantem naturæ diversitatem, sed præcisè ejusdem multiplicationem cum omnimoda similitudine in essentialibus Undè patet ad confirmationem, pro cujus solutione distingui potest Antecedens. Si alia est natura Petri, alia Pauli præcisis individuationibus, alietate importante diversitatem in natura deberet dari ratio, per quam natura Petri sit diversa à natura Pauli concedo Antecedens, si esset alia alietate distinctionis, sed importantis similitudinem in natura deberet dari ratio per quam natura Petri sit diversa ab illa Pauli, nego Antecedens, & consequentiam. Dum enim natura Petri etiam præcisa Petreitate dicitur alia entitativè à natura Pauli, dicitur alia quatenus naturæ Petri, & Pauli sunt duæ naturæ entitativè; non verò alia dicitur quatenus sit diversa à Pauli natura.

Arguunt secundò. Ex Aristotele univoca sunt illa, quorum nomen est idem, ratio verò significata per nomen omninò eadem; sed Petrus, & Paulus conveniunt non solum in nomine, verùm etiam in re significata per nomen; ergo Petrus, & Paulus habent eandem omninò naturam, non pro statu reali rigoroso, quia in tali statu est multiplex, sed pro statu formali per unitatem specificam, & essentialem.

Respondeo ex univocatione ægrè inferri universalitatem per inexistentiam, & hoc quia quandò dicimus de ratione univocorum esse, quod inferiora conveniant in re importata per nomen, non intelligimus, quod hæc ratio per nomen expressa sit una, & eadem entitativè in omnibus inferioribus, sed quod prædicata essentialia illius rationis inferioribus æquali modo conveniant, quamvis deindè talis natura univoca in illis intrinsecè per entitativam multiplicationem multiplicetur. Per quod patet in forma.

Arguunt tertiò, & ultimo. Natura humana Petri præcisa Perreitate vel differt à natura humana Pauli præcisa à Pauleitate, vel non differt. Si differt, debet assignari principium, & ratio, undè desumatur talis differentia, quod non assignabunt Adversarii nisi recurrendo ad individuationes, à quibus in hypothesi præscindimus Si non differt; ergo independenter ab intellectu natura humana Petri, & natura humana Pauli sunt una, & eadem. Probatur Consequentia, de quo non

veri-

verificatur formaliter identitas, verificari debet distinctio, & de quo non verificatur distinctio, verificari debet identitas; sed de natura humana Petri, & Pauli præcisis individuationibus non verificatur distinctio; ergo verificari debet identitas.

Respondeo ad dilemma Petri naturam non differre ab illa Pauli, seclusis hæcceitatibus; sed ex hoc non sequitur, quod utriusque individui natura sit una, & eadem entitativè cum non valeat hic arguendi modus. Duo non differunt inter se in aliqua determinata ratione; ergo in illa identificantur, sed solum; ergo in tali ratione conveniunt. Quod si per ly *differre* intelligas distinguit, dico naturam Petri seorsim à Petreitate distingui ab illa Pauli, non quidem realiter strictè, cum non sit ens capax existentiæ propriæ, sed unicè distingui pro ut distinctio dicit unum non esse idem cum alio independenter ab intellectu, quod idem est ac dicere realiter tantùm.

# DISPUTATIO QUARTA.

De universali Logico.

## QUÆSTIO PRIMA

*Utrum detur à parte rei universale Logicum.*

### CAPUT PRIMUM.

*Præmissa notitia universalis Logici negatur hujus existentia realis.*

Sub hoc titulo difficultas proposita communiter ab Auctoribus resolvitur negativè, dissidio solùm remanente, per quem actum intellectus reddatur Logicè universalis, & an universalitas Logica consistat in respectu ad inferiora, & quinam sit iste respectus, an nimirum aptitudinis ad essendum in inferioribus, an verò ad prædicandum, vel potius sit relatio ipsius actualis prædicationis; contendentibus communiter Scotistis, & Thomistis universale Logicum formaliter constitui per aliquod respectiuum, quod sit vel ipsa naturæ aptitudo ad eandem prædicandam de inferioribus, ut sustinet Ioannes à Sancto Thoma, vel quod sit respectus naturæ ad essendum in pluribus tanquam superius in suo inferiori, ut existimat Mastrius. Sed quidquid sit de hoc; hoc unum advertendum est hic, quod universale logicum optimè definitur, dum dicimus: *esse unum aptum ad essendum in multis, & prædicari proximè de multis univocè, & divisim*. Hæc definitio optima est, dicitur enim unum, quià de ratione universalis Logici indispensabiliter requiritur aliqua unitas, quæ non est vel puri nominis, vel formalis, sed præcisionis. Dicitur aptum esse in multis, & per hæc verba intelligere debes aptitudinem proximam. Remota enim est penitus insufficiens ad universale in actu formaliter habendum, quam vis in genere universalis fundamentalis sufficiens sit. Insuper per easdem particulas denotatur, quod ut natura sit actu universalis, non requiritur, quod actu sit in multis, sed sufficit aptitudo ad essendum in multis, ut optimè asserit Divus Thomas 17. Metaph. lect. 13. his verbis. *Universale est, quod pluribus natum est inesse, non quod pluribus inest, quià quædam universalia sunt, quæ continent sub se nisi unum singulare, sicuti Sol, & Luna, sed hoc non est, quià ipsa natura speciei, quantum est de se nata est in pluribus esse*, sed est aliquid aliud prohibens *quod tota natura speciei comprehendatur in uno individuo*. Dicitur univocè, quia nulla ratio propriè esse potest universalis, quæ non sit univoca, cum sola univoca habeant rationem perfectè unam. Dicitur tandem divisim, quià natura, quæ dicitur universalis debet in inferioribus multiplicari, quapropter natura divina, quamvis communis sit, universalis tamen esse nequit, ut optimè docet Henricus in summa art. 43. quæst. 3. illis verbis. *forma Deitatis est unica, & singularis unitate rei in diversis suppositis idcircò simpliciter dicendum est, quod in ipsa nullo modo cadat ratio universalis*. Hoc itaquè posito, dicendum est universale Logicum non dari nisi per intellectum. Conclusio hæc est iuxtà Scoti mentem, præcipuè in 2. dist. 3 quæst. 1. illis verbis: *est ergo in re communi, quod non est de se hoc, sed tale commune non est universale in actu*. Est etiam ad mentem Divi Thomæ, ut optimè advertunt Thomistæ. Hæc enim habet in cap. 4. de ente, & essentia. *Non potest dici, quod ratio universalis naturæ sic acceptæ conveniat* (scilicet secundum se), *quià de ratione universalis est unitas, & communitas; naturæ autem humanæ neutrum eorum convenit, secundùm suam absolutam considerationem*. Est tandem solemnis Doctoris in summa art. 75. quæst. 6. ad primum illis verbis. *Universale strictè sumptum non est, nisi forma pluribus communis, quæ sit tota in quolibet illorum abstracta ab illis per intellectum*, & art. 43 affirmat universale esse ab actu intelligendi, & quodlib: 3. quæst. 15. *intellectus enim est, qui operatur universalitatem in rebus*. Cum his itaquè Doctoribus.

Probatur primò Conclusio: Universale Logicum est aliquod unum proximè prædicabile de pluribus, sed non potest dari unum aliquod proximè prædicabile de pluribus, nisi per intellectum; ergo universale Logicum datur solùm per Intellectum. Major patet ex ipsa natura universalis Logici paulò ante explicata. Probatur itaque Minor. Nulla natura creata potest proximè prædicari de pluribus nisi ut abstracta, & præcisa per intellectum à suis inferioribus; sed hæc abstractio, & præcisio habentur solùm per intellectum, ergo. Major sui explicatione probatur; siquidem quælibet natura creata est realiter identificata cum sua singularitate, adeòque nulla est proximè prædicabilis de pluribus; nam veritas prædicationis fundatur in identitate naturæ cum subjecto de quo prædicatur; Si ergo quælibet natura est identificata cum sua singularitate, & non cum pluribus, profectò non erit proximè prædicabilis de pluribus. Minor verò ostenditur: abstrahere, & præscindere naturam à singularitatibus est concipere naturam singularium non conceptis eorum singularitatibus, sed hoc opus est solius intellectus, qui indivisa dividit; ergo hæc abstractio est opus solius intellectus.

Probatur secundò, ad hoc ut aliqua natura sit proximè prædicabilis de pluribus independenter ab intellectu, reperiri debet in multis per inexistentiam, sed non datur natura communis pluribus per inexistentiam à parte rei, sed solùm per indifferentiam negativam, ut ex superioribus constat; ergo nulla datur natura, quæ sit proximè prædicabilis de pluribus, & per consequens universalis Logicè.

Pro-

Probatur tertiò aptitudo propria universalis eſt poſitiva indifferentia, & habitudo naturæ ad plura, ſed hæc non convenit à parte rei eidem naturæ; ergo &c. Declaratur minor; quia vel natura conſideratur exiſtens à parte rei, & contracta per ſingularia, & hoc modo ſingularis eſt, & determinata, & impedita, non vero indifferens proximè, & expeditè. Vel conſideratur ſecundùm ſe, & hoc modo licèt non habeat repugnantiam ad eſſendum in pluribus individuis, nihilominus non dicit poſitivam habitudinem ad illa, nam in hoc ſtatu ſolùm dicit prædicata eſſentialia primo, & ſecundo modo convenientia, inter quæ certè non eſt ipſa aptitudo proxima; vel denique natura conſideratur in ſtatu poſſibilitatis, & ſic habet eandem univerſalitatem, ac haber in ſtatu exiſtentiæ, in quo cum non ſit Logicè univerſalis, profectò non erit in ſtatu poſſibilitatis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Argumenta contraria diſſolvuntur.*

Arguunt primò aliqui. Objectum formaliter ſumptum in eſſe objecti præcedit potentiam, ſed objectum proprium intellectus eſt univerſale; ergo univerſale formaliter acceptum eſt ante intellectum.

Hujus argumenti non una eſt ſolutio apud Auctores Aliqui enim dicunt objectum intellectus non eſſe univerſale in actu, ſed ſolùm in potentia, ideſt univerſale metaphyſicum, ita ut natura ut univerſalis metaphyſicè ſit objectum intellectus, ſecundùm quam univerſalitatem certè præſupponitur potentiæ intellectivæ. Hęc tamen argumenti ſolutio mihi non arridet, cum certum ſit, quod nedum natura, ut metaphyſicè univerſalis ſit objectum intellectus, ſed etiam ut logicè univerſalis eſſe poſſit ejuſdem objectum, in quo caſu deberet etiam univerſale Logicum intellectivæ potentiæ præſupponi juxta illud: *objectum formaliter ſumptum potentiam præcedit*. Aliter itaque reſpondeo argumento dicendo. Objectum intellectus præſupponi ad ipſum, quoties intellectus in ipſum fertur per cognitionem purè ſpeculativam; quod ſi feratur veluti modo practico ipſum operando, tunc non præſupponitur, ſed potius ſubſequitur ipſum objectum ad potentiam intellectivam. Modo univerſale Logicum eſt objectum potentiæ intellectivæ in ſecundo ſenſu, quia intellectus tendit in ipſum, veluti modo practico unitatem conferendo naturæ præciſivam, quemadmodum in Henrici ſchola res ut futura poſterior eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia hæc una ſimul cum decreto modo practico tendit in futurum.

Obiicies ſecundò A parte rei datur ſingulare in actu; ergo & univerſale in actu. Probatur hæc conſequentia, quia relativa ſunt ſimul natura; ſed ſingulare, & univerſale ſunt inter ſe relativa; ergo ſi à parte rei eſt ſingulare in actu, erit etiam univerſale in actu.

Reſpondeo ſingulare, & univerſale dupliciter ſumi poſſe, primò materialiter, videlicet pro naturis, quæ denominantur univerſales, & ſingulares, & formaliter ideſt pro ipſis ſecundis intentionibus. In utroque autem ſtatu ſunt relativa, & conſequenter ſimul natura, ita ut materialiter accepta ambo ſint à parte rei, formaliter verò ambo per intellectum.

Obiicies tertiò. Nullo cogitante intellectu natura humana, v.gr. eſt una, & eſt in multis; ergo nullo cogitante intellectu datur à parte rei univerſale formale, & completum. Conſequentia patet quia univerſale formaliter eſt unum in multis, & de multis, ut habet Henricus. Antecedens autem probatur, quia per nos natura humana à parte rei habet unitatem formalem; haber enim negationem diviſionis per differentias eſſentiales; ex alia parte eſt multiplicata in individuis; ergo nullo intellectu cogitante eſt una, & multiplex.

Reſpondeo unitatem formalem, quam natura habet à parte rei eſſe unitatem multiplicatam ad multiplicationem individuorum, adeoque eſt unitas communis ſolum negativè, & apta ad eſſe in multis, & ad prædicari de multis ſolùm remotè, eo prorſus modo, quo Petri natura, v.gr. eſt ſolùm remotè, & negativè apta, ſeu indifferens ad eſſe in multis, & ad prædicari de ipſis, quia quantùm eſt de ſe poteſt, & poterat eſſe ſub alia ſingularitate. Ad univerſale autem Logicum, & completum non ſufficit hujuſmodi unitas; ſed talis requiritur, qua natura ſit proxime prædicabilis de pluribus. In forma itaque diſtinguo Antecedens: Nullo cogitante intellectu natura humana eſt una unitate ſufficienti ad univerſale Logicum nego, non ſufficienti concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Diſtinctio omnibus patet. Sed

Inſtabis Nullo cogitante intellectu natura humana habet unitatem præciſivam; ergo ſufficientem ad univerſale Logicum. Conſequentia evidens eſt. Antecedens autem ſic oſtenditur. Nullo intellectu cogitante natura humana diſtinguitur formaliter ex natura rei à ſingularitatibus; ſed hoc ipſo eſt una unitate præciſiva, quia præciſio vel eſt idem cum diſtinctione formali ex natura rei, vel in ipſa fundatur; ergo natura à parte rei habet unitatem præciſivam.

Inſtantia hæc ſatis moleſta eſt, pro cujus robore nonnulli Scotiſtæ Logicam univerſalitatem poſuerunt à parte rei, ſed abſit hoc à nobis. Eſt enim locus ſolutioni, quæ eſſe poteſt; Quod eſto natura à parte rei diſtinguatur formaliter à ſingularitate, identificatur tamen realiter Identitas autem hæc realis tollit à natura Logicam univerſalitatem, quia tollit ab ipſa, quod expedita ſit, & proximè indifferens. Natura enim cum una ſingularitate identificata eſt impedita ad alteram, unde patet in forma.

Obiicies ultimò. Si intellectus conferret univerſalitatem Logicam naturæ, maximè per actualem præciſionem; atqui intellectus virtute actualis præciſionis non dat naturæ univerſalitatem Logicam; ergo. Probatur Minor: Si prius conveniat naturæ præciſio, quam univerſalitas, jam hæc non habetur formaliter per præciſionem; ſed prius datur præciſio, quàm univerſalitas in natura; ergo intellectus virtute actualis præciſionis formaliter non conſtituit naturam, ut logicè univerſalem. Probatur Minor, quia univerſalitas naturæ convenit ut præcisè à ſingularitate; ergo prius datur præciſio, quàm univerſalitas.

Reſpondeo duo eſſe diſtinguenda in elaboratione Univerſalis Logici; Primum eſt ipſa abſtractio intellectus, ſeù actus abſtractivus intellectivæ potentiæ; Secundum verò unitas ipſa præciſiva in natura reſultans vi talis abſtractionis. Primum verum eſt, quod præcedit ipſam naturæ Logicam univerſalitatem; Secundum verò falſum eſt cum pro eo ſigno, in quo intelligitur unitas præciſiva intelligatur in natura Logica univerſalitas.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum requiratur actus comparativus simplex ad perfectè universalizandam in actu quamlibet naturam, vel potius sufficiat abstractivus.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas dicendo universale Logicum perfectè fieri per actum abstractivum.*

Unanimiter conspirant inter se Patres Thomistæ cum Scotistis in hoc, quod exigant ad universale Logicum actū comparativū simplicem, cujus ope natura reddatur proximè prædicabilis de pluribus. Dixi superius perfectè quia imperfectè ipsam naturā universalizari per actum abstractivum dant communiter iidē Auctores. Ego tamen oppositam sequor sententiam. Opinor enim naturam Logicè universalem haberi etiam per actum abstractivum. Huic secundæ sententiæ adhæret Doctor art. 88. quæst 5 num. 28. in Summa illis verbis: *Intellectus noster intelligit universale per abstractionem conditionum particularium à rebus intellectualibus, & etiam à se ipso intelligendo scilicet bonum simpliciter, non colligendo hoc, vel illud.*

Probatur itaquè ad Hominem contrà Adversarios primò Conclusio. Universale Logicum non fit per actum comparativum compositum; ergo nec etiam per simplicem. Antecedens est adversariorum. Consequentia probatur. Ideò non fit per comparativum compositum, quia hic actus supponit naturam jam prædicabilem; sed etiam comparativus simplex eandem naturam proximè prædicabilem supponit; ergo &c. Probatur minor. Prædicabilitas, quæ requiritur ad Logicam universalitatem est prædicabilitas proxima; sed hæc supponitur ante actum comparativum simplicem; ergo. Minor patet, siquidem in priori ad actum comparativum simplicem supponitur præcisa à suis singularitatibus, adeoquè ab iplis expedita, & consequenter proximè prædicabilis.

Confirmatur. Non stat materiam intelligi divisam à qualibet forma, & non habere potentiam proximam ad omnes formas disjunctivè, ut Mastrius concedit in explicatione aptitudinis proximæ ejusdem naturæ; ergo etiam non stabit naturam esse divisam à suis singularitatibus, & simul non esse proximè indifferentem ad singularia; sed per actum abstractivum dividitur quodammodo à suis singularitatibus; ergò etiam intelligitur proximè indifferens ad singularia, vel Logicè universalis.

Huic rationi cum sua confirmatione respondent Mastrius, & Poncius, actum intellectus abstractivum, quo natura à suis singularitatibus abstrahitur necessarium esse ad Logicam universalitatem, eo quod disponat naturam per modum præviæ dispositionis ad ipsam, quatenus ipsa natura, quæ à parte rei erat solùm una per indifferentiam, per abstractionem deindè concipitur una in omnibus per inexistentiam actu, vel saltem aptitudine; attamen per ipsam abstractionem naturam non compleri in ratione Logicæ universalitatis, quia nondum concipirur apta ad essendum in pluribus simul; hoc enim solùm habetur ratione novi actus comparativi supervenientis. Sed

Contrà est, & in primis adverto istos Auctores tria hic asserere, & exigere inter requisita universalis Logici, Primum est unitas relativa. Secundum aptitudo ad essendum in pluribus. Tertium verò, quod natura Logicè universalis sit una in omnibus per inexistentiam; ex quibus tequisitis, cum actus abstractivus solùm primum præster, non verò reliqua duo, hinc perfectè, pro ut stat sub statu abstractionis natura non est universalis. Sed

Absque ulla ratione efficaci hæc omnia proferuntur, & excluditur virtus effectiva Logicæ universalitatis ab actu abstractivo, quinimmò ex iisdem Auctoribus colligimus ipsum universale fieri per actum abstrahentem, siquidem ideo voluot à parte rei naturam non esse Logicè universalem, quia non est ab inferioribus abstracta, nec ipsa æqualiter respicit, sed solùm per intellectum præscindentem (sunt Mastrii formalia verba) naturam à differentia individuali; ergo jam, subsumo ego, per actum præscindentem redditur narura Logicè universalis. Secundò ideo per actum abstractivum completè non redditur natura universalis, quia per ipsum neque concipitur, ut apta ad essendum in pluribus conjunctim, nec acquirit hanc aptitudinem, & unitatem relativam; sed hæ rationes non tollunt quin fiat Logicè universalis vi actus abstractivi; ergo. Probatur minor, & primò quò ad primam partem, quia talis cognitio ad summum necessaria est, ut natura concipiatur Logicè universalis, non verò ut fit, eo modo quo cognitio negationis identitatis solùm necessaria est, ut duo concipiantur formaliter distincta in illorum sententia, qui formaliter distinctionem ponunt in negativo, non verò ut formaliter distinguantur; ergo quamvis per actum abstractivum non concipiatur natura, ut proximè apta ad essendum in pluribus, nihilominus redderur Logicè universalis. Quo ad secundam verò partem minor certa est, siquidem aptitudo requisita ad universale logicum est aptitudo proxima ad esse in hoc, vel in illo individuo; sed hanc proximam aptitudinem natura habet per actum abstractivum, ut concedit Mastrius; ergo redditur æqualiter respiciens omnia individua; ergo est apta ad essendum in pluribus aptitudine requisita ad Universale Logicum per actum abstractivum; virtute cujus natura optimè acquirit etiam unitatem relativam, quæ nil aliud est, quàm relatio prædicabilitatis proximæ ejusdem ad inferiora. Hæc enim certè optimè intelligitur in natura abstracta.

### CAPUT SECUNDUM.

*Solvuntur objectiones adversæ partis.*

Arguunt primo Patres Complutenses. Universalitas non fit per abstractionem intellectus agentis, neque per abstractionem præcisivam intellectus possibilis, neque per comparationem compositam; ergo solum resultat per comparationem simplicem. Consequentia liquet ex sufficienti partium enumeratione. Probatur itaquè Antecedens per partes, & quidem, prima euidens est, nam ens rationis solum fit à potentia cognoscitiua; sed intellectus agens quà talis non est potentia cognoscitiva, ut supponitur ex libris de Anima; ergo uniuersalitas non fit per operationem intellectus agentis. Secunda vero pars ostenditur, quia universalitas cum sit ens rationis resultare debet per operationem attingentem objectum aliter ac est in se; ergo universalitas non fit per abstractionem præcisivam. Probatur minor, nam abstractio præcisiua consistit in hoc, quod intel-

intellectus attingat quidditatem naturæ non cognoscendo singularia; sed per hoc non cognoscitur obiectum aliter ac est in se, ut patet in eo, qui cognoscit colorem pomi, nihil cogitando de illius sapore; ergo non cognoscitur obiectum aliter ac est in se per abstractionem præcisivam. Tum etiam quia cognitio productiua universalitatis debet esse reflexa, & attingere obiectum, ut prius cognitum; ergo universalitas non producitur per abstractionem præcisivam. Patet Consequentia, quia abstractio præcisiva, est prima operatio intellectus, non supponens aliam, supra quam possit reflecti. Antecedens autem constat ex Divo Thoma opusc. 48. cap. 2. ubi hæc lego: *quià intellectus reflectitur suprà se ipsum, & suprà ea, quæ in eo sunt, sivè subiectivè, sivè obiectivè. Considerat iterum Hominem à se intellectum sine conditionibus materiæ, & videt quod talis natura cum tali abstractione intellecta potest attribui huic, & illi individuo, & ideò format intentionem de tali natura, & hanc vocat universale, seu prædicabile.* Tertia deniquè pars facilè probatur, siquidem universale constituitur per aptitudinem ad essendum in multis; ergo actualis prædicatio non facit universale, sed supponit.

Respondeo in hoc argumento nil certi existere præter primam consequentiam, & tertiam Antecedentis partem. Certum enim est universale non fieri per comparationem compositam ob rationem attactam. Ad cætera, quæ adducuntur in probatione primæ, & secundæ partis Antecedentis inefficacia sunt, siquidem omisso pro nunc universale fieri per utramque abstractionem, intellectus agentis videlicet, & patientis, contra utramque insufficienter arguitur; contra primam quidem, quia aliud est quod potentia quæ facit ens rationis Logicum, esse debeat specificativè cognoscitiua, aliud verò, quod semper faciat formaliter cognoscendo. Primum verum est ob plures rationes, & maximè quià abstrahere non convenit nisi potentiæ cognoscitivæ, secundum tamen est falsum, quià universale fit per hoc, quod natura reddatur expedita, quod formaliter habetur per abstractionem naturæ, non vero per ipsius cognitionem.

Nec sufficienter pariter arguitur contrà secundam abstractionem; Scire enim vellem, cur Patres Complutenses velint universale logicum fieri debere per operationem intellectus attingentem rem aliter ac est in se. Cùm enim hoc non sit universale fictitium, sed cum fundamento in re, sivè, ut utar phrasi Henrici, sit originaliter in re, non est cur fieri debeat per operationem attingentem obiectum aliter ac est in se. Quod si obstinatè velint universale Logicum fieri per attingentiam objecti aliter ac est in se, inferam ego; ergo non fit per compatationem simplicem. Patet hæc Consequentia; nam dum intellectus comparat naturam cum inferioribus, ipsam non attingit aliter ac est in se, cùm verè in se ipsa dicat ordinem ad sua inferiora tanquam ratio superior potestativa.

Ad id tandem, quod dicitur, cognitionem universalitatis productivam debere esse reflexam negatur hoc; nec sufficienter probatur ex Divo Thoma solum docente reflexionem exigi ut natura cognoscatur logicè universalis, non verò ut fit.

Obiicies secundò. Vniversale logicum est relatio rationis; sed relatio rationis fieri nequit nisi per actum comparatiuum; ergo major patet, nam universale logicum est formaliter quid relativum; sed non reale; ergo rationis. Probatur itaquè minor. Nequit aliquid concipi ut relativum, nisi concipiatur relativè, seù in ordine ad aliud, sed concipere in ordine ad aliud, est concipere comparativè ut patet ex terminis; ergo nequit fieri, nisi per actum comparativum.

Respondeo multipliciter, & primò negando universale logicum esse quid relativum, sivè attendamus ipsam abstractionem, sivè unitatem ipsam præcisiuam, seù naturam ipsam, quæ dicitur logicè universalis. Si attendamus inquam unitatem præcisiuam, quia hæc absoluta est, ut etiam ex Thomistis concedit Cavinus docens hanc importare negationem divisionis, non verò relationem, sivè consideremus ipsum actum abstractivum, quia hic est qualitas secundò intentionalis absoluta, sivè tandem inspiciamus ipsam naturam logicè universalem, quia hæc, ut optimè advertit Oviedo, solum dicit non repugnantiam ad proximè prædicari de pluribus, quæ non repugnantia certè non est relatio.

Secundò aliter respondeo in forma, transmissa maiori, negando minorem, & dico, quod positis individuis à parte rei, & posita natura simili in eisdem, simulque cognitione abstractiva, habetur relatio prædicabilitatis de pluribus, seù habetur relatio naturæ ad indiuidua tanquam superioris ad sua inferiora; sicuti posita generatione in Petro resultat relatio paternitatis, undè per actum comparativum cognoscitur potius relatio, quàm constituatur inter naturam, & sua inferiora. In forma itaquè distinguo majorem Universale est quid relativum relatione prædicabilitatis de pluribus, tanquam superius de suo inferiori, concedo majorem, hoc est importat comparationem intellectus vel simplicem, vel compositam, nego majorem; & pariter distincta minori, nego Consequentiam. Distinctio patet.

Arguunt tertiò Thomistæ. Natura non potest directè cognosci ut denominabilis universalis non cognita ejus superioritate ad inferiora; ergo non potest sic cognosci non cognita comparativè. Probatur Antecedens, siquidem in hac cognitione consistit conceptus universalitatis. Probatur itaquè Consequentia, quia superioritas ad inferiora est quædam ratio respectiva; ergo non potest cognosci nisi respectivè ad aliud.

Confirmatur non potest cognosci, ut superior natura non cognito termino superioritatis, aliàs non cognosceretur, ut superior; ergo non potest cognosci ut superior non cognita comparativè. Probatur Antecedens: Non potest cognosci essentia, ut radix, non cognitis proprietatibus, quæ sunt terminus radicis; ergo à pari nequibit cognosci natura, ut superior, non cognito termino superioritatis. Probatur prima Consequentia quia non possunt inferiora cognosci ut terminus superioritatis, non cognita comparativè; ergo si non potest cognosci natura, ut superior, non cognito termino, non poterit sic cognosci, non cognita comparativè. Probatur Antecedens, nam inferiora solùm ut terminus ad quem referuntur ad naturam superiorem; ergo non possunt sic cognosci non cognita comparativè.

In quos Adversarios hæc obiiciant Thomistæ non percipio, cùm similis arguendi modus sententiam Thomistis oppositam non impugnet; Nos enim hic loquimur de actu intellectus, quo redditur natura universalis; Thomistæ verò loquuntur de universali logico cognito ut tali, quando de hoc diffi-

difficultas non procedit, sed solùm de actu intellectus conferente naturæ logicam universalitatem. Utique verum est, naturam non posse cognosci cum universalitate logica, quin aliquateous cognoscatur comparativè; sic enim cognosci nequit, quin cognoscatur proximè prædicabilis de inferioribus, adeoque quin ipsa conferatur cum iisdem. At hæc cognitio non est forma, qua natura redditur universalis, sed qua cognoscitur. Sed

Instabis primò: Universale logicum, cùm sit ens rationis, non habet esse nisi objectivè in intellectu; sed non habet tale esse, nisi vi alicuius cognitionis; ergo tunc sit universale, quando cognoscitur.

Instabis secundò. Fieri ens rationis est illud cognoscere; ergo fieri universale est illud cognoscere, ut universale; ergo cognitio, qua natura cognoscitur, ut universalis erit forma constitutiva universalitatis. Sed

Contrà est. Siquidem hæ Mastrii instantiæ nullatenus destruunt superioris solutionis efficaciam. In forma enim concessa majori, distinguo minorem; non habet tale esse, nisi vi alicujus cognitionis, vel abstractivæ, vel comparativæ, concedo minorem, indispensabiliter comparativæ, nego Minorem, & Consequentiam. Verum est naturam non habere logicam universalitatem, nisi intrà Animam, attamen hæc non habetur vi cognitionis comparativæ, sed abstractivæ, quod sufficit, ut verificetur universale logicum esse ens rationis. Per quod patet etiam ad secundam instantiam.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum ceteræ potentiæ ab intellectu valeant facere universale.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas negativè.*

UT tota disputatio de universali Logico absolvatur, inquirendum est an efficere universale logicum ita conveniat intellectui medio actu abstractivo, ut etiam cæteris potentiis convenire possit. In qua difficultate negativam tueor sententiam cum Henrico *in summa art.* 24. *quæst.* 6. ubi ostendens Doctor, quod si intellectus abstraheret rationem boni à qualibet creatura, intelligeret bonum universale participatum, obiter etiam docet, quod sensibus nos non cognoscimus nisi bonum in particulari, & sua affectum hæcceitate universalitatis destructiva. Hæc enim habet: *Undè sicuti cum cognoverimus sensu hoc bonum in substantia sensibili abstrahendo per intellectum bonum ab hac consideramus bonum primò simpliciter, ut commune quoddam, & universale bonum, non ut hoc, neque ut illud, sed tamen ut participatum, & existens in multis, scilicet in hoc, & in illo:* Henricò itaque inhærendo, & aliis ferè omnibus Auctoribus.

Dico primò: imaginativam non facere universale Logicum propter modum ipsi convenientem repræsentandi objectum; ex quo sic arguere possumus. Illi potentiæ convenit universalizare naturam, cui convenit habere formam taliter naturæ repræsentativam, ut nullatenus singularitates, & rationes hæcceizantes natura præseferat; atqui imaginativa sibi proponit objectum sub singularitatibus, & rationibus hæcceizantibus, ut experientia constat. Videmus enim quod dum quis sibi proponat rem aliquam, vel operandam, vel amore prosequendam, semper rem in singulari sibi proponit; ergo.

Hæc est ratio præcipua, & solida, cur efficientia Logicæ universalitatis etiam sensibus externis non conveniat, quia nimirum taliter isti tendunt circà suum objectum, ut semper illud attingant sub rationibus individuantibus, scilicet in tali loco, & tempore, quamvis individuatio ratio non sit, qua objectum sensus attingant, ut optimè hìc advertit Scotus.

Quinimò addo juxta Henrici doctrinam, hoc assertum validius firmari. Cum enim doceat Doctor Metaphysicam individuationem fundamentaliter ab existentia desumi, & aliundè sensus ab ista non præscindant, sed potius ipsam attingant, consequens est illos non præscindere à ratione objectum individuante; ut etiam advertit hìc Illustrissimus Spinula, quamvis mirabilius urgeat hæc ratio in nostra, quam in aliorum sententia.

Difficilius autem dubium est loquendo de potentia volitiva; hæc enim cum spiritualis sit, videtur posse præscindere à rationibus individuantibus, maximè cum ejus objectum motivum adæquatum sit quædam ratio universalis, videlicet ratio boni in tota sua latitudine. Nihilominus sentio nec ipsam potentiam volitivam naturam posse universalizare. Primò propter superiores rationes expensas. Secundò quia si ipsa voluntas faceret universale maximè in hypothesi, in qua diligeret bonum, ut sic, vel ipsum bonum in tota sua latitudine moveret, & alliceret voluntatem ad sui prosecutionem; atqui nec etiam in tali casu voluntas elaboraret universale logicum; ergo. Minor ostenditur; siquidem per talem actum amoris non constitueretur bonum illud in esse abstracto, & præciso à suis differentiis, cùm præsupponeretur jam abstractum ab intellectiva potentia bonum voluntati propunente.

Huic rationi accedit alia vulgata, sed non vulgaris in eo consistens, quod natura logicè universalis reddatur per hoc, quod fiat quodammodo extrinsecè una in Anima, adeoque per hoc quod acquirat aliquod esse diminutum in ipsa; sed per volitivam potentiam natura novum esse in Anima non acquirit, quin potius ipsa, ut ita dicam, esse habet in ipsa re, quam diligimus juxta illud: *voluntas potius est, ubi amat, quam ubi animat*; ergo impossibile erit ipsam potentiam volitivam facere universale.

### CAPUT SECUNDUM

*Diluuntur argumenta Contraria.*

ARguunt promiscuè adversarii; & primò. Rationes individuantes rem non sunt locus, tempus, figura, Patria, color; ergo quamvis objectum à sensibus tum externis, tum internis percipi non possit nisi sub talibus circumstantiis, non inde sequitur quod percipiant rationes individuantes. Secundò etiam omisso quod sensus non attingant objectum nisi sub rationibus individuantibus, tamen quia istæ non sunt rationes quibus, seu motivæ non tollent, quin tales potentiæ faciant universale. Probatur hæc consequentia, quia quod venit purè materialiter esse nequit impedimentum, quapropter materialitas, quæ est in phantasmate, ideò non impedit ejus concursum in ordine ad speciem impressam, quia purè materialiter se habet relatè ad ipsam; quod enim per se exigitur est sola repræsentatio, quam in se habet. Tertiò experientia patet. Nullam visionem externam distinguere individuationem unius albedinis ab alia, quapropter si una post aliam ad oculos poneretur, per potentiam visivam corpoream

una

una ab alia non discerneretur; ergo tunc visio habebit confundere individua albedinis, & sic universalizare. Quartò videns à longè plures Homines taliter ipsos videt, ut non discernat, an sint unus, vel plures; ergo præscindit à differentiis individualibus. Quintò quia objectum potentiæ sensitivæ, v.gr. visivæ, est quodlibet coloratum; ergo erit aliquod universale. Sextò oculus discernere potest aliquod esse coloratum, & tamen simul non discernere, an sit viride, vel nigrum; sed hoc est præscindere ab hæcceitate, cum viriditas, & nigredo sint rationes individuantes colorem in tota sua latitudine; ergo.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico, quod quamvis tales circumstantiæ non sint rationes individuantes rem metaphysicè, sunt tamen individuantes physicè, quæ tam benè impediunt naturæ universalitatem logicam, quàm impediant rationes metaphysicè individuantes. Ad secundum verò dico, ut sensus non universalizent sufficere quòd objectum attingant indutum circumstantiis individuantibus, quamvis istæ non sint motivæ: Ratio est, quia differentiæ individuales impediunt quòd sensus externi universalizent, quia præcisè attinguntur, non verò quia sic, vel sic attinguntur. Materialitas autem phantasmatis ideò non impedit ejus concursum in ordine ad speciem impressam, quia ipsa non tollit, quin phantasma repræsentet per modum imaginis objectum, secundùm quam repræsentationem phantasma solùm concurrit; at verò circumstantiæ individuantes, hoc ipso quod terminant visionem, tollunt unitatem præcisivam, quæ est universalitatis ratio constitutiva.

Ad tertium pariter facilis est solutio, siquidem, quamvis oculus corporis non distinguat unam albedinem ab alia, tamen rationes individuantes, utramque albedinem, attingit, quod sufficiens est ut verificetur, quod sensus non universalizent. Quartum verò facilis est solutionis, maximè in sententia negantium præcisiones objectivas, & docentium, quòd esto ex parte objecti totum objectum cognoscatur, tamen contingit aliquando secundùm unam partem clarè cognosci, & non clarè, sed obscurè secundùm aliam; in quorum sententia dici posset videntem à longè plures Homines videre revera pluralitatem, ejusque visionem ad ipsam terminari, & consequenter ad individuationem. Ad quintum advertendum est, quòd dum dicimus potentiam visivam ferri in coloratum ut sic, sensus non est quòd feratur in coloratum abstrahens ab omnibus coloribus, sed solùm nullum esse colorem, qui esse non possit suum objectum. Ad ultimum respondeo eadem doctrina, qua solutum est quartum argumentum, cui addi potest etiam solutio Spinulæ affirmantis, quòd quamvis in hypothesi Homo videns non discerneret coloratum in specie, videret tamen tale coloratum existere, cùm autem existentia sit singularium, hinc sequitur, quod tale coloratum ut singulare perciperet.

Obiicies secundò. Potentiæ perfectiori debet posse convenire, quod imperfectiori tribuitur; atqui Intellectui, qui imperfectior potentia est comparativè ad voluntatem in Henrici schola, tribuitur facultas universalizandi; ergo à fortiori voluntati, quæ est potentia perfectior.

Respondeo, quod si hoc argumentum valeret, ostenderet etiam eodem tempore voluntatem ferri posse in objectum percipiendo. Patet hoc siquidem perfectiori debet posse convenire, quod imperfectiori tribuitur; atqui intellectui potentiæ imperfectiori respectivè ad voluntatem tribuitur objecti perceptio; ergo & hæc tribuenda erit voluntati. In forma itaque nego majorem, hujus negationis ratio est, quia quamplura sunt, quæ conveniunt imperfectiori, quæ tamen perfectiori convenire nequeunt. De facto enim forma corporeitatis dat esse corporeum, quin ipsum esse dare possit forma principalis, & species impressa ita confert repræsentationem actibus intellectus, ut ipsam conferre non valeat intellectus ipse ratione sui, quamvis perfectior sit specie impressa. Non est itaque opus, perfectius semper posse, quod potest imperfectius, maximè quando id, quod potest imperfectius involuit imperfectionem, ut in casu, siquidem facere universale, idem est ac plura venire sub unico conceptu in confuso; ubi autem est confusio est imperfectio.

Obiicies tertiò, & ultimò. Cum principium concurrit in linea repræsentativa ad aliquam formam repræsentantem objectum sub ratione universali, debet tale objectum repræsentare sub eadem ratione, non verò sub circumstantiis individualibus; sed phantasma in linea repræsentativa concurrit ad speciem impressam producendam, quæ objectum repræsentat sub ratione universali; ergo idem objectum repræsentabit phantasma sub ratione universali.

Hujus argumenti facilis est solutio, primò quia phantasma dum concurrit ad speciem impressam, concurrit depuratum ab intellectu agente ab ipsis conditionibus materialibus, qua stante depuratione nil mirum, si deinde concurrat ad speciem repræsentantem objectum sub ratione communi. Secundò, quia phantasma ità objectum repræsentat sub ratione universali, ut illud etiam præsefe rat cum rationibus individuantibus.

Quæres pro complemento Quæstionis; utrum intellectus Angelicus facere possit universale?

Respondeo affirmativè. Ita enim Suarez lib. 2. de Angelis cap. 8. num. 9. ubi ait, non repugnare Angelum cognoscere naturam universalem, non cognita differentia individuali. Assumptum autem sic ostendo. Non repugnat quod Angelus cognoscat clarè, & intuitivè naturam non advertendo ad singularitates; sed hoc ipso poterit cognoscere naturam ut logicè universalem; ergo. Probatur Major, quia natura habet peculiarem cognoscibilitatem contradistinctam à cognoscibilitate singularitatum; ergo poterit clarè, & intuitivè Angelus percipere naturam non percipiendo singularitates. Quod totum verius esse judico in illorum sententia, qui distinguunt notitiam intuitivam in completam, & incompletam, docentes per primam nos omnia prædicata rei cognoscere, per secundam verò solùm aliqua.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum universale in actuali prædicatione suam retineat universalitatem.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas affirmativè.*

Cardo difficultatis totus in hoc consistit, an nimirum natura logicè universalis prædicata de singulis inferioribus suam logicam retineat universalitatem, an potius deperdat; In cujus solutione non unica est omnium mens.

Sunt enim qui doceot ipsam uolversalitatem naturam amittere. Hanc sententiam sustinent quamplures, inter quos Eminentiss. Cardinalis Ioannes Baptista Ptolomæus disser. 29. sect. 2. Alii verò acriter defenduot naturam perseverare cum sua logica uoiversalitate. Hæc secunda sententia communior est, & plausibilior in scholis oegativa, quamvis etiam pro ista quamplures sint Aoctores, & rationes satis solidæ. Huic secundæ ego adhæreo; ao autem adhæreat & Heoricus non affirmo, cum quid sentiat in hac re non invenerim, quamvis domestici quidam aliter affirment. Id autem, quod in præseoti non parùm difficile videtur, est rationem aliquam assignare, quæ efficaciter nostrum firmet assertum, & contrariam sententiam probabilitate destituram suadeat. Quod adeò verum est, ut judicem veriùs ipsam ostendi non posse, quàm eodem modo, quo nonnulla à nobis alibi propugnata sunt, oimirùm ratiooe negativa in eo posita, quod usque ad hæc tempora nondum sit assignata ratio solida, quæ oppositam senteotiam verlorem esse ostendat.

Sunt enim aliqui primò, qui assertum superiori titulo expressum firmare conantur, eo quia hæc propositio, *Petrus est Homo*, sit categorica prædicationis directæ, de cujus ratione est prædicatum non restringi ad solum subiectum. Nec desunt secundò alij, qui huius universalitatis perseverantiam ostendere voluot, quia ly *Homo* in superiori prædicatiooe retinet pænitùs illam eandem apparentiam, quam in priori habebat in actu apprehensivo, io quo cum esset terminus logicé universalis, erit consequenter etiam io judicio aduenieote. Assumptum autem suadent, quià quemadmodùm in apprehensione inferiora in confuso, & indistinctè veniebant, ità in eodem iudicio quantùm est ex parte prædicati. Quidam verò aliam amplectentes viam docent, quod si in hac propositione. *Petrus est Homo*, ly Homo restringeretur ad solum Petrum, nullum ampliùs esset discrimen inter ipsam propositionem, & hanc aliam. Petrus est hic Homo; Quod discrimen tameo assignandum est, cum prima oon possit simpliciter converti, secus secunda. Nequir enim affirmari cum veritate. *Homo est Petrus*, sed solùm hic *Homo est Petrus*. Sed

His rationibus non fido, secunda in ordine excepta, quæ à me corroborabitur in obiectionum solutione. Noo fido, inquam, primæ, quia ex ipsa solum evincitur, quod prædicatum retinere debeat latitudinem aliquam suprà subjectum, oon verò latitudinem logicam, quæ ulterius exigit perfectam à differentiis præcisionem. Per hoc autem quod retineat latitudinem aliquam, & alicualem confusionem, optimè vitantur omnia absurda, quæ afferri possint.

Solum itaquè secundæ rationi relatæ existimo aduersarios hucusque solutionem non præbuisse. Quod si dicant in tali iudicio prædicatum non retinere perfectam confusionem, & præcisionem, adeoquè nec illud esse, quod habebat in apprehensione; contra est, siquidem præcisio perfecta conveniens naturæ ut logicè universali non est nisi præcisio formalis (obiectiuam enim negant Aduersarii) sed hæc perseverat in natura adueniente actu iudicativo; ergo perseverat eadem præcisio, quæ erat in apprehensione. Maior liquet Minor osteoditur, siquidem præcisio formalis perfecta toties invenitur, quotiés ex parte modi concipiendi non repræsentatur totum id, quod est in obiecto, seù unum repræsentatur sine altero, atqui in actu judicativo ex parte prædicati repræsentantur prædicata essentialia oaturæ humanæ, non verò singularia; ex parte enim *Hominis* non veoiunt, oisi essentialia naturæ; ergo perfectè præscindit præcisione formali.

Præterea ex parte prædicati coocedirur aliqua latitudo; sed hæc est natura, ut logicè universalis; ergo. Probatur minor. Latitudo conveniens naturæ uoivocæ, pro ut hæc substat secundis intentionibus, est latitudo inseparabilis ab universalitate Logica; sed latitudo conveniens naturæ, dum hæc actu prædicatur de singularibus, est latitudo conveniens naturæ, pro ut hæc substat secundis intentionibus; substare enim prædicationi, est substare secundæ intentioni; ergo.

Dices stare posse latitudinem in prædicato cum confusione absque universalitate logica in eodem prædicato, ut patet io his duabus propositionibus: *omnis Homo est Animal. Petrus. est aliquis Homo.* In prima enim ly Homo importat latitudinem; in secunda vero confusionem, & tameo io oeutra est logica universalitas. Sed

Contra est. Talis enim esse debet latitudo, & confusio, ut singularia non veniant explicitè. Si enim hæc importentur, tam actum est de logica universalitate. Modò in dictis propositiooibus talis est latitudo, ut explicentur inferiora per illas particulas, *omnis*, & *aliquis*. At si hæc latitudo talis sit, ut inferiora non explicet, tunc infallibiliter habetur logica universalitas, ut patet in prima propositiooe iuperius adducta.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes dubitandi.*

ARguunt primò aduersarii. Ut terminus universalis *Homo* io hàc prædicarione. *Petrus est Homo* retineret universalitatem, deberet huiusmodi prædicatio æquivalere in modo tendendi duplici præuiæ apprehensiooi; sed non æquivalet, neque æquivalere potest; ergo. Probatur minor. Si duæ illæ apprehensiones *Petrus*, & *Homo* sint essentialiter oppositæ inter se in modo tendendi, talis actus ipsis æquivalere non poterit; sed revera opponuntur inter se; ergo. Probatur minor, quia una ex illis aprehensionibus clara est, altera verò obscura, una formaliter exprimit singularitatem, alia verò non; ergo tales apreheosiones verè opponuntur inter se.

Respondeo hujusmodi actum judicativum revera in modo tendendi æquivalere duplici præviæ apprehensioni; nec obstat, quod una apprehensio clara sit, altera verò obscura. Si eoim idem actus, qui simul fit scientiæ, fidei, & opinionis, potest, juxtà adversarios, æquivalere tribus actibus, fidei nimirum, scientiæ, & opinionis, cur etiam non poterit idem actus judicativus æquivalere apprehensionibus in argumento relatis? Utrobique enim est eadē ratio, ut speculanti patebit. Quod si neges actum opificentiæ æquivalere tribus actibus supradictis, adhuc occurro argumento affirmando tales apprehensiones non esse oppositas inter se; non quidem ex capite claritatis, & obscuritatis, quia utraque suo modo est clara cognitio objecti: Apprehensio enim hujus prædicati. *Homo* est clara cognitio prædicatorum essentialium Hominis, quamvis vi ipsius inferiora oon veniant, sed solùm ipsorum natura formaliter præscindens à pluralitate. Ex hac autem

tem quod una cognitio sit expressiva singularitatis, altera verò non, solùm sequitur apprehensiones esse diversas, non oppositas.

Arguunt secundò. Ut terminus *Homo* in hac prædicatione: *Petrus est Homo*, retineat suam universalitatem deberet hujusmodi prædicatio æquivalere apprehensioni *Homo* in ordine ad denominandam naturam universalem, sed non æquivalet; ergo terminus universalis in actuali prædicatione de suis inferioribus non retinet universalitatem. Probatur minor; ut æquivaleret deberet natura sub tali prædicatione una esse; Unitas enim est de essentia universalis; sed una non est, quia in tali prædicatione est cum divisione, seu cum singularitate; ergò.

Confirmatur In hac propositione: *Deus est Homo* prædicatio singularis est; ergo etiam in hac alia: *Petrus est Homo*.

Respondeo ex parte prædicati universalitatem retineri, quia retinetur indivisio. Nec obstat quòd sit cum singularitate, quia hæc solùm est ex parte subjecti, non verò prædicati.

Ad confirmationem autem disparitas est, quia prima prædicatio non est prædicatio per essentiam, nec per causam, nec per inhærentiam, sed solùm per unionem. Ideo enim *Homo* prædicatur de Deo, quia ei unitur in unitatem personæ, & quia hæc unio singularis est, mirum non est, si prædicatio sit singularis. Secundò quia *Homo* dum dicitur de *Deo* non prædicatur de ipso, & aliis univocè, quia quamvis retineat eandem significationem, ac dum dicitur de Deo, & de Petro; alio tamen modo comparatur ad Petrum, & Paulum, alio verò ad Deum; Ad Petrum enim comparatur prædicatione formali, & essentiali, ad Deum verò in unione personali. Sed

Instabis primò contrà priorem solutionem; ergo etiam sub hoc alio actu *hic Homo* ly *Homo* erit universalis, quod nemo dicet. Probatur hæc Consequentia, ideò in hac propositione *Petrus est Homo* ly *Homo* est universalis, quia actus hic judicativus ratione prædicati, seu secundùm formalitatem prædicationis, non repræsentat singularitatem; sed etiam actus apprehensivus: *hic Homo* secundum formalitatem correspondentem termino: *Homo* non repræsentat singularitatem; ergo natura sub tali actu erit universalis.

Instabis secundò. Stante superiori solutione etiam dici posset, quod divina cognitio faceret universale, contra communem sententiam, siquidem sicuti Theologi distinguunt in eadem scientia duas scientias, unam simplicis intelligentiæ, per quam cognoscit possibilia, alteram verò visionis, per quam cognoscit futura, ita in eadem cognitione divina distingui possunt duæ formalitates, per quarum unam repræsentet formaliter naturam, & non individuationem, per alteram verò individuationem, & non naturam. Hoc posito autem sic arguunt. Non minus divina cognitio secundùm primam formalitatem repræsentat naturam, & non individuationem, quàm actus judicativus *Petrus est Homo* secundùm formalitatem prædicationis exprimat naturam, & non singularitatem; sed quia actus judicativus secundùm formalitatem prædicationis exprimit naturam, & non individuationem, dicitur natura sub tali actu universalis; ergo quia similiter divina cognitio secundùm primam illam formalitatem repræsentat sibi naturam, & non individuationem, dicenda erit natura sub tali cognitione universalis; ergo divina cognitio universalizaret.

Respondeo ad primam instantiam disparitatem in hoc consistere, quòd ly *Homo*, quamvis non præseferat singularitatem secundum se præsefert tamen ut copulatus cum particula *hic*, secundùm quam copulationem solùm est objectum actus apprehensivi, undè affirmari nequit, quod talis actus apprehensivus terminetur ad universale. At verò ly *Homo* in hac propositione. *Petrus est Homo* non exprimit singularitatem, nec secundùm se, nec in ipsa propositione saltem ex parte prædicati. Sed

Instabis denuò. Ideò non obstante, quod talis actus apprehensivus singularitatem non exprimat ratione formalitatis, quæ terminatur ad ly *Homo*, non est dicendus ly *Homo* universalis, quia hoc non obstante actus apprehensivus repræsentat sibi naturam ut singularem, sed etiam actus indicativus sibi repræsentat secundùm suam realem tendentiam. Hominem singularem; ergo utrobiquè par ratio. Probatur minor. Actus judicativus exprimit identitatem inter naturam humanam cum subjecto; sed ratio naturæ identificata cum subjecto est natura individua; ergo.

Revera hæc instantia alicujus est roboris, nihilominùs concessa majori, nego minorem loquendo de natura, quam repræsentat actus ex parte prædicati; ad probationem distinguo majorem. Actus judicativus exprimit identitatem naturæ cum subjecto objectivam concedo majorem, formalem nego majorem Formalis enim identitas non datur inter naturam, & singularitatem; & distinguo minorem. Ratio naturæ identificata tum realiter, tum intentionaliter est individua concedo minorem, realiter tantùm subdistinguo minorem, pro eodem statu concedo minorem, pro diverso nego minorem, & Consequentiam. Distinctio patet.

Ad secundam instantiam dico ipsam habere locum etiã præscindendo ab hoc, quòd ly *Homo* in prædicatione explicet singularitatem, nec ne. Adhuc enim argui sic posset. Sicut in divina Scientia, una formalitas assignatur, quæ solùm attingit possibilia, non verò futura, altera verò è contrà, ita distingui possunt in divina cognitione duæ formalitates, quarum una repræsentet sibi formaliter naturam, & nullo modo individuationes, altera verò è contra; sed natura sub cognitione secundùm primam formalitatem est universalis; ergo divina cognitio universalizat. Quid quæso dicet ad hoc arguens? Certè nil aliud, nisi quod repugnet perfectissimo modo intelligendi divino cognoscere naturam non conceptis singularitatibus, quia hoc esset ipsa individua confusè cognoscere in ipsa natura, quod Deo repugnat. Idem dic in casu nostro. Præterea dato, & non concesso divinam cognitionem terminare posse ad puram naturam non terminando ad singularitatem, non inde sequitur talem divinam cognitionem universalizare. Cognitio enim universalizans non consistit in sola tendentia, & repræsentatione naturæ universalis denudatæ à singularitatibus; sed ulteriùs exigitur, quod intellectus ipse naturam abstrahat à singularitate, quod totum facere nequit intellectus divinus.

Arguit tertiò Eminentissimus Cardinalis Ptholomæus. Terminus cæteròquin universalis conjunctus mentaliter in terminum complexum, vel cum pronomine *hic, ille, iste*, vel cum alio termino singulari, vel inferiori, ut *Petrus Homo*: *Homo Animal* restringitur, & excidit sua indefinita universalitate; ergo potius ex parte prædicati terminus cæteroquin universalis restringitur. Probatur Consequentia. Identitas non minori actualitate repræsentatur per

actualem

actualem propositionem mentalem affirmantem *Petrus est Homo*, quàm repræsentetur per actualem terminum mentalem dicentem *Petrus Homo*, vel *Hic Homo*; sed actualis terminus complexus mentalis etiam secundùm suam formalitatem, quæ correspondet huic objecto: *Homo*, consideratus formaliter in actuali termino complexo restringitur; ergo etiam actualis propositio mentalis secundùm illam formalitatem suam, quæ correspondet huic objecto *Homo*, ut in actuali propositione, & prædicatione mentali restringitur, & excidit.

Respondeo disparitatem obviam esse, & illa est, quam ex eadem Societate assignat P. Andreas Semery, videlicet ideo in termino complexo ly *Homo* restringi, quia Petreiras additur per modum determinativi, & contractivi; at verò in propositione prædicatur per modum totius potestativi, de cujus ratione est, quod dum prædicatur de uno, prædicari possit etiam de alio.

# DISPUTATIO QUINTA.

De Universalibus in particulari.

POstquam de Universali Logico in tota sua latitudine egimus, communis methodus exposcit, ut de Universalibus in particulari sit sermo, quærendo prius quot sint, & quænam sint prædicabilia. Sub hac itaque disputatione quamplura proponentur, ut non minus ex ista eruatur notitia de universalibus in particulari, ac ex præcedenti disputatione de universalibus in communi desumpsimus.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum universalia in particulari, seu prædicabilia sint quinque, vel plura, vel pauciora.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Sententia Communissima.*

CIrca hoc dubium non una est Auctorum opinio. Aliqui enim contendunt universalia in particulari esse dun, ut Camerarius, nonnulli sex, ut Cajetanus, aliqui verò octo, ut Raconius, quinque verò alii communiter. Quænam ex his sententiis eligenda est, colligi potest ex Henrico, Divo Thoma, & Scoto, qui in hac re unanimiter loquentes esse quinque prædicabilia decreverunt. Ex Henrico inquam in Summa art. 75. quæst. 6. num. 15. ubi quamvis videatur ponere solùm duo prædicabilia, numerando *Speciem*, & *Genus*, aliundè tamen etiam alia tria assignat diversis in locis, quod facit, dum tribuit universalitatem *Accidenti logico*, *Proprio*, & *Differentiæ*, quem numerum pariter assignant Thomistæ omnes ex Divo Thoma 1. contra gentes cap. 31. & opusc. 48. cap. 1. quibus Scotistæ adhærent ex Scoto quæst. 12. Universalium, & dist. 8. quæst. 3. His omnibus itaque adhærendo dico prædicabilia esse solùm quinque, nempè Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Non unica ratione solet conclusio probari. Thomistæ enim aliqui, cum Joanne à S. Thoma hoc probant ex diversitate identitatis, vel connexionis extremorum inter se. Alii verò ex diversitate naturarum in ratione subjecti universalitatis, ut Complutenses. Alii ex diverso modo essendi naturas in inferioribus, ut Mastrius. Alii tandem ex diversis abstractionibus, quæ fieri possunt ab inferioribus, Ex his omnibus modis feliciter evincitur determinatus numerus assignatus prædicabilium, ut apud suos Auctores videri potest. Ex ultimo tamen modo placet pro nunc veritatem propositam ostendere sub hac forma. Tot sunt prædicabilia, quot diversæ abstractiones, quæ fieri possunt ab inferioribus, sed istæ sunt solùm quinque, ergo. Major liquet, quia propter diversitatem abstractionis res abstracta diversimodè prædicatur de inferioribus, adeoque tot erunt diversa prædicabilia, quot diversæ abstractiones. Probatur itaquè minor. Quidquid abstrahitur ab inferioribus, vel est de essentia inferioris, vel superadditum essentiæ. Si est de essentia inferiorum, vel per abstractionem abstrahitur tota essentia, vel pars. Si tota essentia ratio abstracta dicitur *Species*; Si pars essentiæ, vel erit pars determinabilis, & dicitur *Genus*, vel determinativa, & dicitur *Differentia*. Si verò est superadditum essentiæ inferiorum, vel erit necessariò, & convertibiliter inferioribus conveniens, & dicitur *Proprium*, ut *risibile* respectu hominis, vel non conveniet necessario, & convertibiliter, sed ex principiis extraneis, & communibus, & dicitur. *Accidens*.

### CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta Cõtraria contrà Statutam thesim.*

ARguunt primò aliqui. Rationes universales plures sunt, quàm quinque; ergo quinquè non sunt prædicabilia. Probatur Antecedens, quia ultrà relatas rationes datur etiam ratio individui abstracta, quæ est ratio universalis; ergo rationes universales plures sunt, quàm assignatæ. Rursus, ens, materia, definitio, existentia, subsistentia, personalitas, unio substantialis, Anima, punctum, unitas, aliquis Homo, non Leo, non Canis, sunt rationes prædicabiles de pluribus, sed istæ reduci nequeunt ad assignata prædicabilia, ergo &c. Item natura humana, ejusque prædicata superiora de verbo divino prædicantur; sed non essentialiter, quia in tempore cæperunt illi convenire, non contingenter, quia unio Hominis ad Deum substantialis est, non ut proprium, quia non dimanant à principiis intrinsecis Dei; ergo dantur alii modi prædicandi.

Respondeo prius supponendo cum Thomistis, & Scotistis, quòd dum Universale dividitur in quinque species, non dividitur ratione naturæ, seu pro materiali; sic enim non esset adæquata divisio, sed solùm ratione universalitatis, & prædicabilitatis, ita ut tot sint prædicabilia, quot sunt diversi modi universalitatis. Hoc autem supposito ad singula respondeo, & ad primum aliqui Scotistæ dicunt individua non prædicari de pluribus secundùm naturam, quia nulla natura individua pluribus individuis convenit, sed prædicari de pluribus tantùm secundùm nomen, quatenus unumquodque, quod realiter existit, vocatur individuum. Sed

Huic solutioni non acquiesco, siquidem, quamvis verum sit, quod nulla natura individui, si accipiatur in concreto prædicetur de pluribus, tamen natura, seu ratio importata ab individuo in tota

sua

sua amplitudine, vel abstractè sumpta, optimè potest prædicari de pluribus, quia ratio individui, quæcumque sit, verè de quolibet individuo prædicari potest. Alii verò dicunt, quod individuum, cum non sit universale, periculum non est, quod novum prædicabile constituat, sic Joannes à Sancto Thoma. Quòd autem non sit universale ostendit, quia hoc ab omni individuatione abstrahit, etiam in communi accepta, eo quia abstractio universalis reddat naturam contrahibilem per differentias; individuatio autem in communi non est contrahibilis per differentias, sed est ipsa differentia individualis in communi. Nonnulli verò docent individuum, ut sic respectu individuorum non constituere novum universale, quia de formali nihil aliud dicit, quàm unitatem transcendentalem uniuscujusque entitatis pro ut in re existentis, & ita excluditur sicut alia prædicata transcendentia. Præsertim si sumatur secundùm illud positivum, quod dicit, quod nihil addit supra ens, vel si addit, reduci potest ad proprium, quatenus modus ille, quo constituitur persona, vel subsistens essentialis non est, sed per se concomitans essentiam, sicuti actu inhærere dici potest quodammodo proprium accidentis. Sic respondet Suarez: Sed quidquid sit de his solutionibus aliam amplector, & affirmo rationem individui reduci posse ad differentiam, non quidem infimam cum prædicetur de pluribus differentibus nedum numero, sed etiam specie, & genere. Cum veritate enim dicitur hic lapis est Individuum. Hic liber est individuum. Hic homo est individuum, cùm tamen Homo, & lapis genere differant. Dixi ad differentiam, quatenus habet rationem qualificativi, & determinativi relatè ad naturam.

Materia verò reducitur ad genus, cùm sit pars determinabilis, in ordine physico ingrediens compositi essentiam. Ratio verò entis vel sumitur nominaliter, vel adverbialiter. Si primo modo, nimirum pro essentia, reduci debet ad illud prædicabile, ad quod reducitur essentia, quæ semper reducitur ad unum ex primis tribus prædicabilibus. Si verò sumatur secundo modo, videlicet pro existentia, reducitur ad accidens. Existentia enim est extra rei essentiam, quod pariter dico de subsistentia, & unione substantiali, quæ quamvis in se sit substantia, nihilominus potest optimè spectare ad quintum prædicabile, quia ut asserit Scotus, habitudo accidentis quinti prædicabilis fundari potest in re, quæ sit substantia, quando hæc contingenter unitur alteri, de quo prædicatur. Anima verò relatè ad compositum vivens, quod constituit, rationem habet differentiæ, cùm de ipso vivente per modum partis essentialis determinantis prædicetur.

Ad illud verò de individuo vago facilis est solutio, quia hoc universale non est; significat enim semper naturam singularem, & contractam, licèt non denotet ad quod individuum illa natura sit determinata. Quando enim dicitur aliquis Homo, hoc non convenit pluribus Hominibus copulativè, sed solùm uni Homini, qualiscumque sit; unde falsa est sententia Cajetani docentis individuum vagum esse universale.

Non canis verò, & non lapis nullum prædicabile fundare possunt, nam ut quidam antiquus Thomista Hispanus in schola Divi Thomæ non mediocris auctoritatis advertit prædicabilia important, & signant certam, determinatam formam, quam certè non dicunt nomina infinita, cui solutioni addo, quòd dum dicimus: *Homo est non canis*, vel ista negatio *non Canis* sumitur formaliter, idest prout est pura negatio, vel radicaliter, seu secundùm id, in quo radicatur talis negatio; Si primum ad nullum prædicabile, nec ad ullam coordinationem entium positivorum spectabit. Si secundum, dico quod spectat ad aliquod prædicabile, & quidem ad illud, ad quod spectat prædicatum, supra quod talis negatio radicatur, sed tunc non spectabit ratione sui, sed ratione radicis.

Illud autem, quod adducitur de definitione, dico, hanc excludi à numero prædicabilium, quia ipsa est terminus complexus, & de ratione universalis est, quòd sit natura pura simpliciter, non solùm in essendo, verum etiam in significando.

Difficilior itaque solùm videtur solutio loqueado de unitate, & puncto; Nihilominus hanc exhibet Henricus, monens unitatem, pro ut convertitur cum ente, & ipsum ens, cum quo convertitur esse prima genera, hoc suadente etiam Philosopho 4. metaph.: *Prima genera autem sunt unum, & ens*; adeoque reducenda erit unitas ad primum prædicabile, cum circuat omne genus, & non sit in aliquo determinato genere. Secundò responderi potest, unitatem nec ad ullum prædicabile, nec ad ullum prædicamentum spectare, cùm addat supra eos non modum aliquem positivum, sed negativum. Est enim in Henrici sententia modus privativus, non quidem privando aliquod positivè dictum; hæc enim habet: *Aliter adhuc Deo nullomodo conveniret esse unum, quia esse ejus omni defectu, & privatione caret, sed dicitur privativus privando solùm aliquid negativè dictum cujus privatio verissimè Deo convenit, & sic unum significat ens carens privatione illa, quæ significatur realiter nomine multitudinis licèt modo positivo.*

Ad ultimum diversæ sese offerunt solutiones. Sunt primò qui asserunt ex unione materiæ humanæ ad verbum resultare nova prædicabilia, quæ vocantur assumptiva, quia de Deo, neque essentialiter, neque accidentaliter dicuntur, sed substantialiter. Sunt secundò, qui asserunt naturam humanam prædicari essentialiter de Deo, non quidem ut subsistenti in natura Divina, nam ut sic accidentaliter Deo convenit esse Hominem, sed de Deo, ut subsistenti in natura humana, & incarnatione supposita, ut sic enim essentiale est esse Hominem, quia sic est individuum Hominis. Sic communiter respondent Thomistæ. Sunt tertiò, qui propugnant prædicationem naturæ humanæ de Deo spectare ad quintum prædicabile, quia prædicatum illi contingenter convenit, quamvis prædicetur substantivè, siquidem dicendo: *Petrus est suppositum*, talis prædicatio fit substantivè, & tamen pertinet ad quintum prædicabile. Sic communiter respondent Scotistæ, & ferè omnes in nostra schola.

Obiicies ultimò. Prædicamenta sunt decem; ergo etiam prædicabilia. Probatur Consequentia. Numerus prædicabilium desumitur ex modo prædicandi, sed etiam numerus prædicamentorum ex eodem modo prædicandi deducitur; ergo tot sunt prædicabilia, quot prædicamenta. Probatur Minor. Modus prædicandi desumitur ex modo essendi, sed prædicamenta desumuntur ex modo essendi; ergo desumuntur ex modo prædicandi.

Respondeo prædicamenta desumi ex modo essendi per se, qui conuenit substantiæ, & ex diversis modis essendi in alio tanquam in subiecto inhæsionis, qui modi, cùm sint novem, constituere debent decem prædicamenta simul cum primo

modo conveniente substantiæ. At prædicabilia desumuntur ex modo prædicandi fundato in modo essendi in inferioribus, & cùm tantùm quinque modis enumeratis possint rationes communes esse in inferioribus, ideò tantùm quinquè assignantur prædicabilia. Hæc est solutio Henrici, quam tradit in summa art. 32. quæst. 5 num. 7.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*De Genere.*

### CAPUT PRIMUM.

*Circà primum prædicabile quamplura discutiuntur.*

Genus logicum est id, *quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo, quod quid est*. Definitio hæc optima est, cùm explicet naturam generis. Dicitur in primis *prædicari de pluribus*, & hæc particula stat loco generis cum sit ratio conveniendi cùm cæteris prædicabilibus. Dicitur *differentibus specie*, per quam particulam differt genus à specie, cùm hæc prædicetur tantùm de pluribus differentibus numero; differt verò à proprio, & à differentia, quià quamvis proprium genericum, & differentia generica prædicentur de pluribus differentibus specie, tamen non eodem modo prædicantur, quo genus; hoc enim prædicatur de ipsis per modum essentiæ partialis determinabilis, differentiæ verò per modum essentiæ determinativæ, & proprium per modum consecutivi ad essentiam, vel ut asserit Ioannes à Sancto Thoma generi per se, & formaliter convenit prædicari de pluribus differentibus speciæ, non verò differentiæ & proprio ex genere suo. Rationalitas siquidem, & risibilitas sunt differentia, & proprium, & tamen non prædicantur de pluribus differentibus specie. Dicitur *in quid*, per quam particulam denotatur modus prædicandi ipsius generis, quà genus est, nempè per modum essentiæ, ità ut prædicetur essentialiter tam ex parte rei significatæ, quam ex modo significandi.

### CAPVT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contra generis definitionem militantia.*

Primò obiiciunt aliqui. Definitio dari debet per priora, & notiora ex Aristotele; sed nihil datur prius in definitione generis; ergo talis definitio non est bona. Probatur minor. Si daretur per prius maximè quià daretur per rationem genericam; sed dum genus definitur per rationem genericam, non definitur per aliquod prius se; ergo. Probatur minor. Si ratio generica, per quam definitur genus, prior esset ipso genere definito, iam daretur genus suprà genus; sed genus supra genus dari nequit; ergo &c.

Confirmatur. Præcipuè contra generis supremi definitionem, quam communiter afferre solent Auctores. Vel genus supremũ, dum definitur, propriè definitur, vel non. Si primum; ergo definitur per rationem genericam, quæ magis latè pateat, quàm ipsum, quod repugnat, aliàs non esset amplius id, quod definitur, genus supremum. Si verò dicatur secundum; ergò definitio, quæ communiter affertur de genere supremo non erit optima, quià non procederet per rationem genericam.

Confirmatur secundo. Si genus supremum definitur per genus, & ipsum genus, per quod tale genus definitur, deberet posse ulterius definiri. Patet hoc, nam genus, per quod supremum genus definitur non est nihil, sed aliquid, ità ut importet propriam realitatem, adeoque importare etiam debet propriam definitionem, cùm quælibet realitas definiri possit; sed penitus falsum est genus, per quod genus supremum definitur, posse ulterius definiri, aliàs daretur processus in infinitum, ut speculanti patebit; ergo etiam quod genus supremum propriè definiri possit.

Respondeo genus primum predicabile definiri per priora, quia definitur per rationem genericam quæ est suprà ipsum genus, nec mirum esse debet, quod detur genus suprà genus, siquidem genus subalternum est suprà genus infimum, supremum verò suprà utrumque, sicuti in linea differentiarum datur differentia suprà differentiam, nempè subalterna suprà infimam, & in linea speciei species suprà speciem, ut species subalterna supra athomam.

Ad confirmationem primam, & secundam dico genus supremum propriè non definiri ob rationes adductas in ipsis confirmationibus, sed solùm describi, quemadmodum describitur generatio ipsa substantialis à Philosopho, dum vuit 8. phisic. cap. 8. esse mutationem de non ente ad ens. Describitur itaquè, seù definitur definitione descriptiva explicante quid sit, non verò quid habeat suprà se genus supremum. Hæc est solutio, quam adhiberem argumento, quæ an efficax sit, vel potius inefficax Lectori remitto.

Quidam alii Recentiores Scotistæ alia via procedunt in solutione; Dicunt enim genus, per quod genus primum prædicabile definitur, esse genus tantùm materialiter, denominativè, & accidentaliter, nempè ipsum universale, per quod definitur genus, & hoc quia genus definitur per aliam secundam intentionem generis, illi accidentaliter ab intellectu applicatam. Hoc ipso autem quod genus, quodcunque sit sive infimum, sive subalternum, siuè supremum, definitur per rationem genericam solùm accidentaliter, & materialiter talem, scilicet per aliam secundam intentionem, illi accidentaliter applicatam ab intellectu, cessat processus in infinitum, qui solùm sequeretur, si definiretur per genus formaliter, ut tale, seù essentialiter. Sed

Huic solutioni quamvis subtilissimæ nõ totaliter acquiesco, quia quamvis hæc duo videatur primo intuitu saluare, primò scilicet, quodlibet genus definiri per genus etiam loquendo de genere supremo; secundò verò quod vitetur processus in infinitum; reuera tamen hoc secundum non saluatur, siquidem quamuis genus, quod definitur sit genus per secundam intentionem, illi accidentaliter advenientem, adhuc tamen propriè definirur per aliud genus, ergò à pari quamuis genus, per quod primum prædicabile definitur, sit genus per aliam secundam intentionem generis illi accidentaliter applicatam, adhuc tamen debebit ulterius definiri, sicque repugnantia processus in infinitum semper redibit.

Argues secundò. Dum definitur genus logicum, vel definitur concretum, aggregatum nempè ex natura, & intentione, vel definitur sola natura; neutrum dici potest; ergo ratio generis logici definiri nequit. Major euidens est. Probatur itaquè minor, & primò quoad primam partem, quia aggregatum per accidens qua tale definiri nequit; sed concretum ex natura, & intentione est aggregatum per accidens; ergo &c. Quoad secundam verò patet manifestè, nam dum res quælibet definitur præ-

præcipuè habet definiri secundùm ejus formam; sed forma generis logici est ipsa secunda intentio; ergo definiri nequit sola natura, dum definitur genus logicum.

Respondeo definiri naturam genericam pro ut hæc substat secundæ intentioni, ut constat ex ipsa definitione generis. In cujus definitione præcipuè venit unitas præcisiva, quæ naturæ non convenit nisi in statu intentionali. In statu enim reali solùm conveuit unitas formalis.

# QUÆSTIO TERTIA.

*De Specie Logica.*

## CAPUT PRIMUM.

*Exponitur ejus essentia.*

Ut ordine debito procedamus post generis notitiam, inquirenda est illa speciei, quæ communiter definiri solet, quod sit unum aptum prædicari de pluribus differentibus numero in quid ut tota essentia, in qua definitione, ut vides, species prædicabilis definitur Subiicibilis enim est natura, quæ subiicitur generi, & de qua genus in eo quod quid prædicatur. De prædicabili nunc est sermo, cujus definitionis allatæ explicatio ex dictis constare potest, quibus solùm addo ly prædicari de pluribus non habere rationem passionis ipsius naturæ prout species Logica est, sed essentiæ, adeoque definitionem non esse descriptivam; sed essentialem, nam quamvis prius sit naturam esse in pluribus, quàm prædicari de illis, non prius tamen est naturam esse Logicè universalem, quàm aptam proximè prædicari de pluribus, cùm prius intelligi non possit constitutum absque suo constitutivo. Dicitur autem ut tota essentia per quàm particulam disconuenit à cæteris prædicabilibus, ut speculanti patebit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur aliquæ objectiones contra utramquè definitionem.*

Obiicies primò. Natura Divina non est species, cùm sit essentialiter singularis, & tamen prædicatur essentialiter de pluribus differentibus numero, nempè de tribus divinis personis; ergo definitio speciei convenit aliis à definito.

Respondeo speciem prædicari de differentibus numero in natura. Hoc autem non convenit personis Divinis, quia natura Divina est una numero in tribus, quapropter in eis non est pluralitas absolutorum, sed relationum.

Instabis. Ergo saltem conceptus communis personæ divinæ erit species. Probatur hæc consequentia. Quia ratio illa, quæ prædicatur in quid multiplicabiliter esse potest ratio specifica; sed conceptus personæ sic prædicatur in quid de tribus personis, cùm personæ divinæ in ratione personæ inter se realiter distinguantur; ergo.

Respondeo varias esse hujus instantiæ solutiones; quidã enim sustinent conceptũ communẽ personæ respectiuæ ad tres personas habere rationem speciei, quia ratio personæ multiplicatur in illis, quæ in eadem ratione solo numero differunt. Alii verò asserunt conceptum personæ habere rationem generis, quia diviuæ personæ in ratione formali personæ specie differunt. Paternitas enim, Filiatio, & Spiratio sunt relationes diversæ speciei. His omnibus solutionibus omissis, existimo, ego conceptum personæ participare de genere, & specie, ut speculanti patebit.

Obiices secundò contra definitionem speciei subiicibilis. Individua generica immediatè collocantur sub genere, & genus immediatè prædicatur de illis, ut constat in his propositionibus hoc Animal est Animal, & hæc quantitas est quantitas; & tamen non sunt species subiicibiles; ergo istæ definitiones conveniunt aliis à definito.

Respondeo primò, quod de individuis genericis non prædicatur genus, ut genus est; sicut enim hoc animal ex modo significandi habet rationem individui, ita animal ex modo quo prædicatur non habet rationem generis, sed speciei. Et ratio est, quia non prædicatur de illo, ut natura perfectibilis, & potentialis, quod est proprium generis, sed ut natura perfecta, & tota quidditas subjecti, quod conuenit speciei.

Obiicies tertiò. Illa definitio non est optima, quæ traditur committendo circulum vitiosum, atqui definitio speciei pro ut subiicibilis traditur committendo circulum vitiosum; ergo non est optima. Probatur minor. Siquidem genus definitur in ordine ad speciem, species verò in ordine ad genus, cui subiicitur; ergo.

Respondeo: Nullatenus circulum vitiosum committi, primò quia inter correlativa mutua, ut sunt genus, & species necessariò interuenire debet iste mutuus respectus sine vitio circuli. Secundò quia species non tantùm definitur definitione relatè ad genus, sed etiam alia, videlicet in ordine ad inferiora, de quibus prædicatur; quoties autem definitur alia definitione, quam per illam, in qua committitur circulus, circulus ille formalis non est, sed materialis tantùm, qui vitiosus non est. Tertiò quia species non definitur per genus formaliter sumptum, sed fundamentaliter, & hoc quia unum relatiuum definiri non debet per suum correlativum, sed per fundamentum sui corellativi, ut euitetur circulus.

Quæres hic, an species pro ut est secundum prædicabile constituatur per subiicibilitatem, an verò per prædicabilitatem.

Respondeo essentialiter constitui per prædicabilitatem. Est contrà Cajetanum assertum hoc, quod sic ostendo. Species in tantum est unum de quoquè prædicabilibus, inquantum participat rationem uniuersalis, cùm quinquè prædicabilia sint species quædam universalis; ergo constitutivum ejus esse debet intrà rationem uniuersalis. Consequentia patet, quia implicat, quod aliqua relatio in communi importet tendentiam ad aliquem terminum, & relatio in determinata specie tendat ad oppositum; ergo cùm uniuersale in communi constituatur per habitudinem ad inferiora, etiam tale universale constitui debebit per respectum ad sua inferiora. Sed

Dices. Propria ratio speciei est esse correlatiuum generis; sed species hanc rationem correlatiui non habet per ordinem ad inferiora, de quibus dicitur, sed per ordinem ad genus; ergo constitui debet per subiicibilitatem ad ipsum.

Respondeo facilè solui hoc Cajetani fundamentum, eo quia quamvis species secundùm suam propriam rationem formalem respiciat genus tanquam ejus correlatiuum, non respicit tamen secundum rationem universalitatis; sic enim non dicitur

dicitur relatiuè ad genus, sed per se primò ad sua inferiora.

Dices secundò. Genus generalissimum non constituitur in hac suprema universalitate per ordinem ad inferiora, sed præcisè per hoc, quod suprà se aliud genus non habeat; ergo genus subalternum constituetur præcisè per hoc, quod supra se aliud genus habeat.

Respondeo genus generalissimum dupliciter considerari posse. Primò videlicet, ut genus est. Secundò verò ut generalissimum. Hoc secundo modo utiquè per se non requiritur, quod habeat sub se species, cùm sibi sufficiat, quod supra se nil aliud habeat. At pro ut genus præcisè est tenetur habere sub se plura inferiora, sicuti genus subalternum quà tale est constituatur per subiicibilitatem, nihilominus pro ut genus est constituitur per prędicabilitatem de pluribus specie differentibus.

## QUÆSTIO QUARTA.

*De differentia tertio prædicabili.*

### CAPUT UNICUM.

*Explicatur ejus natura.*

Differentia logica, vel tertium prædicabile est: *unum aptum prædicari de pluribus, vel specie, vel numero differentibus in quale quid.* Dicitur *in quale quid*, quia prædicatur de inferioribus per modū partis essentialis determinativæ, de cujus ratione est qualificare. Differentia alia est communis, alia propria, & alia propriissima. Communis est illa, per quam unum differt ab alio secundum aliquod accidens non necessario, & converribiliter conveniens, sic, verbi gratia, secundum albedinem Homo albus differt à nigro. Propria illa est, per quam unum differt ab alio secundum accidens necessariò, & convertibiliter conveniens, ità Homo differt ab equo per risibilitatem. Propriissima verò est illa, per quam unum differt ab alio essentialiter, ità Homo differt ab equo per rationalitatem.

Dices prædicari in quale, & prædicari in quid sunt modi prædicandi oppositi, qui convenire nequeunt eidem; ergo ineptè dicimus differentiam prædicari in quale quid.

Respondeo, quod si per ly *quale* intelligatur accidentale aliquod, & per ly *quid* intelligatur aliquod essentiale, utiquè isti modi prædicandi sunt oppositi; At si per ly *quale* intelligamus aliquod essentiale se habens per modum partis essentialis rationem genericam determinantis, ut de facto intelligimus hic, tecensiti modi prædicandi non sunt oppositi.

Dices denuò: Definitio ex dictis non constituit unum prædicabile à cæteris distinctum; ergo nec differentia. Probatur hæc consequentia, ideò definitio non constituit unum prædicabile à cæteris distinctum, quia prædicatur in quale quid, in quid ratione generis, in quale verò ratione differentiæ; ergo, cum etiam differentia prædicetur in quale quid, non constituet unum prædicabile. Sed

Contrà est. Disparitas enim clara est, siquidem ideo definitio excluditur à ratione peculiaris universalis, quia importat modum prædicandi duplicis universalis, cum importet explicitè rationem unam genericam, & alteram differentialem; at verò differentia non prædicatur, nisi per unicum terminum, qui nequè perfectè in quid, nec perfectè in quale prædicatur, sed simul utroquè modo indivisibiliter.

Quæres an differentia dicatur universalis respectu speciei, an solùm respectu inferiorem ejusdem speciei.

Respondeo differentiam dici universalem respectu inferiorum, non verò respectu speciei, & probatur, quia respectu illius differentia dicitur universalis, respectu cujus est superior; sed respectu speciei non est superior, sed omninò æqualis; ergo respectu speciei non est universalis.

Confirmatur: quia universalitas formaliter desumitur per ordinem ad suum correlativum; sed correlativum universalis formaliter sunt solùm inferiora, nam universale se habet ut superius ad multa, & ut contrahibile ad inferiora; ergo respectivè ad inferiora erit solùm differentia universalis.

Dices: natura constituitur universalis in ordine ad ea; de quibus primò, & immediatè prædicatur; sed differentia primariò, & immediatè prædicatur de specie; ergo natura constituitur universalis respectu speciei.

Dices secundò! Differentia prædicatur de specie, sed non prædicatur ad instar prædicati singularis; ergo ut universalis.

Respondeo non quamcumque prædicationem immediatam constituere universale, sed solùm illam, quæ est superioris de inferiori, quod non habet differentia relativè ad speciem, sed solùm in ordine ad ejus inferiora, hæc enim duo valde diversa sunt, quòd Petro conveniat esse rationalem, quia est Homo, & quòd rationali conveniat secunda intentio universalis, quia respicit Hominem. Primum verum est, secundum verò penitus falsum.

Ad secundum dico differentiam prædicari de specie ut universalem, non quidem formaliter, & reduplicative, sed materialiter, & specificativè, ita ut differentia, quæ prædicatur de specie universalis sit non tamen respectu illius, sed potius respectu suorum inferiorum.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Quid sit proprium quartum prædicabile.*

### CAPUT UNICUM.

*Refertur ejus natura simul cum quamplurimis ad ejus naturam spectantibus.*

Hic non quæritur de proprio sub ratione proprii, sed de proprio sub ratione universalis. Omnibus enim notum est proprium primo modo optimè definiri dicendo illud esse, *quod non indicat quid rei soli autem inest, & converfim prædicatur.* Proprium itaque in ratione quarti universalis communiter definitur quod sit: *unum aptum prædicari de pluribus numero, vel specie differentibus in quale accidentale necessariò, convertibiliter*, per quas ultimas particulas differt proprium ab accidente.

Ratio proprii communiter dicti quatuor modis accipi potest. Primò pro ut convenit soli speciei, sed non omni individuo contento sub illa, ut esse musicum, aut logicum. Secundum est illud, quod convenit omni individuo alicujus speciei, sed non soli speciei, ut esse bipedem; convenit omni sub specie Hominis, sed non soli speciei, cum etiam conveniat volucribus. Tertium est illud, quod convenit soli speciei, & omni individuo, sed non semper, ut Homini in senectute canescere. Quartum, quod

quod est maximè proprium præcipuè si considere-tur in ordine ad sua inferiora, illud est, quod soli speciei, & omni individuo, & semper convenit, ut esse risibilem.

Contra dicta hucusque de quarto prædicabili objiciunt primò. Quod est proprium alicui rei, non est commune, sed quod non est commune non est universale; ergo non bene dicitur, quod proprium sit universale.

Respondet Henricus huic argumento in summa quæst. 1. art. 27. num verò 8. proprium dupliciter esse. Primum proprium, quod unico tantùm supposito singulari convenit; secundum quod alicui determinatæ speciei. Primum vult necessariò requiri ad hoc, ut aliquod in divinis habeat rationem proprii; secundum vult necessariò intervenire ad hoc, ut aliquod dicatur proprium in Creaturis, sic vult risibilitatem verè vocari proprium, quia tantum speciei humanæ convenit, est enim proprietas profluens à sola natura humana, quæ doctrina tota continetur sub his verbis Doctoris: *propriè autem loquendo de proprio, non dicitur propriè in divinis, nisi proprietas, quæ unico supposito singulari convenit, & quæ in creaturis convenit soli alicui speciei, & suppositis ejus, ut risibile homini. Proprium autem, & appropriatum in hoc differunt, tam in divinis, quàm in creatis, quod proprium est, aut quod in divinis convenit uni soli singulari personæ, aut in creaturis uni speciei, sicuti dictum est. Appropriatum est autem commune aliquod pluribus uni illorum adscriptum singulariter, ut pro illo singulariter supponat, & hoc propter aliquid in illo, quo singulariter illud respicit, ut jam amplius exponatur.* Undè in forma patet.

Quæres quodnam sit proprium constituens quartum prædicabile?

Respondetur cum communi sententia Thomistarum ex Divo Thoma opusc. 48. tract. 1. cap 6. & 7. & Henrico solùm proprium quarto modo constituere quartum prædicabile, & probatur. Illud verè est simpliciter proprium, quod dimanat à principiis essentialibus; sed proprium, quod convenit omni, & soli, & semper, est hujusmodi; ergo hoc solùm erit verè, & simpliciter proprium. Probatur Minor, quia si convenit ex principiis essentialibus; ergo convenit omni habenti illam essentiam. Rursus; ergo ubi non fuerit ea essentia, neque etiam erit tale proprium, ac proindè conveniet soli habenti talem essentiam; denique; ergo quamdiù quis habuerit talem essentiam, tandiù gaudebit ejus proprietate, & cùm essentia sit invariabilis, semper habebit proprietatem illam.

Hoc totum sic confirmatur; quia proprium ut distinguitur ab accidenti communi debet dimanare à principiis essentialibus; sed hoc non convenit proprio considerato in tribus prioribus acceptionibus; ergo. Probatur Minor, nam esse medicum, si sumatur pro habitu medicinæ, certum est non fluere ab essentia Hominis; si verò sumatur pro speciali inclinatione aut habilitate ad medicinam, constat id oriri ex principiis individualibus, & diverso hominum temperamento. Similiter esse bipedem, aut canescere consequitur ex dispositione materiæ, sicuti esse masculum, vel fœminam. Sed

Obiicies primò. Proprium tribus prioribus modis verè pertinet ad quartum prædicabile; ergo falsum est, quod spectet tantùm illud quarto modo. Probatur, Antecedens, nam proprium in prima acceptione respicit inferiora, ut conveniens soli speciei, sed non omni individuo; in secunda verò acceptione prout conveniens omni, individuo, sed non soli speciei, in tertia verò acceptione prout conveniens omni, & soli; accidens verò commune solùm respicit inferiora sub formalitate contingentis.

Respondeo proprium illis tribus modis consideratum habere formalitates indistinctas ab intentione quinti prædicabilis, nihilominus adhuc non constituit proprium simpliciter, sed solùm secundum quid, quia sunt intentiones imperfectæ. Ad veram enim rationem proprii exigitur, quod dimanet à principiis essentialibus.

Dices licèt actu esse medicum, bipedem, sint accidentia communia orta ex principiis individualibus, aptitudo tamen ad esse medicum, vel bipedem oritur ex principiis essentialibus naturæ humanæ, quia ex his provenit habilitas ad scientiam; cùm omnis homo naturaliter scire desideret; ergo hujusmodi accidentia aptitudinaliter sumpta sunt propriæ passiones, & pertinent simpliciter ad hoc prædicabile.

Respondeo, quòd si aptitudo ad medicinam, sumatur pro generali capacitate ad scientias, convenit homini quarto modo, non primò; si verò sumatur pro speciali habilitate ad unam scientiam præ aliis, sic absoluté loquendo est accidens commune; quia ad rationem propriæ passionis requiritur, quòd dimanet ex principiis formalibus, & non solùm ex materialibus, & individualibus.

Quæres secundò respectu cujus proprium constituatur in esse universalis?

Respondeo proprium constitui universale respectu inferiorum, non verò respectu speciei. Ratio conclusionis illa eadem est quo ad substantiam, quæ superius posita fuit, dum erat sermo de tertio prædicabili.

Dices proprium non dicitur de individuis necessariò, & convertibiliter; ergo respectu illorum non est prædicabile, ut proprium. Probatur Antecedens, quia quamvis valeat Petrus est risibilis, non valet tamen risibile est Petrus. Insuper proprium non convenit uni soli individuo, sed etiam aliis; ergo non habet necessariam connexionem cum individuo quà tali. Secundò Proprietates genericæ respectu inferiorum non se habent ut proprietates quarto modo, sed solùm secundo; ergo non possunt induere rationem quarti prædicabilis respectu inferiorum. Probatur Antecedens, quia bipes est propria passio animalis distincti à quadrupedibus, quod est genus innominatum respectu omnium bipedum, & tamen respectu Hominis est proprium secundo modo. Tertiò quia in hoc distinguuntur proprium ab accidenti communi, quod illud convenit speciei ratione individuorum, illud verò convenit individuis ratione speciei; ideò enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis; ergo proprium prius prædicatur de specie, quam de individuis.

Quarto quia idem accidens, quod respectu gradus, à quo dimanat, est propria passio, comparativè ad gradus inferiores est accidens cõmune; ergo quartum prædicabile solùm constituitur in suo esse per respectum ad gradum, à quo dimanat. Consequentia patet. Antecedens suadetur, quià aliàs nullum dabitur accidens commune, siquidem respectu subiecti, & principii, à quo oritur, induit rationem passionis.

Respondeo ad singula, & in primis ad primum nego Antecedens, ad cuius probationem dico, proprium habere necessariam connexionem cum individuis, & cum ipsis conecti ratione na-

turæ, a qua dimanat, quamvis non convertatur ratione individuationis. Ad confirmationem verò dico, veras generis passiones convenire omnibus inferioribus tanquam proprias quarto modo, non minus, quàm proprium specificum individuis.

Ad secundū dico proprietates genericas se habere ut proprietates quarto modo respectu inferiorum, prout hæc participant naturam genericam, à qua dimanant, & sic licèt esse bipedem non conveniat quarto modo homini ut homo est, convenit tamen homini ut est animal distinctum à quadrupedibus, à quo talis passio dimanat.

Ad tertium censeo differentiam illam optimè procedere loquendo de proprio, & accidenti metaphysicè, vel realiter sumptis, non verò Logicè, & in esse universalis. Undè licèt proprium prius dicatur de specie, quàm de individuis, in illa tamen prædicatione proprium habet solum rationem quarti prædicati, & non quarti prædicabilis. Vel dici potest prædicari proprium prius de specie, sed nō ut universale, quià sic prædicatur de inferioribus.

Ad quartum nego Antecedens, quoniam id, quod est vera passio alicuius gradus, habet semper rationem proprii respectu omnium inferiorum, quæ participant illum gradum. Probatio verò in contrarium adducta nulla est: plura enim sunt accidentia, quæ etiam respectu proprii subiecti nequeunt esse passiones, ut patet in actibus liberis voluntatis erratæ; qui non conveniunt illi necessario, & si ab ea oriantur. Et ratio est, quià ad conceptum proprii non satis est habere proprium subiectum, sed insuper requiritur, quod fluat per se à principiis essentialibus.

## QUÆSTIO SEXTA.

*De accidenti quinto prædicabili.*

### CAPUT UNICUM.

*Refertur breviter eius natura.*

NOn de accidenti Physico, aut prædicamentali hìc est sermo, cuius essentiam optimè explicant Auctores per inhærentiam in alio, tanquam in subiecto, sed de prædicabili, vel logico, & illud est, quod aptum est prædicari de pluribus contingenter, & non convertibiliter. Hæc definitio communiter, ut optima recipitur, cujus explicatio ex superius dictis constare potest. Alii verò definiunt quintum hoc prædicabile dicendo, quòd sit illud, quod adest, & abest sine subiecti corruptione, contrà quam definitionem.

Arguunt primo aliqui. Si nomine accidentis intelligitur, quod potest adesse, & abesse ab ipsa re, quin res ipsa metaphysicè, & Logicè corrumpatur, risibilitas in homine, & frigiditas ut octo in aqua essent accidens, non verò proprium; sed risibilitas in homine, & frigiditas ut octo in aqua non sunt accidentia, sed potius passiones, & proprietates hominis, & aquæ; ergò &c. Probatur maior. Frigiditas ut octo potest abesse ab aqua, quin hæc metaphysicè corrumpatur, & risibilitas potest ab intellectu separari ab homine, quin homo corrumpatur, seù remanendo in integrum prædicata essentialia hominis constitutiua. Quamuis enim non concipiatur in Homine risibilitas, adhuc homo esset animal rationale.

Respondeo adhuc optimè saluari distinctionem proprii ab accidente. Primò quidem, quià quamuis proprium adesse possit, & abesse à re præter ipsius corruptionem metaphysicam, potest tamen solum abesse præcisivè, hoc est præscindendo à proprietate metaphysica, quatenus, hac non intellecta, adhuc intelligeretur essentia rei metaphysica, non verò potest abesse negativè, & hoc quia si alicui negetur cum veritate risibilitas, negari etiam debet rationalitas. At accidens, quod verè accidens est pro ut constituit quintum prædicabile potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, nedum præcisivè, sed etiam negatiuè, quin sequatur corruptio metaphysica, vel logica ipsius rei, quamuis enim neges homini esse album, non ideò negabis esse hominem.

Quæres, respectu quorum constituatur accidens commune in esse prædicabilis.

Respondeo constitui per ordinem ad subiecta, quibus accidit non verò per ordinem ad inferiora, quibus essentialiter convenit. Undè hæ prædicationes: *Petrus est albus, equus est coloratus*, pertinent ad hoc quintum prædicabile, non verò, istæ, *hoc album est album*, & *album est coloratum*. Ratio est manifesta, quia accidens prædicabile est illud, quod prædicatur de pluribus, in quale, & contingenter, vel quod adest, & abest sine subiecti corruptione; sed hoc convenit accidenti per respectum ad subiecta non verò comparativè ad inferiora; ergo.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum genus in unica specie, & species in unico individuo cæteris impossibilibus saluari possint.*

### CAPUT PRIMUM.

*Negativa defenditur Sententia.*

ANtequam hæc soluatur difficultas, prænotandum est cum Mastrio: genus, & speciem dupliciter considerari posse. Primò scilicet prout important suam actualitatem essentiæ, vel prædicata essentialia; secundò verò ut dicunt potentialitatem. Hic non loquor de genere, & specie primo modo acceptis, videlicet secundum totam suam actualitatem, quia hoc sensu perfectè insunt in quolibet inferiori, cui communicantur. Difficultas ergo procedit solùm in secundo sensu, videlicet prout important potentialitatem, quærendo utrum tota potentialitas animalitatis saluetur in unica specie cæteris impossibilibus, & tota potentialitas naturæ specificæ saluetur in unico individuo cæteris impossibilibus, quod est idem ac quærere utrum universalitas propria generis, & universalitas propria speciei saluentur in unica specie, & in unico individuo cæteris impossibilibus. Ulterius pro certo teneo difficultatem esse tam de genere Metaphysico, & specie Metaphysica, quàm de genere Logico; & specie Logica, quamvis aliqui solùm difficultatem ad genus Metaphysicum, non verò Logicum, alii ad genus Logicum, non verò ad Metaphysicum extendant, ut videre est apud Auctores tum Thomistas, tum Scotistas, & neutrales. Hoc autem supposito.

Tres adsunt sententiæ in hac controversia. Prima est, quòd universalitas generis, & speciei tā Metaphysica, quàm Logica saluetur in unica specie, & in unico individuo cæteris impossibilibus. Secunda asserit, quòd ratio generis saluari nequeat in unica specie cæteris impossibilibus, benè verò ratio specifica in unico individuo. Tertia verò docet, nec rationē genericam, nec specificam inferioribus ab intrinseco impossibilibus saluari. Ex his sententiis secunda est communis in schola Thomistica, tertia verò est communissima extrà scholam Divi Thomæ, quam hac ratione efficaci suadeo; nequit dari genus Logicum,

gicum, quod non ſit prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, item dari nequit ſpecies Logica, quæ non ſit prædicabilis de pluribus differentibus numero; ſed ſi unica tantùm daretur ſpecies cæteris impoſſibilibus, genus non eſset prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, item ſi unicum tantùm daretur individuum cæteris impoſſibilibus, ſpecies non eſſet prædicabilis de pluribus differentibus numero; ergo ſi unica tantùm daretur ſpecies, non daretur genus logicū, & ſi unicū individuū non daretur ſpecies Logica; ergo nec genus in unica ſpecie, nec ſpecies in unico individuo cæteris impoſſibilibus ſaluari poſſunt. Major patet ex definitione tū generis, tum ſpeciei. Minor verò clarior eſt, quàm probari poſſit; nam ubi dari non poſſunt plures ſpecies profectò nec dari poſſunt plura, quæ differant ſpecie, & ubi dari non poſſunt plura individua, nec pariter dari poſsunt plura ſolo numero differentia; ſed ſi dari non poſſunt plura, quæ differant ſpecie, aut plura, quæ differant numero, nec genus eſt prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, nec ſpecies de pluribus differentibus numero; ergò.

Confirmatur. Natura, cui repugnat multiplicari in pluribus ſpeciebus, ſeu eſſe in pluribus ſpeciebus, nequit fieri genus; item natura, cui repugnat multiplicari, ſeu eſſe in pluribus individuis nequit fieri ſpecies; ergo nec genus in unica ſpecie, nec ſpecies in unico individuo cæteris impoſſibilibus ſaluari poteſt, adeoque natura, ut fiat univerſalis Logicè debet eſſe multiplicabilis. Probatur Antecedens quo ad genus, quæ probatio deindè commodè applicari poterit etiam ſpeciei mutatis ſolummodo terminis. Natura, cui repugnat multiplicari ſivè eſſe in pluribus ſpeciebus, vel conciperetur cum tali repugnantia, vel cum aptitudine oppoſita ad eſſendum in multis ſpeciebus; ſed neutro modo fieret univerſalis; ergo natura, cui repugnat eſſe in pluribus ſpeciebus fieri nequit genus. Probatur minor quoad primam partem, quia univerſale eſt natura concepta cum aptitudine ad eſſendum in pluribus; ergò natura concepta cum tali repugnantia nequit eſſe univerſalis. Antecedens patet ex definitione univerſalis. Probatur minor quoad ſecundam partem, quia ſi poſſet fieri univerſalis per hoc, quod conciperetur cum aptitudine ad eſsendum in multis, licèt talis aptitudo eſſet ipſi naturæ oppoſita, etiam natura Divina concipi poſset cum hac aptitudine, adeoque fieri univerſalis, quod eſt penitus abſurdum. Ergo fieri nequit univerſalis per hoc, quod concipiatur cum aptitudine oppoſita.

His accedit ratio potiſſima, quæ in ſequentis difficultatis diſsolutione aſſignabitur, in eo conſiſtens, quòd natura cum repugnantia ad multiplicari eſt cum carentia actus primi requiſiti ad hoc, ut reddatur beneficio abſtractionis univerſalis, quæ ratio, quia inferius deſcribenda eſt, hic reticetur.

## CAPUT SECUNDUM.

*Adverſariorum rationes expenduntur.*

PRimò obiiciunt aliqui. In hypotheſi quòd repugnet alia ſpecies animalis præter ſpeciem hominis, in hac propoſitione: *Petrus eſt Animal*, ly *Animal* non explicat totam eſsentiam hominis; ergo explicat tantùm partem eſsentiæ; ſed non niſi partem determinabilem; ergo ſaluatur quòd ratio animalis in propoſitione ſit pars determinabilis; ſed ratio partis determinabilis eſt ratio generica; ergo ſaluatur ratio generica in unica ſpecie. Probatur antecedens. Ly animal explicat ſolùm ſua prædicata eſsentialia; ſed hæc ſunt ſolùm principium ſentiendi, quod non eſt tota eſsentia hominis; ergo. Minor ſubſumpta probatur, nam eſset pars determinabilis per ipſam rationalitatem; ergo adhuc prædicaretur, ut pars materialis.

Huic argumento reſpondet Maſtrius illam propoſitionem in facta hypotheſi eſse completam, vel importare totam hominis eſsentiam, quam. is non explicet rationalitatem. Ratio ipſius eſt, quia implicitè, & concomitanter ob mutuam connexionem, quæ tunc eſset inter animal, & rationale, importaret etiam rationale, adeoquè eſset propoſitio enuntians totam eſsentiam. Sed hæc ſolutio mihi parvi roboris eſt; falſum enim eſt, quod ly *Animal* in hypotheſi, quod repugnet alia ſpecies indicet totam hominis eſsentiam, nam in dicta hypotheſi connecteretur ſolùm mutuò illativè, eo quia valeret, *eſt animal; ergò eſt rationale*, non vero connecteretur conſtitutive, quia adhuc eſsentia animalis non eſset eſsentia rationalis, nec mutua connexio interveniens inter animal, & rationale faceret quod animal in ſua eſsentia importaret rationalitatem. Undè, inhærendo meliori ſolutioni, concedo Antecedens, & primam Conſequentiam; ſed nego ſubſumptam minorem, ad cujus probationem nego Antecedens, & dico, quòd in hypotheſi non haberet rationem determinativi, nec determinabilis, nam pars determinabilis, & contrahibilis propria generis in ſe eſse debet majoris amplitudinis, quàm ſit differentia, quæ deindè partem materialem, vel determinabilem contrahat. Suppoſito autem, quod animalitas ſolùm homini convenire poſſit, neque eſset contrahibilis per plures differentias, nec per rationalitatem propriiſſimè contraheretur; adeoquè in prædicta definitione non retineret rationem partis materialis. Sed

Dices primò. Retineret rationem partis, ſed non determinativæ; ergo determinabilis. Probatur minor, nam retineret rationem partis propriam animalitatis; ſed hæc non eſt ratio determinativi; ergo non eſt pars determinativa. Prima Conſequentia patet, nam non datur medium inter determinabile, & determinativum.

Dices ſecundò. Adhuc ſaluaretur, quod ratio animalis eſset pars materialis, & potentialis, eſtò ſolùm contrahi poſset per rationalitatem; ergo adhuc ſaluaretur ratio generis. Probatur Antecedens. In materia corporum Cœleſtium ſaluatur ratio potentiæ phyſicæ, quamvis ità ſit unita formæ Cœlorum, ut ſit incapax aliarum formarum; ergo etiam in metaphyſicis ſaluabitur metaphyſica potentialitas, quamvis ſolùm contrahi poſſit per unicam differentiam metaphyſicam cæteris impoſſibilibus.

Dices tertiò. Rationalitas in dato caſu haberet rationem determinativi; ſed non ſtat ratio determinativi ſine prædicato determinabili; ergo eſset prædicatum determinabile; ſed hoc prædicatum non eſt niſi ipſa animalitas, ergo hæc adhuc eſset pars determinabilis. Minor eſt certa, quià prædicatum determinativi dicit ordinem, & relationem ad ſuum determinabile.

Confirmatur hoc. Animalitas pro ut eſt contracta ad rationalitatem, quamvis non ſit contrahibilis per aliam differentiam, & non ſit amplius indifferens ad aliam differentiam ſpecificam, adhuc in conſtitutione hominis habet rationem partis materialis;

terialis; ergo à pari in casu, quo sit possibilis solùm una species, esto animalitas non esset contrahibilis per alias differentias, adhuc esset pars materialis.

Respondeo ad primã instantiã concessis præmissis distinguendo Consequens; ergo esset determinabilis propriè accepta ratione determinabilis, nego Consequentiam, impropriè, concedo Consequentiam. Impropriè enim in dicta hypothesi esset pars potentialis, materialis, vel determinabilis, quia non esset per plures differentias specificas contrahibilis

Ad secundam instantiam ex Oviedo disparitas est, quia materia Cœlorum non stat in sola indifferentia ad plures formas physicas, undè hac indifferentia sublata adhuc materia est pars materialis physica; at verò tota ratio materiæ, & potentialitatis metaphysicæ est indifferentia ad contrahi per plures differentias, quapropter hac dempta tollitur ratio materiæ metaphysicæ. Sed

Hæc disparitas nullius est roboris. Ratio est, quia sicuti dempta indifferentia ad plures formas saluatur in materia, quod sit pars materialis, quia per hunc Auctorem excogitari potest aliud prædicatum, à quo desumatur ratio partis materialis in linea physica; ita adversarius dicere poterit, quòd dempta ab animalitate indifferentia ad plures differentias, adhuc saluabitur in eadem ratio partis materialis metaphysicæ, assignando pariter aliud prædicatum, vel etiam illud, quod assignabit Oviedo in materia physica ablata indifferentia ad plures formas, quo saluat rationem materiæ physicæ

Respondeo itaque primò in illorum sententia, qui volunt materiam corporum Cœlestium esse eiusdem speciei cum illa sublunarium, negando Antecedens, ad cuius probationem nego suppositum, nempè quod sit incapax aliarum formarum materia unita formæ Cœlesti; nam materia quantùm est de se est capax cuiuslibet formæ, sicuti cuiuslibet est subiectum.

Respondeo secundò, quòd ideò saluatur tota potentialitas materiæ primæ in materia corporum cæléstium, estò hæc ità sit unita formæ Cœlesti, ut non possit alteri uniri, quia hæc impotentia non oritur ex ipsa materia, sed ex speciali modo informandi, adeoquè oritur ab extrinseco, & sic saluatur tota potentialitas, quod non contingit in casu, quià supponitur repugnantia ab intrinseco.

Respondeo tandem in illorum sententia, qui volunt materiam Corporum Cœlestium esse solum capacem formæ Cœlestis, non verò alterius formæ, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; & disparitas est, quia potentialitas materiæ Cœlorum est solùm potentialitas simplicis actuationis, vel informationis, non verò contrahibilitatis ad plura; unde saluatur, & expletur prima potentialitas per formam Cœlorum, non verò secunda per unicam differentiam metaphysicam.

Dices saluatur in unica specie cæteris impossibilibus, ut importat actualitatem essentiæ, seu sua prædicata essentialia; ergò salvatur Animalitas, ut est quoddam potentiale. Probatur Consequentia, quia potentialitas est de essentia animalis; ergo si saluatur in unica specie secundùm suam essentiam, saluatur etiam secundùm suam potentialitatem.

Hæc instantia à me excogitata difficilis est solutionis, ut consideranti patebit. Pro viribus dico saluari utique ipsam potentialitatem, sed non quantùm sufficit ad ipsam logicam universalitatem, quià hæc importat aptitudinem naturæ ad esse id pluribus differentibus specie, quæ plura sint possibilia. Dici etiam potest potentialitatem esse de essentia animalis quod de facto datur, non verò quod daretur in hypothesi.

Ad tertiam instantiam distinguo maiorem. Rationalitas haberet rationem determinatiui in actu primo, seu quantum est de se, transeat major, in actu secundò, nego majorem, & distinguo minorem, non stat prædicatum determinatiui in actu primo, seu quantùm est de se sine prædicato determinabili, nego minorem, in actu secundo, concedo minorem, & nego Consequentiam. Solutionem itaque explico dicendo, quòd rationalitas haberet rationem determinatiui in actu primo, quia quantum est de se adhuc haberet vim, vel virtutem determinandi rationem superiorem univocam, non verò in actu secundo, quià ad hoc ut actualiter exerceat munus determinatiui, præsuponi debet pars determinabilis, vel indifferens ad plures differentias specificas, & per ipsas contrahibilis, nam pars determinabilis idem est, ac pars indifferens ad contrahi per plura, quod totum non haberetur in hypothesi, quià animalitas esset determinata ad unam speciem, adeoquè non indigeret determinatiuo.

Ad confirmationem disparitas est, quia quamvis animalitas non sit indifferens proximè ad irrationalitatem, propter impedimentum cum rationalitate, cum qua est identificata, tamen est indifferens negativè, quia scilicet quantùm est de se est apta ad contrahi ad plures differentias specificas nunc possibiles, at verò in hypothesi nec proximè, nec remotè esset sic contrahibilis. Ratio est, quia capacitas remota ad contrahi non stat cum impossibilitate diversarum differentiarum.

Dices denuò esto repugnaret animalitati multiplicari in plures species in facta hypothesi, adhuc abstrahi posset ratio universalis logici; ergo. Probat. Anteced., posset adhuc ita cognosci, ignorando immultiplicabilitatem in plures species, sed sic cognita esset universalis; ergo. Probatur Minor. Remoto impedimento, quod oritur ab aliqua re ne prædicatum aliquod intelligatur, potest intelligi tale prædicatum in ipsa re; sed immultiplicabilitas, & incontrahibilitas ad plures differentias specificas est impedimentum rationi genericæ ne sit logicæ universalis; ergo si intelligatur sine tali immultiplicabilitate, erit logicè universalis.

Respondeo necessariò exigi, ut natura subesse possit universalitati logicæ, quòd ex suis intrinsecis apta sit, vel capax multiplicari. In hypothesi autem esto cognosceretur absq; immultiplicabilitate, intrinsecè tamen, seu in se esset immultiplicabilis, unde cum veritate dici non posset universalis. Fundamentũ enim logicæ universalitatis est realis multiplicabilitas, non verò quod res concipiatur non attenta ejus immultiplicabilitate, quia hoc modo posset quælibet res concipi, ut universalis, quamvis esset de se incommunicabilis, non attenta videlicet ejus incommunicabilitate; unde in forma nego Antecedens; ad cujus probationem transmissa majori, nego Minorem, & dico impedimentum esse realem naturæ immultiplicabilitatem, quæ non auferrur nisi per realem multiplicabilitatem.

Arguunt secundò alii. Universale adæquatè est per intellectum; ergo sufficiunt inferiora apprehensa per intellectum; sed quamvis ratio generica con-

contrahi non poſſit per plures differentias ſpecificas, adhuc intellectus habet virtutem concipiendi plura ſpecie diverſa, quæ ſunt inferiora proportionata generi; ergò. Antecedens eſt certum, nam univerſale logicum eſt ens rationis; ſed hoc eſt adæquatè per intellectum; ergo univerſale eſt adæquatè per intellectum. Prima conſequentia patet, quia ſicuti ens reale petit terminum realem, ad quem ordinem dicit; ita ens rationis petit ſolùm terminum rationis; ſed inferiora apprehenſa per intellectum ſunt terminus rationis; ergo.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens. Univerſale logicum eſt adæquatè per intellectum formaliter acceptum, concedo Antecedens, tum formaliter, tum fundamentaliter, nego Antecedens, & Conſequentiam. Ad probationem diſtinguo Majorem, eſt ens rationis, cum fundamento in re concedo Majorem, aliter nego Majorem, & diſtinguo Minorem, eſt adæquatè per intellectum ſecundùm formam, concedo Minorem, ſecundùm id, quod importat materialiter, nego Minorem, & Conſequentiam. Univerſale logicum utique adæquatè eſt per intellectum, quia hujus forma ab intellectu habetur, tamen fundamentaliter eſt à parte rei, quia fundamentum reale eſſe debet, ne ſit univerſale fictitium. Dixi tranſeat Antecedens, quia Pater Oviedo exiſtimat non eſſe univerſale logicum adæquatè per intellectum, cùm dicat multiplicitatem realem poſſibilem, quæ eſt aliquid extra intellectum.

Arguunt ultimò Adverſarii. Conceptus metaphyſicus generis logici eſt quòd ſit unum in multis, veluti pars materialis illorũ, ſed animalitas relatè ad individua unius ſpeciei ſolùm poſſibilis habet eſſe unum in multis, ut pars materialis; ergo habet omnia conſtitutiva generis logici. Major eſt ipſa definitio ejuſdem generis. Minor verò per partes oſtenditur, & in primis, ratio illa generica habet unitatem præciſivam, quæ eſt conſtitutum generis logici, quia abſtrahi poteſt ab omnibus individuis, quæ abſtractio, vel eſt unitas præciſiva, vel connectitur cum ipſa. Ulterius habet eſſe in multis, quia exiſtit in omnibus individuis, & quidem ut pars materialis, quia adhuc non eſt tota eſſentia ſpeciei, ſed pars ejuſdem.

Reſpondeo conceſſa Majori, diſtinguo Minorem. Habet unitatem, & eſt in multis, vel habet multiplicitatem correſpondentem rationi genericæ, nego Minorem, non correſpondentem, concedo Minorem, & nego Conſeq. Unitas enim requiſita ad rationem genericam logicè univerſalem eſt unitas conceptus præſcindentis à diverſis differentiis ſpecificis, cùm hæ ſint inferiora reſpectu generis, à quibus abſtrahenda eſt ratio univerſalis. Rurſus non eſſet in inferioribus, in quibus inexiſtere debet immediatè ratio generica, quia non eſſet in pluribus differentibus ſpecie. Tertiò tandem non eſſet tanquam pars materialis, quia non eſſet contrahibilis per plures differentias ſpecificas.

## QUÆSTIO OCTAVA.

*Utrum ſpecies ſubijcibilis, qua ſubijcibilis ſit etiam prædicabilis.*

### CAPUT PRIMUM.

*Reſolvitur difficultas negativè.*

Communis eſt ſententia Thomiſtarum ſpeciem ſubiicibilem eſſe etiam prædicabilem. Docent enim naturam Michaelis eſſe ſpeciem ſubiicibilem, quia ſubiicitur generi naturæ angelicæ ut ſic, ſimulque eſſe prædicabilem, eſtò repugnet naturam Michaelis in plura individua multiplicari. Hic nobis non placet inquirere, an revera repugnet quamlibet naturam Angelicam multiplicari, cum in materia de Angelis hoc diſcutiendum ſit, ſed ſolùm quærimus utrum ſuppoſito, quod hæc natura immultiplicabilis detur, haberet etiam rationem ſpeciei prædicabilis. In qua difficultate exiſtimo negativam ſententiam veriorem eſſe, quam oſtendere placet unica ratione meo judicio ſolidiſſima, quæ ſub his terminis exhibetur. Natura ut ſit propriè, & cum veritate univerſalis, nedum exigitur abſtractio à ſingularitate impediente proximam prædicabilitatem, ſed ulterius opus eſt, quòd eſſe poſſit in pluribus multiplicabiliter; ſed ſi ex ſe eſſet immultiplicabilis, ſic eſſe in pluribus non poſſet; ergò. Probatur major. Natura, ut reddatur logicè univerſalis, habere debet fundamentum in re; ſed hoc eſt naturam non eſſe de ſe ſingularem, ſeù immultiplicabilem, ſed potius multiplicabilem in pluribus; ergo ut natura propriè fiat univerſalis, nedum requiritur abſtractio à ſingularitatibus, ſed ulterius, quòd eſſe poſſit in pluribus multiplicabiliter.

Tota hæc ratio deſumitur ex Henrico in ſumma *art.* 43. *quæſt.* 2. *num.* 6. ubi quærens qualis natura poſſit in ſe recipere rationem univerſalis reſpondet his verbis: *Illa ſolummodo, quæ ex ipſa in quantum eſt de ratione quidditatis eſt natura, & eſſentia tantùm non concernendo rationem univerſalis, & particularis; ſed nata in ſe ipſa recipere rationem utriuſque, & ſingularis, & univerſalis .... & idcò forma, & natura, quæ de ſe ut eſt natura, & quidditas quædam concernit rationem ſingularitatis, quia ex ſe eſt ſingularitas quædam, & ideo non nata eſt in conſiderationem intellectus cadere, ut multiplicata in pluribus ſuppoſitis, nullo modo recipit in rationem univerſalis, quià non poteſt eſſe in pluribus, quantum eſt in ea ratione naturæ ſuæ multiplicata re.* Exigitur itaque, ut natura aliqua poſſit eſſe univerſalis, quòd non ſit de ſe ſingularis, ſeu immultiplicabilis, ſed potius ſecundùm ſe ab immultiplicabilitate præſcindat.

### CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur argumentis.*

Arguunt primò Thomiſtæ. Id quod per ſe requiritur, ut natura ſit Logicè univerſalis, eſt ipſam intelligere per abſtractionem à ſingularitate, ita ut eſſe in pluribus, vel in uno ſuppoſito impertinenter ſe habeat ad talem naturam conſtituendam logicè univerſalem; ſed quamvis natura eſſet contracta, & contrahibilis ſolùm per unicam ſingularitatem, adhuc intelligi poſſet per abſtractionem ab ipſa ſingularitate; ergo adhuc fieri poſſet univerſalis.

Confirmatur. Natura Michaelis pro ut intelligitur præciſa à ſua differentia indiuiduali, non intelligitur determinata ad hoc indiuiduum, ſed potius indifferens; ſed hoc ipſo intelligitur uniuerſalis; ergò. Probatur minor. Natura cognita ſine omni impedimento impediente eius univerſalitatem cognoſcitur ut uoiverſalis; ſed cum intelligitur abſque differentia indiuiduali, cognoſcitur abſque omni impedimento impediente eius univerſalitatem; ergò. Minor eſt certa, nam differentia indiuidualis eſt præcipuum naturæ impedimentum, ne hæc ſortiatur logicam univerſalitatem.

Reſpondeo argumentum hoc, quod referre deberent

Q

berent omnes Thomistæ, cùm potissima ratio sit, qua Diuus Thomas conclusionem hanc, quam hìc impugnamus, defendit, ut videre est prima Parte *quæst* 13. *art*. 9. & *quæst* 50. *art*. 4. in integrum solui dicendo, quòd estò verum sit impertinenter se habere ad logicam universalitatem naturam esse actu in pluribus, vel solùm in uno suppositn, impertinenter tamen non se habet ipsa potentia essendi in pluribus per sui multiplicationem; quemadmodum quamuis impertinenter se habeat ad rationem potentiæ passivæ materiæ ipsa actualis formæ receptio, non tamen per accidens se habet capacitas ad ipsam recipiendam. Undè patet in forma quid dicendum sit.

Ad confirmationem dico in dicta hypothesi naturam illam nos intelligere universalem, quantùm est ex hac parte, quòd intelligeretur sine differentia individuali, non verò quantùm est ex parte potentiæ ad esse multiplicabiliter in pluribus. Universalitas enim est perfectio naturæ creatæ, ut optimè docet doctor in summa. Bonum autem est ex integra causa, undè universalitas non solum desumenda est penes abstractionem à singularitate, sed etiam penes aliquod intrinsecum naturæ, quod est eiusdem possibilitas ad multiplicari. Quaptopter dum intelligeretur hæc natura in se immultiplicabilis absque singularitate, ad quam est contracta, perciperetur solùm cum unico impedimento ad universalitarem acquirendam, cùm antecedenter ad abstractionem erat cum duplici impedimento, nimirum & cum intrinseca repugnantia ad multiplicari, & cum contractione ad suam singularitatem

Huic solutioni addo quòd talis singularitas in hypothesi non esset inpedimentum ipsi naturæ universali Patet hoc, quia iden differentiæ individuales naturam contrahentes sunt impedimentum vel obstant universalitati, quia supponunt naturam natam esse ad habendam logicam universalitatem; atqui si natura esset ab intrinseco immultiplicabilis, jam non haberetur in natura hæc aptitudo, vel capacitas ad logicam universalitatem; ergò in illa hypothesi singularitas non esset impedimentum.

Secundum argumentum illud est, quod pariter desumunt Thomistæ ex Diuo Thoma quæstione de spiritualibus creaturis *art*. 8. *ad* 4. quod sic efformari potest. Ad hoc ut natura aliqua sit universalis, sufficit, quòd ipsa habeat sub se plura indiuidua per non repugnantiam; sed si natura Michaelis concipiatur inadæquatè, concipitur ut non repugnans ad multiplicari in indiuiduis; ergò adhuc concipi potest, ut universalis Probatur minor. Tunc si conciperetur inadæquatè, conciperetur cum non repugnantia, quando repugnantia ad multiplicari in pluribus individuis in natura Angelica non esset secundùm omnia prædicata naturæ, sed res de facto ità se habet; ergo. Patet minor, nam naturæ Michaelis repugnat multiplicari non ex ratione naturæ, sed ex modo, quo ipsa individuatur; cum enim non individuetur per materiæ designationem, sed per ipsam formæ irreceptionem, ideò repugnat multiplicari in individua; ergò repugnantia non est secundùm omnia prædicata essentialia naturæ, cùm non sit ex parte naturæ, sed solum ex parte modi individuandi.

Respondeo me libenter concedere non exigi ad universalitatem logicàm habendam in natura, quod, hæc sub se actu habeat plura inferiora, sed sufficere, quòd ipsa habeat possibiliter; at difficultas in hoc posteà consistit, quod Michaelis natura nec hoc secundo modo sub se habet plura individua. Quamuis enim hæc repugnantia in natura Angelica desumatur penes specialem modum, quo ipsa individuatur, tamen quia hic specialis modus individuationis est tam intrinsecus, & essentialis naturæ, ut ab ipsa sit impræscindibilis, ideò officit universalitati. Natura enim Michaelis in sententia Thomistica individuatur per sui irreceptionem, & per materiæ physicæ carentiam; undè fit ut ipsam intelligere non possimus, quin saltem implicitè ipsam intelligamus, ut irreceptam, cùm esse irreceptum sit omninò identificatum cum ipsa natura, & consequenter quin intelligatur ipsa Michaelis natura cum sua individuatione.

Tertiò arguit Ioannes à Sancto Thoma. Prædicatio, in qua natura specifica Michaelis prædicatur de suo indiuiduo, est vera, & propria prædicatio formalis, sed hæc importat indispensabiliter naturam superiorem prædicabilem de pluribus; ergo. Probatur maior, in qua residere potest difficultas. Tunc esset verè, & propriè prædicatio formalis, quoties Michael subiiceretur suæ naturæ, tanquam naturæ specificæ, & prædicabili; sed reuera sic subjicitur; ergò. Probatur maior. De ratione indiuidui qua talis est, quòd immediatè sit sub specie infima; sed Mihael est verum individuum; ergò subiici debet suæ naturæ, tanquam rationi universali, & prædicabili. Maior est certa, implicat enim individuum, quod non sit sub specie infima.

Explicatur hoc. Quodlibet indiuiduum dicit relationem ad naturam universalem, & prædicabilem, cui subiicitur; sed Michael est verum indiuiduum, cùm directè ponatur in prædicamento substantiæ; ergo dicere debet relationem ad sui naturam abstractam, tanquam ad rationem universalem, & prædicabilem, aliàs non verificaretur individuum relationem dicere ad naturam universalem, & prædicabilem.

Respondeo negando illam prædicationem fore formalem; cùm enim naturæ repugnet multiplicari in pluribus differentiis individualibus, jam esset ab intrinseco singularis; singulare autem de singulari dictum nullatenus fundat prædicationem formalem. Nec in hypothesi natura diceretur de individuo, quia hoc importat verum sui speciem universalem, cui subiiciatur; in casu autem intelligi non posset cum veritate ipsa natura Michaelis, ut species; ergo nec ipse Michael, ut individuum, quia hoc, juxta arguentem, dicere debet relationem ad speciem universalem, & prædicabilem, cui immediatè subiicitur. Quòd si huic solutioni non arrideas, affirmari potest Michaelem, ut individuum, subiici suæ naturæ, ut speciei subiicibili, non verò ut speciei prædicabili.

Arguunt quartò Complutenses. Non repugnat naturam specificam alicujus sine sua singularitate concipi; sed ita concepta, & abstracta denominari potest universalis, & species prædicabilis; ergo natura specifica Angeli denominari poterit formaliter universalis. Utraquè præmissa probanda est. Probatur itaquè in primis major; quando unum respicit aliud, ut se habens ex additione ad ipsum, sivè secundùm rem, sivè secundùm rationem, concipi potest sine illo; sed dum concipitur natura Angelica ad modum rei materialis, & corporeæ, concipitur gradus individualis, ut aliquid addens

secun-

secundùm rationem naturæ specificæ ipsius Angeli; ergo natura specifica Angeli poterit coocipi absque sua singularitate. Maior est certa; ideo enim Deitas sine singularitatibus concipi potest, quia personalitas se habet ex additione ad deitatem secundùm rationem. Probatur itaquè minor. Dum concipitur natura Michaelis ad modum rei materialis, & corporeæ, concipitur ut natura habens esse in supposito; sed suppositum saltem secundùm rationem se habet ex additione ad naturam speciei, nihil enim habet se ipsum; ergo dum à nobis concipitur natura Angeli ad modum rei materialis, concipitur singularitas, ut se habens ex additione ad naturam. Secundò probatur eadem major. Si natura specifica in Angelo non posset à sua singularitate abstrahi, maximè quia nequit à sua immaterialitate præscindere; sed hæc ratio oulla est; ergo. Probatur minor. Natura Angelica non obstante immaterialitate potest præscindere à supposito; ergo etiam non obstante immaterialitate præscindere poterit à singularitate. Probatur Consequentia. Ideo primum, quia suppositum ex additione se habet ad naturam; ergo quia pariter singularitas ex additione se habet ad naturam, intelligi poterit sine singularitate.

Probatur itaque minor primi Syllogismi. Natura quælibet creata habens rationem formæ, quantùm est de se, est communicabilis pluribus, & solùm impeditur per receptionem in subjecto, à quo limitatur, verbi gratia *albedo* quantùm est de se, in omnibus corporibus recipi potest, & limitatur ad unum per receptionem in illo; ergo natura Michaelis præcisa á suo principio limitante individuationis erit pluribus communicabilis.

Respondeo naturam Michaelis concipi non posse sine singularitate, si verum sit modum, quo ipsa natura individuatur, esse ipsam irreceptionem; patet hoc, quia, juxta arguentes Thomistas, modus quo natura individuatur est ejusdem irreceptio, sed concipi nequit, quin saltem implicitè concipiatur irrecepta; est enim essentialiter irrecepta; ergo nequit concipi absquè singularitate saltem in confuso. Eatenus autem prescindibilis est à supposito, quia suppositum addit aliquid reale modale suprà naturam, sive hoc deindè sit aliquod in se formaliter positivum, sivè negativum; at verò ipsa singularitas non esset aliquid supra naturam Angelicam Michaelis, cùm ipsa irreceptio, à qua habetur principium naturam Michaelis individuans, non sit aliquid suprà ipsam Michaelis naturam, sed ipsa Michaelis natura. Secundò, quia etiam dato, quod naturam intelligere posset mens absque singularitate, adhuc tameo hæc præcisio non prodesset, nec conduceret ad naturæ universalitatem propter impedimentum intrinsecum ex parte naturæ existens; quià natura Michaelis per Thomistas est essentialiter immultiplicabilis saltem radicaliter, cum essentialiter sit immaterialis, à quo provenit immultiplicabilitas. Sed

Instabis. Quamvis si concipiatur natura Michaelis pro ut est in se, coocipi ooo possit sine immultiplicabilitate, cùm concipiatur, ut immaterialis, tamen si conciperetur ad modum formæ corporeæ materialis, ut de facto pro hoc statu concipitur, concipi posset ut universalis, quià statim conciperetur, ut forma de se nata pluribus communicari, & cùm ex alia parte intelligeretur abstrahendo à materia, intelligeretur optimè universalis; dum enim sic cognosceretur, non ità cognosceretur, ut intellectus præscinderet ab ipsa immaterialitate, sed potius immaterialitatem ipsam ad instar rei corporeæ attingeret. Sed

Hæc instantia Patris Arnù non subsistit; Primò quia ex ipsa sequitur universale fieri per conceptum falsum, quia esset conceptio naturæ aliter ac est in se. Secundò, quia cognitio illa, quæ non abstrahit ab illo prædicato, vi cujus natura est immultiplicabilis, nequit naturam universalizare, sed juxta superiorem instantiam, quamvis natura Michaelis intelligeretur ad instar rei corporeæ, tamen intellectus non præscinderet ab ejus immaterialitate; ergo nec per hanc cognitionem redderetur universalis.

## QUÆSTIO NONA.

*Utrum ab omnibus individuis abstrahi possit ratio aliqua universalis.*

### CAPUT UNICUM.

*In quo notitia individui præmittitur.*

Divus Thomas, Scotus, & Henricus unanimiter in hoc conveniunt, quod individuum sit Ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Primus quidem in. *Metaph. lect* 1. illis verbis *Indicium est*, *quòd non dividitur ulterius, nec formali, nec materiali differentia*. Secundus vero in 2. *dist.* 3. *quæst.* 6. ubi quamvis primò doceat rationem perfectam individui assignari non posse, loquitur tamen coherenter ad doctrinam Angelici, cum dicat individuum illud esse, quod importat indivisionem in partes subjectivas, ut videre est in 2. *dist.* 3. *quæst.* 4. §. *contra istum*.. Henricus tandem in summa *art.* 1. *quæst.* 2. *num.* 4 illis verbis. *In eo enim quælibet res est una (idest individua) quo in se est indivisa formaliter, & à quolibet alio divisa*.

A Porfirio tamen definitur *illud esse*, *quod ex proprietatibus constat*, *quarum collectio*, *quæ in uno est, nunquam in alio est eadem*, quæ proprietates his continentur versiculis.

*Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis*
*Patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter.*

Ab aliis verò definitur, quod de uno solùm prædicari potest, à nonnullis verò illud esse, quod continetur sub specie, quæ definitiones essentiales non sunt respectu individui metaphysicè inspecti; non quidem prima, quia collectio accidentium supponit jam rem individuā, quia supponit id, cujus sunt proprietates; proprietates autē sunt naturæ individuæ. Secundò, quia per istam definitionem non definitur quodlibet individuum, sed solum individuum substantiæ corporeæ, & completæ, quod sit persona, quià aliquæ ex illis proprietatibus conveniunt solum personæ. Tertiò quia res non sunt individuæ per accidentia, sed per proprias differentias individuales eis intrinsecas, & realiter indentificatas. Nec secunda, & tertia, quia prædicatio de uno, & subjectio speciei consequuntur ad individuationem rei. Ideo enim de uno tantùm res prædicatur, quia est individua, & pariter ideo subiicitur speciei, quia est individua, ita ut individuatio vel incommunicabilitas, ut ait Doctor sit ratio utriusque. Dici ergo poterit descriptas definitiones essentiales esse si individuum Logicè, & Physicè sumatur, non vero Metaphysicè.

CAPUT.

## CAPUT SECUNDUM.

*Reſoluitur difficultas propoſita affirmativè.*

HÆc controverſia una eſt ex præcipuis, & inutilibus, quæ proponi ſolent ſub hac diſputatione; in qua communiter aſſerunt Scotiſtæ rationem communem abſtrahi non poſſe à rationibus Individualibus, ex mente ſui Doctoris pluribus in locis, præcipuè tamen *in 1. diſt. 3 quæſt. 3.* ubi docet differentias individuales eſſe primò diverſas, & ſe ipſis primò differre, & non per alias differentias, atque adeò in nullo conceptu communi convenire. Hoc tamen non obſtante non deſunt, qui affirmant poſſibilem eſſe conceptum communem Individuationis ut ſic, non tamen fundatum in aliqua communi realitate, quæ ſit per aliam realitatem contrahibilis, ſicuti per conceptum animalitatis exprimitur adæquatè una realitas per aliam contrahibilis, ſed fundatum in pluribus differentiis individualibus inadæquatè conceptis. Sic Maſtrius, quam Sententiam ſe colligere pariter exiſtimat ex Scoto *in 1. diſt 23 & 26* Sed quidquid ſit de hoc diſſidio, & aliis Scotiſticæ Scholæ, certum mihi eſt præſentem difficultatem in hoc eſſe, utrum nimirum poſſibilis ſit conceptus individuationis abſtractus ab omnibus ſingularitatibus, ipſis ſecundùm nomen, & rationem conveniens. Quam controverſiam reſoluere placet affirmativè cum Henrico pluribus in locis inſinuante poſſibilitatem hujus abſtractionis, ſed præcipue *art. 55. quæſt 7.* ubi hæc lego *Eſt enim Petrus individuum, & Perſona, ſicuti Paulus, quia eodem modo ſe habet ad ſpeciem ſuam, & ad ſuum condiviſum.* Henrici Sententiæ Patres Societatis communiter adhærent dummodo excipias Suarezium, alioſque paucos in ſuis manuſcriptis.

Probatur autem Concluſio hac unica ratione, ſed valida. Fundamentum abſtrahendi aliquam rationem à pluribus eſt ſimilitudo, & convenienſia plurium in eadem ratione; ſed omnia individua ſunt ſimilia, & conveniunt in ratione individui; ergo ab ipſis abſtrahi poterit una ratio communis. Major ſui explicatione probatur. Ideò enim ab omnibus hominibus abſtrahi poteſt ratio hominis, quia omnes homines ſunt ſimiles, & conveniunt in ratione hominis; ideò verò ab omnibus animalibus abſtrahi poteſt una ratio communis omnibus, quia omnia ſunt ſimilia in ratione animalis. Minor etiam clarè patet. Nam ſive pro ratione quidditativa individui accipiatur definitio tradita à Porfirio, ſive tradita à Divo Thoma, utraque convenit, & applicari poteſt cuilibet individuo, ut Lectori patebit. Verè enim dicimus Petrum eſſe ens numericè indiviſum in ſe, & diviſum a quolibet alio; ergo omnia individua ſunt ſimilia, & conveniunt in ratione idividui.

Dices verum eſſe omnia individua convenire in ratione individui, ſed ſola convenientia analogica fundata in proportione, quam hæcceitates ſervant inter ſe. Dum verò dicit quod definiuntur unica definitione, hoc intelligendum de definitione equivoca non verò univoca, quæ ſola importat communem conceptum alicujus realitatis, ſeu naturæ, in qua inferiora convenire poſſunt.

Contra eſt. Siquidem in ratione hæcceitatis individua conveniunt univocà convenientia. Patet hoc, quia ratio importata per nomen ſingularitatis, tàm benè, & perfectè participatur à Petri ſingularitate, quam ab illa Pauli, ita ut per eandem rationem intrinſecè utraque ſingularitas primò, & per ſe conſtituatur in eſſe ſingularis, nec cum dependentia unius ab alia, videlicet per carentiam diviſionis per principia numerica. Quoties autem ratio importata per nomen individui æqualiter convenit cuilibet individuo, jam ipſa non eſt analoga, ſed univoca. Secundò ratio analoga ex genere ſuo eſt ratio partim conveniendi, & partim diſconveniendi; atqui ratione hæcceitatis, ut ſic ſingularia adequatè conveniunt; ergo. Minor mihi certa eſt. Aſſignent enim Adverſarii, quid ſit prædicatum illud, vel formalitas illa, per quam unum ſingulare non conveniat cum alio in ratione hæcceitatis, ut ſic. Non certè in ratione differendi, cum potius in hac ratione quælibet ſingularitas cum altera conveniat. Hæc in ratione differendi per modum differentiæ ultimæ, cùm adhuc in hoc una ſingularitas cum altera conveniat, cùm quælibet ſit ratio ultimò differendi. Tertiò inquiro ab auctoribus hujus evaſionis quid ſit definitio univoca. Si dicant illam eſſe, quæ importat naturam eandem in inferioribus; ergo jam talis erit definitio individui, quia hujus natura eadem eſt in omnibus individuis.

## CAPUT TERTIUM.

*Solvuntur Objectiones.*

PRimò arguit ex adverſa parte Pontius. Si à ſingularibus abſtrahi poſſet aliqua ratio communis, hæc deberet contrahi ad ſingularia; ad hanc videlicet, vel illam ſingularitatem, ſicuti animalitas in communi contrahitur ad hominem, & brutum per rationalitatem, & irrationalitatem, & ſicuti humanitas ipſa contrahitur ad Petrum, & Paulum per Petreitatem, & Pauleitatem; ſed hoc fieri nequit, quia aliàs daretur proceſſus in infinitum, nam quemadmodum reſpectu Petri, & Pauli dari poteſt ratio communis ſingularis ut ſic propter ſimilitudinem, quàm videntur habere, ita etiam pari ratione à differentiis contrahentibus illud ſingulare, dari poterit alius conceptus communis, cum ſimilem habeat proportionem, qui conceptus ulterius erit contrahibilis per alias differentias, quæ rurſus cùm conveniant in aliquo conceptu communi contrahibili, jam ſequitur proceſſus in infinitum ſuppoſita ſententia, quam defendimus; ergo.

Hoc argumentum unum eſt ex præcipuis, quæ proponere ſulet adverſa Pars, pro cujus ſolutione docet Maſtrius ex Scoto, quod dum aliqui aſſerunt poſſibilem eſſe conceptum communem individuationis, hoc non dicunt, quaſi talis conceptus fundetur in aliqua realitate per aliam contrahibili. Hoc enim eſt impoſſibile, cum differentiæ individuales ſint ultimæ realitates, adeoque non per alias contrahibiles, ſed ſolum dicunt ipſum conceptum fundari in pluribus differentiis individualibus inadæquatè conceptis. Non repugno huic ſolutioni, ſed ulterius placet aliam addere à me excogitatam, dum hoc argumentum ad oculos devenerat in eo ſtantem, quòd dum abſtrahitur à differentiis ſingularibus ratio individui, abſtrahitur etiam implicitè ab omnibus differentiis individualibus, ita ut nullæ remaneant differentiæ, à quibus implicitè, & virtualiter talis ratio non ſit abſtracta. Hoc ipſo autem, quod ſic abſtrahitur, dum abſtrahitur, fit quod ſuperfluæ ſint, & nullatenus à prima diverſæ omnes ſubſequentes abſtra-

ctio-

ctiones, quæ fieri possunt, & quòd illa ratio abstracta non sit contrahibilis per alias differentias, à quibus non fuit abstracta, sed ab illis eisdem, à quibus abstracta est, ita ut differentiæ individuales sint rationes contractivæ pro utroque statu, ex quibus patet in forma quid dicendum sit.

Arguunt secundò alii. A differentiis, prout differentiæ sunt, desumi nequit ratio aliqua conveniendi; sed singularitates sunt rationes differendi numericè; ergo ab illis non poterit desumi aliqua ratio communis. Major liquet in ipsis differentiis specificis, quæ quia sunt rationes differendi, non possunt inter se convenire.

Respondeo argumentum hoc non urgere. Solùm enim probat differentias individuales à parte rei convenire non posse inter se, non verò secundò intentionaliter. Quod si dicas Petreitatem, quæ est ratio differendi realiter Petrum à Paulo, hoc esse etiam si intentionaliter sumatur, adeoque nec intentionaliter esse rationem conveniendi. Contra est siquidem non propugno hic Petreitatem, ut Petreitas est, seu ut est talis differentia esse posse rationem conveniendi cum Pauleitate, cæterisque differentiis individualibus, sed solùm contendo Petreitatem ipsam posse cum Paulo convenire, si inadæquatè, seu pro ut præcisè singularitas est accipiatur, ita ut id, quod adæquatè acceptum ratio est dil con veniendi, inadæquate ratio sit cōveniendi.

Arguunt tertiò alii promiscuè; & primò assignari nequit ad quid deserviret ratio una communis omnibus naturis individuatis; nec potest assignari, quid sit illa natura communis. Secundò quia, & si Petreitas non conveniret in illo conceptu communi cum Pauleitate, adhuc faceret totam Petri humanitatem singularizatam, constituendo ipsum Petrum singularem formaliter; ergo frustra assignatur ipsius convenientia cum Pauleitate in aliqua ratione communi. Tertiò, quia si individuatio esset ratio communis omnibus individuis, tunc constitutum per ipsam, & per naturam aliquam specificam, non esset ens singulare, sed potius universale; hoc autem falsum penitus est, cùm singularitas ex genere suo constituat suppositum singulare; ergo. Quartò, quia illa ratio si esset universalis, jam amplius non esset ratio individui, cùm hæc sit essentialiter singularis.

Hæc argumenta, quæ Pontius cum aliis Recentioribus congerit contra me nullius sunt roboris. Primùm quidem, quià ratio ipsa abstracta primò deserviret intellectui ad cognoscendam naturam ipsam individui omnibus communem, nisi dicere velimus deseruire posse ad eiusdem Intellectivæ potentiæ abstractivam virtutem exercendam. Secundum verò ad rem non facit; non enim ponimus rationem individui, in qua singularitates omnes conveniant, ut natura per differentiam individualem singularis reddatur, sed potius, ut ostendamus formam singularitatis unam esse, de qua omnia singularia participent. Tertium verò parum ad rem facit, quia quamvis Indiuiduatio secundò intentionaliter sit ratio communis, tamen à parte rei communis non est, sed potius per se primò singularis, adeoque apta ad naturam singularizandam. Ultimum tandem dirimitur, si aduertas rationem indiuidui abstractam singularem esse, & universalem; singularis est, quatenus explicat quidditatem ipsius singularitatis. Universalis verò, quia ipsa ratio applicabilis est cuilibet rei individuæ.

## QUÆSTIO DECIMA

*Quodnam sit principium individuationis.*

### CAPUT PRIMUM.

*In quo variæ referuntur sententiæ circà præsentem difficultatem.*

Controversiam satis difficilem aggredimur, pro cuius solutione, supponendum est primò difficultatem non esse de individuo Logico, quia sub hac consideratione consistit in respectu subiicibilitatis ad speciem, sicuti nec de principio effectivo individuationis, quia certum est hoc esse causam efficienter rei productivam, sed de principio formali, vel metaphysico, quo res constituitur formaliter, & metaphysicè individua.

Suppono secundò omne id, quod in rerum natura existit indiuiduum esse. Ratio est, quià quidquid existit, vel est creatum, vel increatum. Si secundum Deus est, qui est ex se singularissimus, si verò primum dicatur, hoc erit aliquod extrà suas causas productum, & consequenter singulare; siquidem quævis productio cùm determinata, & singularis sit, in rem singularem tendit.

Suppono tertiò nullam naturam creatam esse essentialiter singularem contrà nonnullos asserentes singularitatem nil aliud esse præter ipsius naturæ essentiam; si enim natura esset ex se formaliter singularis, ineptum esset quærere per quid sit singularis. Est enim natura indifferens ad omnem singularitatem, & solùm determinata ad sua prædicata quidditativa, uti natura humana ad animalitatem, & rationalitatem.

Quartò aduertendum est sex esse sententias circà hanc difficultatem, ex quibus prima est Thomistica propugnans in substantiis materialibus primum individuationis principium esse materiam quantitate signatam. Nomine tamen materiæ signatæ non intelligunt Thomistæ quantitatem eidem inherentem, primò quia quantitas ipsa in quantum informans indiget individuari, sicuti indigent alia accidentia, undè in hoc sensu esse nequit individuans. Secundò quià indiuidua substantialiter distinguuntur, quæ certè distinctio à quantitate informante desumi nequit; nec pariter huius nomine concipiunt modum aliquem substantialem, siquidem, (dicunt) materia est radix individuationis, quià est ultimum subiectum, quod à se ipsa habet, non verò à modo superaddito. Intelligunt itaque nomine materiæ signatæ quantitatem ipsam ut dividentem unam materiæ portionem ab alia, ex qua resultat incommunicabilitas in materia divisa, ità ut ex quantitate resultet tanquam ex conditione, ex materia verò formaliter. Aduerte tamen explicationem hanc non esse communissimam in Schola Divi Thomæ. Sunt enim aliqui, qui individuationis principium reponunt in entitate materiæ, ut præcontinente potius has, quàm illas dimensiones, à quibus individuari nolunt substantias materiales, & spirituales incompletas. Principium verò individuationis radicale accidentium desumunt ab eorum subiecto; quapropter dicunt plura accidentia solo numero distincta esse non posse in eodem subiecto. In substantiis verò spiritualibus completis authumant individuationem oriri ex ipsa forma, ut fundante gradum non specificum, sed individualem, & ultimum. Hæc est vera sententia Thomistica in-

 ferius

serius reprobanda.

Secunda sententia est Averoistarum asserentium formale principium individuationis esse formam physicam, vel ultimam formæ physicæ realitatem, quià natura individua non est nisi quatenus est ens in actu, non est autem ens in actu, nisi per formam, cùm forma sit, quæ dat esse rei.

Tertia sententiam est Scotistarum asserentium rem indiuiduari formaliter per ipsam hæcceitatem.

Quarta sententia est Porfirii, Auicenæ, atquè Boetii asserentium principium individuationis esse collectionem accidentium, quæ comprehenduntur in hoc vulgato carmine

*Forma, figura, locus, stirps, nomen Patria, tempus*; quæ collectio ità reperitur in uno, ut naturaliter reperiri nequeat in alio.

Quinta tandem sententia asserit existentiam esse rationem fundamentalem, seù causam Individuationis. Hæc est Henrici *quodlib.2 quæst* 8 illis verbis. *Quantum ergò ad distinctionem dicendum est, quòd duo Angeli in solis substantialibus existentes sunt individualiter distincti, hoc solo, quòd subsistunt in effectu, ubi extrà communitatem essentiæ in ambabus subsistere unius, non est subsistere alterius, cùm unum eorum subsistere possit sine altero*. Undè miror, quòd Scotus contra hanc opinionem disputans Henricum non referat, qui pro ratione formali ejusdem individuationis duplicem negatinnem assignat, videlicet negationem divisibilitatis in se, & identitatis cum quolibet alio. His positis sit.

## CAPVT SECUNDUM.

*In quo sententia Thomistica reprobatur.*

MAteriam primam quantitate signatam non esse individuationis principium existimarunt aliqui etiam docuisse Divum Thomam *opusc. 29 de ente, & essentia, cap 1. prima parte quæst. 3. art. 3 ad 3.* & alibi. Ego tamen opinor in hac re certam esse mentem Divi Thomæ, nec tempus hic suppetit inquirendi, quid verè senserit Sanctus Doctor. Hoc itaquè dissimulatn.

Impugnatur primò superior Sententia. Principium individuatinnis debet esse ità proprium rei, ut nulli alteri conveniat; sed materia non est hujusmodi; ergò non est individuationis principium. Major patet, quia principium individuationis esse debet individui constitutivum, simulque distinctivum, non distingueret autem, si alteri conveniret, quemadmodum si rationale alteri speciei præter humanam convenire posset, non esset differentia specifica hominis constitutiva; Minor itaque ostenditur, quia una, & eadem materiæ portio pluribus formis substat, prius uni, deindè alteri formæ; sic enim generatio fit, dum ab eadem portione materiæ una forma excluditur, & in eam altera introducitur.

Huic efficaci rationi varii varia respondent. Præcipua tamen evasio est materiam non utcumque esse individuationis principium, sed solùm ut signatam quantitate, in qua acceptione esse nequit, nisi sub unica forma. Sed

Contrà est primò, quia si nomine materiæ signatæ intelligunt Thomistæ materiam accidentibus affectam, jam incidunt in opinionem inferius referendam docentem accidentia esse principium individuationis; quod enim materia habet, non ut materia est; sed prn ut accidentibus afficitur, illis potius, quàm materiæ est tribuendum.

Contrà est secundò, quia etiam materia signata esse potest successivè sub duobus homogeneis, nam bene contingere potest, quod plures formæ numero distinctæ, cùm sint ejusdem rationis, materiam informandam requirant sub eisdem dimensionibus, & dispositinnibus in eodem gradu.

Contrà est tertiò. Quæro enim, quid per materiam signatam quantitate intelligant Thomistæ. *Si* respondeant se nihil aliud intelligere, quàm materiam quantitate affectam. *Sic* argumentor. *Vel* talis quantitas, qua afficitur materia subjectatur in ipsa materia immediatè, vel in ipso composito. *Si* primum contrà est, siquidem non solùm manet in composito genito eadem materia prima, quæ præcessit in corrupto, verùm etiam eadem quantitas, cùm non detur aliud motivum, ex quo colligatur ipsam quantitatem deficere debere. *Si* vero dicatur secundum, adhuc quantitas esse nequit principium individuationis, quia prius naturaliter est in Thomistarum sententia compositum esse ens aliquod substantiale, quàm esse affectum quantitate; quantitas enim singularis non afficit compositum substantiale ut sic, sed determinatum numero compositum.

Probatur Secundò. Anima rationalis Petri est individua; sed hæc caret materia, ergò materia non est individuationis principium. Rursus duo Angeli, duo lumina gloriæ habent propriam unitatem numericam, & tamen carent materia; ergo.

Dices primò Animam carere materia, ex qua, non tamen carere materia, in qua, est enim in corpore, & ab ea accipit individuationem. Sed

Contrà est, quia Anima à corpore separata est individua, & tamen caret non solùm materia, ex qua, sed etiam in qua.

Dices secundò. Animam à corpore separatam dicere habitudinem ad ipsum corpus, & per talem habitudinem esse individuam. Sed

Contrà est. Quia illa habitudo singularis est. Modò quæro, undè habet, quod sit hæc, certè non à materia, quia nulla ibi adest; ergo ab Anima, & ab hac Anima, ergo suponit Animam individuam, non verò ipsam reddit. Præterquamquod illa habitudo est respectus, cujus fundamentum, seu subjectum est anima ipsa; ergò eam supponit; non potest autem esse subjectum alicujus respectus, nisi sit hæc; ergo non à materia, sed aliundè habet individuationem.

Neque audiendus est Cajetanus, qui de ente, & essentia quæst. 13. dicit commensurationem hujus Animæ ad hoc corpus constituere ipsam hanc, quia commensurari supponit esse, & taliter commensurari supponit tale esse, undè diceremus hanc animam huic corpori non illi commensurari, nisi quia talis est; ergo. Addam, si Deus crearet Animam extra corpus non minus esset individua, quàm cùm separatur à corpore; ergo non in corpore individuationem acquisivit.

Probatur tertiò ad Hominem contra Thomistas. Materia non est principium individuationis, ut modificata per modum aliquem substantialem; ergo nequè pro ut dicit quantitatem dividentem unam materiæ portionem ab altera. Antecedens est Thomisticæ Scholæ, ut videre est apud Joannem à Sancto Thoma. Consequentia probatur. Ideò modus iste substantialis per Thomistas esse nequit principium individuationis, quià vel supponere debet materiam singularem, vel non singularizaretur à materia; Sed hæc eadem repugnantia viget, si dicatur principium individuationis esse materiam prout quantitate affectam, quatenus hæc dividit

unam

unam portionem materiæ ab altera; ergò.Probatur minor. Ideò talis modus supponere deberet materiam singularem, vel ab ipsa non singularizaretur, quia esse deberet, vel singularis per se, vel à materia, & consequenter si esset singularis à materia, jam supponeret materiam singularem,si vero per se esset singularis, jam à materia non individuaretur, sed hoc idem dici posset loquendo de eadem quantitate prout dividente partes materiæ, ut consideranti patebit; ergo.

Dico secundò accidentia non individuari ab ipsorum subjecto. Probatur hoc,quia si plura accidentia numero differentia possunt esse in eodem subjecto, jam individuatio non desumitur à subjecto; sed tevera plura accidentia esse possunt in eodem numero subjecto; ergo. Probatur minor, quia de facto in eodem subjecto reperiuntur plura individua diversæ speciei. Rursus in eodem intellectu duæ cognitiones, & duæ species impressæ de objectis solo numero distinctis; ergo. Sed

Dices rationem hanc parum roboris esse, quia illa plura accidentia non dicunt multiplicationem numericam, sed specificam, undè nil mirum si esse possint in eodem subjecto, quod idem evenit de secundis, supposito, quod quælibet cognitio, & species impressa adæquatè se habeant ad individuum repræsentatum; Et ratio est, quia quamvis illa individua non differant entitativè inter se, essent tamen in ratione specificativi diversa, quia id, quod individuationis est in objecto, respiceretur ut specificativum adæquatum talis actus.

Contrà est. Hæc enim utraque solutio Joannis à Sancto Thoma insubsistens est. Prima quidem, quia quamvis verùm sit, quòd accidentia diversæ speciei ponant multiplicationem formalem, verum tamen est etiam, quòd ponunt numericam; accidentia enim illa non solùm sunt specie diversa, sed etiam numero; major enim diversitas minorem præcontinet; & albedo, & nigredo, v. gr., nedum differunt specie, sed etiam numero; sed nihilominus plura accidentia diversæ speciei esse possunt in eodem subjecto; ergo etiam plura ejusdem speciei.

Secunda verò solutio pariter inefficax est, siquidem si argumentum aliter fiat geminando videlicet dualitatem non supra duplex objectum numero diversum, & duplicem cognitionem, sed supra duplicem cognitionem tendentem in idem objectum, tunc cognitiones illæ essent diversæ solùm numero, non verò specie, cùm utriusque idem esset specificativum. Sed

Dices denuò cum Joanne à Sancto Thoma, Ideò tunc posse idem subjectum recipere plura accidentia numero distincta successivè, quia cùm multiplicatio individuorum non esset in actu, sed unum individuum in actu, aliud verò in potentia, ita subjectum non deberet esse actu multiplex.

Contra est denuò, quia si fiat hypothesis, quod intellectus creatus illas duas cognitiones simuleliciat, vel quod prima perseverat ad adventum secundæ, tunc profectò solutio hæc nulla esset, cum tunc esset multiplicatio in actu; sed ex alia parte in actu esset solùm unum subjectum; ergo principium individuationis non habetur à subjecto.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

Arguunt primò Thomistæ ex quamplurimis Philosophi auctoritatibus probantibus materiam esse individuationis principium, ex quibus prima desumitur ex iis, quæ habet 5. *metaph. textu* 12. ubi hæc lego: *Ea sunt unum numero, quorum materia est una*. Unum numero autem, & individuum idem sunt.

Secunda desumitur ex 7. metaph. textu 28. ubi hæc adsunt: *Tota autem jam forma ex hisce carnibus, atque ossibus Socrates est, & Callias, & ibidem generans, non generat aliud nisi per materiam*.

Tertia desumitur ex iis, quæ habet primò Cœli *quæst*. 2. *Cœlum ut sic ait esse formam, hoc verò Cœlum esse formam in materia*.

Quarta desumitur ex 7. metaph. textu 41. & 8. *textu* 18. *in his, quæ sunt sine materia, idem est quidquid est cum eo, cujus est, in conceptis verò cum materia non est idem, quod quid est cum eo, cuius est*.

Ultima tandem est quod plures motores reperiri non possunt, quia primus motor materia caret; ergo pluralitas numerica provenit à materia.

Respondet ad primam quidam ex nostris ea esse unum numero, quorum materia est una, non quod ipsa materia sit id, quo formaliter habetur unitas numerica, sed quia in rebus materialibus materia est id, quod individuatur.

Henricus tamen Antonius Burgus, respondet, advertendo quod materia dupliciter sumi potest; primò videlicet pro parte componente, quæ simul cum forma compositum constituit. Secundò verò latius, prout etiam rebus spiritualibus convenit. De prima acceptione non est dubium; de secunda verò patet ex ipso Aristotele, qui sicuti affirmat Socratem, & Platonem distingui quoad materiam, ita docet eos convenire in forma, sed hoc non potest intelligi de forma particulari, quia uterque habet formam distinctam; ergo neque illud intelligendum erit de materia particulari, seu componente, sed utrumque de forma, & materia aliter acceptis. Forma autem, in qua individua conveniunt est quidditas ipsa; ergo materia est aliquod à quidditate distinctum. Sensus ergo Aristotelis est, quòd quando quæritur unitas numerica spectanda est materia, idest existentia rei, quia ad hanc pertinet talis unitas, quando verò quæritur unitas specifica, spectanda est forma, seu quidditas, quod si quæras, cur existentiæ detur nomen materiæ, si materia est potentia, existentia est actus. Respondeo hoc contingere, quia materia notior est, & sub sensu cadit: per existentiam enim res cadunt sub sensu.

Respondeo ad secundam, quòd quando Aristoteles dicit 7. *Metaph. textu* 28. Verum dicit, nimirum formam ex se communem, & indifferentem, quidditatem scilicet, quando est materia signata esse individuam, hoc autem est dicere quidditatē, quando existit individuam esse; non enim existit, nisi in materia signata. Quod ibidem dicit generans, generat aliud propter materiam. A Rada ex Scoto dupliciter exponitur, illis omissis ego dico non esse faciendam vim in verbo aliud, sed in verbo generat: quòd enim genitum sit aliud à generante semper evenit, quia nihil generat se ipsum, quare non opus fuit assignare per quid genitum sit aliud, sed docuit generationem fieri propter materiam, eò quia fiat, ut eadem actuetur, atque activa reddatur. Illud autem 7. *Metaph. textu* 35. *idest singulare, aut ex ultima materia, jam Socrates est*, ad rem vix facit; comparat enim ibi Philosophus universale cum singulari, & utrumque dicit ex materia constare, universali tamen ex materia prima, idest non affecta accidentibus, singulare verò ex ultima, idest accidentibus affecta,

quam

quam signatam dicit; at non refert hanc esse individuarionis principium.

Ad tertium quidam ex nostris occurrit asserendo verum esse Cœlum, ut sic formam esse, & hoc Cœlum esse formam in materia, quia cùm formæ Cœlorum materiales sint, existere nequeunt nisi in materia. Non individuantur tamen metaphysicè ab eadem, quia & si divinitus variaretur eorum materia, adhuc formæ Cœlorum suam individuationem haberent, uoitatemvè numericam.

Ad quartum censeo nullateous Philosophũ docere principium individuationis compositi substantialis materiam physicam esse, ex qua constat; hoc eoim, ut satis ex prædictis apparet, omninò à veritate alienum est. Vult enim Aristoteles, ut ejus verba fideliter exponam, in his, quæ sunt sine materia idem esse, quod quid est, cum eo, cujus est, eo quia essentia, seu quidditas, quæ per definitionem explicatur, conveniat naturæ specificæ sic abstractæ, proindeque cum illa identificatur per se primò. In conceptis verò cum materia, hoc est cum conditionibus individualibus, seu cum singularitate, nempe in individuis, idem non est, quod quid est cum eo cujus est. Non quidem quia idem realiter non sint, sed quia quidditas, quæ per definitionem explicatur, licet per se singularibus conveniat, non tamen per se primò, sed per se secundò, vel ratione naturæ specificæ, quam inclu dunt.

Ad ultimam Philosophi auctoritatem, si quidam Scotista adesset, scio fore responsurum Philosophum loqui de materia sumpta pro differentia individuali, quæ ab aliquibus materia metaphysica appellari solet, qua carere dicitur, sicuti etiam caret materia physica primus Motor, unde optimè probat Philosophus esse non posse plures primò Motores, eo quòd in primo Motore non est materia, hoc est non est aliqua formalitas contrahens ut materia, Deus enim qui solum est primus Motor, de se est hic & singularissimus absque aliquo contrahente. Primum ergo Motorem numero multiplicari non ideò repugnat, quia caret materia physica, sed quia caret materia sumpta pro differentia individuali.

Objiciunt secundo Thomistæ ratione. Materiæ signatæ repugnat communicari, sicuti repugnat ipsam concipi, ut uniuersale, undè est, quod quolibet alio ab indiuiduo ablato, & sola materia relicta adhuc remaneret individuum substantiæ incommunicabilis; ergo in hac constitui debet indiuiduationis principium. Secundo quià ab illo habetur individuatio, à quo ratio substantiæ primæ, sed à materia habetur ratio substantiæ primæ, materia enim signata illa est, quæ nequè in subiecto est, nequè in subiecto dicitur; ergò.

Respondeo ad primum incommunicabilitatem à materia signata, vel non haberi ut patet in formis spiritualibus, quæ suam habent individuatio nem, cùm materia signata non constent, vel si habetur, hoc non contingit tanquam à ratione formali, qua res incommunicabilis est propter superius dicta. Ad secundum falsa est minor, quilibet enim Angelus est substantia prima, & tamen materia signata non constat. Hæc enim non est ratio, qua res individuatur, sed potius est res individua ab alio individuata.

## CAPUT SECUNDUM.

*Secunda sententia affirmans formam substantialem principium esse individuationis impugnatur.*

Pluribus rationibus impugnari potest; sed primò. Principium formale indiuiduationis esse debet id, per quod unum iodividuum ab alio disconvenit intra eamdem speciem, sed forma quomodocumque sumatur non est huiusmodi; ergò Probatur minor, quià de maiori nulli dubium. Forma est id, vel cuius ea, quæ sunt eiusdem speciei conveniunt inter se; Petrus enim & Paulus ideò conueniunt physicè inter se, quia habent eamdem similem formam physicam, quæ anima rationalis est; ergò iam forma esse non poterit principium differendi.

Secundò principium indiuiduationis est aliquid additum naturæ specificæ de se nec singulari, nec universali in actu, sed forma huiusmodi non est; ergo principium indiuiduationis esse nequit. Major liquet, quià natura specifica de se indifferens est ad universalitatem in actu, & singularitatem, & fit singularis per aliquod sibi aduenritium, idest per aliquod, quod sit extrà conceptum formalem naturæ specificæ, minor vero est certa.

Dices ex Philosopho secundo de anima *Textu 2.* Forma est, quæ constituit hoc aliquid; ergo individuatio cuiuscumque rei à forma desumitur.

Respondeo formam constituere hoc aliquid specificè tantùm, non verò numericè; Quod si dicas esse specificum, quod habet res a parte rei, est esse numericum, & singulare; ergo si forma dat esse specificum dat etiam numericum, dico verum esse quòd quidquid à parte rei est, singulare est, unde etiam ipsa natura singularis est; sed non est singularis formaliter per illud idem, per quod est hujus, vel illius speciei; unde dici potest quod forma det esse tale specificum non numericum.

Dices secundo, illud poni debet principium individuationis, quod ex se magis indivisum est, & incommunicabile, sed forma est hujusmodi, non materia; ergo. Minor constat, nam una materia communicabilis est & de facto fit communis pluribus formis, si non simul, saltem successivè.

Ut instantiæ fallaciam detegamus, sciendum est materiam utique magis communicabilem esse quam formam, sed hoc ad rationem individui nihil facit. Duplex enim est incommunicabilitas, ut quo, & ut quod. Individuum dicit solum incommunicabilitatem ut quod; hoc autem æquè materiæ convenit, ac formæ, quamuis enim eadem materia, seu eadem portio materiæ successivè communis fit pluribus formis; hæc est communicatio, ut quo, quæ non tollit quominus portio illa materiæ sit individua & singularis, quippè quæ de pluribus eiusdem rationis numericè prædicari non potest.

## CAPUT TERTIUM.

*In quo tertia sententia reprobatur.*

Dicimus modo quod individuatio non habetur formaliter ab Scotistica hæcceitate. Probatur primò, si individuatio haberetur ab hac differentia contractiua naturæ, seu ab huiusmodi hæcceitate, individua eius naturæ non differrent numero, sed specie inter se, sed repugnat quòd individua eiusdem naturę specificè differãt inter se; ergò etiam &c. Probatur sequela maioris, primò, quia quæ differunt

ferunt in aliquo prædicato essentiali se habente per modum formæ, differunt specie; sed individua intra eandem speciem differunt in hæcceitate, quæ est prædicatum essentiale cuilibet individuo substantiali, nam etiam per Scotistas identificatur realiter cum quolibet individuo, & huiusmodi hæcceitas est prædicatum formale, quia est aliquod continens, & determinans naturam specificam; ergo individua eiusdem speciei differrent specie inter se, si differrent per huiusmodi hæcceitatem.

Secundo eiusmodi hæcceitates sunt inter se primò diversæ, cum in nullo quidditativè conveniant etiam per Scotistas; ergò differunt specie inter se; ergò etiam individua eiusdem speciei. Antecedens cum prima consequentia certum est, secunda verò probatur; Individua eiusdem speciei non differunt inter se, nisi per hæcceitates; sed hæcceitates differunt specie inter se; ergò etiam individua. Tale namque debet esse distinctum quale est distinctivum.

Dices, individua non constitui per solas hæcceitates, sed etiam per naturam. Cùm autem hæc sit eadem specificè in omnibus individuis ejusdem speciei, hinc est quod hujusmodi individua non differunt specie inter se, licèt habeant hæcceitates, quæ inter se specie differant. Non enim est necesse quòd sit tanta distinctio in constitutis, quanta est in constituentibus; nam possunt principia individuantia esse primò diversa inter se, & adhuc indiuidua conuenire in aliqua communi ratione quidditativa, eo quod cum differentia individuali naturam communem continent, quæ communis est omnibus individuis.

Sed contrà est. Natura, quæ est in induiduis ejusdem speciei, non fundat nisi similitudinem, & convenientiam; ergò tota dissimilitudo, & diversitas, quæ est in individuis ejusdem speciei desumi debet ab hæcceitate; ergo tanta erit eorum diversitas inter se, quanta est differentia, quæ illa distinguit inter se; sed hæc est specie diversa in uno, & in alio; ergo non obstante natura communi, in qua individua conveniunt, adhuc erunt specie diversa inter se.

Confirmatur prædicta ratio sic, si individua ejusdem speciei suam sortirentur individuationem ab hæcceitatibus specie differentibus inter se, differrent specie inter se; sed hoc implicat; ergo etiam illud unde hoc sequitur.

Probatur sequella majoris: differrent specie, quia in ratione individui constituerentur per actus, qui differunt specie inter se; non inter se differrent, specie, quia haberent eandem rationem communem; ergo differrent, & non differrent specie inter se.

Probatur secundò, vel hæc differentia contrahens naturam specificam, illam supponit existentem, vel non: utrumque repugnat; ergo non datur hæc Scotistica hæcceitas, seu hæc differentia individualis contrahens naturam specificam ad esse numericum, & individuale.

Probatur minor; si hæc differentia individualis non supponit naturam existentem, non potest illam contrahere, nam hæc differentia individualis per Scotistas, est ultima realitas naturæ specificæ, adeoque jam supponit quod natura specifica habeat aliquam realitatem, licèt non ultimam, physicam tamen, & non purè logicam, nam hæc differentia individualis est realitas physica, ac proinde advenire debet enti physico. Si autem supponit illam existentem, inquiro vel natura specifica existens, cui hic advenit differentia individualis, est singularis, vel non. Si primum; ergo non indiget hac differentia individuali, ut reddatur singularis. Si verò secundum dicatur; ergo datur aliquod existens, quod singulare non est, quod est ineptum dicere. Quidquid enim existit in rerum natura singulare est.

Dices primò sicuti se habet entitas, à qua sumitur differentia specifica, ad entitatem generis, ita entitas, à qua summitur differentia numerica, ad entitatem naturæ specificæ; sed entitas generis determinatur per entitatem differentiæ specificæ; ergo entitas naturæ specificæ determinatur per entitatem differentiæ numericæ; ergo hæcceitas contrahit naturam specificam ad esse individuum.

Dices secundò, sicuti unitas in communi consequitur entitatem in communi, ita determinata unitas determinatam entitatem; sed unitas individui non consequitur entitatem naturæ specificæ, quia hæc habet unitatem propriam minorem unitate numerali; ergo aliam entitatem, nempe numericam, ergo entitas naturæ specificæ determinatur per entitatem differentiæ numericæ.

Respondeo ad primum disparitatem esse quod genus est aliquid ex natura sua potentiale, & determinabile, adeoque indiget aliquo determinativo, ut hanc potius, quàm illam speciem constituat. Species verò est aliquid ex sua natura determinatum, ex quo sequitur quòd genus ut sit in suis inferioribus indiget aliqua entitate, per quam contrahatur ad Equum, Leonem, &c.; species verò ut sit vel in hoc, vel in illo individuo, non indiget aliqua entitate, per quam contrahatur ad esse Petrum, sed sufficit quod existat.

Ad secundam respondeo negando majorem: quamvis enim unitas necessariò supponat entitatem, non tamen diversa unitas diversas entitates, immò eadem entitas varias sortitur unitates, & quisquis attentè considerabit, intelliget Argumenti falaciam: dicere enim quòd unitas numerica supponat entitatem numericam, est dicere quòd unitas numerica, unitatem numericam supponat; nam, dum dico entitatem numericam, dico entitatem unam numero.

## CAPUT SEXTUM.

*In quo quarta sententia reiicitur.*

Quòd causa formalis individuationis non sint accidentia contra Boetium, atque Porphirium ostendendum est nunc, quod antequam fiat præmittendum est: accidens dupliciter summi, ut ex Avicena Henricus distinguit: uno modo videlicet pro omni eo quod est extra intentionem, & definitionem alicujus; altero verò pro omni eo, quod adest, & abest præter subjecti corruptionem; quam distinctionem etiam adhibuit Scotus *in primum dist. 13. quæst. 7. ad secundum.* Si primo modo accipiatur accidens, certum est quamlibet naturam specificam per aliquod accidens individuari, quod non est de ejus ratione specifica; At si secundo modo accipiatur; res non est certa, sed dubia, quæ hic controvertitur.

Est etiam advertendum principium individuationis, vel esse secundùm rem, & à parte rei, vel respectu nostræ cognitionis. Hoc secundo modo possunt optimè dici accidentia individuationis principium, quia non melius ipsorum individuorum distinctionem agnoscimus, quàm per accidentia.

Secundò verò modo judico ipsa accidentia dici non posse ullo modo individuationis principium; Ita Henricus *quodl.bet* 2. *quæst* 8. cum quo.

Probatur primò. Accidentia omnia naturaliter præsuponunt substantiam, ut subjectum, in quo sint; sed substantia non est subjectum accidentium nisi hæc, & individua; ergo accidentia præsuponunt, non causant individuationem substantiæ. Major colligitur *ex 7. Metaph. Textu* 4. ubi dicitur substantiam priorem esse accidentibus tempore, natura, definitione. Probatur itaque minor, quia subjectum omnium accidentium sunt individua substantiæ, quæ sunt in actu, ut optimè affirmat Aversa *de substantia Orbis cap.* 1. & revera hoc verum est, quia in hoc differunt prædicara essentialia ab accidentalibus, quod ea prius speciei conveniunt secundò individuis, hæc verò è contra primò individuis, & per hæc speciebus.

Dicitur enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis, dicitur homo albus, quia Petrus est albus, unde accidentia non dicuntur accidere nisi ratione existentiæ, & idcircò definitur accidens, quod adest, & abest preter subjecti corruptionem, idest quod existit in subjecto, & cessat illi inexistere absque subjecti corruptione.

Et hic addendum est, quòd Henricus, esto non afferat accidentia individuari per substantiam, docet tamen quòd si aliquid individuaretur per aliud à se distinctum, potius dicendum esset accidentia per substantiam, quàm substantias per accidentia individuari. Ratio est, quia si id, quod individuatur, per aliud individuatur, jam ipsa accidentia, quæ egent individuatione, quia sunt formæ specificæ multiplicabiles in plura ejusdem rationis, individuari debebunt, vel per alia accidentia, vel per substantiam.

Non primum affirmari potest, quia de illis accidentibus rursus quærendum esset per quid individuarentur, & esset processus in infinitum; ergo per substantias, quibus inhærent individuari debent.

Probatur secundò. Substantia numero diversa ab alia potest stare sub iisdem accidentibus, pura sub eadem quantitate, & sub eadem collectione accidentium; ergo accidentia non reddunt numero substantiam eandem. Probatur antecedens. Sicuti Deus conservat in Sacramento Eucharistiæ accidentia Panis sine substantia, ita posset sub iisdem accidentibus creare novam substantiam panis; sed in tali casu non esset amplius idem Individuum, licèt esset eadem quantitas, & eadem accidentium collectio; ergo diversa numero substantia stare potest sub iisdem accidentibus; ergo accidentia non constituunt individuationem rei. Quod si dicas id non posse contingere naturaliter, sed solùm miraculosè, dico, ut superius insinuavi, adhuc optimè inferri, quòd individuatio non habeatur ab accidentibus; nam si accidentia constituerent rem individuam, nec etiam divinitus fieri posset, quòd sub eisdem accidentibus poneretur aliud individuum, quia quotiescumque aliquod constitutivum natum est facere hoc, & non illud, nec etiam divinitus potest facere aliud.

Si verò solùm de quantitate specialiter libeat assertum suadere, multa affert Scotus *quæst.* 4 quibus Egidii opinionem impugnat, quorum primum est, quia illud, quod est necessaria conditio causæ in causando, non potest habere esse à causato, quia tunc causa, ut sufficiens ad causandum, esset causa à causato, & illud causatum esset sui ipsius causa, quæ omnia repugnant; sed singularitas substantiæ, seu materiæ est necessaria conditio in substantia, & materia ad causandam quantitatem, causatum enim singulare requirit causam singularem; ergo singularitas substantiæ, sive materiæ esse nequit à quantitate.

Respondet Cajetanus *lib. de ente & essentia cap.* 2 *quæst.* 5. materiam priorem esse quantitate in genere causæ materialis, quantitatem verò priorem esse materia in genere causæ formalis. Causæ enim sunt sibi invicem causæ.

Sed contra est: evasio enim hæc Cajetani ad rem non facit, quia quantitas non potest esse causa formalis individui nisi reddendo illud quantum, hic enim est effectus formalis quantitatis, sed materia est formaliter hæc priusquam sit formaliter quanta; ergo quantitas non constituit eam individuam. Patet minor, nam substantia secundùm totam suam latitudinem prior est accidentibus, & totum genus substantiæ toto genere quantitatis; sed in genere substantiæ est substantia individua, non est autem quanta, nisi in genere quantitatis; ergo individuum prius est hoc, quàm quantum.

Secundò quia substantia prima non habet à quantitate suam entitatem individualem; ergo quantitas non est illius principium individuationis. Antecedens probatur, quia quilibet gradus substantiæ etiam infimus, seu ultimus, qui est gradus numericus, substantialis est; sed à nullo accidente præstari potest aliquod substantiale; ergo à quantitate, quæ est merum accidens.

Tertium, & ultimum est, quia si substantia individuaretur à quantitate, sequeretur quod in consecratione panis verbi gratia, hic numero panis non transubstantiaretur in Corpus Christi Domini, sed hoc opponitur fidei; ergo. Probatur major, quia ut unum numero in aliud transubstantietur, in singularitatem istius necesse est quòd illius singularitas transubstantietur; ergo quando singularitas unius non transubstantiatur in singularitatem alterius, non transubstantiatur unum numero in aliud, sed cùm panis in Eucharistia consecratur, remanet ejus quantitas, quæ juxta oppositam sententiam est ratio individuationis panis; ergo.

## CAPUT QUINTUM.

*Existentia est ratio fundamentalis individui constitutiva.*

Huic sententiæ adhærere Henricum superius retulimus, unde hic nescio quo fundamento *Fonseca 5. Metaph. cap.* 6. *sect.* 2. affirmet Henricum negavisse existentiam esse principium fundamentale individuationis.

Probatur autem ratione primò. Posita præcisè existentia, ponitur singularitas, & ablata aufertur, ergo existentia est causa individuationis adæquata. Antecedens certum est: ex hoc enim; quod aliquid existat, necessario sequitur quod sit singulare, cum sola singularia extra animam sint, ut optimè docet Philosophus *primò Metaph. cap.* 6. *& 7.*

Confirmatur, quia quidquid existit determinatam habet entitatem, sed omnis entitas determinata ex hoc quod determinata sit, indivisibilis est in plures, quæ tales sint, qualis ipsa est; ergo.

Dices non solùm essentiam, sed essentiam hanc existere, adeoque etiam præcisa existentia adhuc esse essentiam hanc, & concipi posse hanc essentiam Petri, non concipiendo ipsam Petri existentiam.

Contrà

Contrà est; concipere enim essentiam hanc est concipere essentiam existentem, quæ concipi quidem potest existens, etiamsi non existat, non potest concipi hæc, quin concipiatur existens.

Probatur secundò conclusio. Unitas individualis est ultima unitas rei; ergo debet illi convenire per ultimum actum, sed existentia est ultimus actus rei; ergo unitas individualis convenire debet cuilibet rei per existentiam, tamquam per proprium, & immediatum fundamentum. Antecedens constat, quia unitas individualis illa est, per quam res fit hæc, & determinatur ad tale esse, & per quam res ultimò completur in suo esse. Minor autem sublumpta pariter patet, quia existentia est id, per quod res adæquatè, & ultimò ponitur extra suas causas, ergo est ultimus actus rei.

## CAPUT SEXTUM.

*Enervantur argumenta contraria.*

Contra Henrici sententiam directè objiciunt aliqui, & primò, essentia intra latitudinem essentiæ manens fit individua, & contrahitur, sed hæc non contrahitur per aliquod ex natura rei à se distinctum; ergo non potest contrahi ad individuam essentiam per existentiam. Major per se evidens est, primò quia Petrus & Paulus ut abstrahunt ab actuali existentia, seu ut possibiles intrinsecè includunt suas rationes individuas. Secundò quia sicuti differentiæ specificè essentialiter conveniunt speciebus, ita individuo convenit essentialiter sua differentia individualis; ergo.

Secundò quia actus singularis supponit potentiam singularem, sed existentia comparatur ad essentiam, ut actus metaphysicus ad potentiam metaphysicam; ergo Essentia prout distincta ab essentia, habet suam individuationem.

Tertiò si existentia esset principium individuationis, vel esset existentia naturæ humanæ, vel talis numero existentia: non prima, quia de ipsa investigari posset quomodo fiat individua: non secunda, quia hæc supponit essentiam jam individuam; siquidem ideo est hæc existentia, quia existentiam hanc actuat.

Quartò eadem res uti individua conservatur sine sua existentia, aut mutando varias existentias, ut in Christi humanitate, quæ individua est, esto careat propria existentia; & eadem numero materia, mutando formas, mutat existentias cùm tamen semper eadem numero maneat; ergo non constituitur hæc & individua per talem numero existentiam.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico naturam intra latitudinem essentiæ manentem non esse individuam, sed indifferentem ad plura, ut ex dictis in Logica constat. Constituitur autem individua, vel per actualem existentiam, vel per connotationem ad ipsam ut futuram.

Ad secundam respondeo cum distinctione: actus particularis præsupponit potentiam particularem, quoad suam essentiam concedo, quoad particularitatem nego. Est simile hoc argumentum illi, quod contra Thomistas proponitur ad probandum Angelos non esse in loco per operationem: contra quos si sic arguas operari præsupponit esse; ergo operari in loco præsupponit esse in loco, negant Thomistæ consequentiam, eo quia ipsum operari sit ratio existendi in loco. Hoc idem dicimus etiam nos in præsenti videlicet quod esto existentia præsuponat essentiam, existentia tamen hæc non præsuponit hanc essentiam, cum sic potius constituat.

Ad tertium respondeo quod idem est, quærere unde existentia sit hæc, ac unde existat, quarè sicuti impropriè diceretur existentia existere, ita impropriè diceretur esse hæc, nisi dicere velimus quod esset hæc ut quo, non ut quod.

Ultimum verò quod affert Suarez innititur falso supposito, humanitas enim in Christo propriam habet existentiam, quemadmodum, & materia prima, quod etiam verum est in sententia Suarezi arguentis, uti videre est *in sua metaphysica disp.* 31. *ubi de ente finito*.

Arguit secundò Scotus. Illud non est principium individuationis alicujus naturæ absolutæ quod non dicit aliquod absolutum, sed individuum substantiæ est natura absoluta, existentia verò per Henricum est quid relativum, quia res ut existens, dicit ordinem ad Deum; ergo existentia nequit esse principium individuationis.

Revera existentia quid relativum est; sed transcendentale. Respectus autem transcendentalis, quem effectus dicit ad suam causam non tollit rationem entis absoluti, aliàs nullum daretur ens creatum absolutum, quia quodlibet ens creatum transcendentaliter ad Deum refertur.

Arguit tertiò idem. Ens individuum, & singulare intelligi potest præteritum, vel futurum; sed quod intelligitur præteritum, vel futurum non existit; ergo non est de ratione singularis, quòd existat, & per consequens existentia non est fundamentum individuationis.

Etiam hoc argumentum nullius roboris est. Præsens enim, præteritum, & futurum sunt conditiones existentiæ, ita quod nequeat res intelligi, ut præterita, nisi intelligatur habuisse existentiam. Unde hujusmodi singularium considerationes non abstrahunt ab existentia.

Ultimò arguunt alii. Quod prædicatum contingenter de individuis, nequit esse principium individuationis; sed existentia prædicatur contingenter de individuis; ergo nequit esse principium individuationis. Major probatur. Si principium individuationis prædicaretur contingenter de individuis, individua essent contingenter individua; sed individua non sunt contingenter individua, quia quodlibet individuum est essentialiter individuum, & non potest non esse tale; ergo.

Respondeo negando Minorem. Verum quidem est, quod existentia prædicatur contingenter de essentia, sed prædicatur essentialiter de individuo, quia existentia est constitutivum essentiale individui. Contingit essentiæ existere, quia existentia non est de conceptu essentiæ, sed existentia non contingit individuo, quia existentia est de conceptu individui. Adhuc tamen dispar est ratio de Deo, & Creatura; nam existentia est de conceptu essentiali divinæ essentiæ, secus verò in creatura.

## CAPUT SEPTIMUM.

*Principium formale individuationis consistit in duplici negatione.*

Dicimus nunc rationem formalem constitutivam individui esse duplicem negationem, nempe negationem divisibilitatis in se, & negationem identitatis cum alio. Hæc ultima conclusio est Henrici pluribus in locis, præcipuè verò *art.* 35. *quæst.* 1. & alibi. Eam tenent omnes Henricistæ inter quos Burgus *Paradoxo* 5. *cap.* 3 ex professo.

Ante-

Antequam tamen probetur ratione conclusio, advertendum est primò has duas negationes, à quibus formaliter habetur individuatio, esse reales, quia dantur nullo cogitante intellectu, & dicuntur reales, non quia consistant in aliqua realitate physica; sunt enim non entia in re; sed dicuntur reales, quia sunt in rebus independenter à nostro intellectu, ut est negatio divisionis in lapide.

Advertendum ulterius est individuum posse dupliciter comparari, vel cum essentia specifica, ut Petrum cum homine, vel cum alio individuo, ut Petrum cum Socrate. Individuum comparatum cum sua specie est individuum ut habens unitatem numericam; comparatum verò cum aliis individuis est individuum ut habens distinctionem numericam. Si consideretur primo modo, ratio formalis individuationis est negatio divisibilitatis; individuum enim convenit cum specie in quidditate, quia continet in se totam quidditatem speciei; differt verò à specie per hoc quod naturæ specificæ non repugnat dividi in partes subjectivas, hoc est in plura inferiora, de quibus tamquam subjectis prædicetur. Individuo autem repugnat dividi in alia inferiora, de quibus prædicari possit, & sic individuum respectu speciei constituitur individuum, adeoque unum numero per negationem divisibilitatis in plura, quæ in recto sint ipsum, ad differentiam speciei, quæ dividi potest in plura, quorum singula sint ipsa. *Si* verò consideretur individuum comparativè ad alia individua, ratio formalis individuationis est negatio identitatis; convenit enim hoc individuum cum illo, in quiditate, convenit in indivisibilitate in plura, & differt solùm per hoc, quod istud individuum non est illud, unde individuum comparatum ad aliud constituitur individuum per negationem identitatis cum alio. Prima negatio tribuit individuo unitatem numericam, secunda verò dat eidem distinctionem numericam, & utramque dicimus individuum formaliter constituere, quod

Probatur primò ratione Henrici. Ratio individuationis est aliquid supra naturam rei factæ concomitans ipsam ex sua productione; sed hoc esse nequit aliquid positivum; ergo erit aliquod negativum. Major certa videtur, quia ratio individuationis non includitur in conceptu rei factæ, & est extra intentionem illius, cùm benè possit concipi tota quidditas rei factæ, non concipiendo individuationem.

Quod autem comitetur rem factam ex sua productione, ex eo patet, quia non prius aliqua res est individua, quàm sit producta, imò nequit esse terminus productionis, quin sit individua, cùm actiones sint circa singularia. Minor autem probatur, si hoc supperadditum naturæ esset aliquod positivum, vel esset aliquod absolutum, vel relativum neutrum dici potest; ergo non est aliquod positivum. Probatur Minor, & primo quoad priorem partem. Si esset aliquod absolutum deberet esse factum, & productum simul cum natura (neque enim dici potest emanans, & fluens à natura, quia supponeret naturam jam individuatam, ex qua solùm ut individua potest aliquod fluere, & emanare); sed implicat quod sit aliquod factum, & productum simul cum natura; ergo nequit esse aliquod absolutum.

Probatur Minor, si esset aliquid factum, & productum simul cum natura, esset aliquid in se determinabile, sicuti determinabilis est ipsa natura, quæ producitur; sed nequit esse aliquod determinabile; ergo. Major certa est, quia, ut dicit Henricus, quidquid fit per ipsam agentis productionem determinatur ad unitatem, & singularitatem, neque intrinsecè unitatem habet. Minor probatur, si hoc positivum esset aliquod determinabile, compositionem faceret cum ipsa natura, eo modo quo, forma generis compositionem facit cum genere, & ita constitueret novum gradum essentiæ infra essentiam specificam rursus determinabilem per alias differentias individuales; ac proinde non constitueret individuum, sed speciem; ergo &c.

Probatur itaque eadem minor quoad secundam partem, videlicet quòd aliud positivum esse nequeat aliquod respectivum, quia respectus ille necessariò fundaretur in ipsa re ut facta est, & ut determinata in supposito, ac proinde supponeret naturam iam individuam, potius quàm illam individuaret.

Probatur secundò Conclusio, individuum illud est quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio; sed hoc duplicem negationem importat; ergo individuatio habetur formaliter per duplicem negationem. Maior ex ipsa definitione constat. Minor ostenditur, quia esse indivisum in se importat negatione divisionis, vel divisibilitatis in plura; esse verò divisum à quolibet alio importat negationem identitatis cum alio; ergò ratio individui importat duplicem negationem. Ubi aduerte cum Henrico, quòd hæc duplex negatio dici debet ratio completiva individui, quia individuum importat quidem aliquod positivum, nempe existentiam, completur tamen in ratione individui per duplicem negationem.

Aduertendum est hìc quod prima negatio, quam importat indivisio rei in se ipsa principaliter tribuit rei unitatem, & hæc negatio in re est vera positio, estquè negatio solùm circumlocutivè; secunda verò negatio, nempe negatio unionis, vel identitatis cum alio, quam importat divisio à quolibet alio, propriè constituit individuum, & in hoc sensu Henricus solam negationem prædictam appellat conplementum, & individui constitutivum; quia tamen quodlibet est unum, ideo dicimus quod individuatio habetur formaliter à duplici negatione.

## CAPUT ULTIMUM.

*Soluuntur obiectiones aduersariorum.*

ARguunt primo Scotistæ, nihil potest repugnare alicui per aliquod negativum; sed individuo repugnat dividi in partes subiectiuas, hoc est in plura inferiora, de quibus prædicari possit in recto; ergò talis repugnantia ad dividi in plura convenire nequit individuo per aliquod negativum. Minor est certa. Ostenditur maior; quamvis negatio tollat à re potentiam proximam ad agere, & pati, non dat tamen rei formalem repugnantiam ad aliquid; ergò nihil potest repugnare alicui per aliquod negativum. Antecedens probatur. Sublatis per possibile, vel impossibile prædictis negationibus, tale ens staret cum opposito illarum negationum, adeoque cum eo, quod illi repugnat per se; sed est impossibile quod res stet cum eo, quod illi repugnat; ergò.

Respondet ex nostris Henricus Antonius Burgus *Parad.* 6. *cap.* 4. primò per iostantiam, argumentum

mentum ad hominem retorquendo contrà Scotum, in cuius ſententia cùm ſuppoſitum conſtituatur in eſse ſuppoſiti per duplicem negationem, ſeu per negationem duplicis dependentiæ, actualis nimirum, & aptitudinalis, ſic retorqueri poteſt argumentum. Nihil repugnat alicui enti per ſolam negationem; ergò ſuppoſito non repugnabit communicari. Conſequentia liquet, quia ſuppoſitum per Scotum nihil addit ſupra naturam niſi illam duplicem negationem. Quod ſi dicas cum Scotiſtis non repugnare naturæ creatæ communicationem, & ideò conſtitui poſſe ſuppoſitum per negationes; ſed ſolum naturæ individuæ repugnare diviſibilitatem in plura; contra eſt, ſiquidem etiam ſuppoſito repugnat communicari, nam hoc quod eſt communicari alteri, aduerſatur rationi formali ſuppoſiti, cum incommunicabilitas ſit ratio formalis ſuppoſiti, etiam per Scotum; ergò repugnat ſuppoſito hoc quod eſt comunicari; ergò nequit conſtitui ſuppoſitum per aliquod negativum, vel ſi hoc non repugnat ſuppoſito, nec etiam individuo repugnabit.

Reſpondet Rada non repugnare ſimpliciter naturæ ſuppoſitatæ communicari, ſed ſecundùm quid, ſcilicet quatenus eſt ſuppoſitata; at naturæ individuæ ſimpliciter repugnare dividi. Uerùm non evitatur hoc modo difficultas. Eadem enim utrobique eſt ratio; nam ſi naturæ ſuppoſitatæ repugnat dividi, quatenus ſuppoſitata eſt, etiam naturæ individuæ quatenus eſt individua. Si natura ſuppoſitata poteſt communicari præſcindendo à ſuppoſito, etiam natura individua dividi poteſt præſcindendo ab individuatione.

Reſpondeo itaque in forma. Nihil poteſt repugnare alicui per aliquod negativum fundamentaliter concedo, formaliter nego maiorem & conceſſa minori diſtinguo conſequens; ergo talis repugnantia nequit individuo convenire per aliquod negativum, fundamentaliter concedo, formaliter nego conſequentiam; eadem diſtinctione ſatisfieri poteſt reliquis, quæ adducuntur in Argumento.

Ad illud verò, quod addit Scotus, videlicet quod ſublatis illis negationibus tale ens, quod habere repugnantiam ad aliud intelligimus, ſtare poſſet cum eo, ad quod repugnantiam habet, hoc abſolutè negatur; nam adhuc tale ens retineret repugnantiam fundamentalem.

Arguunt ſecundò Scotiſtæ. Negatione non conſtituitur aliquid formaliter in entitate perfectiori, quàm ſit illa entitas negationi præſuppoſita; ſed prima ſubſtantia per philoſophum eſt magis ſubſtantia, quàm ſecunda; ergo formaliter non conſtituitur in eſſe primæ ſubſtantiæ per negationem. Maior oſtenditur, quia ſi per negationem poſſet aliquid conſtitui in entitate perfectiori, quàm ſit entitas negationi præſuppoſita, negatio eſſet formaliter entitas poſitiva, quia id eſt quod perfectius, ente, eſſe nequit niſi ens poſitivum; ſed repugnat quòd negatio ſit ens poſitivum; ergò.

Hoc argumentum retorqueri poſſe, loquendo de natura, ut ſuppoſitum eſt, & ſubſiſtens, nullus eſt, qui non videat; hoc tamen omiſſo iudico per negationem optimè poſſe aliquid poni in entitate perfectiori. Eſſentia enim dividitur in creatam, & increatam; & Eſſentia increata incomparabiliter dignior eſt, quàm eſſentia creata, cùm tamen increatum dicat negationem eſſendi ab alio. Quòd ſi hæc ſolutio diſplicet, in forma aliter reſpondeo diſtinguendo minorem. Prima ſubſtantia eſt magis ſubſtantia, quàm ſecunda titulo entitatis importatæ nego, alio titulo concedo minorem, & nego conſequentiam. Prima & ſecunda ſubſtantia important eandem entitatem, adeoque titulo entitatis importatæ una non eſt alia perfectior. Prima; ergò ſubſtantia eſt ſecunda perfectior, quia prima importat eſſentiam modo perfectiori ſcilicet in eſſe exiſtentiæ, quæ eſt ultima actualitas eſſentiæ. Secunda vero ſolùm in eſſe eſſentiæ.

Et hic ulterius aduertendum eſt, quòd prima ſubſtantia conſtituitur in illo eſſe perfectiori per exiſtentiam, quæ eſt aliquod poſitivum unde Henticus aſſignauit exiſtentiam pro fundamento illius duplicis negationis; unde patet illud eſſe perfectius in prima ſubſtantia relucens, haberi per aliquod poſitivum, in quo fundatur illa duplex negatio, quæ facit rem formaliter individuam.

Obijciunt tertiò. Non eſt aſſignabile per quid competat individuis illa duplex negatio; ergò duplex illa negatio nullo modo poteſt conſtituere individuum. Probatur antecedens. Si per aliquod illa duplex negatio competeret individuis, maximè propter cauſam efficientem, à qua ipſa produceretur, ſed affirmari nequit quòd producatur, quia negatio per ſe non fit; ergò.

Reſpondeo falſum eſſe antecedens, ad cuius probationem dico quòd illa duplex negatio competit individuis propter exiſtentiam intrinſecè; hoc eſt tanquam per rationem fundamentalem, ſuper qua ipſa fundatur, & propter cauſam efficientem tamquam per cauſam extrinſecam: hæc enim eſt, quæ tribuit rei exiſtentiam, quæ eſt fundamentum huiuſmodi negationum. Ad id verò quod ſubjungitur dico, quòd negatio non fit, tamquam terminus productionis, ſed productionem commitatur, ut docet Henricus *quodlibet* 5. *queſt.* 8 ſub his verbis. *Producitur eſſentia, & actu ponitur extra ſuas cauſas, ſeu fit exiſtens. Iſtam productionem eſſentiæ concomitatur illa duplex negatio, quæ quidem per nos non debet dici emanare & fluere ab eſſentia producta; tunc enim ſupponeret naturam iam individuatam, ſed illa duplex negatio concomitatur exiſtentiam rei, ſicut finitas non emanat, ſed creationem rei concomitatur.*

Arguunt quartò. Etiam de negatione dubitari poteſt unde habeat quòd ſit hæc; ergo malè ponitur negatio pro conſtitutivo formali individuationis. Antecedens probatur, quia eadem ratio eſt de hac negatione, ac eſt de natura, quæ individuatur.

Reſpondeo quod cum negatio ſit ratio formalis individuationis, & ſingularitatis, impropriè, & immeritò quæritur, unde habeat quòd ſit hæc; habet enim ex ſe ipſa, ſicuti in entitatibus poſitivis, quælibet ratio formalis ex ſe habet, quòd talis ſit, puta ubicatio habet ex ſe quod ſit in loco.

Quintò arguunt alii. Prima ſubſtantia per ſe generatur, & per ſe operatur, & per hoc diſtinguitur à ſecunda ſubſtantia, cui primò, & per ſe neutrum convenit; ergò hæc omnia conveniunt primæ ſubſtantiæ per illud, quod addit ſupra ſecundam; ſed hæc non conveniunt alicui formaliter per negationem; ergò prima ſubſtantia non addit aliquam negationem ſupra ſecundam ſubſtantiam. Probatur minor, negatio non generatur, quia non eſt ens, nec operatur, quia nihil eſt.

Reſpondeo omiſſo antecedenti, diſtinguo conſequens; ergo hæc omnia conveniunt primæ ſubſtantiæ per illud, quod addit ſupra ſecundam, & per illud, per quod eſt formaliter prima, nego, conveniunt illi per id, quod eſt ſubſtantia concedo

consequentiam. In prima substantia attendi debet id, vi cujus est substantia, & hoc est ejusdem substantiæ natura, ratione cujus per se generatur, & operatur. Debet etiam attendi id, per quod est fundamentaliter prima, & hoc est existentia, nam prima substantia non est, nisi substantia individua, rationem autem individui habet ab existentia, tamquam à ratione fundamentali. Existentia autem operativa non est, sed solùm est conditio, sine qua res non operatur.

Ultimò arguunt. De singulari per se primò prædicatur suum superius, cujus est singulare, sed de aliquo ente accepto sub negatione non prædicatur per se aliquod superius; ergo singulare non dicit ens, sub negatione. Explicatur major de Petro verbi gratia, per se primò prædicatur homo. Ostenditur itaque minor: de ente accepto sub negatione non prædicatur per se aliquod superius ratione totius subjecti, quia totum subjectum, nempe Petrus verbi gratia non est unum per se, cùm includat negationem, non ratione partis, quia tunc non esset prædicatio superioris de inferiori, sed ejusdem de se; ergò nullo modo prædicatur.

Respondeo concessa majori, negando minorem, ad ejus probationem dico, quod de ente accepto sub negatione prædicatur illud superius, ratione totius subjecti. Totum autem subjectum, videlicet Petrus cum ista negatione, adhuc est unum per se quia hæc negatio non advenit essentiæ existenti, quod requiritur ad constituendum ens per accidens, sed ipsam essentiam existentem concomitatur; Immò ad constituendum ens per accidens requiruntur entia diversorum generum. Hic autem res non sic se habet, nam Petrus sub ista negatione divisionis, & identitatis est unum ens, adeoque est unum per se. Huic solutioni addit Henricus Burgus, quod etiam si daremus prædicari ratione partis, nullum esset inconveniens, quia nullatenus sequeretur idem prædicari de se ipso, quia hoc quod est prædicari est aliquid rationis; ut autem idem non prædicetur de se ipso. Sufficit quod inter subjectum & prædicatum detur aliqua differentia rationis, quæ saltem adest inter naturam communem, & individuationem.

Alia essent argumenta referenda, sed ea omittimus videnda aupud Henricum Antonium Burgum, & Magistrum Venturam.

# DISPUTATIO

## SEXTA.

De Antepraedicamentis, seu universalibus in significando.

### CAPUT UNICUM.

*In quo inquiritur, quid sint univoca, æquivoca, & analoga.*

Æquivoca dicuntur illa, quorũ nomen commune est, ratio verò substantiæ significata diversa. An per hanc definitionem definiantur æquivoca æquivocata, an æquivocantia, communior sententia propugnat priora definiri, ut videre est apud Thomistas, quorum ratio præcipua est, quia Philosophus dixit, quorum nomen commune est; non ergo ipsum æquivocum æquivocans, quod est nomen, sed ea, quæ significantur per nomen definivit, quæ sunt ipsa æquivocata. Antonius Casilius tamen ex Societate Jesu aliam tradens æquivocorum definitionem docuit æquivoca *illa esse, quæ significant plura, ut plura*; quam definitionem, ut sustineat tamquam legitimam, monet æquivoca ita significare plura, ut singulis pluribus conveniat idem nomen, ut patet in hoc nomine æquivoco *canis*, quod de singulis dici potest. Sed huic definitioni non adhæreo; non enim video validam rationem, cur communis definitio sit reprobanda, recipienda verò hæc altera, maximè cum significare plura, ut plura, ut de singulis affirmari possit, conveniat etiam analogis plura significantibus, de quibus nomen analogum prædicari potest.

Secundò advertendum est, æquivoca, secundò intentionaliter definiri, videlicet pro ut substant conceptui æquivoco, seu non definiuntur unica definitione secundùm suos conceptus objectivos, sic enim merentur definiri pluribus definitionibus, cum diversam naturam significent, sed solùm prout denominantur à secunda intentione æquivocationis.

Tertiò advertendum est; communiter duas tradi regulas pro æquivocis. Prima est, ut prius distinguantur, antequam definiantur, nam cùm definitio sit essentiæ explicatio, consequenter unius essentiæ unica erit definitio. Cum autem æquivoca sint plura, erunt etiam plures essentiæ, & consequenter plures definitiones. Secunda est terminum æquivocum fieri posse univocum per alia prædicata restringentia ipsius significationem, verbi gratia si dicatur: *Galli invadebant Arcem*, restringitur enim ad Populos Galliæ.

Æquivoca alia sunt à casu, & illa sunt, *quæ habent quidem nomen commune, sed absque ullo ordine, & connexione unius cum alio*, ut hoc nomen Gallus, quod impositum fuit Homini Gallo, & avi gallinaceo absque ulla habitudine, & connexione inter se. Æquivoca verò à consilio *illa sunt, quæ habent idem nomen propter connexionem, quæ est inter prototypum, & imaginem*. Ultimò tandem advertendum est, quod æquivocatio est solùm in voce, cum in mente non sit idem conceptus rerum diversarum.

Univoca verò sunt *illa, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem, vel ut alii loquuntur sunt illa, quæ significant plura, ut perfectè convenientia in ratione significata per nomen*, ut verbi gratia *Homo* respectu *Petri*, *Pauli*, qui perfectè conveniunt in humanitate significata per vocem Homo.

Loquendo autem de univocis primo sciendum est, quòd ista importaat conceptum objectivum unum ad differentiam æquivocorum, quæ non dicunt in ratione importata per vocem unam rationem communem, sed potius plures, & diversas naturas. Ultrà rationem hanc communem omnibus inferioribus, Suarez, & Paulus Voet Philosophiæ reformatæ Auctor in Ultrajectina Academia ejusdem Professor volunt ad perfectam univocationem ulterius exigi, quod ratio univoca æqualiter descendat ad inferiora, hoc est non perat descendere cum quodam ordine, prius videlicet in uno extremo, quàm in alio, quibus adhæret Mastrius docens ad perfectam univocationem requiri, quod ratio univoca descendat ad inferiora secundùm eundem modum essendi, eundem ordinem essentialem, & secundùm eundem gradum essentialem perfectionis ut infrà videbimus.

Univoca

Univoca alia sunt essentialia, alia accidentalia. Essentialia *sunt, quae rationem important essentialiter convenientem inferioribus*, ut Homo, Animal. Accidentalia verò, *quorum ratio significata accidentaliter convenit inferioribus*, ut verbi gratia album. Rationes participantes rationem significatam per nomen dicuntur univoca univocata, nomina vero univoca univocantia, quia uno nomine vocant inferiora.

Post brevem notitiam traditam de univocis accedunt tertiò, & ultimò Analoga, quæ communiter definiri solent illa esse, *quorum nomen commune est, & ratio importata per nomen est diversa cum habitudine, & convenientia inter illa, ut Sanum*, quod dicitur de Animali, medicina, pulsu. Analoga mediant inter univoca, & æquivoca.

Analoga alia sunt attributionis, *quae dicuntur de pluribus per ordinem ad unum, quod dicitur principale analogatum*, ut v. gr. *Sanum*, quod de medicina dicitur, pulsu, & animali; sed Animal dicitur principale analogatum, cætera verò minus principalia cum ordine ad principale analogatum. Alia verò sunt proportionalitatis, *quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ importata per illud nomen, est similis secundùm proportionem*, ut v. gr. *videre* respectu visionis corporeæ, & intellectualis: quia licet ratio specifica sit in utraque visione satis diversa, est tamen similis secundum proportionem: quia sicuti se habet visio ad potentiam visivam, ita intellectio ad intellectum.

Analogia proportionalitatis alia est propria, & est quando *ratio significata per analogum invenitur in utroque analogato formaliter*, ut verbi gratia *ens*, quod formaliter intrinsecè invenitur in substantia, & in accidente; alia est metaphorica, & impropria, *& est quando ratio significata invenitur formaliter in uno, & per translationem in alio, sicut risus*, qui formaliter est in homine, abusivè verò in prato. Tandem analogia alia est inæqualitatis, & illa est, quorum nomen est commune, & ratio secundùm illud est omninò eadem, inæqualitèr tamen participata. In hac re videri potest Cajetanus in opusculo *de Analogia cap. 1.* ex cujus doctrina egregiè loquuntur Complutenses, Ioannes à S. Thoma, & alii Thomistæ communiter. His positis.

Advertendum est ulterius præcipuam conditionem analogiæ proportionalitatis propriè in eo consistere, quòd ratio significata per nomen reperiatur intrinsecè in omnibus analogatis ad differentiam proportionalitatis metaphoricæ, quæ intrinsecè reperitur solùm in principali analogato, in aliis vero extrinsecè, & per ordinem ad aliud.

Advertendum est insuper, quòd in analogis analogia attributionis, & proportionalitatis impropriæ, analogum stat pro principali analogato, qood non evenit in analogis analogia proportionalitatis propriæ, cujus ratio ea est, quam assignant Patres Complutenses, quia analogum proportionalitatis propriæ, non magis significat unum analogatum, quàm aliud, sed utrumque æqualiter.

Ultimò tandem advertendum est, quod analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ causatur per dependentiam; secundaria enim analogata denominantur per habitudinem ad primum, à quo secundùm illud nomen omninò dependet. Analogia autem proportionalitatis propriæ non importat dependentiam; quia proportiones, quas dicit, sunt simpliciter æquales, ac proindè ab invicem independentes; hæc enim analoga de formali important solùm respectum ad proprium esse simile illi, quod substantia dicit ad suum.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum Ens reale respectu suorum inferiorum sit univocum, vel analogum?*

Non mediocris est difficultatis præsens controversia, in cujus decisione non univoca est omnium mens. Aliqui enim sustinent ens univocum esse respectu Dei, & Creaturæ, substantiæ, & accidentis. Ita Scotus *in 1. dist. 3. quaest. 1. & in 4. metaph. quaest. 1.* quem sequuntur omnes sui discipuli, quibus quamplurimi adhærent ex Societate Jesu. Aliqui verò affirmant esse analogum analogia inæqualitatis, ut Suarez; alii verò volunt analogum esse analogia proportionalitatis propriæ formaliter, virtualiter verò analogia proportionis, sic Joannes à Sancto Thoma *quaest. 14. art. 3.* in Logica, Complutenses *disp. 11. de divisione entis quaest. 5.* Arauxo *in 4. metaph. quaest. 3. art. 3.* Cavinus *tract. 4.* de prædicamentis *disp. 1t. quaest. 3. §. 1.* quibus tamen opponitur Cajetanus *cap. 2. de ente, & essentia quaest. 3. conclus. 2.* affirmans esse analogum sola analogia proportionalitatis propriæ, cui expressè contradicit Suarez in metaphysica *disp. 28. sect. 2.* docens esse analogum analogia attributionis, non verò proportionalitatis; sed quidquid sit de hoc, difficultas præcipua in præsenti est, utrum ratio entis sit univoca, vel analoga, quam difficultatem resolvo cum Divo Thoma *prima Parte quaest. 13. art. 5. & 1. contra gente cap. 32.* cujus verba videri possunt apud suos discipulos, & cum Henrico dicendo non esse univocum, ut manifestè asserit *in Summa art. 26. quaest. 2. num. 14.* ubi hæc lego. *Notandum circa hoc quod est alia ratio entis, & intentio ejus, scilicet quod est commune analogum Creatori, & creaturæ, ejus, quod est proprium creaturæ, & analogum substantiæ, & accidenti. Ens enim analogum Creatoris, & Creaturæ est ens communissimè dictum, & sub intentione simplicissima sine omni additione accepta*, & infra: *Ens analogum substantiæ, & accidenti non est communissimè dictum, & simplicissimum, sed est ens sub determinatione, idest ens, quod est aliquod participans esse, quod dividitur in substantiam, & accidens per esse in subjecto, & non esse in subjecto*. Per quæ verba plura insinuat Doctor, & primò ens merè analogicè se habere ad Creatorem, & Creaturam, substantiam, & accidens; Secundò diversimodè analogicè dici de Deo, & Creatura, ac de substantia, & accidenti, cum respectu Dei, & Creaturæ sit analogia imitationis, respectu verò substantiæ, & accidentis attributionis. Huic Divi Thomæ, Henrici sententiæ adhærent omnes Auctores superius relati, quibus accedunt Vasquez *prima parte disp. 22. cap. 5.* Hurtado *disp. 9. sect. 4.* Conimbricenses, & ex nostris Henricus Antonius Burgus *Paradoxo 8.* Laurentius Opima, cum quibus sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Ratio entis non est univoca respectu Dei, & Creaturæ, substantiæ, & accidentis.*

Non desunt Auctores, qui Conclusionem hanc Aristotelicam esse affirment, & hoc se colligere existimant *ex 4 metaph. cap. 2.* sed quidquid sit de Aristotelis mente in hac re, sub hoc capite ostendo rationem entis univocam non esse respectu Dei, & Creaturæ, ostensurus capite sequenti hoc idem respectu substantiæ, & accidentis; & quidem

q...m prima ratio sit illa Henrici, qua quamvis non utantur Thomistæ, plausibilis tamen est, & efficax, quæ sic proponitur. Creaturam esse ens nominaliter, formalissimè est ipsam habere essentiam, non qualemcumque, sed natam existere; sed in hoc conceptu nun univocatur Creatura cum Deo; ergo in conceptu entis non univocantur Deus, & Creatura. Consequentia est legitima. Major continet terminorum explicationem. Minor probatur. Creaturam habere essentiam natam existere, est formalissimè ipsam habere essentiam exemplatam in Deo; sed in hoc conceptu non univocatur Creatura cum Deo; ergo. Minor est certa. Esset enim imaginari essentiam Dei exemplaram, cùm ipsa sit prima omnium forma exemplaris, & imitabilis ab omni Creatura. Major autem probatur; per hoc formaliter essentia Creaturæ est essentia quædam realis, & nata existere in rerum natura, per quod primò, & per se distinguitur à puro nihilo secundùm essentiam, sed id per quod primò, & per se essentia Creaturæ distinguitur à puro nihilo secundùm essentiam, non est nisi ratio exemplati, seu participationis per imitationem ipsius esse divini secundùm quod esse divinum est prima forma exemplaris omnium Creaturarum; ergo. Major est indubitata ex regula universalissima, quod rei constitutivum convertitur cum ejusdem distinctivo. Minor verò probatur; nam eatenus purum nihilum secundùm essentiam purum nihilum est, & ad existendum minimè aptum, quatenus caret in Deo forma exemplari, juxta quam natum sit fieri; hac enim sola ratione exemplati addita nihilo, jam non nihilum; sed quid reale aptum existere; sed id, per quod exemplatum primò, & per se distinguitur à carente forma exemplati, est ratio ipsa exemplati; ergo id per quod essentia creaturæ primò & per se distinguitur à puro nihilo, est ratio ipsa exemplati, seu participationis per imitationem ipsius esse divini.

Quod si respondeas per esse exemplatum Creaturam constitui in ratione talis entis, non verò in ratione entis simpliciter, quia sic constituitur per rationem perfectè abstrahentem; adhuc contra est; siquidem creatura quidquid essentialiter est, illud est formaliter per participationem, & imitationem primi entis, ita ut illud consistat formaliter in quadam primi entis participatione; atqui creatura essentialiter est ens simpliciter; ergo illud est formaliter per participationem, & primi entis imitationem. Probatur Si creatura aliquid esset non per participationem, & primi entis imitationem, hoc ipso non esset pura participatio, & imitatio Dei quoad totam suam essentiam, sed esset formaliter non participatio, & imitatio Dei quoad illa omnia prædicata, quæ secundùm adversarios abstrahunt à creato, & increato; & sic non solùm esset ens simpliciter non per participationem Dei formaliter, sed esset substantia, vivens, spiritus, intellectiva, & volitiva formaliter non per participationem divinæ essentiæ ut imitabilis in illis rationibus; sed per participationem alicujus abstrahentis à creato, & increato; sed hoc est alienum à conceptu creaturæ, cùm hæc quoad totam suam essentiam adæquatissimè acceptam sit pura Dei participatio, & imitatio, cujus participatione est ens quidquid est ens, est bonum quidquid est bonum, est magnum quidquid est magnum; ergo.

Secundò Creatura non minus pendet à Deo tanquam à causa exemplari quoad suam essentiam, quàm pendeat à Deo tanquam à causa efficienti quoad suam existentiam; sed ipsa pendet à Deo tanquam à causa efficienti quoad suam totam existentiam; ergo pariter pendet à Deo tanquam à causa exemplari quoad totam suam essentiam; sed hoc ipso pendet à Deo tanquam à causa exemplari, etiam quoad rationem entis simpliciter; ergo creatura pendet à Deo tanquam à causa exemplari, etiam in ratione entis simpliciter; sed hoc est creaturam esse exemplatam etiam in ratione entis simpliciter; ergo.

Secundò probatur quod ens ex parte Dei non univocetur cum illo, quòd est in creatura. Forma entis in Deo non est, nisi ipsum esse purum, totam in se plenitudinem essendi continens; sed in hac forma Deus non univocatur cum creatura, ergò. Minor patet. Probatur maior, quià forma entis non est nisi essentia; cùm ens nominaliter idem sit, ac id, quod habet essentiam, sed essentia Dei est esse purissimum, ut plausibilis propugnat sententia; ergò.

Quod si dicas Deum per esse purissimum constitui quidem ens, sed tale, non verò ens simpliciter. Contra est primò, quia implicat omninò, quòd Deus essentialiter constituatur per ipsum esse purum totam in se continens plenitudinem essendi, & ab ipso non habeat formaliter quidquid in ipso continetur; sed in ipso esse purissimo, hoc ipso quòd continet totam plenitudinem essendi, continetur etiam omnis ratio essendi, & consequenter ratio entis simpliciter; ergò hanc rationem entis simpliciter habet Deus formaliter à suo esse purissimo, & non ab aliqua entitate abstrahente à creato, & increato. Secundò sequeretur, quòd solum illa entitas dans esse Deo, & Creaturæ esset vera entitas, & non ipsa essentia Dei. Patet hoc, siquidem illa est vera entitas, qua non solùm est ens hoc, & illud in particulari, sed qua est ens quidquid est ens; sed si Deus, & creatura essent ens per entitatem abstrahentem à creato, & increato, iam illa entitas talis esset, ut esset ens quidquid est ens, ergo illa sola esset vera entitas, & non ipsum esse purissimum. Maior est Augustini 5 de Trinitate cap. 10. ubi hæc habet: *sed illa est vera magnitudo, qua non solùm est magna domus, quæ magna est, & qua magnus est mons quisquis magnus est; sed etiam qua magnum est quidquid aliud magnum est.*

Hæ sunt rationes in schola Henrici communissimæ relatæ ab Illustrissimo Lodigerio *Tomo primo*, quas proponere sub forma clariori, & urgentiori non aderat animus, nec hoc mirum esse debet Lectori, cum mirum non sit duas rationes in cursu philosophico, domestici auctoris de verbo ad verbum me retulisse.

Thomistæ verò alia via procedentes, ut Conclusionem ostendant, ipsam probant primò ex capite transcendentiæ Dicunt enim, ens transcendere omnes differentias, cùm istæ formaliter sint ens. Ubi autem est transcendentia, nequit esse univocatio, sed esse debet analogia; & ratio ipsorum est, quià hoc ipso, quòd ratio est transcendens, fit, quòd non sit omninò eadem, sed simpliciter diversa in inferioribus, quia quod transcendit inferiora est ipsorum implicita inclusio, aliàs non transcenderet; sed inferiora simpliciter differunt per proprias differentias; ergò etiam habebunt differre in communi ratione entis, cùm talis ratio pertineat ad essentialem istorum conceptum.

Secundò aliqui Thomistæ demonstrant veritatem expositam ex capite dependentiæ saltem illi,

qui

qui enti tribuere solent analogiam attributionis. Affirmant enim isti, quod quoties una ratio est intrinseca omnibus cum dependentia ab uno, tunc habetur analogia attributionis; hoc enim ipso, quod ratio intrinseca pluribus, in uno sit dependenter, in alio independenter, iam in illis est diversitas essendi eiusdem rationis, & consequenter formalis attributio; quod totum colligunt ex Divo Thoma *prima Parte quæst. 4. art. 5. ad 3.* ilis verbis *hanc analogiam consistere in eo, quod plura ab uno dependeant in participanda aliqua ratione communi, & opusc: 42. cap. 1.* loquendo de transcendentia hæc habet *ex transcendentia infertur comparatio ad sua inferiora, ut prædicatum analogum, & non tanquam genus.*

Sed quidquid sit de his rationibus precipuè de prima procedente ex transcendentia, quæ suas patitur difficultates, cùm plures rationes transcendentes sint, quæ nihilominus analogæ non sunt, uti rationes omnes veri, boni, & intelligibilis.

Probatur secundo Conclusio ratione desumpta ex diuo Thoma. Effectus non adæquans virtutem causæ non potest univocè convenire cum ipsa, sed creatura est effectus Dei non adæquans ipsius virtutem; ergò non poterit univocè convenire cum ipsa. Probatur maior. Effectus non adæquans uirtutem causæ non participat eius prefectam similitudininem secundùm eandem rationem, sed solùm imperfectè; sed effectus non dicens perfectam similitudinem cum sua causa in aliqua ratione nequit cum ipsa univocari; ergò.

Dices quod estò Creatura non adæquet perfectionem suæ causæ in ratione talis entis, hoc est pro ut Creatura, tamen in ratione entis simpliciter adæquat virtutem suæ causæ, eum ratio entis simpliciter perfectè participetur etiam à creatura. Sed.

Contrà est; siquidem effectus nequit univocè convenire cum causa in ea ratione, in qua non adæquat perfectionem causæ, sed creaturæ non adæquant perfectionem causæ primæ, non solùm secundùm gradus particulares, sed etiam in ratione universalissima entis, cùm creatura sit umbra entis relatè ad ipsam; ergò nec in ratione entis simpliciter univocari poterit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Ens non est univocum respectu substantiæ, & accidentis.*

QVibus communis est prima Conclusio, communis quoquè est hæc secunda, quæ efficaciter probari potest eàdem penitus ratione, qua superiorem firmavimus, sed ne actum agere videar, placet ulteriori hac ratione ipsam suadere. Ratio, quæ prædicatur de uno solum in ordine ad aliud, quod per se, & independenter ab alio participat illam rationem non est univoca; sed ratio entis prædicatur de accidentibus solùm in ordine ad substantiam, de qua deindè predicatur independenter ab alio respectu; ergo. Major est certa, & constare potest ex superius dictis. Minor autem primò probatur, quia esse accidentis est formalissimè esse in substantia, qua propter definiri solet entis ens. Secundò quia ratio entis nō est prædicabilis nisi eo modo, quo convenit accidenti; sed accidenti convenit per ordinem ad substantiam; ergò ratio entis prædicatur de accidente per ordinem ad substantiam. Tertiò ideo ratio *sani* non potest prædicari de medicina nisi per ordinem ad animal, quià medicinam esse sanam est formalissimè eam esse causam sanitatis, sed esse accidentis est formalissimè esse in substantia, & propter substantiam; ergò.

Quod si dicas disparitatem esse inter sanitaiem, quæ est in medicina, & illam, quæ est in animali, ac inter substantiam, & accidens, quià medicina non habet intrinsecè saniratem, accidens verò intrinsecè habet rationem entis, contrà est, siquidem hoc solum probat, quòd accidens non possit esse analogum analogia impropria, & metaphorica consistente in hoc, quòd forma sit intrinseca uni & extrinseca aliis, benè tamen analogia propria importante rationem analogam intrinsecam in omnibus inferioribus.

## CAPUT TERTIUM.

*Audiuntur Doctissimi Aduersariis.*

PRimò objiciunt Aduersarii, vel objicere possunt ex Henrico pluribus in locis, in quibus defendere videtur entis univocationem; & primò *in summa quæst. 3. art. 24.* illis verbis. *& sicuti in præcognitione quid est, cognoscitur simpliciter, quid dicitur per nomen, non determinando esse, vel non esse sic in cognitione de re, si est incomplexum cognoscitur simpliciter esse de re intellecta, si est, non determinando circà ipsam an sit hoc, & illud, Creator, vel Creatura, substantia, aut accidens, & hoc est comprehendere esse de re sub illa raoione, qua ens est subiectum metaphysicè, cui quodam modo accidunt substantia, aut accidens, sicuti inferiora accidunt superioribus, & universaliter dicitur illud accidens rei, quod est ei aduenicus extrà suam propriam intentionem, & definitionem,* & infrà ex Avicena habet: *ipsa cum substantia ex hoc, quòd est ens, nec est substantia, nec substantia aliqua,* & infra. *Omnis res, & natura aliqua substantia scilicet vel accidens, tenet in se entis determinationem, ut sit illi certitudo aliqua, & intentio præter certitudinem, quæ est intentio essendi.* Ex his autem multipliciter argui potest, sed præcipue primò. Pari modo cognoscuntur differentiæ, dum ens reale cognoscitur, quo cognoscitur rem creatam existere, vel non existere, dum cognoscitur eius quidditas, atqui dum hæc cognoscitur, ita cognoscitur, ut nullatenus, intellectus attingat existentiam; ergò etiam dum ens reale cognoscitur nullatenus cognoscuntur differentiæ. Maior est certa ex Henrici verbis conferentis ens relatè ad sua inferiora, cum quidditate rei in ordine ad eiusdem existentiam. Minor quoquè patet ex superius dictis, ubi de distinctiontbus.

Secundò, quia taliter advenlunt enti rationes substantiæ, sicuti inferiora accidunt superioribus, & inferiora taliter adueniunt superioribus, ut superiora ab ipsis perfectè præscindant, ut patet in differentiis individualibus comparativè ad naturam specificam; ergò etiam loquendo de ratione entis.

Tertio si ens reale, qua tale substantiam includeret implicitè, substantia qua ens esset substantia. Patet hoc, quia ens includit substantiam; ergò si substantia includit rationem entis, includit id, quod importat ratio entis realis; sed substantia, qua ens nequè est substantia, neque talis substantia; ergò ratio entis realis non includit rationem substantiæ, & consequenter nec etiam alia inferiora

Quartò taliter differentiæ entis determinant ens, ut sint certitudo aliqua, & intentio præter certitu-

V dinem,

dinem, & intentionem entis, sed hoc ipso ratio entis non includit formaliter differentias; ergò. Probatur minor. Ubi sunt diversæ intentiones, ibi est distinctio media, cum hæc ab Henrico explicetur per nomen intentionis; sed ubi est distinctio forma lis ex natura rei, ibi ratio superior non includit rationem inferiorem; ergo.

Confirmatur pariter ex alia doctrina, quam tradit Henricus *art.* 24 *quæst.* 7. *in summa* illis verbis: *Sicuti à substantia abstrahitur ens simpliciter commune ad substantiam, & accidens, non discernendo sub eo id quod est substantiæ ab eo, quod est accidentis;* ex quibus denuò sic argui potest: non stat quod detur ratio entis abstracta à suis differentiis, & quod ipsa ratio non sit univoca. Patet hoc, quia præscinderet à rationibus diversificantibus, sed teste Henrico præscindit, & abstrahit ratio entis à differentiis; ergo.

Respondeo ad omnia brevissimè, & quidem ad primum dico Henrici verba ad rem non facere; nam ibi sermo est non de ente, & suis differentiis, sed de essentia, & existentia creata, de quibus loquendo asserit, quod in præcognitione quid est de re non cognoscitur ipsam rem existere, vel non existere, sicuti ex vi cognitionis existentiæ rei, non cognoscitur quid res sit. Quod si dicas ibi ulterius sermonem esse de ratione entis, cum affirmet enti accidere esse substantiam, & accidens, sicuti inferiora accidunt superioribus, dico hoc verum esse, sed in hoc sensu, quòd inferiora adveniant rationi entis tamquam rationi superiori analogicæ, non verò univocæ, quod idem est ac dicere, quod adveniant, sicuti advenire solent inferiora alicui rationi superiori, quæ analoga sit. Per quod patet ad secundum.

Ad tertium dico Henricum velle solùm, quòd ens reale in tota illa latitudine, quam importare potest, non dicat inferiora determinatè, & explicitè, unde asserit ens reale, qua reale non esse determinatè, & explicitè, substantiam, in quo Doctor non opponitur nostræ sententiæ, cum etiam nos affirmemus ens reale differentias dicere solum implicitè, & indeterminatè, non verò explicitè, & determinatè.

Ad quartum censeo Henricum loqui de rei essentia comparative ad existentiam, affirmando existentiam esse aliquid præter intentionem essentiæ rei, in quo nil contrà nos, ut videbimus, ubi de essentia, & existentia.

Ad confirmationem dico Henrici verba explicari debere de abstractione imperfecta, quæ certè non importat perfectam præcisionem à differentiis, cùm illas involuat indeterminatè, & confusè; & propter hoc, ait Doctor: in ratione entis simpliciter non discerni id, quod est substantia ab eo, quod est accidens, quia utrumque immediatè importatur indeterminatè, & confusè, idest sub disjunctione; unde ens simpliciter est tantùm commune substantiæ, & accidenti communitate indeterminationis, non præcisionis perfectæ. Per quod patet ad formam.

Secundò arguunt. Non stat ens reale habere naturam univocationis, & non esse univocum, sed naturam habet univocationis; ergo est univocum. Probatur minor. Ex ipsa univocorum definitione; nam univoca sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio importata per nomen est una unitate rationis communis; sed ens reale importat hanc unitatem rationis, seu unum conceptum formalem, & objectivum perfectè præcisum à suis inferioribus; ergo habet naturam univocationis.

Hoc argumentum enervat Doctor art. 26. *quæst.* 2. *num.* 15. advertens multiplici modo aliqua inter se sortiri posse unitatem. Primò per hoc, quod radicentur in unico subjecto, ut albedo, & dulcedo in eodem lacte, in quo radicantur; & hæc dicitur unitas radicis. Secundò aliqua sortiri possunt inter se unitatem specificam, & tunc est, quando continentur sub unica specie atoma, ut sunt individua ejusdem speciei. Alia sortiuntur unitatem genericam, ut Homo, & Equus in ratione animalis; alia dicuntur sortiri unitatem analogiæ attributionis, ut substantia, & accidens, alia verò unitatem analogiæ imitationis, ut Creator, & Creatura, quatenus hæc omne esse quod habet, illud habet ex imitatione, & participatione divini esse, ut constare potest ex his verbis, *habet itaque Creator aliquam unitatem, sed illa non est participatione alicujus naturæ communis, sed analogia imitationis tantùm, & hæc est unitas minima.* En ergo quam unitatem dicit ens; undè patet in forma quid dicendum est ad argumentum: Secundò occurrere possum argumento negando majorem probantem prioris sylogismi minorem, siquidem ad perfectam univocationem authumant aliqui non sufficere unitatem rationis communis, sed ulterius exigi, quòd ratio una ad sua inferiora descendat absque ullo ordine, vel habitudine unius ad aliud, quo ordine certè non descendit ratio entis realis, ut omnibus perspectum est. Sed

Dices contra hanc ultimam solutionem. In definitione univocorum nulla sit mentio æqualitatis in descensu rationis univocæ, sed solùm unitatis rationis; ergo si datur in ente hæc unitas rationis, ut concedit Suarez, amplius negari non poterit univocatio. Secundò, quia prædicatum vitalitatis univocè prædicatur de actu, & potentia vitali, quamvis vitalitas, quæ actibus inest essentialiter dependeat à potentia vitali, ita ut vitalitas primò, & per se conveniat potentiis, postea actibus, quibus non nisi dependenter, & in ordine ad potentiam convenit; ergo à pari quamvis ratio entis non conveniat Creaturæ, nisi per ordinem ad Deum, nihilominus in tali ratione poterit Creatura univocari cum Deo, & viceversa. Tertio tandem natura generica, ut est natura animalis est ratio univoca respectu plurium specierum diversarum, & tamen petit contrahi per differentias inæquales in perfectione essentiali, sed hoc non obstante est ratio univoca; ergo à pari non obstante, quod ratio entis inæqualiter descendat ad inferiora, erit univoca.

Respondeo ad omnia, & in primis ad primum dico, quòd quamvis explicitè non fiat mentio in Aristotelica definitione de æqualitate descensus ad inferiora rationis univocæ, fit tamen implicitè, dum dicitur, quòd *ratio importata per nomen debeat omninò esse eadem in inferioribus.* Quomodo autem esset omninò eadem in inferioribus, si in uno esset essentialiter dependens, in alio essentialiter independens. Ad secundum dico naturam genericam esse univocam, quia quamvis contrahatur per differentias inæquales in perfectione essentiali, non tamen ità contrahitur, ut petat contrahi prius per unicam differentiam, postea per alias, ità ut verificari possit, quod alicui inferiori conveniat intrinsecè animalitas per habitudinem ad aliud. Quòd totum tamen verificatur de ratione entis, quæ per prius, & posterius descendit, idest cum determinato ordine.

Ad tertium disparitas est, quia vitalitas secundum se abstrahit à dependentia, vel independentia,

cum

cum quibus conjungitur, dum est in potentia, & ejus actibus, unde cum abstrahat, optimè poterit esse ratio univoca quià abstrahit à differentiis diversificantibus vitalitatem potentiarum, à vitalitate actuum, at verò ratio entis non abstrahit à tali ordine descendendi ad inferiora, cùm non abstrahat à suis differentiis, quæ sunt entis constitutivæ, & non purè contractivæ.

Objiciunt tertiò. Existentia substantiæ, ratio personæ, sunt rationes univocæ respectu Dei, & Creaturæ, sicuti rationes volitivi, & intellectivi; ergo à pari etiam ratio entis erit univoca respectu Dei, & Creaturæ.

Respondeo ad omnia, & ad primum nego, quod existentia sit communis univocè respectu Dei, & Creaturæ, cujus ratio præcipua illa est, quam insinuat Doctor, quod existentia in Deo est prædicatum, in quo consistit essentia Dei, adeoque radicans omnes perfectiones spectantes tum ad lineam essentiæ, tum ad lineam operativi, tum etiam quia existentia Dei est existentia à se per exclusionem cujuscumque causæ, á qua habeat existere. Tum quia ipsa existentia in Deo nullatenus facit compositionem cum ipsa essentia, cùm nihil faciat compositionem cum se ipso; in Creaturis verò facit compositionem cum ipsa essentia, quam supponit, & consequenter quam non constituit.

Ad secundum dico, quod ratio personæ non est univoca respectu Dei, & Creaturæ ex duplici Doctoris efficacissima ratione, quarum prima est, quia una persona in divinis negatur de altera ratione personæ, non ratione naturæ, quia hæc est communis tribus personis. In Creaturis verò una persona removetur, & negatur de altera ratione naturæ, & ratione personalitatis. Secunda ratio est, quia persona in divinis non consistit in negativo; at in creatis consistit in negatione unionis cum alia substantia absoluta; inter positivum autem, & negativum dari nequit univocatio in ea ratione, in qua unũ est positivum negativum aliud.

Ad tertium dico gradus volitivi, & intellectivi secundùm se præscindere à differentiis finiti, & infiniti, adeoque nil mirum si importare possunt univocationem respectu suorum inferiorum, quam præcisionem non dicit ratio entis à suis differentiis, & hoc quia hæ sunt differentiæ constitutivæ, vel aliter etiam dici posset tales gradus non esse univocos respectu Dei, & creaturæ, cum gradus intellectivi Deo sit essentialiter infinitus in linea intellectiva, in Creatura verò finitus, & limitatus, & per participationem intellectus divini.

Objiciunt quartò alii. Si ens analogum respectu Dei, & Creaturæ maximè ob dependentiam, quam importat creatura à Deo, cùm totum esse, quod habet, habeat dependenter à Deo; sed hæc ratio non tollit univocationem; ergo. Probatur Minor Tunc dependentia, quam importat creatura, non tolleret univocationem, quando talis dependentia importaretur secundùm conceptum particularissimum, non verò generalissimum, sed de facto dependentia hæc importatur solùm secundum conceptum particularissimum, non verò generalissimum; ergo. Probatur Minor, nam Creatura importat solum dependentiam, qua est ens ab alio, non verò quatenus importat capacitatem ad existendum; sed primus conceptus est conceptus particularissimus Creaturæ, secundus generalissimus; ergo Creatura importat dependentiam secundum particularissimum, non verò generalissimum conceptum.

Confirmatur actus divisivus, quamvis dependeat à compositivo, tamen univocatur cum compositivo in ratione actus; ergo quamvis Creatura, & accidens dependeant à Deo, & à substantia, adhuc univocabuntur in ratione entis. Probatur Consequentia. Ideò primum, quia actus divisivus eo importet dependentiam, qua divisivus, tamen qua actus est, hanc dependentiam non dicit; sed etiam Creatura, & accidens eo quo Creatura est, & qua accidens dicant talem dependentiam non dicunt tamen qua ens, ergo.

Confirmatur secundò. Species impressa substantiæ in ratione repræsentativi univocatur cum ipsa substantia, quamis univocari non possit in ratione entitatis; ergo à pari quamvis accidens in ratione accidentis univocari non possit, poterit tamen univocari in ratione entis. Patet hæc Consequentia multipliciter, sed præcipuè, quia ideò accidens in ratione repræsentativi substantiæ univocari potest cum substantia, quia in ratione repræsentativi perfectè convenit cum ipsa substantia, atqui etiam accidens in ratione præcisa entis realis perfectè convenit cum substantia, cùm hæc, & illud non repugnent existere physicè ex sua ratione formali; ergo.

Respondeo transmissa majori, negando minorem, ad probationem nego suppositum Majoris; supponitur enim, quod detur conceptus generalissimus entis, quòd falsum est, cùm ens non habeat suum conceptum formaliter præcisum à suis differentiis, cujus ratio præcipua est, quia tales differentiæ sunt constitutivæ entis ita ut Deus, & Creaturæ in ratione entis realis constituantur per esse purissimum, & participatum, & quidem in ratione entis simpliciter, ut supra ostensum est; hoc autem ipso, quod tales differentiæ sunt entis constitutivæ, jam non erit reperibilis conceptus entis generalissimus.

Ad primam confirmationem disparitas est, quia ratio divisivi, & compositivi sunt solùm differentiæ contractivæ actus intellectus, quamvis sint constitutivæ talium actum, vel ut divisivi sunt, vel ut compositivi; adeoque ratio actus potest præscindere à divisivo, & compositivo; & consequenter à principiis diversificantibus; at verò differentiæ entis sunt differentiæ constitutivæ, nedum in ratione talis entis, verum etiam in ratione entis ut sic, & consequenter semper sunt principia diversificantia ens sive in particulari, sive in tota latitudine, quam habere potest ens.

Ad id verò, quod in argumento principali affertur, jam dixi dependentiam venire in entis conceptu, quatenus ens dicit capacitatem ad existendum, seu non repugnantiam. Ratio est, quia hæc non repugnantia nil aliud est, quàm prædicata essentialia ipsius rei, sed dependentia Creaturæ à Deo est essentialis creaturæ; ergo etiam hæc non repugnantia hanc dependentiam implicitè importabit.

Ad secundam confirmationem disparitas est, quia ratio repræsentativi in specie impressa non attenditur penes inhærentiam, sed ab ipsa præscindit, unde nil mirum, quod in ratione repræsentativi univocetur cum substantia; at verò in accidente etiam in ratione entis constituitur per sui differentiam, ut ex superius dictis colligi potest.

Obiiciunt quintò. Nulla analogia seclusa analogia per metaphoram est impossibilis cum univocatione; ergo quamvis ratio entis analoga sit, poterit adhuc esse univoca. Probatur Antecedens inductione, primò analogia attributionis, pro ut

hæc

hæc importat formam intrinsecam omnibus analogatis, quæ est propria entis, non tollit univocationem, nam hæc denominantur analoga ab una forma intrinsecè existente in singulis analogatis, undè ab hac analogia attributionis sic explicata est abstrahibilis iste communis conceptus cum unitate requisita ad univocationem; neque si ens ponatur analogum analogia transcendentiæ tollitur entis univocatio, primò quia transcendentia non impedit, quin ratio entis in statu præcisionis sit una; ergo non impedit univocationem. Probatur consequentia, quia ad univocationem sufficit unitas rationis. Secundò, quia ex vi talis transcendentiæ ens solùm includitur in differentiis; non é contra differentiæ in conceptu præciso entis; neque si ens ponatur analogum analogia inæqualitatis tollitur univocatio; nam vel ista inæqualitas est extrinseca rationi communi entis, sic non tollit univocationem, quia si est extrinseca, non refundit diversitatem in ipsa ratione communi; si verò inæqualitas sit intrinseca, nec pariter destruitur univocatio, quia non destruitur unitas conceptus ipsius entis; rum etiam quia non affert diversitatem conceptui entis in statu præcisionis, quæ univocationem excludat, quia per unam, & eamdem formalitatem potest inæqualiter respicere plura inferiora, sicut materia per eamdem protsus potentiam appetit inæqualiter formas, & tota diversitas in illo provenit ex differentiis contrahentibus, non in ipsa ratione superiori, quæ est præcisè, & perfectè una.

Hoc suo argumento Mastrius cogit respondere omnes illos, qui stant pro entis analogia; pro viribus ego respondeo pro omnibus, & in primis in illorum sententia, qui sustinent ens esse analogum analogia attributionis, dico falsum esse, quod hæc analogia sit compatibilis cum univocatione; & ratio est, quia quamvis dicantur inferiora sic analoga per formam omnibus intrinsecam, ut est forma entis, tamen quia hæc inferiora intrinsecè denominantur ens non per unicam formam, sed per plures, profectò univocari non poterunt in ratione entis. Secundò respondeo in illorum sententia, qui propugnant analogiam inæqualitatis dicendo hanc tollere univocationem, quia natura univoca nedum debet perfectè præscindere à differentiis diversificantibus, verum etiam debet æqualiter descendere ad inferiora, seu non debet exigere prius, & per se contrahi ad unum, quàm ad aliud, ut patet in ipsa animalitate, quæ non exigit prius contrahi per rationalitatem, quàm per irrationalitatem. Et urget exemplum de materia, quia hæc æqualiter appetit omnes formas, ut dicam suo loco. Ad ultimum verò de analogia transcendentiæ dico, hanc optime impedire conceptum perfectè præcisum à suis inferioribus, quia hoc ipso, quòd ratio entis transcendens est, imbibitur in ultimis differentiis; Ratio autem, quæ imbibitur in differentiis, nequit esse simpliciter una, ut optimé advertunt Complutenses.

Arguunt sextò Anima Christi esto sit perfectior anima Judæ, tamen adhuc univocè convenit cum Anima Judæ in ratione Animæ; ergo esto ratio entis in Deo perfectior sit quàm in Creatura, adhuc univocè poterit convenire cum ipsa in eadē ratione.

Respondeo disparitatem esse, quia Anima Christi non est magis perfecta anima Judæ entitativè, seu secundùm naturam; sed est magis perfecta accidentaliter, perfectione videlicet superaddita, idest quoad dona, gratias, & præmia; inæqualitas autem extrinseca non tollit univocationem, cùm non sit intrinseca, & essentialis rationi communi; sed desumatur à formis extrinsecis; at in casu inæqualitas esset intrinseca, cùm esset in ipsa ratione entis.

Obiicit septimò Mastrius inter univocū, & æquivocum, non taliter mediat analogum quasi sit purum analogum, quod neque univocum, neque æquivocum sit; ergo si ens est analogum, erit semper vel univocum, vel æquivocum, sed non est puræ æquivocum; ergo erit univocum analogum. Probat Antecedens. Inter importare unam, & eamdem rationem correspondentem uni nomini, & non importare eandem non datur medium, sed univocum importat unam, & eandem rationem correspondentem uni nomini, æquivocum verò non importat unam, & eandem rationem; ergo non datur analogum, quod sit verè medium non participans de uno, vel de altero.

Quòd in hoc argumento mihi displicet, illud est, quòd hic Auctor hanc celebrem controversiam reducat ad quæstionem de nomine, dum componit analogiam cum univocatione, atque affirmet non dari purum analogum, quod tamen pænitus falsum est, siquidem quæro ab ipso, an ratio sani sit purè analoga, an verò participet de univoca, & æquivoca? Profectò puræ analogicam esse fatentur omnes Scholæ, ut etiam affirmat Mastrius *dist. 8. quæst. 3.* docens unitatem analogiæ minorem esse unitate univocationis, sed majorem unitate æquivocationis, quod idem est ac dicere analogum propriè mediare inter æquivocum, & univocum, ita ut neque univocum, neque æquivocum sit. In forma itaquè nego Antecedens; ad probationem distinguo majorem, inter importare eamdem omninò rationem, & omnino diversam non datur medium, nego majorem, inter importare eamdem, & non importare eamdem non datur medium, concedo majorem, & pariter distincta minori, nego Consequentiam Distinctio ex se patet.

Obijcit ulterius Mastrius intendens ponere simul univocationem cum analogia attributionis, quod ut obtineat præsupponit multiplicem univocationis speciem. Prima species est, quando ratio communis correspondens nomini communi participatur ab inferioribus secundùm modum essendi, & secundùm eumdem ordinem essentialem, & tandem secundum eumdem gradum essentialem perfectionis, quo pacto species in sua individua dicitur descendere. Secunda quando ratio illa communis participatur secundùm eumdem modum essendi, & secundum eumdem ordinem essentialem, non tamen in eodem gradu perfectionis; sicuti animal in perfectiori gradu participatur ab homine ratione perfectionis differentiæ contrahentis, quàm ab Equo. Tertia quando ratio communis participatur secundùm eumdem modum essendi tantùm, non tamen secundùm eundem ordinem, seu secundùm eumdem gradum essentialem perfectionis, ut est numerus respectu suorum inferiorum; numerus enim habet eumdem modum essendi in inferioribus, quia omnes numeri sunt finiti; non habet tamen eundem ordinem, quia prius in binarium descendit, quam in ternarium; nec etiam habet eumdem gradum perfectionis, quia numerus terminatius est cæteris perfectior. Quarta, quando ratio illa communis participatur ab inferioribus cum diversitate modorum essendi, vel cum diversitate ordinis, & perfectionis essentialis, ut ens respectu Dei, & creaturæ; siquidem verè reperitur

tura

ratio entis in Deo, & creatura, sed diverso modo essendi, quia in Deo est infinita, & independens, in creatura verò finita est, & dependens, diverso etiam ordine, quia prius essentialiter reperitur in Deo, quàm in creatura, & diverso tandem gradu perfectionis, quia Deus est essentialiter perfectior creatura. Quo præsupposito sic discurrit Mastrius. Quòd ratio entis non descendat in Deo, & Creatura secundùm eumdem modum essendi, eundem ordinem, & eumdem gradum perfectionis, tollitur solùm univocatio perfecta, quæ sola exigit descensum rationis sic univocæ secundùm eumdem ordinem, & eumdem gradum perfectionis, ergo ratio entis erit univoca saltem univocatione imperfecta.

Respondeo omissa hac univocationis divisione in quatuor species, adhuc nil evincitur, siquidem ad quamlibet univocationē, si vera est univocatio, & nō impropria, aut metaphorica exigitur, quòd ratio, quæ dicitur univoca, sit entitativè eadem in inferioribus; modo ratio entis non est entitativè eadem in Deo, creatura, substantia, & accidentibus; cùm in Deo ratio entis constituatur entitativè per esse purissimum, & consequenter per diversam formam, ac constituitur in creatura pariter entitativè.

Arguunt ultimo Scotistæ. Ens importat unum conceptum formalem perfectè præcisum à suis differentiis; ergo habet omnia requisita ad univocationem. Probat. Antecedens multipliciter. Primò intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus, habet in se conceptum unum formalem præcisum, & distinctum à conceptibus duorum illorum, aliàs de eodem esset certus, & dubius; sed intellectus potest esse certus quòd aliquod sit ens, & dubitare an sit Deus, vel Creatura, substantia, vel accidens; ergò intellectus habet in se conceptum unum formalem entis præcisum.

Secundò quando intellectus noster ad prolationem alicujus vocis non distrahitur ad diversa, signum evidens est, quod ratio importata per illam vocem est una, & quod correspondet unus conceptus formalis, sed de facto audito nomine entis non distrahitur intellectus in plures conceptus, sed potius colligitur in unum conceptum; ergo de factò ens dicit unum conceptum præcisum à suis inferioribus. Probatur minor, quia ens ex vi suæ impositionis non significat immediatè aliqua plura, ut plura, sed rationem generalissimam, in qua illa plura conveniant; ergo audito nomine entis non distrahitur intellectus ad varios conceptus, neque ad plura cogitanda, ut plura, sed unum conceptum efformat exprimentem rationem generalissimam, in qua illa plura conveniant.

Tertiò quia conceptus formalis nil aliud est, quam pura objecti repræsentatio; sed ens habet diversum esse repræsentabile à suis inferioribus; ergo habet suum conceptum formalem diversum à conceptu suorum inferiorum. Probatur minor. In ente universalissimè accepto repræsentantur Deus, & Creatura, substantia, & accidens confusè, & indistinctè prout adinvicem conveniunt; sed per proprias differentias repræsentantur distinctè, & pro ut ab invicem differunt; ergo habent diversum esse repræsentabile.

Quartò. Tunc daretur conceptus unus formalis entis, quando intellectus virtute sua præcisiva attingeret rationem entis, in qua conveniunt, relictis differentiis, in quibus inferiora disconveniunt, sed de factò intellectus habet hanc virtutem præcisivam, qua scilicèt attingere potest in rebus formalitatem, qua res conveniunt non attacta formalitate, qua differunt; ergo datur unus conceptus formalis entis. Major est certa; nam inferiora sortiri posse unum conceptum formalem entis, nil aliud est, quàm intellectum attingere rationem, in qua inferiora conveniunt.

Quintò. Si ratio entis ex natura rei distinguitur à differentiis, jam ab ipsis perfectè præscindit, atqui ex natura rei distinguitur, ergo. Probatur minor. Ratio illa perfectè ex natura rei est ab altera distincta, quæ quamuis in eodem sit cum altero identificata, reperitur tamen separata in diversis, sed de factò ratio entis, quæ verbi gratia in substantia reperitur identificata cum perseitate, in accidente repetitur ab ipso separata; in accidente enim est ratio entis, in quo non est ratio perseitatis, ergo.

Egregiè Illustrissimus Lodigerius ostendit præcipui argumenti exorbitantiam, quoad primam sui partem exemplo illo nominis Tullii, quod significat Hominem Oratorem, statuam, codicem, & cadaver; siquidem si aliquis tangat obscuro in loco, aut Hominem, aut codicem, aut statuam, profectò erit certus, quòd id, quod tangit Tullius est, quamvis dubitet an sit Cadauer, vel statua, vel codex; & tamen perfectè non præscindit, nec nomen Tullii est univocum respectu statuæ, codicis, & cadaveris, quare hoc? non nisi quia diuersa forma dicitur Tullius homo, ac dicatur codex. Cum autem hoc idem eveniat in casu nostro de ente per diversam formam constituto in suis inferioribus, hinc sequitur univocum non esse, nec importare posse conceptum perfectè præcisum à suis differentiis. In forma itaque prò omnibus distinguo majorem. Intellectus si ita est certus de uno conceptu, & nullo modò sit certus de aliis, habet in se conceptum formalem perfectè præcisum ab inferioribus, concedo majorem; intellectus si ita est certus de uno conceptu, ut aliquo modo sit etiam certus de aliis, nego majorem, & distinguo minorem. Intellectus potest esse certus de aliquo, quod sit ens, & dubitare an sit Deus, vel Creatura determinatè concedo minorem, indeterminatè, & disjunctivè nego minorem, & Consequentiam. Intellectus creatus semel certus, quòd alicui competat ratio entis realis, certus etiam est, quòd est vel Deus, vel Creatura, adeoque certus est de disjuncto, ita ut intellectus sic intra se loquatur: Si ens reale est, ergo vel Deus, vel Creatura; & si Creatura, vel substantia, vel accidens erit. Sed

Instabis primò denuò. Intellectus non potest esse certus de illis, de quibus est dubius; sed intellectus noster est dubius de inferioribus; ergò affirmati nequit illum conceptum entis, de quo est certus, esse disjunctum.

Instabis secundò; Quandò intellectus est certus, quòd aliquod sit ens reale, aliquid cogitat, de quo minime dubitat; sed hoc, quod cogitat de quo non dubitat nequit esse Deus, vel Creatura etiam disjunctivè sumpta, quia ex his oritur dubietas; ergo id, de quo intellectus est certus, erit ratio entis omnibus communis.

Instabis tertiò. Disjunctio non est objectum conceptus, qui certus dicitur, sed est ens objectum conceptus certi, ergo non est objectum conceptus dubii; nam dubitatur utrum motor Cœli verbi gratia sit Deus, vel Creatura, ergo alius est conceptus entis, alius inferiorum, ergo datur unus conceptus entis perfectè præscindens.

Instabis quartò. Ista certitudo, quòd aliquod sit ens præcedit omnem apprehensionem differentia-

 rum

rum dividentium ipsum ens, ergo praecedit certitudinem de toto disiuncto; ergo certitudo, quam intellectus habet, quòd aliquod sit ens, non est certitudo disiuncti. Probatur Antecedens, quia non importat in prima apprehensione, qua scitur hoc esse ens apprehendere, vel aseitatem, vel abaleitatem.

Respondeo ad omnes instantias, & incipiendo à prima dico intellectum esse dubium de inferioribus acceptis determinatè, non vero disiunctiuè, sic enim non est dubius, sed certus. Ad secundam distinguo minorem. Oritur dubietas ex particularibus rationibus determinatè sumptis, & affirmabilibus, concedo minorem, disiunctivè acceptis, nego minorem, & Consequentiam. Ad tertiam instantiam nego majorem videlicèt disiunctum non esse objectum conceptus certi.

Ad quartam distinguo Antecedens. Ista certitudo praecedit omnem apprehensionem differentiarum dividentium ens, si determinatè sumantur, concedo Antecedens, si indeterminatè, & disiunctivè, nego Antecedens. Distinctio clara est.

Ad secundam rationem principalis argumenti respondet noster Illustrissimus Lodigerius ex doctrina Henrici asserendo, quòd revera qui concipit ens per conceptum in quo non fit error, semper distrahitur ad plura concipiendo Deum, Creaturam, substantiam, & accidens.

Ad tertiam nego majorem prout affertur à Mastrio, nam unitas conceptus formalis, prout requiritur ad univocationem non habetur praecisè per puram objecti repraesentationem, sed ulterius requiritur, quòd sit repraesentatio objecti absque differentiis ipsum diversificantibus, quod non evenit in casu, ut superius dictum est. Secundò aliter respondeo distinguendo minorem. Ens habet diversum esse repraesentabile ab inferioribus, repraesentabilitate sufficiente ad fundandam univocationem in ipso ente, nego minorem, insufficiente, concedo minorem, & nego Consequentiam. Repraesentabilitas sufficiens ad hoc, ut ratio entis sit univoca, illa est, qua ens se praesentat intellectui, ut perfectè praecisum ab inferioribus. Hoc autem esse repraesentabile non habet ens reale, ut supra ostensum est, adeoquè non habet diversum esse repraesentabile, quod aptum sit fundare univocationem, cùm semper implicitè, & disiunctivè inferiora includat.

Et hic advertendum est ne contingat aequivocatio, quòd quando dicitur quòd in ratione entis realis confusè, & indistinctè veniunt inferiora, non ita intelligendum est eo modo venire inferiora, quo in natura humana abstracta verbi gratia veniunt individua, siquidem haec veniunt in confuso propter perfectam similitudinem, & praecisionem naturae ab individuis, adeoquè ille modus veniendi individua in confuso juvat potius, quàm deroget univocationi; at verò inferiora entis non sic veniunt in confuso in ipsa ratione, sed longè diverso modo, videlicèt quia ens implicitè, & indetermiatè differentias includit.

Ad quartam rationem do intellectum habere virtutem praescindendi rationem conveniendi à rationibus differendi, quandò tamen rationes differendi sunt solùm contractivae rationis communis, non verò constitutivae & essentiales, uti esse differentias entis relatè ad ens diximus superius.

Ad ultimam verò dico rationem entis, quae reperitur in accidente non esse illam eandem, quae reperitur in substantia, sed diversam, sicuti diversa est forma entis substantiae, ac accidentis, adeoquè nunquam ratio entis, quae est in substantia reperitur ab ipsa separata.

## QUAESTIO SECUNDA.

*Utrum ultimae differentiae sint formaliter ens.*

### CAPUT PRIMUM.

*Quibusdam praemissis ponitur contrà Scotum sententia affirmativa.*

Antequam difficultas dirimatur, explicandum prius est, quid ultimae differentiae nomine intelligatur; in cujus legitima explicatione dissidium est in schola subtilis. Aliqui enim sustinent ultimam differentiam illam esse, vi cujus res ultimò differt essentialiter ab alia re, in quo sensu sensitivitas, & singularitas non erunt ultimae differentiae hominis, sed erit pura rationalitas, cùm haec sola sit ratio, per quam Homo ultimò essentialiter differat ab omni non homine. Sensitivitas verò erit ultima differentia Hominis, non in esse Hominis, sed Hominis quatenus Animal est. Sic ultimam explicat differentiam Pontius affirmans hanc esse Scoti explicationem his verbis. *Et certè in hoc tertio sensu credo apud Scotum sumi differentiam ultimam.*

Sed bona pace haec explicatio in Scoti sententia subsistere nequit, siquidem asserit Doctor, quòd ultima differentia non est formaliter ens, sed id, per quod res ultimò differt essentialiter ab alia re, est formaliter ens; ergo ultima differentia nequit esse id, quod intelligit Pontius. Probatur minor. Id, per quod res, verbi gratia, Homo ultimò essentialiter differt ab alia re, est rationalitas, sed haec juxtà Scotum est formaliter ens; ergo. Patet minor, quia haec propositio *rationalitas est ens*, juxtà Scotum est vera; ergo est formaliter ens; non enim stat rationem entis quidditativè de ipsa praedicari, & in abstracto, & in tali statu non esse formaliter ens.

Alii asserunt differentiam ultimam esse individualem, quod affirmant, quia illae differentiae formaliter non includunt ens, quae sunt actus puri in linea metaphysica; cùm autem solum differentiae individuales sint actus puri in linea metaphysica, hinc hae solae erunt ultimae differentiae. Majorem ostendunt, nam si differentiae includerent formaliter ens, jam non essent puri actus, cum includerent rationem contrahibilem, & potentialem, scilicet rationem entis. Minorem dicunt evidentissimam esse, cum illae differentiae sint ultimi actus metaphysici, quae non sunt ulterius determinabiles per alias differentias, sic autem se habent solae differentiae individuales; aliae enim sunt ulterius determinabiles per alias differentias; ergo hae solae erunt ultimi actus metaphysici.

Sed nec haec explicatio arridet Scotistis recentioribus, primò quia sequeretur juxta hanc intelligentiam, quòd modi intrinseci, ut perseitas, inaleitas essent formaliter ens, cùm hae non sint differentiae ultimae, seu individuales, sed per ipsas contrahibiles, & determinabiles. Secundò quia Scotus *distinctione* 3. *& quaest.* 3. *littera O.* loquitur de quacumque realitate formae etiam essentiali.

Alii volunt nomine ultimae differentiae formaliter non includentis ens venire omnes differentias in abstracto sumptas sive individuales, sive specificas, sive subalternas, ita ut hae formaliter non inclu-

includant ens transcendentaliter sumptum, sed

Etiam hæc explicatio subsistere nequit, cùm rationalitas, ut superius diximus, etiam abstractivè sumpta rationem entis includat.

Alii tandem explicant differentias ultimas illas esse, quæ sumuntur ab una realitate, non amplius resolubili in realitatem, & realitatem, sed omninò simplici. Illa verò est non ultima, quæ continet in se plures realitates. Vel aliter affirmari potest differentias ultimas illas esse, quæ sunt irresolubiles, nedum in plures realitates, sed etiam in plures conceptus inadæquatos; & sic difficultas oriri potest etiam de ipsa rationalitate, non quidem antequam dividatur in plures conceptus inadæquatos, nempè in conceptum entis, & in proprium peculiarem conceptum in quo differt, sed postquam divisa est in propriam peculiarem rationem, seu prout intelligitur ut præcisa ratio differendi.

Hic est communis explicandi modus, ut videre est apud Scotum loco supracitato littera *O* hæc habentem: *sed ultima realitas seu perfectio realitatis naturæ, à qua sumitur ultima differentia, est omninò simpliciter simplex ista realitas, non includens ens quidditativè, sed habens conceptum simpliciter simplicem*. Juxta hanc ergo Scoti, & Scotistarum ferè communem explicationem impugnatur Scoti, & Scotistarum Sententia affirmans differentias entis non esse formaliter ens, &

Primò differentiæ, quæ non sunt formaliter ens, sunt differentiæ secundùm peculiares rationes irresolubiles in plures conceptus; sed istæ sunt formaliter ens; ergo. Probatur Minor. Differentiæ, quæ formaliter sumuntur à forma secundùm gradum realem positivum ipsius formæ, debent esse intrinsecè, & essentialiter ens, idest formaliter, sed differentiæ ultimæ juxta hanc ultimam explicationem sumuntur à forma secundùm gradum realem, & positivum; ergo sunt formaliter ens. Major liquet. Probatur Minor sui explicatione; siquidem sensibilitas, v. gr., desumitur ab anima rationali secundum gradum sensitivi, qui gradus realis, & positivus est, & rationalitas desumitur ab Anima rationali prout hæc importat gradum realem, & positivum discursivi. Differentia verò individualis oritur ab aliquo positivo cum sumatur vel à materia, vel à forma, vel ab ultima realitate, quæ hæcceitas dicitur; non enim formaliter sumi potest ab aliquo negativo in Sententia Scoti, & Scotistarum volentium repugnare naturæ individuæ qua tali dividi in plura ejusdem rationis per puram negationem; ergo differentiæ sumuntur à forma secundùm gradum realem, & positivum.

Probatur secundò Conclusio, & præcipuè de modis intrinsecis. Modi intrinseci formaliter sumpti sunt modi reales, & positivi; sed modi reales & positivi qua tales sunt formaliter ens; ergo. Probat. Minor. Modi reales, & positivi habent formaliter veram, & peculiarem essentiam, sed hoc ipso sunt formaliter ens; ergo. Minor est certa loquendo de ente nominaliter sumpto. Probatur Major. Si formaliter non haberent veram, & realem essentiam, non possent essentiam realem constituere, neque addere aliquod reale ad superiorem gradum contrahendum; sed de factò essentiam realem constituunt, & aliquid reale addunt, faciunt enim compositionem per additionem juxta Mastrium; ergo. Major est certa, quod enim essentiam realem, qua talem constituit, necessè est habere realitatem essentiæ saltem partialiter.

Confirmatur. In physica compositione ratio differentiæ concipitur intrinsecè, & formaliter habere rationem entis; ergo etiam in metaphysica compositione ratio differentiæ concipitur intrinsecè formaliter habere in se realitatem essentiæ. Patet Consequentia, quia si non haberet in se realitatem essentiæ saltem partialis, non esset apta ad constituendam essentiam realem.

Probatur tertiò Conclusio. Id, per quod substantia formaliter differt ab accidente est formaliter ens; sed per Scotistas substantia differt solum ab accidente per differentiam entis, quæ est perseitas; ergo differentiæ entis sunt formaliter ens. Major probatur. Id, per quod substantia differt ab accidente, est formalissimè perfectio, sed perfectio est formaliter ens; ergo. Major patet, quia substantia est formaliter perfectior accidenti, sed non est perfectior præcisè qua ens, quia sub hoc conceptu per Scotistas datur univocatio, adeoque, æqualitas in perfectione; ergo est perfectior prout importat perseitatem, sed perfectio formaliter qua talis, est formaliter ens, cùm perfectio concipi nequeat sine entitate reali, cum qua aut sit idem, aut ipsam supponat; ergo.

Hæc sunt præcipua fundamenta, ex quibus eruitur differentias, et modos esse formaliter ens. Quid verò his rationibus respondeant adversæ partis Auctores videamus, & in primis.

Occurrit primò Mastrius affirmans utiquè differentias, & modos intrinsecos habere rationem entis; at non ex suis rationibus formalibus quod est id, quod quæritur, sed esse ens ratione illius, quod contrahunt & determinant; quod idem est ac dicere identicè, & realiter, non verò formaliter. Modi autem intrinseci non sunt ratio essendi ens, sed tale ens, ità ut à modis intrinsecis habeatur pura taleitas, undè ad sumum sequitur modos intrinsecos formaliter esse præcisam taleitatem, seù entis modificationem, non vero formaliter ens. Ideò autem partes compositi physici formaliter includunt ens, quià sunt verè res, & propterea rationem entis formaliter includunt; at partes compositi metaphysici non sic se habent; sunt enim realiter inter se identificatæ, & una est aliquid alterius, undè non est necessè, quod ambo sint formaliter entia, sed sufficit quod unum sit hoc modo ens, aliud vero solum realiter. Insuper modi intrinseci habent utique perficere naturã, sed alio modo, quam faciunt differentiæ, cùm hæ naturã perficiant, addendo novam entitatem, vel realitatem, propterea habent variare essentiam rei, at modi perficiunt rem intrà se ipsam nil novæ entitatis addendo, undè ex modo perficiendi, quem exercent potius colligitur opus non esse, quòd in se includant rationem entis, sed sufficit, quod sint ens beneficio illius entitatis, quam perficiunt. Sed

Contrà est. Siquidem modi intrinseci formaliter sumpti intelliguntur modi positivi, & reales; ergò formaliter importare debent entitatem realem. Probatur hæc Consequentia, quià pro eo signo debent esse ens, pro quo intelligimus eos esse modos reales, & positivos; sed formaliter loquendo sunt modi reales, & positivi; ergo formaliter sunt ens. Secundò sicuti modi intrinseci non sunt ratio essendi simpliciter, sed essendi secundùm quid, ità modi extrinseci sunt solùm ratio essendi cum addito nempè vel in loco, vel in tempore; sed modi extrinseci ità sunt ratio essendi cum addito, ut formaliter dicant propriam entitatem, quamuis modalem,

dalem, seù essentialiter affixam; ergò à pari modi intrinseci ità erunt ratio essendi cum addito, ut importent propriam essentiam modificantem ipsam rationem entis. Et ratio totius est, quià debet esse formaliter ens, nedum id quod concurrit ad tertium constituendum per modum partis contrahibilis, & potentialis, verùm etiam per modum partis contrahentis, & modificantis, cum inintelligibile omninò sit aliquod formaliter habere vim aliud modificandi, si formaliter nihil sit.

Contrà est secundò, & peto à Scotistis, an differentiæ ultimæ formaliter importent aliqua prædicata essentialia, vel non. Si dicatur primum; ergo formaliter isti modi sunt possibiles, vel impossibiles. Probatur hæc Consequentia. Possibilitas, vel impossibilitas sequuntur ad ipsa prædicata essentialia, quinimmo sunt eadem prædicata; ergo si differentiæ formaliter habent aliqua prædicata essentialia, formaliter erunt possibiles, vel impossibiles, iuxtà repugnantiam, vel non repugnantiam prædicatorum; sed certe nequeunt esse impossibiles; ergo erunt possibiles; ergo prædicata essentialia ipsarum differentiarum erunt non repugnantia; ergo differentiæ formaliter erunt ens nominaliter sumptum, cum dicant essentiam natam existere. Si vero dicas secundum contrà est, siquidem differentiæ ultimæ de suo conceptu formali habent taleizare rationem entis, ita ut ipsum taleizare sit essentiale differentis ipsis, & modis intrinsecis; ergò habent aliqua prædicata essentialia; hoc enim, quod est taleizare essentia est ipsius modi intrinseci. Secundò prædicata essentialia conveniunt rei aliter, ac convenit ipsa existentia, sed rei existentia non convenit in sensu formali, sed solùm in sensu reali; ergo esse ens, seù habere essentiam conveniet non solùm in sensu reali, verùm etiam formali, cum realitas essentiæ sit intima, & intrinseca rei.

Dices modos intrinsecos possibiles esse in sensu reali, non verò in sensu formali, in quo potius à possibilitate præscindunt; Sed.

Contrà est, siquidem possibilitas, vel impossibilitas, dantur pro eo signo, pro quo intelliguntur prædicata essentialia; ergò si modi intrinseci, & differentiæ ultimæ formaliter habent sua prædicata essentialia, formaliter erunt possibiles.

Secundò contrà hanc Mastrii evasionem. Sicuti modi intrinseci intrinsecè perficiunt naturam, quam modificant, ità extrinseci extrinsecè perficiunt subjectum illud, quod modificant; sed non stat modos extrinsecos extrinsecè perficere subiectum, quod modificant, quin importent nouam aliquam realitatem modalem extrinsecam suprà subiectam; ergò etiam non stabit, quod modi intrinseci intrinsecè perficiant ens simpliciter quin dicant novam realitatem suprà rationem modificatam.

Occurrunt alij dicendo, ideò rationalitatem esse formaliter ens, quia supponit pro Anima rationali, adeoquè pro forma positiua, undè nil mirum, quod formaliter sit ens; at non sic loquendo de cæteris differentiis, ut verbi gratia de sensibilitate, & vegetabilitate, quæ non supponunt pro forma rationali.

Contrà est, siquidem ideò rationalitas est formaliter ens, quia suponit pro anima intellectiua, quæ est forma positiva, sed etiam sensibilitas, & vegetabilitas habent supponere pro forma sensitiva, & vegetativa, quæ sunt formæ positivæ; ergò si rationalitas est formaliter ens, etiam cæteræ differentiæ erunt formaliter ens.

CAPUT SECUNDUM.

*Scoti, & Scotistarum rationes præcipuæ fideliter adducuntur, ut fiat satis.*

PRimò objicit Mastrius hoc medio. Contractio, & determinatio entis per modos non fit ad instar solius explicationis, sed compositionis, & additionis; ergo tam ratio entis contracta, quam modi contrahentes ita se habent, ut unum mutuò sit extra rationem alterius. Probatur hæc Consequentia. Si modi contrahentes non essent extrà rationem entis contractam, nulla fieret cum ente compositio; ergò, si habent facere compositionem modi esse debent extrà rationem entis, & vice versa. Probatur antecedens. Compositio qua talis petit, ut una pars sit extrà aliam; ergò si modi contrahentes non essent formaliter extrà rationem entis, nulla fieret compositio.

Respondeo argumentum hoc si urget, urgere etiã suum Auctorem, siquidem si modi debent esse extrà rationem entis, quia cum ipso constituunt aliquod tertium reale, asserere oportebit, quod formaliter sint ens, aliàs cum ipsa ratione entis superiori non facerent compositionem; quod enim nihil est ex se nequit cum alio positivo compositionem facere. Quod si dicas modos intrinsecos esse alliquid, sed solùm identicè, adhuc non euadis vim solutionis, siquidem esse aliquid solùm identicè est esse aliquid ratione alterius partis, cum qua detur identitas, non vero ratione sui; ergò numquam haberi poterit vera, & realis compositio, cum esse aliquòd ratione sui non inveniatur nisi in una parte. Quod si dicas differentias ultimas, & modos intrinsecos aliquid esse, sed modificans, nil contrà nos, siquidem iam conceditur, quod formaliter sint aliquid, quamuis hoc aliquid formaliter sit ens modificans. In forma itaque dico revera modos intrinsecos, & ultimas differentias facere compositionem, quià quamuis ens constituatur per ipsas differentias & uice versa differentiæ non sint extrà rationem entis, differentia tamen ut talis, aliquid explicat, quod non explicatur à ratione entis, & vice versa; hoc ipso autem quod aliquid explicet unum, quod non explicat aliud, fieri potest optimè compositio.

Objiciunt secundò Scotistæ. Sicuti se habet resolutio physica in physicis entitatibus, ità se habet hæc resolutio metaphysica in metaphysicis conceptibus; sed in resolutione physica non progreditur in infinitum, sed sistitur in duabus entitatibus simpliciter simplicibus, quarum una ita sit potentia, ut nullum actum physicum includat & altera ita sit actus, ut nullam potentialitatem physicam inuoluat; ergo similiter in resolutione metaphysica sistendum est in aliquibus conceptibus ità primo diuersis, ut unus sit totaliter potentialis, & contrahibilis, ut nihil actualitatis includat, & alter sit totaliter actuans, ut nihil potentialitatis includat; sed si ultimè differentiæ includerent formaliter ens contrahibile non deveniretur in metaphysica resolutione ad aliquem conceptum purè determinativum, & contrahentem; ergo dicendum est ultimas differentias non includere formaliter, & quidditativè ens.

Respondeo non adesse proportionem in omnibus inter resolutionem physicam, & metapysicam, & maximè in casu, cujus ratio est, quia differentiæ entis non solùm contrahunt ens, sed etiam constituunt ad differentiam partium physicarum, quæ cum

cùm sint inter se realiter distinctæ sunt solùm purè contrahibiles, & contractivè, unde nil mirum, quòd in resolutione physica habeantur duæ entitates simpliciter simplices, quarum una sit pura potentia physica, altera verò purus actus; non verò hoc haberi possit inter rationem entis, & differentias, ita ut ratio entis sit purè contrahibilis; differentia verò sit purè contractiva.

Arguunt tertiò. Dantur modi extrinseci, qui in rei veritate non sunt res, seu entitates, sed aliquid entitatum, & rerum, vel realitatum, ita ut intelligantur simpliciter aliquid reale, quamvis in se ipsis non sint aliquid reale, sed solùm in rebus, quas modificant; ergo à pari dantur modi intrinseci non habentes propriam entitatem, & realitatem, sed realitatem, & entitatem ratione rei, quam contrahunt.

Hoc argumentum Mastrii nimis ipsum urget, siquidem si servatam vult proportionem inter modos extrinsecos, & intrinsecos, asserere opportebit modos intrinsecos ex suis intrinsecis dicere propriam entitatem, & realitatem, quamvis deinde hæc realitas sit realitas modificans, non quidem ratione rerum, sed ratione sui, cùm modi extrinseci, uti sunt duratio, ubicatio, unio, intelligantur secundùm se habere propriam essentiam, in eo sitam, quòd sint formæ essentialiter suis affixæ subjectis, & ipsorum determinativæ, ita ut dum dicimus quod sint aliquid rei intelligatur, quòd sint secundùm se formæ positivæ ipsam rem modificantes, qui ideò res non appellantur simpliciter, & absolutè, non quia ipsis deficiat formaliter propria essentia realis, & propria realitas, sed quia proprium esse important essentialiter affixum subjecto suo.

Arguunt quartò. Si ultimæ differentiæ includerent essentialiter, & quidditativè rationem entis potentialis necessariò convenirent in ista ratione entis; ergo ut inter se differant, indigerent aliis differentiis, quæcumq; enim in aliquo potentiali, & ipsis communi conveniunt aliquibus differentiis, differunt, tunc autem de illis differentiis, per quas differunt, inquiri potest, an includerent formaliter ens, vel non; si includunt; ergo etiam differunt per alias differentias, & sic dabitur processus in infinitum; ne ergo infinitum habeamus, dicendum est rationem entis non includi essentialiter, & quidditativè in ultimis differentiis, aliàs non daretur ultimæ differentiæ.

Respondeo argumentum hoc habere non posse vim illam, quam existimat inesse ejus Auctor, siquidem perspectum mihi est Auctorem hunc contra se obiicientem, quòd data abstractione rationis communis ab omnibus individuis, sequeretur processus in infinitum, quia ratio abstracta per alias differentias contrahi deberent, respondere processum in infinitum non sequi etiam data abstractione rationis communis ab omnibus hæcceitatibus, eo quia ratio, quæ continuò abstraheretur eadem esset ac illa, quæ abstracta fuit per primum actum, cui solutioni adherendo, argumentum superius sufficienter solvitur.

Secundò respondeo, quòd quamvis ratio illa, quæ est pura ratio conveniendi, determinari debeat per alias differentias, non debet tamen illa, quæ non est ratio præcisa conveniendi; sed simul est ratio conveniendi, & disconveniendi, ut i differentiæ, quæ quamvis ut ens importare videantur convenientiam aliquam, implicitè temen sub ratione entis non dicunt, nisi diversitatem quapropter in his non sequitur processus in infinitum, qui solùm sequeretur, si differentiæ univocæ convenirent in ratione entis inclusa.

Obiiciunt quintò nulla differentia est illud, ratione cujus formaliter convenit rei existere; ergo nulla differentia est formaliter ens. Consequentia patet, quia illud, ratione cujus formaliter convenit rei existere, est ens formaliter. Probatur Antecedens, quia formalitas, ratione cujus convenit formaliter rebus omnibus existere, esset ejusdem rationis in omnibus illis, sed differentiæ rerum non sunt ejusdem rationis; ergo.

Respondeo, quòd esto differentia non sit id, ratione cujus rei conveniat existere, est tamen id, ratione cujus res potest existere; quod sufficit ad hoc, ut differentiæ sint ens nominaliter, cùm hoc nil aliud sit, quam res potens formaliter existere, unde quamvis omne id ratione cujus res quælibet formaliter habet existere, sit ens, non tamen omne ens, est id, ratione cujus res habeat formaliter existere, cùm certum sit nullam rem creatam formaliter ratione sui sibi vindicare existentiam, cùm tamen sibi vindicet rationem entis, quia sibi vindicat essentiam.

Obiiciunt sextò. Vel differentia contrahens ens, præter rationem entis, includit aliquid aliud formaliter, vel nihil, si nihil; ergo non potest esse ratio, cur unum ens distinguatur ab alio ente; si aliquid aliud, rursus quæro de illo alio, an etiam includat formaliter rationem entis. Si affirmativè respondeas, jam dabitur processus in infinitum, & consequenter in qualibet re includerentur actu infinitæ formalitates distinctæ, quod implicat. Si negativè; ergo idem dicendum erat de primo, videlicet quod differentiæ formaliter non includant ens; eadem enim est ratio de ipsa differentia, & de quocumque incluso in ipsa, quantùm ad hoc.

Respondeo præter illam rationem entis, quæ à differentiis continetur, nil aliud inveniri in iisdem differentiis, nec ex hoc infertur istas non esse amplius rationes distinguentes unum ens ab alio ente, siquidem ratio entis, quæ importatur ab una differentia, diversa est ab alia, adeoque potens diversificare unum ab alio, ut v. gr ratio entis, quæ reperitur in rationalitate, est ipsa ejusdem prædicata essentialia, quæ in ipsa conspiciuntur, quæ cùm diversa sint à quolibet alio, diversa quoque est ratio entis in uno, ac in alio.

Objiciunt ultimo pluribus conglobatis rationibus præcipuè de passionibus entis, probando, quòd formaliter non sint ens. Dum definitur ens per suas passiones, definitur per additamentum; sed, quod definitur per additamentum non est de ipsius quidditate; ergo ratio entis non est de quidditate suarum passionum. Secundò propositiones per se non convertuntur ità quòd, si prædicatum dicatur de subjecto per se, non tamen è contra subjectum dicatur de prædicato per se; ergo si ista prædicatio *ens est unum*, est per se secundo modu, hæc alia *unum est ens* non poterit esse per se primo modo, sed quasi per accidens, sicuti ista est per accidens risibile est homo. Tertiò si passiones entis includerent ens, non includerent ens solùm, sed etiam aliquid aliud, alioquin idem esset passio sui ipsius: modo quæritur de ipso alio, an rursus includat ens, vel non. Si primum, ergo dabitur processus in infinitum; si non, ergo illud propriè erit passio entis. Quartò ens adæquatè dividitur in increatum, & summa decem genera, tamquam in ea, de quibus quidditative prædicatur, sed passiones non sunt ens increatum,

creatum, nec aliquid ex decem generibus, quia æque patent, & extenduntur, ac ipsum ens, & sunt indifferentes ad finitum, vel infinitum; ergo passiones non sunt quidditativè ens.

Respondeo ad omnia, quamvis rationibus solidissimis argumentum procedat, & ad primum dico ens dum definitur per suas proprietates non definiri per additamentum verum, & proprium, sed solùm improprium, quatenus ens ipsum sub ratione boni, aut veri aliquid ulterius explicat, quod revera non explicat præcise qua ens. Ad secundum nego universaliter loquendo propositiones per se non converti, hoc sensu, quòd si prædicatum dicatur per se de subjecto, subjectum non possit etiam per se dici de prædicato, ut patet in hac propositione: *principium discurrendi est rationalitas*, in qua, quemadmodum rationalitas per se dicitur de subjecto, potest quoque subjectum per se dici de prædicato dicendo *rationalitas est principium discurrendi.*

Ad tertium authumo passiones entis nil includere, quod non sit ens, nec inde sequitur, quòd sint passiones sui ipsius, & hoc quia passiones entis, qua tales, aliquid explicant suprà ens, quod non explicatur sub præcisa ratione entis. Ad quartum tandem respondeo passiones esse quidditativè ens, vel creatum, vel increatum juxta normam, cujus sunt proprietates; si sint passiones entis increati, sunt ens increatum, si creati sunt, ens creatum, adeoque illud eos quidditativè dicitur de istis, cujus sunt passiones.

# DISPUTATIO SEPTIMA.

## De Prædicamentis Relationis, & Substantiæ.

### CAPUT UNICUM.

*In quo quæritur quid, & quotuplex sit relatio, & quænam sit differentia inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem.*

Relatio secundùm Phylosophum *est habitudo unius ad aliud*. Hæc multiplex est. Alia enim est realis, alia rationis. Prima est, *quæ habet extrema realia. Secunda quæ habet, vel ambo extrema, vel saltem unum effictum ab intellectu*, ut est inter subjectum, & prædicatum. Prima relatio in plures species dividitur. Alia siquidem prædicamentalis est, alia transcendentalis. Prima est, *quæ accidit fundamento, & est accidens realiter distinctum ab ipso*. Secunda verò *est quæ est identificata cum fundamento*, ut est in materia relatio ad formam, ut Potentia ad actum. Secundò dividitur relatio realis in secundùm esse, & secundū dici, de quibus relationibus inferius erit sermo Tertiò dividitur in relationē mutuam, vel mutuuū respectm unius ad aliud, & non mutuam vel nonmutuum respectum unius ad aliud. Relatio etiam dividitur in æquiparantiæ, in qua est *consimilis denominatio in utroque correllativo*; ut paries est similis alteri parieti simili; & in relationem disquiparantiæ, in *qua diversa est denominatio*, ut inter Patrem, & Filium, Dominum, & Seruum. Scotistæ vero ultra illas relationes distinguunt ulterius relationem in intrinsecùs advenientem, & extrinsecùs advenientem. Prima est, *quæ positis extremis necessariò resultat, nec potest impediri* per ullam potentiam, ut posito Patre generante, & Filio genito statim resultat Paternitatis relatio, & Filiationis. Secunda est, quæ *positis extremis* non statim resultat verbi gratia posito igne, & ligno non statim resultat relatio comburentis ad combustibile, quia aliquid ulterius relinquitur, ut verbi gratia approximatio ignis ad lignum, & etiam data hac applicatione, potest impediri à Deo, ut evenit in tribus Pueris in fornace Babilonica.

Adverte tamen recensitas divisiones non esse ità adæquatas, ut quælibet constituat diversam speciem ab alia, quia ut plurimum una continetur, & convertitur cum altera, solumque gaudet diversa denominatione, vel diversa formalitate, sic relatio mutua est aliquando æquiparantiæ, aliquando vero disquiparantiæ.

Quòd in hac re aliquam præsefert difficultatem est assignare differentiam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem; Quam in Schola Divi Thomæ Magister Paulus Cavina existimat desumi ex hoc, quòd transcendentalis non petat existentiam fundamenti, & termini, ut ipsa resultet quòd patet in ipsa scientia, quæ oata est attingere objectum suum, quamvis non existat, & hoc quia habetur ex natura unius extremi, cui essentialis est respectus; at non sic in prędicamentalibus, in quibus exigitur existentia termini; cùm hæc non nisi resulter expositione termini, & fundamenti. Secundò quia in relatione prædicamentali fundamentum debet totum suum esse habere ad aliud. Terminus autem, qui non existit, non est propriè quid aliud à fundamento. Tertiò quia relatio realis est; ergo & terminus. Quod totum intelligit de termino materialiter sumpto, non formaliter idest sub formali ratione termini, cùm Creator qua Creator, seu qua terminus formalis Creaturæ ad Deum sit purus respectus.

Alii autem aliud discrimen assignant dicendo, quòd relatio transcendentalis est intrinseca, & essentialis rei, quæ refertur, cùm sit ipsa entitas rei. Prædicamentalis verò est odo extrinsecus, & accidentalis rei quæ refertur, rem ipsam supponens plene constitutam in suo esse. Hoc est in Scoti sententia discrimen.

Nonnulli verò ex alio capite differentiam desumunt, volunt enim quòd, relatio prædicamentalis respiciat terminum, ut purè terminum, transcendentalis verò aliquid agendo circa ipsum, nempe aliquam denominationem, ut productionis, sicuti facit causa in ordine ad effectum, vel uniendo, ut unio relate ad extrema, vel cogniti, & dilecti Aliqui tandem dicunt diversitatem esse, quòd relatio transcendentalis realiter identificatur cum re relata; prædicamentalis verò non. Sed

Primæ differentiæ allatæ non assentior, dari enim potest relatio prædicamentalis etiam ad terminum non existentem. Verè enim Rosa hujus anni similis est Rosæ anni præteriti, nec officit, quòd ipsa resultet etiam exposito termino, siquidem sufficit, quòd resultet ex termino sive existenti, sive præterito, vel futuro. Da enim in statu futuritionis Rosam similem huic existenti, jam ex his duabus necesse est, quòd resultet talis respectus similitudinis, cum nequeat unum esse tale, quale aliud in aliqua determinata qualitate, quin respectus resultet accidentalis. Nec pariter officit secunda ratio, quia propriissimè futurum, vel præteritum sunt quid aliud à fundamento existente, cum sit ab ipso realiter distinctum.

Parum

Parum quoque urget quod addit Pontius in hac re, videlicet, quòd Homo albus non dicitur actu similis Homini non albo, quamvis possit esse albus, siquidem quamvis non possit esse similis illi, qui præcisè potest esse albus, potest tamen esse similis illi, qui vel fuerit, vel erit albus, & hoc quia de eo, qui fuit albus verificatur cum veritate, quod habuerit albedinem, quod non verificatur de habente solam potentiam passivam ad albedinem recipiendam.

Secundum itaque discrimen amplector, sed adverto, quòd dum dicimus relationem transcendentalem realiter identificari cum re relata, sensus non est quòd respectus transcendentalis sit essentia rei relatæ, quia nullum relativum est de essentia absoluti, sed solùm quod sit identificatus cum ipsa essentia.

Tertium vero discrimen non arridet, quia quamplures sunt respectus transcendentales, qui respiciunt terminum, ut purè terminum nihil operando circa objectum, ut omnes actus amoris. Quòd si dicas tales actus amoris denominare objectum dilectum; dicam etiam ego respectum prædicamentalem tribuere denominationem aliquam suo termino, ut est illa similitudinis, quæ etiam conjunctionem importat similitudinariam ejusdem termini cum subjecto.

Quænam autem sint relativa secundùm esse, quænam secundùm dici non est minus dissidium. Sunt enim, qui volunt respectum secundùm dici esse respectum rationis, aut extrinsecam denominationem. Hæc explicatio relationis secundùm dici tribuitur Henrico à Suarezio; quam reprobat idem Suarez, primò quia respectus secundùm dici affirmari potest etiam de qualibet re reali, dummodo talis sit, ut importet entitatem absolutam, quæ explicari nequeat, nisi per respectum, ut contingit in ipsa Omnipotentia, cujus respectus ad possibilia non est respectus rationis. Secundò quia relativa secundùm dici per se non pertinent ad prædicamentum relationis, nec ad ullum prædicamentum, cùm tamen respectus rationis revera ad prædicamentum pertineat. Sed

Contrà est, & in primis verum est Henricum discrimen assignatum à Suarezio approbare in *quodlib. 3. quæst. 4.* illis verbis. *Relatio verò secundùm dici quia solùm habet esse in intellectu est illa, quæ convenit rebus, quæ non sunt simpliciter, & absolutè ad aliquid, sed solùm secundùm quòd ab intellectu concipiuntur.* Hoc tamen discrimen sufficienter non impugnatur rationibus superioribus, non quidem per primam, quia omnipotentia non dicit respectum secundùm dici ad creaturas possibiles, sed realem, nec indè sequitur dependentia omnipotentiæ ab ipsis, cum stet relatio, & connexio essentialis cum termino sine dependentia, ut patet in ipsa relatione Paternitatis ad Filium, a quo Pater non dependet, & in ipsis præmissis, quæ connectuntur cum conclusione, à qua tamen præmissæ non dependent. Quòd si velis omnipotentiam dicere solùm respectum secundùm dici, concedi potest dicendo etiam ibi intervenire respectum rationis, non quidem efformatum ab intellectu viatoris, sed ab intellectu divino comparante essentiam suam in ordine ad Creaturas possibiles. Nec pariter obest, quod secundo loco asserit, quia quemadmodum respectus secundùm dici pertinere nequit ad prædicamentum relationis, sic nec etiam respectus rationis, ut etiam docet Suarez cùm prædicamenta sint coordinationes reales.

Alii vero nomine Relativorum secundùm dici intelligunt relationes omnes transcendentales, quæ non referuntur per aliquod distinctum; prædicamentales vero secundùm esse, quia referuntur per aliquod distinctum. Quæ tamen explicatio illegitima est. Relationes enim transcendentales sunt veræ relationes secundùm esse, cùm dicant realem respectum, qui cum non tollatur per hoc, quòd sit indistinctus, nec quoquè tollitur, quin sit respectus secundùm esse.

Nec officit, quod relativa transcendentalia sine secundùm esse absoluta, & consequenter, quòd secundum idem esse non possint esse relativa, quia absolutum secundùm esse, & relativum secundùm esse opponuntur, siquidem nomine respectus secundùm esse intelligimus solùm respectum realem, qui cùm non sit dissonus rebus absolutis, juxtà Magistrum Paulum Cauinam Thomistam, cujus est instantia, non erit quoquè dissonus respectus secundùm esse.

Ultimus tandem dicendi modus est Suarezii ponens relationem secundùm dici in hoc, quod res, quamvis in se nullam habeat habitudinem, tamen ipsam dicat ex nostro concipiendi modo. Qui modus dicendi coincidit cum Henrici sententia, quia hoc ipso, quòd conceditur relationem secundùm dici explicari penes hoc, quòd res concipiatur modo relativo ex nostro modo concipiendi, jam conceditur, quòd relatio secundùm dici sit relatio rationis, cùm hæc nihil aliud sit, quàm respectus secundùm nostrum modum concipiendi, & consequenter Suarez hic incidit in sententiam, quam supra reiicit.

Quæres hic utrum relatio, ut sic sit univoca ad relationem realem, & rationis.

Respondeo affirmativè contrà Suarezium, & Mastrium. Ratio prima asserti est, ut saluetur coherentia cum alio in Physica, ubi dicemus rationem principii univocam esse respectu materiæ, formæ, & privationis. Secundò quia propria conceptibilitas respectus *ut sic*, convenit propriè etiam relationi rationis; cùm etiam inter relativa ratione nostra interveniat propriè ordo unius ad aliud, quamvis hic sit in linea intentionali.

Dices primò ens rationis, & reale in ratione entis non univocantur, ergo nec etiam relatio rationis cum reali in ratione relationis. Probatur hæc Consequentia. Ideò primum, quia ens rationis non est verum ens, sed fictum, ergo ideò secundùm, quia relatio rationis non est vera relatio, sed ficta, vel quasi ficta per intellectum.

Dices secundò, Ideò rationem principii univocam esse privationi, & aliis, quia quamvis privatio non sit ens, est tamen propriè principium; ergo quia relatio rationis neque est propriè ens, neque propriè relatio, ideò respectus non erit ratio univoca respectu utriusquè relationis, scilicet realis, & rationis.

Hæ sunt instantiæ, quas congerunt Suarez, & Mastrius, quibus occurro dicendo respectum rationis esse veram relationem, non quidem relativè ad realem sed solùm comparativè ad relationem in tota sua latitudine inspectam, cujus naturam propriè participat respectus rationis, cùm participet verùm ordinem unius ad aliud, quamvis limitetur deindè per sui differentiam. Præterea quamvis sit respectus rationis, est tamen cum fundamento in re, cum sit respectus ratiocinatæ. Hic autem certè non est fictus etiam in sententia Suarezii, quia est originaliter in re. Preterea ratio distinctionis est univoca ad distinctionem realem, & rationis ratiocinatæ;

tæ; ergo etiam relatio ad relationem rationis, & realem. Utrobiquè enim est eadem ratio.

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrum relatio prædicamentalis consistat in modo superaddito?*

### CAPUT PRIMUM.

*Sententia negativa ratione firmatur.*

QUi in physicis modos supperaditos negant, ut extrema inter sese uniantur, ipsos propugnant, ut extrema relatione prædicamentali referantur, uti sunt Thomistæ, (qua autem coherentia ipsi viderint) quibus hic Scotistæ omnes accedunt, ut videre est apud Mastrium, Bartholomæum de Barberiis, Petrum à Sancta Catarina, Dupaschuier, Boyvin, aliosquè Scotistas. Ego tamen negativam sustineo sententiam, nedum cum Henrico in Summa *artic.* 32. *quæst.* 5 *num.* 25. illis verbis. *Similitudo enim secundùm albedinem, qua fortes est similis Platoni, accidit forti, & Platoni, quia albedo accidit eis, non autem accidit albedini, cùm dicimus, quòd albedo fortis est similis albedini Platonis. Illa enim similitudo est eis essentialis, quia in illa consistit natura speciei*; verùm etiam cum Sanctis Patribus præcipuè Anselmo, & Divo Thoma, juxta quorum mentem esse hoc assertum opinor; primus enim cùm ostendisset in *Monologio cap* 24. Deum omninò invariabilem, & incommutabilem esse, & posteà sibi obiecisset his verbis, *quomodo non est particeps accidentis* (intellige mutationis) *cùm & hoc ipsum quòd major est omnibus Creaturis, & quo illi dissimilis est, videatur accidere*; sic occurrit: *sed quid repugnat quorumdam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas Si ex eorum assumptione nulla substantiæ sequitur variabilitas; nam ego nec minor, nec major, nec æqualis, vel similis sum homini post annum nascituro; omnes autem has relationes illo nato habere potero, sine omni mei mutatione.* Ex qua auctoritate Anselmi sic arguo. Si relatio prædicamentalis diceret realitatem superadditam in substantia, dum hæc assumeret esse relativum, sequeretur aliqua variabilitas. Patet hoc, nam est in intelligibilis additio novæ realitatis superadditæ sine aliqua variabilitate rei, cui advenit ipsa realitas, atqui Anselmo teste dum substantia suscipit esse relativum, & quidem prædicamentale, cùm relationes æqualitatis, inequalitatis, dissimilitudinis, de quibus loquitur Sanctus Doctor, sint prædicamentales, nulla in substantia sequitur variabilitas, ergo jam non advenit nova realitas physica, in qua formaliter consistat relatio.

Nec deest Angelici præceptoris auctoritas firmans sententiam hanc, quam defendimus, & præcipue *opusc.* 48 *cap.* 2. *tract.* 5. ubi hæc lego: *Cùm autem dico quòd similitudo fortis habet albedinem ejus, ut fundamentum, non est intelligendum, quòd similitudo fortis sit aliqua res in forte alia ab ipsa albedine, sed solùm est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum, si enim similitudo adderet supra albedinem fortis aliquam rem, nullo pacto posset aliquis fieri similis sine sui mutatione, ut patet, nam si quis in India fieret modò albus., fieret similis mihi, & ego sibi nulla facta in me mutatione: Similitudo enim in me nullam rem addit suprà albedinem, quæ realiter sit in me,* & *quæst* 7. de potentia *art.* 8 docet quòd *relatio non componit cum eo, cujus est.* Ex quibus Divi Thomæ oraculis contrà Thomistas multipliciter argui potest, & primo. Similitudo formalis taliter nihil addit suprà ipsam albedinem, ut sit ipsa albedo; ergo jam Thomistæ docendo, quòd similitudo formalis addit aliquid suprà albedinem, simulquè quòd non sit ipsa albedo, profectò videntur dicere aliquid contrà proprium Præceptorem.

Secundò similitudo formalis Sortis ad Platonem ex Angelico est solùm albedo Sortis, ut se habet ad albedinem Platonis; ergo illi, qui dicunt esse aliquid ultrà albedinem utriusque, aliquid asserunt contra doctrinam ejusdem Angelici Præceptoris, sed Thomistæ affirmant, quòd sit aliquod ultra existentiam utriusque albedinis; ergo.

Quamplurimis modis conantur respondere Thomistæ his Patrum Oraculis, & in primis negant opusculum recensitum esse Divi Thomæ; sed hæc solutio nullius est roboris, primò quia communior Thomistarum sententia est *opusc.* 48. esse Divi Thomæ, ut optimè advertit Seraphinus Piccinardus ex Sacra Divi Dominici Familia Scriptor in hac re accuratissimus. Refert enim Divum Antonium, aliosque agnovisse *opusc.* 75. Divi Thomæ, rationibus omnibus, quibus Petrus de Alva, aliique dubitaverunt, subtiliter, & eruditè occurrens. Secundò quia in Romana editione omnibus præferenda *opusc.* 48. habemus. Tertiò, quia adhuc Thomistis remanet onus satisfaciendi argumento ex aliis Divi Thomæ verbis deducto.

Respondent secundò alii Divum Thomam dum asserit relationem similitudinis aliud non esse ab utraque albedine, explicari debere de alietate actionis, quia relatio similitudinis non producitur per actionem distinctam ab actione productiva fundamenti, non verò de alietate realitatis. Secundò asserunt D. Thomam ibi solùm excludere physicam mutationem, non verò metaphysicam, ac veluti insensibilem, & tenuissimam. Sed

Contra est. Hæ enim interpretationes Magistri Pauli Cavina mihi non videntur conformes Divi Thomæ verbis, quia si relatio esset alia alietate realitatis ab ipsa albedine Sortis, jam relatio non esset solùm ipsa Sortis albedo, ut se habet ad illam Platonis, sed potius esset ipsa realitas, in qua formaliter consisteret, sed ex Sancto Doctore relatio est ipsa Sortis albedo, prout se habet ad illam Platonis; ergo non est alia, nec etiam alietate realitatis. Secunda verò explicatio non subsistit, siquidem mens Divi Thomæ est ad dealbationem Platonis sortem fieri similem absque ulla propemodum mutatione, sed si intervenirет mutatio metaphysica, jam intercederet aliqua mutatio; ergo non amplius evaderet similis absque ulla mutatione. Secundò falsum est, quòd non esset mutatio physica; nam non stat advenire novam formam de linea physica, & quod mutatio non sit physica, sed hæc realitas, in qua consistit relatio per Thomistas est forma accidentalis physica, quamvis producta per eandem actionem, per quam producitur fundamentum; ergo esset physica mutatio.

Urgeo amplius, sicut actio, qua causa efficiens agit, est forma modalis superaddita, ita est pariter ista realitas, in qua cōsistit relatio, sed per actionem superadditam causa mutatur intrinsecè mutatione physica, quatenus transit de otio ad actum; ergo etiam fundamentum propriè, & verè mutaretur per illam realitatem, quia transiret de absoluto ad relativum; ergo interveniret propria mutatio, sed hoc est contra Doctorem asserentem nullam pati mutationem id, quod est ad aliud; ergo non importatur per relationem prædicamentalem nova realitas

litas superaddita, maximè cum in intelligibile sit quomodo sit mutatio tenuissima, & insensibilis, si habeatur per formam physicam modalem.

Probatur secundò Conclusio ratione. Modi relationis, quos adversarii superaddunt duobus albis, sunt verè, & realiter similes inter se similitudine formali absque modo distincto; ergo pariter sine modo distincto sunt inter se formaliter similes duæ albedines. Antecedens admittitur ab Aduersariis, quia alioquin daretur processus in infinitum, si modi superadditi fieri deberent similes per alios modos superadditos. Probatur hæc Consequentia; quia si aliqua esset disparitas, maximè quia illi modi sunt similes per se, non verò duæ albedines, eo modo, quo unio per se ipsam unitur materiæ, & formæ; at materia non per se ipsam unitur formæ, nec forma materiæ; sed hæc disparitas nulla est, ergò. Probat. Minor sic. Ideò unio per se ipsam unitur, quia existere nequit, quin uniatur, sed neque possunt duæ albedines simul cohexistere, quin sint similes; ergò etiam sunt similes per se, sicuti unio per se unitur; ergò non per modum superadditum. Secundò ideò duo modi superadditi sunt per se similes, non quia sibi cohexistant, sed quia habent prædicata similia, nam cohexistentia non facit similitudinem, aliàs albedo, & nigredo per hoc quòd sibi cohexisterent essent inter se similes, sed duæ albedines præcisò quocumque modo superaddito habent prædicata similia; ergò sunt per se similes independenter à modo superaddito.

Confirmatur, quia Deus tam est mihi dissimilis, quàm ego Deo; sed Deus, ut patet, non est mihi dissimilis per modum superadditum; ergò relatio dissimilitudinis non consistit in modo superaddito, ergò nec etiam quælibet alia relatio prædicamentalis.

Huic rationi variè respondent Adversarii doctissimi, & ut à Thomistis incipiam, ferè omnes negant cum D. Thoma in 1. *part quæst.* 13 *art.* 2. contra gentes, & Scoto in 1. *dist* 30 *quæst.* 2. in Deo adesse ex tempore relationes reales, quia deficiente termino in Deo quoque relationes deficere deberent, cum aliunde deficere non possent, quia cum essent perfectè idem cum divina essentia, ex perfecta hac identitate necessariò existerent, aliàs Deus subesse posset mutationi, non minus, ac subesset, si noviter diceretur Deus, vel Pater Filii sui. Alii verò secundò occurrere solent concedendo in Deo relationes reales ad creaturas, sed dicunt disparitatem oriri ex divina immutabilitate, vi cujus sit, quod noviter denominetur Deus dissimilis creaturæ absque ullo modo superaddito, quæ immutabilitas cum in creatura non adsit, hæc sola fieri debet dissimilis per modum superadditum. Nonnulli verò tandem docent etiam relationem Dei ad creaturam haberi per modum superadditum, sicuti etiam Verbum humanitati unitur per unionem superadditam, non quidem in ipso Verbo receptam, sed potius in humanitate.

Sed contra est; quælibet enim ex his solutionibus deficit. Prima quidem, quia relationem Deo ex tempore ad creaturas advenire posse illæsa prorsus divina immutabilitate communis est Patrum consensus, & præcipuè Augustinus *lib* 5. *de Trinitate cap.* 15. Tertulliani *lib. de Carne Christi cap.* 3. & contra Hermogenem *cap.* 3. necnon D. Thomæ *lect.* 3. aliisque in locis, ut optimè advertit Cardinalis Joseph Saenz de Aguirre *disput.* 34. *sect.* 2. *tract.* 3. de essentia, & divinis proprietatibus. Sicuti hoc contingit in nummo, qui cum noviter dicitur esse pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse incipit pretium, neque cum dicitur pignus, ut optimè advertit Augustinus. Quinimmò in tempore ipsi Deo plures adveniunt denominationes quin ullatenus mutetur. De facto enim (omissa denominatione creantis, quam noviter Deus aquirit) in plausibili Theologorum sententia extra Scholam D. Thomæ, æternitas solùm in tempore, & successivè mensurat res creatas, seu dum istæ solùm sunt in propria mensura, ac duratione, quin ulla sequatur læsio immutabilitatis divinæ mensuræ. Cur itaque etiam non poterunt noviter advenire Deo relationes reales ad creaturas absque ulla Dei intrinseca mutatione? eo vel maximè, quod nullatenus obstant exempla in contrarium adducta; siquidem ideò in tempore noviter Deus fieri nequit Deus, quia ut rectè innuit Tertullianus, nomen Deus, nomen est substantiæ, idest divinitatis: substantia autem divina semper fuit cum suo nomine: Dominus verò non substantiæ, sed Potestatis nomen est, unde solùm ex quo res esse cæperunt, in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis, & factus, & dictus est Dominus. Ratio autem totius à priori est, quia dum Deus in tempore incipit referri ad creaturas, nihil intrinsecè deperdit, aut acquirit, quod aliunde acquireret, si noviter fieret Pater Filii sui, quia relatio Paternitatis intrinseca est, & non extrinseca, sed solùm tota muratio se tenet ex parte creaturæ, cuius existentia, si accedat, incipit denominare Deum relatum, et si deficiat, deficit etiam denominatio.

Secunda verò solutio, quam sequuntur cum Pontio alii plures, solida non est, quia si relatio prædicamentalis ex genere suo formaliter residet in modo superaddito, ubi erit incapacitas modi superadditi, erit quoque incapacitas relationis: sicuti, quia de ratione habitus intellectualis in tota sua latitudine in Scotistarum sententia, est supponere difficultatem in potentia, intellectus divinus, qui incapax est operandi cum difficultate, incapax quoque est operandi per habitum, unde in eodem scientia communiter apud Scotistas non habet rationem habitus; atqui cum incapacitate modi superadditi, stat juxta hanc Pontii, aliorumque solutionem capacitas ad referri relatione dissimilitudinis; ergo signum est, quod relatio ex genere non consistit in modo superaddito. Et ratio totius est, quia id, quod est separabile ab alio, illius essentiam ingredi nequit, cum nihil à se ipso separari possit: cum ergo hæc solutio concedat reperibilem esse relationem prædicamentalem absque modo superaddito, ut in Deo, jam in ipso ex genere suo non consistit. Quod si dixeris etiam relationem prædicamentalem, in Deo ad creaturas vi modi superadditi haberi, non quidem recepti in ipso Deo, sed in creatura, ut fert tertia solutio, adhuc instari potest, quia de essentia mutuæ relationis prædicamentalis est apud adversarios duplex modus superadditus, in duplici extremo receptus; ergo si reperibilis est mutua relatio prædicamentalis absque hoc duplici modo, jam in hoc non consistit. Quod si denuò respondeas in Deo hoc ideò contingere, quia Deus incapax est modi superadditi, non verò creatura, quæ capax est mutationis, adhuc occurro, vel enim in ista duplex modus superadditus ponitur propter capacitatem extremorum, vel propter habendam mutuam relationem. Si primum dicas, contra est, quia modi, quod sciam, non multiplicantur propter subjecti capa-

citatem aliàs non tot, quin plures poni deberent, sed ut habeatur mutua relatio. Si verò secundùm affirmes, obstat semper superius argumentum, quia relatio mutua de facto datur inter Deum, & creaturam absque modorum pluralitate.

## CAPUT SECUNDUM.

*Præcipua fundamenta Thomistica referuntur, ut soluantur.*

MElioris notæ Thomistæ multipliciter arguere solent, præcipuè tamen arguunt ex Angelico Præceptore *in 2. dist. 12. quæst. 1 art. 1. ad 3 & quæst. 7. de Potentia art. 3. ad 2.* & quidem hoc medio. Quæcumque pertinent ad diuersa prædicamenta, distinguuntur actu; sed relatio, & fundamentum pertinent ad diuersa prædicamenta; ergò distinguuntur actualiter ante operationem intellectus. Minor, & consequentia constat. Major verò probatur ex Aristotele 5. *Metaph. text.* 14. ubi res extra animam vult diuidi in decem prædicamenta per diuersos modos non solùm prædicandi, verùm etiam essendi, ut explicat Diuus Thomas *lib.* 10 *tex* 8. docens nomine entis realis non significari immediatè aliquid, sed ipsa plura, & suprema genera, quæ omnia, & his similia consistere non possunt absque aliqua distinctione actuali ex natura rei inter prædicamenta: si enim à parte rei dantur decem suprema genera nomine entis immediatè significata; ergò à parte rei unum non est aliud. Quomodo enim intelligi potest à parte rei numerus inter ea, quæ realiter sunt idem.

Confirmant primò ex Sanctissimi Præceptoris Doctrina Thomistæ argumentum. Docet enim Sanctus Doctor quæst 8 de potentia art. 2. ad 1. substantiam creatam identificari non posse à parte rei cum relatione, quia nimirum substantia creata definita est ad unum genus; & per consequens excluditur ab alio genere. Quis autem ex hoc non videt, quod ratio Diui Thomæ probat distinctionem realem relationis prædicamentalis à quantitate, & qualitate, quia pariter quodlibet prædicamentum ex istis definitum est ad unum genus.

Confirmatur secundò. Relatio prædicamentalis facit compositionem realem cum fundamento; ergò hoc realiter, & intrinsecè mutatur per receptionem illius Consequentia patet, antecedens probatur, quia relatio est verum accidens reale, ergò comparatur, ut forma fundamento tanquam subiecto, sed quæ comparantur inter se, ut actus, & potentia realis faciunt compositionem; ergò

Confirmatur tertiò, quia Relatio accidens est prædicamentale, sicuti cætera octo prædicamenta; ergò est aliquid aptum inhærere, sed hoc est falsum, si non esset, quid realiter distinctum à fundamento, & termino, aut si essentialiter consisteret in fundamento, & termino, v. g. si dissimilitudo hominis, & Bruti consisteret essentialiter in ipso homine, & Bruto, quandoquidem nec homo, nec Brutum, nec utrumque simul inhærere potest; ergò

℟. res aliquas dupliciter pertinere posse ad plura prædicamenta, videlicet, vel per hoc, quod sint res intrinsecè diuersæ, uti sunt substantia, quantitas, & qualitas, quæ intrinsecè diuersa sunt, vel per hoc, quod res una modo unam, modo alteram rationem importet, ut optimè etiam aduertit Diuus Thomas illis verbis: *diuisio, entis in decem prædicamenta, est diuisio in decem secundùm rem, vel quantum ad hoc, quod dicant res diuersas intrinsece, & realiter, sicuti substantia, qualitas quantitas, quæ sunt diuersæ res, vel quantum ad diuersas rationes, quia unum importat aliquam rem diuersa ab alio.* Modo in casu fundamentum remotum, & Relatio in posteriori acceptione ad diuersa pertinent prædicamenta, vnde non est opus, quod realiter distinguantur, sed satis est, quod fundamentum remotum sub conceptu substantiæ diuersimodè explicetur, ac explicatur, prout aliquod relatiuum est, in quo sensu solùm verificari potest prior argumenti confirmatio, cum quælibet res creata solùm reduplicatiuè accepta, vel sub determinato respectu definita est ad certum genus, non verò simpliciter, ac absolutè inspecta, ut speculanti patebit.

Ad secundam verò confirmationem distinguo antecedens. Relatio prædicamentalis facit compositionem realem cum fundamento proximo nego antecedens, remoto concedo antecedens, & distinguo consequens; ergò intrinsecè mutatur fundamentum proximum, concedo consequentiam, remotum nego consequentiam.

Ad ultimam verò respondeo relationem prædicamentalem similitudinis, & dissimilitudinis aliam esse, quæ fundatur in qualitate, aliam verò in essentia, seu similitudinem inter duo aliam esse essentialem, alteram accidentalem. Hæc secunda verè importat inhærentiam, cum dicat rationem fundandi utrique extremo inhærentem; non verò prima cujus generis est relatio dissimilitudinis, quæ in argumento affertur.

Arguunt secundò Thomistæ. Transitus de contradictorio in contradictorium pertinens ad distinctum genus, indispensabiliter arguit formam superadditam, sed dum extrema absoluta fiunt relata, transeunt contradictoria de genere ad genus; ergò indigent forma superaddita Minor patet, quia de absoluto transeunt ad relatiuum, vel de non relatis ad esse relatum. Major probatur. Transitus contradictorius est transitus de concreto unius generis ad concretum alterius generis distincti ab aliis, nempè ad esse relatum, ergò petit necessariò formam superadditam. Probatur Consequentia. Repugnat concretum unius generis constitui per formam alterius, sed dum fit transitus de absoluto in relatiuum, fit transitus de concreto unius generis ad concretum alterius; ergò repugnat constitui per formam absolutam; ergò importat nouam formam. Major est certa, nam forma cujuslibet generis finita est, & limitata, sed repugnat formam finitam, & limitatam constituere concreta diuersi generis; ergò repugnat concretum unius generis constitui per formam alterius.

Respondeo negando Majorem; ad probationem concesso antecedenti nego consequentiam, ad cujus ostensionem distinguo consequens; ergò petit necessariò formam superadditam fundamento proximo, nego antecedens, remoto, concedo antecedens. Utique duo extrema absoluta, dum fiunt relata, transeunt de uno genere ad aliud genus, idest de genere absoluto ad relatiuum, at transitus hic non habetur per formam superadditam fundamento proximò, vel rationi fundandi, uti est utraque albedo inter duo extrema alba, sed solùm fundamento remoto, seu extremis aptis ad referri relatione similitudinis. Sed

Instabis Posito albo A, & albo B, adhuc non habetur transitus formalis ad distinctum genus relatiuum, sed hoc ipso relatio albi A, ad album B, non potest consistere in utroque albo; ergo semper importatur necessariò forma relatiua superaddita etiam fundamento proximo. Probatur Major. Illis solùm positis, & nullo superaddito medio de linea relatiua, adhuc omnia formaliter pertinent ad li-

neam

neam absoluti; non enim unum absolutum spectat ad lineam relatiui, eo quod simul cum illo ponatur alterum de eadem linea absoluti.

Confirmatur unum relatiuum positum cum alio relatiuo simul non facit absolutum; ergò unum absolutum positum cum alio absoluto non facit relatiuum.

Instabis secundò. Conceptus essentialis relationis consistit in conceptu entis purè respectiui; sed existentia simul duorum alborum non importat rationem entis pure respectiui; ergo conceptus essentialis relationis nullatenus saluatur in duobus albis; & ratio est, quia prædicatum simultatis non extrahit extrema, neque eorum existentias à linea absoluta; ergo nequit dare effectum formalem, qui sit de pura linea relatiua.

Respondeo, aduertendo prius diuersitatem quandam intercedentem inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem in eo sitam, quòd in hac secunda nihil reperitur, quod intrinsecè, & secundum se sit respectiuum, quia relatio prædicamentalis est ordo solùm contingens, & accidentalis rei, quæ refertur, secus verò in prima relatione, de cuius conceptu est, quòd sit ordo intrinsecus, & essentialis rei, quæ refertur. Hoc autem supposito in forma distinguo Maiorem; posito albo B. non habetur transitus formalis ad genus relatiuum relatione intrinseca, & essentiali, concedo Maiorem, extrinseca, & contingenti, nego Maiorem, & distincta Minori nego Consequentiam. Distinctio patet.

Quòd si Thomistæ instantiam procedere velint etiam de relatione prædicamentali, vel extrinseca, dico hanc etiam ipsos vrgere, cùm doceant per positionem albi B. album A. fieri fundamentaliter relatum, adeoque simultatem extremorum etiam per Thomistas extrahere ipsa extrema à linea absoluta.

Ad confirmationem transmisso Antecedenti distinguo Consequens; ergò duo absoluta simul sumpta non faciunt relatiuum ab intrinseco, & essentialiter, concedo consequentiam, ab extrinseco, & prædicamentaliter, nego consequentiam. Dixi transeat Antecedens, quia relatiua simul sumpta faciunt absolutum, ut patet in materia, & forma, quæ de se invicem referuntur, & tamen simul constituunt compositum physicum, quod certè quid absolutum est.

Ad secundam instantiam omissa Maiori (quæ tamen falsa est, quia quamvis relatio dicat respectum ad aliud, non est tamen de eius conceptu, quòd sit purus respectus, vel ordo, quod idem est, ac dicere, quòd totum esse tei relatiuæ, sit ad aliud se habere, ut patet in ipsorum sententia in ipsa relatione prædicamentali fundamentali) distinguo Minorem. Existentia simul duorum alborum non importat rationem entis purè respectiuè, si alba sumantur specificatiuè, concedo Minorem, qua similia, seu relatiua, sub qua tantùm reduplicatione solùm verificatur, quòd essentia relationis sit purus respectus, nego Minorem, & Consequentiam. Distinctio patet.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur nonnulla alia argumenta adversæ Partis.*

Post Thomistas audire prestat Scotistas, ex quibus primò arguit Pontius. Relatio prædicamentalis esse debet unum per se completum aliàs non directè collocaretur in ullo predicamento, sed sic non se haberet, si essentia ipsius consisteret in duobus extremis, ita ut utrumque esset de essentia ipsius, v. gr. relatio similitudinis in duobus albis, aut relatio dissimilitudinis in homine, & albedine; ergò non consistit in ipsis extremis. Probatur Minor, quia ex duobus entibus diversorum prædicamentorum completis, & positis directè in ipsis, non fit unum per se, sed tantùm per accidens, immo nec ex duobus entibus unius prædicamenti non unitis præsertim unione physica, sed homo & albedo sunt entia completa, & directè posita in diversis prædicamentis; homo siquidem in prædicamento substantiæ, albedo vero in prædicamento qualitatis; & rursus duo alba, quæ sunt similia formaliter, spectant ad unum prædicamentū, & sunt entia completa istius prædicamenti, nec uniuntur unione physica quandoquidem unum potest esse in Hibernia, & alterum Romæ; ergò si essentia relationis consisteret in his duobus, non esset unum per se.

Argumentum hoc, ut soluatur existimo necessariam esse explicationem hujus propositionis *relatio prædicamentalis debet esse unum per se completum.* Vel enim ejus sensus est, quod relatio per se importet unicam solùm coordinationem, vel unicam determinatam distantiam ab aliis prædicamentis, vel sensus est, quod relatio prædicamentalis importet unum per se, nimirum unum ex materia, & forma substantiali mutuo unitis, quæ profectò dici possent unum per se completum. Si propositio primo sensu intelligatur, vera est, quia quodlibet prædicamentum dicit specialem coordinationem per quam constituitur in esse talis prædicamenti, & ab aliis distinguitur, ut patere potest discurrendo per singula. Actio enim importat specialem coordinationem nempè esse ab alio, passio in alio, & sic de singulis. Si verò in secundo sensu intelligatur falsa est, siquidem nullum prædicamentum præter primum est unum per se completum substantiale, ut speculanti patebit.

Arguunt secundò alii. Ut Petrus, & Paulus intentionaliter referantur non sufficit præcisa coexistentia duarum cognitionum absolutarum, sed ulterius requiritur indiuisibilis cognitio comparatiua eorum; ergò etiam ut unum realiter ad aliud referatur non sufficit coexistentia præcisa utriusque extremi, sed erit necessaria indiuisibilis relatio superaddita.

Respondeo disparitatem esse, quia cognitio indiuisibilis est relatio sui ipsius ad objectum, non verò objecti ad objectum, unde ad hoc ut unum objectum referatur ad aliud intentionaliter exigitur eorum cognitio comparativa; at vero utraque albedo posita in duobus subjectis est ratio faciendi referre unum ad aliud relatione similitudinis, ut supra probatum est.

Ultimò arguunt Scotistæ. Ea, quæ habent diversas essentias adæquatas, distinguuntur realiter actualiter, siquidem qualibet essentia est una in se & diuersa à qualibet alia, sed quæ constituunt diversa prædicamenta habent essentias adæquatè diversas, cum non conueniant in gradu aliquo genetico vel uniuoco; ergò distinguuntur realiter, actualiter. Constat autem relationem, & ejus fundamentum ad diuersa prædicamenta spectare.

Respondeo multipliciter, & in primis censeo majorem propositionem destitutam esse sua veritate, quia ex sola diuersitate essentiæ non rectè infertur distinctio propriè realis, ut diximus in materia de distin-

distinctionibus. Secundò respondeo, negando minorem, siquidem quæ diversa prædicamenta constituunt, non diversas essentias, sed unam essentiam sub diversis rationibus formalibus important. Quod autem additur diversa prædicamenta constituentia non convenire in aliquo gradu generico, negatur, quia prædicamenta id habent, per quod conveniant, & differant, ut legitima definitio uniuscujusque salvetur.

Quæres hic an relatio prædicamentalis sit realis. Respondeo affirmativè, & probatur breuiter, quia quotiescumque independenter ab intellectu datur aliqua denominatio, sivè aliquis effectus formalis, debet independenter ab intellectu dari forma denominans, seu causa formalis talis effectus, sed independenter ab intellectu dantur denominationes, & effectus formales similitudinis, & æqualitatis, qui sunt denominationes, & effectus relativi: ergo independenter ab intellectu datur forma relationis; ergo relatio realis. Major patet, minor quoad primam partem ostenditur, quia similia sunt, quorum qualitas una, sed duorum alborum à parte rei est una qualitas, nempe una albedo; ergo duo alba à parte rei sunt realiter similia. Rursus æqualia sunt, quorum unum non excedit aliud, nec exceditur ab alio, sed duo ligna palmaria ita se habent à parte rei, ut neutrum excedat, nec excedatur ab altero; ergo à parte rei datur unum æquale alteri. Probatur eadem minor quoad secundam partem, unum esse simile, seu æquale alteri, intelligi non potest sine ordine unius ad alterum; nemo enim est similis sibi, aut sibi æqualis; ergo hujusmodi denominationes, & effectus sunt relativi, eo enim ipso quod intelligi non potest absque ordine ad aliud, eorum esse est relativum, quia esse relativum nihil est aliud, quam esse ad aliud.

Dices à parte rei, & independenter ab intellectu non dantur nisi entia absoluta; ergo relativa dantur solùm dependenter ab intellectu. Antecedens probatur, quia à parte rei non dantur nisi album *A*, & album *B*. sed hæc sunt absoluta; ergo.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem concessa majori distinguo minorem, sumpta absoluta seorsim, concedo, simul nego minorem, & consequentiam. Utique hæc extrema seorsim accepta sunt quid absolutum, simul tamen sunt formaliter relativa ad invicem in ratione similitudinis, quia utrumque habet comparabilitatem cum alio per modum similitudinis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*In qua inquiritur quid sit ratio formalis constitutiva substantiæ.*

Multipliciter accipi posse nomen substantiæ certum omninò est. Aliqui enim tribus modis sumi posse excogitarunt, nimirum impropriè, vel pro quidditate, & rei essentia, secundùm quam acceptionem transcendit omnia prædicamenta, & omnia, quæ in prædicamentis non sunt, cum omnia suam essentiam, & quidditatem habeant. Secundò propriè idest pro qualibet entitate distincta ab accidentibus, hoc pacto materia, & forma, omnesque modi substantiales, erunt substantiæ, quia sunt entitates distinctæ ab accidentibus. Tertiò tandem propriissimè, vel pro entitate completa per se existente independenter ab alio, non solùm tanquam à subiecto, sed etiam tanquam à comparte. Modus tamen, quo magis communiter Auctores intelligere solent nomen substantiæ, solùm duplex est; ex quibus primus est pro rei quidditate, secundus verò pro ente per se existente. Modo controversia hìc non est de substantia latè sumpta, sed propriè accepta, ideft pro ut à cæteris prædicamentis distinguitur, & quæritur quænam sit ratio formalis ipsius primò constitutiva, cui ut fiat satis Divum Thomam, & solemnem Doctorem audire præstat. Primus quidem *in opusc. 48. de prædicamentis, & in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. ad 2* ubi de principali substantiæ conceptu disserens hæc habet: *substantia est res, cui debetur esse per se, seu existere per se, sicut accidens est ens, cui debetur esse in alio, quia esse actu per se, vel in alio non est ipsa quidditas substantiæ, vel accidentis, quia esse, seu existere in nulla quidditate est intrinsecum prædicamentum*. In qua doctrina duo insinuat Sanctus Doctor, seu potius tria nos edocet. Primò quod essentia substantiæ sit existere per se, secundò quod essentia accidentis sit existere in alio, tertiò quod quidditas tam substantiæ, quam accidentis non sit actualiter existere per se, aut in alio, quia actualiter existere non est de essentia alicujus creaturæ, sed solùm existere per se, vel in alio conditionaliter, & hypotheticè, quod idem est ac dicere; Si substantia actualiter existit, debitum est illi existere per se, & si accidens connaturaliter existit, modus ipsi connaturaliter existendi erit in alio existere, vel aliter conceptum substantiæ consistere in exigentia existendi per se, prout ly *per se* excludit subjectum, cui inhereat, & adhæreat, & à quo sustentetur. Itaquè secundùm Divum Thomam substantia est ens, cui debetur esse per se, non quidem actu, sed potentialiter.

Huic doctrinæ Divi Thomæ cohærenter loquitur Henricus pluribus in locis, præcipuè tamen in summa *articul. 32. quæstion. 5. Propria ratio prædicamenti substantiæ est secundum se existere, & prædicamenti accidentium communiter inhærere alteri*. Hæc itaque erit definitio substantiæ: *substantia est ens per se existens*. Sic communiter definiri solet etiam in Schola Scotistica, & apud Patres Societatis, ut videre est apud Suarezium in sua Metaphysica. An autem ly *per se*, qui est modus particularis substantiæ, substantiam ipsam in esse substantiæ constituens, consistat in pura negatione essendi in alio, controversia est inter Phylosophos communiter stantes pro negativa sententia, quam sibi suadent diversis, & efficacibus rationibus, inter quas potissima est, quia esse per se nobilius est, quam esse in alio, sed esse in alio est modus positivus non dicens puram negationem essendi per se, ergo à fortiori esse per se non erit pura negatio; sed potius aliquod positivum importans illam negationem essendi in alio. Secundò quia quælibet negatio fundari debet in aliquo positivo, maximè quando importat absolutam repugnantiam illius rei, quæ negatur, cum autem substantia taliter neget existere in alio, ut ipsi esse in alio repugnet, jam hæc in aliquo fundari debet, cum autem hoc aliquid esse nequeat ipsa ratio entis communis, quia aliàs omni enti conveniret esse per se; tum quia rationi entis non repugnat esse per se, vel in alio, sed indifferenter se habet ad utrumque modum essendi, jam hoc aliquid erit aliquis modus positivus, vel ipsa perfeitas. Tertiò, quia substantia est ens adæquatè positivum, sed ens adæquatè positivum in genere positivi constitui nequit per ullam negationem, ergo. Quartò tandem, quia quamvis substantia describatur per negationem, dum dicitur quod sit ens existens non in subiecto, sub ista tamen negatione intelligi debet aliquod positivum, ex quo sequatur ipsa negatio.

His

His omnibus rationibus libenter ſubſcribo, ſed aduerto ſolùm, ut doctrinæ conſonantiam propugnem in hoc meo curſu phyloſophico, & ne Lectori videar contraria aſſerere, mihi aliquem primò obiicere poſſe dicendo, quòd ſicuti quià eſſe per ſe eſt nobilius eſſe in alio, eſſe per ſe debet eſſe aliquod poſitiuum, pari iure cum ſubſiſtere in ſe ſit nobilius, quam non ſubſiſtere, ſubſiſtentia erit aliquod poſitivum, non verò negativum, quod tamen non affirmo, ſed potius cum ſchola ſubtilis in negatiuo ſubſiſtentiam reponam. Secundò ſi negatio præſeferens repugnantiam ſundari debet in aliquo poſitivo; ergò cum naturæ prout ſubſiſtenti repugnet alteri communicari, iam hæc repugnantia fundabitur quoquè in aliquo poſitivo, quod poſitivum eſſe nequit, niſi ipſa ſubſiſtentia. Tertio tandem, quià ſi ſubſtantia quamuis deſcribatur per negationem, non conſiſtit tamen in negativo, ita à pari quamuis ſubſiſtentia per duplicem negationem explicetur, non illicu affirmari debet in illa duplici negatione conſiſtere, ſed in aliquo poſitivo inſerente illam duplicem negationem. Sed

His non obſtantibus reſpondeo me nihil contrarium hic aſſerere iis, quæ à me ſuo loco dicenda ſunt, ubi de ſubſiſtentia creata. Primum enim in contrarium non obſtat, quià eſſe per ſe, nedum eſt nobilius, quàm eſſe in alio, ſed inſuper nobilius eſt in linea eſſentiali, ità ut eſſe per ſe ingrediatur eſſentiam ipſius ſubſtantiæ, vi cuius ſubſtantia nobilior conſpicitur, adeoquè ipſa perſeitas debet eſſe quid poſitivum, in quo ipſa negatio radicatur; at res prout ſubſiſtens non eſt nobilior in linea eſſentiali, ſed exiſtentiali, quatenus melius eſt ultrà propriam exiſtentiam, ſubſiſtentiam ipſam importare, quàm ipſam non dicere. Secundum non urget; nam quemadmodum negatio eſſendi in alio fundari debet in aliquo poſitivo, ſic quoque idem affirmo loquendo de ſubſiſtentia. Fundatur enim utraquè negatio communicationis, quam hæc importat in natura ſubſiſtente in aliquo poſitivo, videlicet in ipſa natura; nec tandem tertium aliquid urget, quia eſſe per ſe ſolùm explicatur per negationem, non verò eſt quid negativum, quia cùm ſit modus primò conſtituens ſubſtantiam in linea ſubſtantiæ, in qua linea ſubſtantia eſt adæquatè poſitiva, debet etiam talis modus eſſe aliquod poſitivum. Subſiſtentiam verò nedum explicatur per duplicem negationem, ſed eſt ipſa duplex negatio, ut ſuo patebit loco.

Quæri hic ulterius poſſet an ſubſtare accidentibus ſit ipſius ſubſtantiæ eſſentia, cui reſpondeo negativè. Ita Sanctus Doctor *opuſc.* 48. ubi hæc habet; *quod proprium eſt primæ ſubſtantiæ ſubſtare accidentibus*, ex quibus vides velle Divum Thomam ſubſtare accidentibus eſſe ſolùm proprietatem ſubſtantiæ; cui adhæret Henricus in *Summa art.* 32. *queſt.* 5. ubi hæc lego: *Ideò proprius modus prædicamenti ſubſtantiæ qui eſt ſubſtare accidentibus conveniens etiam corporeis, & incorporeis*, ulterius, quia à Doctore Deo tribuitur propria ratio prædicamenti ſubſtantiæ, cui tamen negatur ratio ſubſtandi alteri, quod evenire non poſſet, ſi alteri ſubſtare eſſet primus conceptus ſubſtantiæ.

Secundò etiam ratione ſuadetur hæc quæſiti reſolutio, nam prius eſt rem eſſe in ſe, quam alia ſuſtentare, ſed pro illo priori intelligitur ſubſtantia; ergo: Probatur Minor, cum Major certiſſima ſit. Pro illo priori, in quo intelligitur eſſe per ſe, intelligitur quidam modus particularis ſubſtantiæ, ipſi ſoli conveniens; ergo intelligitur ſubſtantia. Probatur hæc Conſequentia, quià ratio conſtitutiva cujuslibet prædicamenti ſunt modi peculiares, quos importat.

## CAPUT PRIMUM.

*In quo aliquæ dirimuntur objectiones contra ſuperiorem doctrinam.*

Cum ſuperiori capite tria dicta ſint: primò videlicet, quòd eſſentia ſubſtantiæ conſiſtat in eſſe per ſe; ſecundò quod eſſe per ſe non importet puram negationem eſſendi in alio tanquam in ſubjecto, tertiò tandem quod ſubſtare accidentibus non ſit eſſentia ejuſdem ſubſtantiæ, triplex quoque remanet locus arguendi adverſariis, & primò contra primum. Natura humana in Chriſto eſt ſubſtantia, ſed hæc non ſubſiſtit per ſe, ſed ſolùm per ſubſiſtentiam verbi; ergo ſubſiſtere per ſe non eſt eſſentia ſubſtantiæ. Contra ſecundam verò, quia ratio conſtitutiva ſubſtantiæ addere debet aliquid ſupra ens, atqui non addit aliquod poſitivum; ergo addit ſolùm puram negationem eſſendi in alio. Oſtenditur Minor, quia ens imbibitur in qualibet re; ergo nihil reale poſitivum ſuperadditur enti. Secundò quia ſi ly per ſe eſſet ens poſitivum; ergo jam ratio entis bis poneretur in definitione ſubſtantiæ, ſed Henrico teſte illa definitio, in qua aliqua ratio bis ponitur cenſetur nugatoria, quapropter affirmat, quòd ratio differentiæ ſit extra rationem generis, & vice verſa; ergo eſſe per ſe erit pura negatio. Tertiò tandem contra tertiam Concluſionem, quia ex eo probat Phyloſophus primas ſubſtantias eſſe magis ſubſtantias, quàm ſecundas, quia pluribus ſubſtant; ergo de mente Phyloſophi eſt, quod eſſentia ſubſtantiæ conſiſtat in hoc, quod eſt ſubiici accidentibus aliàs ejus ratio nullius roboris eſſet. Sed

Nulla ex his rationibus urget, non quidem prima, nam quamvis natura humana in Chriſto non habeat propriam ſubſiſtentiam perſonalem, cùm hæc habeatur à verbo divino, habet tamen propriam ſubſiſtentiam eſſentialem, & abſolutam, eo ipſo enim quod aliquid eſt ſubſtantia, habet exiſtentiam per ſe, ſed communicabilem ſuppoſito, nec ſecunda urget ratio, quia quamvis verum ſit, quod ratio conſtitutiva ſubſtantiæ addere debeat aliquid ſupra ens, non tamen hoc aliquid eſſe debet quid negativum, ſed aliquod poſitivum ob dicta; nec officit, quod ratio entis imbibatur in qualibet re, quia ratio entis quæ imbibitur in differentiis non eſt illa, quæ eſt contrahibilis, in quo caſu verum eſſet, quod nihil poſitivi adderent differentiæ, ſed eſt ratio entis poſitiva, quæ ſit contractiva; vel dici poteſt cum Schola Thomiſtica eſſe per ſe addere aliquid ſupra ens, quia explicat proprium modum, qui per ipſum entis nomen non exprimitur, unde non ſequitur definitionem fore nugatoriam. Nec tandem urget tertia ratio, quia affirmari poteſt, quod dum Ariſtoteles aſſerit primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam, quia pluribus ſubſtat de proprietate ſubſtantiæ locutus ſit.

## CAPUT SECUNDUM.

*In quo quæritur, quot ſint ſubſtantiæ, ejuſque proprietates.*

Communiter dividi ſolet primò ſubſtantia in finitam, & infinitam, ſecundò in completam, & incompletam. Tertiò in univerſalem, & particularem, ſeu primam, & ſecundam. Nomi-

ne secundæ substantiæ intelligitur illa substantia, quæ quamvis in subjecto non sit, de subjecto tamen dicatur. Nomine verò primæ communiter intelligitur illa, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur. Hanc ultimam divisionem apertè tradit Henricus in *Summa art.* 53. *quæst.* 5. illis verbis: *substantia enim, quæ subsistit in Creaturis duplex est secundùm quod in eis duplex est suppositum, scilicet universale generis, & speciei, ut Animal, & Homo, & singulare individuum sub specie*. Per illas autem particulas *non esse in subjecto* utrique substantiæ convenientes, intelligenda est sola exclusio subjecti inhæsionis, non verò prædicationis, vel informationis. Natura enim humana substantia est, cùm tamen prædicetur de pluribus, & quælibet forma substantialis pariter substantia est cum tamen materiam informet, quæ explicatio conformis est Henrico, ut patet ex his verbis, quæ habet in summa *art.* 21. *quæst.* 11. *num.* 16. *Nomen enim substantiæ dicit aliquid, quod est ens non existens in alio, ut in subjecto, nomen verò accidentis dicit ens, quod est existens in alio, & secundùm hoc substantia, & accidens constituunt diversa genera prædicamentorum*; super quæ verba adverto, quòd eo modo docet Doctor convenire substantiæ excludere subjectum, quo accidentibus convenit tale subjectum non excludere, sed includere, sed accidentibus convenit includere subjectum inhæsionis, ita ut ejus essentia sit ipsa aptitudinalis inhærentia; ergo carentia subjecti, quam importat substantia in ejus definitione, est carentia subjecti inhæsionis.

Hoc autem statuto superest inquirendum, an substantia, quæ dividitur in primam, & secundam sit substantia prout abstrahit à completa, & incompleta, an verò sit substantia ratione suæ essentiæ, vel an sit substantia prout substat accidentibus, vel tandem sit ipsa essentia substantiæ in diversos modos subsistendi, videlicet vel particulariter, vel universaliter, ut asserunt Patres Complutenses, vel sit eadem essentia substantiæ, ut induta secunda intentione subiicibilitatis, & prædicabilitatis. Circa quod sentio, quòd divisa sit ipsa essentia substantiæ in diversos modos, quorum unus est substare, ut individuum substantiæ, alius verò est substare per denominationem ab ipsis primis substantiis, ut explicat Joannes à S. Thoma, ex Divo Thoma supra *opusc.* 48. de prædicamentis *cap.* 3. illis verbis: *Quod substare dicitur dupliciter scilicet pro substare accidentibus, & pro substare universalibus sicuti minus universale est sub magis universali... Quod proprium primæ substantiæ est substare accidentibus, ex quo sequitur, quòd substare accidentibus principaliter convenit primæ substantiæ*; quam Divi Thomæ doctrinam clarius explicat idem Auctor illis verbis: *Quòd substantia prima habet substentare accidentia in exercitio*; substantia verò secunda habet substentare accidentia denominativè, quatenus cùm identificentur cum primis substantiis, recipiunt denominationem substentantis.

Divisione autem substantiæ percepta, quot sint eius proprietates remanet inquirendum, cùm enim quælibet res suas habeat proprietates, etiam ipsa substantia illas habere erit opus. Communiter autem sex afferuntur proprietates, quarum prima est substantiæ convenire non esse in subiecto. In hac autem proprietate duo aduertere licet, & distinguenda, dum dicimus non esse in subiecto esse substantiæ proprietatem, videlicet vel per ly non esse in subiecto intelligitur modus positivus perseitatis, vel ipsa negatio, quæ consequitur. Si primum non esse in alio non erit proprietas, sed essentia, ut suprà ostensum est. Si verò secundum dicatur, erit utiquè proprietas, sed impropriè, cùm sit quid negativum.

Secunda proprietas est, quòd secundæ substantiæ univocè prædicentur de primis, hoc est essentialiter, & æqualiter ad differentiam prædicatorum transcendentium, quæ prædicantur utique essentialiter, sed non æqualiter, & accidentium, quæ prædicantur æqualiter, sed non essentialiter.

Tertia proprietas est, quod substantia significat hoc aliquid, quod de prima intelligendum est. Significare autem hoc aliquid dupliciter intelligi potest, primò prout importat aliquod singulare, & determinatum; secundò prout dicit aliquid per se subsistens. In utroquè sensu acceptum ly hoc aliquid suam habet veritatem; in primo quidem quià quamuis significare hoc aliquid conveniat etiam accidentibus, tamen accidenti non convenit eo modo, quo est proprietas substantiæ, siquidem substantia prima significat hoc aliquid primariò; accidentia verò non sic, sed secundariò, ut aduertit noster Magister Ventura. Si verò sumatur lo secundo sensu, videlicet prout significat aliquod singulare per se subsistens, ut explicant Patres Complutenses, & Pater Antonius Goudio, adesse potest non mediocris difficultas, siquidem dum dicitur substantiam significare hoc aliquid, per ly *hoc aliquid*, vel sit reduplicatio suprà rem, ut singularem, vel suprà rem, ut per se subsistentem. Si primum jam non assertur rigorosa proprietas substantiæ, quià significare rem singularem, non solùm est proprium primæ substantiæ, sed etiam cuiuslibet rei importantis propriam existentiam; si verò dicatur secundum; ergo nulla erit hæc tertia proprietas, cùm esse per se non sit proprietas, sed quidditas substantiæ.

Quarta proprietas est, quòd substantiæ nihil est contrarium. Hæc tamen non est proprietas quarto modo, quia conuenit etiam quantitati. Undè, iuxta hanc proprietatem, ignis, & acqua ratione substantiæ non contrariantur inter se, sed solùm ratione suarum qualitatum, & quamuis formis substantialibus contrarientur earum privationes, nihilominus adhuc est vera proprietas substantiæ, quià inter formam substantialem, eiusquè privationem non est vera contrarietas, quià non est sub eodem genere, sed sub diversis generibus. Tum quià vera contrarietas datur inter positivum, & positivum, non verò inter positivum, & privatiuum, qua propter forma, & priuatio contrariò non opponuntur.

Quinta proprietas est non suscipere magis, & minus, quod verum est, non solùm loquendo da substantiis completis, verum etiam incompletis. Qua propter licèt una substantia sit alia perfectior verbi gratia homo relatè ab bruta, tamen una substantia non est magis substantia, quàm alia in linea substantiæ.

Sexta tandem, & ultima proprietas, supra quam aliquantulum immorati est opus, est quòd eadem substantia sit contrariorum susceptiva. An autem hæc proprietas quarto modo conveniat substantiæ, videlicet soli, & omni substantiæ, res non est omninò certa. Substantiæ enim universales sunt veræ substantiæ, & nihilominus non sunt receptivæ accidentium contrariorum. Recipere enim proprium est substantiæ singularis. Insuper Cœli, & Angeli verè sunt substantia, cum tamen contraria non recipiant, aliàs corrumpi possent, nec videtur soli sub-

stantiæ

stantiæ convenire, quia in Henrici sententia etiam quantitas subjectum est immediatum omnium accidentium, & idem intellectus scientiam, & errorem recipit, sicuti qualitates intensibiles remissionem, & intensionem, quæ sunt motus contrarii, & oratio eadem manens veritatem, & falsitatem.

Sed nihilominus judico recensitam proprietatem quarto modo convenire substantiæ, si cum grano salis intelligatur, videlicet de prima ratione recipiendi, & substentandi omnia accidentia, non verò de ratione recipiendi secundùm quid, seu ut loquuntur Patres Complutenses de *subjecto quod*, non verò, *de subjecto quo*, in quo sensu superiores instantiæ non urgent, non quidem prima, nam etiam secundæ substantiæ sunt susceptivæ contrariorum, cum hac sola differentia, quòd primæ immediatè sunt contrariorum susceptivæ, substantiæ verò universales mediatè, & identicè, quod verùm est solùm loquendo de actuali receptione, quæ prius convenit primis substantiis, quàm secundis, non verò de aptitudinali, quæ è contrà primò secundis convenit, quàm primis. Non secunda, quia Angeli & Corpora Cœlestia pariter contraria recipiunt cum recipiant contrarios motus locales ut in corporibus cœlestibus evenit, & actus contrarios, ut amorem, & odium in Angelis. Nec tandem tertia valet instantia, quia quantitas recipit accidentia contraria non per modum subjecti *quod*, vel per modum primæ rationis substentandi, sed per modum subjecti *quo*, seù rationis, qua substantia est receptiva. Per quod patet solutio ad illud de qualitatibus intensibilibus.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum Deus ponatur in prædicamento substantiæ.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas negativè.*

Posito conceptu primario substantiæ, & indicatis ejusdem proprietatibus, Inquirendum nunc est, an Deus ponatur in prædicamento substantiæ. In qua difficultate Henrici sententia est negativa pluribus in locis, præcipuè tamen *art. 26. in Summa, quæst. 2.* ubi nedum insinuat sententiam hanc recipiendam esse, verùm etiam rationem efficacem exhibet, quæ sub hac forma proponitur. Si repugnat Deum constitui in prædicamento substantiæ ex natura ipsius Dei, ex natura ipsius prædicamenti, & substantiæ, Deus non ponitur in prædicamento substantæ, atqui de facto repugnat Deum constitui in prædicamento substantiæ ex hoc triplici capite, ergo. Probatur minor, quo ad omnes partes, quas includit, & primò. De essentia prædicamenti est, quòd ratio prædicamenti sit aliquid in eo, in quo est præter intentionem ipsius entis, à quo ipsum ens recipit determinationem, atqui repugnat, quòd in Deo ipsum esse sit aliquid præter esse per se, à quo recipiat determinationem; ergo repugnat, quòd Deus ponatur in prædicamento ex natura ipsius Dei. Major liquet, nam res prædicamenti prout ens, est aliquid præter intentionem ipsius rationis formalis prædicamenti, quod inde constat, quia res quælibet prout ens non ponitur in aliquo determinato prædicamento, ut etiam advertit Doctor his verbis: *substantia siquidè, qua ens neque est substantia, neque aliqua substãtia, neq; accidens*; ergo res prædicamenti prout ens importat aliquid præter rationem prædicamenti. Probatur itaque minor. Si in Deo ipsum esse esset aliquid præter esse per se, ipsum non importans, jam ipsum esse, cum esse per se, seu cum ipsa perseitate faceret compositionem, & ab ipso reciperet determinationem; atqui repugnat in Deo compositio, & quòd ipsum esse recipiat determinationem, cùm sit summè simplex, & actus purissimus per se existens absquè omni alia intentione ei superaddita; ergo.

Minor autem quoad secundam partem certa est, nam prædicamentum qua tale illud est, quod importat & ipsum esse, & id, per quod res est, ita ut id, per quod res est addat aliquod suprà esse; atqui in Deo non sic distinguuntur esse, & esse per se, nec esse per se addit aliquid suprà ipsum esse, sed est formalissimè ipsum esse, vi cujus formaliter habet esse per se, cùm vi illius formaliter habeat omnem perfectionem; ergo.

Tertia verò pars minoris ostenditur. Totũ id, quod est sub prædicamento substantiæ, vel debet esse sub ipso tanquam species, vel tanquã individuum, neutro modo Deus esse potest; ergo nõ potest esse sub prædicamento substantiæ. Probat. minor. Id, quod est sub genere per modũ speciei, formaliter dicere debet differentiam aliquam determinativam ejusdem generis, atqui in Deo dari nequit differentia formaliter determinativa, siquidem si daretur actu ratio formaliter determinativa, dari deberet etiam ratio generica, cùm ratio determinativa qua talis ordinẽ dicat ad rationem determinabilem, quæ in Deo repugnat, cùm dicat potentialitatem, vel exclusionem summi esse simplicis; ergo.

Dices compositionem istam solùm esse compositionem Metaphysicam, vel Logicam, quæ nullatenus Deo repugnat, quemadmodum ipsi distinctio in eadem linea non opponitur.

Contrà est multipliciter. Primò quidem, quià cùm Deus sit summè & infinitè simplex debet quoque importare omnem simplicitatem possibilem, quemadmodum quià Deus est infinitè perfectus, imbibere debet omnem perfectionem possibilem, atqui simplicitas Metaphysica est simplicitas possibilis, ergo etiam hanc Deus habere debet. Secundò, quia dum Deus ab intellectu concipitur, concipi debet ut actus purissimus; sed ut actus purissimus excludit compositionẽ ex genere, & differentia, ergo etiam excludit compositionem purè Logicam, seù intentionalem. Tertiò quia compositio Metaphysica est compositio intrinseca in Henrici Schola, quæ certè Deo repugnat.

Probatur secundo conclusio ratione Divi Thomæ, quam exhibet *prima parte quæst. 3. art. 3.* parum diversa ab illa quam retulimus ex Henrico. Si Deus poneretur in prædicamento substantiæ, vel poneretur tanquam genus supremum, vel tanquam species, & individuum sub supremo genere, Atqui nullum ex his affirmari potest, ergo. Probatur minor per partes, & primo poni nequit ut supremum genus, quià si sic poneretur, omnes substantiæ prædicamentales participantes tale genus essent infinitæ, nec affirmari potest, quod ponatur tanquam species, quia species ex genere suo importat compositionem ex genere, & differentia, sed Deus componi nequit ex genere, & differentia, ergo. Maior liquet, species enim qua talis coalescit, ex genere, & differentia, cùm nec purum genus sit species, nec sola differentia sit integra species. Probatur itaquè minor: Deus nequit importare in sui constitutione aliquod prædicatum derogans esse purissimo sed compositio ex genere, & differentia derogat esse purissimo

mo; ergo. Probatur minor. Prædicatum illud derogat esse purissimo, quod importat potentialitatem, sed quod dicit in sui constitutione rationem genericam præsefert potentialitatem, ergo. Maior certa est; esse enim purissimum tale dicitur, quia excludit omnem potentialitatem.

Probatur tertiò Conclusio. Res quæ ponitur in prædicamento habere debet quendam modum particularem essendi, sed enti simpliciter infinito, & quidem in omni linea, ut Deus est convenire nequit hic peculiaris modus essendi, sub quo comprehendatur; ergo. Major est certa. Prædicamenta enim nihil aliud sunt, quàm quidam modi particulares essendi, ita ut quodlibet prædicamentum supra aliud nihil aliud dicat, quàm particularem essendi modum; v. gr. actio supra passionem explicat solùm esse ab, relatio verò esse ad. Probatur itaque Minor, quia ens infinitum in omni genere importat omnem plenitudinem essendi, sed tota essendi plenitudo comprehendi nequit sub aliquo particulari modo essendi, cum nullum totum claudatur sub sua parte; ergo ens infinitum comprehendi nequit sub aliquo modo essendi.

## CAPUT SECUNDUM.

*In quo diluuntur præcipuè rationes oppositæ.*

Primum argumentum in ordine illud est, quod sibi obiecit Henricus *in Summa art. 32. quæst. 5.* sic autem procedit. Ratio substantiæ est esse per se, sed Deo propriissimè convenit esse per se; ergo Deus propriè ponitur in prædicamento substantiæ.

Auctores nostram propugnantes sententiam multipliciter huic argumento respondere solent. Quidam Thomistæ dicunt dupliciter intelligi posse substantiam esse ens per se; primò ut ly *per se* dicit puram negationem, videlicet negationem essendi in alio, secundò prout dicit *naturam, cui debitum sit esse per se*. Primò modo esse per se nequit constituere rationem substantiæ, quia substantia ut superius diximus constitui nequit per negativum; io secunda verò acceptione pariter Deo nequit convenire ipsa substantia, quia Deus non est in potentia ad esse per se, cum essentialiter sit ipsum esse per se, unde in forma distinguunt Majorem. Ens per se ly per se prout importat præcisam negationem essendi in alio, & potentiam ad esse per se, negant Majorem, aliter concedunt Majorem, & distinguunt minorem. Deo propriissimè convenit esse per se, prout esse per se dicit non esse in alio concedunt minorem, prout dicit quidditatem in potentia ad esse per se negant Minorem, & Consequentiam. Distinctio ex se manifesta est.

Alii verò in schola Thomistica diversimodè loquentes dicunt Deum utique esse ens per se subsistens, at non univocè cum substantia creata, sed purè analogicè, cum Deus longè perfectiori modo per se subsistat, quàm Creatura; subsistit enim per plenitudinem essendi; substantia verò creata per imperfectam plenitudinis participationem, cui solutioni ex nostris adheret Illustris. Lodigerius *lib. 1. disp. 3 quæst. 4. de Deo uno.*

Vera tamen solutio, cui standum esse iudico illa est, quam tradit Doctor loco superius assignato, ubi docet prædicamentum substantiæ duo importare unum de materiali, & dicitur res prædicamenti, alterum de formali, & dicitur ratio prædicamenti. Res prædicamenti est ipsa natura contenta in determinato prædicamento. Ratio verò prædicamenti est modus, quo in prædicamento continetur. Tam autem secundùm rem, quàm secundum rationem dupliciter sumi potest ipsa substantia, videlicet & prout dicit compositionem ex esse, & ipso modo essendi, & prout dicit solùm præcisam rationem essendi. Priori modo Deus non habet rationem substantiæ, quia in Deo non cadit compositio ex re, & modo essendi, ità ut talis modus essendi compositionem faciat cum ipso esse. Secundò tamen modo, videlicet prout importat rationem essendi per se propriè Deo convenit, immò magis propriè, & perfectius, quam conveniat Creaturæ, quia verius, & perfectius habet in se subsistere, quantum est ipsum esse purum, & simplex per essentiam subsistens, vel potius existens, per quod patet in forma. Sed

Instabis primò Contrà datas solutiones. Esse per se est modus formaliter constituens substantiam, non prout dicit negationem, sed prout importat aliquod positivum, ratione cuius intelligitur res subsistere in se, atqui in Deo datur hic modus, ratione cuius per se existere potest; ergo datur formale substantiæ constitutivum, sed non stat dari formale constitutivum substantiæ, & non ingredi in prædicamentum substantiæ; ergò Probatur minor, nam in Deo datur hoc, quod est per se existere.

Instabis secundò contrà secundam solutionem. Esse per se, quod substantiam constituit est esse per se exclusivum dependentiæ ab alio, tanquam à subiecto, in quo inhæret, sed hoc eodem modo conuenit substantiæ creatæ, ac Increatæ; ergo. Probatur minor. Tunc eodem modo conueniret Creaturæ, ac Deo, quando ratio essendi per se modo explicato esset prædicatum primo constitutivum substantiæ, qua substantia est, non qua increata. Patet hoc nam si esse per se convenit substantiæ, ex genere suo, convenire debet etiam tali substantiæ, cum taleitas substantiæ non tollat rationem substantiæ, tum quià prædicata, quæ conveniunt essentialiter alicui rationi ex genere suo, vel ex suo primo conceptu, in quocumque statu eidem rei convenire debent, sed de facto esse per se per exclusionē inherentiæ, tum actualis, tum aptitudinalis est prædicatum conveniens substantiæ, qua substantia est; ergò.

Confirmatur nam conceptus substantiæ optimè explicatur dicendo rem illam esse, quæ si intelligatur existens, illi conveniat existere per se, & non in alio, sed quamuis quælibet substantia creata contingenter existat, Deus autem per suam essentiā existat existentia sibi formaliter identificata, nihilominus verum est, quod si substantia creata existit, modus existendi ipsius erit per se, vel per exclusionem subiecti, in quo inhæreat; ergò.

Instabis tertiò. Compositio Logica Deo non repugnat, quamuis repugnet Physica, quemadmodum esto Deo repugnet ratio potentiæ physicæ non repugnat tamen ratio potentiæ logicæ, & etiam plusquam logicæ in nostra sententia respectivè ad intellectionem, ergo titulo compositionis non implicat Deum poni in prædicamento substantiæ.

Confirmatur in divinis datur esse personale, sed hoc est esse genericum; ergò. Prob. minor quia ratio generica illa est, quæ redditur multiplex per sui rationes diuisiuas, sed esse personale revera redditur multiplex per sui rationes diuisiuas; ergò.

Respondeo ad omnia, & quidem ad primam instan-

instantiam distinguo maiorem. Esse per se est modus formaliter constituens substantiam prout importat aliquod positivum faciens cum ipso esse compositionem, Concedo majorem, non faciens, nego maiorem, & distinguo minorem. In Deo datur hic modus distinctus ab ipso esse Dei, cum quo faciat compositionem, nego minorem, non faciens cum ipso esse, concedo minorem, & nego consequentiam. Utiquè in Deo datur hoc, quod est per se existere, seù ratio prædicamenti, at hæc non facit compositionem cum ipso esse, cui aduenniat, cùm esse per se in Deo sit ipsum suum esse; per quod patet etiam ad secundam instantiam.

Ad confirmationem distinguo maiorem. Conceptus substantiæ optimè explicari potest, dicendo quòd sit illa res, quæ formaliter intelligitur per se existere ly *per se* accepto pro præcisa ratione non essendi in alio, nego maiorem, ly *per se* sumpto pro re modali positiva determinante, & restringente ipsum esse, concedo maiorem, & pariter distincta minori, nego Consequentiam. Itaque dico, quòd quandò dicimus esse per se formaliter constituere substantiam, non accipitur esse per se, prout dicit solam negationem essendi in alio, quià sic non cadunt in divisionem entis substantia, & accidens, sed sumitur esse per se, prout præsefert aliquod positivum, quo determinetur ens simpliciter dictum. Modo autem hoc secundo convenit esse per se substantiæ creatæ, non verò increatæ. Convenit inquam creatæ, quià verè ly *per se* exercet munus determinativi relativè ad rationem entis; at non convenit Deo, quià per se existere non est aliquid ultrà ipsum esse Dei, cùm esse per se in Deo essentiale sit ipsi suo esse.

Ad tertiam instantiam dico, quòd si in Deo poneretur genus, quamvis logicum, hoc certè deberet contrahi, vel saltem posset contrahi per plures differentias diversas ejusdem generis constituentes plures species, nullum est autem prædicatum in Deo, quod sic dividi possit, quia quodlibet, cùm divinum sit, dividi nequit in plures differentias, cum quibus constituat diversas species, aliàs esset multiplicabile, quod repugnat. Undè aliud est prædicata divina distingui inter se, aliud verò distingui per modum generis, & differentiæ. Primum verùm est, quamvis deindè distinctionem hanc, quæ ponitur, aliqui existiment consistere in sola maiori explicatione unius prædicati divini respectivè ad aliud, non verò ex parte rei significatæ, ut communiter Thomistæ docent cum suo Doctore, alii vero formalem ex natura rei, ut Scotistæ derogantes in hoc divinæ simplicitati, ut dictum est suo loco. Secundum tamen falsum est ob rationes alibi relatas, quibus addo differentiam in Deo repugnare etiam ex hoc capite, quia hæc importat majorem actualitatem respectivè ad prædicatum genericum, quod evenire nequit in Deo, quià in ipso ex parte rei significatæ non datur aliquod prædicatum alio actualius; undè in forma nego Antecedens; ad cujus probationem distinguo, Intellectus habet rationem potentiæ in ordine ad intellectionem ex parte rei significatæ, nego Antecedens, ex parte modi significandi, concedo Antecedens, & nego consequentiam.

Ad confirmationem dico, quòd esto in divinis multiplex sit esse personale, multiplex tamen non est per divisionem differentiarum, quæ ipsum contrahant, & ratio est illa eadem, quam refert noster Illustrissimus Lodigerius, quia videlicet differentiæ naturæ genericæ una cum natura generica dividunt plura inferiora inter se adæquatè distincta, ut patet in rationalitate, & irrationalitate, quæ taliter dividunt animal, ut ipsum dividant in plura inferiora adæquatè distincta. Homo enim, & equus adæquatè distinguuntur, at non sic in casu nostro rationes divisivæ esse personalis dividunt esse personale in plures personas totaliter distinctas, cùm personæ divinæ essentialiter ab invicem non distinguantur, sed solùm personaliter.

Arguunt secundò alii, evertendo ultimum asserti fundamentum superius expositum. Ideo Deus non ponitur in prædicamento substantiæ, quia propter ejus infinitatem claudi nequit in prædicamento, quod est quidam modus particularis essendi; sed hæc infinitas non obstat, ergo. Minor suadetur multipliciter, & primò, quià Deus, ut per se subsistens, solùm explicat particularem modum essendi, ergo saltem sub hac reduplicatione poni poterit in prædicamento substantiæ. Secundò, quia albedo, quamvis spectare possit ad prædicamentum relationis, si simul cùm alia accipiatur, nihilominus claudi potest, & clauditur terminis prædicamenti qualitatis, ergo à pari, quamvis ens simpliciter infinitum non claudatur simpliciter, & absolutè terminis alicujus prædicamenti determinati, poterit nihilominus spectare ad prædicamentum substantiæ. Prob. Consequentia. Ideo primum, quia albedo quamvis extendatur ad prædicamentum relationis, non extenditur tamen sub eadem ratione formali, sub qua spectat ad prædicamentum qualitatis; ergo quamvis simpliciter infinitum non posset claudi in determinato prædicamento, si simpliciter, & absolutè consideretur, poterit tamen prout importat determinatum aliquem respectum, seù rationem essendi per se, sed de facto Deo convenit hæc ratio essendi per se; ergo. Tertiò infinitas relucens in divina essentia non tollit, quin hæc contineatur sub objecto potentiæ intellectivæ finitæ, ergo nec etiam quin contineatur in prædicamento substantiæ.

Hoc argumentum adeò semper existimavi, ut propter ipsum aliquando paratus essem rationem superiori capite ultimo descriptam deserere, quamvis communis sit apud Thomistas, Scotistas, & quod magis interest ipsa utantur Dionysius, Cirillus, Lactantius, aliique plurimi; nihilominus pro viribus satisfacere conabor, ut rationem communem propugnem dicendo, quod Deus, nec etiam sub ratione per se subsistentis claudi potest in prædicamento substantiæ. Ratio est, quia etiam sub ista ratione implicitè dicit infinitatem, cùm infinitas sit prædicatum transcendens; venit enim ipsum esse, quod in omni genere infinitum est. Esse autem infinitum qua tale non explicat, nec implicat particularem modum essendi, sed omnem essendi plenitudinem; per quod patere potest ad secundum.

Ad tertium verò disparitas est, quia infinitas ab essentia divina non tollit rationem veri, adeoque non tollit, quin essentia esse possit objectum intellectus creati capacitatem habentis remotam ad quodlibet verum cognoscendum; at verò infinitas ejusdem essentiæ tollit ab ipsa, quòd terminis claudatur, & modum particularem essendi habeat, adeoque etiam quod in prædicamento ponatur.

Obiicies tertiò: quidquid de Deo dicitur substantialiter, vel relativè dicitur; sed non stat quod aliquod relativè de Deo dicatur, quin Deo tribuatur

 relatio,

relatio, ut ex eodem August. patet *cap. 8. de Trinitate* illis verbis *non tamen omne, quod dicitur secundùm substantiam dicitur*. Dicitur enim ad aliquid; ergo nō stat, quod de Deo aliquid substantialiter dicatur quin Deo tribuatur ratio substantiæ. Major est certa, cujus certitudinem partim insinuat Augustinus 5. *de Trinitate cap.* 8. & Boetius ad Joannem, & communis Theologorum consensus. Verba Augustini refero: *quia quæcumque in Deo simul tribus personis conveniunt substantialiter dicuntur*.

Huic argumento non unica est apud Henricum solutio. Præcipua est dari in Deo rationem prædicamenti relationis, quia natura hujus prædicamenti Deo non repugnat, cum dicat purum respectum ad aliud, nullatenus contrarius modo essendi per se, & à se; at verò esse in prædicamento substantiæ Deo repugnat, quia importat esse per se ab ipso esse distinctum, quod Deo implicat cùm in ipso esse, & esse per se non distinguantur.

Quæres hic an Christus ratione naturæ humanæ ponatur in prædicamento.

Respondeo affirmativè, quia univocè est homo, ut fides docet, ex Anima rationali, & humana carne subsistens; ergo ponitur sub specie Hominis, siquidem ponitur univocè sub Homine, & consequenter sub animali vivente, quod est poni sub genere, & specie, atque adeò in gradibus prædicamenti.

Dices non est vera hæc propositio. *Christus est Creatura*; ergo neque hæc alia *Christus ponitur in prædicamento*. Patet hæc consequentia, quia utraque imperfectionem importat; rem enim esse in prædicamento, est rem ipsam componi ex potentia, & actu.

Respondeo disparitatem esse, quia in hac propositione Verbum est Creatura, creatio cadit, vel cadere potest supra suppositum, cum indifferens sit ad designandum suppositum, vel naturam propter sui transcendentiam, ut optimè ex Thomistis advertit Joannes à Sancto Thoma, unde nil mirum quod dicta propositio vera non sit, sicuti ideò vera non est hæc alia: verbum assumpsit hominem in communiori Theologorum, & Scolasticorum sententia, quia homo, licèt de formali solùm humanitatem significet, de materiali tamen, & indistinctè significat suppositum, ut optimè advertit in suo tractatu de Incarnatione ex Thomistis Illustriss. Petrus de Godoy. At dum dicitur Christus est in prædicamento, ly *est* in prædicamento formaliter cadit supra naturam humanam à verbo assumptam.

Dices; si Christus, ut homo poneretur in prædicamento substantiæ, etiam ut Deus poni deberet in hujusmodi prædicamento; hoc secundum non dicitur; ergo nec primum. Ostenditur Major paritate. Si Christus, ut homo peccaret, etiam verbum prout in humanitate subsistens denominaretur peccans; ergo etiam si Christus homo poneretur in prædicamento substantiæ, etiam, ut Deus poni deberet in hujusmodi prædicamento.

Confirmatur. Non stat, quòd Christus, ut homo denominetur passibilis, & mortuus, quin verbum prout in humanitate subsistens denominetur passibile, & mortuum per communicationem idiomatum; ergo etiam in casu non stabit, quòd Christus, ut homo ponatur in prædicamento substantiæ, quin etiam idem verbum ponatur in eodem.

Respondeo disparitatem esse, quia actiones sunt suppositorum; cum autem in Deo nullum aliud suppositum sit, præter suppositum divinum, hinc nil mirum, quòd humanitatis peccatum, tribueretur etiam divino supposito; at verò poni in prædicamento substantiæ, non est solùm suppositi; sed vel suppositi, vel naturæ.

# DISPUTATIO OCTAVA.

De possibilitate, & impossibilitate rei.

## QUÆSTIO PRIMA.

*In quo consistat rei possibilitas.*

Titulus difficultatis clarus est, nec alia videtur indigere expositione, sed solùm antequam solvatur, quamplurima placet præmittere, quæ necessaria videntur, ad perfectiorem controversiæ intelligentiam. Et in primis sciendum est, dupliciter aliquod dici possibile, respectivè nimirum, & absolutè: respectivè dicitur per respectum ad aliquam potentiam, absolutè verò ex habitudine terminorum; quod totum docuisse Angelicum præceptorem, & Henricum in summa art. 35. quæst. 4. advertunt ex nostris Lodigerius, ex Societate Nicolaus Martinez.

Secundò adverto hic difficultatem esse de re purè possibili: Pro cujus decisione nonnulli docent possibilitatem consistere in ipsa non repugnantia, quam habet res, ut ponatur à parte rei: huic adhærent quamplures ex Societate, quam tamen sententiam reprobat hic Illustrissimus Spinula: Mastrius vero disputatione 8. de essentia, & existentia, quæst. 1. art. 3 distinguens possibilitatem in Logicam, & objectivam, hanc secundam sustinet desumi à divina Omnipotentia, quia vult, quòd hæc sit res ipsa prout est in virtute productiva, primam verò affirmat esse desumendam à prædicatis essentialibus ipsius rei, quam explicat cum quibusdam Patribus Societatis, hoc judicio hypotetico *Si existeret talis connexio prædicatorum, nulla sequeretur contradictoria*: Hæc possibilitatis explicatio, non est communissima in Schola Subtilis, quinimmo Pontius apertè ipsam reponit in quodam ente diminuto, quod nec est ens rationis, quia non habet repugnantiam independenter ab intellectu; nec realis simpliciter quia non habet esse existentiæ, sed potius mediat inter utrumque: quod tamen eos à quamplurimis in eadem Schola negatur, & extra ipsam à Patre Martinez satis sufficienter reprobatur inter has autem diversas opiniones prima eligitur; unde sit.

### CAPUT PRIMUM.

*Ultra possibilitatem extrinsecam, vel respectivam, datur etiam intrinseca, quæ formaliter est ipsa non repugnantia rei, quæ dicitur possibilis.*

Huic asserto, nedum se se opponunt omnes illi, qui possibilitatem intrinsecam rei possibili denegant, verùm etiam & alii, qui talem possibilitatem agnoscunt, sed in hac non repugnantia eam non refundunt, sed potius in ente diminuto à actuali ab æterno, medio inter ens reale, & rationis, pro cujus sententiæ defensore refert Scotum. Pontius, negat tamen Mastrius, sed nos hoc diffidium reloquentes, de quo plura Martinez, advertimus

timus assertum sub titulo superiori positum, duplicem habere partem, in quarum prima sustinemus, dari intrinsecam possibilitatem, in secunda, hanc consistere in non repugnantia: Incipio à primæ partis ostensione, quamvis utraque uno ictu simul probari possit, Inhærendo auctoritati Angelici præceptoris, docentis, ut supra monuimus, dari possibilitatem, etiam ex habitudine terminorum, ex qua sic argui potest. Teste Divo Thoma: datur possibilitas ex habitudine terminorum, sed hæc est intrinseca: quid enim est ipsa terminorum habitudo? nisi prædicatorum essentialium connexio, & mutua concordia; ergo ex Divo Thoma datur possibilitas intrinseca.

Secundò: Res habens essentiam natam existere, est res ab intrinseco possibilis, sed datur res habens essentiam natam existere; ergo hæc est ab intrinseco possibilis: major ostenditur res habens essentiam natam existere, est res habens actualitatem essentiæ, non repugnantem: Si enim repugnet, non est nata existere; sed actualitas essentiæ non repugnans, est possibilitas intrinseca rei; ergo &c. minor vero primi syllogismi pariter ostenditur: siquidem esse exemplatum non habetur, nisi habeatur essentia nata existere: nihil enim essentialiter, & existentialiter, impotens est habere essentiam in Deo, ideo nihili idea in Deo non datur.

Tertiò possibile creatum, quà tale, indifferens est ad existere vel non existere; ergò non datur sola possibilitas activa & extrinseca; ergò dabitur intrinseca, antecedens evidens est, prima consequentia probatur. Pura possibilitas extrinseca (Idest ipsa omnipotentia) non est sic indifferens, sed potius summè identificata cum esse; ergo non poterit esse possibilitas, quæ indifferens est ad ipsum esse. Quod si dicas id, quod est indifferens terminum esse, qui extrinsecè denominatur possibilis, statim infero; ergò iam ponitur possibilitas intrinseca probatur hoc: possibilitas intrinseca est ratio, vi cuius, res indifferens & ad esse, vel non esse; sed per hanc solutionem ponitur terminus divinæ omnipotentiæ sic indifferens; ergo &c.

Quartò tandem, & ultimò ex propriis ostendo conclusionem. Ultra intelligibilitatem extrinsecam datur etiam intrinseca; ergo etiam ultra possibilitatem extrinsecam dari debet intrinseca. Paritas tenet, nisi in oppositum aliquod afferatur: quod vero hæc possibilitas intrinseca sit ipsa non repugnantia prædicatorum, hoc habeo, quia nil aliud congruentius assignari potest, non quidem ens diminutum æternum, quia hoc repugnare contendunt nonnulli, & novissimè Nicolaus Martinez.

Alia possent referri, quæ tamen breuitatis gratia omitto videnda apud Auctores, inter quos videri potest Eminentiss. Ioannes Baptista Ptolomeus Societatis Iesu in suo cursu philosophico, dissertatione 63. sectione prima de possibili. Interim placet primo doctrinam in hac materia Nicolai Martinez capite sequenti referre, ut magis elucescat difficultas proposita, secundo argumenta præcipua contra nostram, & communem sententiam proponere.

## CAPUT SECUNDUM.

*Nonnulla Nicolai Martinez in hac materia exponuntur; & reprobantur.*

UT nedum cum veritate, sed etiam cum claritate procedamus, quæ docet hic Auctor, distinctè referre placet. Docet itaque primo, possibilitatem creaturæ acceptam pro producibilitate illius, esse ipsam Dei Omnipotentiam. Ratio istius est, quia rem esse producibilem, est formaliter posse produci; posse autem rem produci ab agente, est formaliter agens posse producere rem. Posse autem agentis, est formaliter illius virtus productiva, adeoque de primo ad ultimum rem esse producibilem à Deo, est formaliter ipsa Dei virtus.

Asserit secundò, quod possibilitas Creaturæ sic simpliciter contingens, & hoc quia contingens, qua tale illud est, quod potest sine contradictione existere, & sine contradictione non existere: possibilitas autem potest verè absque ulla contradictione existere, vel non existere; cum de facto aliquando existat, aliquando non existat.

Dicit tertiò, possibilitatem rei creatæ aliquando existere, aliquando non existere, quod ostendit, quia essentia rei aliquando est, aliquando non est; sed possibilitas rei est ipsa essentia rei; ergo possibilitas rei aliquando est, aliquando non est. Quod confirmat quia Petrus, & illius quidditativa possibilitas non distinguuntur; ergo implicat Petrum existere, & non existere illius possibilitatem, & quandocumque Petrus existit, existit illius possibilitas; ergo quandocumq; Petrus non existit, non existit illius possibilitas; cum autem Petrus aliquando existat, aliquando non existat, hinc sequitur, quod etiam ipsa quidditativa possibilitas aliquando existat, aliquando non existat.

Docet quartò, possibilitatem Petri non fuisse ab æterno, quod inde probat, quia Petrus non fuit ab æterno; sed quandocumque Petrus non fuit, neque illius possibilitas fuit; ergo Petri possibilitas non fuit ab æterno.

Dicit quintò rem ab æterno esse possibilem solùm hypotheticè, idest si Petrus erit, nullum contradictorium habebit in suis prædicatis, non verò in sensu absoluto, idest Petrus est, & est absque contradictione prædicatorum.

Sustinet sextò, & ultimò falsam esse hanc propositionem: *Petrus est indifferens, ut existat, & non existat*: ejus ratio est, quia eo ipso quod non existit, destruitur, sive non est: nihil autem potest dici indifferens ad formam, qua ipsum destruitur, & solùm dicitur subjectum indifferens ad eas formas, cum quibus ipsum subjectum componi simul potest: quis autem dicat, Petrum componi posse cum sua negatione?

Sed doctrina in his sex propositionibus contenta nobis displicet, quia videtur à veritate aliena, quod facilè ostendi potest per ordinem, & incipiendo à prima dico, res ut producibiles non esse ipsam Omnipotentiam, sed potius ipsam prædicatorum consonantiam, quamvis verum sit, rem ut producibilem dicere deindè respectum ad aliquam causam realem, à qua sit producibilis: Falsum tamen existimo in esse producibilis, esse ipsam Omnipotentiam, quod sic suadeo: rem esse producibilem, est rem formaliter habere posse intrinsecè produci: hæc propositio est certa etiam apud Martinez (loquor enim hic de producibilitate intrinseca;) sed rem habere posse intrinsecum ad produci, non est ipsa Omnipotentia, sed meritum intrinsecum rei, cui convenit posse produci; ergo non erit ipsa Omnipotentia, sed meritum intrinsecum rei, cui convenit posse produci. Uno verbo, producibilitas residet apud rem, quæ dicitur possibilis; cum ipsam denominet producibilem; sed Omnipotentia non residet apud rem ipsam; ergo non erit ipsius rei producibilitas; unde falsò asseritur à præfato Auctore,

ctore, rem posse produci ab agente aliquo creato, esse formaliter agens posse producere rem.

Secundam doctrinam in secunda propositione contentam, pariter falsam judico: possibilitas enim rei, cui convenit, necessariò convenit, quod probo. Prædicata primò constitutiva rei, non contingenter, sed necessariò conveniunt ipsi rei: Quis enim unquam dixit rei essentiam esse contingentem rei; Sed possibilitas, vel est ipsa essentia, vel ad ipsam sequitur, ut optimè docet ex nostris Illustrissimus Lodigerius libro suo primo, *disp.* 1. *tomo primo quæst.* 3. ergò non poterit esse rei contingens; quapropter solvo nunc fundamentum Martinez, quo hoc asseruit, solùm advertendo Doctorem istum non attendisse ad æquivocationem, quæ latet in ejus ratiocinio: aliud enim est, quod creaturæ possibili sit contingens existere, vel non existere actu, aliud verò, quòd rei possibili sit contingens ipsa possibilitas: Primum verum est, quod ipsa Martinez ratione convincitur: secundum falsum est.

Tertia similiter recedità vero, si sensus sit, quòd possibilitas in re possibili aliquando sit, aliquando non sit; secus si sensus sit, quod res possibilis aliquando stet sub actu existentiali, aliquando non; ad hoc enim, ut verificaretur, quòd possibilitas rei aliquando esset, aliquando non esset, deberet possibilitas esse essentia rei, ut hæc est, seu existit, non verò essentia rei ab existentia præscindendo; unde ad rationes in oppositum ipsius Martinez in forma respondeo, singulas propositiones distinguendo: Essentia rei aliquando est, aliquando non est, in linea existendi, concedo, essendi, nego, & distinguo consequens; ergo possibilitas rei, aliquando est, aliquando non est, in linea existendi, concedo, possibilitatis, nego consequentiam, & alteram propositionem pariter distinguo: nimirum Petrus prout importat actualitatem essentiæ, & ipsius possibilitas non distinguuntur, concedo, prout stat sub existentia, nego.

Quarta non subsistit: Cur enim quæso possibilitas Petri non fuit ab æterno? dices, quia Petrus non fuit ab æterno; sed hoc nihil interest; ad hoc enim, ut possibilitas Petri sit ab æterno, non est opus, quòd Petrus extiterit ab æterno, sed sufficit, quod intellectus præconcipiat ipsa prædicata essentialia Petri, quæ nunc non pugnant inter se, nec ab æterno pugnasse.

Ultima tandem doctrina in sexta propositione inclusa vim non habet: Quæro enim ab hoc doctissimo Auctore: Cur Petrus possibilis non sit indifferens ad existere, vel non existere?

Respondet, quia per non existere destruitur Petrus; sed per non existere non destruitur Petrus, prout indifferens ad existere, vel non existere; ergo &c. probatur minor; prout indifferens ad existere, vel non existere est Petrus prout possibilis: Prout enim existens non est indifferens ad utrumque, sed existere potius sibi vindicat; sed non existentia non destruit rei possibilitatem; ergo non existentia non poterit destruere indifferentiam Petri ad existere, vel non existere. Pænitus ergo nulla est doctrina hujus Auctoris in hac materia.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur præcipua argumenta contra positam intrinsecam possibilitatem.*

Qui primò insurgit contra assignatum constitutivum possibilitatis ex recentioribus est Illustrissimus Spinula multipliciter arguens, & primò: dicere rem ab æterno esse possibilem, quia datur negatio repugnantiæ est petere principium: est enim respondere idem per idem; nam dari negationem repugnantiæ, est formalissimè rem non repugnare: rem autem non repugnare, est formalissimè rem non esse impossibilem; rem autem non esse impossibilem, est formalissimè esse possibilem; ergo à primo, ad ultimum dicere: ideo res est possibilis, quia datur negatio repugnantiæ, est dicere res est possibilis, quia est possibilis, seu quia non est impossibilis, quæ est manifesta petitio principii.

Respondeo præfatum argumentum urgere etiam defensores possibilitatis extrinsecæ, & respectivæ: Patet hoc; nam rem esse possibilem per istos, est ipsam præcontineri in virtute Omnipotentiæ, quæ possit ipsam rem producere; sed rem præcontineri in virtute omnipotentiæ, est formalissimè rem esse possibilem per hanc sententiam; ergo dicere, rem esse possibilem, quia omnipotentia potest producere, est asserere rem esse possibilem, quia est possibilis: in forma itaque pro omnibus dico, quòd quamvis verum sit negationem repugnantiæ, seu melius ipsa prædicata inter se non repugnantia, esse ipsam possibilitatem, adeoque rem prædicata habere non repugnantia, sit rem esse possibilem, adhuc non est principii petitio, sicuti non esset, si quis ostenderet, Petrum esse hominem, quia est animal rationale, quamvis animal rationale, & homo sint unum, & idem, & ratio totius est, quia ipsa prædicatorum non repugnantia, quamvis sit ipsa rei possibilitas absoluta, nihilominus est manifestativa, & explicativa ejusdem rei, ut possibilis: hoc ipso autem, quòd erit manifestativa, & notior, nonnisi optimum erit asserere, in ipsa possibilitatem consistere; maximè cùm sic optimè intelligamus, rem possibilem intrinsecè differre ab impossibili.

Arguit secundò idem recentior. Si possibilitas consisteret in aliquo prædicato intrinseco rei, quæ dicitur possibilis, explicaretur per istas propositiones: *si homo hic, & nunc existeret, esset absque ulla contradictione: si Deus voluerit Petrum producere, Petrus existet absque aliqua contradictione*; sed possibilitas Petri consistere nequit in his actibus intellectus; cùm ab his sit independens; ergo &c.

Respondeo, illos solùm teneri ad solutionem hujus argumenti, qui possibilitatem rei intrinsecam reponunt, vel melius explicant, per dictos actus intellectus conditionales, uti inter istos Oviedo in *metaph. controv.* 2 *puncto* 1. Comptonius *disp.* 4. *metaph. sect.* 2. Martinez loco inferius referendo; qui respondere optimè possent, si dicerent se per tales actus tantùm explicare ipsius rei possibilitatem, non verò ipsam in illis actibus constituere, ita ut sit pura energia, qua ipsa possibilitas explicatur: cæterum nos, qui hoc non asserimus, sed reponimus ipsam possibilitatem in absoluta prædicatorum non repugnantia, sicuti hæc tota est ex parte objecti, ita quoque est ipsa possibilitas.

Arguit tertiò. Si daretur possibilitas intrinseca, Deus in suis perfectionibus essentialibus non esset primum ens independens à quocumque alio extra se; sed hoc est pœnitus falsum; ergo & id, unde hoc sequitur. Probatur sequela majoris Si daretur possibilitas intrinseca, ideò Deus posset hæc, & illa producere, quia hæc, & illa essent possibilia; sed virtus productiva possibilium est perfectio divina; ergo Deus in suis perfectionibus essentialibus non esset primum ens independens à quocumque alio extra se, semel admissa intrinseca possibilitate,

Con-

Confirmatur: nulla perfectio secundum id, quod intrinsecum dicit in Deo potest esse secundaria, seu dependere ullo pacto à suppositione alicuius extrinseci: Illa enim, quia formalissimè divina, est primum ens, ac proinde debet esse independens à quocumque extra se; ergo prius debet intelligi in Deo talis virtus, quam intelligatur creatura possibilis; ergo possibilitas tandem reducenda est in causam primam.

Respondeo, argumentum hoc urgere posse etiam contra intellectum divinum, qui ad hoc, ut terminetur ad aliquod, opus est illud habere intrinsecam intelligibilitatem, seu veritatem: quod enim verum non est, cognosci certè nequit. Modo contra argumenti auctorem argui posset eodem argumento: siquidem si daretur intelligibilitas intrinseca essentialiter exigita ad terminandum quemcumque intellectum, etiam divinum, ideò intellectus divinus posset hæc, & illa attingere, quia hæc & illa sunt intelligibilia; ergo jam Deus in suis perfectionibus essentialibus, non esset omninò independens ab alio extra se: quod cum affirmari nequeat, dicendum erit intellectum divinum posse cognoscere quod non est intelligibile: quod tamen erroneum est: In forma autem respondet ex nostris Illustriss. Lodigerius *libro suo 3. de scientia Dei disp. 3. quæst. 2. cap. verò 4.* docens, rem ideò esse possibilem, quia habet esse exemplatum in Deo, seu quia Deus est ejusdem causa exemplaris, non verò est exemplar in Deo, quia res est possibilis. Loquendo verò de Omnipotentia, censeo, quod deficientibus possibilibus, deficeret Omnipotentia propter solam connexionem, quam dicit cum illis, non verò propter propriam dependentiam; unde in forma distinguo Majorem: Ideò Deus posset hæc, & illa producere, quia hæc & illa sunt possibilia, ly *quia* importante puram connexionem Omnipotentiæ cum ipsis possibilibus, tamquam cum suo termino adæquato, concedo Majorem, importante propriam dependentiam Omnipotentiæ à possibilibus nego Majorem, & pariter, distincta Minori, nego consequentiam: patet distinctio.

Ad Confirmationem dico, utique nullam perfectionem divinam dependere posse ab aliquo extrinseco à priori, vel tanquam à vera causalitate, vel tanquam à principio. Propterea negamus intellectul diuino cognitionem immediatam Creaturarum cum Divo Thoma & Thomistis omnibus, præcipuè Petro de Godoy, potest tamen dependere impropriè, idest tanquam à puro termino, cum quo connectatur, ut patet in ipsa iustitia Dei punitiva, quæ exerceri nequit à Deo, nisi reatus culpæ supponatur: quapropter dicimus in materia de Reprobatione, Deum nullum posse à gloria positivè excludere, nisi ex prævisione demeritorum, quia iuxta præsentem providentiam exclusio qualibet positiua est punitio.

Quartò alii arguere possent duplici via, & primò. Res unicè est possibilis à divina omnipotentia; ergo &c. Probatur antecedens, res unicè est possibilis, quia præcontinetur in divina Omnipotentia: quod patet, quia si per impossibile res possibilis non præcontineretur in eadem, non esset amplius possibilis; sed rem esse possibilem, quia præcontinetur in divina omnipotentia, est unicè rem esse possibilem à diuina Omnipotentia; ergo &c. secundò quia si res esset possibilis independenter à divina Omnipotentia, iam à se esset possibilis, & de possibilitate gloriari posset, tanquam de suo: quemadmodum si esset res existens independenter à divina Omnipotentia, & futura independenter à decreto, res esset à se existens, & futura.

Respondeo ad primum, utique verum esse, quod si res, quæ possibilis dicitur, non præcontineretur amplius in diuina Omnipotentia, non amplius res esset possibilis; hoc tamen non contingeret, quia res formaliter suam possibilitatem absolutam à divina Omnipotentia desumat, sed quia cum possibilia omnia necessariò habeant præcontineri in diuina Omnipotentia, sequitur per illationem, quod quoties hæc præcontinentia non habetur, nec possibilitas haberi possit: quemadmodum ablata cognitione boni, bonum amplius non moueret, non quia cognitio sit formaliter motiua, sed ob defectum applicationis. Ad secundum verò, quod affertur in argumento, disparitas est, quia res qua futura, vel qua existens dependet solum à Deo, vel sub respectu Omnipotentiæ, vel sub ratione decreti; at verò res, ut possibilis, quamuis non pendeat à diuina Omnipotentia; cum in priori ad ipsam intelligatur possibilis, ut optimè aduertit noster Lodigerius *libro 3.* pendet tamen ab essentia diuina, prout hæc habet rationem Ideæ.

Arguunt ultimò: negatio repugnantiæ in Petro, est formalissimè ipsa essentia Petri; sed ab æterno vi suæ essentiæ non constituebatur possibilis Petrus; ergo nec constituebatur possibilis vi hujus negationis repugnantiæ: maior probatur negatio repugnantiæ in Petro, est id formaliter vi cujus Petrus non habet prædicata contradictoria; sed id, vi cuius Petrus non habet prædicata contradictoria, est formalissimè ipsa essentia Petri, quæ formaliter contradictoria excludit ex eo quod neget alia quæcumque prædicata ab iis, quæ habet; ergo negatio repugnantiæ in Petro, est ipsa essentia Petri: probatur autem prima minor ab æterno non dabatur essentia Petri; ergo neque negatio repugnantiæ; ergò neque possibilitas.

Hoc argumentum petit discussionem alterius difficultatis: nimirum, utrum res creatæ ab æterno habuerint esse actuale essentiæ, & quod præcipuum est, an hæc fuerit vera Henrici sententia, an potius calumnia scholasticorum, ut autem veritas elucescat. Sit.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum in sententia Henrici verum sit, Creaturas habuisse esse reale actuale essentiæ ab æterno.*

FErè communis est Auctorum sententia, docens Henricū asseruisse, esse essentiale actuale Creaturarum ab æterno; an vero hoc asserendo verum dicant, an potius falsa traditione affirment, inquirendum est hic, & quidem ex iisdem locis, ex quibus Mastrius disputatione 8. *quæst. 1. in sua Metaphysica*, & Aversa colligere existimant, hanc esse mentem Doctoris, in qua fuisse credunt, & Ægidium *opusculo de ente, & essentia, capite 5. quæst. 2.* Capreolum *in 2 dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad quartum*, & Albertinum *tom. 2. disp. 1.* sed quidquid sit de mente istorum, de quibus in præsenti non curamus, solùm hic veram Doctoris nostri doctrinam exponere intendimus, ipsamque ut catholicam ostendere.

Primus ergo textus, ex quo se colligere existimant, Doctorem solemnem posuisse esse actuale essentiale creaturarum ab æterno, desumitur ex

quodlibeto 8 *quæst.* verò 9. ubi; cum hæc legantur: *ponendum est, quod creaturæ secundum diversos gradus perfectionis perfectionum suarum imitantur divinam essentiam, quæ necessitate naturæ concomitantur ipsam divinam essentiam ab æterno*, videtur habere aliquod fundamentum asserendi, quod ab auctoribus asfirmatur.

Secundus locus desumitur *ex quolibeto 9. quæst. 3.* ubi hæc lego: *& ita licèt quòd essentia sit, essentia, hoc habet ab æterno, & non ab aliqua factione, in quo nulla est differentia, sive intelligatur simplex, sive composita, realiter tamen essentia aliqua creaturæ, sive simplex, sive composita, quod sit in existenda actuali, hoc habet à factione: omnis enim essentia creaturæ existens facta est, licèt non est factum, quod ipsa sit essentia, sic non solùm est facere, quod essentia sit sub esse*, & insuper: *& hoc quia per quod ipsa essentia secundùm se ab æterno sit aliquod respectu intellectus divini speculativi; per illud idè res ipsa est ex tempore aliquid respectu intellectus Dei practici, & divina factura, ut licèt æternum sit, quòd essentia sit essentia, novum tamen est, quòd essentia sit facta*, & eodem quodlibeto 11. *quæst. 3. quæ quidem essentia secundùm se, & ex se sola subdita est divinæ voluntati, ut producibilis, & secundùm hoc respectum habet ad producentem in habitu ab æterno; propterquod voluntate divina potest producere secundùm suam simplicitatem.*

Hæc sunt, ex quibus dubitari potest de Henrici sententia in favorem sententiæ, pro qua referuntur; at reverà, si diligentius Henrici verba, & non cursim fuissent examinata, calumnia hæc non fuisset tanta injuria Doctori adscripta: quapropter miror, quod Suarez huic calumniæ facilè subscribat, à qua tamen recedunt Oviedo *in Metaph. disp. 2. quæst. 5.* & novissimè Nicolaus Martinez in suo opere *Deus sciens*, qui interpretando, & explicando omnes Henrici textus hæc habet: *non de esse reali extra Deum, sed de esse intentionali, & intelligibili intra Deum, quod esse intelligibile habitum sit ab essentia divina exemplariter, seu idealiter, ut immitabili à Creatura explicari possunt omnia solemnis Doctoris verba* à quo non longius distat Pontius Scotista hic.

Et revera, ut rem hanc diligentiùs examinemus, *quodlibeto 9.* relato, considerat Doctor essentiam creaturæ sub duplici respectu. Primò secundùm id, quod est per essentiam, secundò secundùm gradum ipsius essentiæ: primo modo affirmat essentiam referri ad Deum ut exemplatum ad suum exemplar; Secundò verò ad ipsum Deum, ut ejus mensuratum, & Deus ad ipsam essentiam, ut mensura; quinimmò ulterius docet, quod quidquid est in creaturis, participatum est, sivè sit essentia ipsa, sivè existentia, quamvis diversimodè: siquidem essentia participatur à Deo, ut est causa exemplaris, existentia verò, ut est causa efficiens; hoc totum docens his verbis *Ille enim primus* (ideft participatio essentiæ) *est secundùm genus causæ exemplaris, & ab æterno; iste verò secundus est secundùm genus causæ efficientis, & secundùm actum ex tempore: licèt secundùm habitum, & potentiam fuerit in ipsa essentia ab æterno*: hac autem stante doctrina patet, quod dum dicitur ab Henrico creaturas habere esse ab æterno in duplici sensu hoc affirmari: primò quod habent esse in ipso Deo, ut in intelligente, ut expressè docet quodlibeto 8. *quæst.9.* his verbis; *sed sicuti illa, quæ habent ipso esse, ut in intelligente*, secundò quod talis essentia, quæ ab æterno tribuitur rei, à Deo habeatur, ut à causa exemplari. In hoc autem duplici sensu non video quomodo damnari possit hæc Henrici doctrina; cum in utroque sensu vera sit, & legitima: quapropter Capreolus de hac Doctoris Doctrina scribens, hæc reliquit: *sed hoc non debet movere, quia sicuti inquit Henricus, & benè meo iudicio essentia habet duplex esse, esse scilicet essentiæ, & esse existentiæ, & quodlibet istorum habet à Deo; sed primum habet à Deo, ut est causa exemplaris, dans per suum intelligere esse intelligibile, & quidditativum cujuslibet essentiæ. Secundùm autem esse dat, ut est causa efficiens, & sic non sequitur creaturam habere aliquid esse, quod non sit in Deo*: hoc itaque explicato, videamus quid dicant Adversarii contra istam Henrici doctrinam.

## CAPUT UNICUM.

*Argumenta opposita referuntur.*

Multipliciter arguit Suarez cum aliis, Præcipua audiamus. Primò est error Wiclefi ex Valdensi *lib. 2.* doctrinæ fidei, quod Creaturæ habuerint aliquod esse reale ab æterno distinctum ab ipso Deo, sed Henricus ponit esse reale Creaturarum ab æterno distinctum ab ipso Deo, ut superius constat; ergo Henrici sententia nunc est Hæretica.

Secundò illud esse essentiæ, quod tribuitur creaturæ ante existentiam, est verè, & realiter distinctum ab esse divino; cum essentia, quia est essentia una sit, adeoque in se indivisa, & divisa à quolibet alio; ergo esset extra Deum; ergo ab æterno existentes. Probatur hæc consequentia: quidquid enim est extra causas, existens est.

Tertiò existere, nihil aliud est, quam esse actu, ejusque essentiam actu reperiri; ergo si ab æterno creatura haberet esse essentiæ actuale, ab æterno existeret, vel si ab æterno non existit ab æterno non habet esse actuale.

Quartò dependentia, quam dicit creatura ad Deum, non est pura dependentia idealis, sed etiam effectiva, itaut dari nequeat dependentia idealis sine effectiva; sed essentia creaturæ, quà essentia est non depender à Deo juxta Henricum dependentia effectiva; ergo nec formali; ergo erit realitas essentiæ ab æterno omninò independens.

Quintò vel hoc esse essentiæ ante existentiam fuit productum à Deo, vel est ex se improductum. Si dicatur primùm; ergò jam illud esse erit existentiæ; quia existentia est, quæ terminat productionem agentis: si verò dicatur secundum; ergo jam illud esse essentiæ erit improductum, & independens à Deo, & necessarium: hoc autem est maximum absurdum, videlicet asserere, quod creatura ex se habeat aliquod esse essentiæ actuale independenter à Deo. Nec sufficit dicere, creaturam quoad esse existentiæ non esse à se, sedà Deo: siquidem etiam de ipsa essentia creaturæ est non esse à se, sed esse ab alio: nimirum à Deo.

Ultimò tandem, quia cum Creatura habeat duplex esse, aliud nimirum essentiæ, & aliud existentiæ, & esse essentiæ potuerit actualiter reperiri absque existentia, existentia verò stare nequeat sine essentia, sequitur essentiam esse veram rem, existentiam autem quendam modum; ergo ex duplici capite esse quod creatura habet, à se ipsa habet independenter à Deo, & à Deo solùm habebit id, quod est modus determinans, & afficiens ipsam essentiam: quod est contra Catholicos, & Philosophos.

Respondeo ad singula, & ad primum inter propositiones 45. Wiclefi à Concilio Constantiensi repro-

reprobatas, quas etiam refert Ludovicus Bail in sua summa Conciliorum, illa de creaturarum esse actuali ab æterno non habetur. At quia adesse potest in aliis collectis, & reprobatis per Universitatem Oxoniensem, dico Wiclefi mentem fuisse de esse reali existentiali ab æterno, vel essentiali cum independentia à primo exemplari, in quo sensu non procedit Henrici doctrina, quinimò affirmat, quod esse essentiæ creaturarum ab æterno nil aliud sit, quàm ipsum esse in Deo, ut in intelligente. Poterat ergo Suarez ab hac censura abstinere, atque Henrici mentem explicare, sicuti explicare conatur Scoti alteram, ut ipsum liberet à Thomistarum censuris, & præcipuè Cajetani.

Ad secundum dico talem essentiam ab æterno esse extra Deum, tanquam extra causam formalem, seu exemplarem, non verò tanquam extra causam efficientem; sic enim solum in tempore ponitur ab ipso Deo, nedum ut salvetur libertas in productione ad extra, verum etiam, ut salvetur, quod nihil Deo coexistat ab æterno.

Ad tertium censeo, quod existere est esse actu, non pura actualitate essentiæ, sed etiam existentiæ. Actualitas autem, quæ hic conceditur, est pura actualitas essentiæ consistens in ipsa non repugnantia prædicatorum participata à Deo, in quo sensu nescio, quomodo prosequatur Aversa impugnare Henrici sententiam.

Quartum minus aliis urget: siquidem vera solùm est major, loquendo de Creatura prout stat sub esse, seu sub existentia, in quo statu dependet etiam dependentia effectiva; cum importet existentiam, ad quam Deus effectivè concurrit; falsa tamen est major, si sermo sit de puro ordine essentiali; sic enim intelligitur dependentia idealis absq; ulla effectiva.

Quintum, quod refertur de verbo ad verbum ab Aversa parvi roboris est: siquidem quamvis essentiæ sint aliquod à Deo productum per modum causæ exemplaris, non tamen sunt per modum causæ efficientis, sed ut sic producantur, res expectant in tempore, in quo tantum habent potentiam ad produci in nostra schola.

Ad ultimum tandem dico, me nolle hic disputare, utrum distinctio, quæ est inter essentiam, & existentiam, sit realis modalis, ut volunt aliqui, an formalis ex natura rei modalis, ut Mastrius in sua Metaphysica, hoc mihi certum est, essentiam rei creatæ haberi dependenter à Deo, cum enim habeat rationem exemplati, debet dependere à suo exemplari, quod Deus est.

Arguunt secundò alii: ex Divo Thoma creatio non est mutatio, quia in ea nihil omninò reperitur sub utroque termino, quod ab uno ad aliud dici possit transire; immò ut aliquo modo creationi concederet mutationis nomen, consideravit tempus partim reale, & partim immaginarium, quod se habeat tanquam unum continuum, ratione cujus nomen mutationis posset admitti; sed si ab æterno daretur rei esse essentiæ, creatio esset mutatio; ergo &c.

Hoc argumentum, quod unicum est, quod in oppositum affert Illustriss. Petrus de Godoy, facilis est solutionis: siquidem esto creatio non importet physicam mutationem, importat tamen metaphysicam, quæ consistit in transitu rei secundùm sua essentialia non repugnantis ad esse physicum, nullo physicè præsupposito subjecto causativè concurrente. Cum autem, esto creaturæ habeant esse essentiæ ab æterno, hoc tamen esse non sit esse physicum, sed metaphysicum, hinc non tollitur, quin adhuc indemnis sit Divi Thomæ doctrina, sed de hoc alibi.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum simpliciter, & absolutè impossibilia à Deo produci possint.*

Difficultatem istam ex professo dirimere decreveram, cum percurrendo Divi Thomæ quæstiones disputatas, & Henrici summam adverteram non semel istos Doctores angelica, & solemni doctrina hanc pertractare: quapropter quamvis apud scholasticos proponi non soleat, placet tamen in hac aliquantulum immorari, quæ antequam dirimatur non incongruum est præmittere quamdam eiusdem Angelici præceptoris, doctrinam ex libro *de potentia Dei quæst. 2. art. 4.* desumptam, ubi docet rem aliquam possibilem, & impossibilem tripliciter dici posse. Primò in ordine ad aliquam potentiam activam, vel passivam. Hoc modo dicitur possibilis ambulatio: siquidem pro ambulatione datur potentia possibilis, quæ est ipsa potentia progressiva; & impossibilis dicitur voluntas in ordine ad puram potentiam naturalem nullo interveniente miraculo. Secundo modo res dicitur possibilis, vel impossibilis, non per respectum ad potentiam aliquam, sed secundum seipsam, & iuxta hanc acceptionem propriæ intelligitur, & summitur possibilitas, vel rei impossibilitas. Tertiò tandem dicitur aliquod possibile secundum potentiam, quæ est in geometricis, prout dicitur linea potentia commensurabilis, quia (& est exemplum D. Thomæ) quadratum eius est commensurabile: hic autem sermo est, non de possibilitate, vel impossibilitate primò est tertio modo, sed de impossibili secundum modo inspecto: nimirum de illo, quod ratione sui impossibile est, quod à Deo produci non posse, sentio, & primò.

Ostendo ratione divi Thomæ: omnis potentia activa primò habet terminari ad esse rei, & secundariò ad non esse; sed circa ea, quæ important intrinsecam contradictionem, potentia activa, qualis est omnipotentia, nequit primò terminari ad esse conferendum, & secundariò ad non esse; ergo &c. maior est certa: siquidem qualibet actio productiva quà talis habet ex genere suo aliquid producere in rerum natura: probatur itaque minor: Tunc potentia activa ad id, quod ab intrinseco importat contradictionem non posset terminari, quando hoc habere non posset rationem entis, & non entis; atqui de facto neutram rationem habere potest; ergo &c. probatur minor quo ad primam sui partem: quod ex suis intrinsecis involuit repugnantiam, non potest habere veram rationem entis realis; sed quæ contradictionem involvunt ex suis intrinsecis repugnant; ergo quæ contradictionem involvunt, habere nequeunt veram rationem entis.

Quod autem potentia activa, neque de secundariò, vel de consequenti terminari possit ad impossibile, tanquam ad non ens, quod idem est, ac dicere impossibile non posse esse terminum, nec etiam secundarium actionis productiæ: patet, quia terminus secundarius est non ens; sed quod contradictionem implicat nequit esse purum non ens, cum ea, quæ contradictionem dicunt importent esse, & non esse, & esse tollit non esse; ergo &c.

Secun-

Secunda Conclusionis positæ ratio illa est, quam tradit Henricus in summa, quæ sic expenditur: Illud tantum Deus producere potest, quod aliquod de divina perfectione participare potest; sed id, quod potest participare de divina perfectione, habet sui ideam in Deo; ergo &c. minor quoque est certa: siquidem idea est rei faciendæ forma. Impossibilia autem, ut impossibilia, non sunt res, quæ fieri possunt; ergo ipsorum non est Idea.

Confirmatur ex eodem Doctore: quod non est impossibile simpliciter, fieri potest à Deo; sed impossibile ab intrinseco, seù ratione prædicatorum rem constituentium, est impossibile simpliciter, ergo fieri non potest à Deo. Maior est evidens: minor ostenditur: quod est impossibile ab intrinseco, est summè impossibile in linea impossibilitatis; sed quod est summè impossibile, est impossibile simpliciter; ergo &c. sed.

Dices primò à Deo excludi debet omnis potentia, quæ limitationem, & finitatem importet; sed potentia potens tantùm possibilia producere, & non impossibilia, esset potentia limitata; ergo &c. maior liquet: minor est evidens, quia potentia potens facere tantum hoc, & non illud, est potentia limitata.

Dices secundò sicuti cæcitas opponitur visioni, ita virginitas partui; sed Deus fecit, quod Virgo manens Virgo pareret; unde cecinit Jacobus Sannazarius;

*Virginitas partus discordes tempore longo.*
*Virginis in gremio, fœdera pacis habent.*

ergo etiam poterit facere, quod cæcus simul cum cæcitate sit videns.

Dices tertiò posito, quod à definito removeatur aliquid, quod cadat in ejus definitione, sequitur contraria esse simul; sed terminari ad duo puncta, est in definitione lineæ rectæ; ergo si quis hoc removeat à linea recta sequitur quod duo contraria sint simul; sed Deus hoc fecit, quando intravit ad Discipulos januis clausis; tunc enim fuerunt duo corpora simul, & sic sequitur, quod duæ lineæ fuissent terminatæ ad duo puncta; ergo Deus potest facere, quod affirmatio, & negatio sint simul veræ, & per consequens facere potest, omnia impossibilia.

Contra est: ad primum enim respondet Angelicus Doctor, quod quamvis potentia Dei non possit impossibile producere, non inde sequitur esse potentiam limitatam, quia totus defectus oritur ex parte rei deficientis à ratione possibilis; tunc enim defectus refunderetur in Deo, quando supposita re possibili, potentia Dei se extendere non posset ad ipsum.

Ad secundum nego Majorem: siquidem virginitas non opponitur partui, sed tantùm virili commixtioni, vel si partui opponitur, opponitur tantùm partui facto per virilem comixtionem, ut naturaliter loquendo evenit; cum autem partus Virginis fuerit absque virili comixtione, Virginitas, & partus in Virgine non inveniuntur ea ratione, qua opponuntur.

Tertium verò pariter solvit Divus Thomas his verbis *dicendum, quod quando Christus intravit januis clausis, & duo corpora fuerunt simul, & non est aliquod factum contra geometriæ principium; nam ad duo puncta diversorum corporum ex una parte non terminabatur una linea, sed duæ: quamvis enim duæ lineæ mathematicè non sint distinguibiles, nisi secundùm situm; ita quod intelligi non possit duas lineas tales simul esse; tamen duæ lineæ naturales distinguuntur in subjecto, ita quod posito, quod duo corpora sint simul, sequitur, quod duæ lineæ sint simul, & duo puncta, & duæ superficies.*

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum detur ens rationis metaphysicum.*

Inficiari nequaquam possumus, quasdam proponere Peripateticos controversias pœnitus inutiles, ad nihilum deservientes: hujusmodi fuisse non dubito illas, quæ olim adherant inter Mathæum Ferchium ex una, & Mastrium ex altera parte, ob quas Patavii primus desensionem vestigationum peripateticarum typis edidit, & fortassè ejusdem inutilitatis fuisse existimo collationes doctrinæ Divi Thomæ, & Scoti, quas non infimo labore edidit doctissimus Pater Franciscus Macedo. In harum numero, non infimum locum tenet proposita difficultas. Nihilominus ipsam dirimere non respuimus; quod ut fiat primò pro certo tenendum est legitimum ejus sensum esse, utrum ab intellectu concipi possit aliquid in se, & ab intrinseco impossibile, nedum ab intellectu humano, verum etiam ab Angelico, & divino, in qua communis est sententia, & plausibilis cuilibet intellectui obiici posse aliquod ab intrinseco impossibile, quamvis oppositum sentiant hic Illustris. Spinula, Caramuel, *libro 2. in sua Metalogica*, nonnullos referens Thomistas pro sua sententia, Michael Angelus Fardella in sua Logica rationali *parte 2. propositione 18.*, Sebastianus Izquierdo *disp. 12. quæst. 15.* Affirmativam nos amplectimur sequendam, cujus veritatem pluries suadere conabor; &

Primò. Intellectus dum dicit, quod identitas Hirci cum Cervo est impossibilis, concipit illam identitatem, quæ revera impossibilis est; sed hæc quæ verè impossibilis est non est identitas intentionalis; cum hæc de facto detur; ergo erit realis, seu objectiva; sed hæc concipi debet ab intellectu, si verum est ipsum concipere illam identitatem, quæ est propositionis verificativum; ergo &c.

Secundò Adversarii ipsi de pluribus objectis, puta de Hircocervo, de Chimera, dicunt esse impossibilia; sed si non conciperent aliquod, quod in se, & objectivè esset impossibile, falsum dicerent, prædicta objecta esse impossibilia; ergo &c. probatur minor, quia de nullo verum esset, quod esset impossibile; ergo &c. probatur antecedens; siquidem non esset verùm de objecto, quod esset impossibile, quia hoc in re nihil aliud est, quam extrema ipsa realia, puta Hircus, & Cervus, neque de modo tendendi intellectus essentialiter indebito esset verum, quod hic esset impossibilis; cum de facto detur, & tali modo versetur circa objecta possibilia; ergo de nullo verificaretur, quod esset impossibile.

Tertiò Intellectus non facit ens rationis Metaphysicum; ergo facit probatur consequentia; nam antecedens est adversæ partis. Facere ens rationis, est concipere aliquod, quod ita habeat esse objectivè, ut nullum alterum esse habere possit; sed per hanc propositionem, qua adversarii dicunt: *Intellectus non facit ens rationis:* concipitur aliquod, quod habet esse tantum objectivè in intellectu; ergo hoc ipso facit ens rationis Metaphysicum probatur hoc ultimum antecedens: id de quo aliquod negatur, nisi temerè negetur debet concipi; sed de ente rationis negatur fieri ab intellectu per illam propositionem; ergo per eandem conficitur ens rationis: major est evidens, quia nonnisi temerè negari potest

test aliquod de eo, quod non cognoscitur: minor etiam certa est.

Dico secundò. Intellectum divinum posse facere ens rationis siquidem potest intellectus divinus aliquod concipere, quod habeat solum esse objectivè in intellectu; ergo potest facere ens rationis: consequentia patet ex definitione entis rationis antecedens verò probatur: potest Deus dicere: *alius Deus est impossibilis*, & plura alia esse impossibilia; ergo. Antecedens probatur ex scriptura, in qua Deus dixit: *non est alius Deus extra me*; consequentia autem probatur evidenter dum Deus dicit: *alius Deus est impossibilis*: concipit alium Deum; sed alius Deus habet tantum esse objectivè in divino Intellectu; ergo &c.

Secundò dum intellectus humanus concipit hominem, Angelum, & quodlibet aliud impossibile, Deus non solum cognoscit cognitionem intellectus humani, sed etiam objectum talis cognitionis; sed hujus objectum est aliquod impossibile; ergo intellectus divinus concipit aliquod impossibile: Major est certa; cum Deus scrutetur omnes cordis cogitationes, & non possit scrutari, nisi scrutetur, & cognoscat objectum.

Rationem hanc viderat Sebastianus Izquierdo, cui proindè respondet Deum cognoscere quidem clarissimè me cognoscere hominem identificatum cum Angelo. Ad hoc tamen cognoscendum opus non est, quod ipse apprehendat formaliter ipsam identitatem, sed sufficit, quod penetret naturam meæ cognitionis, & principiorum quibus inducor ad eam eliciendam, & substituti, quod est loco talis identitatis. His enim bene penetratis clare scit Deus Angelum, & hominem in ejusmodi substituto mihi apparere identificatos, quin ipsi Deo appareant identificati. Sed

Contra est. Hæc enim solutio nimis imbellis est; contra quam sic insto. Deus debet cognoscere naturam cognitionis qua cognosco identitatem formalem inter hominem, & Angelum, ergò etiam ipsam identitatem formalem. Probatur consequentia. Natura talis cognitionis, est, quod sit repræsentativa talis identitatis. Cognitio enim sui objecti repræsentativa est; ergò si cognitio divina debet naturam talis cognitionis creatæ percipere, debebit etiam cognoscere talem identitatem. Secundò cognitio quælibet respicit, & quidem transcendentaliter suum objectum; sed in casu objectum est ipsa Identitas; ergo respicit Ideotitatem; sed ea est natura relativorum, ut sint simul cognitione, & numero; ergo si cognitio divina attingit cognitionem humanam, attingit etiam ipsam ideotitatem.

Tertiò Deus cognoscit tale substitutum (Libenter Scirem quid intelligat hic auctor Societatis nomine substituti) ergo etiam identitatem in tali substituto; sed in hoc stat per Izquierdum cognitionem facere ens rationis; ergo etiam Deus. Probatur prima consequentia. Quod est ratio cognoscendi aliud, vel medium, in quo nequit perfectè cognosci, quin cognoscatur illud aliud, unde docet Vasquez Deum non posse suam essentiam perfectè cognoscere, prout hæc habet rationem speciei expresse, quin cognoscat possibilia, quia sic est ipsorum repræsentatio, & medium in quo; sed substitutum juxta Izquierdum est medium, in quo Creatura ipsam identitatem formalem cognoscit, ipsamque repræsentat, ergo si Deus cognoscit substitutum, cognoscit etiam rem ipsam in substituto.

Dices primo contra secundam solutionem, cognitionem non respicere identitatem in se ipsa, sed solum in alieno substituto, quo solum pacto adest cognitio, & repræsentatio ejus, unde poterit Deus cognoscere cognitionē humanam de identitate Angeli, & hominis, absq; ipsius identitatis cognitione.

Dices secundò ipsam cognitionem reipsa non respicere ipsam Identitatem præ aliis objectis, sed solum esse talis naturæ, ut à nobis explicari debeat per ipsum respectum. Sed

Contra est, & incipiendo ab hoc ultimo adverto nullū hucusque esse ausum præter Izquierdum asserere cognitionem alicujus objecti transcendentaliter objectum suum non respicere, & solum in ordine ad ipsum explicari, nisi in modo explicandi interveniat etiam ipse respectus, ut in ipsis potentiis, quæ ita explicantur per suos actus, ut ipsos respiciant.

Nec minus falsa est prima solutio, siquidem in quocumque cognitio respiciat identitatem, reddit argumentum. Patet hoc, nam in quocumque respiciat, semper tamen respicit ipsam, sed ea est natura relativorum, ut sint simul cognitione; ergo si cognitio creata respicit identitatem hanc impossibilem in alio, scientia hanc cognitionem creatam cognoscens, & identitatem cognoscere debet. Secundò in plausibili Sententia, non stat Deum omnipotentiam suam comprehendere, & non cognoscere ipsa possibilia in eadem Omnipotentia; ergo etiam non stat Deum cognoscere substitutum, in quo creatura cognoscit Identitatem, tamquam in medio, & non cognoscere in eodem ipsam identitatem.

Dices denuò. Intellectus divinus revera cognoscit cognitionem Intellectus universalizantem, quin ipse universalizet; ergo etiam cognoscendo cognitionem intellectus humani facientem ens rationis, ipse tamen non faciet ens rationis. Sed contra est disparitas enim in promptu est, in eo consistens, quod ad universale faciendum requiritur talis cognitio, per quam ita appareat una ratio, puta ratio animalis, ut non appareat simul ratio differentialis, puta rationalitas: hujusmodi autem cognitionem habere nequit intellectus divinus; at verò ad faciendum ens rationis, sufficit solum, quod concipiatur, & quod ipsum sit tantùm objectivè in intellectu, quacumque cognitione hoc fiat.

## CAPUT PRIMUM.

*Argumentis contrariis satisfit.*

Utrumque assertum suas habet difficultatum ambages dissoluendas. Nova referam argumenta. Alia ob eorum vetustatem collabentia videri possunt apud Semerii, Goudin, Benedictum de Benedictis, & primo.

Arguere possent aliqui hoc medio: si Deus cognosceret impossibilia, vel ipsa cognosceret immediatè in seipsis, vel in se ipso; sed neutrum affirmari potest; ergo ipsa impossibilia nullatenus cognoscit: maior est certa: nullus enim est alius modus Deo conveniens, cognoscendi res ipsas, præter relatos: ostenditur itaque minor, & imprimis nequit affirmari impossibilia immediatè cognosci in se ipsis, quia prohibet Henricus modum hunc cognoscendi adstruere in Deo; nam quæ sunt extra Deum, vel cognoscuntur in essentia divina sub ratione Ideæ, vel sub ratione omnipotentiæ, vel decreti; sed impossibilia nullo modo ex his cognosci possunt;

ergo &c. probatur minor; nam in essentia divina, ut hæc stat sub ratione Ideæ, & omnipotentiæ nequeunt cognosci, quia hæc sub istis respectibus non connectitur cum impossibilibus, sed tantùm cum possibilibus, nec sub ratione decreti, quia sic solum connectitur cum futuris, & existentibus; ergo essentia divina, nec sub ratione Ideæ, nec Omnipotentiæ, nec decreti poterit cognoscere impossibilia.

Confirmatur primò si cognosceret Deus impossibilia, vel ista cognosceret per scientiam simplicis intelligentiæ, vel visionis; cum nulla alia sit in Deo scientia repetibilis in Henrici, & Divi Thomæ Schola, sed cognoscere nequit per scientiam simplicis intelligentiæ, quia per istam cognoscuntur solum possibilia, nec per scientiam visionis, quia sic solum cognoscitur res secundum prædicata sibi contingentia; impossibilitas, autem non est prædicatum contingens rei ad intrinseco impossibili; ergo &c.

Confirmatur secundò: Omne id, quod ratione sui cognoscitur, debet habere ideam in Deo; sed in Deo non est idea impossibilium; ergò impossibilia non poterunt cognosci ab intellectu divino. Probatur minor, quia Idea in Deo habet rationem principii activi, docente Diuo Thoma, quod idea sit principium formationis alicuius rei; sed nequit esse principium formationis rei ab intrinseco impossibilis; ergo nec Idea.

Confirmatur Tertio. Omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum; sed intellectus non potest assimilari rei impossibili; ergo illam cognoscere non poterit.

Confirmatur quartò. Si intellectus diuinus affirmare posset chimeram esse ens rationis, ipsam deberet concipere ad modum entis, cum de eo, quod nihil est, & ut nihil concipitur, nihil affirmari possit, sed repugnat Deum concipere chimeram, ut aliquid; ergo nequit intellectus divinus affirmare de chimera, quod sit ens rationis. Secundò, quia id, de quo dicitur verbum est, debet esse aliquod positivum; ergo si de chimera intellectus divinus diceret ipsam esse ens rationis, deberet concipi ut ens positivum, & consequenter diverso modo, ac est in se.

Vt huic argumento cum suis confirmationibus fiat satis, prænotanda est quædam doctrina Angelici Præceptoris, quam tradit *articulo quarto de Ideis* & vi cuius plura insinuat ad perfectam argumenti solutionem. Primò autem docet in Deo non adesse Ideam mali, & hoc ideo, quia ut benè dicitur in argumento Idea est principium formationis alicuius rei, unde cum nihil in Deo esse possit principium mali profectò nequit esse idea mali. Secundò docet Sanctus Doctor, quod quamuis in Deo non sit propria mali idea, adhuc tamen perfectissime cognosit omnes actiones peccaminosas à creatura provenientes, & hoc per Ideam boni oppositi. Modo hæc doctrina divi Thomæ breviſſimè attacta adamussim facit ad nostram intentum, siquidem respondere possumus, Deum cognoscere impossibilia, (quamuis ipsorum in Deo non sit propria Idea) per Ideam possibilium, quibus ipsa opponuntur; unde in forma concessa maiori nego minorem, ad cuius probationem concesso primo entimemate, probante, impossibile non posse cognosci immediatè in se ipso distinguo propositionem probantem minorem quo ad secundam partem. Impossibilia non possunt sic cognosci, directè, & per se concedo, indirectè & per oppositum. nego minorem, & consequentiam: distinctio patet: quemadmodum etiam solutio pro utraque priori confirmatione.

Ad Tertiam respondeo dupliciter, primo cum Divo Thoma *de scientia Dei artic. 9. ad primum*, docente cognitionem, per quam Deus cognoscit non entia, & impossibilia esse causam actiuam, quatenus entia non præsupponuntur existentia intentionaliter ante cognitionem, sed potius ipsam per cognitionem acquirunt. Secundò distinguo maiorem. Omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum, in esse entis nego majorem, in esse repræsentatiui concedo maiorem, & pariter distincta minori, nego consequentiam: unque impossibilia non assimilantur intellectui in esse entis; cum intellectus divinus sit ipse Deus, obiectum verò aliquod chimericum, unum habens summum esse actuale; aliud minimum, sed hæc assimilatio nullatenus est necessaria ad hoc, vt aliquod cadat sub cognitione divina, sed sufficit assimilatio in ratione obiecti: nimirum, quod obiectum sit intra spheram virtutis intellectivæ, uti esse contendimus impossibile propter cognoscibilitatem, quam habere contendimus.

Ultimæ confirmationi, quam affert Caramuel ex Vasquezio occurrit Illustrissimus Petrus de Godoy *tract. 3. de divina scientia disp. 26. quest. 14.* §. X. dicendo tunc rem concipi debere ad modum entis positivi, quando de ipsa affirmatur prædicatum aliquod positiuum, non verò negativum; cum autem prædicatum, quod affirmatur de chimera, dum dicitur ipsam esse ens rationis sit quid negativum, hinc patet opus non esse ipsam concipere ad modum entis positivi: ad secundum verò dico ex eodem Illustriss. Thomista, copulam est, non semper importare esse reale, & positivum, sed aliquando hoc, aliquando verò esse existentiæ confictum, vt in casu; unde hæc ultima confirmatio Patris Uasquez in nihilum abit.

## CAPVT SECUNDUM.

*Referuntur argumenta opposita aduersus primam asserti partem.*

Arguit primò Illustrissimus Spinula: ens rationis illud est, quod habet tantum esse obiectivè in intellectu; sed inintelligibile est, quod dicit aliquid habens solum esse obiectivè in intellectu; ergo &c. ostenditur minor: habere esse obiectivè in intellectu, est idem formalissimè, ac habere esse in cognitione intellectus, sed habere esse in cognitione intellectus, est formalissimè habere esse subiectivè in intellectu; ergò inintelligibile est, quod aliquid habeat esse obiectivè in intellectu, & non habeat esse subiectivè. Maior patet, quia habere esse obiectivè in intellectu, est formalissimè cognosci: cognosci autem, est formalissimè habere esse in cognitione intellectus: est enim habere esse in sui imagine, quæ cognitio est: minor verò probatur, quia habere esse formaliter in cognitione, est formalissime habere illud esse, quod habet cognitio: sicuti habere esse formaliter in ente reali, est formalissimè habere esse reale; sed cognitio habet esse subiectivè in intellectu; ergo etiam ens rationis.

Confirmatur primò, dum dicitur quod creatura possibilis habeat esse objectivè in intellectu divino, non potest esse sensus, quod creaturæ habeant esse aliquod distinctum à cognitione Dei, sed tantum

tum quod in Deo detur illarum cognitio; ergo similiter dum dicitur, quod chimera habet esse objectivè in intellectu, non potest intelligi, quod habeat esse aliquod distinctum à cognitione, sed tantum quod detur talis cognitio; sed cognitio est ens reale subjectivè in intellectu; ergo in intelligibile est, quod detur ens rationis.

Confirmatur secundò, quia dari cognitionem chimeræ, est formalissimè dari talem cognitionem; neque præter talem cognitionem est excogitabile quid aliud; sed taleitas cognitionis est formalissimè quid reale; est enim ipsa essentia cognitionis; ergo in hoc concreto me cognoscere chimeram nihil datur, quod reale non sit: Minor liquet. Major suadetur, quia concipiat intellectus dari talem essentiam cognitionis, & nihil concipiat de objecto distincto à cognitione; sic arguo. Vel apprehendit illam cognitionem chimeræ, vel non. Si primum, habeo intentum: siquidem cognitio chimeræ nihil est aliud in suo conceptu formali, quam talis essentia cognitionis, quæ tota est realissima. Si secundum; ergo non concipit talem essentiam specificam cognitionis, quia hæc essentia specifica est species essentialiter expressa chimeræ.

Respondeo ens rationis metaphysicum habere utique esse in intellectu per cognitionem, seu vi cognitionis, non tamen in cognitione, ut asseritur in argumento in ostensione primæ minoris negandæ, ita ut cognitio sit veluti causa efficiens, tribuens chimeræ esse intentionale, non verò sit veluti causa materialis, in se recipiens tale esse intentionale.

Ad primam confirmationem nego antecedens, quod non est de fide tenendum, ut opinatur arguens: Creaturæ enim possibiles possibilitate ex habitudine terminorum aliquid sunt in esse objectivo, seu logicò à Deo distinctum, adeoque non sunt sola cognitio Dei: quidquid deinde sit de modo, quo ipsa cognoscuntur.

Ad secundam confirmationem dico cognitionem chimeræ esse talem cognitionem numero cum tali numero tendentia ad talem numero terminum.

Arguunt secundò alii In hoc, quod est me cognoscere chimeram, nihil est excogitabile præter cognitionem ipsam realem; ergo inintelligibile est, quod detur ens rationis; antecedens probatur, quia si aliquod esset excogitabile, maximè objectum, materiale, vel formale; neutrum dici potest; ergo &c. probatur Minor, & in primis esse nequit objectum materiale, quia ut vidimus objectum materiale cognitionis falsæ est entitas illa realis, cui est disformis cognitio; hæc autem certè nequit esse ens rationis; nec esse potest objectum formale, quia hoc est formalissimè objectum, prout cognoscitur; sed objectum prout cognoscitur non distinguitur à cognitione, objectum enim, prout formaliter cognoscitur, est ipsa cognitio; ergo à primo, ad ultimum nihil est, quod esse possit ens rationis.

Confirmatur. Vel intellectus cognoscens terminatur ad objectum in re immediatè, vel ad objectum in verbo, seu in cognitione; cum cognitio sit medium incognitum. Si primum; cum tale objectum cognitionis sit à parte rei, non poterit esse ens rationis; si secundum; cum objectum identificetur cum verbo, quia in verbo cognoscitur, in verbo relucet; cum objectum sit ens reale, jam tale erit etiam objectum cognitionis.

Respondeo ens rationis, solum esse objectum materiale cognitionis, vel purè terminativum, uti in nostra Schola, & altera Divi Thomæ sunt relationes, & attributa divina, respectivè ad divinam cognitionem, non verò objectum motivum: hoc enim in plausibili sententia solum convenit enti reali sensibili, loquendo de intellectu pro statu corporis, si propriè accipiatur, secundùm quam acceptionem non sumitur ab arguente; cum asserat objectum formale esse cognitum prout cognitum: nec officit, quod materiale debeat præsuponi: siquidem quamvis hoc verum sit; si tale objectum cognoscatur per cognitionem solum speculativam, falsum tamen si cognoscatur per cognitionem aliqualiter practicam, uti cognoscitur ens rationis. Secundò etiam affirmari potest objectum intellectivæ potentiæ debere præsuponi solùm in esse intelligibilis, non verò in esse existentiæ, nisi sit objectum deserviens ad cognitionem sui intuitivam.

Ad confirmationem, dico intellectum terminari ad objectum impossibile cognitum in verbo, quod esto sit quid reale, non est tamen res in ipso cognita; sed potius chimerica, & implicatoria.

Arguunt tertiò alii, vel arguebam ego aliquando. Cognitio ab intrinseco rei impossibilis, est cognitio duorum entium realium, quæ dicunt maximam repugnantiam ad identificari; sed hæc cognitio falsa est; ergo cognitio faciens ens rationis semper importat falsitatem; Major certa est, nisi enim illa duo habeant repugnantiam ad uniri per identitatem, & non cognoscantur, ut identificata, jam non erit cognitio rei impossibilis, quia vel talis identitas non repugnaret, vel si repugnaret non conciperetur cum tali repugnantia: Minor autem est certa, quia cognitio rei aliter ac est in se, est cognitio falsa; sed cognitio, qua cognoscuntur duo habentia summam repugnantiam, nempe metaphysicam ad identificari, ut identificata est ipsorum cognitio, aliter ac est in se; ergo &c.

Respondeo distinguendo ferè singulas propositiones, quibus constat argumentum, & primò distinguo majorem: cognitio rei impossibilis, est cognitio duorum entium realium, ut identificatorum, quæ dicunt maximam repugnantiam ad identificari identitate, quæ ab ipsis removeatur, concedo, quæ in ipsis adstruatur, nego majorem, & distinguo minorem si talis identitas adstrueretur concedo, si removeretur nego minorem, & consequentiam, ad cujus probationem concessa majori, distinguo iterum minorem, si cognoscatur identificata per modum identitatis possibilis, quæ adstruatur concedo, per modum identitatis impossibilis, seu quæ removeatur nego minorem, & consequentiam: necesse utique est, quod concipiatur identitas realis, ut concipiatur res impossibilis inter illa, quæ dicunt talem repugnantiam ad identificari, sed non quod cognoscatur ut conveniens, & possibilis extremis unitis, in quo casu certè esset affirmatio entis rationis per conceptum falsum: cognoscitur itaque solum talis identitas per modum prædicati, quod removetur à subjecto, dum dicitur quod sit impossibilis. Sed

Dices; ergo non cognoscitur res ut impossibilis; probatur hæc consequentia, quia esset solum cognitio illorum extremorum, à quibus removetur identitas; sed in hac cognitione nullū objectum revera impossibile apparet; ergo &c. probatur minor: siquidem non illa extrema, quia ista sunt realia, non illa remotio identitatis, quia hæc est realis; cum fundetur in essentiis ipsorum verum, quæ sunt entitates reales; ergo &c.

Respondeo dicendo huic cognitioni correspondere ipsam identitatem, quæ removetur ab ipso objecto,

objecto, & ab ipso intellectu affirmatur ut impossibilis: hæc autem certè quoties cognoscitur ut impossibilis, cognosci debet ut talis: ut talis autem non est, nisi identitas realis, rationis enim non repugnat; ergo jam intellectus identitatem verè impossibilem concipit.

Quartum argumentum in ordine illud est, quod in oppositum affert doctissimus Michael Angelus Fardella in sua Logica rationali *parte 2.* sic arguens: Ut detur in nobis conceptus chimeræ, necesse est, ut duo conceptus adæquati duarum rerum adinuicem repugnantium coalescant in eundem numero conceptum per identitatem, itaut idem numero conceptus repræsentet adæquatè *A*, & *B*, quæ sibi mutuò adversantur exempli gratia totum hominem adæquatè, & simul adæquatè totum æquum; sed hic conceptus in nobis implicat, idest involuit contradictionem; ergo nullo pacto dari potest in humana mente Idea, & perceptio chimeræ: maior est certa etiam apud ipsosmet Scholasticos, qui nomine entis impossibilis intelligunt complexum quoddam ex duabus naturis repugnantibus identificatis; probatur itaque minor, sicuti se habent inter se *A*, & *B*, ita imago adæquata *A*, ad imaginem adæquatam *B*, sicuti enim se habet res ad rem, ita repræsentatio rei ad repræsentationem rei; Sed *A*, & *B*, supponuntur adinvicem repugnantes, & inconjungibiles; ergo etiam adinvicem pugnant, & sunt per identitatem inconjungibiles conceptus *A*, & *B*, videlicet omninò pugnat *A*, & *B*, conjungi simul per identitatem in repræsentando.

Confirmatur. Ideo *A*, non potest conjungi per identitatem cum *B*, in essendo, quia idem numero *A*, esset adæquatè *A*, ut supponitur, & simul non esset *A*, quia esset adæquatè *B*, quod omninò pugnat cùm *A*, quo videlicet posito orientur duo contradictoria simul, & idem esset, & non esset id, quod est; sed etiam si *A*, conjungeretur per identitatem cùm *B*, in repræsentando, idem numero conceptus esset adæquatè repræsentativus *A*, & simul non esset, quia adæquatè repræsentaret *B*, cujus imago prorsus destruit imaginem *A*; ergo si repugnat *A*, identificari cùm *B*, in essendo, etiam repugnat in repræsentando: quapropter dari nequit conceptus, in quo per identitatem coalescant duo conceptus adæquati *A*, & *B*, sibi repugnantes; cùm ex hac hypothesi duo contradictoria simul orirentur, & intellectus conciperet idem, & simul non conciperet.

Hoc argumentum facilis est solutionis, si advertamus propositionem hanc: *Sicuti A, & B, identificari inter se repugnat, ita etiam repugnant conceptus A, & B, vel horum repræsentatio*; duplicem sensum habere posse, quorum primus à vero non recedit, secus verò secundus. Primus est, quòd quæmadmodum res repræsentata repugnat, ita accurrata ejusdem rei immago, quæ ipsam repugnantiam repræsentet, itaut ipsa rei repugnantia inspiciatur in ejusdem idea, & in hoc sensu vera est propositio; sed ejus veritas Thæsi positæ non opponitur. Secundus est, quòd quæmadmodum repugnat res repræsentata, repugnet quoque immago ipsius rei repugnantis, & in hoc sensu falsa est, quia non omnia prædicata, quæ conveniunt rei, convenire debent speciei repræsentanti, ut patet in lapide repræsentato per speciem impressam, cui lapidi, ellò repugnet spiritualitas, non repugnat tamen in ipsius specie impressa.

Ultimò arguit Caramuel, ostendens hyrcocervum eo sensu, quo impossibilis est, concipi non posse, eo quia, vel est essentiale hyrco non posse identificari Cervo, vel est accidentale. Si hoc secundum abesse poterit, & per consequens sublato hoc, quod est non posse identificari Cervo, remanebit ejus contradictorium: nimirum posse identificari: Si verò hæc impotentia essentialis est, jam hyrcus absque hac impossibilitate concipi non poterit; ergo jam qui concipit hyrcum, ipsum concipit, ut affectum hac impossibilitate identificationis, sed aliunde concipit, ut actualiter identificatum cum ipso Cervo; ergo quando dicet: hyrcus est Ceruus, dicet: hyrcus, qui Cervo identificari nequit, est illi actu identificatus: quis autem non videt esse impossibile simul concipere talem identificationem hyrci, & Cervi esse simul impossibilem, & existentem.

Hoc est præcipuum argumentum, quod refert Caramuel contra positam thesim, cui accedit aliud, non mediocris roboris, quod, cùm quibusdam in Thesibus fuerit à me allatum, solutionem adhuc expectat; est autem hujusmodi: si intellectus faceret ens rationis, faceret etiam dicendo Deus non intelligit: Deum enim non intelligere est impossibile; sed sic non facit; ergo &c. minorem ostendo; dum dicis, Deum non intelligere, vel concipis substantiam infinitè intelligentem, vel substantiam præcisam ab intellectualitate, & intellectualitatis negatione: neutrum autem affirmare potes: non quidem primum; nam si intelligis substantiam infinitè intelligentem lingua asserit, quod mens concipere non potest, videlicet substantiam infinitè intelligentem non intelligere: nequit autem mens assentiri duobus contradictoriis manifestis: non secundum, quia non repugnat substantiam ut si non esse intellectivam: lapis enim est substantia, & intellectivus non est.

Sed nihilominus nullum ex his urgere ad sufficientiam existimo: non quidem primum, quia dum hyrcus concipitur, ut identificatus obiectivè cum cervo, concipitur, ut identificatus non possibiliter, sed impossibiliter, dicendo nimirum: hæc identitas obiectivè est impossibilis, in quo sensu certè rem, ut impossibilem obiectivè, & ut obiectivè existentem non concipimus: nec secundum, quamuis primò vim habere videatur: siquidem dum Deum concipio non intelligere, tunc concipio substantiam infinitè intellectivam non intelligere, quæ tamen substantia tantù implicitè, non verò explicitè veniat; unde quia non intelligere dicitur de substantia aliundè essentialiter intellectiva, ens rationis concipimus, quia verò hæc explicitè non venit ut talis, duobus contradictoriis manifestis non assentimur.

# DISPUTATIO NOŃA.

## De Postprædicamentis.

## CAPUT UNICUM.

*De Signo, ejusque divisionibus.*

Signum auctore Divo Augustino de princip. *dial. cap. 3. & lib 2.* de Doctrina Christiana *cap. 1.* est, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire*, vel, quod eodem recidit, illud est, *quod seipsum sensibus, & id, cujus signum est, intellectui offert*, sicuti Hædera, quæ præ-

præterquamquod seipsam viatoribus conspiciendam vinum venale ijsdem cogitandum relinquit, signum dicitur venalis vini: at quandoquidem cum nec omne signum sensui sit obvium, ut satis ostendunt notiones secundæ, quæ signa rerum, & conceptuum sunt in ipso intellectu, in quo sunt: nec omne signum aliquid intellectui offert; habent quippe, & bruta animalia sua signa, ut in Canibus, est manifestum, intellectu autem carent, ideo placet aliis signum definire, quòd sit aliquid à se distinctum aliud indicans.

Differentiæ autem signorum variæ sunt; nam primò ratione efficientis sunt, vel naturalia, vel arbitraria. Primum est, quòd tale est à natura; sic gemitus est signum naturale doloris, risus lætitiæ, fumus ignis; secundum verò, quod etiam artificiale vocatur illud est, quod aliud præter se repræsentat, aut indicat, ex Dei, vel Angelorum, vel hominum beneplacito, & institutione, ut omnia ea, quæ præ foribus appenduntur, ad significandas res venales.

Ratione autem ordinis primò dividitur in proximum, illudque est, quod immediatè rem significat, ut fumus combustionem, & remotum, quòd intercedente alio signo signatum indicat, ut umbra fumi, combustionis signum est.

Ratione officii tertiò signum dividitur in manifestativum tantum, & suppositivum: primum illud est, quod signatum suum quidem significat, pro illo tamen in contextu orationis supponi non potest: talia signa sunt voces, & scripturæ respectu conceptus loquentis, & scribentis, illum quippe significat quidem, non tamen pro illo in contextu orationis possunt supponi. Suppositum verò illud est, quod & signatum suum significat, & simul pro illo in contextu orationis supponi potest: Talia signa sunt voces, & scripturæ respectu rerum, quas significant: illas quippè non modò significant, sed etiam pro illis in contextu orationis vocalis, aut scriptæ supponi possunt.

Dividitur etiam signum, in materiale, & formale. Primum *illud est, quod repræsentat aliquid potentiæ cognoscenti, mediante sui cognitione*, ut fumus, hædera appensa foribus, voces, Scriptura. Signum verò formale dicitur, *quod potest aliquid repræsentare potentiæ cognoscenti, non mediante sui cognitione*, hoc est itaut non interveniat ejus cognitio: Talis est conceptus respectu rei conceptæ: Item species tam sensibilis, quàm intelligibilis respectu rei, cujus est species; vocatur tale signum formale, quia non potest significare actu, nisi informet potentiam cognoscentem.

Familiaris quoque est divisio signi, in demonstrativum, pronosticum, & rememorativum; primum significat rem præsentem, secundum futuram, tertium verò rem præteritum. Ut autem signum, ex signo percipiatur, discursus non semper necessarius est: Infantes enim, & bruta signis moventur, ut Canis voce Heri ad cursum, nec tamen percipit vocem Heri esse signum ejus voluntatis, nec signum cum signato confert, sed tantùm sono percepto determinatur ad motum.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum voces significent naturaliter, an ad placitum; ex pacto an ex consuetudine.*

## CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas per plures conclusiones.*

Duplex datur genus vocum: aliæ sunt inarticulatæ, & sunt illæ, per quas exprimimus aliquem internum affectum, vel doloris, vel tristitiæ, vel lætitiæ, ut suspiria, risus, & istæ significant naturaliter, tum quia naturaliter connectuntur tales voces cum sua causa, tum quia etiam apud omnes nationes idem significant; imò apud ipsas beluas. Aliæ sunt voces articulatæ, & sunt illæ, quas adhibemus ad significandum aliquod objectum, prout substat alicui nostro conceptui particulari de illo objecto, uti sunt voces istæ, Homo, Leo: has autem significare ad placitum patet, quia nulla apparet naturalis connexio hujus vocis *homo* cum tali natura humana, & eadem ratione, qua vox ista significat naturam humanam, potuisset imponi ad significandam naturam canis; ergo vox *homo* non connectitur naturaliter cum natura humana, sed ad placitum.

Secundò, quia ista vox verbi gratia *homo* non significat idem apud omnes nationes: illud autem signũ, quòd naturaliter significat, significat idē apud omnes nationes, ut patet in risu, suspirio: cur autem voces potius fuerint ex placito hominum institutæ ad significandum, quàm alia entia, patet, quia, cùm Deus voluerit secreta cordium humanorum esse independenter à nostra libertate aliis incognita, ut magis salvaretur nostra libertas, & ex alia parte, cùm debeant posse manifestari aliis propter commercium, nil aptius ad hunc finem obtinendum potuit adhiberi ipsis vocibus.

Major autem difficultas est, an voces significent ex pacto. Proquare, sciendum dari aliquas voces, quæ inducunt nos io cognitionem apprehensivam rei, & vocantur incomplexæ, quæ non exprimuntur nota affirmationis, vel negationis: v. gr. auditis istis vocibus *homo albus*, ex vi illarum non inducor, nisi in apprehensionem talis objecti; cùm ipsæ voces non inferant, nisi meras apprehensiones loquentis, aliæ sunt voces, quæ inducunt nos immediatè in assensum, quòd loquens habeat tale judicium de tali re, ut exprimuntur nota affirmationis, vel negationis, & dicuntur complexæ v. gr. auditis istis vocibus *Petrus est albus*, non solùm venio in cognitionem, quòd proferens habeat in mente talem apprehensionem de tali objecto, sed quòd habeat tale judicium in mente, affirmando, Petrum esse album, si velit dicere verum, & simul venio in cognitionem existentiæ albedinis in Petro. His positis.

Dico voces incomplexas non significare ex pacto, vel quasi pacto, sed potius ex consuetudine, supposita primorum hominum conventione: quo ad primam partem patet, quia qui adhibet tales voces, non habendo conceptum de tali re significata per nomen, nullum violat, nec adimplet pactum, nec peccat, neque audiens queritur, quòd proferens talem vocem non habuerit conceptum de tali re; ergo tales voces non significant ex pacto; ergo dicendum est, quod hujusmodi voces sint significativæ ex conventione. Voluerunt enim pri-

mi institutores vocum, ut fierent species complexæ vocis, & rei significatæ per vocem, ita ut quotiescumque excitaretur species unius, nempè rei, excitaretur species vocis, & quotiescumque excitaretur species vocis, excitaretur species rei: quod tamen facilè liquet experientia: Infantes enim per hoc, quòd, quoties ostendimus aliquid, proferamus semper vocem ipsam v. gr. panis, formant species complexas de illa re comestibili, & voce panis, & sic de singulis discurrendo, unde supposita ista institutione, est potius ista significatio ex consuetudine, quia scilicet ita sunt connexæ in nostra memoria species de voce, & de re significata per vocem, ut cogamur facere violentiam nobis ipsis, & immaginationi, si velimus apprehendere rem sine voce, vel vocem sine re, sicuti violentiam inferre debemus nobis ipsis, si velimus ostendere in vultu signa letitiæ, cùm sumus tristes.

Dico ulterius voces complexas significare ex pacto, vel quasi ex pacto.

Probatur, quia qui adhibet tales voces, & non habet in mente tale judicium, quale exprimit se habere per voces, peccat peccato mendatii; ergo signum est, quod ille tenebatur habere judicium conformè vocibus prolatis; nam non peccaret peccato mendatii, nisi faceret contra aliquam obligationem, sive pactum.

A priori deinde patet, quia qui profert tales voces, postulat sibi credi propter auctoritatem suam, quam interponit; sed non potest hoc postulare, nisi loquens faciat tale quasi pactum, quo se obliger non adhibendi tales voces, nisi cùm habet talem conceptum verbis conformem; ergo verè datur tale pactum, vel quasi pactum: hoc autem argumentum militat etiam pro Angelis, & quamvis Deus non possit se obligare, hoc est non possit dare jus alteri, ut agat contra seipsum; cùm sit supremus, tamen facit æquivalenter; ratione enim suæ summæ veracitatis habet hoc, ut non possit mentiri, & consequenter sumus certi, quòd nunquam adhibet talia signa, nisi habeat in mente tale judicium illis signis conforme.

Hujusmodi autem significatio ex pacto, licèt fieri potuisset ab hominibus, quamvis non habuissent alias voces expressivas hujus voluntatis, qua voluissent se obligare (potuissent enim primò hoc præstare per signa, & nutus, quibus mediantibus instituissent aliquas voces, & mediantibus istis alias, & sic manifestare suas voluntates, ut patet in infantibus, qui nesciunt loqui) tamen de facto prima institutio facta est à Deo, qui dedit species nominum conjunctas cum speciebus rerum, juxta quæ nomina potuerunt deindè Adam, & Eva instituere alia nomina; unde dixit scriptura, quod Adam nominavit nomine proprio cætera animalia, inde dedit species complexas nominum, & rerum in Turri Babilonica septuaginta duabus Familiis ex quibus facta est divisio linguarum paulatim, deindè corruptis vocabulis, factæ sunt aliæ linguæ: quemadmodum ex latina lingua corrupta, facta est Italica.

Collige primò, vocum significationem triplicem ordinem dicere, unum ad proferentem, qui substituit talem vocem loco conceptus, quem habet de tali objecto significato per ipsam ex intentione significandi, & ut audiens percipiat talem rem significatam, alterum ad audientem; nam non est sermo, ubi non est auditus, nec capacitas percipiendi rem significatam per talem vocem: tertium ad rem ipsam significatam: quapropter, si alloquamur aliquos non callentes linguam, non est propriè locutio, quia datur incapacitas ex parte audientis ad percipiendam significationem vocis.

Collige secundò significationem vocis in actu primo derivari à conceptu impotentis significationem talibus vocibus; nam ab illo voces habent totam virtutem significandi; cùm ex se non magis significent unum, quàm aliud; significationem verò in actu secundo desumi ab ipso conceptu loquentis, ita ut ex vi vocis non alio modo percipiamus rem significatam, quàm illo, quo proferens percipit, & intendit significare: dixi *ex vi vocis*, quia si aliquando audita voce, perfectius percipio objectum, quàm ipsum proferens percipiat, hoc non provenit ex vi vocis, sed quia aliunde notitiam habeo de tali re significata: Angelus v. gr. perfectius concipit Deum, quàm percipiat homo, qui profert, quia aliunde habet notitiam clariorem de Deo, vel perspicacius ingenium: cæterum si perfectius vox significaret res, quàm proferens intelligat, sequeretur, aliquem posse perfectius loqui de rebus, quàm res intelligat, eo quod verba ab ipso prolata perfectius rem significent quàm ipse percipiat: quod videtur planè impossibile.

## CAPUT SECUNDUM.

*Solvuntur Objectiones.*

Objiciunt aliqui primò cõtra vocum significationem ad placitum: Cui dedit natura potentiam aliquam ad exercendum aliquem actum, dedit etiam instrumenta naturalia ad illum exercendum, ut patet in potentia ambulativa, quæ habet tanquam instrumenta naturalia pedes, sed facultas loquendi est naturalis; ergo dedit etiam natura instrumenta naturalia ad exercendam locutionem; hæc instrumenta sunt voces; ergo voces significant naturaliter non ad placitum.

Confirmatur, quia multæ voces imitantur naturam rerum significatarum v. gr. Sibilus imitatur illum sonum, qui fit sibilando; ergo significatio vocum non est ad placitum hominum.

Respondeo primò negando subsumptum: potius enim instrumenta loquendi sunt lingua, dentes, quibus formantur voces, & iam formatæ imponuntur ad significandum, ut media ad exprimendos proprios conceptus: licèt enim ex parte soni voces sint naturales, ex parte tamen significationis sunt ad placitum, & artificiales, ea ratione, qua Cathedra, secundùm signum est naturalis, secundùm figuram est artificialis.

Respondeo secundò distinguendo: cui dedit natura potentiam naturalem exercendi aliquem actum, dedit etiam instrumenta naturalia ad illum exercendum, si illa instrumenta non possunt poni per artem, & industriam, concedo maiorem, si possunt poni per artem, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens, ergo dedit instrumenta naturalia ad loquendum, si non possunt dari per artem, concedo consequentiam, si possunt dari per artem, nego consequentiam: natura enim, quemadmodum non abundat in necessariis, sic est avara in superfluis, & quandocunque potest homo per suam industriam aquirere sibi aliquod medium ad aliquem finem, non dat natura illud medium, sed relinquit, ut homo sibi illud aquirat à semetipso: Præterea natura non facit homines scientes, sed dedit potentias ad aquirendas scientias, scilicet rationem, ut præstantius, & nobilius habe-

habereot bonum scientiæ, ita etiam res viventes nascuntur imperfectiores non viventibus, & molle minores: planta enim incipit exigua, lapis nascitur grandior, vt licet planta habeat hoc bonum aquirendi staturam, & altitudinem à semetipsa, quam non possunt aquirere ex se non viuentia, sic etiam natura non dedit voces significantes naturaliter, quia homines facultatem hanc habebant dandi significationem vocibus.

Ad Confirmationem dico, quòd istæ voces sibilua, mugitus, licèt imitentur naturam rei, & detur dissimilitudo inter sonum, & sonum, tamen non sunt naturales, quia scilicet potuerunt non imponi ad significandas res tales, neque esset major ratio, quòd sonus vocis significaret sonum sibili, quàm è contra; dici tamen possunt naturales per ampliationem, inquantum illæ voces conveniunt aliquo modo, sed non omninò naturis rerum; unde quando artificialia maximè naturam imitantur per quandam exagerationem naturalia solemus vocare, & in hoc sensu *dicitur* 2. Genesis *Omne quod vocavit Adam ipsum est nomen eius*, non quod voces significarent ex natura sua rem, quam significabant, nam alioquio sequeretur, quod aliquis audita voce hebræa, quin illa sit instructus, posset venire in cognitionem rei significatæ per talem vocem, sicuti viso fumo, venio in cognitionem ignis; quod tamen est falsum, sed dicitur Adam vocasse res nomine proprio, inquantum postquam vox jam suam significationem habebat, simul cum voce rem significatam tali subjecto accomodavit v. gr. postquam dedit huic voci *simplex* suam significatioem, quæ potuit aliæ voci impooi, postea hanc vocem cum suo significato applicavit Columbæ, quia res significata convenit Columbæ.

Obiiciunt secundò. Si voces significarent ex libera hominum voluntate, posset quis pro libito mutare significationem vocum, & voces significativas unius rei, transferre ad alias significandas; sed hoc fieri non potest; ergo voces non significant ex libera hominum voluntate.

Respondeo negando sequelam: licèt enim libera sit impositio vocum ad significandum, debet ratione esse conformis naturis rerum, & ideo non à quocumque facta, sed à sapientibus, qui cognoscentes naturas, & proprietates rerum, potuerunt ab illis proprietatibus derivare nomina illis conformia; unde dicuntur nomina derivata, & sic non posfunt pro libito mutare significationes nominum: Præterea cum voces sint in ordine ad humanum commercium, si quilibet mutaret significationem vocum, itaut quotiescumque adhibeant tales voces, tales caracteres, intelligant tales res, ex qua conventione oriuntur signa aliis inintelligibilia; sed ipsa impositio significationis, non est, nisi in ordine ad priuatum commercium, non verò commune.

Obiiciunt tertiò contra significationem vocum ex pacto: si voces significarent ex pacto, non posset explicari, quid habuerint pro objecto voluntates Antiquorum, ineuntium pactum; ergo voces non significant ex pacto. Probatur antecedens: Voluntates illæ antiquorum intendebant obligationem, qua tenerentur homines non adhibere talia signa, sive voces, nisi quando haberemus in mente tales conceptus; sed ipsa obligatio haberetur per tales voluntates; ergo tales voluntates haberent pro obiecto seipsas; sed hoc est impossibile; ergo non posset explicari, quid haberent pro objecto tales voluntates.

Respondeo negando sequelam: ad probationem dico, quòd si loquamur de vocibus inducentibus in solam apprehensionem, non significant ex pacto rigoroso, ut diximus, sed solùm ex conventione aliqua, quòd scilicet formarentur species complexæ de voce, & re significata, ita ut quandocumque excitaretur una, excitaretur alia: hoc autem objectum distinguitur ab ipsa voluntate convenientium in impositione significationis: si autem loquamur de vocibus inducentibus in judicium, dupliciter responderi potest; quòd nimirum voluntates primorum instituentium linguam, habuerint pro objecto obligationem, ne quis unquam uteretur talibus vocibus, nisi cùm habet in mente tale judicium, vocibus conforme: hæc autem obligatio dici potest, quod sit aliqua entitas moralis, per quam natura rationalis formaliter obligatur; hæc entitas dicitur moralis, non quia sit entitas physica, sed quia pendet à voluntate, & spectat ad mores, eo modo, quo dicitur dari jus dominii, & obligatio servitutis; quæ sunt etiam entitates morales. Secundò dici potest, & melius, hujusmodi obligationes esse, ut quicumque utitur talibus vocibus, vel habeat in mente tale judicium conforme, vel subeat reatum culpæ, & pœnæ; si hoc fiat cum advertentia: hoc disjunctum cum advertentia, distinguitur à voluntate instituentium, & isto disjuncto volito cum advertentia resultat obligatio, & licèt advertentia ipsa non possit explicari, nisi in ordine ad ipsam voluntatem instituentium, tamen distinguitur ab ipsa voluntate, sicuti voluntas divina volens creaturam, vult relationem transcendentalem ad se ipsam, quæ relatio absque ordine ad illam voluntatem explicari non potest; sed hoc sufficiat indicasse; cum non sit præsentis instituti tales voluntates discutere.

Obiicies quartò si voces significarent ex pacto, deberet aliquando aliquis inire pactum, & obligationem secum ipso; sed non potest aliquis inire pactum secum ipso; ergo non possunt voces significare ex pacto. Maior probatur: qui scribit historiam seriam, tenetur scribere iuxta mentem, quæ obligatio est in favorem omnium, qui legere possunt; sed qui scribit est unus, qui legere potest; ergo datur obligatio ad se ipsum: quod dico de scriptura valet etiam de vocibus; ergo potest aliquis inire pactum secum ipso: prima minor probatur: si quis obligaret se, & haberet ius adversum se, ne faciat aliquam actionem, non posset violari hoc ius per hoc, quod illa actio fiat; nam non violatur ius, quoties habens illud non est invitus; sed cedit iuri suo in illa actione; cùm volenti non fiat iniuria; at hoc ipso, quod vellet aliquis actionem oppositam iuri suo, non esset invitus circa illam actionem; ergo per ipsam non violaret ius, quod est falsum; ergo non potest aliquis inire pactum secum ipso.

Respondeo distinguendo minorem: non potest aliquis inire pactum secum ipso, si illud pactum acceptetur à Deo ratione boni præponderantis ipsi creaturæ nego minorem, si vero non acceptetur à Deo, concedo minorem, & nego consequentiam: licèt enim nos non simus inviti circa talem actionem, satis est esse invitum Deum, qui acceptauit talem obligationem, ipsique fieri iniuriam: bonum autem præponderans in præsenti casu est, quia malum magnum est, quod per scripturas inducamus nos in assensum falsum; Deus ergo, ut consulens nostro bono obligat nos, ne noceamus nobis ipsis eo

plané

planè modo, quo nos obligat, ne nosipsos occidamus.

Obiiciunt quintò: non potest per formam præteritam constitui denominatio præsens; sed voces significant ex vi voluntatis præteritæ obligantis; ergo non possunt constitui voces ex pacto significativæ per talem voluntatem præteritam.

Respondeo distinguendo majorem: non potest denominatio physica præsens constitui per formam præteritam, concedo majorem, denominatio Logica, vel moralis nego majorem; & concessa minori, nego consequentiam: domus enim antiqua denominatur à duratione præterita, à qua dicitur nunc benedicta à benedictione præterita; ergo eodem modo voces possunt esse significativæ per voluntatem præteritam instituentium moraliter perseverantem, utpotè non retractatam.

Obiiciunt ultimò: ratio signi ad placitum constituitur formaliter per voluntatem instituentium; ergo quicumque cognoscit tale signum, ad placitum cognoscere debet talem voluntatem instituentium; sed hoc est falsum, quia pueri rustici nihil de his habent notitiam, & tamen percipiunt rationem signi; ergo ratio formalis signi non consistit in tali voluntate.

Respondeo, quòd quicumque cognoscit tale signum non est necesse, ut distinctissimè cognoscat id, per quòd constituitur ratio signi, sed sufficit, ut confusè tantùm cognoscat v. g. rusticus cognoscit se esse subditum, & principem esse dominum, etiam si non cognoscat distinctè, in quo consistat ratio domini, & subditi, nempe in jure, quòd habet Princeps disponendi de illo, & in obligatione, qua homo se obligavit obedire propter bonum, quòd inde sequitur conservationis sui, & suorum, & tranquilitatis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum voces significent immediatè res vel conceptus.*

Certum est, voces non significare solum res, sed etiam conceptus patet quoad primam partem, quia audita voce homo, statim si calleo lingua, venio in cognitionem de re significata per nomen, etiam si vox illa proferatur ab aliqua, qui non habet conceptum de re significata per nomen.

Patet etiam quoad secundam partem ex Phylosopho dicente: *voces esse eorum, quæ sunt in anima passionum notæ:* nomine autem passionis, nihil aliud intelligitur, quàm conceptus, ut Sanctus Thomas, & alii interpretantur. Præterea, quando audio istam vocem animal, non solùm venio in cognitionem naturæ animalis, sed etiam quòd qui profert talem vocem confundat plura animalia sub uno conceptu: & ratio hujus est, quia quæmadmodùm effectus habens causam unicam v. gr. fumus ducit me in cognitionem ignis tanquam causæ, statua artificiosa visa ducit me in cognitionem artificis, ita effectus iste vocum prolatarum ducit me in cognitionem conceptus, à quo tanquam à causa procedit, si proferantur ab homine advertente ad prolationem, & humano modo factam: ex suppositione autem institutionis vocum, datur quædam naturalis connexio inter conceptum loquentis, & locutionem, itaut aliquis proferre non possit vocem, quin habeat cognitionem de re significata per vocem, si sciat illius significationem; ergo ex vi vocis possum venire in cognitionem, non solùm rei, sed etiam conceptus, tanquam causæ connexæ naturaliter cum effectu vocis.

Dico tamen, quod per voces significantur principaliter res, & immediatè potius, quam conceptus.

Probatur, quia illud, quod intendit loquens principaliter per voces, est manifestare res; nam cum dico v. gr. homo est animal rationale, meus finis est, ut audiens veniat in cognitionem principaliter, quod homo sit animal rationale, non verò quod ego habeam conceptum de tali objecto; sed illud, quod intendit principaliter loquens significare per voces, significant ipsæ principaliter; ergo voces magis principaliter significant res, quàm conceptus.

Confirmatur, quia audiens benè dicit se intellexisse sensum vocum, etiam si nesciat, an loquens habeat, vel non habeat conceptus de rebus significatis per voces; ergo voces principaliter significant res potius quàm conceptus.

Quod dicitur de vocibus, dici potest de scriptura, nã per scripturã nihil aliud intendit scribens, quàm manifestare res principaliter, esto, quod legens veniat etiã in cognitionem de vocibus de conceptu scribentis, si tamen attentè scripsit, & non casu; sed finis quem intendit scribens, est ille, in cujus cognitionem venit principaliter legens; ergo res sunt finis significatus principaliter per scripturam: Minor hæc probatur, quia voces desumunt virtutem significandi à voluntate, quam habuerunt primi institutores, ordinantes scriptionem ad alterum; cum scriptura ex se non habeat significare, nisi ex voluntate, & placito instituentium; ergo legens venit principaliter in cognitionem illius, quod scribens principaliter intendit: hoc, quod dicimus de scriptura, dici potest de vocibus.

Confirmatur utraque conclusio de scriptura, & de vocibus: voces ut communiter dicitur substituuntur loco conceptuum, & scriptura loco vocum, cum scriptura sint voces, quibus absentes alloquimur; sed ex eo quod voces substituantur loco conceptuum, sequitur, quod voces significent principaliter, & immediatè res arguitivè verò, seu illativè conceptus; ergo etiam scriptura significat principaliter, & immediatè res arguitivè verò, & illativè conceptus.

Ex his deducere potes, quod non sit necessè, ut semper aliquis audita voce veniat in cognitionem conceptus, esto quod semper veniat in cognitionem rei.

Prima pars probatur, quia non semper viso effectu venio in cognitionem causæ, cum scilicet illud cognosco cognitione absoluta, & non ut connexum cum sua causa: alioquin cognita anima, deberem semper cognoscere Deum, à quo creatur; sed vox est semper connexa cum conceptu loquentis, tanquam cum sua causa: propterea, non semper audita voce, debeo semper venire in cognitionem conceptus, sed possum arguere ex voce conceptum; hoc etiam colligitur à posteriori, quia sæpè legens Historiam, nihil reflecto ad conceptum, quem habuit scriptor, sed ad rem, quæ significatur per scripturam, & discipulus audiens à magistro demostrationem aliquam de Deo, attendit ad rem, non verò ad conceptum, quem habet magister; ergo possum venire in cognitionem rei per voces; quin veniam in cognitionem conceptus.

Secunda pars assertionis probatur: quia stante institutione novum ad res significandas, modus

quo

quo puer addiscit linguam, est illi rem ostendi, & proferri simul à docente vocem, quo pacto fiunt species ita complexæ ut numquam excitetur una de vocibus, quin excitetur alia de rebus, & sic remaneant in memoria: quando verò accidit, ut audita voce aliqua v.gr. Latina non veniam in cognitionem rei significatæ per talem vocem, hoc provenit, quia sunt obscuratæ species de rebus, & sic recordor vocabuli, quin veniam in cognitionem rei significatæ per vocabulum: Cæterum si maneant vividæ species, numquam excitatur una de vocibus, quin excitetur alia de re, & sic semper audita voce venio in cognitionem rei significatæ per vocem, quia ulla sit necessaria comparatio.

## CAPUT UNICUM.

### *Solvuntur Obiectiones.*

Obiiciunt aliqui primò contra id, quod diximus, voces significare conceptus: Illud voces significant, pro quo supponunt; sed voces non supponunt pro conceptibus, sed pro rebus: ergo voces nullo modo significant conceptus; minor probatur ex Philosopho 1. *Elench. cap.* 1. ubi ait, quòd nos utimur vocibus loco rerum, sicuti ludentes vtuntur calculis pro pecunia; ergò non possumus res, de quibus disputamus in scholam adducere; ergo per Philosophum voces supponunt pro solis rebus: Item quando dicitur Petrus loquitur, ly Petrus non supponit pro conceptu ut patet; cum non possit dici, quod Petrus sit conceptus; ergo per voces non significantur conceptus ullo modo.

Respondeo, quod duplex datur signum: aliud dicitur solùm manifestativum, & est illud, quod est institutum ad manifestandam rem à se distinctam, pro qua non substituitur in propositione v. g. sonus Campanulæ est signum lectionis futuræ, non tamen substituitur pro lectione futura in propositione, nec dici potest sonus campanæ est lectio futura: Aliud est signum manifestativum simul, & suppositivum, & est illud, quod non solùm rem significat, sed pro illa substituitur in propositione, ut *homo*, non solum significat hominem, sed pro illo ponitur in propositione; hinc ad argumentum nego maiorem, quia licèt voces respectu rei sint suppositivæ simul, & manifestativæ, tamen respectu conceptuum sunt solum manifestativæ, & in hoc sensu loquitur Philosophus loco citato.

Obiiciunt secundò si voces significarent conceptus, locutio deberet esse manifestatio conceptus; sed non semper est manifestatio conceptus; ergo voces non significant conceptus: minor probatur: qui mentitur non manifestat per voces conceptum suum; ergo locutio illa non est manifestatio conceptus.

Respondeo, quod locutio manifestat semper conceptum, saltem apprehensivum rei in loquente, eo quod non possint proferri voces aduertenter, supposita notitia significationis vocum, quin loquens apprehendat rem significatam per vocem. Præterea voces manifestant etiam illud iudicium, quod habere deberet loquens, sub conditione, quod velit satisfacere suæ obligationi, & non mentiri, sed quia obiectio petere videtur disparitatem, quare audita voce, nō veniā semper in cognitionem conceptus, sed possim venire, ut probavimus, ideo assignatur nunc disparitas: quia scilicet connexio vocis cum conceptu, est connexio quædam obiectiva, sive se tenens ex parte vocis ea ratione, qua est connexio effectus cum sua causa; sicuti igitur ad hoc, ut cognoscatur causa per effectum, non sufficit quomodocumque effectum cognoscere sed debet cognosci effectus, ut connexus: qua propter Deus secundum suum esse particularissimum cognosci nequit per creaturas, quia hæ cum hoc esse non connectuntur, nec de hoc participant; ita ad hoc, ut cognoscatur conceptus per vocem, cognosci debet talis connexio, sive vox ut connexa cum conceptu, & quia non semper cognoscitur huiusmodi connexio, propterea non semper per effectum vocis cognoscimus conceptum, sicuti non semper per effectum cognoscimus causam. Contra verò connexio vocis cum re, est connexio quædam se tenens ex parte audientis, seu connexio intentionalis, quæ consistit in complexione specierum relictarum in audientis memoria, quæ sunt tales, ut hoc ipso, quod excitatur una, excitetur alia, seù potius est una, eademque, quæ inducit in cognitionem utriusque; propterea non est necesse, ut cognoscatur ad hoc ut per vocem veniam in cognitionem rei.

Arguunt Tertiò contra id, quod diximus, uoces significare principaliter res, veluti illativè conceptus: sicuti se habet scriptura ad voces, ita se habent voces ad conceptus; sed scriptura significat immediatè voces; ergo voces significant immediatè conceptus, res verò illativè, probatur minor, etiam si aliquis legere sciat caracteres aliquos grecos, si nesciat significationem vocum grecarum, res non cognoscit, ergo signum est, quod scriptura voces prius significat, deinde res.

Confirmatur quia si aliquis sapientissimorum conventus statuerer, quòd hæc vox cucurbita significet hominem, non verò talem fructum terræ, nulla variatione facta in scriptura, variaretur significatio mediata scripturæ, non verò immediata, quia semper significaret eandem vocem, & eodem modo scriberetur; ergo scriptura non significat immediatè rem, sed vocem.

Confirmatur secundò, quia quando quis legit, semper recurrit in mente vox; ergo signum est, quod scriptura significat res mediantibus vocibus.

Respondeo negando minorem, ut jam probatum est supra: ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam; nam non ex eo ignorans aliquis vocum significationem, non cognoscit res ex caracteribus, quia caracteres immediatè significant voces, sed quia nescit ad quid significandum sint formati caracteres, vel quia eo ipso quòd ignorat vocum significationem, ignorat etiam caracterum significationem, cum homines instituerent, ut caracteres hoc ordine scripti eandem habeant significationem, ac voces, ac proinde si nescimus vocum significationem, nescimus etiam caracterum significationem

Ad primam Confirmationem respondeo, quòd si varietur significatio vocum variatur etiam significatio immediata scripturæ, quæ est circa rem, ut probavi, non verò circa voces; cum convenerint homines, ut quòd significat vox ista cucurbita, significent etiam caracteres hoc ordine litterarum scripti; unde variata significatione vocis, variatur immediata scripturæ significatio.

Argumentum solùm probat, quòd sicuti voces supponunt conceptus exprimentes rem eandem significatam per vocem, non verò ipsos conceptus, ut prius significatos, sic scriptura supponit vocum significationem, non vero voces ipsas, ut prius significatas, vel ad summum probat, immediatè signi-

gnificari voces, & res, non verò cum illa subordinatione prioris, & posterioris.

Ad secundam Confirmationem respondeo (& hac solutione confirmatur superior) quòd aliquis initio, quia incepit scribere dependenter à vocibus auditis à Præceptore, format species complexas de vocibus simul cum rebus significatis; unde argumentum probaret æque primò per scripturam significari res, & voces: & hæc etiam est ratio, quare variata vocum significatione, varietur scripturæ significatio, licèt eodem modo maneant caracteres, sed ubi aliquis ad perfectionem venit scribendi, non est necesse, quod attendatur ad voces: si enim petas, quid sibi velit carracter iste expressus in Charta, nempe Cœlum, non respondetur, quòd significet vocem, sed globum Cœlestem; ergo signum est, quòd principale intentum, seu finis scripturæ, est manifestare absentibus res, non voces; & confirmari potest responsio ex eo quia, si quis addiscere cæpit voces aliquas ex scripto, quotiescumque revocat in memoriam voces, redeunt etiam carracteres; ergo etiam licèt legendo recurrant voces in mente, non propterea caracteres significant principalitèr voces.

Obiiciunt quartò. Voces significant mediis conceptibus; ergo significant prius conceptus.

Respondeo distinguendo antecedens: voces significant mediis conceptibus, à quibus virtutem significandi desumunt, tanquam à causis, transeat antecedens, tanquam à mediis significatis, ut objectis, nego antecedens, & consequentiam: ad hoc enim, ut sit locutio naturalis, debent præcedere, & supponi conceptus, ut vox rem significet, sed non debet supponi conceptus significatus, ut vox rem significet, sed potiusè contra; quia nosco per vocem significati talem rem, arguo loquendi inesse talem conceptum de tali re: adde, quod etiam si aliquando audita voce, statim veniam in cognitionem conceptus, non propterea conceptus significatur immediatè, sed illud tantum immediatè significatur, ad quod significandum primò, & per se ordinatur ab illo, qui significationem imposuit; sed hoc est res, non conceptus; ergo prius significatur res per voces, tanquam per signa, quam conceptus.

Obiiciunt quintò: Si voces non significarent primariò conceptus, nullum esset mendacium; nam mendacium consistit in significatione exteriori conceptus, qui non datur in mente; ergo voces non significant primariò res, sed conceptus.

Respondeo mendacium consistere in hoc, quòd exterius affirmetur res, cujus negatio in mente concipitur per judicium negatiuum, vel quòd negetur, res per voces, cujus positio in mente concipitur per judicium affirmatiuum sed hoc non infertur, significationem primariam vocis esse conceptus, sed solum, quòd voces negent res ipsas, quas per conceptus affirmo, vel è contra; unde voces sunt mendaces, vel quia affirmant res negatas per conceptus, vel quia negant res affirmatas per conceptus.

Obiiciunt sextò. Voces significant res, ut significatas per conceptus v.g. ista vox *homo* non significat hominem quomodocumque, sed hominem, ut substantem conceptui universali; ergo voces æquè principaliter significant res, & conceptus.

Respondeo distinguendo antecedens, ita ut ly ut substantem conceptui reduplicet ipsum conceptum tanquam conditionem applicatam, concedo antecedens, ita ut reduplicet ipsam formam significatam, nego antecedens, & consequentiam: quæmadmodum; ergo quando dicitur voluntatem amare bonum, ut cognitum, non est sensus, quod voluntas diligat ipsam cognitionem, sed solum quod cognitio applicet obiectum voluntati, ita quod dicatur, quòd voces significent res, ut cognitas, sensus est, quòd cognitio sit conditio applicans, qua applicatur objectum per voces.

Obiiciunt ultimò. Voces inductiuæ in judicium significant immediatè conceptus v.g. credo Petrum esse in foro, quia judico, quòd Paulus ita judicet; ergo motiuum judicandi, quòd Petrus sit in foro, est judicium Pauli dicentis Petrum esse in foro; sed motiuum assentiendi priùs cognoscitur, quam ipsa res, cui assentimur; ergo prius cognoscitur judicium loquentis quam res expressa per voces.

Respondeo ex vi vocis, seu locutionis, nos non venire magis in notitiam, quod Paulus judicet, quam quod apprehendat, Petrum esse in foro, & sic ex vi vocis non venio in cognitionem judicii; nam si Paulus sit mendacissimus, & ego id sciam, tunc illa locutio non ducit me in judicium, quòd Paulus ita judicet: illud ergo, quod me movet ad judicandum, quod Paulus ità judicet, est opinio, quàm habeo de illius veracitate, sapientia, & bonitate, quòd nimirum sciat, & nolit decipere, & velit satisfacere obligationi dicendi verum, ex quo deduco, ipsum ita judicare: ex hoc deindè motivo, moveatur ad affirmandum, Petrum esse in foro: Cæterum ex vi locutionis, moueor ad concipiendam existentiam Petri in foro, & per illationem deduco, quod qui loquitur habeat, vel aprehensionem, vel judicium de existentia Petri In foro.

# DISPUTATIO DECIMA.

In qua de propositionibus de futuro contingenti, & earum veritate inquiritur.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An propositio in materia contingenti transire possit de vera in falsam.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas affirmativè.*

Difficultas hæc locum habet solùm loquendo de propositionibus in materia contingenti. Quæ enim sunt in materia necessaria, aut impossibili, vel semper veræ sunt, vel semper falsæ, & hoc quia nequeunt esse tales propositiones, quin conformentur objecto, vel disformentur, qua propter propositiones in materia necessaria appellari solent veritatis eternæ. Pro huius autem decisione.

Ulterius suppono propositionem de objecto contingenti consignificare tempus, & præter subjectum, & prædicatum, & identitatem inter utrumque significare ex parte objecti aliquam differentiam temporis, sive præsentis, sive præteriti, sive futuri. Modus autem significandi hujusmodi differentias temporis esse potest diversus; nam aliquando propositio significat tempus determinatè, ut cum dico Petrus in instanti *A* sedet, affirmo sessionem de Petro pro tali instanti, & non pro alio

alio. Aliquando significat tempus indeterminatè, quando scilicet propositio suo modo tendendi non sibi designat aliquod tempus determinatum, ita ut sit indifferens ad verificari, vel in hoc, vel in illo tempore, ut cum dico *Petrus in hac hora sedet*, ooo determinando ex modo affirmandi, an sedeat in prima, vel in secunda, vel in tertia parte horæ. Quare hæc ratio determinati, vel indeterminati non est intrinseca tempori, sed est denominatio proveniens ex hoc, vel illo modo tendendi.

Circa hanc autem propositā difficultatem duplex invenitur sententia, quarum prima docet propositionem estò in materia contingenti, transire non posse de vera in falsam, & è contrà. Sic Ariaga *disp.* 14. *in Logica, sect. prima*, Hurtado *disp.* 9. *de Anima sect.* 3. & 4. Oviedo *cont.* 7. *de Anima*, Aversa *quæst.* 27. *Logicæ sect.* 7. & ex nouissimis Illustrissimus Spinula in sua Philosophia, atque Siluester Maurus.

Secunda sententia asserit propositionem in materia contingenti transire posse de vera in falsam. Sic Scotus *in* 1. *cap.* 8. & 9. *metaph.* 22. Divus Thomas *prima parte quæst.* 15. *art.* 13. *ad* 3. & ferè omnes Scotistæ, & Thomistæ excepto Pontio. Hanc sententiam tenent, & alii, ut Pater Semetii in sua Logica, Benedictus de Benedictis, noster M. Ventura ex Henrico *quodlib.* 8. *quæst.* 2. illis verbis *Ipse autem sermo propter respectus diversos variatur secundum diversitatem respectuum à veritate in falsitatem*, & *art.* 34. *quæst.* 5. hæc habet *mutatur veritas in Anima ad mutationem veritatis rei*. Ostenditur ergò veritas huius secundæ sententiæ unica ratione apud omnes plausibili, quæ an solum probabiliter, vel etiam demonstrativè euincat intentum sub Iudice lis est. Ariaga enim existimat rationem hanc reddere assertum tantùm probabile, alii verò penitus evidens; quibus & ego subscribo. Ratio autem sub hac forma exhibetur Propositio transiens de conformi in difformem obiecto, habet transire indispensabiliter de vera in falsam, cum veritas, & falsitas sint ipsa conformitas, & difformitas; sed propositio in materia contingenti transire optimè potest de conformi in difformem; ergò transire poterit de vera in falsam. Probatur minor tria supponendo, & primò determinatam aliquam propositionem, uti verbi gratia, hæc. *Petrus nunc currit*; secundò, quod hæc duret per duo instantia temporis. Tertiò, quod in primo instanti Petrus currat, in secundo verò instanti cesset à cursu; modo sic; tam in primo instanti, quàm in secundo est idem actus intellectus, cum ex una parte supponatur perseverare, & ex alia non varietur repræsentatio; sed semper idem repræsentet, sed in primo instanti est conformis obiecto; in secundo est difformis; ergò transire potest de conformi in difformem obiecto suo; ergo de vera in falsam.

Huic rationi, quæ mihi semper visa est euidenter ostensiua Conclusionis occurrere solent Aduersarii, dicendo, quod in tali casu non esset idem entitativè actus, qui de vero transiret in falsum, & hoc quia mutaretur circumstantia obiecti, cum mutaretur tempus; modo enim esset unius instantis, modo alterius, quod patet, quià si daretur actus importans determinatam, & certam temporis differentiam, non posset hic aliam significare, & importare, quin actus entitativè variaretur Sed

Contrà est; Siquidem Circumstantia temporis alia est, quæ per se repræsentatur, alia quæ mere per accidens. Prima utiquè variari nequit; quin varietur entitativè actus, unde eadem propositio esse nequit modo temporis præsentis, modo futuri modo præteriti; & hoc, quia hæ temporis differentiæ importantur per se in huiusmodi propositionibus; at verò benè potest esse modo unius instantis, modo alterius, quià istæ sunt circumstantiæ non per se repræsentatæ, sed per accidens; quatenus per accidens se habet, quod ratio præsentis cadat suprà Instans *A*, potius, quam suprà instans *B*, & consequenter, quod determinatè repræsentet instans *A*, potius, quam instans *B*,

Secundò, quià entitas actus solum habet dependere ab obiecto, prout repræsentatur per sui speciem, sed species ipsum non repræsentat cum circumstantia temporis; ergo quamuis mutetur circumstantia temporis, adhuc non variabitur entitas actus, quià non variatur obiectum, prout repræsentatur. Ideo autem variaretur in hipothesi, quod importaret determinatam temporis differentiam, quià cum tali differentia temporis repræsentaretur obiectum, undè ad ipsius variationem, sequeretur actus variatio.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta Contraria.*

Multipliciter arguunt aduersarii, & præcipuè Ariaga, Spinula, Siluester Maurus ex quibus primo arguit Ariaga. Implicat objectum, quod simul pro aliquo instanti determinato extiterit, aut extitutum est pro illo non existere; aliàs simul extiteret, & non extiteret pro eodem instanti, quod manifestè repugnat; ergo implicat propositionem affirmantem cursum Petri, v. g pro instanti *A*, & quæ semel fuit vera mutari in falsam. Patet Consequentia, quia repugnat mutari de vera in falsam absque objecti mutatione, sed hæc objecti mutatio est impossibilis pro determinato instanti, immò, & pro pluribus, si semel pro omnibus illis datur cursus Petri, prout requirit veritas propositionis, quæ de omnibus illis affirmat cursum, repugnat non dari cursum in omnibus illis; ergo repugnat transire de vera in falsam.

Secundò arguit Maurus. Ad hoc ut propositio affirmans Petrum currere in aliquo determinato instanti, vera sit, non requiritur, nisi præcisè Petrum currere in aliquo instanti determinato, siuè hoc, siuè illo; sed est impossibile Petrum currere in aliquo ex illis instantibus, & simul facta suppositione, quod fuerit vera non poterit in falsam mutari, vel è contrà, si Petrus in nullo curreret, non poterit propositio semel falsa transire in veram, cum impossibile sit Petrum simul in nullo instanti currere, & in aliquo instanti currere.

Tertium argumentum illud est, quod sic proponit Spinula. Propositio in matera contingenti debet tangere instans reale, non fictum; sed instantia realia nequeunt tangi, nisi vel distributiuè, vel collectiuè; ergo necesse est quod tangat alterutro modo; sed siue tangat, verbi gratia, cursum Petri distributiuè, siue collectiuè non poterit esse, nisi vel semper vera, vel semper falsa, non verò transire de vera in falsam, & viceuersa; ergo. De Majori propositione nulli dubium, siquidem debet tangere illud instans, in quo est possibilis cursus realis; sed cursus realis est possibilis tantùm in instanti reali non ficto, in instanti enim ficto nullus currere potest; ergo minor vero pariter liquet, siquidem si alius esset modus propositionis tangendi objectum contingens

in

in actu exercito, adducatur, de minori verò subsumpta nulli dubium, quia si tangit distributivè, hoc est cursum in aliquo instanti, peto, vel in aliquo instanti currit, vel non; si currit, semper vera, si non currit semper falsa; ergo non potest transire de vera in falsam. Si vero dicatur tangere collectiuè, peto, vel currit in omnibus instantibus, vel in nullo, vel in aliquo tantùm; si primum semper vera, si secundum semper falsa; Si tertium pariter semper falsa, quòd enim currat in aliquo instanti impertinenter se habet ad veritatem propositionis, cùm ad ipsius veritatem requiratur cursus collectiuè, hoc est pro omnibus instantibus, cùm sic importetur à propositione; ergo.

Hæc sunt argumenta potissima aduersæ partis, propter quæ reddi aduersariorum sententiam probabilem authumat Mastrius, asserunt alii. Nihilominus ad omnia respondeo, & quidem ad primum, dico argumentum procedere ex falsa suppositione; non enim nos dicimus propositionem illam transire posse de vera in falsam, quæ enunciat suum objectum v. g. Cursum solùm pro aliquo determinato instanti, vel enunciat cursum pro pluribus instantibus, in quibus omnibus cursus detur. Certum est enim, quod in his suppositionibus talis propositio transire non poterit de vera in falsam, quia ut optimè dicitur in argumento, vel pro illo instanti significato per propositionem, est cursus, vel non. Si est, semper est vera, si non, semper est falsa; ergo non poterit transire de vera in falsam, cùm pro eodem instanti cursus non possit simul esse, & non esse, quin immò si simul esset, & non esset, nec etiam transire posset de vera in falsam, sed potius in tali hypothesi impossibili esset falsa, cùm cursus pro illo instanti non simpliciter esset, sed esset, & non esset. Quod pariter verum est de propositione importante cursū pro pluribus instantibus, in quibus omnibus cursus existat, cùm enim impossibile sit pro omnibus illis instantibus simul existere, & non existere, impossibile quoque erit supposito, quod pro omnibus illis instantibus, in quibus sit cursus, propositio transeat de vera in falsam. Non sic autē discurrendū est, ut possibilis transitus propositionis de vera in falsam ostendatur; sed illa eadem hypothesis est reuocanda, quæ superius facta est, & sub qua positum fuit assertum, juxta quam non video, quomodo negari possit id, quod defendimus, ut considerati patebit.

Ad secundùm nego simpliciter, & absolutè majorem; siquidem ad hoc, ut propositio affirmans Petrum currere in aliquo instanti determinato vera sit, non sufficit Petrum currere pro aliquo instanti, sivè hoc, siuè illud sit; sed indispensabiliter exigitur cursus pro illo instanti determinato importato per propositionem, quod si in illo non curreret, sed in alio instanti, propositio vera non esset, quia non esset cursus, ut coexistens tali determinatu instanti importato per propositionem. Si verò propositio affirmet Petrum currere in aliquo instanti determinato, ly *determinato*, non signando instans peculiare, quod importetur à propositione, sed solùm cursum, qui sit in aliquo instanti determinato, concedo majorem, & minorem cùm toto suo syllogismo, sed tunc dico assertum non procedere de similibus importantibus cursum in aliquo instanti indeterminato. Hæ enim sunt, vel semper veræ, vel semper falsæ, quia vel objectum pro aliquo instanti est existens, vel non; si primum, semper erit vera, si secundùm, semper falsa.

Ad tertium libenter concedo majorem, à cujus probatione abstinere poterat Spinula, & ejus loco validam reddere minorem, quæ apud quemlibet summulistam penitus est falsa. Instantia siquidem realia, ultrà hoc, quòd tangi possunt distributivè, & collectivè, ut refertur in argumento, tangi etiam possunt determinatè, ita ut quodlibet instans tangatur determinatè à propositione in sensu diviso ab alio instanti. Sic propositio in instanti *A*, tangit determinatè cursum pro illo instanti, & non pro alio, in instanti vero *B*, pro instanti *B*, qui modus tangendi certè nequit esse collectivus, cum non tangat cursum pro omnibus instantibus venientibus sub unica collectione, neque disiunctiuus, cùm tangat cursum semper in instanti determinato, & determinatè.

Arguunt quartò semel dato quod idem actus entitativè transire possit de vero in falsum, sequitur actui fidei divinæ posse subesse falsum, atque fidem supernaturalem concurrere posse ad actum falsum; hoc repugnat asserere; ergo. Probatur sequela majoris. Sit hæc propositio, *Christus est in hostia consecrata*, & perseveret usquè ad corruptionem specierum ipsius Hostiæ: talis actus est actus fidei. Sed talis actus antequam corrumpantur species est verus, corruptis euadit falsus; ergò actui fidei divinæ posset subesse falsum.

Multipliciter Auctores occurrere solent huic argumento. Sunt primò; qui dicunt, quòd corruptis speciebus non sit amplius eadem propositio entitativè, & hoc quia variatur objectum essentiale, cùm varietur Christi præsentia in Hostia, & ipsius Hostiæ permanentia in suo esse. Variatio autem objecti essentialis per se repræsentati est variatio ipsius propositionis. Sic ex nostris Magister Ventura. Aliivero dicunt talem propositionem non reddi falsam, non obstante specierum corruptione, & hoc quia actus supernaturalis, ad quem fides supernaturalis inclinat non est hic. *Christus est in hac Hostia*, sed hic, *Christus est sub omni Hostia ritè consecrata*, adderem ego *in priori ad specierum corruptionem*, cujus veritas certè perseverat, quantumvis species corrumpantur, & amplius non sit Christi præsentia, sic Mastrius ex Catherino respondet, quæ solutio mihi videtur tutior prima.

Arguunt quintò. Si propositiones possent transire de veris in falsas, sequeretur pariter falsitas hujus alterius actus fidei, *Christus nascetur*; quod patet, si pari modo supponatur, quod propositio hæc efformetur in instanti ante Christi ortum, & Christo nato perseveret; in quo casu certum est, in primo instanti sui esse talem propositionem esse veram, quia conformis est, in secundo instanti verò falsam, quia disformis, cùm in secundo verum non sit, quòd nascetur, sed solummodo, quod jam ortus sit.

Respondeo nec talem actum fidei falsificari; primò, quia talis actus solùm enunciat coexistentiam nativitatis Christi tempori à Deo determinato, cui accidentales sunt respectus præteriti, & futuri, qui conveniunt illi. In hoc autem sensu semper est vera propositio, cùm semper verum sit, quòd Christi nativitas coexstiterit tempori à Deo determinato. Hæc est solutio, quam exhibet Scotus, cui si aliam addere placet, dicerem talem propositionem etiam Christo nato veram esse, quia Christo nato non est amplius vera, ut de futuro, sed de præterito; quamvis proferatur, ut de futuro.

Arguit sextò Oviedo. Ad hoc ut propositio de præsenti in hoc instanti sit vera, debet supponi illius objectum, non solùm in hoc instanti, sed etiam

etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo, quo per copulam importatur; sed eo ipso, quòd in hoc Instanti supponitur objectum propositionis existens, in omni tempore importato per copulam, implicat in aliquo tempore importato per copulam non existere; ergo implicat propositionem veram fieri falsam. Major probatur ad hoc, ut hæc propositio, Petrus semper currit, in hoc instanti sit vera, non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed debet in omni instanti currere. Minor quoque est certa; quia repugnat supponi in hoc instanti objectum futurum in instanti venturo, & postea in illo non existere.

Mastrius huic argumento se satisfacere existimat, asserendo utique propositionem transire non posse de vera in falsam, si repræsentet determinatè determinatam aliquam temporis partem; at posse, si repræsentet objectum pro aliqua parte temporis confusè, indeterminatè, & vagè.

Sed huic solutioni non attideo, cum instare possim ab ipso ulterius inquirendo, an in aliqua parte temporis disjunctiva sit objectum, vel non. Si primum semper vera; si secundùm semper falsa; ergo quemadmodum nequit haberi hic transitus, si propositio affirmet objectum esse pro aliqua temporis parte determinata, nec etiam habebitur, si illud affirmaret pro parte temporis indeterminata, & vaga. Aliter ergo respondeo propositionem repræsentare determinatè illam partem temporis, cui actus coexistit; unde facta hypothesi, quòd actus coexistat duplici instanti, & in primò instanti sit cursus, in secundo verò non sit; actus transit de vero in falsum. Sed

Dices; ergo copula in propositionibus in materia contingenti diceret latitudinem ad plures differentias temporis, sed hoc evenire nequit, cum hanc latitudinem non præseferant, nisi propositiones in materia necessaria, & impossibibili; ergo. Probatur prima consequentia, quia diceret latitudinem ad plura instantia.

Contra est. Propositiones enim in materia contingenti latitudinem hanc non dicunt, cùm dicant tantùm latitudinem ad plura instantia, non quidem prout hæc stant sub diversa differentia temporis, nempè præteriti, præsentis, & futuri; sed prout cadunt sub eadem differentia temporis præsentis. Tempus enim præsens habet sub se plura instantia.

Arguunt ultimò. Cognitiones habentes diversum objectum sunt diversæ; sed cognitio affirmativa vera habet diversum objectum à cognitione affirmativa falsa; ergo sunt diversæ; ergo eadem numero cognitio, quæ est vera, non potuit esse falsa. Minor probatur. Ponamus hanc cognitionem de objecto contingenti *Petrus nunc est currens*; hæc cognitio est vera, quia habet pro objecto hominem identificatum cum prædicato currentis. Ponamus, quòd Petrus non currat, & propositio dicens, Petrus est currens, sit falsa, ideò est falsa, quia habet pro objecto hominem non identificatum cum prædicato currentis; ergo cognitio affirmativa vera habet diversum objectum, ac habeat, vel possit habere cognitio affirmativa falsa.

Respondeo eandem esse penitus cognitionem, & hoc quia variatio contingit solùm in objecto exercitè, & realiter, non verò signatè, quia actus semper est expressivus, & suo modo repræsentativus Petri currentis, cui solutioni subscribunt plures Scotistæ, quamvis aliquantulum sub diversis terminis, affirmantes mutationem contingere in objecto terminativo, non motivo, quod tantùm, cùm habeat cognitionem specificare, jam hujus perseverantia est permanentia identitatis cognitionis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum propositiones omnes de futuro sivè absoluto, sivè conditionato sint nunc determinatè veræ, vel determinatè falsæ.*

Quidam proponere solent difficultatem hanc solùm de duabus propositionibus contradictoriis in materia contingenti. Ego verò statum difficultatis non sic coarcto, Sed potius extendo ad quamlibet propositionem de futuro in materia contingenti, inquirendo an sit nunc determinatè vera, vel falsa. In qua re plurict sententia negativa, nedum Aristoteli, & Tullio, verum etiam aliis quibusdam ab Atiaga relatis. Affirmativam tamen communiter tenent Auctores quamplurimi relati à Compronio immeritò docente Thomistas negare consimilibus propositionibus veritatem, vel falsitatem determinatam. Thomistæ enim sustinent determinatam veritatem, vel falsitatem convenire prædictis propositionibus, quamvis solùm in posteriori ad decretum hoc propugnent.

Secundò aduerto, & præmitto rem, qua formaliter futuram ipsum esse, non esse nunc, & esse prò postea. In hoc autem conveniunt quamplures Patres Societatis, quos inter Atiaga, Comptonius relatus, & ex Novissimis Nicolaus Martinez in suo *Tomo primo de Deo Sciente disp. 3. sect. 2.* ubi ex professo pertractat, & de more subtiliter dissoluit hanc, quam discutimus, difficultatem. His secundis adhæreo, nedum quia consonantior est Henrici documentis, verùm etiam quià rationi magis accedit, quod ostendo.

### CAPUT PRIMUM.

*Ponitur sententia affirmativa.*

Sensus Conclusionis non est propositiones in materia contingenti de futuro esse solùm veras, vel falsas in sensu disjunctionis indeterminatæ, & confusæ, ità ut veritas ipsa, & falsitas propositionibus non conveniat; sed sensus legitimus est in sensu disjunctionis determinatæ, idest ut ipsa veritas, vel falsitas determinatè conveniat ipsis propositionibus, in quo sensu.

Probatur primo Conclusio hoc medio. Non stat Deum habere nunc perfectam cognitionem de futuris sivè absolutis, sivè conditionatis in materia contingenti, & hanc non esse determinatè veram; atqui Deus ab æterno habuit cognitionem hanc, quidquid in oppositum doceat Thomasinus egregiè reprobatus ab Illustrissimo nostro Lodigerio in materia de divina scientia; ergo. Maior liquet. Ea cognitio enim nequit esse perfecta, quæ à veritate distat, cùm veritas sit perfectio cognitionis. Præterea non stat Deum habere perfectam cognitionem, & ipsa etiam futura non cognoscere prout sunt in se. Quomodo enim fieri potest, quod cognitio perfecta sit, si non tangit rem, prout est in se; sed tangere rem prout est in se, est cognitionem veram esse iuxtà doctrinam Aristotelis hic communiter receptam; ergo. Minor autem primi syllogismi liquet quoad omnes sui partes. Liquet in primis in ordine ad futura contingentia absoluta, de qui-

bus quamuis difficultas fit circà modum cognoscendi, in quo medio, nempè cognoscantur, certum tamen est ipsa perfectè cognosci ab Intellectu diuino, qui quemadmodum sibi identificat formaliter ex natura rei summam intelligendi facilitatem, ità etiam sibi identificat modum intelligendi depuratum ab omni falsitate præseferente imperfectionem in intellectu cognoscente. In ordine verò ad futura conditionata pariter res mihi certa est, ut rectè ostendit ex nostris Illustrissimus Lodigerius eximius Doctor *libro suo* 3. *de Scientia Dei*, qui ex quam plurimis diuinis reuelationibus de multis futuris sub conditione indifferenti in sacris litteris existentibus, solidè infert Deum certò cognoscere ipsa futura, sicuti certò reuelat. Sed

Dices rationem hanc ostendere solum veritatem in cognitionibus diuinis de obiectis futuris, non verò in creatis cognitionibus. Sed

Contrà est, ostendit siquidem etiam in creatis; nam ratio, cur diuina cognitio sit nunc determinatè vera, oritur, quià res futuræ ita se habent in se, sicuti cognoscuntur; ergo pariter quælibet cognitio creata erit in se vel determinatè vera, vel falsa, quià reuera,res enunciata determinatè erit, vel non erit pro differentia temporis expressa per propositionem.

Probatur secundo Conclusio ratione efficaci, & communi. Implicat cursum, verbi gratia, fore determinatè futurum, vel non determinatè futurum pro qualibet temporis differentia, & propositionem ipsam hunc enunciantem non esse determinatè veram, vel falsam; atqui cursus pro qualibet temporis differentia expressa per propositionem debet esse futurus; vel non futurus; ergo actus enuncians eumdem cursum erit, vel determinatè verus, vel determinatè falsus in sensu disiunctionis determinatè, sicuti cursus pro illa differentia temporis determinatè erit, vel non erit. Maior est certissima. Minor vera est. Quodlibet enim est, vel non est in quolibet instanti reali, adeoquè in quolibet tempore per propositionem importato

## CAPVT SECVNDVM

*Diluuntur argumenta contraria.*

PRimum argumentum procedit à læsione libertatis, eiusque vis in hoc consistit. Suppositio antecedens ex genere suo est læsiua libertatis, sed data veritate propositionis de futuro, verbi gratia, de peccato Petri habetur suppositio antecedens, ideo necessitas antecedens; ergo. Probatur minor: Suppositio, quæ antecedit peccatum ipsum est suppositio antecedens, sed talis suppositio antecedit peccatum, cum esset de peccato futuro, ergo esset antecedens.

Hoc argumentum illud est, quo Tullius negare solebat diuino numini cognitionem certam, & infallibilem futurorum, ut refert Augustinus *libro suo* 3. *de Ciuitate Dei cap.* 9. & soluit *lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 3. cui ut fiat satis, prius quamplurium placet præmittere solutionem docentium, non obstante præscientia infallibili euentus contingenter futuri, adhuc ipsum fore liberum, quià ipsa actio futura est à causa indifferenti ad plura, quamuis in se determinatè sit futura. Nec obstat necessitas, quæ oritur ln obiecto ex veritate actus; quia hæc est tantùm consequens: propositio enim vera supponit pro differentia temporis expressa futuritionem rei enunciatæ, adeoque supponit causam indifferentem potius ex se determinatam ad agere, quam non agere. Veritas enim propositionis vel falsitas est in signo posteriori, non in priori ad futuritionem cursus. Prius enim quodammodo sunt repræsentatio obiecti, eiusdemque futuritio, quàm veritas actus, & hoc, quià omne constitutiuum qua tale habet prioritatem relatè ad suum constitutum, quapropter non valet hic loquendi modus. Ideò erit, vel non erit determinatè cursus pro crastina diè, quià actus enuncians cursum debet esse verus, vel falsus, sed è contrà, ideo actus est determinatè verus vel falsus, quià pro tali differentia temporis determinatè Petrus curret, vel non curret.

Arguunt secundò alii. Res dari nequit pro illo signo, pro quo non sunt omnia constitutiua. Quis enim dicet posse dari nunc viuens rationale deficiente Anima, vel corpore, sed objectum est unum ex constitutiuis veritatis prædicamentalis, ut communis est sententia, & objectum nunc non datur, ergo nec veritas danda est.

Argumentum hoc si probat, probat etiam contra alia, quæ vel certa sunt apud omnes, vel apud nonnullos plausibilia. Probat enim nunc non dari horam primam hujus diei, quia nunc omnes partes non sunt: Probat propositiones de præterito nunc non esse veras, quia earum objecta non sunt. Probat decretum de crastina conversione ab æterno non esse, quia ab æterno conversio non est quæ in plausibili sententia constituit decretum de ipsa conversione in ratione liberi. Pro omnibus ergo dico, quod requiritur existentia objecti pro illo signo, in quo est constitutiuum, cum autem sit constitutiuum pro tunc, non pro nunc, ideò sufficit, si pro tunc sit. Vel aliter dico etiam nunc dari eo modo, quo constituit, constituit, autem propositionem veram, quà futurum, nunc autem, & ab æterno verè objectum est futurum.

Arguunt tertiò euertendo simul priorem positam rationem. Si de futuris conditionatis esset determinata veritas, vel falsitas, hanc Deus deberet certo cognoscere, & infallibiliter; atqui Deus non certò, & infallibiliter cognoscit: ergo. Major liquet. Probatur itaque minor ex sacris litteris, & præcipuè *ex Genesi* 3. *versu* 22. ubi hæc legimus: *ne ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*: ex quibus colligitur non fuisse certum Adamum sumpturum esse de ligno vitæ, ut viveret in æternum. Particula enim *fortè* quoties cadit suprà cognitionem, ipsam priuat certitudine, & infallibilitate.

Hujus argumenti penitus falsa est minor, quæ sufficienter non probatur per allatum scripturæ oraculum. Particula enim *fortè* juxta expositionem Hieronymi, ut ex nostris aduertit Illustrissimus Lodigerius, non denotat incertam Dei cognitionem futuri, sed potius libertatem creatam ad ponendum conditionatum, etiam posita conditione, ut optimè explicat idem Hieronymus *in Hieremiæ caput* 26. his verbis: *Verbum ambiguum forsitan majestati Domini non potest convenire: sed nostro loquitur affectu, ut liberum Homini seruetur arbitrium.*

Argues quartò. Ab indifferenti qua tali nequit haberi determinatus effectus; atqui objectum indifferens est ad existendum, vel non existendum pro differentia expressa per actum judicatiuum; actus pariter indifferens est ratione sui ad veritatem, & falsitatem; ergo haberi non poterit determinata veritas, vel falsitas.

Respondeo majorem propositionem non ita facilè

cilè esse concedendam. Inter indifferentiam enim, & indeterminationem est indifferentia per modum causæ activæ liberæ, quæ potest pro libito se determinare ad effectum aliquem producendum potius, quàm non producendum; sed ipsa omissa, dico, quod quamvis objectum sit indifferens ad esse, vel non esse, tamen etiam verum est, quod determinatè erit, vel non erit pro tali temporis differentia. Hoc ipso autem, quod determinatè erit, vel non erit, sequitur quoque, quod propositio ipsum objectum enuncians vera nunc sit, vel falsa determinatè, juxta illud *ab eo, quod res est, vel non est tempore importato per propositionem, propositio vera, vel falsa dicitur.*

Argues quintò. Ut vera sit conditionalis, requiritur, quod purificata conditione sequatur conditionatum, sed in propositionibus de futuro conditionato subconditione indifferenti ad plura purificata conditione non necessariò sequitur conditionatum; ergo tales propositiones conditionatæ sub conditione indifferenti non sunt veræ.

Respondeo omissa doctrina, quam supra argumentum hoc refert Ariaga, dico ipsum nil urgere contra statutum assertum, si verè intelligatur, siquidem quamuis purificata conditione necesse non sit, quòd sequatur conditionatum, v. g. posito cursu Petri non sit necesse, quod Paulus alloquatur, necesse tamen est, quod determinatè alloquatur, vel non alloquatur, adeoquè quamvis purificata conditione opus non sit, quod sit determinatè vera, est tamen, quod sit, vel determinatè vera, vel falsa.

Arguunt tandem ultimò aliqui Domestici. Si propositiones omnes de futuro in materia contingenti sunt determinatè veræ, vel falsæ, maximè quia hæc veritas; & falsitas inferuntur ex illo principio omnino primò: *Quodlibet est, vel non est tempore expresso per propositionem*; sed ex tali principio inferri nequit determinata veritas, vel falsitas contingens, ergo. Probatur minor ex principio naturali, sivè necessario inferri nequit veritas, vel falsitas contingens, sicuti à principio naturali, qua tali sequi nequit effectus contingens; sed principium hoc: *quodlibet est, vel non est* principium est naturale, & necessarium, ergo.

Huic argumento occurro cum quibusdam ex iisdem Domesticis docentibus ex contradictione inferri determinatam veritatem determinatione appellante veritatem, quamuis non inferatur determinatè determinatione cadente suprà propositionem Vis enim contradictionis non exigit, quod potius una sit vera, quam altera. Hoc ipso autem, quod contradictio non infert veritatem potius in una, quàm in altera, sed solùm in aliqua indeterminatè, jam quod una deinde sit potius vera, quàm altera, contingens est.

# QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum propositiones in materia contingenti de futuro sivè absoluto, sive conditionato veræ sint post, vel ante decretum.*

ANtequam dirimatur difficultas prius exponendæ sunt præcipuæ sententiæ, quæ versantur in hac re. Quod ut citius fiat exordium duco ab illa Patrum Societatis, ex quibus præstat audire Nicolaum Martinez, qui totam suam complectitur doctrinam spectantem ad hanc materiam his quinquè propositionibus, quarum

Prima est: *Veritas quæcumque conveniens propositionibus de futuro absoluto importantibus actum liberum Creaturæ, nec convenit, nec convenire potest ante Dei decretum*; Quod asserit, quia vult decretum constituere creaturam in actu primo proximo ad operandum.

Secunda est. *Decretum hoc nihil aliud est, quàm divina voluntas, vi cujus Deus offert concursum suum actualem Homini, & ad bonum, & ad malum.*

Tertia: *futuritio cujuslibet actus boni supernaturalis est solùm post Dei decretum prædefinitivum talis actus*, & hoc quia vult operationem supernaturalem non esse habituram existentiam nisi à decreto.

Quarta *Nulla propositio purè, & formaliter de futuro importante actum liberum creaturæ, est, aut potest esse vera per aliquam prædefinitionem ejusdem actus, & hoc quia propositionis verificativum formale est solùm aliquod futurum, idest non esse nunc, & esse pro postea*. Prædefinitio autem non est res futura.

Quinta. *Ex vi, & ratione formalis propositionis de futuro ut sit determinatè vera non requiritur decretum prædefinitivum*. Quod asserit propter propositiones enunciantes peccaminosam actionem futuram, de quibus actionibus non est prædefinitio.

Secunda sententia verò illa est, quam recipiunt Thomistæ, & Henricistæ asserentes unanimiter ad rei futuritionem sive absolutam, sive conditionatam exigi decretum Dei ab æterno, quod sit vel prædefinitivum, vel permissivum, non quidem consistens in pura oblatione concursus indifferentis ad utrumque extremum, ut sustinet prima sententia; sed in prævia motione irresistibili voluntatem determinante, ut docent Thomistæ etiam in ordine ad materiale peccati, vel in decreto constituto in ratione liberi per ipsam creaturæ actionem, qua ipsa agit, ut docemus nos.

Sed quidquid sit de hoc. Pro nunc mihi certum est conclusionem inferius ponendam Henrico esse consonam, ut patere potest ex iis, quæ habet in *Summa art 7. quæst* 13. ubi hæc lego *Unde verus Judex ex causis naturalibus proximis nihil debet iudicare futurum nisi sub conditione, quod causa prima congruat secundæ proximè. Quod adeò verum est, ut quamvis Ezechias perspectis causis secundis esset moriturus, simpliciter tamen non debuit iudicari moriturus, sed solùm sub conditione, quòd Deus decrevisset iuxta naturalem causam*. Si autem res nulla est futura nisi causa prima decernente, jam propositiones rem enunciantes ut futuram, veræ non erunt nisi post decretum.

## CAPUT PRIMUM.

*Nulla propositio in materia contingenti de futuro, sive absoluto, sive conditionato est determinatè vera, aut falsa, nisi dependenter à decreto prædefinitivo, vel permissivo, non quod esset, vel erit, sed quod sit ab æterno.*

QUamvis hujus asserti Auctores concordes sint cum illis primæ sententiæ in eo, quod velint propositiones de futuro formaliter non esse veras per Dei decretum, quia verificatiuum formale non est ipsum decretum, sed res ipsa ut futura, discordes tamen sunt in quamplurimis, & primo in hoc, quod velint similes propositiones ad sui veritatem non exigere decreta ut à nobis ultimo fuerunt explicata, ponentes solùm decretum de concursu indifferenti. Secundò, quia hæc nolunt esse ab æterno, sed solùm in tempore idest quod essent, si purificaretur conditio loquendo

de

de conditionatis. Mihi ergo opus est hic ostendere absque dependentia ab his decretis tertio loco superius explicatis, non salvari veritatem propositionum, de quibus est sermo. Secundò vi formæ inferri horum decretorum existentiam, circa hujusmodi propositiones, & ut exordium ducam à prima parte, ipsam ostendo Doctrina Divi Thomæ, quæ sub hac forma exponitur. Ad hoc ut propositio in materia contingenti sit determinatè vera, vel falsa, sive de futuro absoluto, sive conditionato, opus est, ut res sit vel absolutè futura, vel sub illa conditione per actum expressa; atqui in priori ad decretum nequit hoc haberi; ergo. Probatur Minor. Si quolibet excluso decreto, res ex se sit indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem, jam in priori ad ipsum non erit futura, sive absolutè, sive conditionatè; atqui de facto in priori ad ipsam indifferens est; ergo. Minor certa est etiam apud Adversarios docentes nobiscum rem quamlibet creatam indifferentem esse ex se, tum ad futuritionem, tum ad non futuritionem. In re enim qualibet creata optimè video prædicata exigitiva possibilitatis, non verò illa futuritionis, alias sicuti res, quia est ex se possibilis, essentialiter est possibilis, ita quoque esset essentialiter futura, si esset ex se determinata ad futuritionem. Major pariter liquet, quia non video compossibilitatem inter hæc duo, esse rem aliquam indifferentem ad utrumque extremum, & esse ex se determinatam solùm ad unum ex extremis

Secundò suadetur conclusio ratione Henrici pariter relata à nostro Illustrissimo Lodigerio. Verificativum propositionis de futuro illam non verificat, nisi dependenter à Dei voluntate, ergo veritas hujusmodi propositionis non convenit illi, nisi dependenter à Dei voluntate. Consequentia liquet. Antecedens probatur, verificativum hujusmodi propositionis est res suo tempore extitura, adeoque translata de statu possibilitatis ad statum futuritionis; sed quod res transferatur de statu possibilitatis ad statum futuritionis pendet à Dei decreto; ergo.

Dices primò. Utique seclusa divina prædefinitione rem non esse de præsenti determinatam, esse tamen de futuro, idest pro tempore importato per copulam. Sed

Contra est. Siquidem res nequit esse de præsenti determinata, nisi interveniente divina prædefinitione juxta hanc solutionem, quam tradit Martinez; sed res ab æterno erat determinata ad esse futurum; ergo hoc erat interveniente divina prædefinitione, si res bona sit, vel permissione, si mala.

Dices secundò. Res esto ex se non habeat futuritionem, habet tamen ab ipso actu, qui erit, nam supposito quod aliquando erit, verificari debet, quod sit futura per hoc præcisè, quod aliquando erit, non verò dependenter à Dei decreto. Sed

Contra est, quia hoc est quod inquirimus, an videlicet quòd aliquando res sit futura habeat à se, vel à decreto; de ipso enim actu, qui aliquando erit, dicimus quòd non est futurus, nisi dependenter à Dei decreto, adeoque verificari nequit propositio ipsum enuncians futurum, nisi dependenter à Dei decreto.

Secunda autem pars Conclusionis proposita ostenditur, quià pro eo signo debet esse decretum, pro quo res intelliguntur futuræ; atqui res ab eterno sunt futuræ, vel absolutè, vel conditionatè; ergo debent esse decreta ab æterno. Præmissæ probari debent, cum Consequentia liqueat, & in primis maiorem ostendo. Pro eo signo, pro quo est effectus debet saltem esse sui causa. Dico saltem, quia hæc verè exigitur saltem in priori naturæ ad effectum; atqui decreta concurrunt effectivè ad futuritionem iuxtà Martinez, & rei veritatem, ergo &c. Secundò non stat res prout existens nunc, quin nunc detur decretum; ergo non stat res ab æterno futura etiam sub conditione, quin ab æterno detur decretum de futuritione ipsa conditionata. Probatur hæc Consequentia, quia res nunc non est existens, nec absolutè futura, nunc non datur decretum de ipsa re ut existente, & ut absolutè futura, sed præcisè esset, si posita fuisset conditio; ergo quia nunc est futura sub conditione, dari debet decretum eidem futuritioni correspondens. Quod adeo verum est, ut Angelicus Doctor doceat, ideo ea, quæ sunt, semper fuisse verum ea esse futura, quatenus in sempiterna causa fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est. Tertio, quià pro eo signo, pro quo res est possibilis, in Deo debet existere omnipotentia ipsorum possibilium causa, ergò à pari pro eo signo, quo res est futura, debet esse de eadem re decretum.

Dices utique decretum esse, sed hoc esse de oblatione concursus indifferentis, non verò determinantis, ut secunda docet sententia. Secundo futura conditionata dicere solùm decreta conditionata, tam ex parte actus, quàm ex parte objecti siquidem non tenet Consequentia. Decretum Dei esset, si poneretur conditio; ergo est nunc, siquidem sunt plura decreta, quæ essent in aliis circumstantiis, quæ tamen nunc non sunt, nec unquam futura sunt. Ut si Judas habuisset merita finalia, prædestinatus fuisset ad gloriam efficaci, & absoluto decreto. Sed

Contrà est & quidem ad primum. Decretum hoc, est decretum reddens & efficiens rem futuram determinatè; ex se enim res non est futura; sed decretum purè indifferens non reddit rem determinatè futuram, neque circà futuritionem assignari potest eius efficacia; non enim potest esse efficax ad unum, quod causat cum indifferentia ad utrumque. Ergo necesse est quòd sit decretum, vel ipsam operationem prædefiniens, vel ipsius permissivum.

Secundò concedo illegitimam esse hanc Consequentiam. *Decretum Dei esset, si poneretur conditio, ergo est nunc*; nec hujus veritatem hic nos prætendimus suadere; sed id quod adverto est circa futura conditionata nos ponere decreta, quæ sint ab æterno propter ipsam futuritionem conditionalem pariter ab æterno rebus ipsis convenientem; Undè Martinez frustrà laborat in ostensione consequentiæ hujus entimematis. Decretum Dei esset si poneretur conditio, ergo est nunc, cùm loco consequentiæ, antecedens esset probandum, nisi sermo sit de decretis utrinque absolutis, quæ certè non dantur circà futura conditionata, sed essent purificata conditione, non quidem per adventum noui actus in voluntate divina, sed præcise per purificationem conditionis, qua obtenta decretum illud conditionatum objectivè transiret in absolutum, ut explicare solent quamplures in materia de contractu matrimonii conditionali docentes per solam purificationem conditionis absquè ulla nova voluntate contractum ipsum ratum esse; undè sic arguo. Circa futura conditionata non sunt ponenda decreta, quæ sint utrinquè absoluta, sed quæ essent purificata conditione; ergo circa eadem ponenda sunt decreta, quæ sint, non quæ essent absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti. Probatur hæc consequentia.

sequentia. Ideo primum, quia futura non sunt absolutè futura, sed unicè essent si purificaretur conditio; ergo ideo secundum, quia revera sunt futura conditionata, non verò tantùm essent. Uno verbo de futuritione conditionata verificatur nedum quòd esset, sed etiam, quòd sit, ergo de decreto eiusdem futuri conditionati verificari non debet, quòd esset, sed quòd sit. Quòd si dicas pro futuris conditionatis non adesse decreta; memineris hoc falsum esse, cum enim res ut futura sub conditione indifferenti non sit purè possibilis, sed sub statu futuritionis, opus est quoquè, quod circa ipsam decretum sit.

Tertiò tandem decreta, quæ essent, non quæ sint in ordine ad futura conditionata impugnantur, prius supponendo quandam doctrinam legitimam apud defensores scientiæ mediæ, quæ est, quod circa futura conditionata à solo Deo pendentia, in divina voluntate ab æterno actu sint decreta, ex qua doctrina sic arguo. Circa talia futura, uti circa gloriam omnibus cooferendam, si decedant in gratia, dantur decreta, quæ sint; ergo etiam circa futura conditionata pendentia à voluntate creata dantur decreta, quæ sint, non quæ essent. Consequentia hæc patet, quia utrobique habetur pura futuritio conditionalis, adeoque non est potior ratio de una, quam de altera. In hac re videatur noster Ludigerius *lib. 3. de Deo sciente.*

Quòd autem futura sint ab æterno futura, quæ erat minor primi syllogismi probanda, res omninò certa est, hoc insinuante Divo Thoma illis verbis *Ea quæ sunt, semper fuit verum esse futura, quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura; quæ quidem causa solus Deus est.*

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta Contraria.*

INter adversæ partis Auctores præstat primò audire Nicolaum Martinez multipliciter arguentem; & primò. Independenter ab eo propositio est vera, independenter à quo res enunciata erit suo tempore, hoc est tempore importato per copulam, sed independenter à divina prædefinitione peccata, & omnia mala, quæ futura sunt, erunt tempore importato per copulam, quia Deus nulla mala prædefinire potest; ergo omnes propositiones importantes peccata, & mala futura, sunt veræ independenter à divina prædefinitione.

Secundò pro conditionatis. Hæc propositio *Si Tyrii vidissent miracula Salvatoris converterentur ab Idolis ad Christi fidem* est vera independenter à decreto, quòd Deus prædefinivit conuersionem Tyrii conditionatè futurum, quod sic probatur: Independenter ab eo propositio est vera, independenter à quo esset conversio affirmata pro tempore importato per copulam; atqui independenter à decreto conditionato, quod de facto sit, esset conuersio affirmata; ergo independenter ab eodem propositio est vera. Minor probatur: Quæ absolutè futura sunt, Deus non prædefinit conditionato decreto, sed absoluto, atqui posita conditione conversio esset absolutè ponenda, ergo posita conditione conversio affirmata per propositionem conditionalem non poneretur per decretum conditionatum, sed per absolutum.

Respondeo primum argumentum contra Henrici Scholam non urgere. Hæc enim non docet rem non esse futuram nisi dependenter à prædefinitione, sed solum nullum esse futurum, nisi cùm dependentia, vel à decreto prædefinitivo, vel permissiuo. In ordine enim ad materiale peccati Schola nostra non ponit prædefinitiones, quas aliundè Thomistæ ponunt; quapropter argumentum nos non urget, sicuti non urget Thomistas, ut consideranti ipsorum sententiam patebit.

Ad secundum dico non probari à Martinez id, quod tamen esset probandum. Esset enim ostendendum conuersionem esse conditionatè futuram independenter à Decreto conditionato objectiuè, quod actu sit ab æterno in divina voluntate. Quod verò ostenditur ab hoc Auctore est, purificata conditione conuersionem non poni, nisi per decretum absolutum.

Secundò arguunt alii, vel arguebam ego quibusdam in thesibus. Si in priori ad Dei decretum objectum propositionis in materia contingenti præscindere posset, tum ab esse tùm à non esse, ly *non* accepto negatiuè falsificaretur hoc principium *implicat idem simul neque esse, neque non esse*; sed hujus principii veritas sustineri debet, ergo. Probatur major paritate. Si per impossibile in priori ad Dei decretum cursus, v.g. posset simul esse, & non esse, falsificaretur principium dicens *nequit idem simul esse, & non esse*; ergo à pari, si idem cursus in priori ad Dei decretum posset simul nequè esse, nequè non esse, falsificaretur hoc aliud, implicat idem simul neque esse, neque non esse.

Secundò, cur quæso post Dei decretum propositio enuncians cursum Petri futurum est vera, vel falsa: nisi quia in posteriori ad Dei decretum cursus, cum non possit simul esse, & non esse, neque esse, neque non esse, hinc debet esse vel non esse, & sic propositionem veram vel falsam efficere; sed eadem ratio quoque militat in priori; Ergo &c.

Tertiò juxta nostram Doctrinam cursus in priori ad Dei decretum, neque negat futuritionem, neque negat non futuritionem; Ergo utramque poterit in illo priori habere. Patet hæc consequentia quia quod unicè præscindit ab altero, illud habere potest, aliàs non purè prescinderet; Ergo si cursus in priori non negat futuritionem, ipsam habere poterit.

Quartò in priori hæ propositiones *Petrus curret Petrus non curret*, sunt contradictoriæ; Ergo in priori una vera est, altera falsa. Consequentia hæc liquet; antecedens ostenditur: in priori prædictæ propositiones nequeunt esse simul veræ, vel simul falsæ; Ergo in priori sunt contradictoriæ. Hæc ultima consequentia pariter liquet ex notione contradictionis, quam docent Summolistæ.

Respondeo ad hæc omnia, & ad primum disparitas est, quia principium hoc *nequit idem simul esse & non esse*, est principium importans oppositionem priuatiuam inter duo extrema; cum autem hæc in quolibet statu sit inabsolubilis, hinc sequitur quòd si in priori ad decretum res posset simul esse & non esse, tale principium falsificaretur. At verò alterum principium, cùm non importet talem oppositionem priuatiuam inabsoluibilem, solum veritatem habet pro illo statu, in quo non est medium inter esse & non esse, cujusmodi est solùm status realis, non verò in priori ad Dei decretum in quo adest medium, scilicet status præcisionis.

Ad secundum obuia est disparitas; propositiones enim in materia contingenti post decretum ideo habent in se veritatem, vel falsitatem quia earum objectum non solùm pro tali statu nequit simul esse & non esse, sed etiam quia nequit simul neque esse

neque non esse cum in statu reali debeat unum, vel alterum esse: at vero subjectum in priori ad decretum cùm admittat præcisionem, tum ab esse, tum à non esse ly *non* negatiuè accepto, hinc sequitur quod ei non conueniat, neque positiuum esse, neque negatiuum non esse, adeoque nec propositioni veritas, vel falsitas.

Ad tertium fateor rem non negare futuritionem in priori ad decretum, ex hoc tamen non sequitur quod pro illo priori futuritionem habere possit, & hoc propter defectum causæ primæ efficientis ipsam futuritionem, qui defectus habetur, quoties Deus non decernit ipsam futuritionem.

Quartum tandem soluitur, si advertamus recensitas propositiones esse contradictorias, nedum ob impotentiam recipiendi simul veritatem, & falsitatem, sed ulterius, quia una indispensabiliter vera est, falsa vero altera, cui necessitati non subjacent propositiones in priori ad decretum, unde fit, quod in ipso priori non sint contradictoriæ.

Arguit tertiò Martinez intendens probare vi formæ ex veritate propositionis solùm post decretum inferri non posse existentiam decreti, quæ sit nunc. Determinata veritas illius propositionis, tam est post voluntatem humanam, quam post diuinum decretum, atqui ex hoc quod sit post voluntatem humanam malè infertur, quòd detur nunc voluntas humana; ergo etiam vi formæ malè infertur ex hoc, quòd sit post diuinum decretum, quòd detur nunc tale decretum.

Confirmatur, si per impossibile diuinum decretum liberum permissiuum peccati posset incipere in tempore, sicut incipit voluntas humana Antichristi, adhuc determinata veritas hujus propositionis de futuro *Antichristus peccabit* esset post diuinum decretum permissiuum peccati, & post voluntatem humanam.

Confirmatur secundò. Ut sit vera hæc propositio: *Magnus Turca saltat Constantinopolim* non requiritur, quod hic, & nunc detur saltus; ergo etiam non requiritur, quod huius propositionis *Petrus cras convertetur* detur nunc decretum de ipsa conversione. Probatur hæc consequentia. Ideo non requiritur quod hic detur saltus, quia propositio hoc enuncians non affirmat, quod saltus debeat dari hic, sed Constantinopolim, sed etiam propositio non affirmat pro nunc Conversionem, sed pro crastina die; ergo sufficit, quod cras detur decretum. Sed

Non tantùm vi materiæ, quatenus nimirum voluntas diuina non potest in tempore solùm aliquod velle, sed etiam vi formæ, existimo opus esse nunc, & ab æterno in Deo ponere decreta; cuius ratio est, quia hæc ponuntur in Deo propter futuritionem rei conferendam; sed res qualibet, quæ nunc futura est pro aliqua differentia temporis, sivè absolutè, sivè conditionatè, erat ab æterno futura; ergo ab æterno erant talia decreta. Proportio autem inter voluntatem creatam, & increatam non tenet, siquidem voluntas creata non est causa prima, & sempiterna, à qua pendeat rei futuritio, sed solùm eiusdem existentia, unde cum in tempore tantùm sit existentia effectus, sufficit etiam quod in tempore sit eius causa. Per quod patet ad secundam confirmationem.

Ad primam autem censeo in tali hypothesi impossibili propositionem de futuro esse veram, sed solùm in tempore, non verò ab æterno, quia tunc solùm in tempore, non ab æterno esset rei futuritio, quæ est eius verificatiuum, quemadmodum solùm in tempore esset causa efficiens futuritionis.

Arguunt ulterius alii. Hæ duæ propositiones *Petrus curret*, *Petrus non curret* sunt contradictoriæ etiam in priori ad diuinum decretum, sed ea est natura propositionum contradictoriarum, ut una sit determinatè vera, altera falsa; ergo &c.

Respondeo aduersæ partis Auctores non unanimiter uti hoc argumento ad nostram euertendam sententiam inter quos Martinez hæc affirmat *Alia sunt fundamenta, quibus probamus plures propositiones de futuro esse determinatè veras independenter à diuina prædefinitione*. Nihilominus, quià non desunt, qui hoc uruntur, ut obtineant veritatem, vel falsitatem prædictarum propositionum in priori ad decretum, respondeo negando maiorem. Ratio est, quià in illo priori datur medium, videlicet præcisio à cursu positivo, & negativo.

Dices. Ergo in illo priori datur hæc veritas: *Neutrum contradictorium in priori ad decretum est verum, neutrum est falsum*.

Respondeo omissa solutione Martinez asserentis hanc veritatem etiam suo modo à decreto desumi, quià ideò verum est neutrum contradictorium esse determinatè verum, neutrum determinatè falsum, quia utrumquè contradictorium dependet à Dei decreto; dico huiusmodi propositionis veritatem non esse contingentem, sed necessariam; necessarium enim est, quod in priori ad decretum nulla propositio de futuro vera, vel falsa sit determinatè.

Arguit quintò Martinez. *Si Petrus vocetur ad fidem convertetur*, est propositio de futuro contingenti conditionato; atqui hæc in priori ad quodliber decretum est determinatè vera, vel falsa; ergò &c. Probatur minor, veritas, vel falsitas dictæ propositionis est consensus futurus, vel non futurus posita Christi vocatione ad fidem; sed estò nullum adesset decretum posita vocatione, talis consensus, vel erit determinatè futurus, vel non erit, est enim impossibile etiam secluso quolibet decreto, quod posita vocatione ad fidem, Petrus neque consentiat, neque non consentiat; ergo.

Huic argumento eadem occurro doctrina, qua eidem occurrit ex nostris Illustrissimus Lodigerius docens propositionem conditionalem in argumento relatam in priori ad quodliber decretum esse determinatę falsam, non tamen in materia contingenti, & rationem affert sub his terminis: *quia quod non existente decreto, à quo desumenda est omnis futuritio, non conueniat eidem rei futuritio non est contingens, sed necessarium, & proindè propositio affirmans rem esse futuram, & si de tali futuritione nullum existat decretum, est propositio falsa in materia impossibili*. Quam doctrinam, cum ulterius explicet idem Illustrissimus *lib. 3. ubi de* scientia media, consulo Auctores, ut ipsam legant.

Arguit ultimò idem Martinez intendens probare ad veritatem propositionis de futuro per se, & formaliter loquendo in nullo genere causæ requiri decretum prædefinitivum hoc medio. Si requiritur prædefinitio, vel exigitur tanquam causa efficiens obiecti futuri, vel tanquam causa formalis veritatis, vel ut determinativum eiusdem; sed ex nullo capite requiri potest prædefinitio ad veritatem propositionis de futuro; ergo. Probatur minor per partes; & in primis non requiritur. Decretum tanquam causa efficiens; cum plura sint futura, quæ non sunt prædefinita; non tanquam causa formalis veritatis, quià solùm obiectum est formale verificativum propositionis; nec tandem tanquam

quàm determinativum veritatis, quia quod est sufficiens verificativum propositionis, est etiam sufficiens determinativum.

Confirmatur conditionalis nihil ponit in esse; sed si futurum conditionatum penderet à decreto prætenti, iam aliquod poneretur in esse, videlicet ipsum decretum præsens; ergò.

Respondeo ad veritatem propositionis necessariò exigi decretum non quidem per modum causæ formalis ipsius futuritionis, quia hæc non à decreto, sed potius ab ipso non esse nunc, & esse pro posteà desumitur, sed per modum causæ determinantis, vel permittentis rei futuritionem, sine qua determinatione, vel permissione res intelligitur solùm possibilis.

Confirmatio verò non urget. Conditionalis enim nihil ponit in esse, solùm loquendo de bonitate illationis, quia hæc non pendet ab existentia extremorum, cùm extremis etiam non exituris, immò nec possibilibus, adhuc vera esse possit propositio conditionalis, ut manifestum est in hac propositione *Si Petrus sit equus, erit hinnibilis*. Ponit tamen conditionalis de futuro aliquid in esse, scilicet enunciat futuritionem alicuius rei, quia hoc ipso, quòd hæc futuritio ponitur, debet etiam poni causa, à qua efficienter ipsa habeatur, quæ ipsum decretum est.

## QUÆSTIO QUARTA.

*An veritas sit cognitionibus nostris adæquatè intrinseca nec nè.*

### CAPUT PRIMUM.

*Quibusdam expositis resolvitur difficultas negativè.*

Controversiam hanc, quam aggredior explicandam, non mediocrem in se habet difficultatem, & eam difficiliorem reddiderunt nonnulli Auctores ob diversitatem sententiarum, quorum mens antequam aperiatur, omninò opus esse judico nonnulla supponere; & in primis pro certo tenendum est, veritatem aliam esse transcendentalem, prædicamentalem alteram. De priori, quæ est realitas rei ut conformabilis alicui judicio vero distincto, ut docet Henricus, de qua hic non est disputatio, sed tota devolvitur difficultas ad prædicamentalem, vel ad logicam veritatem, quæ in quibusdam cognitionibus nostræ mentis ineit, quærendo, an veritas hæc sit ipsis adæquatè intrinseca, an verò partim intrinseca, & partim extrinseca.

Secundò pariter supponendum est dari prædicamentalem hanc, seu logicam veritatem, quod pluribus rationibus, & quidem efficacibus ostendit Augustinus, inter quas primò plausibilis illa est, quam refert *libro suo decimo quinto de Trinitate cap. 15.* sub illis verbis: *cum duo sint genera rerum, quæ sciuntur, unum eorum, quæ per sensus corporis percipit animus, alterum eorum, quæ per se ipsum percipiunt illi Philosophi* (loquitur de Accademicis) *garriunt intra corporis sensus, cum tamen quasdam firmissimas per se ipsas perceptiones verum verarum nequaquam in dubium revocare potuerunt, quale est illud, scio me vivere, in quo non metuimus, ne aliqua verisimilitudine fallamur. Quoniam certum est eum, qui fallitur vivere. Unde nec Accademicis dicere potest, fortassis dormis, & nescis, & in somniis vides, quia nec tu eo scientia per somnia falli potest, quia, & dormire, & in somnis videre viventis est.* Sic arguebat olim Sanctus Pater Augustinus contra sui temporis nonnullos, ut ostenderet evidentissimum esse quasdam dari veritates, siquidem dum dicimus nos vivere, vel verum dicimus, asserendo quòd vivimus, vel fallimur. Si verum; ergo datur veritas; si fallimur; ergo semper verum est hoc, quòd vivamus. Pater hæc consequentia, quia certum est, quòd qui fallitur vivit; ergo si aliquis affirmando se vivere fallitur, verum est hoc, quòd vivat. Secundò dum dicis te vivere, vel hoc dicis mente vigili, vel in somnio, videndo te vivere. Si primum; ergo verum est hoc quòd dicis te vivere, si secundum; ergo pariter verum est quòd tu vivas, cùm in somniis videre viventis sit.

Huic rationi addi potest alia ejusdem universalis magistri satis nota, quam urgebat contra eosdem Accademicos, dum ab illis petebat, an hæc propositio *non datur veritas*, sit vera, vel falsa. Si dicant veram esse; ergo datur veritas; si falsam; ergo verum est, quòd datur veritas, cùm falsitas unius contradictorii sit alterius veritas. Contradictoria enim de sua natura esse nequeunt, vel simul falsa, vel simul vera, vel à veritate, & falsitate præscindere, cùm impossibile sit rem simul esse, & non esse, vel nec esse, nec non esse in statu reali.

Sciendum est tertiò veritatem aliam esse formalem, radicalem alteram. Prima est ipsa conformitas actus cum objecto, ita ut in tali conformitate adæquatè consistat. Radicalis verò est ratio illa, à qua habetur talis conformitas, quæ ratio in actuali cognitione scientifica, est evidentia, in actu verò fidei est certitudo. Dicitur autem radicalis, quia evidentia, & certitudo sunt rationes à priori, cur actus existere non possint, quin sint conformes objecto suo, ut optimè in hac re advertit Suarez ex Henrico. Hic autem sermo est de veritate formali, cum loquendo de radicali ferè nulla eise possit apud Auctores controversia.

Sciendum pariter est, tres circumferri circa hanc difficultatem sententias. Prima docet veritatem formaliter esse adæquatè intrinsecam cognitioni secundùm id, quod veritas dicit de quidditate. Sic docent Urtado *disp 9. de Anima sect 3.* Suarez *disp. 8. metaph sect. 2.* Conimbricenses *in caput primum de signis*, & omnes illi, qui cohærenter sustinent ad relationem prædicamentalem existentiam termini se habere, non per modum constitutivi relationis, sed per modum puri connotati. Secunda verò sententia sustinet logicam veritatem consistere in quadam relatione, quæ juxta Durandi mentem est relatio rationis, non realis; secundùm alios est relatio realis conformitatis, vel similitudinis, & secundùm quosdam neque est determinatè realis, neque rationis, sed ab utraque præscindens. Ita Javelius, Flandria, Herveus, quamvis communior sententia sit de relatione reali conformitatis cognitionis ad objectum, ut affirmat Scotus *quodlib. 13. art. 2. & 1. dist. 3. quæst 4. art. 2.* quam relationem non semper esse determinatè transcendentalem, aut prædicamentalem, vel realem perfectam authumant, sed volunt aliquando esse transcendentalem, aliquando non, aliquando perfectam, aliquando non. In propositionibus enim in materia necessaria putant quòd relatio sit transcendentalis, & hoc quia veritatem dicunt cum ipsis identificatam; in contingentibus verò desendunt, quod relatio sit prædicamentalis, quia veritas est ab ipsis realiter distincta. Sic communiter loquuntur Scotistæ ex Scoto, cujus doctrina per varias conclusiones

nes à Maſtrio hìc exponitur, & ab omnibus illis recipi debet, qui ſuſtinent diſtioctionem formaliter ex genere ſuo conſiſtere in relativo. Dicunt autem relationem tunc noo eſſe perfectè realem, quando objectum propoſitionis non intelligitur actu exiſtens, ſed vel præteritum, vel futurum, tunc verò realem eſſe, quando præſefert objectum exiſtens. Vaſquez tamen ſtat abſolutè pro relatione ratioois, ut advertunt quamplures, & etiam ſuppreſſo nomine notat Suarez.

Tertia ſententia propugnat veritatem logicam conſiſtere partim in actu, & partim in objecto, quia ad veritatem exigitur repræſentatio objecti pro ut eſt in ſe, in quo complexo, cum *repræſentatio* ſit intrinſeca actui, & quòd *obiectum ità ſe habeat* ſit extrinſecum actui, ideo putant partim intrinſecam eſse, & partim extrinſecam actibus veris, ita ut tamen objectum ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam repræſentatut, non veniat per modum ſolius connotati, ſed conſtitutivi. Huic ſententiæ adhærent quamplures Recentiores, inter quos Silveſter Maurus, Atiaga, Thomas Comptonus, Andreas Semeri, & ex noſtris Ventura.

Ex his autem, ſententiis hæc ultima eligitur defendenda, utpotè Hentico conſormis, ut patet ex iis, quæ tradit *art.* 34 *quæſt.* 1. *in Summa* illis verbis: *Tunc enim oratio eſt vera, quando judicat, quod eſt, eſſe, & quod non eſt, non eſſe, & è contrà tunc eſt falſa, quando judicat de eo, quod eſt, non eſſe, vel quod non eſt, eſſe; ab eo enim quòd res eſt, vel non eſt, oratio vera, vel falſa dicitur:* Ex quibus verbis domeſtici nonnulli colligunt Henricum tertiam ſequi ſententiam. At ſi ego verum ſateri debeo, ad intentum non urget relatus textus, niſi aliundè roboretur. Ex ipſo enim ſolùm colligimus exigi quidem ad veritatem actus objectum ita eſſe, ut repræſentatur; at hoc neceſſarium eſſe potius per modum conſtitutiui, quàm ſolius connotati, non evincitur. Exiſtimo itaquè melius hoc deduci poſſe ex *Summa art.* 41. *quæſt.* 1. ubi cùm aſſerat Doctor ad deficientiam objecti ſub illa ratione, ſecundùm quam repræſentatur, deficere quoque veritatem ipſam cognitionis formaliter, & non ſolùm conſequenter, videtur etiam exigere objectum tanquam conſtitutiuum veritatis. Si enim hoc concurreret ſolùm per modum connotati, veritas non formaliter, ſed de conſequenti ſolùm deficeret ad deffectum objecti, ſicuti repræſentatur, ut in relationibus tranſcendentalibus conſtat.

His autem ſuppoſitis hujus tertiæ ſententiæ veritatem, hac unica tatione ſuadeo. Propoſitio dicitur, vel denominatur vera per hoc, quòd affirmet, vel neget rem ità ſe habere, ſicuti de facto ſe habet, vel non ſe habet; ſed hoc dicit duo, nimirum rem ad extrà taliter ſe habentem, tanquam propoſitioni extrinſecum, & affirmarionem, vel negationem quę propoſitioni intrinſeca ſunt; ergo veritas propoſitionis, eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca eidē. Major ex cōceptu veritatis deſumpta eſt, quinimo ejuſdē eſt conceptibilitas, quam hucuſq. Philoſophi attulerunt. Minor autem clara eſt, quia affirmatio, & negatio ſunt de eſſeotia judicii, communiter enim definiri ſolet, quòd ſit actus affirmatiuus, vel negatiuus unius de altero. Objectum verò actui extrinſecum eſſe, nullus eſt, qui dubitare poſſit. Sed

Dices obiectum concurrere ad dandam actui denominationem veri, non verò ad dandam ipſam veritatis formam, cùm hæc ſit adæquatè intrinſeca actui.

Contrà eſt. Denominatio enim quælibet deſumitur à forma rei, ità ut ſi denominatio ſit abſoluta deſumatur à forma abſoluta; ſi verò ſit relativa à forma relativa; ergo ſi obiectū concurrit ad conferandā actui denominationem veri, erit ipſa forma partialis veritatis. Secundò quòd concurrit ad conformitatem conſtitutiuè, pariter eodem modo concurrit ad veritatem, & non ſolùm per modum ſolius denominatioois. Patet hoc, nam veritas, de qua eſt ſermo, eſt ipſa conformitas; ſed objectum ita ſe habens ſicuti repræſentatur eſt conſtitutiuum ipſius conformiratis, quæ interuenit inter objectum, & actum in eſſe repreſentatiui; ergo. Tertiò forma veritatis conſtitutiuè, & non ſolùm denominatiuè ex parte illius eſt, ex parte cujus ſunt hæc duo, *affirmatio objecti, & objecti ita ſe habentis, ſicuti affirmatur*. Patet hoc, ſiquidem hoc eſt actus intellectus, formaliter eſſe veros; ſed hæc duo noo ſunt adæquatè intrinſeca actui, ut patet omnibus; ergo objectum erit partiale conſtitutiuum.

## CAPUT UNICUM.

*Solvuntur argumenta Contraria.*

ADuerſæ partis Auctores moltipliciter arguere ſolent. Præcipuè tamen hoc medio. Veritas prædicamentalis eſt ordo realis cogoitionis ad objectum; ſed hoc ipſo objectum eſſe nequit veritatis conſtituriuum, ergo &c. Minor certa eſt; nam non ſtat, quòd veritas dicat relationem ad objectum quin objectum realiter diſtinguatur à veritate; objectum autem à veritate diſtinctum nequit eſſe ejuſdem conſtitutivum. Probatur itaque Maior. Veritas eſt ſimilitudo actus cum objecto; ſed ſimilitudo eſt relatio realis; ergo veritas prædicamentalis eſt ordo realis cognitionis ad objectum.

Huic argumenro ſatisfacit Ariaga diſp. 12. ſect. 3. negando ſimilitudinem eſſe veram relationem, aſſeritque ſolùm eſſe coexiſtentiam duorum extremorum, vel ejuſdem ſpeciei vel ejuſdem generis, undè negat, quòd veritas prædicamentalis in relatione conſiſtat, quamvis importet ſimilitudinem actus cum objecto ſuo. Sed

Huic ſolutioni nullatenus adhæreo, cùm ſimilitudo inter duo ſit inter ipſa vera relatio realis, undè ſi Ariaga veritatem propter hoc auſerre vult à prædicamento relationis, excludere quilibet poterit pro libito relationem diſſimilitudinis, pariter affirmando diſſimilitudinem non eſſe relationem unius ad aliud ſed ſolùm duorum coexiſtentiam differentium, & alteram æqualitatis, vel inæqualitatis aſſerendo relationes iſtas eſſe ſolùm duorum coexiſtentiam, quæ vel non ſe excedunt, vel exceduntur. Poſita itaque relatione ſimilitudinis, adhuc faciliter ſoluitur argumentum, moneodo in relationibus prædicamentalibus terminum oon venire per modum connotati relationis, ſed conſtitutivi, ut inferius dicam. Hoc ipſo autem, quòd induit rationem partialis conſtitutivi relationis ſimilitudinis, erit quoquè etiam veritatis, cùm veritas juxtà arguentes ſit ipſa aſſimilatio actus cum objecto in eſſe repræſentativo. In forma itaque diſtinguo maiorem. Veritas eſt ordo realis ad objectum, tanquam ad ſolùm connotatum, nego majorem, tanquam ad partiale conſtitutiuum relationis, concedo majorem, & pariter diſtincta minori negatur Conſequenria. Diſtinctio patet.

Arguunt ſecundò. Illi actus, qui ſunt adæquatè intrinſecè objecto ſimiles, vel diſſimiles, ſunt etiā veri vel ſaſi veritate vel ſalſitate ſibi adæquatè intrinſeca; atqui actus intellectus ſunt adæquatè intrinſecè per ſuam eſſeotiam objecto ſimiles, vel diſſimiles; ergo.

Pro-

Probatur minor. Illi actus, qui sunt adæquatè intrinsecè repræsentativi obiectorum sunt adæquatè intrinsecè similes, vel dissimiles objecto, sed actus intellectus sunt adæquatè intrinsece repræsentativi objecti; Repræsentatio enim est tota intrinseca actibus intellectus; ergo. Maior est certa, nam repræsentationi identificatur conformitas, vel difformitas actuum, adeoque si repræsentatio est adæquatè intrinseca actibus, quoque erit etiam ipsa similitudo, vel dissimilitudo.

Hoc argumentum nullius roboris est, veritas enim non stat in sola repræsentatione; ut ex superius dictis constat, adeoque estò hæc tota sit intrinseca actibus intellectus, adhuc non sequitur, quod veritas eisdem sit adequatè intrinseca.

Arguunt tertiò. Ita se habent veritas, & falsitas ad judicium mentis, sicuti bonitas, & malitia ad actus deliberatos voluntatis; sed actus moraliter boni, & honesti identificantur adæquatè cum sua bonitate, ita ut implicet, quod ille idem numero actus, qui de facto est honestus, fuerit malus, & peccaminosus, idemque valet proportionaliter de actibus malis, ergo veritas, & falsitas identificantur adæquatè cum ipsis actibus intellectus.

Huic argumento non unica solutione occurrere solent nostræ sententiæ Auctores. Singulas referre placet, & ultimo loco Doctoris legitimam solutionem exhibere. Respondet itaque primò Thomista Maurus disparitatem provenire, quia actus sunt boni per hoc, quòd eligant objectum ab intellectu judicatum eligibile. Cùm autem actus voluntatis per se ipsos eligant objectum honestum, vel inhonestum, per se ipsos quoque erunt honesti, vel inhonesti, seu boni, vel mali. At actus intellectus sunt veri per hoc, quòd dicant objectum ita esse, & revera ita sit, quod certè partim intrinsecum, & partim extrinsecum est actibus intellectus.

Sed bona pace hæc Mauri solutio claudicat ex multiplici capite præcipuè tamen quia hæc disparitas, quamvis valida sit, loquendo de bonitate, vel malitia radicali, non tamen ad rem facit, si loquamur de bonitate, & malitia formali, de quibus est controversia, & paritas procedit; Siquidem instare semper possumus sub hac forma, vel consimili: sicuti indispensabiliter requiritur ad veritatem, quòd objectum realiter se habeat, pro ut repræsentatur, ita indispensabiliter exigitur ad honestatem voluntatis, quòd eligat objectum per judicium verum ab intellectu judicatum honestum; atqui esto ad hanc honestatem requiratur tale judicium, adhuc ipsa bonitas dicitur tota actui intrinseca; ergo quamvis requiratur, quòd objectum ita se habeat ad veritatem, adhuc veritas erit tota intrinseca actui. Quòd si hujus recentioris doctrinam profitentes dicant judicium illud exigi præsuppositiuè, non formaliter, & constitutiuè, idè profectò dicent Adversarii, nimirum opus esse objectum ità se habere, non per modum constitutiui, sed connotati.

Respondent secundò alii dicendo disparitatem esse, quòd bonitas moralis non pendet per se sivè ex genere à bonitate, reali obiecti. Dabilis enim est actus voluntatis formaliter bonus, estò obiectum in se sit malum, & actus malus, estò obiectum in se sit bonum, ut eveniret casu, quo quis homicidium committeret, inculpabiliter existimans bonum esse, in quo casu talis actus esset bonus, sicuti è contrario, si quis audiret sacrum inculpabiliter existimando sacrum esse prohibitum, ut ametur à voluntate, actus esset malus. Oppositum autem evenit loquendo de veritate, & falsitate propositionis, quæ non pendent ab existimatione, sed à reali, & vera obiecti existentia, unde non est mirum, si ab aliquo extrinseco desumatur veritas, non verò bonitas, & malitia. Sed

Contrà est. Quamuis enim hæc solutio digna sit laude, atque eam ex Henrico Aduersarios docuisse facilè credam, claudicare tamen mihi videtur, quià estò verum sit aliquando actum voluntatis a bonitate reali obiecti non pendere, vt in casibus superius allatis, aliquando tamen negare non possumus, quod pendeat à bonitate obiecti, ut si quis sciens eleemosinam esse actionem moraliter bonam cum recto fine oblatam, ipsam sic exerceret. Tunc enim negare non possumus bonitatem residentem in actu charitatis desumendam esse etiam à bonitate reali obiecti, ut etiam eveniret in abstinentia voluntaria orta ex bonitate, quæ relucet in ipsa. Hac itaque solutione omissa illam amplector, quam tradit Magister Ventura ex Henrico in summa 2. *quæst.* 2. *num.* 4 his verbis *Bonum enim, & malum ambo habent esse quodammodo in re & quodammodo in voluntate, quià ambo scilicet res, & voluntas dicuntur bona, tamen perfectius esse habent in re volita, quam in voluntate*. Negandum est itaquè Antecedens superioris argumenti, quamuis huius negatio communis non sit apud Auctores.

Arguunt quartò promiscuè, & primo. Obiectum est mensura veritatis, siquidem ab eo, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur; ergò est extrà veritatem, cum mensura sit extra rem mensuratam. Secundò actus intellectus, vel per suam essentiam assimilatur obiecto, vel non, si primum, per suam essentiam erit formaliter verus, si secundum, per suam essentiam erit formaliter falsus, ergò non est indifferens, ut constituatur verus, vel falsus per aliquod extrinsecum. Tertiò si veritas actuum intellectus constitueretur ex actu, & obiecto, perfectior esset falsitas, quam veritas. Huius enim propositionis veritas *Petrus non currit*, consisteret in aggregato ex actu, & negatione cursus Petri, quando falsitas consisteret in aggregato ex eodem actu, & cursu Petri; sed perfectius est aggregatum ex cursu, & actu, quam ex actu, & negatione cursus; ergò perfectior esset falsitas, quam veritas, non è contrà. Quartò sola propositio dicitur vera, vel falsa, non verò obiectum; ergo denominatio veri est adæquatè intrinseca propositioni. Quintò, & vltimò veritas divina, qua Deus me cognoscit existentem, est perfectior veritate creata, qua ego cognosco Deum esse, sed si utriusque veritas constitueretur ex actu, & obiecto utraquè esset æqualis, cùm utraque coalesceret ex me, & ex Deo; ergo affirmandum est priorem esse adæquatè intrinsecam actui; cùm enim hæc sit illius perfectio, nequit formaliter, nec etiam partialiter consistere in re creata. Sed

Nullum ex his urget, sicuti enim in sententia plausibili æternitas divina est mensura esse divini, esto hæc non distinguatur ab ipso esse divino, immo sit ipsum esse divinum, & hoc quia est mensura intrinseca, & per identitatem; ità idem proportionaliter asserere possumus loquendo de obiecto respectivè ad veritatem, in ordine, ad quam est mensura intrinseca, ipsam veritatem non supponens, sed partialiter constituens. Secundum verò ad rem non facit. Actus enim intellectus per suam essentiam obiecto neque assimilantur, neque dissimilantur, sed perfectè præscindunt. Nec verum est, quod asserit Oviedo, hanc nimium solutionem duo præseferre contradictoria, dum dici-

mus actum per suam essentiam non assimilari obiecto, nequè non dissimilari, existimat enim secundam propositionem esse primæ contradictoriam, cùm negemus in secunda, quod affirmamus per primam: verum, inquam, non est, siquidem dum diximus propositionem per suam essentiam non assimilari obiecto, sensus hic est *actus per suam essentiam non est ratio assimilandi*, quam propositionem non video, quomodo opponatur contradictoriè huic alteri *actus per suam essentiam, nequè est ratio non assimilandi* ly non accepto præcisivè, cùm possibilis sit ratio, quæ ex genere suo nequè sit ratio assimilandi, nequè non assimilandi, ut speculanti patebit. Ad tertium respondeo aggregatum ex cursu, & actu intellectus perfectius esse, aggregato ex actu, & non cursu, si tamen primum aggregatum per ordinem ad secundum consideremus: at si ipsum inspiciamus relatè ad actum enunciantem Petrum non currere, non est aggregatum perfectius, sed imperfectius, & hoc, quià est proximè imperfectio actum judicare Petrum currere, dum revera non currit, & viceversa non currere, dum currit. Prætereà, si argumentum urget, probaret etiam subsistentiam creatam non consistere in negativo, quod tamen negant quamplures adversæ partis. Patet hoc, alias perfectius esset complexum ex essentia, & existentia, quàm ex essentia, & subsistentia, cum primùm complexum dicat extrema ambo positiva, secus secundum. Quartum verò facilis est solutionis. Stat enim solum actum verum nuncupari, & tamen veritatis formam esse ipsi partim extrinsecam. De facto enim denominatio cogniti cadit suprà obiectum, cum tamen forma, à qua desumitur ipsa denominatio sit obiecto extrinseca, & denominatio liberi cadit suprà decretum, quo vult Deus me convertere, cùm tamen forma constitutiva decreti in ratione liberi in plausibili sententia extrà scholam Divi Thomæ sit ipsi extrinseca, cùm sit vel terminus productus, vel actio ipsa, qua producitur. Quod si quæras, cur potius actus dicantur veri, quàm obiectum, dico hoc provenire, quià actus veniunt per modum subiecti, & in recto, & per modum principalis significati; sicuti natura humana, verbi gratia, solùm intentionaliter proximè dicitur universalis, non verò à parte rei, estò à parte rei detur numerica multiplicatio cum unitate formali in nostra sententia, quià unitas præcisiva, quæ forma præcipua est universalitatis solùm datur in esse intentionali.

Ad ultimum tandem dico veritatem divinam perfectiorem esse veritate creata, non quidem attenta veritate metaphysicè inspecta, cùm utraquè consistat in pura conformitate, sed quia divina cognitio adeo vera est, ut non solùm ex suppositione, sed etiam simpliciter, & absolutè eidem non possit subesse falsum. Alias solutiones minoris ponderis circà hoc argumentum vide apud Atiagam.

# DISPUTATIO UNDECIMA.

*De libris priorum, & posteriorum.*

## CAPUT UNICUM.

*De Syllogismo in Communi.*

Syllogismus ex Phylosopho primo priorum *cap.1.* propè finem: *est orat o in qua quibusdam positis alterum quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint*: Dicitur *Oratio*, & quidem in numero singulari, non quia sit unica propositio hypothetica, ut nonnulli sentiunt, sed ratione unius medii, quo uniuntur extrema in præmissis, vel etiam ratione finis, quia ambæ præmissæ ordinantur ad unicam conclusionem: dicitur secundò *quibusdam positis*, idest quòd præmissæ sint benè dispositæ in figura, & modo: ly autem *positis*, valet idem, ac admissis: dicitur *aliud quid à positis*, idest Conclusio, quæ quamvis eadem sit cùm præmissis ratione materiæ, idest si spectentur termini illius propositionis, ratione tamen formæ est diversa, nam termini, ex quibus constat Conclusio, in præmissis junguntur cum medio termino, in conclusione vero se ipsis: dicitur *necesse est contingere eo quòd hæc sint*, quæ particulæ adduntur ad ostendendam necessitatem inferendi conclusionem, totam desumi à præmissis, scillcèt ex suppositione, quod præmissæ sint veræ, ita ut tamen hæc necessitas sit Consequentiæ non Consequentis, seu necessitas illationis proveniens necessariò ex necessaria habitudine antecedentis ad Consequens.

Variæ autem sunt syllogismorum species. Ultra enim syllogismos, categoricos, hipotheticos, atque expositorios, alios exhibet Caramuel in sua Logica obliqua *disp.* 3. Refert enim alium esse expositorium putè obliquum, mixtum alium, divisivum alterum, parabolicos alios, apologios, exemplares, quos omnes, & alios apud ipsum videre potestis. Interim hæc brevissima notitia sufficiat. Ea enim, quæ inferius dicturi sumus ampliorem non expostulant cognitionem circa syllogismi naturam.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An ad inferendam Conclusionem requiratur novum judicium de bonitate Consequentiæ.*

## CAPUT PRIMUM.

*Quibusdam præmissis resolvitur Quæstio.*

Difficultas hæc proponitur in gratiam quorumdam existimantium ad conclusionem inferendam necessarium esse novum judicium, quo intellectus judicet ipsam inferri ex talibus præmissis, inter quos referre possumus Joannem Pontium in Logica *disp.* 2. *quæst.* 2. de Quiros *tract.* 2. *part.* 6. *sect.* 3. in Logica. Antequam autem mei Doctoris sententiam proponam, moneo illationem aliam formalem esse, & objectivam alteram. Prima est ipse actus formalis Conclusionis ex præmissis deductus. Objectiva verò est connexio, seu identitas objecti præmissarum, cum objecto conclusionis. Hic autem sermo non est de necessitate novi judicii reflexi supra illationem formalem, cùm

cùm ad sufficientiam ostensum sit in logicæ proœmialibus assensum scientificum hoc judicium non postulare, quo intellectus sciat se scire. Difficultas itaque est in ordine ad assentiendum objectivè conclusioni; circa quam negativam amplector sententiam cum Henrico ipsam insinuante *quodlib.* 14. illis verbis *Cognitis principiis disciplinarum secundum modum cognitionis istorum naturaliter, & necessariò sequitur, aut simul habetur cognitio conclusionum in illis, & per illa*. Hæc autem sententia antequam ratione firmetur, sciendum ulterius est controversiam, ne dum procedere de novo judicio, sed etiam de nova apprehensione. Audivi enim aliquos acriter defendere novæ apprehensionis necessitatem, quamvis negant illam judicii. His itaque suppositis contra priorem sententiam, etiam hoc modo explicatam.

Arguo primò ratione communi, sed efficaci. Tunc non requireretur hoc novum judicium, quoties positis præmissis benè dispositis, & intellectis daretur quidquid requiritur ad eliciendum conclusionem; atqui sic positis revera datur quidquid requiritur ad conclusionem eliciendam; ergo. Major liquet. Eatenus enim adversa pars vult necessitatem ulterioris judicii, vel ulterioris apprehensionis, ut intellectus habeat omnia necessaria ad assensum præbendum conclusioni, qui assensus scientificus sit, ut ipso mediante innotescat connexio conclusionis cum præmissis. Ostenditur itaque Minor. Si non haberet omnia requisita ad conclusionem eliciendam scientificè, maximè quia non haberetur cognitio connexionis intercedentis inter veritatem conclusionis, & præmissarum necessaria ad assensum scientificum; atqui talis cognitio haberi potest secluso quolibet novo judicio superaddito; ergo. Probatur Minor. Per solam præmissarum penetrationem rectè intelligimus conclusionem sequi ex præmissis; ergo non requiritur novum judicium ad hanc conclusionem eliciendam. Qua propter aliqui rectè docuerunt ad inferendam conclusionem scientificam sufficere scientiam in actu exercito, & virtuali, quod talis conclusio inferatur ex præmissis, quæ tota residet in sola præmissarum penetratione movente ad assensum conclusionis, non verò requiri in actu signato, & explicito, quem novum judicium præsefert.

Confirmatur. Ad assentiendum præmissis non requiritur judicium, quòd ipsis sit debitus assensus, sed determinatur intellectus ad assensum ab objecto, quod sibi per præmissas proponitur; ergo cùm præmissæ præsentent intellectui objectum conclusionis, poterit hic per hujusmodi repræsentationem determinari ad assensum. Antecedens liquet, quia si ante assensum, quem præbemus præmissis, intellectus debet judicare talem assensum deberi, etiam ante hunc priorem assensum, intellectus deberet judicare, se debere hunc assensum, & sic daretur processus in infinitum.

Ratio hæc cum sua confirmatione verior est illa, quam propugnat hic Illustrissimus Spinula existimans ideò non exigi ad assensum conclusionis tale judicium, quia intellectus assentiendo conclusioni non attingit identitatem objecti ejusdem cum objecto præmissarum, sed solam identitatem subjecti conclusionis, cum ejus prædicato, quod explicat clarissimo hujus syllogismi exemplo: *omnis Homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est Animal*, in qua conclusione solùm exprimitur identitas Petri cum Animali, non verò Petri cum Homine, & Hominis cum Animali. Sed ratio hæc mihi non parum displicet, quia verum non est intellectum assentiendo conclusioni non attingere identitatem objecti ejusdem cum objecto præmissarum, ut Arriaga *disp.* 15. *sect.* 4 in Logica, & Oviedo *controv.* 9. *pun.* 3 & aliqui communiter advertunt; præcipuè si loquamur de attingentia hujus connexionis implicita, & præsupposita. Non est autem assumendum medium incertum ad firmandum præsens assertum. Hac itaque omissa, & aliis minoris ponderis prioribus inhærendum est.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

ARguit primò Pontius. Tunc daretur tale judicium quoties daretur causa, ipsum causans, atqui revera hæc datur; ergo. Probatur Minor, & primò in syllogismis perfectis ab ipsis præmissis causatur, dummodò tales præmissæ sint comprehensæ; aliquando verò etiam causatur per illum discursum, quo cognoscimus syllogismum objectivum reduci posse ad syllogismos primæ figuræ; aliquando verò per alium, quo cognoscimus, quod si negaretur consequentia, negans reduci posset ad impossibile.

Respondeo prædictum argumentum directè non opponi thesi statutæ. Difficultas enim non est, utrum detur nec ne causa causans ipsum judicium reflexum, sed præcisè, an hoc necessarium sit ad assensum scientificum conclusionis quidquid sit utrum in rerum natura detur sui causa, vel non. Nihilominus omissa Majori, nego Minorem, ad cujus probationem dico ipsum judicium reflexum non causari à syllogismo perfecto comprehenso, sed potius ipsa conclusio causatur, ad quam præmissæ intellectum movent.

Arguit secundò idem Auctor. Aliquando positis præmissis intellectus hæsitat circa conclusionem; sed talis hæsitatio provenire nequit nisi ex hoc, quòd intellectus nondum judicaverit de bonitate illationis; ergo ad eliciendam conclusionem requiritur judicium de ipsius bonitate.

Respondeo talem hæsitationem oriri, vel quia præmissæ nõ sunt rectè dispositæ, vel quia intellectus non benè illas penetravit, aut percepit, quoties enim præmissæ sunt rectè dispositæ, & intellectus illas rectè penetrat, statim videt conclusionem eliciendam absque alio judicio de bonitate illationis.

Arguit tertiò Quiros. Primò syllogismi imperfecti sunt reducendi ad perfectos, ut concludant, sed non ex inevidentia propositionum secundùm se; ergo illationis; ergo si syllogismi perfecti concludunt, ideò est quia in illis evidens est bonitas illationis; ergo hæc est necessariò prænoscenda. Secundò homo utitur præmissis per se ex intentione penetrandi conclusionem; ergo prius debet cognoscere præmissas esse aptas ad eliciendam conclusionem. Non enim eligitur medium, nisi cognoscatur ejus aptitudo ad finem consequendum, qui est illationis bonitas.

Respondeo argumentum hoc, quo ad duplicem sui partem non facere ad rem; solum enim obtinet necessarium esse hoc judicium, quod non negamus, non verò judicium distinctum ab assensu præmissarum, quod reprobamus.

QUÆ-

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An post assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas affirmativè.*

ANtequam Henrici, & aliorum mentem aperiamus pro certo tenendum est necessitatem duplicem esse, unam nimirum specificationis, exercitii alteram. Prior contingit, quando potentia ita determinatur ad aliquod objectum, ut licèt possit absolutè non operari circa illud, nihilominus ex suppositione, quòd illud attingat, elicere debet actum determinatæ speciei, & non alteriùs, verbi gratia voluntas nostra in via ita se habet circa beatitudinem in communi, ut licèt possit non exercere aliquem actum circa illam, tamen si velit in aliquem prosilire, hic amoris esse debet, non verò odii. Posterior autem necessitas determinat potentiam non solùm ad peculiarem speciem actus, sed etiam ad illius exercitium, ita ut non remaneat facultas ad ejusdem suspensionem. Hoc modo necessitatur voluntas ad diligendum Deum clarè visum, quia non solùm nequit eum odisse, verùm etiam nequit cessare ab illius amore. Modò cum intellectus per assensum præmissis præstitum determinetur ad assentiendum Conclusioni, hic brevi calamo statuendum est, qua necessitate trahatur ad ejusdem assensum, quod ut celerius fiat.

Dico primo præmissas rectè dispositas, & intellectas necessitate contrarietatis necessitare intellectum. Explicatur hæc prima difficultatis resolutio. Positis his præmissis: *Omnis homo est Animal. Sed Petrus est Homo*, dico intellectum non esse indifferentem ad hunc actum, ergo *Petrus est Animal*, vel ad oppositum, ergo *Petrus non est Animal*. Probatur hoc, si posito assensu utriusque præmissæ, posset intellectus dicere: *Petrus non est Animal*, assentiri posset duobus Contradictoriis manifestis; sed hoc est impossibile, ergo etiam illud, undè hoc sequitur. Probatur sequela, quia intellectus diceret: *omnis homo est Animal ; & aliquis homo non est Animal*, quæ sunt contradictoria.

Dicendum est secundò intellectum ulterius necessitari quoad exercitium. Sic Complutenses in *lib posteriorum quæst.* 4 Joannes à Sancto Thoma in *Logica quæst.* 24. *art.* 3. Cajetanus, Nicolaus Arnù in *Logica quæst.*15.*art* 7.Cavinus, Goudin, & Thomistæ omnes adhærentes suo Præceptori hanc sententiam propugnanti pluribus in locis, sed præcipuè prima parte *quæst.* 82. *art.* 2. ubi asserit, quòd naturaliter ex necessitate inhæret intellectus principiis, & conclusionibus habentibus necessariam connexionem cùm illis: *quæst.*14. *de veritate art.* 1. idem docet. Eandem sententiam sustinent Scotistæ omnes *ex Scoto in* 1. *dist* 1. *quæst.*4 §. *Ad argumenta*, inter quos Scotistas ipsam præcipuè amplectuntur Mastrius *disp.* 11. *quæst.* 4. Tataretus 1.*posteriorum*, *quæst.*1. *dub.* 3. Poncius, Boyvin, Dupasquier, Petrus à Sancta Catharina. In Schola vero Societatis eam recipiunt Hurtado *disp.* 7. *de Anima sect.* 4. Amicus *tract* 25 *disp.*3.*quæst.* 6. *dub.* 1. Ariaga *disp.* 15 *Logicæ*, *sect* 6.Conimbricenses 1.*Poster.cap.*1.*quæ.* 4.*art.*4. Quiros hic, & alii innumeri. In nostra verò Schola ipsam sequuntur Gosius, Brancacinus, Ventura, & Sapientissimus, atquè Religiosissimus Præceptor meus dilectissimus Magister Sosteneus Cavalli in suis aureis manuscriptis, aliique quamplures ex Doctore pluribus in locis sed præcipuè *quodlib.* 14 *quæst.*4. ubi hæc lego: *Si simpliciter cognitis principiis disciplinarum secundum modum cognitionis istorum naturaliter, & necessariò sequitur, aut simul habetur cognitio Conclusionum in illis, & pro illa:* Conclusio ergo communissima ostendenda est, & quidem hoc medio. Voluntas imperans actionem aliquam alterius potentiæ, non potest impedire quidquid necessariò sequitur ad talem actionem in eodem instanti, sed in eodem instanti, in quo præsupposita majori, minori assentimur, cognoscitur necessariò conclusio; ergo posito assensu præmissarum nequit intellectus non assentiri conclusioni. Probatur minor. Primo auctoritate Philosophi hic decernentis majorem cognosci prius tempore, quam cognoscatur Conclusio, minorem verò simul tempore, licèt prius natura ipsa conclusione cognoscatur. Secundò ratione, quia causa naturalis sufficienter constituta in actu primò ad operandum, debet actu agere, & producere effectum illum, quem præcontinet, ita ut connaturaliter non valeat à prædicta operatione cessare; sed intellectus est potentia naturalis per præmissas penetratas, & dispositas sufficienter constituta in actu primo ad assentiendum conclusioni; ergo in eodem instanti, in quo cognoscitur minor, necessariò cognoscitur Conclusio.

Confirmatur, & explicatur ulterius hæc ratio. Intellectus est potentia naturalis, sicuti est potentia visiva, sed licèt voluntas possit impedire visionem auferendo ejus objectum, vel ad alia distrahendo potentiam visivam, nihilominus, si objectum determinatum eidem potentiæ visivæ sit præsens, & medium illuminatum sit, eadem potentia visionem ejusdem objecti suspendere nequit; ergo pariter licèt, possit voluntas retrahere intellectum ne cogitet de præmissis, aut de bonitate illationis, tamen ex suppositione assensus præstiti præmissis dispositis, & penetratis non potest voluntas impedire intellectui assensum Conclusionis.

### CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur præcipua argumenta contra positam Thesim.*

ARguunt primò aliqui ex Henrico, vel arguere possunt, & quidem ex *summa art.* 60. *quæst.* 1. *num.* 35. ubi hæc habet: *Secundum quod triplex est actio voluntatis. Prima nimirum, quæ est elicita à voluntate, ut est voluntas simpliciter absque omni naturalitate, & necessitate, ut est illa, quæ procedit à libertatis arbitrio, sive in Deo, sive in creatura intellectuali, & in nobis, & tendit solummodo in bonum amatum, quod est infrà summum bonum. Secunda, quæ est elicita à voluntate, ut similiter voluntas est simpliciter, & hoc cum sola naturalitate necessitatis immutabilis annexa ipsi actioni, ut est illa, quæ procedit à libertatis arbitrio, & tendit in summum bonum amatum, & apertè visum. Tertia quæ est elicita à voluntate non ut est voluntas simpliciter, sed ut est natura, naturalitate sibi annexa dicto modo, ut est illa, quæ procedit à voluntate libertate in solo Deo, & tendit non solùm in summum bonum amatum, & visum, sed etiam in ipsum amorem procedentem; quo incentivè amatur, licèt diversimodè tendat in utrumquè:* Ex his autem Doctoris verbis aliquis sic arguere posset. Actio, quæ ita est elicita à voluntate, ut procedat, & terminetur ad bonum particulare, seu bonum, quòd sit citrà summum bonum,

num, ita procedit, ut ſit abſque omni naturalitate, & neceſſitate, ſed illa nova actio voluntatis, quæ verſatur circa aſſenſum concluſionis, ſeu circa veritatem concluſionis eſt circa bonum particulare; ergo procedit abſque omni naturalitate.

Urgeo ex doctrina Doctoris. Actio, quæità procedit ab arbitio libertatis, ut tendat in ſumum bonum apertè viſum procedit cum natoralitate neceſſitatis, ſeù neceſſitatur ad proſecutionem; ergo ubi non eſt ſummum bonum, ibi voluntas non procedet cum tali neceſſitate, ſed in veritate Concluſionis non relucet ſummum bonum; ergo non neceſſitatur ad movendum intellectum in ordine ad aſſenſum talis veritatis.

Reſpondeo argumentum hoc ex Henrici verbis deductum à me caſualiter lectis facillimam habere ſolutionem in eodem doctore, & quidem iiſdem verbis ſuperius relatis. Hæc enim ibi habet Doctor: *Prima quæ eſt elicita à voluntate, ut eſt voluntas ſimpliciter abſque omni naturalitate, & neceſſitate*. Per quæ inſinuat Doctor voluntatem circa bonum particulare non neceſſitari ſimpliciter, & abſulutè, quod etiam nos concedimus, neceſſitari tamen poſse ex ſuppoſitione applicationis ad præmiſsas. Vndè patet in forma quid dicendum ſit.

Arguunt ſecundo. Intellectus non neceſſitatur à verò particulari; ſed veritas concluſionis etiam poſt aſsenſum præmiſſis præſtitum eſt particularis; ergo etiam poſt præmiſſas intellectus non neceſſitabitur quoad exercitium. Maior probatur. Pari modo ſe habet intellectus in ordine ad obiectum ſub ratione veri, ac voluntas in ordine ad idem ſub ratione boni, ſed voluntas non neceſſitatur niſi ab obiecto, in quo ſit ratio totius boni, non verò ubi eſt ratio boni particularis; ergò nec intellectus, niſi ubi eſt ratio totius veri; ſed veritas concluſionis etiam poſt aſſenſum præmiſſarum eſt veritas particularis; ergo.

Confirmatur. Poſt aſſenſum præmiſſis præſtitum, ad aſſentiendum explicitè, & diſtinctè concluſioni requiritur nova motio voluntatis, quemadmodum noua requiritur applicatio eiuſdem ad hoc, ut intellectum eliciat aſſenſum fidei etiam poſt attentionem habitam ad motiva fidei; ſed voluntas etiam poſt aſſenſum præmiſſarum poteſt ſuſpendere motionem; ergo etiam poſt aſſenſum præmiſſarum poteſt intellectus ſuſpendere aſſenſum Concluſionis. Maior eſt certa, nam intellectus non agit, niſi dependenter à voluntate movente. Aſſenſus autem concluſioni præbendus eſt noua actio intellectus. Probatur itaque minor, nam ſi voluntas talem determinationem ſuſpendere non poſſet, ſed ad ipſam ponendam neceſſitaretur, vel neceſſitaretur à ſe, vel ab alio; atqui neutro modo neceſſitari poteſt, non quidem à ſe, cum in ſe ſit formaliter libera, neque ab alio, quià ſi talis neceſſitas proveniret ab aliquo extrinſeco, maximè ab aſſenſu præmiſſis præſtito ab Intellectu, ex tali autem aſſenſu neceſſitari nequit ad ponendam nouam determinationem, cum veritas evidens præmiſſarum ad ſummom neceſſitet intellectum ad ipſius aſſenſum, non verò voluntatem; verum enim qua tale intellectum, non voluntatem neceſſitat; ergò.

Reſpondeo quod ſi controverſia propoſita intelligatur, tota difficultas euaneſcit ſimul cum ſua confirmatione, ſiquidem quando nos dicimus intellectum neceſſitari ad aſſentiendum concluſioni, hoc ſolùm aſſerimus poſt præmiſſas rectè diſpoſitas, atquè penetratas, & quamuis intellectus ſimpliciter, & abſolutè ſolùm neceſſitetur, vbi eſt ratio totius veri, ſecundum quid tamen, & ex ſuppoſitione neceſſitatur etiam ubicumquè eſt veritas particularis perfectè cognita; & hoc ideò quià ratio motiva eſt ratio veri, vndè ubicumquè hæc intellectui evidenter apparet, hic aſſentiri debet. Quod totum egregiè patet in ipſis potentiis vitalibus materialibus, verbi gratia, in ipſa potentia viſiua. Hæc enim in actu neceſſitatur ad viſionem cuiuſlibet colorati, quamuis particulare ſit, ſuppoſita eiuſdem potentiæ tendentia in ipſum coloratum. Bonitas autem particularis ideò non neceſſitat voluntatem ad ſui amorem, quià particulare bonum ſemper eſt malo admixtum, quapropter ſicuti ratione boni placere poteſt res ipſa, ità ratione mali diſplicere, undè patet in forma.

Ad confirmationem primò neganda eſt maior, nec officit paritas ex fide deſumpta, ſiquidem ideò poſita aduertentia ad motiua credibilitatis ulterius indiget intellectus novo impetio, ſeu applicatione, quia adhuc non apparet evidenter veritas credendorum (motiua enim credibilitatis tantùm credibilitatem evidenter oſtendunt;) At vero poſita applicatione intellectivæ potentiæ ad præmiſſas ſuperius explicata, iam ſit ipſi euidens veritas concluſionis, quapropter ſuperflua eſt hæc noua motio Secundò neganda eſt minor. Neceſſitatur enim volontas ab extrinſeco nimirum ab ipſis præmiſſis diſtributis, & penetratis, ità vt neceſſitas conveniens voluntati relatè ad movendum intellectum ad Concluſionem oriatur ex eo, ne tollarur potentia naturalis exiſtens eum omnibus ſuis requiſitis propriis, & correſpondens effectus, & conaturalis operandi modus, qui profectò tolleretur, ſi voluntas nihilominus. adhuc ſuſpendere poſſet ſuam motionem.

Arguunt tertiò alii. Si intellectus poſitis his præmiſsis demonſtrativis neceſſitaretur ad aſſenſum actualem concluſionis, vel talis neceſſitas oriretur ex ipſa virtute cognoſcitiva intellectus, vel ex ipſa veritate evidenti præmiſſarum, prout talis veritas apparet intellectui, vel quia talis concluſio inſertur ex his præmiſſis propter connexionem eiuſdem cum ipſis; atqui nulla ex his rationibus efficaciter eſt oſtenſiva talis neceſſitatis contradictionis; ergo Probatur Minor, & quidem primò, Nequit intellectus neceſſitari ad aſſenſum veri particularis, quale eſt veritas concluſionis ex ipſa virtute cognoſcitiva. Virtus enim hæc, quamvis ſecundùm ſe intelligatur determinata ad aſsentiendum verò in univerſali, ad aſſentiendum tamen in particulari eſt indifferens, quapropter Philoſophi dicere ſolent hanc determinari per formam intrinſecè inhærentem, quæ ſpecies impreſsa vocari ſolet; neque oriri poteſt ex ipſa veritate evidenti præmiſſarum, eum hæc ſolùm habeat neceſſitare intellectum ad ſui aſsenſum, ſi hæc veritas, ut talis appareat intellectui; neq; ex hoc quòd talis concluſio connectarur, inſeraturque ex præmiſſis, quia ex præmiſſis demonſtrativis, v.gr. ex his *Omnis Homo eſt animal rationale, ſed Petrus eſt Homo*, Tam benè infertur, Petrum eſse Animal rationale, quam benè inferatur eſse Animal riſibile, cum tamen intellectus non neceſſitetur ad hanc ſecundam eliciendam concluſionem.

Confirmatur hoc argumentum, & præcipuè quoad tertiam ſui partem. Quamis poſſibilia ſecundùm proprium eſse particulare connectantur immediatè cum eſsentia divina, ut hæc eſt omnipotens, tamen videns intuitivè eſsentiam divinam ſub tali reſpectu, non ideò videt omnia poſſibilia

clarè, & distinctè, ut docet sanior Theologorum sententia; ergo quamvis conclusio immediatè connectatur cum præmissis connexione illativa, adhuc non infertur intellectum necessitari ad assensum præbendum conclusioni. Consequentia hæc liquet ex paritate rationis. Utrobique enim habetur continentia adæquata.

Confirmatur secundò. Si intellectus necessitaretur ad hunc assensum, vel necessitaretur à præmissis formalibus, vel à præmissis objectivis, sed non à formalibus, quia istæ non sunt nisi puri actus intellectus, qui necessitare nequeunt intellectum ad alios actus; non ab objectivis, quia hæ non sunt nisi objecta præmissarum, quæ non habent movere intellectum, nisi ad sui cognitionem, & quidem solùm supposito, quòd eorum veritas intellectui appareat.

Si argumentum hoc urget, probare quoque possim in nullo statu causas omnes necessarias necessitari posse ad operandum, quod ostendo. Si ignis necessitaretur ad actualiter operandum, dum intelligitur approximatus materiæ dispositæ ad formam ignis introducendam, vel hæc necessitas proveniret ratione virtutis residentis in ipso igne operante, vel ratione approximationis, qua talis; vel ratione materiæ per qualitates dispositæ; sed ex his non infertur ignem debere infallibiliter connecti cum ipsa operatione; ergo. Probatur Minor per partes, & primò non necessitari potest ex parte suæ virtutis activæ, nam quamvis hæc dicat secundùm se præcontinentiam talis effectus, & consequenter determinationem in actu primo ad operandum, tamen secundùm se hanc non importat in actu secundò, aliàs semper esset operativa, quemadmodum est semper potens operari; neque ratione approximationis, ratione sui acceptæ, quia si secundùm se inferret esse operativum, semper hoc inferret; nec tandem ratione dispositionum existentium in materia, siquidem hæ habent solùm materiam disponere ad talem formam recipiendam, non verò agens necessarium necessitare ad operandum, de factò enim materia ligni, prout stat sub siccitate, intelligitur disposita ad formam ignis, quin intelligamus ignem actualiter in ipsum agere. Vide ergo, quàm parvi roboris sit allatum argumentum. Quod verò ultimo loco in objectione additum est facilis est solutionis. Quamvis enim plures conclusiones ex quibusdam principiis inferri possint, non tamen omnes æqualiter inferuntur. Quædam enim sequuntur materialiter tantùm, & titulo connexionis: aliæ verò immediatè, & ratione formæ; *Petrum esse Animal rationale* ex superius positis præmissis infertur ratione formæ, & immediatè. Quòd verò sit risibilis infertur mediatè ratione formæ syllogisticæ, & immediatè solùm ratione rationalitatis. Necessitatur autem intellectus solùm ad id, quod immediatè infertur vi formæ.

Ad confirmationem disparitas est, quia possibilia cognita secundùm suum esse particulare, & omni potentia connectuntur tantum inter se, & in ordine ad cognitionem comprehensivam, non verò intuitivam, quæ non est attingentia omnium possibilium clara, & distincta, sed tantum confusa. Conclusio verò, & præmissæ connectuntur inter se, & in ordine ad cognitionem, ut superius dixi; secunda verò confirmatio non urget, quia necessitas consurgit ex præmissis formalibus simul, & objectivis.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur alia Argumenta.*

Arguunt primò alii. Intellectus est potentia finita virtutem habens finitam, non solùm intensivam, sed etiam extensivam, quia est determinatus numerus scibilium, ad quæ potest pervenire, & ultra quæ procedere nequit; ergo potest contingere, quòd assensus, quem intellectus præstat minori in syllogismo demonstrativo, sit ultimus actus, ad quem devenire possit; sed in tali casu elicere non posset assensum conclusionis; ergo est dabilis casus, in quo ne dum intellectus non necessitetur, verùm etiam, in quo non possit elicere conclusionem.

Respondeo hoc argumentum efformari posse in quacumque causa necessaria non cognoscitiva, cùm etiam quælibet causa creata naturalis, seu necessaria finitæ sit virtutis, tum intensivæ, tum extensivæ. Secundò simul probat, quod præmissæ in syllogismo demonstrativo, nec etiam necessitent intellectum necessitate quoad speciem actus propter defectum ejusdem virtutis in intellectu, qui in hypothesi supponitur. Tertiò ratio limitatæ, & finitæ virtutis in intellectu residentis, non consistit in hoc, quòd posito assensu præmissis præstito, nequeat assentiri conclusioni. Hoc enim contingere nequit, cum quælibet causa naturalis præcontineat illum effectum, ad quem intelligitur proximè disposita, & habens omnia requisita ad agendum, sed solùm in hoc quod intellectus non sit infinitæ perspicacitatis, nec possit omnes veritates collectivè cognoscere ob impotentiam moralem, quæ adest, ut dicam in materia de divina gratia. Ultimò tandem etsi concederem totum hoc argumentum nihil adhuc sequeretur contra positam thesim, quia hæc procedit solùm de intellectu omnia requisita habente respectivè ad conclusionem. In hypothesi autem non sic intelligeretur intellectus, sed potius cum ipsorum defectu, cum adesset defectus virtutis cognoscitivæ, quæ maximum est requisitum, ut intellectus operetur. Unde argumentum, quod hic Lynceus, & Martinez efformant nullam habet vim. Supponunt enim isti Deum infundere hos duos actus alicui intellectui: *quidquid Deus revelat est verum, sed Deus revelat tres actus in intellectu non existere*, in quo casu intellectum impotentem esse ad efformandam conclusionem affirmant. Nullam, inquam, habet vim, siquidem in tali hypothesi esset defectus alicujus requisiti, nimirum divini concursus, nisi dicere velimus necessitatem hanc solùm esse physicam, non verò metaphysicam, adeoque à Deo impedibilem.

Arguunt secundò alii. Voluntas humana nullatenus necessitatur ad assentiendum Conclusioni practicè evidenti; ergo etiam non necessitabitur ad assentiendum Conclusioni speculativè evidenti. Consequentia tenet; nam positis his præmissis. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; sed tibi non vis furari*, voluntas non necessitatur ad practicum assensum istius; ergo *alteri non debes furari*, cùm oppositum quandoque contingat.

Respondeo ex hujusmodi principiis practicis rectè dispositis solùm concludi de necessitate hoc esse debitum, ut fiat, seu conveniens secundùm legem, non tamen semper secundum appetibilitatem, & ideo syllogismus practicus non concludit convincendo, sed indifferenter proponendo. Voluntas enim sequitur convenientiam appetibilitatis

hic,

hic, & nunc propositam, non verò conuenientiam secundùm legem. Et ratio totius est, quia per tale motiuum objectum proponitur solùm speculativè, & inefficaciter, non verò efficaciter obstante appetibilitate, quam aliqui habent rei alienæ.

Arguunt tertiò. Si positis præmissis rectè dispositis, & intellectus, necessitaretur ad assensum conclusionis, jam non daretur habitus scientificus in ordine ad conclusionem; hoc autem falsum est, cùm detur ejusdem verus habitus, ergo. Probatur sequela maioris. De ratione habitus est advenire potentiæ indifferenti, & indeterminatæ; habitus enim determinat potentiam ad operandum in determinato genere; sed positis præmissis potentia intellectiva non esset amplius libera, & indifferens; ergo.

Huic argumento prima Thomistarum solutio est de ratione habitus solùm esse aduenire potentiæ indifferenti, & indeterminatæ secundùm se, uti revera est intellectus respectiuè ad Conclusionem, quamvis facta suppositione præmissarum amplius non sit hæc indifferentia, & difficultas ad operandum, sed potius sensibilis facilitas in ordine ad actum conclusionis eliciendum. Cui solutioni ad dit Ioannes à Sancto Thoma habitum scientificum non solùm dari à natura intellectui propter assensum conclusionis, verùm etiam propter præmissas, in ordine ad quas, cùm intellectus habitu indigeat, hinc superfluus non redditur ipse habitus scientificus.

His non repugno solutionibus, sed unicè ulterius adverto argumentum hoc exorbitare, cùm simul probet intellectum, nec etiam necessitate contrarietatis necessitari posse, quia hac supposita pariter non daretur amplius indifferentia ad eliciendam Conclusionem oppositam illi, quæ vi formæ infertur, seu ad benè, vel malè inferendum, ad quam indifferentiam tollendam certum est habitum scientificum fuisse inventum. In forma autem ad argumentum nego majorem, ad cujus probationem distinguo minorem, sed positis præmissis potentia intellectiva non esset amplius indifferens, sed determinata, determinatione orta ex habitu scientifico, concedo minorem, non orta ex eodem habitu, nego minorem; & Consequentiam. Determinatio enim, quæ relucet, vel splendescit in potentia intellectiva ad ponendum actum Conclusionis oritur ex ipso actu scientifico, nam oritur ex penetratione præmissarum dispositarum, adeoque ex evidenti earumdem cognitione, quæ ab ipso habitu scientifico desumitur. Necessitas autem, quæ consurgit ex habitu scientifico tantùm abest, quòd tollat ipsius indigentiam, ut potius ipsam inferat.

Arguebant quartò alii contra me quibusdam in thesibus, dum Neapolim degebam. Si positis præmissis distributis intellectus necessitaretur, deberet quoque necessitari ad Conclusionem, quæ sequitur ex præmissis, quarum una sit temeraria, altera falsa, sed hoc evenire nequit; ergo. Probatur major, nam deberet necessitari ad illam Conclusionem, quæ sequitur ex præmissis distributis, sed præmissæ quarum una sit temeraria, altera probabilis esse possunt distributæ; ergo debet intellectus posse assentiri conclusioni, quæ sequitur ex ipsis præmissis. Probatur minor præmissas nonnullas afferendo perfectè distributas *Omnis mater odio habet filios, sed Berta est mater, ergo Berta, odio habet filios*; in quo Syllogismo præmissæ certæ sunt distributæ. Probatur itaque major primi syllogismi. Nequit intellectus necessitari ad conclusionem temerariam, sed Conclusio quæ sequitur ex præmissis, quarum una sit temeraria altera probabilis, est pariter temeraria, ergo nequit necessitari ad Conclusionem quæ sequitur ex ipsis præmissis. Probatur minor Ubi totum complexum est temerarium, ibi illud, quod ex ipso sequitur, nequit esse nisi temerarium; atqui quoties una ex præmissis est temeraria, totum complexum est temerarium, sicuti ubi aliqua pars copulativæ est falsa, tota copulativa est falsa, ergo conclusio, quæ sequetur ex præmissis, quarum una est temeraria, altera probabilis, est temeraria.

Respondeo hoc argumentum si urget, probare etiam contrà necessitatem ipsam contrarietatis, cùm tam repugnet intellectum actualiter necessitari ad assensũ Conclusionis temerariæ, quã implicet eumdẽ necessitari ad assentiẽdum Conclusioni temerariæ, si assentiri velit. In forma itaque pro omnibus dico non sequi potentiã intellectivã cogi ad assensum conclusionis temerariæ, siquidem ad hoc ut intellectus in hanc necessitatem redigeretur, deberet præmissis prius præstare assensum, quem certè præstare nequit intellectus sciens primam propositionem superioris syllogismi esse falsam, nisi dicere velimus intellectum necessitari ad assentiendum conclusioni non ratione materiæ, sed ratione formæ.

## QUÆSTIO TERTIA.

*In quo genere causæ præmissæ causent conclusionem.*

Ut hæc proposita difficultas dirimatur ea claritate, qua aliæ solutæ remanent, nonnulla præmitto, inter quæ illud in primis est aduertendum, quòd præmissæ, aliæ formales sunt, obiectivæ aliæ. Primæ sunt ipsi actus intellectus, quibus iudicamus, secundæ verò obiecta sunt præmissarum, quæ attingimus per formales præmissas. Difficultas hic non procedit de præmissis obiectivis. Certum est enim istis conuenire munus causæ materialis eum præbeant materiam conclusioni, ex qua ipsa conficitur, ut optimè hic aduertit Ioannes à Sancto Thoma, sed tota devolvitur ad præmissas formales, circà quas pariter aduertendum est hic supponi, ut controversia locum habeat, præmissas formales distingui ab actu Conclusionis, ità ut per diversos actus cognoscantur præmissæ, ac cognoscatur explicitè conclusio, siquidem si per eumdem actum, quo cognoscuntur præmissæ, cognosceretur explicitè conclusio, non possent deinde præmissæ, realiter influere in Conclusionem, cùm talis causalitas exigat distinctionem, realem.

Actum autem hunc Conclusionis realiter distinctum ab actibus intellectus, quibus assentimur præmissis obiectivis dependere ab ipsis formalibus, certum omninò est. Movetur enim intellectus ab assensu præmissarum ad assensum Conclusionis; non stat autem sic moveri, quin eadem Conclusio ab ipsis dependeat, cùm omnis ratio motiua importet dependentiam in eo, quod ab ipsa mouetur. Tum etiam, quia cognitio discursiua fit ex cognitione præexistenti præmissarum, ita ut ly *ex* non designet purum terminum à quo, ut designari solet in generationibus, & creationibus, sed etiam causalitatem, quod constat, quia adueniente conclusione assensus præmissarum non deperditur, aut relinquitur, quod tamen evenire deberet, si præmissæ essent purus terminus à quo, ut optimè aduertunt idem Ioannes à Sancto Thoma, Complutenses

plutenses Pontius, qui hanc dependentiam hic plurimis firmat rationibus.

Hac autem dependentia supposita id, quod quærimus est utrum hæc sit in genere causæ materialis, uti est; illa cuiuslibet formæ a materia, rationali excepta, vel formalis, ut est altera materiæ ab ipsis formis, præcipuè in Thomistarum sententia contendentium materiam recipere existentiam ab ipsa forma; vel in genere causæ finalis, quam causalitatem exercet bonitas obiecti apprehensa movens voluntatem per allicientiam ad sui amorem, vel tandem in genere causæ efficientis, uti se habent substantia, vel accidens in alterius substantiæ productione, circà quam.

Triplex versatur sententia, ex quibus prima docet præmissas formales concurrere in genere causæ formalis extrinsecæ quatenus illuminant, & determinant intellectum potius ad assentiendum uni conclusioni, quàm alteri. Determinatio enim munus est causæ formalis. Sententiam hanc defendunt Ariaga *disp.* 15. *Logicæ sect.* 5. Hurtado *disp.* 7. de Anima *sect.* 8. ut optimè advertit Mastrius, ipsamque sequitur noster Magister Ventura in Logica *disp* 7. *quæst.* 1. per totam.

Secunda Sententia vult præmissas formales exercere munus causæ materialis extrinsecæ, quia termini, ex quibus conclusio constat, desumuntur à præmissis, quod idem est ac dicere, quia subministrant materiam Conclusioni. Sic Durandus *dist* 2. *quæst.* 2.

Tertia sententia, quæ Communior est propugnat præmissas formales exercere munus causæ efficientis, ita ut non sint puræ conditiones & veluti instrumenta in ordine ad Conclusionem, ut Aversa *quæst.* 25 *Logicæ sect.* 3. Sed veræ sint causæ efficientes, prout causa efficiens distinguitur à sola conditione. Hanc tenent ferè omnes Scotistæ, inter quos *Mastrius disp.* 1 *Logicæ, quæst.* 3. Pontius in *Libros priorum disp.* 20. Tataretus, Petrus à Sancta Catharina Dupasquier, & alii Scotistæ Recentiores. Ex Thomistis autem ipsam amplectuntur Ioannes à S. Thoma *quæst.* 24. *art.* 2. *in Logica*, Patres Complutenses *quæst.* 3. *disp.* 17. Arauxo, Gabriel à Sancto Vincentio, Paulus Cavinus, & quod magis interest eam sustinet Sanctus Thomas pluribus in locis præcipuè tamen *lectione* 3. & 1. *contra gentes*, & *prima Parte quæst.* 14. *art.* 7. illis verbis *quod discursus, quo per principia devenimus in Conclusiones est discursus secundùm causalitatem*, quam causalitatem deindè explicat *in* 1. *poster. lect* 5. ubi ait *Præmissas habere rationem causæ efficientis, & actinæ respectu conclusionis*; undè miror, quomodo Scotus loco à Mastrio relato arguat contrà Sanctum Doctorem existimando ipsum negasse præmissis formalibus concursum in genere causæ efficientis, quod esse penitus falsum ex superioribus uerbis constat. Hanc autem sententiam extrà scholam Thomisticam, & Scotisticam sequuntur quamplures, quam etiam nos amplectimur.

Supponendum tamen ulterius est, antequam hæc Divi Thomæ sententia ratione firmetur nos hic causam efficientem non accipere propriissimè; videlicet prout importat productionem, in quo sensu certè præmissæ non causant effectivè, cum ipsum conclusionis actum non producant, sed solùm, quià vel virtualiter præcontinent conclusionem, vel constituunt potentiam intellectivam in actu primo proximo ad ipsam efficiendam. Hoc autem supposito sit.

CAPUT PRIMUM.

*Præmissæ formales concurrunt in genere causæ effectivæ ad Conclusionem.*

Sententia hæc, nedum adversatur quamplurimis Exteris, verùm etiam nonnullis Domesticis, & præcipuè nostro Magistro Venturæ. Non adversatur tamen Henrico. Verba enim, quæ communiter afferuntur *ex summa art.* 3 *quæst.* 2 desumpta nullius sunt roboris, vel pro firmanda prima sententia, vel pro hac reiicienda. Ibi enim solùm asserit solemnis Doctor quòd præmissæ illustrent intellectum ad conclusionem eliciendam; an autem præcisè illustrent, vel etiam effectivè concurrant, nec verbum quidem apud Doctorem. Illustratio enim non tollit causalitatem effectivam, quinimmò ex Thomistis Ioannes à Sancto Thoma contendit optimè causalitatem effectivam probari ex ipsa illustratione, quòd etiam Spinula affirmavit, & quidem non irrationabiliter. De facto enim lumen gloriæ illustrat intellectum Beati, cum quo tamen concurrit effectivè ad visionem.

Probatur itaquè Conclusio ratione. Id, quod constituit potentiam in actu primo ad efficiendum aliquod, influit cum ipsa per modum causæ effectivæ, atqui formales præmissæ constituunt intellectum in actu primo adæquato potentem elicere conclusionem, ergo influunt in eandem in genere causæ efficientis. Major est certa; ideo enim dicimus in Physica ideam reduci ad genus causæ efficientis quia constituit agens in actu primo proximo potens agere, & species impressa ideo sufficienter concurrit ad intellectionem, quia complet intellectum in actu primo proximo respectivè ad ipsam. Probatur itaquè minor. Intellectus in priori ad assensum præmissarum non est sufficienter determinatus, & constitutus in actu primo proximo ad assentiendum conclusioni, secus autem post præstitum præmissis assensum; ergo.

Sed quia huic rationi respondere possunt, affirmando præmissas constituere intellectum in actu primo ipsum præcisè illustrando, & determinando, non verò concurrendo cum ipso in genere causæ efficientis, & consequenter defectum præmissarum non esse defectum causæ efficientis, sed formalis, vel illustrationis, ideo recensitum fundamentum hac altera Scoti ratione roboratur. Causa efficiens importat indispensabiliter effectus præcontinentiam, & eidem sui assimilationem, si hæc univoca sit; atqui præmissæ hoc habent relatè ad conclusionem; ergo. Minor certa est, nedum ex Phylosopho 1. *poster. cap* 1. & 2. sed etiam ratione; etenim constat, quòd si præmissæ sint evidentes conclusio est evidens, si probabiles, probabilis, si falsæ, vel una falsa, conclusio erit falsa, ergo præmissæ continent Conclusionem, ipsamque sibi assimilabunt.

Dices etiam rationem hanc insufficientem esse. Primò, quia virtualis continentia conclusionis in præmissis est purè logica, non physica, sicut universale continet particulare, quòd ita præcontinetur ut ipsum universale particulare efficere non valeat, sed illud solùm cognoscere facit. Secundò, quia assimilatio non semper infert efficientiam, ut patet inter duo relativa, verbi gratia inter album *A*, & album *B*, inter quæ datur assimilatio absquè efficientia.

Contra est, & quidem, quamvis verum sit solam assimilationem non inferre efficientiam, infert tamen, si hæc conjuncta sit cum dependentia unius

ab

ab alio. Quemadmodum, quamvis verum ſit præciſam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non cauſare formalem tei ſuturitionem, cauſat tamen in plauſibili Theologorum ſenrentia extra Scholam Divi Thomæ, ſi conjuncta ſit cum Decreto; atqui inter præmiſsas, & Concluſionem ultta aſſimilationem eſt etiam dependentia ejuſdem Concluſionis à præmiſſis, quæ non eſt inter relativa in evaſione allata; ergo optimè ex tali aſſimilatione infertur ipſas præmiſsas habere tationem cauſæ efficientis.

Contta eſt ſecundò, quia etiam data præcontinentia Logica, adhuc urger argumentum, ſiquidem præcontinentia, ſi ſit Phyſica, infert phyſicam cauſalitatem effectivam; ergo, ſi hæc ſit purè Logica, inferre debebit cauſalitatem logicam. Univerſale autem ita præcontinet particulare, ut ſit præciſa ratio illud cognoſcendi; cùm aliundè præmiſsæ ulterius habeant, quòd ipſam Concluſionem cauſent, quamvis deindè Controverſia ſit, qua cauſalitate cauſent.

Dices denuò contta priorem ſolutionem, nec dependentiam unius ab alio inferre per legitimam Conſequentiam rationem cauſæ efficienris; eſſe enim poteſt dependentia unius ab alio in genere cauſæ formalis; Sed

Contra eſt. Quamvis enim ſola dependentia ſeorſim ab aſſimilatione eſſe nequeat illativum cauſalitatis effectivæ, eſſe tamen poteſt ſimul cum ipſa aſſimilatione, ſicuti, quamvis ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſe ſola non habeat ſutura cauſare, tamen cauſat, ſi conjuncta ſit cum decrero.

Probatur ſecundò aſſertum. Sicuti ſe habet volitio finis in operabilibus ſic præmiſſæ, ſeù principia in ſpeculabilibus, ut dicitur 8. *Ethic. cap.* 8 & docet pluries Sanctus Thomas; ſed volitio finis eſt cauſa efficiens volitionis mediorum, ut ſuſtinet communis Theologorum Sententia; ergo etiam aſſenſus præmiſsarum erit cauſa efficiens aſsenſus Concluſionis.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Diluuntur argumenta contraria.*

PLura ſunt argumenta contra ſtarutum aſſertum, inter quæ illud in primis eſt, quod ex noſtris Magiſter Venrura opponit ſic procedens. Præmiſsæ concurrunt ad concluſionem, ſicut lumen ad eliciendam viſionem; ſed lumen ad viſionem non concurrit, niſi ut illuminet objectum viſibile, & potentiam viſivam; ergo etiam præmiſsæ concurrunt ad concluſionem, illuminando potentiam cognoſcitivam, & objectum viſibile, concluſionem nimirum eliciendam. Probatur Major. Potentia intellectiva ita ſe habet ad objectum intelligibile, ſicut viſiva ad objectum viſibile; quinimmò intellectio vocatur metaphoricè viſio; ſed lumen in ordine ad potentiam viſivam ſolùm reddit objectum actu viſibile, quod prius erat viſibile in potentia, ipſam illuminando ſimul cum objecto; ergo etiam præmiſsæ ſolùm reddent concluſionem actu inrelligibilem, illuminando intellectum, & concluſionem.

Reſpondeo me non negare præmiſsas formales manifeſtare intellectui veritatem concluſionis, & conſequenter intellectum ipſum illuminare. At id, quod controvertimus, eſt, an ita ipſum illuſtrent, ut ſimul exerceant munus cauſæ efficienris, nec ne? In qua difficultate affirmare placuit præmiſsas exercere munus cauſæ efficientis ob rationes ſuperius allatas. Nec officit paritas. Diſparitas enim eſt, quia lumen non præcontinet viſionem, ſed eſt præciſa illuminatio medii, quia illuminatione objectum redditur proximè viſibile. At verò præmiſsæ ita illuminant intellectum reſpectivè ad concluſionem, ut ipſam implicitè, & virtualiter præcontineant. Quod autem lumen intellectuale non debeat correſpondere in omnibus lumini deſervienti ad viſionem corpoream, maximè in ſenſu intento ab arguente paret, quia de factò lumen deſerviens ad viſionem corpoream reddit objectum ſolùm proximè viſibile, non verò viſionis eſt principium, cum tamen lumen intellectuale principium ſit viſionis, ut patet in ipſo lumine gloriæ, quod ita illuminat, & elevat intellectum Beati ad viſionem, ut ſimul ejuſdem ſit principium, vel partiale in Henrici ſchola, vel totale proximum in ſententia Divi Thomæ. Sed

Inſtabis. In præmiſſis continentur in potentia concluſiones eliciendæ; ergo præmiſsæ præciſè illuſtrant, & illuminant intellectum, ut diſcernant concluſionem eliciendam. Antecedens paret, quia in hoc principio, v. gr. *omne totum eſt majus ſua parte*, continentur, quaſi in abſcondito, & in confuſo ſingula, quæ deducuntur ex ipſo. Probatur itaque Conſequentia, quod continetur in alio tamquam in abſcondito, & in obſcuro, non indiget niſi illuſtratione, & lumine, ut videatur ſaltem quantum ex ſe; ergo ſi concluſio continetur in præmiſſis modo ſuperius dicto, non indigebit eiſdem niſi, ut clarè diſcernatur; ergo præmiſsæ non concurrunt ad concluſionem, niſi illuminando intellectum, ut hic videat Concluſionem eliciendam.

Inſtant ſecundò alii. Quod determinat, & actuat ſubjectum ex ſe indifferens ad aliquod recipiendum, ſpectat ad genus cauſæ formalis; ſed aſsenſus præmiſsarum actuat ſubjectum ex ſe indifferens ad hanc, vel ad illam concluſionem; ergo præmiſsæ exercent ſolùm rationem cauſæ formalis.

Reſpondeo ad primam me ſufficienter non percipere quomodo ſtet concluſionem præcontineri in præmiſſis, tanquam in medio obſcuro, ſimulque præmiſsas illuminare intellectum, ut clarè videat concluſiones ex ipſis deducibiles. Sed hoc diſſimulato, in forma diſtinguo Antecedens. In præmiſſis continentur in potentia concluſiones eliciendæ, tanquam in potentia activa concurrente concurſu effectivo, concedo Antecedens, tanquam in potentia concurrente per modum cauſæ materialis, vel formalis illuſtrando, & determinando ſolùm intellectum ad concluſionis aſſenſum, nego Antecedens, & Conſequentiam. Reliqua cum diſtinctione patent.

Ad ſecundam verò in forma diſtinguo Majorem, quod tantùm determinat, & actuat ſubjectum ex ſe indifferens ad aliquod recipiendum, ſpectat ad genus cauſæ formalis, concedo majorem, quod determinat, & efficienter ſimul concurrit, ſpectat genus cauſæ formalis, nego majorem, & pariter diſtincta minori nego conſequentiam. Præmiſsæ determinant quidem, ſed etiam ſimul concurrunt ad efficiendam concluſionem, ſicuti ſpecies intelligibilis, nedum determinat intellectum ad objecti intellectionem, cujus eſt ſpecies, verùm etiam cum intellectu activè concurrit ad producendam objecti cognitionem.

Objicies ſecundò. Si præmiſsæ eſsent cauſa efficiens concluſionis, vel eſsent cauſa univoca, vel æquivoca, atqui neutram rationem cauſæ habere poſsunt; ergo. Probatur minor, & primò quoad

primam partem certa est; assensus enim præmissarum est specie diversus ab assensu conclusionis cũ, proveniat ab habitu diversæ speciei; ergo jam non habent rationem causæ univocæ; hæc enim effectum in natura dissimilem non producit. Nec etiam habere possunt rationem causæ æquivocæ, quia hæc non est causa proxima, & immediata, sed remota, mediata, & universalis; præmissæ autem sunt causa proxima, seu immediata cum nihil mediet inter ipsas, & conclusionem, maximè in nostra sententia excludente necessitatem judicii reflexi.

Confirmatur primò. In conclusione reperiuntur tres formalitates videlicet intellectionis, imaginis, & illationis; sed pro nulla exigitur concursus effectivus præmissarum; ergo &c. Probatur minor, siquidem primæ formalitati correspondet intellectus, secundæ species, tertiæ verò idem intellectus, quatenus præcisè illustratur per præmissas; sic enim virtutem habet proximam ad inferendam illam conclusionem, quam inferri videt ex præmissis, & cum ipsis connecti.

Confirmatur secundò, quia si præcipuus modus concurrendi præmissarum esset in genere causæ effectivæ, jam esset possibilis conclusio absque præmissis. Patet hoc, nam Deus supplere potest pro causa efficiente, ut certum est; sed hoc à vero distat; ergo etiam illud, unde hoc sequitur.

Confirmatur tertiò, quia de facto datur aliqua conclusio, quæ efficienter non causatur ab assensu antecedenti; ergo falsum est quamlibet conclusionem causari ab assensu prævio. Antecedens patet in hoc Entimemate *Omne animal rationale est Homo; ergo Christus est Homo*, in quo cum consequens sit supernaturale, Antecedens verò naturale, jam primum à secundò causari non poterit, quia supernaturale causari nequit à naturali.

Confirmatur quartò, & ultimò. Si præmissæ efficienter influerent in conclusionem, deberent simul existere, quando eidem intellectus assentitur; atqui repugnat quod coexistant assensui conclusionis, ergo. Major est certa, causa enim efficiens non operatur, nisi sit actu in rerum natura, ut alibi probabimus. Ostenditur itaque minor. *Si* adveniente assensu conclusionis existeret assensus præmissarum, simul intellectus haberet plures cognitiones, atque plura intelligeret, quod fieri nequit.

Respondeo ad singula, & ad argumentum præcipuum censeo præmissas causare in linea causæ æquivocæ, cum assensus Conclusionis sit specie diversus ab assensu præmissarum. Nec obstat, quod istæ sint causa proxima, siquidem species quælibet causat operationem, & accidens producit substantiam in sententia Thomistica in genere causæ equivocæ, cum tamen sint causa proxima, & immediata suorum actuum.

Ad primam autem confirmationem non unica est solutio apud Auctores. Vasquez vult præmissas effectivè concurrere ad conclusionem, quoad ejus modum, conferendo nimirum eidem modum ipsum facilitatis. Scotus verò concursum effectivum sustinet consistere in hoc, quòd intellectus, cum positis præmissis minori difficultate, immò nulla, conclusionem eliciat, signum evidens est etiam minori concursu agere, ipsumque simul partiri cum habitu. Sed hæ solutiones parvi sunt roboris, quas reprobabo in Animastica, ubi de causalitate habitus relatè ad suos actus, & interim illa Scoti ad rem non facit, quia adhuc argumentum suam vim retinet. Alia itaque excogitanda est solutio, pro qua,

Dico concursum effectivum præmissarum exigi ad formalitatem illationis, ratione cujus conclusio, cùm habeat dependere à præmissis, eisque assimilati, profectò exigit præmissarum effectivum concursum, ut dictum est supra. Unde intellectus per præmissas illustratus ita habet virtutem proximam ad conclusionem inferendam, ut unà cum intellectu concurrant per modum principii effectivi ipsæ præmissæ; eo ferè modo quo intellectus illustratus per lumen gloriæ ita habet virtutem proximam ad visionem beatificam eliciendam, ut simul cum intellectu concurrat effectivè ipsum lumen; nam quemadmodum lumen ita intellectum illustrat, ut præcontineat supernaturalitatem visionis, ita pariter præmissæ ita illustrant intellectum, ut præcontineant conclusionem, idcircò verè sunt illius principium effectivum.

Ad secundam confirmationem dico non omnem causalitatem efficientem suppleri posse, uti dicemus, ubi de concursu immediato occurrendo argumentis Durandi, & uti etiam dicimus in casu propter essentialem dependentiam, conclusionis à præmissis.

Ad tertiam respondet Mastrius, quod in entimemate allato subintelligitur hæc minor propositio, nimirum: *sed Christus est Animal rationale*: quæ est de fide.

Ad ultimum verò omissa solutione Complutensium, qui existimant præmissarum assensum, dum assentimur Conclusioni, perseverare, non quidem in se ipso, sed virtualiter, quatenus relinquit intellectum determinatum ad assentiendum Conclusioni, dico intellectum plura tunc simul cognoscere simultate temporis, non verò cognitionis, quia diversa cognitione habet cognoscere præmissas, ac conclusionem. Sic etiam respondet Ioannes à Sancto Thoma.

# DISPUTATIO
## DUODECIMA.

De scientia fide, & opinione.

## CAPUT UNICUM.

*Quid, quotuplex sit demonstratio, & quæ præcognosci debeant ad demonstrationem.*

BRevi calamo hæc, quæ proposui, discutienda sunt. Alia enim maioris ponderis ad diutius examen nos expectant. Demonstratio itaque definiri solet, quod sit, *Oratio, in qua ex evidentibus præmissis evidens sequitur Conclusio.* Ex hac autem definitione facilè colligere possumus demonstrationem à syllogismo probabili, sophistico, & certo certitudine solius fidei, non parùm differre. Hi enim evidentiam hanc non præseferunt.

Præmissæ autem ad demonstrationem, quæ perfecta sit, inservientes, quinque habere debent conditiones, ex quibus prima est, quod veræ sint, & ratio huius primæ conditionis est, quia conclusio similium demonstrationum debet posse resolui in præmissas reddendo illas pro ratione veritatis objectivæ conclusionis: hoc autem evenire certè non posset, si aliqua ex præmissis esset falsa. Tunc enim non veniret veritas conclusionis à præmissis,

licèt

licèt hæc in se vera esset, ut patet in hoc syllogismo. *lapis est homo; sed Petrus est lapis, ergo Petrus est Homo*. In re enim Petrus non est Homo humanitate veniente à lapide. Secundò debent esse certæ, & euidentes, ut refert Philosophus 1. *poster. cap.* 2 & ratio est, quia ut habeatur scientia debet intellectus assentiri obiecto, absque furmidine, quem assensum in naturalibus consurgere ex sola evidentia uult De Quiros hic, à quo desumpsimus quamplura ex iis, quæ sub hoc breui capite exhibemus, & recipimus, dummodo excipiamus, quæ docet loquendo de Theologia, quam existimat rationem scientiæ sortiri posse absquè ulla euidentia, & scienriam, ut sic ab euidentia præscindere. Hæc enim doctrina falsa est, tum quià Theologia ipsa Viatoris summam euideotiam habet abstractiuam, ut diffusè in Theologiæ proæmialibus, ubi de lumine medio erit sermo; tum quià falsum pænitus est scientiam, ut sic præscindere ab euidentia, sicuti falsum est præscindere à certitudine, quinimmò senteotia est Scoti plausibilis: evidentiam esse primum prædicatum scientiæ, quod indicat illis verbis: *dico quod in scientia perfectionis est quod sit euidens, & certa*.

Præmissæ autem sunt evidentiores, quàm sit consequens, tum intensivè, ob eorum immediaram evidentiam, cùm conclusio sit tanrùm mediatè evidens, quamvis sæpè sæpius contingat consequentiam evidentiorem esse præmissis, quatenus aliquando certa est bonitas illationis ex puris præmissis probabilibus deducta, ut videri potest in syllogismo allato in argumeoto ultimo, ubi de necessitate, quam intellectus experitur in ordine ad asentiendum Conclusioni.

Altera conditio est, quòd sit ex primis, nimitum ex primo cooceptu rei. Dicitur autem immediata, ut intelligamus, quòd ipsa essentia esse debet immediatè nota, undè de Dei essentia scientiam non habemus, quia ejus essentia non est immediatè nora, dicitur tandem, quod principia, vel præmissæ debeant esse per se notæ, ne procedamus in infinitum. Circa propositionem autem per se notam plura subtiliter tradit noster Lodigetius, *Tomo* 1. *quæst*. 1.

Demonstratio autem duplex est, nìmirum à priori, seu potissima, & illa est, quæ pro medio termino habet causam prædicati Conclusionis, ut verbi gratia

*Omne rationale est risibile;*
*Omnis Homo est rationalis;*
*Ergo omnis Homo est risibilis*.

In quo vides medium terminum *rationale* causam esse risibilitatis. Alia verò est à posteriori, illaque est, quæ habet pro medio termino effectum, ut verbi gratia

*Omne risibile est rationale*
*Omnis Homo est risibilis;*
*Ergo omnis Homo est rationalis*.

In demonstratione autem, in qua de subjecto prima ejus passio prædicatur, cognoscere debemus subjectum quo ad quid est saltem in confuso, & etiam aliquando quoad an est.

Dices. Aliquando subjectum non debere præcognosci quoad quid est, uti quando demonstratur essentia de subjecto, ut cum quærimus, an sit possibilis substantia supernaturalis, cui conaturalis sit visio Dei. Secundò noo est præcognoscenda quidditas passionis, quæ est demonstranda in Conclusione; ergo nec etiam quidditas subjecti.

Respondeo tunc solùm subjectum cognoscendum esse, quoad quid est, & in confuso, dum de ipso prima ejus passio demonstratur, uti certè non est demonstratio possibilitatis substantiæ supernaturalis. Ad secundum verò dico passionem præcognoscendam esse materialiter acceptam, seu secundùm suam entitatem, non verò formaliter, vel ut prædicamentalis subjecti. Sic enim non præcognoscitur, quia hoc est, quod quærimus.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum detur Scientia, quæ sit cognitio certa, & euidens*.

Democriti insaniam in eo totam residentem, quòd nihil omninò veri sit, aut ipsum nobis non innotescat, secuti sunt Academici ab Augustino relati docentes cognitionem certam, & evidentem in rationalibus non adesse, reneri tamen homines ad ipsius investigationem. Qua in re inconsequenter locuti sunt, cum nullus rationabiliter inquirere teneatur id, quod inadipiscibile est. Huic insaniæ adhæsit Menon, adheseruot Platonici quamplures illud primum negantes principium: *nequit idem simul esse, & non esse*. Sed contra hos omnes, & alios his affines, quos eruditè refert Henricus in summa *art* 1. *quæst*. 1. partim ex Phylosopho, partim ex Augustino, placet veritatem exponere, asserendo de factò dari scientiam, & eisdem rationibus suadere, quibus Augustinus, & Phylosophus ipsam osteodebat. Sit igitur.

### CAPUT PRIMUM.

*Evidens est dari scientiam*.

Prima ratio pulcherrima ex Augustino deducitur, quæ sic procedit. Scire est rem percipere cognitione intellectuali absque omni deceptione, & fallacia sicuti est, ita ut non contradicat intellectus verior; atqui contingit ita scire; ergo. Probatur minor. De majori enim oon video, quid dubitandum. Noo enim est denegandus cognitioni intellectuali ille modus attingendi præseferens perfectionem, qui iouenitur in sensibus, sed sensus verè percipiunt rem absque fallacia, & absque omni deceptione, sed prout sunt, dicente Augustino: *Absit à nobis, ut ea, quæ per sensus corporis didicimus vera esse dubitemus. Per hos enim didicimus Cœlum, & Terram, & ea quæ in eis nobis nota sunt*; cui accedit Tullius idem sentiens: *maxima est in sensibus veritas, si & sani sint, ac valentes, & omnia removeantur, quæ obstant, & impediunt*: ergo hæc non erit deneganda cognitioni.

Secunda ratio, quæ oon minoris est ponderis in hoc tota residet. Si sit aliqua veritas, quæ ità subiiciatur per cognitionem intellectui, ut non possit esse dubium de parte opposita, jam datur scientia; sed hæc datur; ergo. Probatur minor ipsam referendo. Dicat aliquis *scio me vivere*. Hæc veritas talis est, ut timere oon possimus nos falli, siquidem hoc dicens, vel vigilat, vel dormit; si vigilat; ergo non potest dubitare se non viuere; si dormit idem est, siquidem dormire, & in somnis videre viuentis est.

Tertia ratio ex modo operandi creaturæ rationalis desumitur. Aliqui enim sunt, qui rem aliquam exercendam suscipiuot ponendo ob eius consecutionem omnia media necessaria, & facilitet præbentia finis intenti consecutionem. Alii verò se ab

ab aliquibus retrahunt, eò quia illa apprehendunt noxia, vel rationi, vel primæ regulæ, vel eorum commodis temporalibus; atqui si non esset scientia de eo, quod habet meritum, ut ipsum assequatur, demeritum propter quod retrahendum sit, à casu hæc omnia evenirent; ergò. Et ratio est Phylosophi ab ipso compreheosa sub his verbis *Quomodo suscipere aliquam rem aut agere fideliter audebit, cui certum nihil erit, quod sequatur, ultimum bonorum ignorans, quo omnia referantur. Ambulans enim ambulat, & non stat, quià opinatur, quod ambulandum est, & non vadit per uiam ad puteum stantem in via, sed vitat ipsum. Scit enim quod lapsus in puteum est malus.*

Quarta ratio est Augustini argumentum, quo olim vrgebat academicos. Hi enim vel cognoscebant certò, & infallibiliter non dari ullam cognitionem certam de re aliqua, vel non, si primum; ergò iam datur aliqua cognitio certa, & obiectum aliquod sic cognoscibile; si verò hoc non cognoscebant; ergo rationabiliter asserere non poterant dari certas cognitiones. Sed ulterius suadeamus assertum solutione obiectionum.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit aduersæ Parti.*

Obiicies primo. Omnis cognitio humana habet sui initium à sensibus; sed iuxtà Augustinum *lib. 83. quæst.* & experientiam sincera veritas haberi nequit per sensus; ergo.

Hoc argumentum, ut soluatur, petit alterius difficultatis resolutionem, nimirum an verum sit illud axioma vulgatum *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*. In qua partem affirmatiuam sustinet Gasendus ex Epicuro existimans ideas, & nostras cogitationes ortum ducere à sensibus, cui adherent ferè omnes Peripatetici, hoc evenire docentes, vel ratione status, nimirum ratione uoionis cum corpore, ut inter cæteros asseruit Quiros, vel in pœnam originalis peccati hoc contingere. Ego tamen existimo negatiuam Cartesii, aliorumque antè ipsum, & post ipsum veriorem esse, quam novissimè mirificè, & subtiliter de more promouent, rationibusquè solidis firmant Arnaldus in sua arte cogitandi *parte 1. cap. 1.* Malebranchius, & Michael Angelus Fardella Siculus Drepanensis in suo vniversæ philosophiæ Systemate *tom. 1. part. 2. propos. 3.* De facto enim quamplura intelligimus, quæ per nullum sensum transierunt, uti sunt rationes omnes entis, eiusq; proprietates, actus nostri vitales spirituales, atquè nonnulla axiomata, *uti omne est, vel non est. Deus est colendus; insinuata est virtus animi, sapientia est amanda, numerus binarius est par.* Quinimmò, ut aliqui Cartesij Alumni aduertunt, etiam res quasdam materiales in meote nos sepè habemus, quæ tamen prius nunquam fuerunt in sensu, ut corpus generatim, & prima illius attributa, videlicet extensio, divisibilitas, atquè mobilitas. Status enim unionis animæ cum corpore tollere non debet modum proprium operandi ipsius mentis humanæ, sicuti non tollit modum essendi definitivè in loco ipsi connaturalem. Modus autem proprius intelligendi Animæ rationalis est cum independentia à phantasmatum materialium concursu, quemadmodum independens est in essendo, quam Animæ independentiam, & spiritualitatem egiè intelligeremus, si penderet necessariò à corpore in operando, ut speculanti patebit.

Quòd si iuxtà primæ sententiæ Defensores argumentum nos soluere optes, dico tunc intellectum errare, quando sensus sunt impediti, quod si non impediantur tunc, cum nec sensus errare possint circà suum obiectum, nec quoquè errabit intellectus, sed de hoc infrà in Animastica, ubi inuestigabimus cum Cartesio, Gasendo, aliisquè an sensus infallibiles esse possint, & quando. Ex his tamen solutionibus, prima verior est, quam etiam insinuat Doctor illis verbis suprà relatis *dicendum quod tunc intellectus erraret, quandò in omnibus sequeretur sensus, non se avertendo à sensibus, ut iudicium fiat rationabile, quodsi se avertat à sensibus, optimè veritas invenitur.*

Obiicies secundò. Removeri debent illi habitus, ex quorum existentia sequitur in infinitum processus; atqui ex existentia habitus scientifici consequitur talis processus; ergò. Probatur minor. De ratione scientiæ est, quòd sit ex priori, & notiori, hoc insinuante natura demonstrationis; ergò illud prius, & notius scientificè haberi non poterit, nisi per aliud prius, & per aliud sibi notius, de quo priori, & notiori cum iterum haberi possit scientia, deberet quoquè per aliud prius, & notius haberi, & sic processus in infinitum in prioribus, & notioribus.

Hoc est argumentum, quo primo arguebant Academici, cui occurro, dicendo principia Conclusionis per se primò, & immediatè cognosci, non verò per alia, & hoc quia non habent alia se notiora. Processus siquidem in infinitum solùm apud illos sequitur, qui distinguere nesciunt per se nota à notis per aliud.

Obiicies tertio. Scientia non stat absque perceptione quidditatis rei, & essentiæ; sed intellectus humanus non sic percipit, sed solùm idolum rei, uti est species objectorum; ergo

Respondeo intellectum utiquè percipere idolum rei, idest speciem impressam, sed hanc percipere, tanquam rationem cognoscendi, ratio autem cognoscendi manu ducit etiam ad cognitionem rei quidditatiuam.

Ultimò arguebant alii hoc medio. Scientiæ sunt de rebus necessariis, & permanentibus, sed sensibilia non ita se habent, undè Augustinus ait *id, quod sensibile dicitur absquè ulla intermissione temporis commutari*; ergo.

Respondeo ex Doctore utiquè de singularibus nos scientiam habere non posse propter singularium transmutationem, tamen haberi posse de rationibus illis, quæ abstrahuntur intellectus beneficio. Alii tamen in hac re diversam sequentes viam dicunt singularitatem, & sensibilitatem obstare utiquè scientiæ perfectissimæ, & multum durantì, non verò ipsius rationi specificæ, cum de facto Deus, & Angeli scientiam habeant de singularibus, & quamplurimi de divina existentia scientiam habent, cùm tamen hæc singularis sit. Nec obstat ipsorum corruptibilitas, quia hæc est solùm physica, non verò metaphysica, sed circà hoc argumentum alia plura dicam in Theologiæ proœmialibus, quæ hic brevitate coarctanda non sunt, cùm ibi possint commodius si Dominus voluerit explicari.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum detur scientia de novo.*

Cum erubescerent nonnulli ex antiquis asserere homines veritates naturales scientificè non attingere, habitus scientifici existentiam

tiam affirmaverunt, non ita tamen, ut de novo adipiscatur, sed solùm reviviscat, cum prius consopitus esset. Errorem hunc antiquitus propugnaverunt Anaxagoras, Anaximander, Auicena, Arabes, & Plato *in Phed. lib.* 19. de quo hæc Augustinus: *Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse Animas Hominum, antequam corpora gererentur, & hinc esse, quòd ea, quæ discuntur, reminiscuntur, prius cognita, quàm cognoscantur nova; sed nos ab his erroribus abstinendo novam scientiarum acquisitionem ponimus: Alii verò ponebant Animas prius separatas existere, quàm corporibus uniantur, & ibi ex impressione idearum habere habitus scientiales, atque secum illos deferre in unione cum corpore, à corporis tamen umbratione impediri ab eorum usu usque dum Anima per eundem usum à corpore illud impedimentum auferat; quorum insaniam Saniori tamen intelligentia sic explicavit Boetius: cum mentem cernerem altam, singula novi; nunc membrorum fundita nube summam retinui, singula perdidi;*

Ab his erroribus nos hic recedimus, ponendo novam scientiarum acquisitionem, quam antequam ratione suadeamus, non incongruum erit prius advertere cùm Henrico in Summa *art.1.quæst.10.* cujus tota est hujus difficultatis solutio, multipliciter intellectum dici posse scientem. Primò nempè in actu, & hic sciendi modus evenit dum quis loquitur habitu scientifico dirigente. Secundò in desiderio, & est appetitus innatus residens in rationalibus viventibus in ordine ad sciendum. Tertiò in habitu, quòd contingit, dum quis habitu scientifico instructus est, quamuis actu ipso non utatur.

Secundò pariter est advertendum ignorantiam scientiæ oppositam duplicem esse, perfectam nimirum, & imperfectam, prior illa est, quæ privationem præsefert omnis actus scientifici, seu perfecti, siuè imperfecti. Posterior verò, quæ consortium alicujus actus scientifici admittit. Prima ab Henrico vocatur negationis, secunda verò dispositionis. His itaquè suppositis.

## CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Sententia affirmativa.*

THesis hæc Doctoris est, locis superius relatis. Est etiam Scoti in 1.*dist* 2.*quæst* 4. ubi resiliendo contra Henricum lumen medium asserit, *impossibile esse in nobis adesse habitum nobilissimum, & nobis ipsum latere*: Cùm his itaquè.

Ostenditur primò sic veritas proposita. Si intellectus in ordine ad Scientias sit in priori in pura ignorantia negationis, clarius in sola potentia ad ipsas, jam scientiæ propriè acquiruntur, non verò solùm excitantur; atqui intellectus re vera est in pura potentia ad ipsas; ergo. Probatur minor. Ità se habet in illo priori potentia intellectiua ad scientias, sicuti oculus, qui semper existerit in tenebris, atqui occulus hic in ordine ad visionem colorati, est in nuda potentia, vel cum sola activitate videndi; ergo etiam intellectus.

Ostenditur secundo. Ad illud quod convenit homini à natura non indigemus studio, & tempore, sed ad sciendum his omnibus indigemus; ergo à natura non scimus, sed in tempore noua acquisitione. Minor est Phylosophi *cap.1. Ethic.* docentis illud quod plurimum ex doctrina habet generationem, & augmentum experimento, & tempore indigere.

Ostenditur tertiò, & ultimò. Quod alicui speciei conuenit à natura, æqualiter inuenitur in omnibus ejus indiuiduis, ut patet in esse visibilis; sed scire non invenitur æqualiter in omnibus Hominibus; ergo.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta Contraria.*

MUltipliciter arguebant olim Platonis dementiæ propugnatores. Præcipue tamen consimili methodo. Nihil scit, nisi sciat, quòd quærebatur per actum scientiæ, sed si in priori ad scientiam nihil præsciret, nullatenus nosceret illud, quod quærit, non nosceret enim in priori ad scientiam, ut supponitur, non postquam invenit, quia si nesciebat, quod quærebat, nec habito sciet; ergo.

Secundò. Qui interrogatur de eo, quod nescit, nequit benè respondere, sed sæpè sæpius contingit imperitum, verbi gratia, in Geometria interrogatum de pluribus principiis, ac mox de pluribus Conclusionibus benè respondere; ergo ante omnem interrogationem, & instructionem scit principia, & conclusiones Geometricas.

Tertiò nihil movetur ad aliquod, nisi prius habeat aliquid de eo, quòd movetur; atqui addiscens movetur ad scientiam; ergo in priori debet aliquid habere de scientià. Et ratio totius est, quia incognita desiderare non possumus; ergo addiscens novit aliquid de eo, quod addiscere vult.

Respondeo ad scientiam præsuponi aliquam notitiam, quæ sit, vel notitia naturalis innata, vel notitia principiorum, & conclusionis confusa, & in generali, quæ neque est propriè innata, neque propriè acquisita, sed naturaliter acquisita, quià naturaliter adveniens, à qua notitia confusa oritur desiderium illud sciendi in particulari, & perfectè.

Ad secundum verò dico, quod interrogatus de principiis benè respondet, non quia antea sciverit principia, sed quia hæc sunt per se nota, interrogatus verò de Conclusionibus benè respondet, quia sciebat illas virtualiter in principiis. Per demonstrationem tamen procedit à scientia virtuali ad scientiam actualem conclusionis. Per quod patet ad reliqua.

Arguebant quartò. Virtus cognoscitiva sensitiva potest per se absquè omni acquisitione naturaliter in suas operationes sensitiuas tendere; ergo à fortiori intellectiua poterit tendere absque omni acquisitione in suas operationes sciendi. Probatur hęc Consequentia. Quoties aliquod est superius natura, & perfectione, tantò minoribus indiget; ergo, si sensitiva potest absquè omni acquisitione, poterit à fortiori intellectiva.

Huic argumento satisfacit Henricus, asserendo quòd non obstante indigentia habitus scientifici in ordine ad procedendum demonstrativè, adhuc optimè salvatur excessus in perfectione in virtute intellectiva, tum ex parte operationis, quia hæc est ipsa intellectio, quæ ex genere suo perfectior est qualibet operatione sensitiva, tum ex parte intellectus, quia operatur investigando, & inquirendo, tum quia intellectus, est natura, quæ operatur simplici intuitu statim, cùm ei offertur objectum absque omni discursu, de ipso judicando, quod non facit sensus solùm apprehendens. Sed

Dices. Potentia intellectiva est superior natura sensitiva; ergo paucioribus indiget in sua operatione, sed si indigeret habitu scientifico, hoc falsificaretur; ergo.

Respondeo distinguendo consequens; ergo paucioribus indiget in sua operatione, si consequatur eaodem perfectionem, concedo, si diversam, nego consequentiam. Tunc superius paucioribus indiget, quando idem bonum consequitur ac inferiùs, ut de facto Angelus paucioribus indiget ad sciendum quàm Homo. At quando acquirit sibi superius bonum perfectius, ut io casu de intellectiva in ordine ad sensitivam, tunc nullatenus inconveniens est, quòd superius indigeat pluribus io sua operatione, quàm inferius.

Ultimò tandem arguebant. Omnis potentia naturalis debet posse erumpere in suam operationem; sed potentia cognoscitiva in homine est potentia naturalis, ejusque operatio correspondens est scire, & intelligere; ergo. Major liquet. Qualis enim est potentia, talis debet esse actus correspondens potentiæ.

Confirmatur. Omne Animal contradistinctum à rationali ex perfectione suæ naturæ habet scientiam naturalem necessariam in regimine vitæ; ergo etiam Homo ex perfectione suæ naturæ debet naturaliter habere scientiam sibi necessariam ad regimen suæ vitæ, ut est omnis scientia sibi debita.

Respondet Henricus huic argumento dicendo intellectivam potentiam non esse naturalem respectu actus scientifici, & hoc, quia rationalis potestas valet ad opposita, cum in vestigatione errare possit; natura autem valet ad unum tantùm.

Ad confirmationem pariter respondet Doctor disparitatem assignando, quæ in eo consistit, quòd bruta, cùm non sint ornata ratione, habeantque naturam determinatam ad unum, atque egeant notitia aliquorum, quæ necessaria sunt ad regimen suæ vitæ, ideò natura dedit eis industrias illa naturaliter cognoscendi: At vivens rationale, cùm sit ratione ornatum, quæ potest opposita, & possit sibi providere de necessariis, ideò natura non impressit naturalem notitiam, ut per rationem, deindè diversimodè operari possit. Si enim per naturalem industriam operaretur, solùm uno modo ageret, ut de facto contingit io brutis.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum scientia, & opinio possint stare simul circa idem objectum materiale sub eadem formalitate.*

PRocedit hæc controversia, ut vides de objecto formali, & quærimus utrum intellectus circa ipsum simul habere possit scientiam, & opinionem. Certum enim est objectum induens plures formalitates simul percipi posse actu scientifico ratione unius formalitatis, & opinativo ratione alterius. In hoc autem sensu non unica est circa hanc difficultatem sententia. Nonnulli enim affirmant actus scientiæ, & opinionis incompossibiles esse. Ita Joannes à Sancto Thoma *quæst.* 26. *art.* 5. Complutenses *disp.* 20. *quæst* 4. *ad libros poster.* Gallego *controv.* 32. Ortiz. *tract.* 6 Magister Feriè *tractatu de Fide quæst.* 5. *§* 7. quibus adhæret Silvester Maurus ex Divo Thoma, qui pluribus in locis incompossibilitatem scientiæ, & opinionis indicat, præcipuè *tamen* 2. 2. *quæst* 1. *art.* 5. *ad* 4. ubi hæc habet *Quod de eodem secundùm idem non potest in uno homine esse simul scientiam, neque cum opinione, neque cum fide, alia tamen, & alia ratione: Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, quia de ratione scientiæ est, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione verò opinionis est per id, quod est opinatum; existimetur possibile aliter se habere;* unde miror, & nescio, quo jure Durandus, & Suarez doceant S. Doctorem stetisse pro sententia affirmativa. Nec obstat ea, quæ habentur in lib. Sententiarum *in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 2. *art.* 2. siquidem omnia explicari possunt cum Cajetano asserendo ibi Divum Thomam accipere opinionem impropriam, idest quatenus præcisè dicit cognitionem probabilem, quæ quamvis non pertingat ad evidentiam, tamen oon affert in exercitio formidinem.

Hanc sententiam Divi Thomæ sustinent, ut Scoti germanam Scotistæ ferè omnes, quibusdam paucis exceptis, ut refert Mastrius, quam esse sui Doctoris colligit *ex* 3. *dist.* 24. *ad* 3. illis verbis. *Si aliquis habeat primam opinionem de aliquo, & superveniat demonstratio, corrumpitur opinio.* Hanc etiam sequuntur ex Societate Paulus Vallius *Tomo* 2 *disp.* 4 *part quinta, quæst.* 7. *cap.* 8. Petrus Fonseca *in metaph. sect* 5. & novissimè Eminentiss. Cardinalis Joannes Ptolomeus *dissert.* 36. *sect.* 1.

Secunda sententia illa est, quæ ex diametro primæ opponitur, cui militant ferè omnes Patres Societatis, & præcipuè Joannes Baptista Giattini in Collegio Romano Philosophiæ ter olim Professor, Silvester Maurus *Tomo primo de scientia, & opinione cap.* 24 Collegium Conimbricense *Tomo* 1. *quæst.* 2. *art* 2. Franciscus Malpartidensis sacræ Theologiæ professor in Collegio Complutensi *disp.* 16. *sect* 1. *tom.* 4. Franciscus Toletus *in lib.* 3. *de Anima cap.* 4. Gabriel Beatus *cap.* 8. *tom.* 1. Comptonius *disp.* 50. *logicæ in libros Topic. sect.* 1. *&* 2 Molina 1. *part. quæst.* 1. *art.* 1. *dist* 2. Richardus Lynceus *lib.* 7. *metaph. tract.* 12. Suarez *de fide disp.* 3. *sect.* 9 Valentia, Urtado 10. *de Anima sect.* 5. Tannerus *disp.* 1. *de fide*, Arriaga *disp.* 6. *de Anima*, Georgius de Rhodes *lib.* 2. *disp.* 18. *quæst.* 2. *sect.* 4. Sebastianus Izquierdo *disp.* 11 *quæst.* 2. Cosmus Alamanius *quæst.* 36. *art.* 2. Ioseph Polizzius Siculus Platiensis *tom.* 3. *tract unico de Anima disp.* 22 Quiros *tract.* 2 *part.* 6. *disp.* 36. Oviedo *controv.* 5. *de Anima puncto* 3. Andreas Semerii *disp.* 7. *quæst.* 5. *in logica*, Benedictus de Benedictis, & alii.

Primam sententiam ex his duabus eligimus defendere, nedum quia Angelico, & subtili conformis est, verum præcipuè, quia est juxta mentem Henrici pluribus in locis ipsam insinuantis, sed maximè loco in quæstione sequenti afferendo, ubi hæc lego. *Opponuntur ergo scientia, & opinio, non solùm sicuti contraria, quæ possunt habere scilicet obscurum, & clarum, sed sicuti contradictoria, inter quæ non est medium, scilicet ut possibile aliter se habeat, & non possibiliter aliter se habere* ex quibus patet falsò Comptonium referre Doctorem pro sua sententia.

### CAPUT PRIMUM.

*Henrici, Scoti, Divi Thomæ sententia rationibus ostenditur.*

REpugnare inter se scientiam, & opinionem adesse simul circa idem objectum formale, si scientia, & opinio in sua propria natura sumantur, ut revera accipimus hic nedum Divi Thomæ, Scoti, Henrici sententia est, verùm etiam Philosophi, ex quibus omnibus positum assertum sic ostendo. Ea, quæ habent prædicata repugnantia, & opponuntur inter se privativè, ut visus, & cæcitas, nequeunt esse simul in eodem subjecto, sed ita se habent actus scientiæ, & opinionis circa eandem con-

concluſionem, ergo unitl non poterunt in eodem intellectu. Probatur minor, tum quia de ratione ſcientiæ eſt certitudo, ſeu firma adhæſio intellectus ſuo intelligibiii, de conceptu verò opinionis eſt formido partis contrariæ; ſed formido eſsentialiter importat carentiam certitudinis; qui enim formidat non eſt certus, aliàs non eſset cur formidinem ſubiret; ergo opinio, & ſcientia opponuntur privativè.

Confirmatur. Repugnat intellectum ſimul de eodem objecto judicare, quod non poſſit aliter ſe habere, & quod poſſit aliter ſe habere; ergo repugnat ſcientiam, & opinionem poſse ſtare ſimul. Antecedens eſt certum ex Philoſopho *lib. 1. poſter. cap.* 26. ubi hæc habet. *Ex his autem emergit fieri non poſſe, ut ſimul idem opinetur quiſquam, ac ſciat, quia ſimul exiſtimationem habere, & aliter, & non aliter ita ſeſe habere, quod quidem fieri nequit.* Probatur itaque Conſequentia. Per actum ſcientiæ intellectus judicat, quod objectum non poſſit aliter, & aliter ſe habere, per actum verò opinionis judicat, quod poſſit aliter ſe habere, ut patet ex eodem Philoſopho, qui definiens opinionem aſſeruit, *quod ſit actus ita aſſentiens objecto, ut dicat poſſe aliter, & aliter ſe habere, & fortaſsè aliter ſe habet*; ergo.

His argumentis variè reſpondent Auctores Contrariæ Sententiæ. Et primò reſpondet Quiros *tract.* 2. *part.* 6. impotentiam ad aſſenſum opinionis in præſentia ſcientiæ non eſſe in genere cauſæ formalis intrinſecæ, ſed ex incapacitate ſubjecti ad eliciendum alium aſſenſum obſcurum, & incertum, dum abſorbetur, quaſi totum in evidenti, quæ impotentia tolli poteſt, ſi præparetur fortior concurſus, ſeu ſi motivum opinionis roboretur per Dei potentiam ad determinandum ad aſſenſum, ſicuti eſto cognitio contingens non ducat ad amorem neceſſarium vi ſua, poteſt tamen Deo determinante hoc evenire.

Reſpondet ſecundò Spinula cum aliis: opinionem importare ſolam formidinem radicalem, vel potentiam ad dubitandum, quantùm eſt ex vi actus opinativi, vi cuius cum non certioretur intellectus de obiecto, ipſi locus relinquitur ad dubitandum. Opinio enim dubium formale actuale importare nequit, quià hoc eſt ſola actus ſuſpenſio, quando opinio eſt formaliter aſſenſus, quamuis non imperturbabilis, & certus. Srd

Contrà eſt. Rationes enim allatæ, quas non valuit intelligere Quiros, ut bene reſponderet, oſtendunt impotentiam eſſe in genere cauſæ formalis intrinſecæ, cum repugnantiam ſuadeant ex intrinſecis ſcientiæ, & opinionis Sed nihilominus hoc omiſſo interrogo propugnantes doctrinam huius Auctoris. Dum aduenit fortior concurſus, vi cuius roboratur motiuum opinionis, vel tale motiuum adhuc fluctuat, vel non, ſed potius firmitatem acquirit. Si primum dicas recurrit argumentum, ſi ſecundum ſumus extrà quæſtionem.

Contrà ſecundam verò ſolutionem dò libenter diverſam eſse formidinem radicalem ab actuali, ipſamquè diverſitatem optimè deduci ex doctrina, quam tradit in hac ſua ſolutione Auctor hic egreggius; ſed id, quod aduerto eſt primam formidinem non inveniri in actu opinatiuo, ſi revera ſit opinatiuus ſeparatam à ſecunda, & hoc quia per actum opinatiuum nedum intellectus poteſt dubitare, quecumquæ modo deindè explicetur hæc potentia, ſed etiam actualiter dubitat, quod patet nedum ex doctrina ſuperius allata, & deducta ex textu Diui Thomæ, verùm etiam ex ipſa ratione Philoſophica conſiſtente, vel in paritate actus ſcientifici cum opinatiuo, quorum primus actualem importat certitudinem, ſed etiam quia potentia ad dubitandum eſt ſolùm propria habitus opinativi, cui correſpondet, actuum vero opinionis eſt actualis formido. Actus enim, cum ſit potentiæ exercitium conſtitui debet per prædicatum actualitatem importans, uti eſt formido actualis, cum qua ſtat ſimul quòd opinatiuus actus ſit aſſenſus, quia hìc eſt veluti gradus genericus communicabilis opinioni, & ſcientiæ. Per utrumquè enim actum intellectus ſuo modo aſſentitur.

Reſpondet tertiò Pater Ariaga ommitti poſſe opinionem importare actualem formidinem, tam ratione ſui, quam intellectus, dumodo in intellectu non ſit alia cognitio certa de eodem objecto. Si enim adſit certa cognitio, jam in Intellectu non eſt capacitas ad formidandum, ubi autem incapacitas eſt, forma effectum ſuum tribuere nequit, ut egregiè patet in ipſa gratia ſanctificante humanitati Chriſti collata, cui non tribuit effectum formalem conſtituendi Filium Dei adoptiuum ob ipſius incapacitatem.

Contrà eſt, nam dum dicimus, quod formido actualis connectitur cum opinione, dum in intellectu non eſt alia cognitio certa de objecto opinatiuo cognito, vel ità connectitur cum opinione, ut ſit eſſentia opinionis, vel non. Si primum; ergo ſi in conſortio ſcientiæ ſtat actus opinionis, ſtare debet etiam in ipſius conſortio actualis formido; vel ſi non ſtat actualis formido, nec ſtabit ipſa opinio, cùm eſſe nequeat conſtitutum abſquè conſtitutivo. Si vero ſecundùm dicant, contrà eſt, & primò inſtare poſſumus paritate ſcientiæ actualis, de cujus ratione, cum ſit importare actualem certitudinem, erit quoque de ratione actualis opinionis dicere actualem incertitudinem; ergo ſi ſcientia impedit actualem formidinem, profectò impedit ſimultatem. Secundò quia medium opinatiuum non impedit medium ſcientificum, ne influat; ergo nec pariter ſcientificum impediet opinatiuum, ne influat. Non enim eſt potior ratio de uno quam de alio. Tertiò quia inintelligibile eſt, quod detur judicium opinatiuum impedito medio opinatiuo, ne influat, ſicuti inintelligibile eſt, quod detur iudicium ſcientificum impedito medio ſcientifico, ne influat; ergo medium opinatiuum, influere debebit in opinionem; ergo ſi in conſortio datur medium opinatiuum, hoc neceſſario influet in actum opinatiuum, nec obſtat paritas gratiæ Sanctificantis, ideo enim hæc communicari poteſt alicui, quin tribuat eſſe Filium Dei adoptiuum, quia hìc effectus eſt ſecundarius; primarius enim eſt humanitatem ipſam Sanctificare, effectus autem ſecundarius ſeparari poteſt à forma; at incertitudo actualis effectus primarius eſt actus opinativi, vel ejuſdem eſſentiam, adeoque ab ipſo inſeparabilis. Sed

Inſtabis in hypoſtaſi diuina: conceptus perſonalitatis eſt conceptus primarius, & tamen communicari poteſt, quin comunicet eſſe perſonale, ut in caſu, quo verbum irrationalem naturam aſſumeret propter ejuſdem incapacitatem; ergo à pari eſto actualis formido ſit effectus primarius comunicari poterit Intellectui, quin refundat actualem incertitudinem quod contingeret in hipotheſi quod adveniret Intellectui jam actu ſcientiæ inſtructo propter ejuſdem incapacitatem. Sed

Contrà eſt, hac enim inſtantia ſolùm conuincitur actum illum opinatiuum intellectui non poſſe tribuere actualem incertitudinem, ſicuti denomina-

tionem

tionem personæ tribuere non posse diuinam hypostasim naturæ irrationali communicatam, non verò quòd ipsa ratione sui actuali formidine careat, sicuti hypostasis non caret identitate personalitatis, ergo jam ipsi actus Intellectus, saltem ratione sui, erunt incompossibiles circa idem objectum. Quinimmò addo, huic inhærendo solutioni, duo obtineri, primò videlicet quòd sint secundùm se incompossibiles. Secundò verò quòd sint incompossibiles comparatiuè ad intellectum, cùm fateantur aduersarii incapacitatem Intellectus ad dubitandum in consortio Scientiæ, sicuti subsistentia diuina incapax est personalizandi in consortio naturæ irrationalis.

Respondent quartò alii, inter quos Siluester Maurus, intellectum, quamuis nequeat assentiri obiecto immobiliter, & mobiliter cum certitudine, & incertitudine per idem medium, posse tamen per diuersa media, ità ut per unum medium cum formidine assentiatur, per aliud verò cum actuali certitudine. Hoc autem esse compossibile experientia constat, & ratione, experientia quidem, quià de factò circà Dei existentiam habemus scientiam ratione ordinis uniuersi, opinionem verò, quià id docuerunt antiqui Phylosofi. Ratione tandem, quia diversa media ex genere suo tollunt quamlibet repugnantiam, quæ afferri possit. Sed

Contrà est, & in primis scio & ego impossiblem esse scientiam, & opinionem secundùm idem medium, cùm repugnet eumdem syllogismum simul esse demonstratiuum, & topicum, simulquè scientificum, & opinatiuum ex eodem medio, atquè controversiam totam esse respectiuè ad diuersa media. At quod aduerto est, diuersitatem mediorum non tollere repugnantiam; sed potius causare. Patet hoc, quia medium scientificum causat actualem certitudinem, oppinatiuum verò carentiam certitudinis, actualis autem certitudo, ejusque carentia priuatiuè opponuntur. Secundò quia quamvis omnes effectus repugnantes ex diversis causis naturaliter loquendo proueniant, nihilominus adhuc opponuntur inter se, ut patet in luce, & tenebris, actu scientifico, & actu erroneo, & hoc quia diversa efficientia non tollunt, sed potius causant repugnantiam, ergo etiam in casu diversa media non tollent repugnantiam. Tertiò quia ut optimè aduertunt Patres Complutenses, licèt intellectus feratur in aliquam propositionem per diversa media, in ipso tamen consequenti assentitur illi absolutè acceptæ, & non prout præcontinetur in medio, seu causa; sed repugnat intellectum absolutè judicare, quod idem prædicatum contingenter conveniat subiecto, & non contingenter conveniat, sed necessariò; ergo nequè per diversa media potest intellectus simul assentiri scientificè, & opinatiuè eidem propositioni.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Arguunt primò aduersarii. De ratione opinionis non est quòd det intellectui actualem incertitudinem, sed solùm quòd ipse non det certitudinem, seù non est de ratione opinionis expellere certitudinem, sed solùm quòd non det certitudinem, sicuti de ratione coloris non est expellere à lacte saporem, sed solùm illum non dare; ergo stare simul poterunt scientia, & opinio.

Confirmatur primò. Opinio de formali dicit assensum; ergo non potest dicere formidinem. Antecedens est certum. Probatur Consequentia. Formido non est assensus, sed potius recessus ab obiecto, quæ licèt non sit suspensio actus, ut est dubium, est tamen quidam timor, & veluti quædam simplex recessio ab obiecto, cui tamen intellectus per opinionem accedit. sanè enim intellectum. Formidare est intellectum affici aliquo modo motivis adductis pro parte opposita. Opinio enim solùm portat motiua pro se; ergò intellectus vi opinionis de formali motiuis pro parte opposita non afficitur, ac proindè vi illius non formidat.

Confirmatur secundò. Assensus opinionis potest naturaliter dari absquè ullo dubio actuali. Potest enim esse actus erroneus absquè ullo dubio, ut in heretico contingit credente sua figmenta, & pro illis moti parato; ergo multò magis poterit dari actus opinatiuus absque dubio actuali. Sicuti enim firmiter quis adhæret errori, cur etiam non poterit adhærere opinioni præsertim, si aliqua inani specie deceptus, illam existimet esse cognitionem certam, & evidentem, ut multoties contingit.

Confirmatur terriò, quia si opinio secum ferret semper naturaliter actuale dubium, non posset Catholicus sibi persuadere mysteria, quæ credit aliqua ratione opinativa, quia si catholicus assentiatur ratione opinatiuæ probanti Deum exempli gratia esse trinum, & unum, habebit naturaliter actuale dubium de hac veritate, quòd Deus sit unus, & trinus; sed catholicus non potest actualiter dubitare de obiecto fidei, absque fidei omissione, ut benè Chrisostomus *fidem tam perdiderunt, qui in ea vacillant*; ergò catholicus non posset operari circa fidei misteria absque eo quod fidem ammiteret; ergo opinio neque de formali dubium formale est, neque dubium formale secum compatitur.

Confirmatur quartò. Motiuum fallibile cognitum ut infallibile non dicit actualem incertitudinem seù formidinem, ergò saltem poterit stare simul cum motiuo scientifico. Pobatur Antecedens. Licet assentiri rebus fidei propter motiuum fallibile existimatum ut infallibile; sed si tale motiuum sic apprehensum refunderet actualem formidinem, hoc non liceret, quemadmodum non licet assentiri rebus fidei cum formidine, si aduertamus esse res fidei; ergò.

Confirmatur quintò. Motiuum opinionis iuuat certitudinem scientiæ: Sciens enim quis per demonstrationem tres angulos trianguli esse æquales duobus rectis, juuari potest ad talem certitudinem habendam per testimonium *Francisci Descales, Christofori Sturmii, vel Gasparis Seboti*, aut *Andreæ Tacquet* hoc idem testantium; sed hoc testimonium est motiuum purè probabile; ergo opinio iuvare potest scientiam.

Respondeo negando utrumquè Antecedens. De ratione enim opinionis est dare intellectui actualem incertitudinem, ut superius jam probatum est, & rursus hac paritate probatur. De ratione scientiæ est dare intellectui certitudinem actualem, & non tantùm radicalem; ergo de ratione opinionis est dare eidem incertitudinem actualem, & non tantùm radicalem. Antecedens concedunt Adverfarii. Consequentia fit evidens, quia ideo de ratione scientiæ est dare certitudinem actualem, quia de ratione ipsius est inniti motivo infallibili; atqui de ratione opinionis est inniti motiuo fallibili; ergo de ipsius ratione est tribuere intellectui actualem incertitudinem. Paritas autem in argumento insinuata non urget. Color enim nihil importat incompossibile

ſibile cum ſapore. At ſcientia præſefert prædicatum aliquod incompoſſibile cum opinione, videlicet certitudinem.

Prima autem confirmatio jam fuit ſuperius ſoluta, dum doctrinam Spinulæ reprobavimus. Nunc addo falſam eſſe opinionem non importare aſſenſum, etſi formidinem actualem includat, ſiquidem formido non eſt ſimpliciter, & abſoluta receſſio ab objecto, ſed ſolùm cum addito diminuente, ſcilicèt per infallibilem adhæſionem; ſuo enim modo etiam ipſa ad objectum accedit. Nec verum eſt intellectum formidare, eſſe ipſum affici motivis pro parte oppoſita, ſiquidem motiuum formidandi, eſt motivum proprium, non alienum, niſi dicere velimus motiva afferre pro parte oppoſita, non tamen eo modo, quo aſſeruntur à ſcientia.

Secunda verò confirmatio ſolùm probat actum opinariuum inveniri poſſe cum certitudine morali, ut in caſu relato contingeret, non verò cum carentia incertitudinis metaphyſicæ. Hæc enim inſeparabiliter convenit actui opinativo ex ſuo motivo fallibili. Vel aliter dicere poſſum Theſim eſſe poſitam reſpectiuè ad opinionem etiam ſubjectivè incertam, de qua non procedit argumentum.

Ad tertiam Confirmationem concedo libentiſſimè ſequelam, videlicet Catholicum ſalua fide non poſſe ſibi perſuadere Fidei myſteria per actus, qui revera ſint opinativi, & hoc quia, ut in ipſa innuitur aſſentiri non poſſumus cum actuali dubio fidei divinæ myſteriis. Equivocat ergo Spinula in intelligentia hujus propoſitionis: *Catholicus poteſt ſibi perſuadere myſteria, quæ credit, aliqua ratione opinativa* cùm nomine rationis opinatiuæ intelligat opinionem, cùm potius hujus nomine intelligere deberet rationem aliquam probabilem, vel moraliter certam.

Ad quartam dico motiuum fallibile apprehenſum, ut infallibile revera dicere actualem incertitudinem in ſe, quamuis nec motiuum, nec actus innixus ſuprà illud, apprehendantur cum formidine. Non obſtante tamen hac actuali incertitudine licitum eſt per tale motivum aſſentiri, quia videlicet motiuum ut fallibile non apparet, ſed ut infallibile in exiſtimatione. In moralibus autem valde conducit exiſtimatio ad valorem, & ad reddendum licitum actum, quapropter, ſi quis invincibiliter crederet ſacrum eſſe prohibitum tempore feſtiuo, & nihilominus ipſum audiret, auditio quamuis bona ex objecto, peccaminoſa eſſet.

Ultima tandem ſoluitur dicendo, quòd atteſtatio illorum præciſe ut hominum, nequit juuare ſcientiam, ſed ſolùm ſi ſit illorum atteſtatio, ut ſunt Doctores ſcientifici in tali re, in quo caſu illa atteſtatio certa eſt, & infallibilis, cùm à ſcientia profluat.

Arguunt ſecundò. Actus contrarii circà idem objectum poſſunt eſſe ſimul in eadem voluntate; ergo etiam actus opinionis, & ſcientiæ in intellectu. Conſequentia patet, quia iſti actus non opponuntur inter ſe privatiuè, & contradictoriè cùm uterque ſit actus poſitiuus, nec ex parte objecti contradictoriè ſe habent, cùm quilibet ſit affirmatio ejuſdem veritatis. Antecedens itaquè oſtenditur in ipſa Chriſti voluntate, quæ ſimul afficiebatur lætitia, & triſtitia circa ſuam paſſionem.

Confirmatur. Actus liber, & neceſſarius regulati per diverſa lumina de facto ſtant ſimul circa idem objectum, ut patet in Chriſto, qui ſimul liberè, & neceſſariò Deum diligebat ex duplici lumine ſcientiæ beatæ, & infuſæ; ergo etiam actus ſcientiæ, & opinionis poterunt ſtare ſimul per diverſa media circa idem objectum formale. Conſequentia patet paritate rationis.

Reſpondeo, negando Antecedens, ad cujus probationem dico, quòd motus contrarii in Chriſto non verſabantur circa idem objectum formale, ſed circa diverſum, ſiquidem lætabatur Chriſtus de ſua paſſione, quatenus erat propter generis humani redemptionem, triſtabatur verò de ea, quatenus erat malum naturæ. Sic communiter reſpondent Thomiſtæ omnes excepto Magiſtro Cano negante tempore paſſionis in Chriſto fuiſſe gaudium, ut in ejus anima daretur locus ſummæ triſtitiæ. Ex his tamen ſolutionibus priorem ſequimur, quam Henricus *quodlib* 8. *quæſt* 7. exhibet ſub his verbis. *Sic ergo in Chriſto ſimul erant in eodem gaudium, & triſtitia reſpectu diverſorum, gaudium à ſuperiori bono, & triſtitia ab interiori malo, & gaudium principaliter in ſuperiori animæ portione rationis, & per conſequens in ſuperiori, & in vi rationali ſecundùm portionem inferiorem, & in totam ſubſtantiam animæ.... Gaudium non eſt anima, ut in portione niſi ut portio ſuperior, ſimiliter neque triſtitia, niſi ut portio inferior.*

Ad confirmationem reſpondet Magiſter Paulus Cavinus Thomiſta, relatos actus non fuiſſe circa idem objectum formale, ſed diverſum. Actus enim amoris liber verſabatur circa Deum ut connexum cum bonis extrinſecis. Actus verò neceſſarius ad Deum erat, ſed ut connexum cum bonis intrinſecis.

Arguit tertiò Illuſtriſſimus Spinula. Eo prorſus modo poſſunt eſſe ſimul ſcientia, & opinio, quo de eodem objecto poſſunt eſſe ſimul cognitio vera, & falſa; ſed de eodem objecto materiali poſſunt eſſe ſimul cognitio vera, & falſa; ergo. Major eſt Philoſophi equiparantis ſcientiam, & opinionem cognitioni veræ, & falſæ *primò poſteriorum cap. ultim.* illis verbis *Ejuſdem verò ſcientia, & opinio omninò non eſt, ſed quodammodo, & falſa, & vera ejuſdem quodammodo ſunt.* Probatur itaq; minor. Habeat quis ſyllogiſmum in mente.

*Omne quod eſt animal, quia ſentit ideò eſt animal, quia brutum*

*Sed Petrus eſt animal, quia ſentit; ergo Petrus eſt animal, quia eſt brutum.*

Eodem tempore, quo elicitur Concluſio ſunt etiam præmiſſæ, vel minor ad ſummum, ut concedunt omnes; ergo eſt ſimul cognitio vera, & falſa. Minor enim eſt vera, & concluſio eſt falſa, tamen ſunt de eodem objecto materiali, nimirum quod Petrus ſit Animal, licèt ex diverſo motivo; ergo ex diverſis motivis poterunt dari duo actus ſimul de eodem objecto materiali, quorum alter ſit verus, alter verò falſus; ergo multò magis dari poterunt ſcientia, & opinio.

Reſpondeo omiſſa majori, negando minorem, ad cujus probationem dico, quòd in hypotheſi actus verus, & falſus eſſent quidem de eodem objecto materiali, ſed non eſſent de eodem objecto, formali, circa quod aliunde tota devolvitur præſens controverſia. Hoc autem patet, ſiquidem in minori aſſerit arguens, quòd Petrus ſit Animal, quia ſentit, in conſequentia verò, quòd ſit animal, quia eſt brutum, quod eſt aſſerere Petrum eſſe animal ſecundùm aliam, & aliam rationem formalem.

Arguit quartò, & ultimò idem Illuſtriſs. Poteſt dari in mente hic ſyllogiſmus

*Omnis intellectio, quæ dependet ab intellectu meo, quia producitur; Ideo dependet, quia per ſe eſſentialiter producitur*

*Sed intellectio mea dependet ab intellectu meo, quia producitur*
*Ergo intellectio mea dependet ab intellectu meo, quia per se essentialiter producitur.*

Omnes isti actus debent esse simul in eodem instanti, vel ad summum minor cum conclusione; ergo simul in eodem intellectu erit scientia cum opinione de eodem objecto. Patet hæc consequentia, quia quòd intellectio dependeat à meo intellectu, in minori cognoscitur per scientiam, minor est enim propositio certa, & evidens, in conclusione verò per opinionem, quia quòd intellectio essentialiter dependeat, quæ essentialis dependentia est motivum hujus veritatis in conclusione, est opinio.

Sicuti do libenter præconceptionem syllogismi in argumento allati, ita nego ex tali suppositione in intellectu sequi coexistentiam actuum scientiæ, & opinionis circa idem objectum formale; sicuti enim in minori evidenter cognoscimus, quòd intellectio mea dependet ab intellectu meo, quia producitur ab eodem, ita evidens est, quod intellectio essentialiter dependeat ab intellectu, cùm quilibet effectus vitalis essentialiter pendeat à principio vitali. Si enim per actum opinativum cognoscerem intellectionem essentialiter dependere ab intellectu, jam cum certitudine, & evidentia minor propositio innotescere non posset, quia si certum non est, quòd intellectio, ut sic essentialiter non dependeat ab intellectu, ut sic, nec certum erit, quòd mea intellectio essentialiter dependeat à meo intellectu.

Arguunt quintò alii. Fides divina stare potest simul cum opinione, ergo etiam scientia poterit stare simul cum actu opinativo. Consequentia certissima est. Repugnantia enim eadem est, & viget in utroque casu. Probatur itaque Antecedens. Definiente Ecclesia aliquam veritatem, de qua prius erat opinio, si quis credat hanc veritatem ex vi definitionis Ecclesiæ, non amittit opinionem de illa veritate; ergo habebit simul opinionem, & fidem. Probatur Antecedens. Assensus fidei ex vi definitionis Ecclesiæ circa aliquam veritatem non tollit opinionem de veritate opposita; ergo multò minus tollit opinionem de eadem veritate, quæ definitur. Consequentia videtur bona, nam fides de una veritate magis pugnat cum opinione de veritate opposita, quam cum opinione de eadem veritate, quæ creditur, & consequenter si fides non tollit opinionem de veritate opposita, multò minus de eadem veritate, quæ creditur. Probatur itaque Antecedens. Tamdiù quis opinari potest de aliqua veritate, quamdiù rationes illam probantes insolutas habet; sed non obstante Ecclesiæ definitione, & assensu præstito ex vi talis definitionis, ille, qui credit, insolutas habet rationes probantes veritatem oppositam; ergo adhuc de illa opinari potest.

Respondetur negando utrumque Antecedens. Ad secundi autem probationem distinguo minorem. Tamdiù quis opinari potest de aliqua veritate, quamdiù rationes illam probantes insolutas habet tàm directè, quàm indirectè, tàm immediatè, quàm mediatè, concedo majorem, directè tantùm, & immediatè, nego majorem, & distinguo minorem; sed non obstante definitione Ecclesiæ, & assensu præstito ex vi talis definitionis, rationes probantes veritatem oppositam insolutas habet directè, & immediatè, concedo, indirectè, & mediatè nego minorem, & Consequentiam. Qui enim credit aliquam veritatem ex vi definitionis Ecclesiæ, ita credit illam, ut oppositum judicet apparatuse falsitatem ipsi Ecclesiæ, & ab ea evidenter solutas fuisse rationes omnes illud probantes. Qui autem habet hoc judicium de rationibus probantibus oppositum definitioni Ecclesiæ, jam solutas habet omnes illas, non quidem apud se, & immediatè, sed apud Ecclesiam, & mediatè, cujus judicium infallibile judicat, & ideò non amplius opinari potest de veritate opposita.

Arguunt tandem ultimò. Habitus opinionis, & scientiæ possunt esse simul; ergò etiam actus. Consequentia liquet. Non enim minus pugnat intellectum esse habitualiter incertum, & habitualiter certum, quam esse actualiter. Probatur itaquè Antecedens. Actus scientiæ componitur cum habitu opinionis, sicuti componi potest cum vehementi intemperantia habitus temperantiæ; ergò etiam habitus scientiæ cum habitu opinionis, cùm omnis actus necessariò producat habitum.

Huic argumento non unica est solutio apud Auctores. Thomistæ etiam inter habitus scientiæ, & opinionis volentes adesse repugnantiam in ipsorum simultate negant Antecedens, ad cuius probationem dicunt habitum scientiæ excludere solùm opinionis alterum, si perfectus sit, & perfectè intellectum informet, cuiusmodi certè cùm non sit sæpè sæpius una tantum demonstratio, nil mirum est, quod hæc sit compossibilis cum opinione habituali, sicuti cum fide lumen gloriæ Paulo collatum per modum transeuntis. In Heorici tamen sententia, cùm non dentur habitus opinativi ob certitudinis carentiam, ideo argumentum innititur falso supposito.

## QUÆSTIO ULTIMA.

*Utrum actus scientiæ abstractivæ, & fidei sint incompossibiles.*

ANtequam Controversia hæc dirimatur quam plura præmittenda sunt, & primò pro certò tenendum est, quòd fides divina accipi potest, vel quo ad actum, vel quo ad habitum. Priori modo inspectam primo definivit Apostolus in epistola ad Hæbreos illis verbis: *Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, secundò verò Doctor solemnis *quodlib*: 8. *quæst.* 14. aliam tradidit actus fidei notitiam illis verbis *Credere autem est veritati alicui us complexi propter auctoritatem divinam propositis signis, prodigiis, cæterisquè huius modi confirmatam voluntariè per intellectum adhærere*, in qua quemadmodum explicatur fidei supernaturalitas, ità simul etiam eiusdem libertas, dum affirmat Doctor, quod *sit assensus non apparentium*; Intellectus enim circà ea, quæ non apparent adhærere solùm potest ex voluntatis imperio. Quo ad habitum verò definiri potest cum eodem Henrico dicendo, quòd *sit habitus supernaturalis infusus inclinans ad voluntariè per intellectum adhærendum veritati alicuius Complexi propter auctoritatem Dei proponentis signis, & prodigiis, cæterisquè huiusmodi confirmatam*; *vel brevius* cum Divo Thoma *quæst.* 4 *de fide*, quòd sit *habitus mentis, quo incohatur vita æterna in nobis, faciens assentiri non apparentibus*. Ex his definitionibus aliqualem difficultatem habuerunt aliqui in approbatione illius Divi Pauli hac unica fieri ratione, quià talis definitio non omnibus actibus fidei convenit. Quamplura enim credimus, & quidem fide divina, quæ tamen non speramus, ut sunt omnes actus, quibus credimus Infernum Purgatorium, mortem, Iudicium, Christum in Eucha-

charitatis, ejusdem Passionem, & Mortem.

Sed hæc sunt parvi roboris pro dictæ definitionis proscriptione, ut optimè advertit ex nostris Illustrissimus Lodigerius in suo tractatu de Fide. Talis enim definitio taliter assumenda est, ut sensus non sit, quòd omnis actus Fidei esse debeat assensus rerum sperandarum, sed solùm earumdem fundamentum, cujusmodi certè sunt actus fidei superius relati, qui suo modo ordinantur ad Deum primum credibile. Quamplures enim ex dictis sunt actus, quibus credimus Deum, ut manifestatiuum divinæ justitiæ, vel alterius attributi, qui benè possunt inchoare spem intuitiuè videndi tale attributum.

Præsuponendum est secundò objecta credibilia in duplici specie existere. Quædam enim sunt simpliciter, & absolutè credibilia, ut est Deum esse Trinum, quia omninò excedit naturalis rationis intelligentiam. Alia verò sunt secundum quid credibilia, ut quæ omninò eamdem non excedant inuestigationem, sed lumine naturali, variisque rationibus cognosci, & sciri possunt, ut est Deum esse unum, incorporeum, simplicem, nedum per exclusionem materiæ physicæ, sed etiam metaphysicæ.

Hanc autem divisionem objecti in simpliciter, & secundum quid credibile agnouit etiam Henricus *art. 13. quæst. 7.* ut optimè aduertunt Henricistæ. Agnovit etiam Diuus Thomas *art 9 de Fide quæst. 14.* illis verbis: *Sciendum quod aliquod est credibile dupliciter. Uno modo simpliciter, quod scilicet excedit facultatem omnium hominum in statu viæ existentium, sicuti Deum esse Trinum, & Hujusmodi, & de his est impossibile ab aliquo Homine scientiam haberi; sed quilibet fidelis assentitur hujusmodi propter testimonium Dei, cui hæc sunt præsto, & cognita. Aliquid verò est credibile non simpliciter, sed respectu alicujus, quod quidem non excedit facultatem omnium hominum, sed aliquorum tantùm, sicuti illa, quæ de Deo demonstrativè sciri possunt ut Deum esse unum, aut incorporeum*: Hic autem sermo est non de objectis simpliciter credibilibus. Certum enim est de his scientiam haberi non posse, cùm omnium hominum facultatem excedat.

Præsuponendum est tertiò sermonem hic non esse de scientia intuitiva. Hæc enim cùm importet evidentiam intuitivam, & objecti præsentiam physicam immediatam, ità ut objectum per se ipsum evadat præsens, jam hac stante non est amplius locus fidei erumpendi in suos actus. Quapropter optimè Apostolus docuit, quòd in Patria ex tribus virtutibus infusis sola Charitas remaneat reliquis deficientibus, cùm cesset eorum objectum formale motiuum, ut patebit in materia de fide. His itaque suppositis.

Sciendum est duplicem adesse in hac difficultate sententiam. Prima est negatiua, quam sequuntur Thomistæ, & præcipuè Complutenses *disp. 20. quæst. 4.* in Logica, Bannez, Medina, Caietanus, Ioannes à Sancto Thoma *quæst. 26. art. 5.* Magister Vincentius Ferre in *tract. de fide quæst. 5.* ex Diuo Thoma in quæstionibus disputatis, ubi de fide *quæst 14. art. 9.*

Sequuntur etiam Scotistæ Mastrius Ioannes Boyvin *in 3 parte logicæ quæst 7.* Conclusione prima, Dupasquiet, ex Scoto *in 3. quæst. 1.* & *dist 24. quæst. 12.* quibus omnibus adhærent Molina, Esparza *quæst. 23.* Syluester Maurus *lib. 7.* de Ineuidentia creditorum *quæst. 83.*

Eminentiss. de Aguirre *tom. 2. disp. 7. sect. 3.* cum ferè omnibus Auctoribus, & Magistris Societatis Jesu. Hanc etiam sustinet Henricus in Summa *art. 13. quæst. 7. num. 6. & 7.* illis verbis *distinguendo notitiam visionis propriè sumptæ à notitia intellectus, vel scientiæ, propriè dicitur esse notitia visionis, quando res est præstò videnti per se ipsam, sicuti visui corporali præstò sunt in lumine visibilia corporalia, & intellectui Angelico, & humano in gloria præstò sunt ea, quæ vident in Verbo, & luce increata. Propriè autem dicitur notitia intellectus, quando res est præstò intelligendi, vel sicuti per speciem solùm suam, vel alienam, secundùm quod triplex est cognitio fide, visu, & intellectu. Cognitio visionis nullam in se patitur obscuritatem, quia ipsa est propter rei præsentiam claram in se ipsa.... Quæ in præsenti fiunt intelligibilia manuductione fidei, non est ex rei præsentis evidentia, sed ex veridice rationis.... Loquendo inquam de tali intellectu non verum, quia simul idem de eodem potest aliquis habere fidem, & intellectum, quia talis intellectus non est omninò perspicuus, & clarus* ex quibus vides doctorem nedum insinuare assertum amplectendum verum etiam ejusdem rationem, quam sic expendo. Si aliqua esset ratio cur fides, & scientia respectu ejusdem objecti simul haberi non possent, maximè quia opponerentur in claritate, & obscuritate; atqui non opponuntur; ergo. Major est ratio fundamentalis Scoti, quam legere quilibet potest in *3. sententiarum dist. 24. quæst. 1.* ubi hæc habet *notitia fidei est ex rei natura inevidens, notitia verò scientifica est ex rei natura evidens, ideò fieri nequit ut eiusdem axiomatis simul, & semel sint scientia, & fides.* Probatur itaque minor. Quamvis claritas, & obscuritas opponantur, cùm sunt in gradu excellenti, tamen non opponuntur, cùm noo sunt in gradu excellenti, sed remisso; sed obscuritas fidei, & claritas scientiæ abstractivæ, de qua est controversia, non sunt in gradu excellenti; ergo Major est certa, simulque ipsam explicat Henricus clarissimo Auroræ exemplo, in qua respectu lucis meridianæ datur aliqua obscuritas, & respectu tenebrarum noctis, datur aliqua claritas. Minor etiam constat; scientia enim intuitiva, cujusmodi est visio, est longè clarior scientia abstractiva, uti est intellectio; ergo claritas in scientia abstractiva noo est summa, & in gradu excellenti.

Probatur secundò Doctoris ratione. Si id, quod evidens est, credi non posset, Philosophi veritates ad fidem, ut Deum esse, credere non potuissent. Patet hoc, nam hi Deum esse demonstrativè noverant; sed hoc erroneum est, Dei enim existentia est objectum fidei, undè ad Deum accedens, oportet credere, quòd sit, ut monet Diuus Paulus ad *Hebræos 12*; ergo quod euidentia rationis, vel intelligentiæ cognoscimus, simul fide divina tenere possumus.

Huius rationis euasio non unica est apud contrariæ sententiæ Auctores. Nonnulli dicunt Philosophos, qui demonstrativè Deum esse nouerunt, cùm veniunt ad fidem scientiam illam de Dei existentia deperdere. Alii verò è contrà prædictos Philosophos deperdere fidem edocent scientiam acquirendo. Quidam verò scientiam, & fidem retinere sustinent, sed hanc non formaliter, sed solùm in præparatione Animi, nimirum Philosophi isti crederent, quod Deus sit, si demonstrationem non haberent. Sed

Nulla ex his solutionibus rationi consona est; Non quidem prima. Constat enim Philosophum ad fidem conversum eandem demonstrationem efficere posse, postquam fidem suscepit, ac antea & certè hic ad fidem conuersus antiquæ demonstra-

strationis non est oblitus. Cur; ergo post fidem susceptam in actum scientificum prosilire non poterit. Nec secunda, quia Dei existentia ex Diuo Paulo est obiectum fidei; *accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est;* ergò iam Philosophus ad fidem conversus tenetur habere actum fidei circà Dei existentiam. Nec tandem tertia, nam si Philosophus iste non crederet formaliter, absoluté non accederet ad Deum per fidem. Patet hoc, nam Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* Verba illa Pauli: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, explicat de actu fidei; ergo si hic actum fidei non habet circa Dei existentiam, sed haberet tantùm, si scientiam non haberet, iam absoluté ad Deum non accedit. Patet hæc Consequentia, nam ille absoluté ad Deum accedit, qui circà Dei existentiam fidei actum habet, non qui haberet.

Dices quartò eum Philosophum, quamuis non credat illam categoricam *Deus est*, adhuc tamen credere id, quod iubet Paulus, nam Pauls non iubet credere illam categoricam *Deus est*, sed hanc copulatiuam *Deus est, & inquirentibus se Remunerator est*. Hanc autem credit Philosophus, quamuis non credat categoricam. Sed

Contrà, nam credens tantùm unam partem copulativæ, non credit totam copulativam; sed hic Philosophus iuxtà solutionem hanc Martini Esparzæ non credens illam categoricam *Deus est* credit unam partem illius copulativæ, ut patet; ergo non crederet totam copulatiuam. Probatur maior. Sciens unam partem tantùm copulativæ, non scit totam copulatiuam, Philosophus ethnicus enim antequam fidem susciperet, scit hanc categoricam *Deus est*, cùm tamen non sciat tota istam copulatiuam *Deus est, & inquirentibus se Remunerator est*. Deus enim ut Remunerator, vel ut auctor gratiæ est naturaliter incognoscibilis, utpotè obiectum supernaturale, & omnino rationis naturalis intelligentiam excedens. Cùm autem alìundè tota copulatiua proponatur, ut credenda, etiam quælibet pars credenda erit.

Dices quintò Philosophum ad fidem conversum revera credere, quia Deus est, nec indè tamen fit, quod stent simul fides, & scientia de eodem obiecto, & ratio est, quia tò *Deus est*, non significat existentiam Dei, ut Auctoris naturæ, sed ut auctoris gratiæ, scientia verò, quam habet Philosophus de existentia Dei, est scientia de existentia Dei, ut est Auctor naturæ. Undè fit, quod scientia, & fides in eodem Philosopho circa Dei existentiam non sint circa idem obiectum. Sed

Contrà est. Nam hæc categorica *Deus est*, non dicit Deum esse sub illa eadem ratione, sub qua dicit hæc altera categorica: *& inquirentibus se, Remunerator est*, aliàs altera illorum superflueret, & bis geminasset Paulus illam copulativam, *Deus est & inquirentibus se, Remunerator est*; atqui Deum esse auctorem gratiæ expressit Paulus in secunda categorica; ergo prima non significat Deum esse non Auctorem gratiæ, sed naturæ.

Dices ultimò relaté ad divinam existentiam nos scientiam non habere, sed solùm evidentiam moralem, quæ sufficiens erat ad inducendam obligationem colendi Deum, & reddendum inexcusabilem nolentem colere. Sed

Hæc ultima solutio parvi roboris est, ejusquè falsitas apertè constat ex iis, quæ habet noster Illustrissimus Lodigerius *Tomo primo disp. 1. quæst. 2.* ubi demonstrativè à posteriori probat Deum esse.

Probatur secundò Conclusio. Scientia objecti credibilis addita fidei ipsam non destruit; ergo cùm illa est compossibilis actus fidei circa idem objectum credibile. Probatur Antecedens. Primò quia si scientia credibilium fidem destrueret, tot Sancti Patres puta Diuus Augustinus, Diuus Thomas, vel fidem amisissent adveniente scientia circà objecta credibilia, vel minorem Idiotis habuissent; hoc autem omninò absurdum est; ergo. Secundò, quia Richardus *primo de Trinitate cap. 3.* ab Henrico relatus ait: *ad eorum notitiam, de quibus rectè dicitur nobis, nisi credideritis, non intelligetis, oportet, per fidem intrare, nec statim in ipso introitu subsistere; sed ad interiora semper, & profundiori intelligentia properare*: atqui si scientia fidem destrueret, deberemus in ipso statim introitu subsistere; ergo.

## CAPUT UNICUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Quemadmodum remanserat locus explicandi Diuum Thomam aliis in thesibus, quas posuimus juxta ejus mentem, sic certum est locum hunc in præsenti non remanere, cùm ex professo Sanctus Doctor negativam proponat, & sequatur sententiam. Hæc enim locis suprà relatis habet: *cùm scientia in rei præsentis notitia primorum scilicet principiorum perficiatur, fides verò in his, quæ nostro absunt intellectui, impossibile est apud eundem Hominem de eodem fidem, & scientiam esse*: Quibus verbis clariora certè inveniri nequeunt ad ostendendum Diuum Thomam, Henrici non adhærere sententiæ, undè opus est, ejus argumenta referre, & quantum vires suppetunt refellere, non tamen animo dimicandi, quod absit, sed præcisè, ut Henrici assertum propugnem, quod ratione superius firmavi.

Obiicit itaquè primò. Objectum fidei divinæ principale est veritas prima; sed de prima veritate non possumus hìc habere scientiam; ergo: secundò scientia per rationem perficitur; sed ratio tollit fidem juxtà illud: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; ergo fides, & scientia non concurrunt in idem. Tertiò primò Chorintiorum habetur: *cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est;* sed cognitio fidei est imperfecta, cognitio verò scientiæ est perfecta; ergo scientia fidem evacuat.

Quartò objectum fidei illud est, quod est absens ab intellectu, & quoties aliquid incipit esse præsens, vel apparens, non potest amplius subesse actui fidei, ut ejus objectum. Sed quæ sciuntur, sunt intellectui præsentia, cùm scientia in visione rei præsentis perficiatur, & per ipsam res cognoscantur per relationem in prima principia, quæ per se præstò sunt intellectui; ergo scientia, & fides stare simul nequeunt.

Quintò fides exigit, ut intellectus assentiatur rei creditæ ex confidentia luminis alieni; sed si idem intellectus, qui habet fidem, haberet etiam evidentiam rei, quàm credit per actum scientiæ, non assentiretur ipsi, quasi confidendo in alieno lumine, & se ipsum captivando sub auctoritate dicentis, immo confideret in suo proprio lumine, & jam ex se ipso esset securus; ergo intellectus ex quocumque actu, & ex quocumque medio habeat evidentiam rei per suam scientiam, non retinet amplius fidem,

fidem, per quam confidat in veracitate dicentis, & se ipsum voluntariè captivet sub illius auctoritate.

Sextò. Fides est actus, qui nequit convenire subiecto, nisi existenti sub imperfectione carentiæ visionis rei, quæ creditur; ergò actus fidei nequibit componi cum visione. Consequentia est evidens. Antecedens probatur; nam credere est assentiri rei solùm propter pondus auctoritatis dicentis. Qui autem simul videt rem, & assentitur eius veritati propter auctoritatem dicentis, non assentitur solùm propter pondus auctoritatis, cùm assentiatur, quià eam videt; ergò credere solùm potest convenire subjecto composito cùm carentia visionis rei, quæ creditur.

Hæc sunt argumenta Divi Thomæ ultimo excepto, quod affert Magister Ferre parum, vel nihil differensà prioribus, quibus, ut fiat satis, non abs re esse judico solemnis Doctoris doctrinam quandam advertere: qua hæc in integrum solvi possunt, & illa fit, quam tradit articulo, & quæstione supra relatis, ubi docet, quòd notitia dispescitur in notitiam visionis propriè sumptam, & intellectus. *Prima propriè dicitur, quandores est præstò videnti per se ipsam, sicuti visui corporali præstò sunt in lumine visibilia corporalia, & intellectui Angelico, & humano præstò sunt ea, quæ vident in Verbo, & luce increata. Secunda verò talis dicitur, eo quia res est præstò intelligenti, vel scienti per speciem solùm suam, vel alienam, ut evenit in Geometria habente intellectum, & scientiam figurarum corporalium ad absentiam earum secundùm rem per veridicam rationem, quam habet de eis adminiculo specierum suarum apud Animam, secundùm quod triplex est ista cognitio fide* (& en actus fidei), *visu*, (& en scientia visionis), *& intellectu*, (& ecce scientia abstractiva) *Modo autem certum est, quòd cognitio visionis opponitur fidei, quia cum hac nullam patiatur in se obscuritatem & hoc propter præsentiam claram ipsius rei in se ipsa apud eundem intellectum, nequit esse simul scientia cum fide. Vnde talis notitia semper habet evacuare fidem, vel quoad habitum, ut in beatis, vel quoad actum, ut in raptis. Loquendo tamen de scientia abstractiva falsum penitus est opponi fidei. Primò quidem, quia hac scientia non oritur ex evidentia rei præsentis, sed solum ex efficacia veridicæ rationis. Secundò quia talis intellectus non est omninò perspicuus, & clarus propter quod secum compatitur aliquam fidei obscuritatem, & ideò non omninò fidem evacuat, qua non tollit ei rationem sui obiecti.* Hac itaque supposita.

Ad primum in forma concessa majori distinguo minorem. Non potest haberi scientia visionis fidem evacuans, concedo minorem, abstractiva non fidem evacuans, nego minorem, & consequentiam. Ad secundum pariter respondeo, concessa majori distinguo minorem. Ratio evacuat fidem, quoties est conjuncta cum præsentia obiecti immediata per se ipsam, concedo minorem, quoties non est coniuncta cum objecti præsentia, nego minorem, & consequentiam. Quòd si vis argumentum procedere etiam loquendo de scientia abstractiva, dico, etiam hanc posse fidem evacuare, non tamen secundùm se, sed solùm casu, quo quis paratus esset tantùm assentiri rebus propter talem rationem, nullatenus verò propter auctoritatem dicentis.

Ad tertium dico Divum Joannem solùm loqui ad Chorintios de cognitione perfecta, quam in Patria unusquisque habebit, quæ utique fidem, tam quoad actum, quàm quoad habitum evacuabit. Hæc explicatio Augustini est, ut advertit Doctor loco superius relato. Ad quartum verò respondeo distinguendo majorem. Obiectum fidei illud est, quod est absens ab intellectu intuitivè, concedo, abstractivè, subdistinguo, in habente puram fidem, concedo maiorem, fidem, & scientiam abstractivam, nego primam partem maioris, per quod patet ad secundam.

Quintum verò, cui quidam Scotistæ adhærent, & quod Divus Thomas desumpsit ex Augustino *Epistola* 112. *cap.* 2. parum urget. Non enim opponuntur assentiri rei creditæ, ex confidentia luminis alieni, & simul propter testimonium proprium, seu propter evidentiam veritatis, dummodo hæc sit abstractiva; nisi dicere velimus fidem exigere, ut intellectus tantùm assentiatur ex confidentia luminis alieni, quoties assentitur ex motivo fidei, non verò simpliciter, & absolutè, cùm nulla reluceat in utroque assensu, scientifico nimirum, & fidei repugnantia.

Dices cum Pontio. Si essent compossibiles actus fidei, & scientiæ abstractivæ circa idem obiectum formale, non fuisset opus Patribus, & præcipuè Divo Gregorio, ad ostendendum, quomodo Thomas vidit, quod credidit, recurrere ad diversa obiecta materialia, cùm facilè potuissent dicere, quod vidit per actum visionis, & credidit per actum fidei. Sed

Contra est. Patribus enim necessarium penitus erat recurrere ad diversa objecta materialia; nam quamvis idem obiectum materiale possimus simul tenere actibus fidei, & scientiæ abstractivæ, non possumus tamen scientia, quæ intuitiva sit. Cùm autem intuitivè Sanctus Thomas videret Christum, qua Hominem, iam Christus, qua Homo non poterat esse obiectum fidei, sed solùm secundùm divinitatem, unde opus erat recurrere ad diversa obiecta.

Ultimum verò, quod superiùs affert Vincentius Ferre mirificè urget loquendo de scientia intuitiva, de qua ipsum loqui existimo, cùm huic solùm propriè nomen visionis convenire doceat insignis Thomista Petrus de Godoy *tract.* 4. *de scientia Dei disp.* 41. Quòd si velit procedere de abstractiva, dico adhuc, quòd optat Ferre, in nostra sententia haberi, cum revera assentiatur propter solùm pondus auctoritatis dicentis, qui assentitur per actum fidei supernaturalem. Non enim nos dicimus ad actum fidei, ut actus fidei est, concurrere medium scientificum in ipsum influendo, sed solùm illud obiectum, quod fide tenemus, tenere nos quoque posse per actum scientiæ.

Adversus has tamen solutiones Instantiæ non mediocris roboris fieri possunt. Placet ex his meliores seligere, quas aduersarii doctissimi mihi proposuerunt oppugnanti possibilitatem utriusque actus fidei videlicét, & Scientiæ abstractiuæ; & primò instabant, quia evidentia scientiæ abstractivæ, etsi aliqualis sit, lædit tamen actum fidei, vel quod intellectus scientia ipsa instructus, possit assentiri obiecto actu fidei; ergò diuisio Scientiæ in abstractivam, & intuitiuam, ad rem non juuat. Antecedens multipliciter suaderi potest, & primò in ipsa scientia intuitiua, cujus evidentia, estò aliqualis sit, vel non summa (habet enim supra se evidentiam scientiæ, tum comprehensivè, tum supercomprehensiuè) nihilominus adeo opponitur actui fidei, ut sententia Ripaldæ, & Oviedo docentium etiam actum scientiæ intuitiuæ compossibilem esse cum fide communiter reprobetur à Theologis; ergò à pari estò aliqualis sit euidentia abstra-

ctiuæ, adhuc erit, unde opponatur cum actu fidei. Secundò, quia evidentia abstractiua, estò infra excellentiam, efficit tamen, quod intellectus objecto necessariò assentiatur, cum veritati evidenter apparenti intellectus non liberè sed necessariò adhærear; sed intellectus objecto necessariò assentiens, liberè simul assentiri nequit, ut constat; ergò repugnantia viget etiam loquendo de scientia abstractiua. Tertiò, quia estò præseferat, evidentiam aliqualem, comparatur tamen ad actum fidei, tamquam medium fortius ad minus forte; sed ea est natura medii robustioris, ut impediat minus robustum, ut patet in ipso lumine solis, quod propter sui eminentiam in lumine, impedit lumen lucernæ; ergò. Quartò quia intellectus nequit simul assentiri certò ex testimonio intrinseco, & extrinseco, & certò assentiri certitudine, quæ sit accepta à rebus, & non accepta à rebus, & ex connexione rerum, & non ex connexione rerum; sed sic assentiretur assentiens per fidem, & scientiam abstractiuam; ergò

Confirmatur ulterius, quin euidentia abstractivè quamuis aliqualis, impedit tamen, quod intellectus assentiatur per actum fidei. Patet hoc, quia assentiri per actum fidei, est intellectum posse assentiri præcisiuè ab evidentia, & certò certitudine non fundata in euidentia objecti; sed in diuino testimonio obscurè proposito; sed actus scientiæ quamuis abstractivæ, utramque potentiam tollit ab intellectu; ergò. Minor quoad primam partem patet; quia quemadmodum potentia visiua corporea obiectum suum illuminatum videre nequit præcisivè ab illuminatione, ita quoque intellectus objectum suum sibi euidens cognoscere non poterit præcisivè ab euidentia. Paritas enim clara est. Utrobique enim est potentia necessaria, utrobique objectum potentiæ proponitur, ut evidens. Secunda verò pars pariter certa est, quia intellectus euidentia abstractiua instructus certò solùm objecto assentiretur ob ipsam euidentiam, non verò ob diuinum testimonium. Patet hoc, quia certò assentiretur propter id, quod excludit formidinem, necnon dubitationem, sed cum habemus euidentiam de objecto, propter ipsam euidentiam, eidem assentimur absque ulla dubitatione, & formidine; ergò. Secundò cum assensu obscuro fidei componi nequit notitia ejusdem objecti euidenter cogniti in attestante; ergò neque cognitio obscura fidei cum notitia euidenti abstractiua objecti in se. Antecedens supponitur ex frequenti Theologorum sententia. Consequentia verò liquet, quia non minus de ratione fidei est, quod intellectus fidelis assentiatur objecto propter motiuum obscurè propositum, ac quod assentiatur objecto obscurè proposito; ergò si notitia clara diuini testimonii lædit fidem, lædit quoque objecti crediti in se. Tertiò, quia in Christo Domino, estò Theologi plures ponant in Christo cum scientia visionis etiam abstractiuam, rennuunt tamen admittere in ipso fidem supernaturalem, tum quoad actum, tum quoad habitum, quo indicatur incompossibilitas fidei etiam cum sciẽtia abstractiua.

Urgetur secundò, quia etiam concesso peculiarem non adesse repugnantiam inter actus, de quibus controuertitur, negari tamen nequit, quod habenti scientiam actus fidei esset superfluus, sicuti superflua est lux lucernæ ad præsentiam solis illuminantis. Patet, quia quæmadmodum solis lumen longè excellentius est altero lucernæ, vel lunæ, ita scientia abstractiua longè superat in euidentia actum fidei, & eo vel maximè, quod assensus per fidem, vel alieno testimonio præbetur solùm in defectu scientiæ, & evidentiæ, unde irridendus esset, qui testimonium adhiberet ad mihi persuadendum, quod duo, & tria faciant quinque, & hoc non ob aliam rationem, quam ob rei euidentiam; ergò idem dicendum erit de Deo veritatem aliquam, aliàs mihi euidentem testificante; undè est, quod Deus, quia omnia videt per se ipsum, nihil potest credere propter aliorum testimonium.

Urgeo tandem ultimò efficacissimè, quia eo modo se habent scientia, & fides, quo scientia, & opinio; sed scientia, & opinio circa idem obiectum in eodem intellectu compati nequeunt; ergò neque scientia abstractiua cum fide. Major videtur certa, quia sicuti scientia, & opinio positiuam, & non solùm præcisiuam afferunt certitudinem, vel incertitudinem, ita scientia, & fides positiuam euidentiam, & obscuritatem præseferunt; sicuti enim opinio innititur motiuo positiuè fallibili, ita fides medió positiuè obscuro, uti est diuina reuelatio, quæ procul dubio obscurè proponitur credenti. Quod si dixeris actus scientiæ, & fidei non esse incompatibiles, quia positiua obscuritas, & claritas, quam in se dicunt, sunt solùm in remisso, non in gradu summo, adhuc instari potest eadem paritate actuum scientiæ, & opinionis, qui profectò opponuntur priuatiuè, cum tamen certitudo scientiæ abstractiuæ non sit summa, nec certitudine objectiua, nec euidentiæ: Sicuti enim certitudo scientiæ intuitivæ certior est certitudine euidentiæ, quam sit certitudo scientiæ abstractiuæ, ita quoque actus fidei certior est certitudine objectiua, quam quælibet certitudo scientiæ, cum immediatè innitatur primæ veritati, quæ infinitè excedit omnem veritatem primorum principiorum, super quæ innititur quilibet actus scientiæ. Actus autem habens alios supra se majori gaudentes certitudine, summè certus dici nequit, quapropter, si actus scientiæ alteri opinionis opponitur, non obstante, quod formalitas certitudinis, in qua opponuntur sit citra excellentiam, cur eamdem oppositionem non servabunt scientia, & fides in claritate, & obscuritate, estò aliqualis sit obscuritas, vel euidentia.

Negari nequit nonnullas esse ex relatis instantiis, quæ difficultatem non mediocrem preseferunt; nihilominus nostris inhærendo principiis ad primam disparitas est, quia euidentia intuitiua, estò nec ipsa summa sit propter dicta in argumento, talis tamen est, ut magna, & apperta sit euidentia diuinæ essentiæ per se ipsam præsentis per visionem intellectui, unde nil mirum, si cum ipsa sit incompossibilis actus fidei, quod totum non contingit loquendo de abstractiua, quia hæc ita aliqualis est, ut adhuc objectum, nec per seipsum præsens sit intellectui, nec ea uberiori claritate gaudet, qua intuitiua. Secunda verò instantia non obstat; omissa enim illorum Theologorum sententia, qui authumant fidem ex sua ratione uniuersalissima abstrahere ab hoc, quod sit libera, vel necessaria, solùmque habere, quod innitatur diuino testimonio, ut propugnat Syluester Maurus, dicendum est fidem liberam esse etiamsi simul sit cum scientia. Ratio est, quia etsi objectum, quod credimus, evidens sit ex parte medii scientifici, nullatenus tamen est ex parte diuinæ Reuelationis, sed potius vi hujus adhuc obscurè proponitor, sicuti obscura est Revelatio; Sicuti esto Angelus cognoscat in Verbo creaturas clariori cognitione, non tollitur per hoc, quod easdem obscuriori cognitione, cognoscat, dum ipsas in seipsis cognoscit, ut rectè innuit Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 29.

Nec

Nec enim diuina Reuelatio, & actus ſuper ipſam innixus ſuam obſcuritatem deperdunt, per hoc, quod ſcientiæ copulentur. Quoties autem obiectum euidenter non apparet intellectui, quantum eſt ex parte diuini Teſtimonii, intellectus liber eſt ad credendum ex parte eiuſdem medii, ex parte cujus euidentiam non habet de obiecto, unde non tollitur libertas actus fidei, qua talis, quia etſi intellectus neceſſitetur, ut demonſtratiuè procedens, non tamen cogitur ad aſſenſum, ut fidelis. Tertia verò inſtantia in ordine nullius eſt roboris, vel enim in actibus ſcientiæ, & fidei attendimus euidentiam, vel certitudinem, ſi hanc poſterioem, negandum eſt ſcientiam comparatiuè ad fidem diuinam eſſe medium fortius, cum major ſit certitudo obiectiua, & adhæſionis in actu fidei, quam in actu ſcientiæ, ſicuti maior eſt veritas increata, cui immediatè innititur fides diuina, quam creata, cui innititur ſcientia viatoris. Si verò priorem attendamus, concedo libenter ſcientiam eſſe medium fortius comparatiuè ad fidem; at nihilominus actus fidei, qui medium eſt minus forte non excluditur, vel quia ſcientia abſtractiua non eſt medium fortius in ſummo, cum ſolùm præſeferat euidentiam remiſſam compatibilem cum actu fidei aliqualiter obſcnro, vel quia actus ſcientiæ abſtractiuæ non eſt medium fortius ad præſtandum eumdem effectum, quem præſtat actus fidei, ſed diuerſum, cum actus ſcientiæ non faciat intellectum ſimpliciter, vel magis aſſentiri obiecto per actum, qui liber ſit, & meritorius, qui aſſenſus aliunde habetur per actum fidei, in quo oppoſitum euenit loquendo de ſole, qui fortior eſt, ac robuſtior ad eumdem effectum, vel eamdem illuminationem præbendam, propter quam habendam lucerna uti ſolent homines. De facto enim ſanctitas increata eſt forma, vel quaſi forma magis ſanctificans humanitatem, quam gratia habitualis, cum prior ſanctificet infinitè, ſecus ſecunda, cum tamen prior ſanctificatio, ſecundam non impediat nec reddat ſuperfluam, & hoc nonniſi quia gratia increata etſi fortior, & potentior ſit ad humanitatem ſanctificandam, non eſt tamen in ordine ad præbendum eumdem numero effectum, quem præſtat gratia habitualis. Hæc enim ſanctificat accidentaliter, vel per inhærentiam, uti certè non ſanctificat ſanctitas Verbi, eſtò infinitè ſanctificet.

Nec majoris ſunt efficaciæ inſtanciæ, quæ in prima confirmatione adduntur, non quidem prima, quia intellectus aſſentiri poteſt præciſivè ab evidentia, ſi aſſentiatur ob motivuum fidei, quinimmò ſic aſſentiri opus eſt, ſi propter idem motivum aſſentiatur. Nec huic obſtat impotentia potentiæ viſivæ corporeæ ad viſionem objecti præciſivè ab illuminatione, ſiquidem oculus, nec præciſivus eſt, nec eſt in potentia proxima ad eliciendam viſionem, ſi objectum non ſit illuminatum, quorum neutrum contingit in intellectu, ut conſideranti patebit. Ratio autem aſſentiendi cum certitudine intellectui, nedum eſt evidentia, ſed etiam ipſum divinum teſtimonium, unde intellectus in conſpectu evidentiæ adhuc optimè poteſt certò aſſentiri ob divinum teſtimonium. Ad quartum verò variè reſpondent Auctores. Ex iſtis, qui volunt, quod de ratione fidei infuſæ non ſit, ut obſcurè cognoſcatur divina revelatio, negant antecedens: docent enim iſti fidem divinam ex ſua ratione univerſaliſſima abſtrahere ab hoc, quod eſt habere, vel non habere evidentiam de divino teſtimonio, ſolùmque in ſuo conceptu eſſe habitum, quo Deo credimus propter divinam auctoritatem teſtificantem ſiſtendo in ipſa, quod totum optime ſalvaretur, & ſi crederemus propter divinum teſtimonium evidenter cognitum. Sic reſpondent Suarez *tomo de Fide diſputatio 3 ſection. 6. num. 16.* Coninch, Vaſquez, Granadus, Lugo, Torres *diſputat. 7.* & noviſſimè Sylveſter Maurus *lib. 7. quæſt.* 131. de inevidentia revelationis. Alii verò concedendo antecedens diſparitatem eſſe dicunt, quia ſi proponatur clarè divina revelatio, læditur objectum motivum fidei, quam habemus de facto, quia de iſtius ratione eſt, quod cognoſcatur obſcurè, & inevidenter, non verò læditur, per hoc, quod evidenter cognoſcatur res credita ex parte medii ſcientifici, quia adhuc obſcura remanet ex parte divinæ revelationis. Quintum verò facilè ſolvitur, ſiquidem ideò cum ſcientia abſtractiva in Chriſto Theologi fidem admittere rennuunt, quia cum abſtractiva concomitatur intuitiva, cum qua comes eſſe nequit fides, quinimmò addo, quod ſi ex carentia fidei cum ſcientia in Chriſto, velimus ſimpliciter, & abſolutè inſerre inter ſcientiam, & fidem incompoſſibilitatem, jam fides, & ſcientia, nedum quoad actum, ſed etiam quoad habitum erunt incompoſſibiles, quod tamen negant plures ex noſtris adverſariis, uti ex Societate Molina, Exparza, Sylveſter Maurus, & ex Thomiſtis inſignis Joannes à S. Thoma, necnon doctiſſimi Patres Salmanticenſes docentes habitum fidei non minus compatibilem eſſe cum actu ſcientiæ, quam habitum ſcientiæ cum actu fidei. Hoc autem ſequi inde patet, quia in Chriſto nec quoad habitum aderat fides divina.

Ad ſecundam confirmationem, aliorum ſolutione omiſſa, diſpatitas eſſe poteſt, quod lumen lucernæ non datur niſi ad illuminandum, cum autem illuminatio Lucernæ in conſpectu ſolis ſuperflua ſit, ſuperflua quoque erit lucerna illuminans; at fidei aſſenſus obſcurus in conſpectu ſcientiæ adhuc non eſſet ſuperfluus, tum in linea morali, cum ex ipſo meritum eruatur, quod aliunde non deſumitur ex actu ſcientiæ, tum in linea intentionali, quia eſtò obſcurus, reddit tamen intellectum magis certum, quemadmodum actus fidei magis certus eſt, quia immediatè divino teſtimonio innixus. Teſtimonium enim alienum tunc ſolùm ſuperfluum redditur, quoties tale eſt, ut in conſpectu ſcientiæ afferre nequeat intellectui majorem certitudinem objectivam, vel adhæſionis, vel evidentiæ, uti contingit loquendo de teſtimonio creato, quod ideò ſuperfluum eſt in conſpectu habitus ſcientifici, quia minus fide dignum eſt, ac ſit ſcientia, cum longè plus decreſcat, tum in certitudine, tum in evidentia. At in caſu noſtro non ſic contingit loquendo de fide; hæc enim ſuperflua non eſt, nedum moraliter inſpecta, ut viro catholico innoteſcit, ſed etiam phyſicè loquendo, quia ut potè magis certa certitudine objectiva, & adhæſionis, quam ſit quilibet actus ſcientiæ, magis etiam certiorare habet intellectum. Imò argumentum hoc totum retorqueri poteſt in doctiſſimum ſui Auctorem Sylveſtrum Maurum, quia ſi teſtimonium humanum plurium, qui periti ſunt in aliqua ſcientia, ſuperfluum non eſt ad confirmandam aliquam veritatem, quam ſcientificè cognoſcimus, etſi teſtimonium illud hominum, ſolùm ſit moraliter certum, adeoque minori certitudine gaudeat quam ſcientia, quomodo deinde ſuperfluum erit teſtimonium divinum in conſpectu ſcientiæ, longè plus majorem certitudinem afferens,

quam

quam quodlibet testimonium virorum doctissimorum testantium aliquam veritatem creatam, sicuti longè major est veritas summa increata qualibet creata.

Ultima verò confirmatio petit ulterius difficultatis solutionem, an videlicet actus fidei in certitudine excedat actum scientificum. In qua sententia est Cardinalis de Lugo *disp.* 6 *sect.* 5. actus fidei divinæ, & scientiæ in certitudine non se mutuo excedere, sed potius in summo gradu utrumque actum participare. Ratio potissima est, quia uterque actus metaphysicè necessarius est: sicuti enim per nullam potentiam actui fidei potest subesse falsitas, ita nec actui scientifico: necessitas autem metaphysica summa necessitas est, sicuti metaphysica impossibilitas, summa impossibilitas est. Secunda verò plausibilior negativa est, ponitque excessum in actu fidei supra illum scientiæ, cui nedum adhæret etiam ex eadem societate Sylvester Maurus loco superius relato, sed quod magis interest adhæret Henricus, quem in hac re, sicuti, & in aliis, cum clariori methodo, majorique subtilitate procedat audire præstat. Distinguit itaque Doctor triplicē certitudinem, infallibilitatis unam, adhæsionis alteram, & tandem evidentiæ. Si prima consideretur vult, quod certitudo fidei excedat illam scientiæ, quia fides innititur immediatè primæ veritati, non verò veritati primorum principiorum. Actus autem, qui immediatè innititur primæ veritati perfectius participat primam veritatem, & certitudinem, ut optimè advertit Doctor in summa *art.* 7. *quæst.* 2. *num.* 5. illis verbis; *secundum ordinem causarum semper major certitudo est in causa prima, & ex ipsa, quàm in causa secunda, & ex ipsa.* Secunda verò certitudo quoque major est in fide, quam in scientia, quia ut inquit Doctor loco allegato *per habitum fidei securior est fidelis de veritate huius scientiæ, & magis immunis ab omni errore, quam sit Philosophus de primis principiis scientiarum speculativarum ex habitu de eis aquisito*, quapropter Augustinus docuit nos nihil certius tenere, quam quæ fide habeamus, & Chrisostomus *homilia* 13. *tom.* 3. super Matth. asserere non veretur magis certò nos assentiri objectis, quæ credimus per actum fidei, ac oculi nostri assentiantur iis, quæ videmus: *oculi enim carnis*, ait, *sæpè falluntur, etiam in iis, quæ ipsi videntur aspicere: at verò mentis oculus, si divinum lumen accipiat, multò certius atque ab omni errore prorsus alienus est.* Nec obstat, quod fides evidentia careat, quia certò assentiri certitudine adhæsionis, non semper oritur ab evidentia, sed aliquando à motivo robustiori, uti procul dubio est divinum testimonium: quinimmò aliquando contingit nos sæpè certò assentiri per actum opinionis tanta securitate, ac assentiatur intellectus scientia instructus, cum certè intellectus, qui opinatur de aliqua re, evidentia careat ejusdem rei.

Tertia verò certitudo longè major est in scientia, quàm in fide, quia commensuratur evidentiæ, in qua nulli dubium scientiam fidem excedere. His autem brevi calamo suppositis, non parum solutio argumento fit manifesta. Priori enim dicendi modo inhærendo confirmatio vim non habet, ut omnibus innotescit. Posteriori verò, qui plausibilior est apud Theologos, satis obvia fit solutio, si dicamus, quod estò scientia abstractiva non sit summè certa comparativè ad fidem, & scientiam visionis esse tamen si comparatio fiat respectivè ad opinionem, quia præsefert certitudinem triplicem, metaphysicam, videlicet physicam, & moralem, quarum qualibet opinio caret, tum privativè, tum negativè, si vera opinio est, quod non contingit loquendo de scientia relativè ad fidem, quæ estò careat privativè evidentia abstractiva, negativè tamen non caret propter dicta.

Quæres hic pro coronide difficultatis, utrum etiam idem actus possit simul esse scientiæ, & fidei.

Antequam huic quæsito satis fiat, adverto quorumdam esse sententiam asserentium implicare omninò actum, qui simul sit scientiæ, & fidei. Innituntur autem illi pluribus rationibus, & primò, quia talis actus specificaretur à pluribus motivis, adeoque esset actus diversarum specierum. Secundò, quia esset simul necessarius, & liber, necessarius quidem, prout scientificus, liber verò quatenus actus fidei, de cujus ratione est esse actum liberum, cum meritorius sit. Tertiò verò quia esset simul clarus, & obscurus.

Contra hos tamen stant alii sustinentes possibilitatem, eo quia in hoc actu nulla sit assignabilis repugnantia vera, & realis; non quidem ex parte claritatis, & obscuritatis, quia hæc haberetur in actu à diversis mediis. Contrarietas autem debet esse de eodem respectu ejusdem. Secundò quia quemadmodum non repugnat nos velle aliquid ob duos fines, ita etiam assentiri eidem objecto ob duo media. Tertiò, quia patet experientia eodem actu posse quempiam, v. gr. sibi suadere Animam esse immortalem, & quia fides hoc docet, & ratio naturalis id dictat. Quartò tandem, quia dari potest unus actus, qui simul practicus sit, & speculativus respectu diversi objecti; ergo etiam dari poterit actus, qui simul sit scientia, & fides respectu diversi motivi.

Ex hac utraque sententia, secundam suspicio defendendam, quam optimè suadent recensitæ superius rationes, quarta excepta, quam affert Compronius, siquidem nolo eumdem actum simul esse practicum, & speculativum primò, & per se, cum praxis, & speculativum sint differentiæ oppositæ, ut dictum est in Logicæ Proœmialibus. Differentiæ autem oppositæ convenire nequeunt uni, & eidem rei. Nec obstant rationes prioris sententiæ: Non prima, siquidem talis actus specificaretur solùm à pluribus motivis partialibus, in quo nulla est repugnantia. Non secunda, quia hujusmodi actus esset tantùm unius speciei contradistinctus à cæteris, qui sint solius scientiæ, vel solius fidei. Non tandem tertia, ob superius dicta ad quartam instantiam.

# LIBER SECUNDUS

## PHYSICÆ DISPUTATIONES COMPLECTENS

## PROOEMIUM.



D tuos oculos Physicæ difficultates se se offerunt, Lector Benevole, ex quibus nonnul-la hic perspicies, quæ adversus Cartesium, Gassendum, Maygnanum, aliosque scripsimus potius ex animo occurrendi eorum ineptiis, quibus Peripateticam labefactare conati sunt sententiam, quàm eorum principia evertendi. Nec ignotum nobis est, sed summè compertum, nedum istorum systemata Physica passim propugnari, verùm etiam nostrum, quod hic exibemus irrideri. Sed hoc Mirandum non est: *Multis enim*, inquit Augustinus, *veritas odiosa est, quam audire nolunt docentem; & nolentes falli, volunt Mendacia sua veritatem haberi. Quibus juste retribuitur, ut ipsi veritatem non lateant, ipsos autem latcat.* Physicam itaque hilati animo explicabimus, nec te terreat Atomistarum nimia irridendi facilitas, hæc enim rationum, quibus placita nostra firmabimus, pondere præssa, ac pudore confusa statim euanescet.

# DISPUTATIO PRIMA.

### De Principiis rerum naturalium.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid veniat nomine principii. Quænam exigantur ad rationem Principii, & quot sint Principia.*



Rincipia generationis sunt, vel externa, seu ea, sine quibus generatio corporis naturalis concipi potest: Puta, causa Finalis, Efficiens, & Exemplaris; vel interna, seù ea, sine quibus corporis naturalis generatio concipi nequit, ut materia, & forma. Interna autem prima principia communitèr definiuntur illa esse, *quæ neque ex se inuicem, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt*. Undè prima principia non fiunt ex se inuicem, materia enim non fit ex forma, cùm sit illa prior, Forma verò estò fiat ex materia, fit tamen, ut à principio diversæ rationis à se, nec fiunt ex aliis (veluti ex principiis essentialibus) sunt enim essentialia principia corporis naturalis, de quorum ratione est esse prima. Hinc Ignis, Aer, non sunt primà principia, componuntur enim ex aliis. Et ex his omnia corpora naturalia fiunt (veluti ex subjecto, puta materia, vel termino ad quem, videlicèt forma substantiali) sunt enim principia generalissima, & ex generalissimis fiunt omnia, sicuti é litteris omnes dictiones fiunt.

Hæc definitio est mihi accurata, unde ineptè respuitur à quibusdam Modernis, qui, cùm terminis negatiuis constare videant, magis explicare volunt quid non sit, quam quid sit. Ineptè quidem, quia non omninò est negativa, ut inspicienti ultimas deffinitionis particulas patebit, præterquamquòd loquendo de primis principiis, ad eorum naturam explicandam, termini negativi non parùm conducunt; Quod verò aliqui autumant, particulas illas *ex aliis non esse*, etiam spiritibus, accidentalibus, modis, atque priuationibus convenire, quę tamen nō sunt rerum prima principia; verba quæ sequuntur in definitione allata, solutionem præbent. Hæc enim omnia talia non sunt, ut ex ipsis omnia fiant. Hoc brevitèr supposito sit.

### CAPUT SECUNDUM.

*Referuntur Principia Corporis naturalis, quæ magis communiter circumferuntur.*

Omnium est sententia, Materiam, & formam Principia esse Corporis naturalis, dissidio unicè residentè in assignanda utriusque Idea. Ut autem hæc habeatur sciendum est, quòd in hac re non unica est Sententia.

Prima ea est, quam latè defendit Gassendus docens Corpus quodlibet ex atomis componi indivisibilibus impenetrabilibus, & extensis, spatium divisibile occupantibus, inæqualisque tamen figuræ, quam inæqualitatem necessariam vult ad efformationem diversorum Elementorum Hæc autem figurarum varietas tanta est, ut ipsam assequi nos non posse tradat Gassendus: aliquas enim refferat rotundas, ouatas alias, lenticulares, planas, gibbas, oblongas, turbinatas, ramatas, leves, asperas, hispidas, thertaedicas, pentaedricas, exaedricas, aliasque, tam regulares, quàm irregulares, de qua atomorum figura maximè juxta Democriti mentem rectè scripsit Ioannes Crisostomus Magnenus, Regius professor, Ticinensis Universitatis in suo Libro *Democritus reviviscens*, sivè de atomis

Atomorum autem hanc breuitèr descriptam structuram ab omni difficultate immunem esse ostendunt Atomistæ Recentiores. Primò quia, si aliquid esset in oppositum, profectò quia corpuscula hæc (nolunt puncta vocari) non possent diversam constituere essentiam, cùm sint ejusdem rationis, atque simul indivisibilia, & quoad se extensa affirmentur, atqui nullum ex his repugnat, non quidem primum, quia diversitas naturæ, & essentiæ desumenda non est ex diuersitate materiæ, sed ex diuersitate formæ; esset autem hujus diversitas, quia esset diversa partium armonia, & dispositio. Non secundùm, cùm in sententia Peripaterica puncta Unitiva, & Terminativa indivisibilia sint, simulque extensa, quod idem reperimus in Anima; ergo idea relata accurata est, atque indemnis ab omni errore.

Atomis autem his suas confert proprietates Gassendus, videlicèt magnitudinem, quæ est principium magnitudinis omnium corporum, figuram, grauitatem, seu impetum ad motum, vel pondus, quod per Gassendum est ipsa naturalis figura interna inamissibilis

Qui dicendi modus, quamuis arrideat Emanueli

P p May-

Maygnano aliisque modernis, in hoc tamen dissident, quod faciant hæc minima physica inæqualis intrinsecè actiuitatis, consequenterque dissimilia, ut diversa efficere valeant composita, parùm attendentes ad figurarum varietatem. Formam verò volunt esse armoniam, proportionem, contemperationem, simetriam, seù partium conuenientiam, undè forma in abstracto in istorum sententia est ipsa partium armonia, & contemperatio, quam solùm volunt esse terminum generationis; generans enim (dicunt) non facit materiam, vel partes materiæ, sed armoniam, quæ, cùm diversa sit, diversa quoque sunt composita.

Nolo hic immorari in hujus sententiæ reprobatione; plura enim occurrerent dicenda; hoc unum aduerto cum Cartesianis, me non benè intelligere quomodo stet atomos has diversas facies, vel figuras, spatium diuisibile, seu correspondentiam diuersis partibus loci sortiri, simulque secundùm sè extensas esse, deindeque entitatiuè indiuisibiles. Quamuis enim res aliqua spiritualis spatium aliquod diuisibile occupare possit absque sui diuisibilitate, hoc tamen contingere nequit in rebus ipsis materialibus; sunt enim mihi termini incompatibiles esse rem aliquam quoad sè extensam, simulque indiuisibilem: connectuntur enim extensio quoadsè cum ipsa diuisibilitate, quidquid deinde sit, an res materialis à Spirituali differat, vel penes determinatam dimensionem, & impenetrabilitatem, ut placet atomistis, vel penes diuisibilitatem, ut aliis. Nec obstant quæ opponuntur, non quidem primùm, ut patebit ubi de punctis terminatiuis; non secundum, cùm in nostra sententia Animæ Brutorum perfectorum diuisibiles censeantur.

Secunda sententia Cartesii est, qui pariter existimans corpus quodlibet componi ex materia, & Forma, nomine materiæ cum Alberto Magno intelligit ipsam primam extensionem in longum, latum, atque profundum, quam existimat cum Peripateticis de sè inertem ad operandum, atque non componi ex partibus insectibilibus, sed in indefinitum diuisibilibus. An autem Cartesius loquatur de extensione actuali, vel radicali seu exigentia extensionis, rem omninò incertam esse volunt nonnulli, nec ex Cartesio hoc colligi posse existimant; Loqui tamen de secunda hic propugnat Auctor quidam anonimus in suo insigni opere Amstelodami edito, cui titulus *Traitè de l'Ame, & de la Connoissance des Bètes*, hæc enim eodem idiomate habet: *je conclus sans peine, que la Matiere est una substance ettendue en longueur, largeur, & profundeur; de sorte que je vois, que son essence consiste dans l'etendue, ou dans l'esigence de l'etendue.* Ego tamen firmiter existimo ipsum de actuali loqui.

Hanc Materiam distinguit ulterius in triplicem, quam triplici nomine apud ipsum insignitam inuenio. Prima est Materia subtilissima, estque primi Elementi. Secunda globosa; estque secundi. Tertia Striata, vel tertii Elementi (Elementa enim apud Cartesium sunt solùm tria.) Primam esse uult in omnibus corporibus lucidis, & igneis, in quibus existimat ipsam summoperè dominari; secundam in substantiâ æetherea abundare. Tertiam verò in corporibus opacis dominari, uti Terra, & aliis. Primam uult ob sui subtilitatem de facili peruadere quoslibet porros, quod efficere nequit secunda ob sui crassitiem. Quomodo autem hæc triplex materia habeatur explicat, dicendo Deum materiam ab initio creasse ex particulis minutis, & æqualibus compositam. Ex his autem particulis comminutis uult decisa esse ramenta atque castigtis angulis tornata fuisse in globulos Ramenta verò, cùm celerimè agitarentur, & assiduè comminuerentur, ad explenda vacuola globulorum summam adepta fuisse tenuitatem, quam comminutionem euenire quoque docet in globulis, adeò ut tamen illa trittura finem habitura sit quo ad tenuitatem. Nomine verò formæ intelligit quinque affectiones, uidelicet magnitudinem, motum, quietem figuram, situm, quas omnes affectiones simul cum materia, optimè nonnulli Cartesii Alumni his ex præfferunt versiculis.

*Moles, atque quies, motus, positura, figura,*
*Mens, & materies cunctarum exordia rerum.*

Figuram autem distinguit Cartesius in exteriorem unam, interiorem alteram, quæ configuratio nuncupatur; utriusque exemplum assignans in cera figuram sphericam habentem, in qua figura spherica extrinseca est, quia mutari potest, cera ipsa inuariata, figura verò interna, utpotè intrinseca, variari nequit, quin varietur res ipsa, quamtumuis variatio haberi optimè possit absque ulla Figuræ mutatione precisè penes diuersum particularum situm, quod euidenter constat in ipsis Alphabeti litteris, quæ etiò eædem sint per simplicem situs uariationem maxima oritur diversitas. Quies verò ex eodem Cartesio modus est realis posituus, sustinet enim utrumque statum, motus nimirum, & quietis positiuum esse. Vltra hæc, materiam ponit in omnibus homogeneam, ita ut tota diversitas, à variis affectionibus mechanicis desumatur. Idea enim materiæ (edocet) in quocumque, est ipsa trina extensio, diversis corporibus tribuens solum diuersas affectiones mecanicas.

Sed hæc principia, ut chimerica à quampluris reliciuntur, & præcipuè à clarissimis Viris Petro Daniele Huetio Episcopo Suessionēsi designato in sua Censura Philosophiæ Cartesianæ, atque Petro Godard in sua Deliriorum Cartesii ventilatione Parisiis edita. Quàm plura & quidem solida referunt isti contra hoc Cartesii systema, ex quibus primò prætereundum non est illud, quod ex perpetuo corpusculorum conflictu, & concursu semper augeri deberet primum elementum, & minui, atque tandem deleri secundum: cuius rationis uim non uitat le Grand respondens, ita primum Elementū verti in materiam tertii, ut tertii dissolutione denuo primum nascatur elementū Secundò, quia sequitur in Eucharistiæ Sacramento Christi Corpus nō adesse, cùm non sit externa extensio Corporis Cristi, quod est Caluini hæresis, sed panis & uini substantia, cùm sit extensio specierum, quod tamen opponitur transubstantiationi, quam Fides docet. Quibus tamen ex propriis quamplura addo ad proscribendam hanc sententiam, & primò quod huic obstare uidetur, est, quòd ideo primi Elementi tenuitas à Cartesio ponitur, ut omnia vacuola corporum, vel interualla repleant, sicque uacuum excludat. Hoc autem non obtinetur etiam stante hac subtili materia. Etenim illa trittura, quamtumuis celerime fiat, instantanea non est, & cùm ex alia parte ramenta excisa perpetuò uoluantur ad maiorem tenuitatem acquirendam, sequitur in priori, vel ad illam tritturam interualla fuisse in globulis, quæ cum motu continuato tenuiora magis, & magis fiant, jam opus est spatiola in ipsis inueniri; quod si dicas repleri à materia summam tenuitatem habente, recurrit adhuc difficultas, si-

quidem

quidem hæc in illo signo, in quo ad istam mouetur tenuitatem, adhuc sub ipsa non est, unde primi elementi existentia corruit ex eodem fine, ob quem ponitur; sed de hoc suo loco &c.

Secundò quia hic quæritur idea materiæ physicæ inspectæ, non verò mathematicæ uti traditur à Cartesio.

Tertiò essentia cujuscuoque rei est id, quod primò concipimus in re, estque origo omnium aliorum attributorum ejusdem rei: cum igitur compositio, seu forma sit id, quod primò concipitur in materia; extensio autem quid consequens ad formam, nam vera est ista causalis, *corpus est extensum, quia compositum falsa ista corpus est compositum quia extensum*, fit euidens juxta hanc sententiam compositionem esse potius essentiam materiæ, extensionem verò, seu quantitatem, quæ ad illam sequitur esse merum accidens, si non physicum, saltem logicum.

Dices cum Cartesianis causalem illam esse falsam, *corpus est extensum, quia compositum*, veram istam *corpus est compositum, quia extensum*; extensio enim præcedere intelligitur omnem compositionem; cum enim omnis compositio ooo fit, nisi relatio partium appropinquantium, opportet sanè partes ipsas esse ante talem relationem, seu approximationem.

Contra est, quia etiam dato, quod extensio actualis prior sit compositione, prior tamen non est absolutè loquendo, sed potius aliud supponit prædicatum eodem re; videlicèt extensionem aptitudinalem, vel partes prius quoad se extensas. Sicuti in divinis proprietates spectantes ad lineam essendi ellò priores sint illis, quæ spectant ad lineam operandi; non sunt tamen primum prædicatum ipsius Dei, cum supponant ipsum esse purissimum cetera radicans.

Quartò quia non est res facilis asserere materiam divisibilem esse in indefinitum, quin etiam sit in infinitum. Quintò quia affectiones quas ponit Cartesius actuè non sunt præter illam motus supponentis de sua natura principium aliquod ipsius, à quo oriatur, quod cum esse nequeat ipsa materia de se iners ad operandum, remanet assignandum quid sit tale principium. Sextò quia etiam spatio, & loco applicatur hæc materiæ definitio, cum etiam in eo trina concipiatur dimensio. Septimò tandem, quia vel sermo est de extensione quoad locum, vel quo ad se; si de prima contra est, siquidem hæc etiam spiritibus conuenit, qui tamen expertes sunt materiæ Physicæ, si verò de secunda, jam hæc sententia est Henrici, cui non dissentio.

Tertia sententia est Peripatetica nomine materiæ intelligens rem aliquam Physicam, quæ sit pura potentia Physica actum essentialem, vel etiam secundùm quosdam existentialem præsefetens: nomine verò formæ partem, vel actum substantialem unum per se constituentem, de potentia materiæ eductum, generabilem, & corruptibilem, si forma rationalis excipiatur. Ab his principiis intrinsicis, mirum est quantum abhorreant moderni, sed penitus infeliciter. Nihil enim existimò adesse apud Gassendum, Cartesium, aliosque, vel sectatores, vel prælusores, quod solutionem expectet, vel mereatur.

Hanc tertiam sententiam paratus sum toto conaru defendere, quod ut feliciter de more fiat, plura ostendam. Primò Ideam hanc materiæ primæ peripateticam de facili efformari posse à quo piam sanæ mentis, nec difficilem esse captu. Secundò contra ipsam argumenta omnia nullius esse roboris. Tertiò formas ipsas peripateticas frustraneas non esse, imò maximè consentaneas. Quartò ipsarum eductionis accuratam efformari posse Ideam, adeoque præcipuam deficere rationem, und Atomistæ formas istas renuunt inter compositi constitutiva referre; ut ergo cum ordine procedamus sit itaque.

## CAPUT TERTIUM.

*Atomistæ recentiores erudiuntur, ut valeant materiæ peripateticæ Ideam efformare.*

Ut hoc feliciter fiat, & breviter assumo in primis prædicatum aliquod in linea Metaphysica ex quo deinde facilis est descensus ad ordinem Physicum explicandum. Certum itaque omnibus est in ordine Metaphysico inter ipsa prædicata, quædam esse, quæ generica dicuntur, quæ ideò talia sunt, quia in potentia inspiciuntur ad contrahi, suoque modo perfici per suas differentias, uti communiter censetur animalitas, cujus idea de facili ab omnibus percipitur; in hoc itaque mox concipere possumus in ordine metaphysico, cur ordine solummodo variato concipere non valebimus partem aliquam potentialem Physicam, & perfectibilem per aliud quæ induendo rationem nobilioris partis, priorem percipiat atque trahat ad totius Physici constitutionem. Certè nescio quid obstet Deponant ergo Atomistæ inscitiam hanc, ne tanquam Tebani à nobis parvipendantur, qui quamvis sub eodem Cymate quo Athenienses orti essent, stupidi tamen erant, & ingenio, quo fecundi polebant omnino destituti.

Secundò id quod intelligi nequit in materia, vel est ratio potentiæ ad omnes formas, vel ipsius divisibilitas in infinitum, vel ratio partis totius: In materia enim quod sciam nullum aliud prædicatum reperio, quod non sit ex relatis, vel quod ad unum ex his non reducatur, sed quodlibet ex his facilè intelligere possumus; ergo Minor evidens est; nequit enim primum subterfugere captum humanum, sicuti non est imperceptibile in Cartesianorum sententia intelligere cognitionem omnibus modificationibus, aut cogitationibus sulcipiendis idoneam, in qua reponunt Cartesiani Animæ essentiam, vel extensionem omnibus modificationibus, aut figuris recipiendis aptam, & corporis constitutivam; non secundùm, quia Cartesiani ipsam materiæ in indefinitum divisibilitatem propugnant; non tertium quia iidem volunt materiam solam absque determinatis affectionibus partem esse totius incompletam.

Tertiò materia ipsa rerum artificialium, cujus communiter habetur Idea, & ipsa insinuare potest efformationem materiæ naturæ. Nullus enim est qui negare audeat artis materiam in potentia esse ad plures recipiendas formas artis. In marmore siquidem introduci potest quælibet figura pro libito artificis, cur itaque in ordine ad formas naturales sic concipi non poterit materia naturæ, quæ fuit præconcepta à quamplurimis clarissimis viris, quos inter à D Thoma, aliisque Theologis non mediocris Doctrinæ; maxime quod hæc materia sic explicata nedum utilis, sed etiam necessaria dignoscitur. Hac enim data optimè intelligitur cur partes physicæ ordinentur ad totius constitutionem: omne enim perfectibile ordinem dicit ad suum perfectivum; insuper melius constare potest compositi potentialitas, quæ profectò indemnis debet

esse

esse etiam in linea physica; In Deo aliunde non relucens, cùm quamlibet excludat potentialitatem, ut sanior docet Theologorum sententia. Tandem de facili intelliguntur motus omnes alterationis, generationis, corruptionis, conversionis commune exigentes subjectum. Vel ergo ex his, quæ diximus Ideam nunc efformare valent, vel non; si primum, habemus, quod intendimus; si secundum abstineant, quæso à calumniis. Indecens enim est sententiam, quæ non percipitur, impugnare.

## CAPUT QUARTUM.

*Rationes, quas moderni Atomistæ afferunt pro evertenda materia peripatetica referuntur, & refellantur.*

ARguunt primò communiter hoc medio, falvari debet, quòd materia sit terminus creationis; atqui hoc non salvatur semel posito, quòd componatur ex pluribus partibus divisibilibus in infinitum; ergo &c. prob. minor. Terminus creationis debet esse extractus à nihilo secundùm totum suum esse, ut liquet ex conceptu metaphisico creationis; sed si materia, quæ est terminus creationis esset composita ex pluribus partibus, jam terminus creationis non esset talis; ergo. Probatur minor, res composita ex pluribus partibus fit ex iisdem partibus, ex quibus componitur; ergo jam non fieret ex nihilo, & consequenter non posset esse terminus creationis; quòd si dicas posse Deum creare materiam, quamvis compositam, per hoc quòd simul produceret ipsam totam, ejusque partes, adhuc opponunt, siquidem partes illæ integrantes materiæ præcederent saltem natura ipsam materiam; ergo semper materia ipsa fieret ex partibus; ergo non ex nihilo; ergo else non posset terminus creationis.

Respondetur, si argumentum hoc urget; ostendere quoque possemus Petrum v. gr. non componi ex corpore, & anima, quod eodem suadeo argumento; siquidem terminus creationis debet esse extractus à nihilo secundùm totum suum esse: Sed si Petrus componeretur ex partibus relatis extrahi non posset ex nihilo secundùm totum suum esse; ergo. Probatur minor: res composita ex pluribus partibus fit ex eisdem partibus, ex quibus componitur; ergo jam non posset fieri ex nihilo, & consequenter non posset esse terminus creationis. Exhibitat ergo argumentum hujus Atomistæ.

Arguunt secundò. Principia physica debent esse clara, & evidentia, aliàs Philosophia niteretur principiis obscuris; sed phantasma materiæ primæ nullo pacto percipi potest; quis enim est adeò stolidus, ut dicat se intelligere rem, quæ caret omni extensione, omni figura, & omnibus qualitatibus. Insuper materia, si est corporea deberet esse corpus; quia à corpore dicitur aliquod corporeum; sed per adversarios materia non est corpus, quia est inextensa; ergo est incorporea, quomodo ergo facit corpora &c.

Argumentum hoc totum benè instari potest in sententia adversariorum, quorum est argumentum, siquidem nondum exploratæ fuerunt istæ atomi, quæ ab ipsis ponuntur loco materiæ peripateticæ, cùm atomi, quæ videntur in radiis solaribus non sint atomi, de quibus loquuntur hi Atomistæ, cùm hæc sint principiata, non verò principia corporis naturalis; quòd si dicas has atomos exploratas fuisse oculis mentis, quamvis exploratæ non sint oculis corporis; hoc idem dicam, ego relatè ad materiam primam, quam ut percipias, percipere debes substantiam physicam incompletam perfectibilem per formas.

Quis autem tam imbecilis est intelligentiæ, ut non valeat concipere unum esse per aliud perfectibile ipsiusque subjectum, sed miror etiam quomodo isti recentiores, dum materiam primam nominant, utantur nomine phantasmatis. An ne phantasma pars physica substantialis. An ne phantasma terminus actionis creativæ? Phantasma potius censendæ sunt atomi extensæ quoad se, & simul indivisibiles &c.

Arguunt tertiò alii, si materia prima prout ponitur à Peripateticis daretur, deberet assignari propria idea; sed non est assignabilis idea materiæ primæ secundùm se; ergo non datur. Probatur minor ex Divo Thoma *prima parte quæst.* 15. *art.* 3. dicente quòd materia prima non habet ideam in Deo aliam ab Idea compositi, quia materia secundùm se sicuti esse non haber, ita neque esse possibile.

Respondeo quod sicut Atomistæ efformant ideam, & quidem perfectam suæ materiæ primæ, dum asserunt quòd sit atomus extensa infecabilis in plures partes diversas habens figuras. Aliæ siquidem rotundæ sunt, & orbiculares, ut atomi ignis, & luminis, aliæ quadratæ, & cubicæ, ut atomi terræ. Aliæ verò rigidæ, & angulis donatæ, ut particulæ salium; Aliæ plicatiles, & flexiles, ut atomi aquæ, ita nos efformamus ideam nostræ materiæ primæ, concipiendo partem substantialem perfectibilem, quæ à Deo optimè cognoscitur, ad illud autem de cognoscibilitate materiæ, sciendum est difficultatem esse inter Philosophos: existimat enim Bernaldus de Quiros materiam secundùm se esse cognoscibilem, rationibus tamen penitus falsis, quas refert *tractatu tertio Physicorum disp.* 55. cui Suarez, & alii adhærent, & fortasse cum Philosopho 7. *Metaphysicorum textu* 35. nihilominus ego oppositum sustineo, quatenus, cum materia propriam habeat essentiam, propriam habere debet etiam cognoscibilitatem: Verba verò Divi Thomæ faciliter explicantur dicendo ipsum loqui de materia prima, prout hæc est sub exercitio causalitatis.

Arguunt ultimò, si ridiculæ sint definitiones materiæ primæ, erit etiam ipsius existentia; atqui de facto vanæ sunt tales definitiones, prima siquidem, cùm non explicet quid sit materia prima, sed potius quid non sit, adeoquè tamquam definitio negativa, est reprobanda; secunda verò, quæ communiter circumfertur nec quidquam explicat, nam quid sit subjectum illud, in quod omnia resolvuntur, non describitur, unde talis definitio accomodari posset cuicumque principio physico, sive sint elementa, sive atomi; nec refert materiam appellari quid incompletum, quousque enim non explicatur quid sit hoc esse incompletum, semper inutiliter vocabula multiplicantur; ergo non datur hæc materia prima.

Respondetur non esse nugatorias materiæ primæ definitiones, quæ communiter circumferuntur; non quidem prima, quia quamvis non explicare quid sit materia prima (quod tamen falsum est cùm per ultimas particulas dicatur etiam quid sit) explicat tamen quid non sit, quod sufficit, quando definitio alicujus rei traditur per negativum, ut de facto procedit prima definitio Aristotelica, in qua ly quod non significat carentiam essentiæ in materia, ut falsò credidit Le Grand. Nec pariter ridi-

ridicula est secunda, quæ certè applicari nequit elementis, in quæ esto mixta resolvantur, tamen non resolvuntur ultimò.

## CAPUT QUINTUM.

*Evidenter constat formæ Peripateticæ existentia.*

SErmo hic non est de forma rationali, quam in rerum natura per modum formæ informantis sustinent, nedum Peripatetici, verùm etiam Atomistæ, cujus positionem nedum fides suadet, verû etiam ratio præcipuè in eo consistens, quòd operationes spirituales principium spirituale, seu virtutem productiuam spiritualem exigant; in cæteris compositis itaque à viventibus rationalibus oritur difficultas, an nempe tales formæ substantiales à materia distinctæ, & ab accidentibus, sint admittendæ. In qua communis est Atomistarum sententia negantium formas omnes peripateticas, omnia reponentes, vel in plexu affectionum, uti vult Cartesius; vel in qualitate occulta, uti Gassendus, vel in diuersa elementorum combinatione, ut Emanuel Magnan; contra hos stant omnes Peripatetici ex Diuo Thoma, Scoto, & Henrico qui nimò etiam ex Platone, & Philosophis antiquioribus, ut eruditè colligit Suarez. *disput.* 15. *in* Physica: in suadenda tamen illius existentia dissides sunt inter se Peripatetici: aliqui enim desumere hanc contendunt, ex eo quia sunt quædam accidentia aliquibus compositis connaturalia pro quarum conseruatione studet natura, etsi contingat ipsa deperdere statim consimilia reproducit, hoc autem necessariò infert principium (dicunt) reproductiuum, quod formam substantialem appellant. Sic arguunt hic Oviedo. Spinula, & Suarez; alii verò aliam amplectentes viam, dicunt hanc colligi ex rerum differentia specifica, constat enim aliqua differre plusquam accidentaliter, differentia autem plusquam accidentalis haberi nequit, nisi à forma substantiali. Sic has deffendunt idem Suarez, Pontius, Complutenses ex Diuo Thoma. Alii demum ex Eucharistiæ misterio eandem formæ substantialis existentiam inferunt, cùm enim videant in Sacramento Altaris non remanere substantiam panis, & cùm ex alia parte esse nequeat pura materia, aliàs ferrum esset panis, cùm vera materia physica componatur, iam erit aliquid aliud, quod formæ substantialis nomine nuncupari solet. Sic discurrit Arriaga, cui tamen non arridet Pontius, edocens vim argumenti posse à quolibet de facili euadi dicendo, ideò non remanere panis substantiam, quia accidentia quædam inamissibilia corrumpuntur post editam consecrationem, à quibus panis substantia constituebatur: alii etiam ex generatione substantiali ipsam deducere existimant, & tandem non desunt alii, qui ex ipsa animæ rationalis existentia arguunt, sed quidquid sit de his uariis dicendi modis solidiores eligo, unde sit.

## CAPUT SEXTUM

*Suadetur superius assertum.*

EX principio in materia fidei certo, & euidenti lumine naturæ cum Suarez existimo euidenter colligi posse formæ substantialis existentiam in compositis omnibus naturalibus, & quidem sub hac forma; in homine præter materiam datur forma substantialis; ergo etiam in reliquis compositis naturalibus. Antecedens liquet, probatur igitur consequentia: ubi sunt similes effectus, debent etiam argui similia principia, neque enim habemus aliam uiam cognoscendi an aliqua duo sint, necne ejusdē speciei; sed in viuentibus uita sensitiva vegetativa dantur quamplures effectus similes viuentibus vita rationali, actus enim phantasiæ, appetitus sensitiui, & sensuum externorum sunt communes homini; equo, plantæ; ergo in viventibus uita sensitiua, vel uegetariua datur principium simile principio existenti in vivente rationali, simile inquam secundum aliquam proportionem, sed tale principium in vivente rationali est forma substantialis informans materiam; ergo etiam in aliis &c.

Vlterius etiam entia naturalia non viventia habent aliquos effectus similes effectibus existentibus in homine: aqua etenim calefacta sibi suum reparat frigus; sicuti homo infirmus reparat sibi suas vires, ignis producit, & conseruat in se ipso intensionem caloris sibi determinatam, sicuti viuens rationale sibi conseruat temperamentum caloris vitalis; sed hæc in homine proueniunt à forma substantiali; ergo etiam. &c.

Hoc argumentum à modernis quibusdam censetur efficax, & præcipuè à Doctissimo, & clarissimo Voetio in disputatione sua de formis substantialibus habita *Vltraiecti* 5. *Decembris* 1655. ab aliis verò nullius roboris, qui nouissimè respondent, primò nec animam rationalem esse corporis formam, secundò ex particulari conclusionem universalem inferri non posse, uti infertur iuxta superiorem arguendi methodum. Tertiò hac ratione quemlibet arguere posse, & ostendere etiam in aliis adesse formam rationalem: quartò tandem disparitatem esse, quòd natura animæ rationalis recedit à natura materiæ, aut Atomorum, sicut eiusdem operatio, non verò à dispositione atomorum operationes aliarum rerum naturalium, Sed

Ad illud verò de aqua reparante sibi suum frigus dicunt ipsam non esse, quæ se reducit, reproducendo, & rursus ponendo in esse frigiditatem pristinam, vel ei similem, sed frigida relinquitur, ut prius; quia caloris atomi, quæ in aquam introductæ fuerant, ex allantes relinquunt illam pari modo, quo inuenerant eam, diuiduntur autem istæ à Mercurio, qui ambienti aeri inest, tum ab eo, qui ipsi aquæ admixtus est.

Contra, sic enim respondentes in uarios labuntur errores, unde nescio quo iure glorientur se asserta uerioris Philosophiæ sequi, & Peripateticorum errores passim refutare. An non error est formam rationalem non esse formam corporis? quod tamen sustinet Ioannes Schulerus propter quasdam dubitandi rationes adeò parui roboris, ut ipsas referre pudeat sed de hoc suo loco. Ad secundum dico in casu illationem positam legitimam esse, cùm in ipsa seruetur ratio inhærentiæ prædicati in subiecto. Tertium, quod affertur non urget, quia cætera naturalia non habent effectus similes animæ rationali, qua rationalis est. Quartum verò cæteris minus urget, siquidem etiam in Brutis ad sunt operationes excedentes puram conditionem materiæ, non enim esse authomata contra Cartesium eiusque prælusores, & sectatores suo ostendam loco &c.

Vltimum verò Honorati Fabri parum ad rem facit; siquidem omisso, quòd aquæ calor in igneis particulis consistat, adhuc argumentum vim suam habet siquidem quæro quid sit vis istarum diuisiua

in Mercurio residens, an videlicet substantia, vel accidens, non secundum; accidens enim prædicamentale reprobant Atomistæ; ergò primum, cùm autem esse nequeat materia, iam erit forma substantialis.

Respondent secundò alii operationes istas prouenire à diuersitate materiæ, à diuersa etenim dispositione variæ oriuntur actiones, cum enim illæ particulæ sint activæ, & habeant virtutem mouendi alias sibi nexas in compositum, consequenter sunt etiam principium motus sui ipsarum, & compositi, in quo sunt. Vltraquamquod, etsi simpliciter, & absolutè tale principium actiuum concedatur, adhuc non tenetet hæc consequentia; ergo datur forma substantialis, quia tale principium posset esse accidens, aut qualitas activa, aut facultas agendi materiæ insita, maximè cum Aristoteles doceat ignem, & aquam agere in quantum certas habent qualitates. Sed

Quamuis hic respondendi modus plausibilis sit apud Atomistas, præcipuè Maygnan, insubsistens tamen est, siquidem composita naturalia dum alterantur, amplius non seruant atomi eandem dispositionem maximè in Maygnani sententia, iuxta quam elementorum alteratio fit ex diuisione, & particularum transpositione, sed ex alia parte seruant eandem agendi virtutem; aqua etenim etiam alterata suam recuperat frigiditatem formalem (virtualem enim semper retinet per Atomistas) ergo &c.

Vlterius particularum dispositio tantùm est conditio sine qua non agendi, non verò virtus causandi; Ad id autem, quod dicunt tale principium fore qualitatem aliquam, existimo, quòd esto hoc omitti possit cum Schola Divi Thomæ, loquendo de principio proximo, negari tamen debet de remoto; Sed quoad hanc partem videatur Ariaga &c.

Secundò ex ultimò probatur assertum ex conceptu generationis substantialis, ipsiusque diversitaris ab alteratione, atque substantialis corruptionis, siquidem generatio substantialis terminari debet ad aliquod substantiale, quod producat, atqui hoc esse nequit materia prima, hæc enim ingenerabilis est, atque incorruptibilis, nec esse possunt ipsæ Atomi, quia cùm sint entia simplicia, non nisi per creationem, & anihilationem produci, & corrumpi possunt, ergo jam erit aliquod distinctum, sed hoc distinctum debet esse substantiale, cùm generatio substantialis sit; ergo jam ponitur aliquod substantiale distinctum, quod profectò est ipsa forma substantialis. Quod argumentum promoveri potest etiam in ordine ad alterationem, & substantialem corruptionem.

Dices per generationem non producitur noua entitas, sed tantùm nouus modus rerum jam existentium, itaut generatio nil aliud sit, quàm noua partium etiam existentium dispositio, nec alio modo rerum naturalium generationem procedere; Sed

Contra, quia hæc partium dispositio, vel est aliquod substantiale, vel accidentale, si primum concedunt, quod volumus, atque diffidium unicè erit de nomine; si secundum, contra est, quia accidentia prædicamentalia ipsi Atomistæ non ponunt, talis autem dispositio, si accidens est, prædicamentale esse deberet, ut speculatori naturam ipsius accidentis prædicamentalis patebit. Cæterum si quid substantiale est, atq; adeo, ut jam diximus, forma substantialis, hæc etiam vocari poterit materiæ dispositio, cùm ipsam perficiat, atque determinet.

CAPUT SEPTIMUM.

*Argumenta contraria diluuntur.*

Arguit primò Emanuel Maygnan; tunc non esset ponenda hæc forma substantialis, quando hac sublata haberi posset idem compositum, habens suam determinatam essentiam; sed de facto etiam forma Peripaterica non intellecta, haberi potest idem numero compositum, constans ex determinatis portionibus elementorum in tali proportione sumptis, & nexis, habens suam essentiam physicam, enim in hac determinata portione talium elementorum, & ipsorum combinatione, non apparet forma substantialis peripatetica; ergo hac exclusa haberi potest idem compositum dicens determinatam essentiam. Respondetur totum id, quod habetur per formam ipsam substantialem haberi non posse per varias elementorum simplicium portiones, siquidem forma substantialis differre facit unum compositum ab alio, ne dum accidentaliter, verùm etiam substantialiter, variæ autem portiones elementorum hanc differentiam dare nequeunt, cum & ipsæ inter se differant tantùm accidentaliter, nimirum tantùm ratione figuræ juxta Gasendum. Contrà verò illos, qui docent tales atomos diuersas esse inter se entitatiuè, secundùm diuersam ipsorum atiuitatem, ut sustinet Mayguan, reccolendum est, & affirmandum ipsas pugnare in suis constitutiuis, cùm simul extensæ entitativæ, & indiuisibiles affirmentur &c.

Arguunt secundò alii Atomistæ, quia formæ istæ, si darentur, esse deberent corruptibiles, hoc autem esse non possent, siquidem hanc corruptibilitatem, vel haberent à se ipsis, vel ab alio, non primum, quia naturaliter nihil tendit in sui interitum: est enim natura conseruans sui; nec ab alio, quia hoc aliud, vel est materia, quam informat, & hoc non, quia hæc non est actiua, nec ab alia causa, quia hæc, vel necessaria esset, vel libera, si necessaria, utique forma, statim corrumperetur, quia causa necessaria semper agit, unde nec ad momentum quidem permanere posset: si verò à causa libera corrumpatur; ergo corruptio formæ prorsus erit contingens, & neutiquam naturalis ut patet &c.

Respondetur formas esse corruptibilitatis habere à se, non quidem prout corruptibilitas dicit inclinationem ad corrumpi, ut putat Clarissimus Schulerus in suo insigni opere phylosophico omni plausu digno, (si tamen excipiantur, quæ supra erhicam scripsit adversus fidem Catholicam) sed unicè prout dicit potentiam ad corrumpi, itaut corruptio ab extrinseco proueniat, quidquid sit, an hoc extrinsecum sit causa necessaria, vel libera. Ideò autem statim non corrumpitur, forma corruptibilis, hæc ipsa est, quia causa corruptionis non semper adest applicata.

Arguit tertiò Gasendus. Si hæc forma existeret, daretur ut principium primum corporis naturalis; sed non potest habere rationem principii in ordine ad compositum naturale; ergo non datur. Probatur minor. De ratione primi principii, nedum est, ut semper maneat, verùm etiã, ut neq; ex alio principio, neque ex ulla alia re fiat; sed hæc forma substantialis nec semper manet; cùm quælibet, excepta rationali, subjaceat corruptioni, & ex alio fiat, nimirum ex priuatione tamquam contrario, & educitur ex materia, sine qua originem, & esse non haberet; ergo non habet rationem primi principii. Respondetur formam substantialem adstrui in rerum natura tamquam primum principium corporis naturalis

turalis, nec officit, quod ipsa fiat ex materia, siquidem ex ipsa non fit tamquam ex causa formali, in quo genere causæ non habet rationem primi principii: nec obstat secundæ formæ coruptibilitas; Ad rationem etenim primi principii corporis naturalis, quod per se requiritur, solùm est, quod ex alio non fiat in sensu explicato, & rem ipsam constituat, si principium intrinsecum sit, quod verò corruptibile, vel incorruptibile sit ad rem non facit &c.

Arguunt quartò alii: Forma hæc composito dare nequit esse, agere, & distingui; ergo non datur Consequentia hæc peripatetica pænitus evidens est; ad hoc enim datur forma, ut det esse, agere, & distingui. Probatur itaque antecedens per singulas partes, & in primis non posset dare esse composito, siquidem si dat esse composito; ergo illud esse dabit omnibus partibus compositi, vel aliquibus tantùm vel nullis, si omnibus, ergo etiam sibi ipsi esse dabit, si aliquibus; ergo materia dabit esse, atqui materia jam præsuponitur tamquam subiectum, ex quo educatur: si vero dicas nullam partem suum esse recipere à forma, quomodo ergo illud dabit esse composito. Nec agere haberi potest à forma, siquidem forma corrupta easdem actiones sæpè, & virtutes experimur in partibus. Exempli gratia fundatur herba, vel planta in mortario, vel etiam piper, & redigatur in minimas particulas, proculdubio, jam periit forma totius, eandem tamen virtutem, & vires retinens; nec tandem distinctio esse potest à forma, siquidem quæri potest per quid; ergo materia distinguitur à forma, certè hic nihil responderi potest, nisi materiam distingui à forma per propriam suam naturam, & quidditatem, si ergo materia se ipsa distinguitur à forma, quare non etiam se ipsa distingui poterit ab alia materia, si enim materia auri se ipsa distinguitur à forma auri, negari certè nequit, quin etiam se ipsa distinguatur à materia argenti.

Respondeo formam ipsam tribuere esse materiæ, quia ipsam trahit ad esse physicum completum, unde esto nō det esse per modùm principii intrinseci simplicis, omnibus ue partibus distributiuè acceptis, dat tamen collectiuè Pars enim est intrinseca collectioni; dat quoque agendi virtutem; nec mirum est, quod remaneat in pipere ad minimas redacto particulas, cum ipsa mixti forma perseueret, unde exemplum enim hoc parum urget. dat etiam distingui, nō quidem inter unam materiam, & alteram, vel inter materiam, & formam, hoc enim est utique intrinsecum, sicuti intrinseca est utique sua entitas, sed distingui, vel differre unum compositum ab altero.

Arguunt quintò alii contra utramque rationem superiori capite allatam in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento vinum calefactum reducitur ad pristinum frigus, sed hoc non prouenit à forma vini, quæ ibi non est, ergo recuperatio prioris qualitatis generaliter non habetur à forma substantiali.

Respondeo in Sacramento altaris illam recuperationem prioris frigiditatis fieri, divina virtute hac supplente loco formæ vini, cum hæc amplius non sit peractis verbis consecrationis. Cæterum, quando forma est, ut contingit in priori ad conversionem hæc habetur media ipsa forma substantiali.

Essent & alia hic referenda, sed de hac te videantur Adrianus Heereboord in suo opere phylosophico inscripto Metelemata phylosophica Neomagi Typis ædito, Andreas Pissini Lucensis in sua doctrina naturalium parte prima *lib. 2 cap 3.* ubi evertere se existimat Sistema physicum peripateticum respectivè ad materiam, formam, & accidentia, quæ omnia ob temporis penuriam, reluctante tamen conscientia omittimus videnda apud eosdem, præcipuè apud Pissinum, qui in hac materia optimè scripsit, &c.

## CAPUT OCTAVUM.

*In quo quid sit formam educi de potentia materiæ explicatur.*

Controuersiam hanc præfixo titulo expositam per difficilem reddiderunt Atomistæ, & peripatetici; Primi quidem asserendo se non intelligere, quid sit formam educi; secundi verò ob varietatem explicationum, quas afferunt, ut Atomistas reddant intelligentes. Ut ergo seruetur ordo à nobis etiam in hujus materiæ discussione propositus, primò præcipuas afferam explicationes, secundò quæ veritati dissona sunt reiiciam. Tertiò tandem breuiter quid sit formam educi in mea sententia assignabo: & ut à primò exordium ducam Prima sententia illorum est, qui docent formas materiales de potentia materiæ educi, formalissimè nil aliud esse, quam, quod ipsæ lateant in visceribus materiæ, à qua virtute agentis naturalis emergant, ita ut ipsa eductio duo dicat, unum veluti præsupositivè, quod est ipsa formæ præexistentia in visceribus materiæ, aliud vero formaliter, nimirum ipsa actio agentis, per quam tales formæ trahuntur in materiæ superficie sed hæc explicatio, ut optimè advertunt recentiores aliqui subsistere nequit. Primò quia tollerentur de medio generationes omnes, cum forma quælibet, quæ aliundè terminus est formalis generationis ad ipsam præsuponeretur: secundò quia data hac explicatione unum compositum substantiale esset quodliber compositum substantiale, & sic non à cæteris contradistinctum. Pater hoc, nam forma substantialis de sua natura habet hoc, quod semel posita in materia ipsam determinet ad determinatam speciem compositi physici; ergò cum omnes formæ essent in qualibet numero materia, jam non daretur aliquod ens substantiale physicum, quod esset solùm unicum compositum substantiale, sed quodlibet ens multiplex esset compositum. Tertiò quia amplius verum non esset, quod materia esset secundùm se pura potentia physica, nam hæc diceretur talis per non inclusionem actus physici, quod enim ex se habet actum physicum, jam non est ex se simplex potentia physica, sed si formæ secundum esse formale laterent in materia, jam ipsa materia includeret actum physicum; ergò amplius non esset pura potentia physica, Quartò tandem, quia appetitus, qui in materia ponitur relatè ad omnes formas non est solùm appetitus complacentiæ, sed etiam desiderii; atqui si omnes formæ secundum suum esse formale laterent in materia, jam appetitus materiæ esset solùm complacentiæ, quia esset appetitus rei possesse, nullus vero esset desiderii, quia non esset rei absentis, vel ad summum, si esset appetitus complacentiæ, esset solùm circa formam rationalem quæ in materia non præcontinetur; ergo ne hoc dicatur, dicendum erit insubsistentem esse hanc eductionis explicationem.

Secunda sententia docet eductionem nihil aliud esse, quam quod ipsæ formæ inchoativæ sint in materia secundum quasdam minutissimas particulas, quæ deindè virtute agentis naturalis reducantur ad ultimam sui perfectionem, ideò autem ponit has minutissimas particulas præexistere in materia, ut salvetur ipsarum formarum productionem

non

non esse creationem; sed contra est, ultra enim superius dicta, quæ etiam ad rem faciunt contra hunc explicandi modum, aliqua ulterius addi possunt, inter quæ illud in primis observo, quòd juxta hanc explicationem supponitur substantiam suscipere, magis & minus, quod à vero recedit in schola peripatetica, secundò quia, quemadmodum partes illæ, quæ præexistentibus adduntur virtute agentis naturalis, quamvis antecedenter non existerent, non dicuntur creatæ, ita quamvis formæ inchoativè non existerent in materia, adhuc formarum productio non esset creatio. Et ratio totius est, quia quamvis ipsa forma produceretur secundùm se totam ex nihilo sui, non produceretur tamen ex nihilo subjecti, quod sufficit, ut formæ ipsæ productæ ab agente naturali, ab eodem non dicantur creatæ.

Tertia sententia illorum est, qui asserunt formas educi, seu generari esse ipsas fieri per subjecti alterationem, & transmutationem, & insuper esse fieri formæ ex vi actionis supponentis materiam sub privatione formæ denuò factæ, sed hæc sententia, quamvis plausibilis sit, quam ex nostris novissimus quidem scriptor sequitur, reiicitur. Primò, quia eductionem formaliter inspectam non explicat, ut à creatione contradistinctam, nam hæc eductio, vel consistit in ipsa transmutatione, vel in ipsius alteratione, si primum dicatur, contra est, tam enim benè materia transmutatur per formam genitam, quàm per formam creatam, cùm per utramque de novo perficiatur, recipiendo physicum complementum, si verò dicant secundùm; ergo nulla forma erit, quæ per eductionem producatur, cùm numquam materia propria alteretur, id enim, quod alteratur, capax est corruptionis. Materia autem incorruptibilis est; quod si dicas materiam alterari, nil aliud esse, quàm materiam ipsam disponi ad formæ receptionem; adhuc oppono, siquidem hoc etiam convenit formæ, quæ creatur, hæc enim certè non introducitur, nisi prius sit disposita ad ipsam formam recipiendam, ut patere potest in creatione ipsius formæ rationalis, quæ in materia non introducitur, nisi hæc elaborata sit.

Ad hæc addo, quòd sola præsupositio materiæ sub privatione formæ, si quid aliud non addatur, non explicat quid sit formæ generatio, da enim formam aliquam à Deo produci in materia, quæ in priori ad productionem extitisset, certè in hoc casu esset hujus formæ creatio, simulque esset præsupositio materiæ cùm ejusdem formæ privatione, cum tamen non esset formæ generatio. Itaque aliud exigitur ad formæ generationem.

Quartus dicendi modus (qui proprius est à nobis excogitatus) sustinet eductionem tria importare. Primum est formam educibilem habere esse immersum in materia, & sic anima rationalis educi nequit, cum non habeat suum esse immersum in materia, sed supra esse materiæ elevatum. Secundum est intervenire in eductione concursum materiæ in genere causæ materialis. Tertium est formam eductam habere solùm conservari in materia naturaliter loquendo.

Hæc tria existimo optimè explicare ipsius eductionis essentiam, sive eductio summatur secundùm id, quod importat præsupositivè, sive secundùm id, quod importat formaliter, sive secundùm id, quod importat de consequenti. Præsupositivè importatur immersio; formaliter concursus; consequenter naturalis inseparabilitas. Perpende Lector meam hanc eductionis ideam, & videbis me verum dicere; sed

Dices cum Magistro Ventura. Hæc explicatio eductionis non est ita propria formarum, quæ generantur, ut non conveniat etiam formis, quæ creantur; ergo etiam ipsa illegitima erit. Probatur antecedens, quia anima rationalis requirit materiam concausantem sustentantem; nisi enim detur materia jam organizata, & disposita ad recipiendam animam, anima non creabitur à Deo.

Dices secundò. Conservatio est posterior eductione, & ita posterior est, ut ipsa eductio stare possit sine conservatione ipsius formæ in materia, ut casu quo forma statim, ac fuisset producta ab agente naturali, corrumperetur; ergo nec ultima hæc explicatio eductionis solida est ac legitima; sed

Contra est, in primis miror, quod hic Henricilla propugnet materiam concurrere in genere causæ ad animæ rationalis productionem, siquidem cum anima rationalis producatur per actionem creativam, jam nequit materia concurrere in genere causæ ad ipsius productionem. Creatio enim excludit quamlibet secundam physicam causalitatem. Insuper falsum est, quod additur videlicet formam rationalem sustentari à materia, cum per se ipsam, nedum existat, sed & subsistat, quantumvis subsistentia incompleta, nullus enim hucusque ex Peripateticis, & Atomistis asseruit ipsam rationalem formam à materia sustentati propriè sumpto vocabulo sustentari.

Ad id verò, quod affertur in secunda instantia, dico nihil esse, quod urgeat, cùm ipsa conservatio formæ eductæ in materia posita sit in explicatione eductionis pro consequenti ad ipsam, non verò pro formali, ita ut sensus sit, quod forma educta post eductionem, si conservetur, petat naturaliter conservari in materia.

Huic explicationi eductionis excogitatæ, accedit altera, quam insinuat Angelicus Præceptor, docens eductionem formæ residere, in ejusdem sustentatione in materia, quam ut clariùs explicet suis discipulis, ipsam distinguit in sustentationem secundùm informationem, & secundùm esse. Primam concedit materiæ etiam relatæ ad formas, quæ creantur, uti est anima rationalis, in ordine ad quam materia revera est subjectum informationis, secundam verò negat, quia revera materia non indiget ad hoc ut subsistat, sed subsistit in se saltem loquendo de subsistentia incompleta; in hac autem secunda sustentatione eductionem reponit.

## CAPUT ULTIMUM

*Adversæ partis argumenta præcipua referuntur.*

Siquis est, qui ex professo impugnat formarum eductionem, profectò est Pater Maignan ex Illustrissima Familia S. Francisci de Paula. Arguit itaque hic multipliciter, & primò. Nequit explicari in quo consistat hæc generatio formæ substantialis; ergo non datur hæc formarum eductio: Probatur antecedens multipliciter, & in primis affirmari nequit quòd generatio formæ sit ejusdem eductio de potentia materiæ; nam formam educi de potentia materiæ idem est ac quod forma inhæsivè recipiatur in materia tanquam in potentia passiva receptiva; sed hoc est insufficiens ad explicandam generationem formarum materialium; ergo; ostenditur minor, nam si tales formæ dicantur generari, & educi de materia per hoc præcisè quod recipiantur

tur in materia tamquam in potentia receptiva, profectò necceſſarium eſſet etiam aſſerere, quod anima rationalis pariter,& ipſa educatur de poteotia materiæ, & generetur cum materia tam benè ſit potentia paſſiua, & receptiva rationalis, quàm aliarum formarum.

Secundò affirmari nequit formam generari eſſe formaliſſimè, quod eius productio fiat dependenter à materia tanquam à cauſa actiua, vel tanquam à paſſiuo concurſu. Primum affirmari nequit, cum materia, io ordine ad formam oon concurrat actiuè (eſt enim pura potentia paſſiva) ergo ſecundum dicere debent, ſed hoc affirmando non benè explicatur eductio formæ ex materia, nam ſi materia concurrit ad tales productiones per modum potentiæ pure paſſivæ, & receptivæ, iam materia erit ſolùm ſubiectum, in quo, non vero ex quo, quod tamen exigitur ad eductionem. Tertiò affirmari nequit, quod generatio formæ ex materia conſiſtat, in hoc, quod forma ſuſtentetur, & ſubiectetur à materia, nam dum dicitur, quod materia ſit ens per ſe, ſubſiſtens, vel hoc tribuitur etiam formæ, vel non; ſi primum; ergo non magis dicendum erit materiam eſſe ſubiectum ſubſtentationis formæ, quàm formam materiæ, cum utraque ſit per ſe ſubſiſtens, ſi verò dicatur quod ſola materia ſit per ſe ſubſiſtens, iam tribuitur materiæ,quod aliundè negatur formæ, quod tamen falſum eſt, cum forma ſit materia perfectior.

Quartò nequit explicari generatio formæ dicendo ipſam generaris eſſe formaliſſimè depēdere a materia tum in fieri, tum in conſeruari, nam formam dependere à materia in fieri, & conſeruari nihil aliud eſt, quàm materiam præbere ſuum concurſum ad formæ productionem, & conſeruationem modò peto aniſte concurſus ſit actiuus, vel paſſiuus. Actiuus certè non eſt, nam materia actiua non eſt, ſi verò dicant quod ſit concurſus paſſiuus; contra eſt, quia hic concurſus paſſiuus nihil aliud eſt, quàm formam fieri, & conſeruari in materia; ſed formam fieri, & cooſeruari in materia, eſt formam fieri in materia, non verò ex materia; ergo neque hoc modo ſufficienter explicatur eductio.

Quinto explicari nequit per hoc, quod ipſa forma petat fieri in materia, nam ſi ſolùm poſtulat fieri in materia; ergo forma ſit tantùm in materia non verò ex materia. Secundò quia etiam forma, quæ creatur, uti eſt forma rationalis, poſtulat fieri in materia, in quantùm eſt forma, & tameo non generatur, ſed creatur.

Reſpondeo ad hæc omnia, inhærendo ſuperiori eductionis explicationi, juxta quam difficilis non eſt præcipui argumenti ſolutio, & in primis ad primam maioris probationem primi Syllogiſmi, dico nullatenus ſequi formam rationalem educi: Quamvis enim hæc recipiatur in materia tanquam in materia tanquam in potentia paſſiua, ad ipſius tamen productionem non concurrit concurſu, qui ſit in genere cauſæ phyſicæ. Præterea anima rationalis neque habet eſſe immerſum in materia, neque ipſius conſeruatio eſt debita ſolùm naturaliter loquendo in ipſa materia, quæ tameo omnia importat ipſa eductio præſupoſitivè, & conſequenter.

Ad ſecundum verò dico formas ipſas fieri dependenter à materia, oon eſt ipſas formas purè recipi in materia, in quo caſu verum eſſet, quod materia eſſet purum ſubiectum, in quo, non ex quo, ſed ulterius, eſt habere ſuum eſſe in eadem immerſum, atque petere ſui connaturalem conſeruationem in ipſa.

Ad tertium dico nos non arridere illorum ſententiæ, qui formarum eductionem ex materia explicant per ſubſtentationem, præcipuè loquendo de formis ſubſtantialibus, quæ cum ſubſtantiales ſint, propriè ab alio ſubſtentari nequit affirmari, cum hoc proprium ſit accidentium, nihilominus ne videatur hoc affirmari, ut vitemus uim argumenti, dico materiam formas ipſas ſubſtentare, per modum ſubiecti, non quidem dicentis peculiarem ſubſiſtentiam, ſed ſolùm propriam exiſtentiam. Hoc autem modo, adeſt ratio, cur potius materia habeat formas ſubſtentare, quam è contra, cum ſola materia habeat prioritatem naturæ à cauſa materiali exigitam, neque ex hoc ſequitur materiam ipſam fore perfectiorem forma, ſed potius contrarium infertur, cum ſubſtentare per modum ſubiecti præſeferat imperfectionem.

Ad quartum dico formam generari eſſe formaliſſime dependere à materia in fieri; ipſam materiam in eſſe phyſico neceſſario præſupponendo, quæ concurrere habeat recipiendo, & patiendo; ad differentiam formæ creatæ, quæ quamuis præſuponat materiam informandam, non neceſſario tamen ipſam præſuponit, nec in ipſa naturaliter petit conſeruari. Formam autem, quæ generatur neceſſariò præſuponere ipſius materiam & fieri in ipſa, & conſeruari noo eſt ſolùm fieri in materia, ſed ex materia.

Ad quintum dico formas ipſas materiales educi de materia, primò per hoc quod habeant eſſe immerſum in materia, ſecundò per hoc quod fiant in materia concurrente per phyſicam cauſalitatem. Tertiò per hoc quod naturaliter ipſis conſeruatio non ſit debita, niſi in materia, hoc autem modo animæ rationali non poterit convenire generatio, cum non ſic ſit producta nec,continuò producatur.

Quod ſi quæras quid ſit hic concurſus materiæ per modum cauſæ ultra putam rationem ſubiecti, ſecundùm quem concurſum concurrat ad eductionem, & vi cujus formaliter forma denominetur educta, dico eſſe ipſam neceſſariam præſuppoſitionem materiæ in eſſe phyſico, in qua forma ipſa habet eſſe immerſum. Per hoc autem ſufficienter ſecernitur eductio à vera creatione, quia in iſta vel non præſupponitur materia, dum forma creatur vel ſi præſuponatur, non præſupponitur eo modo concurrens ad creationem formæ, quo concurrit ad generationem.

Arguit ſecundò de ratione veræ cauſæ materialis eſt, quod ſit cauſa intrinſeca, & inſit in ſuo cauſato tanquam pars intrinſeca cauſati; ergo ſi materia haberet rationem veræ cauſæ materialis; erga formas ſubſtantiales deberet eſſe cauſa intrinſeca, ſed materia relata ad formas non habet rationem cauſæ intrinſecæ; ergo non habet rationem veræ cauſæ materialis; ergo non eſt aſſignabile, quomodo hæc forma peripatetica fiat per generationem. Antecedens eſt certum ex definitione ipſius materiæ traditæ ab Ariſtotele, & inſuper quia, cum materia ſit cauſa materialis compoſiti, eſt etiam pars intrinſeca ejuſdem. Ultima conſequentia pariter tenet, quia ideò formæ fiunt per generationem, quia materia habet veram rationem cauſæ materialis; ergo ſemel poſito, quod non habeat veram rationem cauſæ marerialis, intelligi non poterit quomodo generetur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, de ratiooe veræ cauſæ materialis eſt quod ſit cauſa intrinſeca, & inſit in ſuo cauſato, ſi ſit cauſa materialis totius compoſiti, concedo antecedens, ſi alterius ſit

 cauſa

causa materialis, nego antecedens, & consequentiam, duplex est genus causæ materialis, aliud nempè genus causæ materialis intrinsecæ, aliud verò extrinsecæ. Primum genus utique importat intrinsecam causalitatem, & hæc exerceri potest erga compositum, cujus materia est pars intrinseca, & essentialis, at relatè ad formas non est causa materialis intrinseca, sed extrinseca, sed contra hanc solutionem.

Instat primò Maignan. Si modi causandi materialiter essent diversi, nempè modus causandi materialiter intrinsecè, & causandi materialiter extrinsecè, Philosophus duas tradidisset definitiones, vel saltem debuisset tradere, quibus isti duo diversi modi causandi exprimerentur, sed causæ materialis una tantùm est tradita definitio, & hæc per causam intrinsecam, dum dicitur *ex quo fit aliquod, cum insit*; ergo non est genus causæ materialis intrinsecæ; ergo si materia non habet rationem veræ causæ materialis intrinsecæ relatè ad compositum, nullo modo habere poterit rationem veræ causæ in ordine ad formas, adeoque de primo ad ultimum non erit assignabile in quo consistat generatio substantialis.

Instat secundò, si causa materialis alia esset intrinseca, & alia extrinseca, definitio tradita à Philosopho non nisi æquivocè conveniret causæ materiali corporis physici, & causæ materiali formæ corporeæ; sed hoc est falsum, cum definitio causæ materialis non sit æquivoca, sed univoca; ergo si materia haberet rationem causæ materialis erga formas deberet esse causa intrinseca formæ, in qua inesset forma tamquam in suo causato.

Instat tertiò. Si materia non haberet rationem causæ materialis intrinsecæ relatè ad formam magis propriè diceretur generari compositum, quam ipsa forma, sed hoc falsum est etiam in sententia Peripateticorum, cum tam propriè forma substantialis materialis dicatur generari, quàm compositum; ergo materia, vel habet rationem causæ materialis intrinsecæ relatè ad formam, vel forma minus propriè dicitur generari. Probatur sequela majoris, si materia non haberet rationem causæ materialis intrinsecæ, relatè ad formas, forma minus propriè causaretur materialiter, quàm causatur compositum; ergo minus propriè generaretur, quam generetur compositum. Patet hæc ultima consequentia, quia generatio commensuratur causæ materiali.

Respondeo ad primam Instantiam negando sequelam; nam quamvis duplex sit modus causandi in genere causæ materialis, tamen proprius causandi modus materialiter est in genere causæ materialis intrinsecæ. Materia autem dum definitur, in ordine ad præcipuum modum causandi definitur, qui proprius causandi modus, cum unus sit, unica quoque esse debet definitio, per quod patere potest ad secundam instantiam, dicendo definitionem Aristotelicam univocam esse, cum omni causæ materiali intrinsecæ (quæ solùm definitur) verè, & propriè conveniat. Ad tertiam verò dico formas materiales verè generari ex materia, quamvis hæc non sit causa intrinseca formæ, cujus ratio est, quia formæ ipsæ producuntur dependenter ab ipsa, concurrendo concursu physico ad ipsarum productionem, & conservationem, quod sufficiens est, ut formæ ipsæ tam propriè generarentur, ac generatur compositum.

Arguit tertiò Gassendus. Si daretur hæc formæ substantialis eductio, assignari deberet, in quo subjecto ipsa forma lateret, ante sui productionem, sed hoc demonstrari nequit; ergo. Ostenditur minor, si hæc forma ante sui productionem præsuisset in aliquo subjecto, maximè in materia, sed in materia præsuisse affirmari nequit; ergo. Probatur minor, si præsuisset in materia ante sui productionem, non ipsam appetivisset,, ut absentem; sed de facto appetitus materiæ in priori ad formæ productionem fuit appetitus rei absentis; ergo. Major enim certa est, nam nihil appetit ut absens id, quod jam possidetur.

Confirmat hoc suum argumentum Gassendus, si tales formæ educerentur, vel taliter educerentur, ut antecedenter actu in composito essent, vel non. Si dicatur primum; ergo forma illa de novo non producitur, cum supponatur secundùm suum esse actuale: Si dicatur secundum; ergo ex ipsa educi nequit. Patet hæc cōsequentia, quia repugnat educi ex aliquo, quod in ipso actu non est, sicuti repugnat in crumena, quod educantur decem nummi aurei, si in ipsa crumena actu antecedenter non essent.

Confirmatur secundò: quia si dicatur, quod formæ materiales educantur de materia, quia hæc est ipsarum subjectum receptivum, ita ut ipsa receptivitas sufficiens sit ad salvandam veram, & propriam eductionem formæ substantialis de materia; ergo pari jure affirmari poterit nummos aureos educi posse propria eductione ex crumena pauperis vacua, quatenus potest recipere aurum.

Antequam fiat satis huic argumento advertere placet quandam doctrinam arguentis, quam tradit libro de ortu, & interitu rerum *sect. 1. lib. 7.* ubi docet, quod forma existens in compositis naturalibus sit quædam qualitas aut species, quæ ab ipso vocatur modus substantiæ. Præterea asserit, quod per positionem hujus qualitatis optimè salvatur quid sit formam contineri, & educi ex materia, quatenus videlicet per ipsam qualitatem, materia immutatur, & tali, vel tali modo formatur. Sic species Mercurii dicitur potestate contineri in ligno & ex illo educi, quia lignum formari potest in Mercurii statua. Ex hac autem doctrina, quamvis falsa, sic arguo contra Gassendum: talis qualitas ante sui productionem dicitur esse in potentia materiæ, & ex ipsa educi, quatenus materiam ipsam valet mutare, & formare; ergo cum etiam forma substantialis Peripateticorum materiam immutet, perficiat, formet, præcontinebitur in materia, & ex ipsa educetur, vel sicuti talis qualitas affirmatur educi ex materia, quamvis non præexistat actu in ipsa, ita hoc idem affirmari poterit de forma peripatetica, sed falsum pænitus est eductionem cōsistere in tali immutatione, & materiæ formatione, quemadmodum falsum est, quod ad perfectam eductionem formarum requiratur præexistentia temporis in materia, siquidem hic auctor tenetur assignare conceptum generationis contradistinctum à creatione. Posito autem, quod formam educi de materia sit materiam per ipsam perfici, & immutari, jam non assignatur amplius peculiaris conceptus eductionis consistens in actuali influxu materiæ per modum causæ. Anima enim rationalis non educitur, nec generatur, & tamen dum est in corpore, ipsum perficit, & format per propriam entitatem, ex qua doctrina patet solutio in forma ad argumentum.

Ad primam confirmationem, & secundam jam patere potest solutio ex dictis, quibus addo ipsam priorem confirmationem retorqueri posse in suum auctorem, petendo an sua qualitas, antequam educe-

cere-

ceretur ex materia in ipſa præexiſteret nec ne; ſi dicat primum; ergò non ſaluarur compoſira naturalia de novo fieri, ſi ſecundum; ergò aliquid poteſt ex alio educi, quamuis in ipſo actu, & formalirer non ſir. Pro omnibus itaque dico, quod optimè intelligitur formas ipſas educi, quamvis in mareria formaliter non præexiſtant, quia nomen eductionis non inrelligi debet, ut intelligi ſolet à Vulgo, ſed ſolùm per ipſum intelligere debemus aliquod fieri cum indigentia alterius concurſus per modum cauſæ marerialis, in quo autem conſiſtat hic concurſus particularis exigitus ad formatum generationem, explicatum eſt. Pecuniæ autem ideo educi nequeunt à crumena, ſi in ipſa non ſint, quia talis eductio eſt præcontinentia, crumena aurem nullatenus concurrit ad formationem pecuniæ, undè ſi in ipſa non ſint, educi non poterunt. Hæc pro eductione ſufficiant. Cætera videantur apud Rojas in ſuo opere de formatum eductione diffuſe loquentem. Neapoli ædito Typis Michaelis Angeli Barba 1694.

---

# DISPUTATIO

## SECUNDA.

### De Materia prima.

## QUÆSTIO PRIMA.

*In quo ſenſu materia ſit pura potentia.*

### CAPUT PRIMUM.

*Præmittuntur definitiones materiæ primæ, & deinde reſoluitur difficultas, affirmando eſſe puram potentiam phyſicam, non verò metaphyſicam.*

MAteriam primam ſuperius inſinuatam bina definitione expiicari à Peripateticis omnibus notum eſt. Prima ſic procedit: *Materia prima eſt neque quid, neque quantum, vel aliud quidpiam dicitur illorum, quibus ens determinatur, neque etiam negationes eorum, ſed eſt quid, de quo ſingula eorum prædicantur*: Hæc definitio breviter expiicatur, advertendo priores particulas inſinuare materiam de ſe omni carere forma, rum ſubſtantiali, rum accidenrali, ſecundas, verò ideſt *neque negationes eorum* inſinuare ipſam materiam formas has à ſe non excludere, ultimas tandem oſtendere qualirarem, & cætera prædicamenta de ipſa materia prædicari in concreto, quamvis non in abſtracto, quia nimirum materia prædictis formis affecta, dici poreſt, quanta, qualis, nunquam tamen quantitas, aut qualiras

Secunda verò definitio per poſitiuum tradira eſt, quod *ipſa ſit primum, & ultimum ſubjectum uniuſcujuſque, ex quo ſit aliquod, cum inſit ſecundum accidens, & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*: dicitur *ultimum ſubjectum*, quia ita corpora per corruptionem reſoluuntur in materiam primam, ut ipſa non reſoluatur in aliud ſubjectum, ex quo ipſa componatur, & propter hoc nos ſupradiximus materiam eſſe primum ſubjectum, dicitur *ſubjectum uniuſcujuſque*, quia in unaquaque ſubſtantia ſubiicitur formæ, & ſimul cum forma facit ſubſtantiam. Dicitur *ex quo ſit aliquod, cum inſit*, quia ex materia, tanquam ex parte ſubſtantiali quodlibet componitur, dicitur non *ſecundum accidens*, quia ex materia tanquam ex principio intrinſeco quodlibet componitur corpus naturale; dicitur tandem, & ſi *corrumpitur aliquod in hoc abibit ultimum*, quia quodlibet per corruptionem reſoluitur in materiam primam ſemper remanentem in eo quod de novo gignitur: hoc ſuppoſito.

Sciendum occurrit primò nomen hoc potentia tripliciter accipi poſſe, primò pro potentia activa, & in hoc ſenſu ignis habet potentiam calefaciendi. Secundò pro potentia paſſiva, & ita eſt in aqua potentia recipiendi calorem. Tertiò pro potentia objectiva, ſeu Logica conſiſtenre in pura non repugnantia: modo non quæritur hic, an materia ſit pura potentia in hac ultima acceptione, quia certum eſt materiam non eſſe purè poſſibilem, cum actu componat quodlibet corpus naturale, neque an ſit pura potentia in tertia acceptione, ſed unicè in ſecunda, videlicet, an ita ſit pura potentia paſſiva, ut excludat à ſe omnem actum, cum quo identificetur.

Secundò ſciendum eſt duplicem eſſe actum, quorum primus phyſicus, eſt ſecundus verò eſſentialis vel metaphyſicus. Non ſecundus eſt realiter diſtinctus à re, cujus eſt actus, ipſamque determinat ad aliquam ſpeciem actus phyſici; hujuſmodi eſt anima reſpectu corporis. Actus entitativus verò eſt ipſa entitas rei, ſive, eſſentia, vel realitas, qua res, cujus eſt actus, dicitur eſſe id, quod eſt. Hujuſmodi actus vocatur etiam metaphyſicus, quia non diſtinguitur realiter à re, cujus eſt actus. His præmiſſis ſit.

### CAPUT SECUNDUM.

*Reſoluitur difficultas, & ſatisfit objectionibus.*

DIcimus primò materiam eſſe puram potentiam phyſicam, ita ut nullum identificet ſecum actum phyſicum. Probari poteſt primò aſſertum hoc ex definitione ipſius materiæ per negativum tradita ſic arguendo Materia per ſe ipſam neque eſt quid, neque quantum; ergò eſt pura potentia phyſica. Antecedens parer ex dictis, conſequentia verò probatur, ideo mareria per ſe ipſam non eſt quid, neque quantum, quia ſecundùm ſe nullam habet formam, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem, qua determinetur ad aliquam ſpeciem ſubſtantiæ phyſicæ; ſed quilibet actus phyſicus eſt forma determinans ad aliquam ſpeciem entis phyſici completi, ergò.

Dico ſecundò materiam non eſſe putam potentiam metaphyſicam, ita ut nullum habeat actum entitatiuum, ſive metaphyſicum. Probatur hoc primo, quia materia eſt ens habens ſuam entitatem, realiratem, ſeu quidditatem; ergò habet ſuum actum entitatiuum.

Conſequentia pater, nam nomine actus entitativi intelligitur entitas ipſa, ſeu ipſa realitas rei, qua res eſt id, quod eſt. Probarur antecedens, quia materia eſt pars ſubſtantialis totius, in quam per corruptionem idem totum ultimò reſoluitur; ſed omne, quod realiter aliquod componit, & in quod per corruptionem reſoluitur, eſt aliquod habens ſuam realiratem, qua eſt id, quod eſt; ergo materia ſuam habet entitatem. Major ex dictis conſtat, minor evidens eſt, & etiam oſtendi poreſt à pari in arteſactis, quæ componuntur, & reſoluuntur in aliquod, quod ſuam habet entitatem, vel realitatem. Pro-

Probatur secundò, omne distinctivum essentialiter ab alio, habet essentiam diversam ab illo, adeoque proprium actum entitatiuum; sed materia distinguitur essentialiter à forma; ergo. Major est manifesta, nihil enim distinguitur essentialiter ab alio, nisi per essentiam: Suadetur itaque minor, quæcumque habent diuersa prædicata essentialia, diversam habent essentiam, sed materia habet prædicata essentialia diversa à forma, ut colligi facilè potest ex suis proprietatibus, & muneribus, materia enim in rerum natura exercet munera, quæ formæ non conveniunt, illa enim est pars subjectiva compositi, est primum, ex quo omnia fiunt, & in quo ultimò resoluuntur; est incorruptibilis, & longe stabilis, quæ omnia formæ non conveniunt; ergo diversa habet prædicata essentialia à forma; ergo diversam essentiam, & actum entitativum.

Obiicies primò ex Philosopho; materia non est hoc, & ens; ergo materia prima per se ipsam nullum habet actum entitativum, quem si haberet esset hoc, & ens. Probatur consequentia, nam materia ex se est indifferens ad omnem, & quemlibet actum, ergo materia ex se nullum habet actum entitatiuum.

Respondeo materiam non esse hoc, & ens, idest non esse substantiam simpliciter completam, in quo sensu locutus fuit Philosophus; Est tamen realis pars substantiæ completæ, adeoque, & verum ens saltem incompletum; ad probationem dico materiam esse indifferentem ad omnem, & quemlibet actum physicum, undè materia est ens physicum, non prout ens physicum sumitur pro ente constante forma physica, sed prout cum forma concurrit ad constituendum corpus physicum completum ... Hoc ipso autem quod concurrit ut principium positivum, habere debet propriam entitatem.

Ad confirmationem censeo materiam esse medium inter ens completum, & nihil, ex quo solùm sequitur materiam non esse ens completum, idest substantiam physicam completam, non verò non ens reale habens actum suum entitatiuum.

Arguunt secundo alii; Purus actus nullam habet potentialitatem; ergo pura potentia nullum debet habere actum; sed materia est pura potentia; ergo materia nullum debet habere actum.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, & disparitas est, quia quamuis dari possit purus actus nullam habens potentialitatem, qualis est Deus, qui ita est infinitè perfectus, ut nullam habeat potentiam ad ulteriorem perfectionem, tamen repugnat dari aliquod verè, & physicè in rerum natura, quod nullam habeat perfectionem, nullumquè actum entitatiuum, quia implicat existere aliquod, quod non sit ulla res, sive quod nihil sit, hoc autem ipso, quod omne, quod est in rerum natura est aliqua res, est aliqua perfectio, cum res, & perfectio dicantur ad convertentiam, & quælibet res sit participatio diuinæ perfectionis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Vtrum materia habeat propriam existentiam.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur sententia affirmatiua.*

Post quam statuimus materiam primam habere ex se aliquem actuum ad essentiam pertinentem, recto progredimur ordine ad investigandum, utrum dicat propriam actualitatem existentiæ, quæ partialis nuncupatur, essentiam subsequentem, in qua difficultate duplicem invenio sententiam, quarum prima est Thomistarum omnium, asserentium materiam primam non habere propriam existentiam, sed existere per existentiam formæ, in quo asserto juxta eorum principia nullam video repugnantiam; cum enim sustineant distinctionem realem strictam inter essentiam, & existentiam creatam, videtur quod possit res existere per existentiam à se realiter distinctam. An verò sicuti cohærenter loquuntur ad sua principia, cohærenter etiam loquantur cum doctrina Divi Thomæ, mihi res non est certa, sed pænitus dubia, quia verba Divi Thomæ, communiter à Thomistis allata, vel ex quæstione quarta de potentia, articulo quarto, vel ex prima secundæ quæstione 94. articulo 5. ad secundum, vel ex opusculo 15. cap 30 & opusculo 31. & prima parte quæstione 7 articulo 2. ad tertium, & quæstione 66. articulo primo quæstione 115. articulo primo ad secundum, & secundo contra Gentes capite 43. optimè explicari possunt, & communiter aliqua interpretantur ab Arriaga, asserente in ductore Angelico haberi solùm materiam primam non posse per se ipsam existere in rerum natura, quia ens incompletum in linea physica, de cuius ratione est naturaliter per se non posse existere: sed quidquid sit de hoc Secunda sententia est illa, quæ communiter defenditur ab auctoribus societatis, & ab omni Schola Subtilis, & Solemnis, communiter stantibus pro existentia propria materiæ, de quorum omnium mente non remanet locus dubitandi, & præcipuè de mente Henrici quodlibeto 4. quæstione 16. sic scribentis. *Licet materia non habeat de se actum, habet tamen actum suæ essentiæ, & existentiæ, inquantum est effectus Dei, non existens pure nihil, sed aliquid in sua essentia, & in sua existentia.* Cum Doctore triplici ratiocinio veritatem secundæ sententiæ ostendo, & primò ratione communi, sed mihi solida ex causalitate, quam exercet materia erga formas deducta. Siquidem materia prima est vera causa physica, quamuis materialis, & passiva formæ; ergo in priori ad ipsas formas necesse est existere. Probatur consequentia, inintelligibilis est vera causalitas physica sine existentia; quinimo in ratione causalitatis physicæ constituitur per existentiam; causa enim physica causat, non ut sit, sed quia est.

Secundum fundamentum, quod pariter mihi videtur efficax, est quia ea, quæ diversis productionibus producuntur, necentur importare diversam existentiam, cum quælibet actio productiua terminetur ad existentiam rei, quam producit; sed materia, & forma diuersis actionibus producuntur; siquidem materia producitur per actionem creativam, forma verò per generatiuam, vel per actionem creatiuam distinctam, ut forma rationalis; ergo materia, & forma diversam habent existentiam. Hæc ratio mihi evidens est, qua pariter convincor in materia de Incarnatione ad asserendum, quod natura à verbo assumpta peculiari gaudeat existentia, ut saluetur terminus aliquis productus per generationem Filii temporalem, seu per Incarnationem.

Tertiū fundamentum est, quod si materia existeret per existentiam formæ, ab agente naturali communiter crearentur, & anichilarentur, quod affirmari nequit. Probatur assumptum per partes, & primò, quia creatio est productio rei secundùm omnes suas partes; atqui si materia, & forma haberent eandem existentiam, quoties produceretur existentia formæ,

mæ, produceretur & illa materiæ; ergo interveniret creatio, & etiam anihilatio, quia hæc est corruptio rei secundùm omnes suas partes; atqui si materia habeat eandem formæ existentia, quando tolleretur forma, tolleretur, & altera materiæ; ergo agens creatum anihilaret.

His tribus rationibus Patres societatis aliam addunt petitam, ex identitate inter essentiam, & existentiam; sed huic non assentior, cum sub Iudice lis sit, an existentia realiter distinguatur, nec ne ab essentia; unde non debemus pro medio assumere rem incertam, & à schola Diui Thomæ negatam. Sufficiant ergò rationes allatæ, contra quas quid dicant Aduersarii doctissimi, audiamus.

Respondent itaque primò ad primam rationem, duplex esse genus causalitatis: unum nimirum causalitatis effectivæ, alterum materialis. Genus causalitatis effectiuæ præsupponit utique existentiam in causa, quia actiones sunt existentium, non tamen sic loquendo de genere causalitatis materialis; huic enim satis est, si pro illo priori sit extra nihil essentiæ, ut de facto est materia prima in ordine ad formas. Ratio hujus est, quia genus causæ materialis est genus potentialitatis, ideoque exerceri nequit per existentiam, quæ est ultima rei actualitas: cui solutioni, aliam addit Cajetanus in eo stantem, quod ut materia intelligatur exercere physicam causalitatem relatè ad formas, sufficit ipsam existere pro eodem instanti temporis, non verò opus est, quod existat pro quolibet priori naturæ. Sed

Contrà est, & imprimis arguo contra sic respondentes. Causa efficiens debet in priori existere ad suum effectum, ratione physicæ causalitatis, itaut hæc sit ratiò à priori, unde inferatur existentiam ipsi convenire in signo priori; ergò cum causalitas materiæ passiva, sit causalitas physica, & ipsa in priori debebit habere existentiam. Contra, est secundò. Ideo nequit præintelligi existens materia ad formas, quamvis sit causa formarum, quia ejus causalitas est materialis, & potentialis; sed etiam si præintelligatur existens ad formas, adhuc non tolleretur causalitas materialis, & potentialis; ergò in priori intelligitur existens. Probatur minor. Maior etenim est fundamentum adversæ partis; materiam causare formam in genere causæ potentialis, est ipsam causare in genere potentiæ physicæ; sed existentia non tollit, quin materia causet in genere potentiæ physicæ; ergò nec tollit causalitatem in genere causæ potentialis. Maior est certa; potentialitas enim materiæ est potentialitas physica. Probatur minor existentia est solummodo actus metaphysicus; ergo non tollitur, quin materia adhuc causet per modum physicæ potentialitatis; quinimmò addo, quod si causat in genere potentiæ physicæ, tenetur in priori existere propter rationem superius allatam. Contra est Tertiò. Non minus causa efficiens dat esse effectui in linea causæ effectivæ, quam materia det esse formæ in proprio genere causalitatis, & quidem physicæ; sed ex quo causa efficiens det esse effectui, docent Thomistæ quod ipsa debet existere in priori ad effectum; ergo pariter, ex quo materia suo modo det esse formæ, debebit existere in priori ad formam. Contra est quartò. Materia relatè ad suas proprietates exercet efficientiam; ergò si causa efficiens tenetur in priori ad suum effectum existere, materia gaudebit propria existentia, saltem ex capite efficientiæ. Sed

Dices cum Illustrissimo Petro de Godoy, quod efficientia talium proprietatum, non est rigorosa efficientia, ad hanc autem non requiritur existentia in priori. Sed

Contra est, quia proprietates dimanantes ab essentia qualibet creaturæ sunt accidentia; at qui accidentia tenentur supponere esse existentiale in sua causa effectiva; ergò &c. Probatur minor: esse secundùm quid tenetur supponere esse simpliciter, ut edocet Thomistæ; atqui accidentia dant esse secundùm quid, & existentia dat esse simpliciter; cum sit actus ultimus; ergò debet necessario supponere causam, à qua, & in qua sint; ergò cum sic se habeat materia in ordine ad suas proprietates, in priori ad ipsas oportebit ut existat propria existentia.

Dices secundò. Materiam existere utique, sed vel per formam veterem in priori ad formam novam, vel per ipsam formam novam in instanti generationis. Sed

Pariter contra est; siquidem quando primò fit forma nova, non amplius existit prior in materia, tunc enim primo fit, forma nova, quando primo non est forma præcedens; ergò pro illo tunc non poterit intelligi existens per formam veterem; Secundò, quia forma succedens nequit tribuere existentiam materiæ prius natura, quàm informet, cum informatio sit medium, quo communicatur existentia; sed informatio præexigit subjectum existens, quia est unio quædam actualis formæ ad subjectum, & unio præsuponit extrema existentia; ergo

Respondent secundò Thomistæ ad secundum fundamentum, actiones duplicis generis esse completas unas, incompletas alias. Primæ verum est, quod terminantur ad existentiam producendam, & sic actio agentis creati productiva v. gr. formæ vermis, dicitur etiam productiva existentiæ; at verò actio productiva solius materiæ est incompleta, adeoque sufficit, quod terminetur ad existentiam, vel uniendam, vel communicandam. Cui solutioni addit recens Thomista Pater Cavinus, quod si quælibet actio deberet afferre distinctam existentiam, deberet duplex in anima rationali assignari existentia, una quæ esset terminus actionis creativæ, altera verò generativæ, cum etiam ipsa generativa terminetur ad ipsam rationalem, ut ipsam uniat. Sed.

Contra est. Et in primis data distinctione actionis in hac duplici specie, dico actionem creativam materiæ esse completam in suo genere, adeoque respicere existentiam, ut producendam; nam illa actio est completa in genere suo, cui correspondet proprius, & debitus terminus; sed actioni creativæ materiæ correspondet proprius, & debitus terminus, nempe ipsa materia; ergo erit actio completa. Secunda actio, qua Deus creat animam rationalem, non est actio productiva totius compositi, cum hoc fit à causa secunda; ergo nec completa; sed hoc non obstante terminatur ad existentiam producendam in ipsa anima rationali; ergo etiam actio creativa materiæ

Ad id verò, quod addit relatus Divi Thomæ discipulus, nimirum ex nostra doctrina sequi in anima rationali assignandam esse duplicem existentiam negamus hoc; nam cum relatè ad animam rationalem unica sit actio productiva, quæ est ipsius creativa, sufficit etiam unica existentia, cum tantùm actio ut productiva terminetur ad existentiam. Generativa etenim, quamvis, respiciat ipsam animam rationalem, respicit tamen ipsam solùm in ratione unitivi.

Respondent secundò alii contra idem secundum fundamentum, & magis communiter, actionem productivam rei non habere pro termino præcisè partem compositi, sed totum compositum; cum

 partes

partes non per ſe producantur, ſed comproducantur; unde valet utique inferre exiſtentiam propriam in re, quæ per ſe producitur, non verò in re, quæ tantum comproducitur, uti eſt materia, quæ cum ſit pars, per ſe non producitur.

Contra eſt, & in primis ut tollatur omnis æquivocatio, adverto aliud eſſe, quod materia producta per actionem creativam ſit ordinata ad totum per modum partis phyſicæ potentialis; aliud verò quod non producatur peculiari actione diverſa à qualibet alia. In priori ſenſu verum eſt, materiam comproduci, falſum tamen in ſecundo, maximè in illorū ſententia, qui volunt in prima rerum productione formas fuiſſe productas per eductionem, ut inter alios affirmat Suarez, & conſequenter fuiſſe productas per actionem productivam, diverſam ab illa materiæ, vel etiam in ſententia Divi Thomæ, juxta quam forma, quamvis ſit pars totius, adeoq; comproducta, propriam tamen habet exiſtentiam.

Reſpondent tertiò, & ultimò contra tertiam rationem, dicentes non fore ſecuturam ipſius materiæ deſtructionem, & conſequenter nec compoſiti, quia cum una forma non corrumpatur, quin alia ſuccedat, hinc materia non deſtrueretur, cum numquam eſſet ſine exiſtentia formæ: tranſit enim de una forma ad aliam. Sed

Contra adhuc eſt, quia ad rei productionem, & deſtructionem, ſufficit, quod res amittat eam numero exiſtentiam, quam antea habebat, & de novo accipiat exiſtentiam, quam antea non habebat, ſive interim immediatè exiſtentia nova ſuccedat, ſive non: ſiquidem ſi Angelus in inſtanti *A* ſuam perderet exiſtentiam, & in inſtanti immediatè ſequenti eam reciperet, benè diceretur deſtructus, & reproductus; ergo à pari licet materia recipiat novam exiſtentiam, non minus dicitur de novo producta, ac ſi nunquam exiſtentiam habuiſſet, & diceretur corrupta, quamvis aliam acquireret.

Nec juvat dicere, eandem utriuſque non eſſe paritatem; nimirum quia Angelus reproductus ſupponitur caruiſſe exiſtentia; materia verò non ita ex eo quod ſemper ſub aliqua forma ſit. Sed

Contra eſt; vel enim materia duas habet formas diſparatas pro eodem inſtanti, vel habet unam formam pro inſtanti *A*, & aliam pro inſtanti *B* immediatè ſequenti: non primum, alioquin eadem materia pro eodem inſtanti informaretur naturaliter duabus formis ſubſtantialibus diſparatis, quod etiam ſupernaturaliter repugnat in Thomiſtica ſchola. Si ſecundum verè dicant; ergo eſt eadem utriuſque paritas; ſicque exemplum de Angelo validum eſt.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta oppoſita.*

PRimum argumentum, quod obſtare poſſet, illud eſt quod ex Henrico deſumi poteſt, quatenus quibuſdam in locis Thomiſticæ adhærere ſententiæ videatur. Quædam ejus verba placet referre, & primò in ſumma *art. 27. quæſt. 1. num 34.* hæc habet *neque materiæ convenit* ( ideſt exiſtentia ) *niſi per hoc, quod ſit in ſuppoſito, & art. 25. quæſt. 3. pariter in ſumma: ſicuti materia non exiſtit in actu, niſi per formam, & color niſi per albedinem, & nigredinem, & art. 34. quæſt. 1. num. 2 in ſumma: materia prima ex ſua natura in ſe conſiderata, nullum omninò in ſe habet actum.* Ex quibus omnibus videtur potius opponi Doctori ſupra relatum aſſertum quam ipſi conformari.

Reſpondetur relata non officere, quia Doctor ibi loquitur tantùm de exiſtentia completa; hæc enim immediatè poſt habet. *Materia enim, & forma in rebus creatis materialibus, & compoſitis in eis plenam actualitatem exiſtentiæ non habent, quia ut partes unitæ exiſtunt in toto.* Quid eſt autem quæsò plena actualitas, niſi perfecta actualitas: Secundò quia ibi non loquitur de exiſtentia, ſed de ſubſiſtentia habet enim *quæ ſubſiſtentia formaliter convenit primò, & per ſe ſuppoſito, & non formæ, neque materiæ convenit, niſi per hoc, quod ſint in ſuppoſito,* quæ explicationes benè aptari poſſunt reliquis.

Arguit ſecundò Cajetanus. Stat cauſalitas cauſæ materialis ad formas, quin ad ipſam præſuponatur exiſtentia in ipſa cauſa materiali; ergò ex tali cauſalitate malè infertur materiam in priori fore exituram ad ipſas formas. Probatur antecedens eſſentia materiæ, ut diſtincta à ſua exiſtentia cauſat in genere cauſæ materialis ſuam exiſtentiam, illam recipiendo, quamvis pro illo ſigno, quo cauſat ſuam exiſtentiam, non intelligatur exiſtens; ergo &c. Antecedens eſt certum; ſi enim pro illo ſigno quo cauſat ſui exiſtentiam intelligeretur exiſtens, jam eſſet exiſtens ante exiſtentiam.

Confirmant Thomiſtæ hoc ſuum argumentum, jubendo nos in primis excogitare, & diſtinguere duo inſtantia. Unum ſit inſtans temporis, quod dicitur inſtans, ſeu ſignum, in quo. Aliud verò inſtans naturæ, ſeu cauſalitatis, quod dicitur inſtansà quo. Hoc poſito ſic loquuntur: Si loquamur de materia inſtanti prioris temporis, tunc materia exiſtit per formam, verbi gratia ignis, quia cum illo inſtanti temporis, quo cauſat formam ignis, verè ſit forma ignis, benè poteſt fieri, & evenire, quod per ipſam exiſtat. Si verò loquamur de inſtanti naturæ, dicendum eſt materiam cauſare formam ignis non formaliter, ut exiſtentem, ſed præſcindendo ab exiſtentia; per tale enim inſtans, ſeu ſignum cauſalitatis in materia non intelligitur eſſe aliud, niſi vis cauſativa formæ ignis, ſeu eſſe id, à quo materialiter eſt forma ignis: Vis autem cauſativa materialiter formæ ignis, eſt materia prout dicens potentiam receptivam formæ ignis, qui conceptus potentiæ receptivæ non dicit formaliter exiſtentiam materiæ, ſed ſolùm ipſius eſſentiam complebilem, & informabilem à forma. Quod enim materia poſſit recipere formam, & ab ea compleri, non habet ex eo, quod actu ſit, ſed ex eo quod potentia ſit complebilis: & ratio totius eſt, quia materia non eſt vis cauſandi materialiter formam per exiſtentiam, ſed à ſua eſſentia, à qua habet, quod ſit potentia receptiua formæ.

Hoc Argumentum Cajetani cum ſua confirmatione, affertur etiam à quodam recentiore ex Illuſtriſſima Societate Jeſu, eiuſdem ſententiæ defenſore, an verò tanti roboris ſit, quanti aliqui exiſtimant, manifeſtum fiet ex validitate ſolutionis quàm priuſquā afferā, placet prius ſupponere, in qualibet generatione ſubſtātiali tria intervenire inſtantia, Primum inſtans eſt id, ſub quo adhuc exiſtit forma vetus. Secundùm id, in quo exiſtit forma nova, & vetus deperditur. Tertium, in quo forma introducta eſt in materia, nec horum inſtantium diſtinctio nova eſſe debet argumenti, ſicuti nova non eſt diviſio inſtantis, in inſtans naturæ, & inſtans temporis.

Hoc autem ſuppoſito reſpondeo ad principale argumentū, negando antecedens; ad cujus probationē conceſſo antecedenti nego conſequentiā, & paritatē diſpa-

diſparitas eſt, quia ad hoc, ut materia dicatur cauſa paſſiva ſuæ exiſtentiæ, ſufficit, quod nullam involuat repugnantiam ad exiſtendum: hoc autem intelligitur in materia, licèt ipſa nondum exiſtat; at verò ut ſit cauſa paſſiva formæ, debet poſſe phyſicè concurrere ad illam: quod fieri nequit, niſi in priori exiſtentiam habeat. Vel melius negandum eſt, eſſentiam, phyſicam cauſalitatem materialem exercere relatè ad exiſtentiam, cum hæc in noſtra ſententia identificetur cum ipſa exiſtentia.

Ad Confirmationem conceſſa inſtantium diſtinctione, nego quod ex utraque prioritate non inferatur exiſtentia in materia ante adventum formæ: ſiquidem in illo priori inſtanti naturæ, quo intelligitur materiam cauſare formam, ndum intelligitur forma conſtituta in ſuo eſſe, ſed in fieri ſui eſſe; ergò non poteſt fieri, quod per ipſam exiſtat: in tali autem priori naturæ debet intelligi exiſtens, quamvis vis cauſativa formæ non ſit ipſa exiſtentia, & hoc ideò, quia exiſtentia eſt conditio, ſine qua ipſa eſſentia materiæ non cauſaret in genere cauſæ phyſicæ: Undè placet hic duo diſtinguere in materia cauſante in genere cauſæ materialis formas ipſas materiales, videlicèt, & ratio ipſa cauſandi, & ratio, qua habetur ipſa cauſalitas phyſica, ratio cauſandi, utique non reſidet apud exiſtentiam, ſed apud eſſentiam, ratio tamen cauſandi phyſicè, reſider apud exiſtentiam.

Arguunt tertiò contra tertiam rationem: ad hoc, ut res corrumpi dicatur, neceſſe eſt ut ponatur ſub nihilo; ſed ſuccedente materiæ alia exiſtentia, & quidem in eo inſtanti reali, in quo prima exiſtentia deperditur, ipſa materia non poneretur ſub nihilo, quia ſemper eſſet ſub eſſe; ergò non corrumperetur.

Confirmatur primò. Terminus formalis corruptionis, non eſt pura deperditio exiſtentiæ, ſed etiam eſſentiæ, quatenus amplius non participat res exiſtentiam, ſed eſſentia materiæ in hypotheſi per corruptionem unius formæ, adhuc participaret exiſtentiam, cum adveniret alia forma, & quidem in eodem inſtanti reali temporis, in quo prima corrumpitur; ergò non ſ. quæretur materiæ corruptio.

Confirmatur ſecundò. Generatio unius compoſiti ſubſtantialis, eſt tranſitus de non eſſe ſimpliciter, ad eſſe ſimpliciter; ergò à pari corruptio ipſa ſub ſtantialis erit tranſitus de eſſe ſimpliciter, ad non eſſe ſimpliciter. Conſequentia liquet ex paritate rationis, antecedens verò probatur; nam generatio ſubſtantialis eſt tranſitus de non eſſe ſimpliciter ad ſimpliciter exiſtendum.

Confirmatur tertiò. Una forma ſubſtantialis tranſeundo de uno ſubjecto in aliud, non dicitur corrumpi; ergò pari jure materia tranſeundo de una exiſtentia ad aliam, non dicetur corrumpi. Probatur conſequentia; Ideo primum, quia non eſt tranſitus de ſubjecto, ad non ſubjectum, ſed de ſubjecto ad ſubjectum; ergò ideo ſecundùm, quia non eſt tranſitus de exiſtentia ad non exiſtentiam, ſed de una exiſtentia ad aliam.

Confirmatur quartò, intendendo probare, etiam in ſententia noſtra, vi cujus aſſerimus materiam exiſtere exiſtentia completa, ſequi materiam corrumpi tali methodo. Ideo ſequitur per Thomiſtas materiam anihilari per formæ corruptionem, ex vi agentis naturalis, quia per talem corruptionem amitteret omninò exiſtentiam; cum omnis exiſtentia ſit à forma; ergò cum materia per corruptionem formæ amittat per nos de facto perfectam exiſtentiam, materia pariter corrumperetur, vel anihilaretur, cum corruptio materiæ non ſit, niſi anihilatio.

Reſpondetur in forma ad principalem objectionem cum diſtinctione; ad hoc, ut res corrumpi dicatur, neceſſe eſt, ut ponatur ſub nihilo eſſentiæ nego maiorem, exiſtentiæ ſub diſtinguo, ſub nihilo illius exiſtentiæ, quam habet concedo maiorem, ſub nihilo exiſtentiæ ſimpliciter, & abſolutè nego maiorem, & diſtinguo minorem, materia non poneretur ſub nihilo eſſentiæ concedo minorem ſub nihilo exiſtentiæ quam habebat nego minorem, & conſequentiam. Ad hoc ut res corrumpatur, ſufficit quod amittat illam exiſtentiam, quam habet, ſive alia ſuccedat, ſive non, cuius ratio à priori eſt, quia per præciſam amiſſionem prioris exiſtentiæ intelligitur tranſire de eſſe ad non eſſe. Tranſitus autem de eſſe ad non eſſe, eſt formaliſſimè corruptio; atqui eſto alia exiſtentia ſuccedat, non tollitur quo minus verè priorem deperdat exiſtentiam; imò noua non ſuccederet, niſi priorem deperderet; ergo non tollitur, quia revera materia dicatur corrumpi.

Ad primam confirmationem diſtinguo maiorem Terminus formalis corruptionis eſt eſſentia, ut non amplius participans exiſtentiam illam numero, quam habebat concedo maiorem, aliam nego maiorem, & diſtinguo minorem eſſentia materiæ in hypotheſi adhuc participaret exiſtentiam diuerſam à priori concedo minorem, eandem nego minorem, & conſequentiam: per quod patet ſolutio ad ſecundam confirmationem. Ad tertiam verò diſparitas eſt, quod forma tranſiens de ſubiecto in ſubiectum, non tranſitet de una exiſtentia ad aliam, & hoc ideo, quia ſubiectum per nos non dat exiſtentiam formæ, quemadmodum non dat individuationem, & ſic nil mirum, quod ex variatione ſubiecti, accidentia non corrumpantur; at in hypotheſi in qua materia exiſteret per formas ad variationem formatum, variaretur etiam exiſtentia, & ſic bene materia corrumperetur.

Ad ultimam confirmationem patet pariter diſparitas: ſiquidem ideo ſi per formas omninò exiſteret, ideſt tam complete, quod incomplete corrumperetur, quia omninò amitteret exiſtentiam, at verò in caſu noſtro, quamuis materia per deperditionem formæ deperdat exiſtentiam completam, adhuc non corrumperetur, quia aliquam ſemper retineret, & quidem propriam.

Arguunt quartò. Nulla eſt neceſſitas multiplicandi exiſtentias hujuſmodi partiales; ergo non ſunt admittendæ probatur antecedens; nam unica totalis ſufficit, ut exiſtat partes, & totum; ergo &c. Probatur antecedens, ut partes, & totum dicantur unita, ſufficit unica unio; ergo pariter ſufficit unica exiſtentia, eo vel maximè quod forma ſit per ſe ipſam exiſtens, ut ejus exiſtentia comparetur ad materiam, ut actus ad potentiam.

Reſpondetur non omninò certum eſſe antecedens, quod aſſertur in probatione primi: ſiquidem Scotiſtæ, qui ponunt duplicem exiſtentiam partialem, ponunt etiam duplicem unionem ſuperadditam, primam ſiquidem ſe tenentem ex parte materiæ ſubiectivæ, & ex parte formæ determinativæ, alteram verò ex parte formæ ſubjectivæ, & materiæ determinativæ, ita ut ad habendum, quod extrema hæc ſint mutuo unita, prout requiritur ad habendum unum per ſe, requiratur duplex unio, in quorum ſententia retorqueri poteſt totum argumentum.

Sed quia non omnes, qui ponunt inter materiam, & formam duplicem partialem exiſtentiam ponunt

ponunt duplicem unionem, sed unicam tantum, ideò assignare tenemur disparitatem, & prima est quod unio de suo conceptu formali est mutua; unde inintelligibile est, materiam esse unitam formæ, quin forma sit unita materiæ; at in casu existentia conveniens formæ non est mutua, ita ut sit ratio existendi, etiam relatè ad materiam: siquidem existere potest forma sine omni materia, in quo casu non esset ratio existendi in ordine ad ipsam materiam. Secunda disparitas est, quia ideò per eandem unionem, per quam materia unitur formæ, etiam forma potest uniri materiæ, quia nulla est implicantia, quod forma uniatur materiæ per aliquod superadditum, adeoque potest uniri per illam eandem, per quam materia unitur formæ. At verò materia nequit fieri existens per aliquod realiter distinctum; nam cum existentia sit id, per quod res intelligitur extra suas causas, & hoc habet per suam essentiam actualem, hinc nequit existere per existentiam formæ. Sed

Instat Pater Magister Cavino. Implicat effectum formalem existendi tribui non posse, nisi ab existentia identificata cum essentia materiæ, & quod existentia materiæ compareretur ad existentiam formæ realiter distinctam, ut potentia ad actum; ergò, vel est dicendum quod effectus formalis existendi tribui possit ab existentia formæ realiter distincta, vel quod materia non compareretur ad formam, ut potentia ad actum, probatur antecedens, habitudo potentiæ ad actum, est habitudo perfectibilis ad perfectivum recipiendo ejus effectum formalem; sed ordo materiæ ad illam formæ est in genere existendi; ergo si effectus formalis existendi habetur per existentiam identificatam cum entitate materiæ, materia non poterit comparari ad illam formæ, ut potentia ad actum, complenda in genere existendi; ergo identitas existentiæ cum essentia subsistere non poterit.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem concedo majorem, & distinguo minorem. Habitudo existentiæ materiæ ad existentiam formæ est in genere existendi perfectè, & completè concedo minorem, imperfectè, & incompletè nego minorem, & distinguo consequens; ergo si effectus formalis existendi habetur per existentiam identificatam cum entitate materiæ, materia non poterit comparari ad illam formæ, ut potentia ad actum complenda in genere existentiæ perfectæ, & completæ nego consequentiam, aliter concedo consequentiam. Dico, quod estò effectus formalis existendi sit effectus existentiæ identificatæ cum essentia materiæ, adhuc existentia materiæ comparari potest ad illam formæ, ut potentia ad actum complenda in genere existentiæ, & primò quod comparari possit ad existentiam formæ, ut potentia ad actum, patet supponendo illud idem, quod hic supponit etiam Suarez, existentiam nimirum non sibi determinare aliquod genus causalitatis, ita ut si essentia habeat rationem causæ effectivæ, seu efficientis, existentia pariter habeat rationem causæ effectivæ, si essentia sit receptiva, & potentialis, pariter existentia erit receptiva, & potentialis, si essentia sit partialis, existentia erit partialis; unde cum in casu essentia materiæ sit receptiva, & habet rationem potentialitatis, hinc & ejus existentia participabit rationem causæ receptivæ, & potentiæ, relatè ad existentiam formæ. Sed

Dices existentia materiæ non potest habere rationem potentiæ, relatè ad existentiam formæ; ergo non comparabitur ad illam formæ per modum potentiæ ad actum. Probatur antecedens; nam in genere existendi est actus; ergo relatè ad existentiam formæ, non poterit habere rationem potentiæ; alias in eodem genere haberet rationem potentiæ, & actus.

Respondeo hoc argumentum, prius solvendum esse ab omnibus Complutensibus, & omnibus in schola Divi Thomæ, quia per ipsos forma substantialis, quæ in genere essentiæ est actus, comparatur per modum potentiæ receptivæ in ordine ad ipsam subsistentiam; ergo estò existentia materiæ in genere existendi sit actus, adhuc poterit comparari per modum potentiæ ad existentiam formæ.

Quod si dicas nihil esse repugnantiæ in hoc, quod existentia, quæ in genere existendi est actus, in genere subsistendi sit potentia, quia actus, & potentia convenirent in diverso genere.

Contra est, & insto. Ideò stat, quod forma, quæ in linea essentiæ est actus, in linea subsistendi sit potentia, quia solùm sequitur, idem esse in actu, & in potentia in diverso genere; ergo quia existentia materiæ esset actus, & potentia respectu diversorum, actus nempè respectu essentiæ materiæ, potentia verò respectu existentiæ formæ, poterit utrumque sine ulla absurditate sustineri. Sed

Urgeo clarius, & fortius, non minus res ut subsistens subsistentia imperfecta est in potentia ad subsistendum subsistentia perfecta, quam ipsa subsistentia imperfecta sit in potentia ad perfici per perfectam; ergo sicuti in linea subsistendi, subsistentia imperfecta per perfectam perficitur, & comparatur ad perfectam, & perfectibile ad perfectivum, ita existentia poterit in genere existendi comparari ad aliam, ut potentia ad actum, maximè cum existentia materiæ sit perfectibilis.

Sed Instabis denuò. Primò, quia existentia materiæ majorem actualitatem explicat, quàm ipsa materia, cum illam constituat in actu, & non explicat minorem actualitatem, quàm existentia formæ siquidem prædictæ existentiæ non habent diversum effectum majoris actualitatis, sed earum ratio sita est in constituendo rem extra causas Secundò quia si ille existentiæ ordinarentur ad constituendam existentiam totalem; essent, & non essent existentiæ pro priori ad illam totalem existentiam, quod manifestam claudit implicationem. Essent, ut supponitur, & non essent, quia non existerent ante existentiam totalem, ad quàm ordinantur: existere enim est esse extra omnes causas, partes verò pro priori ad totum non habent esse extra illud. Tertiò, quia existentia est ratio formalis existendi, unde nequit reddi existens per aliud à se distinctum. Sicuti quia Albedo est ratio Dealbandi, nequit fieri alba per aliud. Quartò, quia si materia, & forma haberent existentias partiales, pari modo haberent partiales subsistentias; sed has non habent; ergò nec illas. Major probatur, quoniam subsistentia, & existentia substantiæ mutuò sibi correspondent, vel quia subsistentia est ratio recipiendi existentiam, ut docent Thomistæ, vel quia subsistentia est modus existendi determinans existentiam, ut sentiunt adversarii: ergò si in materia, & forma multiplicantur existentiæ, pariter, & subsistentiæ Ultimò; quia licèt per unicam existentiam nequeant constitui existentia plura, ut *quod*, & per se primò; nihil tamen prohibet, quod per unicam existentiam existant totùm, ut quod, ac per se primò, partes verò, ut quò. Sicuti per unam operationem influit suppositum, ut quod, & natura, ut quo, nec opus est multiplicare

opera.

operationes, itaut alia correſpondeat ſuppoſito, & alia naturæ, aut partibus ejus. Et ob eandem rationem ſufficit una quantitas, qua extendantur totum, & ejus partes, & unum ubi, & quando, ut totum, & partes exiſtant in loco, & tempore. Sed

Contra eſt. Iſtæ enim Inſtantiæ, quas referunt Salmaticenſes *tract. 21. de Incarnatione diſp.* 8. § 3. parum urgent. Prima quidem, quia utraque exiſtentia habet ſolùm rationem actus relatè ad eſſentiam ſuam, quam actuat, cæterùm relatè ad aliam habere optimè poteſt rationem potentiæ, niſi dicere velimus rationem potentiæ reſidere apud eſſentiam materiæ, non verò apud ejuſdem exiſtentiam. Secunda ſoluitur, dicendo majorem actualitatem exiſtentiæ materiæ ſalvari comparativè ad ejuſdem eſſentiam, nec exiſtentiæ materiæ, & formæ ſe excedunt; ſi qualibet comparetur ad eſſentiam, quàm actuat. Tertia parum urget, quia eſse extra omnes ſuas cauſas ſolùm convenit exiſtentiæ totali, non partiali, ut alibi dicam. Quartum non urget, & ſi urget, urget etiam arguentes docentes tem quamlibet exiſtere per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam. Quintum facilis eſt ſolutionis, etiam inhærendo doctrinæ arguentium docentium ſubſtantias incompletas, nec ad propriam, nec ad alienam aſſumi poſſe ſubſiſtentiam; unde ſicuti ſtat per Ipſos formas ſubſtantiales materiales propriam habere exiſtentiam, ſimulque incapaces eſſe propriæ ſubſiſtentiæ, ſtabit etiam hoc idem in materia. Videantur hi Doctiſſimi Theologi *tract. 21 de Incarnatione diſp* 9 *de natura aſſumpta* § 2.

Ultimum parum urget. Per exiſtentiam enim totius partes, & præcipuè materia exiſtere nequit cum in priori exiſtat, cum exerceat munus phyſicæ cauſalitatis. Nec officiunt exempla, quæ ſubſequuntur. Partes enim phyſicæ in noſtra ſententia propria ubicatione, & duratione exiſtunt, & ſunt in loco, unde argumentum potius nobis favet. Ideò autem per unam operationem influunt natura, & ſuppoſitum, quia operatio intelligitur in poſteriori ad utrumque, quod ſi eſſet in priori ad ſuppoſitum, & in poſteriori ad naturam, per eandem operationem agere non poſſent; at verò materia exiſtit in priori ad compoſiti exiſtentiam, unde per ejuſdem exiſtere nequit.

Arguunt quintò Alii: ex materia, & forma fit unum per ſe; ſed ſemel admiſsa propria, & partiali, exiſtentia, In materia, non fieret unum per ſe; ergo &c probatur minor primò ex communi axiomate, quia ex pluribus entibus in actu non fit unum per ſe. Secundò quia intellectus licèt ordinetur ad intellectionem, non facit cum ipſa unum per ſe, quia in priori eſt exiſtens; ergo licèt materia per ſe ordinetur ad formam, ſi ſemel eſt exiſtens, non poterit cum forma facere unum per ſe.

Huic argumento, antequam reſpondeamus, adverto, hic, id quod aſſerunt Salmanticenſes de relationibus diuinis *numero* 15. nimirum materim, & formam dicere duplicem actualitatem eſſentiæ, quo ſuppoſito ſic inſtari poteſt argumentum: ex duplici actualitate eſſentiæ reſultat eſſentia actualis per ſe una; ergò à pari non obſtante, quod daretur duplex exiſtentia partialis, nihilominus poterit haberi unum per ſe, maxime cum ratio unius per ſe, non deſumatur ab exiſtentia, ſed ab unitate eſſentiæ, & partibus phyſicis ſubſtantialibus, propter cuius defectum intellectus cum intellectione non facit unum per ſe, quod advertere poterat hic Magiſter Cavino Tomiſta. Proloquium autem communiter explicari ſolet in ordine ad entia phyſicè completa, cuiuſmodi certè non ſunt materia, & forma, quamuis propria gaudeant exiſtentia. Sed

Inſtant aliqui. ex pluribus entibus in actu phyſico, nequit fieri unum per ſe phyſicum; ergo pariter ex duobus entibus in actu metaphyſico, non poterit fieri unum per ſe metaphyſicum, ſed exiſtentia eſt actus metaphyſicus; ergò ſi materia, & forma habeant duplicem exiſtentiam, ex ipſis non fieret unum per ſe metaphyſicum, quia haberent duplicem actum metaphyſicum.

Multipliciter ſolui poſſet hæc Inſtantia, ſed brevitatis gratia, dico, quod quamuis extrema duplicem haberent exiſtentiam, tamen adhuc haberent, & conſtituerent unicam determinatam eſſentiam completam. Ratio enim unius metaphyſici, non deſumitur ab unica exiſtentia, ſed ab eo; quod Importat unicam determinatam eſsentiam adæquatam, ut dixi.

## CAPUT TERTIUM.

*Aliæ obiectiones afferuntur Scholæ Thomiſticæ.*

Relatus noviſſimus ſcriptor Scholæ Diui Thomæ nouiter arguit contra ſtatutum aſſertum & primò materia prima in ratione eſsentiæ eſt aliquod eſsentialiter incomplerum; ergo eſt impoſſibile, quod exiſtat, quin prius ſit actuata per formam, antecedens eſt certum, nã cum materia unita formæ conſtituat unam eſsentiam totalem. neceſse eſt, quod ſit incomplera in ratione eſsentiæ. Probatur conſequentia: exiſtentia ſupponit eſsentiam in creatis; ſed forma ſubſtantialis pertinet ad ordinem eſsentiæ per modum ultimæ differentiæ; ergo non exiſtit, quin prius ſit actuata per formam.

Explicatur hoc ulterius: ad complendam naturam, tria requiruntur: nimirum eſsentia, exiſtentia, & ſubſiſtentia, & cum quodam ordine iſta tria ſe habent, ut eſsentia antecedat exiſtentiam, exiſtentia ſubſiſtentiam: modo ſic: exiſtentia non antecedit eſsentiam, ſed potius quæ ſpectant ad lineam eſſentiæ antecedunt exiſtentiam; ſed ſi materia exiſteret, antequam actuaretur per formam, exiſtentia antecederet, quæ ſpectant ad lineam eſſentiæ, quia antecederet ipſam formam; ergo ne hoc dicatur, prius debet actuari per formam, antequam exiſtat.

Huic argumento aliqui occurrere ſolent, inſiſtendo ſupra diviſionem exiſtentiæ, in partialem, & totalem, ſeu completam, dicendo argumentum principale cum ſua explicatione unicè convicere in ordine ad exiſtentiam totalem, ſeu perfectam, non verò loquendo de partiali, quæ ſola hic materiæ tribuitur in priori ad formas. Sed adhuc ab hac præſcindendo ſolutione, dicimus, exiſtentiam ſupponere eſſentiam, ſed unice eſſentiam illius rei, cuius eſt exiſtentia; cum autem exiſtentia materiæ ſit exiſteotia ipſius eſſentiæ materiæ, ſufficit, quod hæc ſupponatur, & revera ſupponitur In priori ad exiſtentiam.

Secundò, & ultimò. Arguunt Alii multipliciter, primò quia exiſtentia eſt actus ultimus entis, conveniens tantùm enti complero, ſecundo quia exiſtentia eſt actus perfectior forma; ergo ſi materia de ſe non habet formam, nec habebit exiſtentiam. Tertiò, quia prioritas materiæ relatè ad formas eſt pura prioritas naturæ: quod autem eſt ſimul tantùm natura altero, poteſt exiſtere per exiſtentiam illius,

 quod

quod est posterius; cum simul coexistant. Quartò tandem, quia esse est propter operari; ergo cum materia in se nullam habeat operationem, nullum quoque habebit esse.

Respondetur ad singula breviter, & ad primum dico, non existentiam, sed subsistentiam habere rationem actus ultimi; ad secundum dico, existentiam materiæ non esse perfectiorem, relatè ad formæ existentiæ, esse verò perfectiorem relatè ad ipsius essentiam, quia ut docet Doctor, & quoque defendit Godoy in tractatu de Deo Uno, nobilior est ratio actus, quam ratio potentiæ, sed hic excessus est tantùm secundùm quid. Ad tertium dico materiam in illo priori naturæ debere existere, aliàs non esset proximè potens, ad ipsam formam causandam: in illo autem priori, cum non intelligatur forma, iam semper existeret in priori ad formam. Ad quartum dico, aliqua adesse, quæ esse habent, & tamen non sunt operativa, ut sunt relationes, materia autem operativa est, cum sit productiva suarum passionum.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum potentia materiæ ad formas, sit quid ipsi superadditum.*

De potentia remota hìc est sermo, vel aliter de potentia illa, quæ ab Oviedo vocatur, non secundùm exigentiam, à Pereira verò universalis, & indeterminata, & magis communiter ab aliis capacitas nuncupatur ad formas recipiendas, quæriturque, utrum distinguatur ab essentia materiæ. In qua difficultate sententia est Diui Thomæ, ipsam non distingui, uti refert Sotus in Physica, sed esse ipsius essentiam. Huic sententiæ quamplurimi adhærent, qui omnes relati videri possunt, & quidem fideliter apud Petrum Hurtado in sua Physica, disputat. 8. de causis.

Secunda sententia plausibilis in Schola Subtilis ex eodem deducta, sustinet potentiam formalem (non enim loquuntur de radicali à qua provenire volunt potentiam formalem,) esse formaliter ex natura rei distinctam à materia, & ipsi sic superadditam, quam tamen nolunt immediatè esse receptivam formarum. Hæc sententia est Scoti *in 4. dist 43 quæst 3.* cujus mentem inter cæteros in hac re Magis assecutus est Franciscus Pontelongo *parte prima disp. 3 cap. 2.*

Hæ sunt duæ sententiæ, quæ circumferri solent, quamvis Pontius in sua Physica doceat tertiam adesse, quam tribuit Pereiræ, docentem potentiam formalem materiæ esse realiter distinctam à materia, tanquam accidens pertinens ad prædicamentum qualitatis, immediarius receptivum formarum. Sed bona pace hujus Auctoris, hæc est calumnia. Pereira etenim in sua Physica libro quinto capite 21. loquendo de potentia materiæ, nihil de hac re habet: quinimmò oppositum sustinet, in materia duplicem distinguens potentiam, quarum prima conveniat materiæ vi sui, seu ex sua natura, quæ nuncupatur ab ipso potentia remota. Secunda verò dicitur accidentalis, quatenus habetur per accidentarias dispositiones, per quas fit determinatè habilis ad certam aliquam formam recipiendam. Primam (de qua est sermo) docet non distingui realiter à materia, & esse unam. Secundam distingui re, & esse multiplicem, sicuti variæ sunt dispositiones pro varietate formarum. En ergo falsum esse facere Pereiram primā potentiam, de qua loquitur Pontius, re distinctum à materia. Quid autem nobis sentiendum sit cum Henrico, non video, cum pro utraque sententia non desint auctoritates. Pro prima invenio duos textus, quorum uterque habetur in summa. Primus inquam articulo 39. quæstione 4. pro sua conclusione à nostro P. M. Ventura citatus, & hic est: *Potentia receptiva, sive passiva in materia non est aliquid re absoluta aliud ab ipsa essentia materiæ.* Alter verò adductus pro eadem sententia à Conimbricensibus articulo 35. quæst. 8. *Potentia re nihil aliud est ab essentia materiæ, quia ipsa ex se, & id quod est, est in potentia ad patiendum, non per aliquod additum.* Pro secunda verò hæc habet: *Alia est ratio potentiæ, alia verò est ratio essentiæ: essentia enim significat ut subsistens, potentia verò significat ut proprietas ad aliquid respiciens, quod in suo significato includit essentiam sub ratione illius proprietatis, ut suum significatum sit quasi compositum ex duobus, scilicet ex ipso subsistenti, quod significat, quasi materialiter, & illa proprietate quam significat, quasi formaliter:* Vide Lector, utramque sententiam sustineri posse juxta Henrici documenta: per verba etenim prioris textus unicè vult, quod potentia receptiva non sit aliud re ab ipsa essentia materiç, quod asseritur etiam in Schola Subtilis.

### CAPUT PRIMUM.

*Potentia formalis materiæ est extra essentiam materiæ, & ipsi formaliter ex natura rei superaddita.*

Duo rationes solidas hoc asserendi, & quidem breviter, ut supperat tempus adversarios audiendi, & prima conclusionis ratio hæc sit: Omnis potentia supponit necessariò id, cujus sit, & à quo dimanat, & quod per ipsam sit formaliter potens, ut risibilitas v. g. supponit essentiam hominis; ergo potentia materiæ id debet supponere; sed hoc nil aliud est, quam ipsa materia prima quo ad suum esse essentiale; ergo essentia materiæ primæ supponitur in priori ad talem potentiam.

Secunda verò ratio est. Potentia materiæ est illius ordinabilitas ad formam, tanquam potentiæ receptivæ ad effectum, quem recipit, sed res quælibet prius habet esse, quàm ordinetur ad aliud; ergo materia prius est in se constituta, quàm ad formam ordinetur; ergo per potentiam formaliter sumptam essentialiter non constituitur.

Tertia ratio est, quia nullū absolutum constituitur essentialiter per relpectivum, sed entitas materiæ est quid absolutum; ergo illa potentia non est essentialis materiæ. Maior patet: absolutum enim, & respectiuum sunt essentialiter diversa: nihil autem constituitur per aliquod essentialiter à se diversum. Minor similiter constat quo ad primam partem, tum quia tales sunt partes constituentes, quale est totum per eas constitutum; sed constitutum ex materia, & forma est absolutum; ergo &c. quod autem illa potentia ad formas recipiendas sit quid respectivum, quis negabit, cum sit habitudo, & propensio materiæ ad formas: omnis autem habitudo est alicujus ad aliquid; ergo est relatio.

Dices Relatiuum transcendentale optimè esse potest de essentia, seu melius esse ipsam essentiam absoluti, quamvis nequeat prædicamentale. Sed

Contra est: evasio enim hæc nihil valet: omnis siquidem respectus, quicumque sit, quamvis transcendentalis, debet necessariò saltem formaliter esse distinctus

stinctus ) re qualibet absoluta, cum semper prius sit esse, quàm ordinari ad aliud: Aliud enim est, quod respectus transcendentalis sit essentia, aliud quod sit de essentia, & fundetur in ipsa. Primum falsum est, secundum verum est, sed ejus veritas non officit rationi secundæ expositæ.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

ARguunt primò multipliciter, siquidem materia essentialiter est primum subjectum; Sed ratio primi subjecti est potentia passiva; ergo potentia passiva est essentia materiæ. Secundò potentia passiva est primum distinctivum materiæ à forma; ergo est constitutivum essentiale: antecedens liquet: præcisa etenim ratione potentiæ passivæ, nil amplius, remanere potest, quo distinguatur; cum non remaneat, nisi ratio materiæ, & ratio entis incompleti, quæ non sunt rationes differendi. Tertiò si potentia materiæ adveniret materiæ, hæc esset in potentia ad hanc potentiam, & sic processus in infinitum, nam deberet esse in potentia per aliam potentiam, cum non sit major ratio de una, quàm de alia. Quartò tam convenit intrinsecè materiæ esse potentiam, quàm formæ esse actum; Sed hæc essentialiter est actus; ergo materia essentialiter est potentia. Quintò non potest intelligi materia prima in ratione materiæ, quin concipiatur ut potentia passiva formarum; sed ille conceptus est de essentia alicujus, sine quo talis res intelligi nequit; ergo &c. Sextò materia dicit respectum transcendentalem ad formas; ergo respectus materiæ ad formas recipiendas est de essentia ipsius materiæ. Probatur hæc consequentia, quia relatio transcendentalis est de essentia ejus, cujus est relatio, quia totam quidditatem transcendit. Septimò pars ex sua natura respicit aliam compartem; sed materia prima essentialiter est pars receptiva alterius partis; ergo illam respicit essentialiter; sed non nisi sub ratione potentiæ passivæ; ergo.

Sed juxta communem Scoti doctrinam, quam sequi tenentur Scotistæ, omnibus his satisfacio.

Ad primum dico hoc verum esse, de primo subjecto radicali loquendo, quod est ipsa materia prima essentialiter, non verò de formali: ad secundum pariter dico verum esse antecedens, loquendo de potentia passiva radicali. Ad tertium dico materiam esse in potentia radicali ad potentiam formalem; ad potentiam verò radicalem non datur alia potentia, per quam sit in potentia radicali, cum nulla sit potentia prior potentia radicali. Ad quartum nego minorem: etenim eodem modo se habet forma in ratione actus, quo materia in ratione potentiæ: sicuti enim actualiter respicere formam, est accidentale respectu materiæ, ita actualiter informare materiam est accidens respectu formæ, & sicuti potentia receptiva, formaliter sumpta, non est de essentia materiæ, ita vis informativa non est de essentia formæ. Ad quintum dico, quod materia prima ex se est cognoscibilis ab intellectu in statu proportionato secundùm suam entitatem absolutam absque ratione potentiæ subjectivæ, tamen pro hoc statu nequit profectò cognosci, sed tantùm cognoscitur, & à Philosopho cognita fuit, nimirum ut subjectum mutationis. Ad sextum aliud est, quod respectus transcendentalis materiæ ad formas sit de essentia, aliud quod sit essentia. Primum verum est, sed hoc nihil interest: dicitur enim, quod sit de essentia, quia intrinsecè consequitur ejus essentiam, tamquam proprietas, non tamen est essentia ob rationes allatas. Ad septimum dico, materiam dicere essentialiter ordinem ad formam, ita tamen ut talis ordo non sit essentia materiæ.

Arguit secundò Illustrissimus Spinula. Vel hæc potentia formaliter ex natura rei superaddita esset accidentalis, vel substantialis: neutrum affirmari potest; ergo &c Probatur minor: non substantialis, quia aliàs esset ipsa materia, cum esset subiectum primum substantiale cuiuscumque formæ, aut educendæ, aut uniendæ, quæ est definitio materiæ: non verò accidentalis, quia est impossibile, quod forma substantialis recipiatur in accidente, & ab ipso educatur.

Urget amplius. Vel hæc potentia superaddita, quæ daretur, immediatè reciperetur in materia, vel non. Si hoc secundum, jam ergo recipitur media altera potentia, & rursus hæc alia potentia media alia potentia reciperetur. Si primum; ergo materia habet vim causandi hanc potentiam distinctam: cur non ergo etiam causabit immediatè formas substantiales.

Respondetur. Et ad primum dico talem potentiam substantialem esse; si enim accidentalis esset jam fieri non posset amplius unum per se; cum ex accidenti superaddito materiæ, non possit fieri simul cum forma unum per se, si accidentalis esset jam distinctio potentiæ à materia, esset strictè realis, quod reprobat Henricus: ex hoc autem solùm sequitur, quod sit ipsa materia tantùm ideotice, & realiter, & etiam formaliter, loquendo tamen de potentia radicali. Ad secundum dico, talem potentiam immediatè recipi in materia, cujus est intrinsecè proprietas, nec inde sequitur, quod si immediatè recipit hanc potentiam, debeat etiam posse recipere immediate ipsas formas substantiales, cum hæ recipi non possint, nisi materia sit formaliter potens ipsas recipere, quod haberi nequit, sine formali potentia.

Pro coronide huius difficultatis, adverte hæc consona esse iis, quæ dicturi sumus, ubi de potentiis animæ, quas pariter formaliter ex natura rei distinguo ab ipsa.

## QVÆSTIO QVARTA.

*An sit materia prima ingenerabilis, & incorruptibilis.*

HVius difficultatis resolutio pendet à recta generationis intelligentia, quam ut assequamur, placet aduertere, ipsam primò sumi posse latè: nimirum pro quacunque productione rei, sicuti & corruptionem pro pura rei desitione, in qua acceptione nullum est dubium, materiam primam posse dici generabilem, & corruptibilem; quippè est ens creatum, & verè à Deo productum, quod ab ipso Deo destrui, & anihilari potest Secundo accipi potest strictè: nimirum pro productione rei præsupposito subiecto, sicuti corruptio pro desitione rei remanente subiecto. Hoc posito.

Dico primo materia prima non est strictè generabilis, & corruptibilis, sumpta generatione, ut est præcisè productio rei. Assertum hoc commune est.

Probatur ex ipsa ratione materiæ, quæ est primum

mum subiectum; sed hoc non esset, si esset generabilis, & corruptibilis; ergo &c. probatur minor, quia si materia esset sic generabilis, et corruptibilis, fieret ex præsupposito subiecto, & destrueretur remanente subiecto; ergò non esset primum subiectum, & consequenter neque esset materia prima.

Probatur secundo materia prima, neque ex nihilo, neque ex aliquo produci potest virtute agentis naturalis; ergò est naturaliter ingenerabilis: antecedens probatur quoad utramque partem quo ad primam quidem, quia solus Deus potest ex nihilo aliquid producere, cum talis productio sit creatio, quam soli Deo convenire posse videbimus; ergo nullum agens naturale potest producere materiam primam: quod autem non possit illam producere ex aliquo, etiam ostenditur: siquidem, si ex aliquo produceretur materia prima, hoc ipso ex se ipsa produceretur, & esset antequam esset; sed hoc est impossibile; ergò nequit materia prima ex aliquo produci. Minor probatur, qoia illud, ex quo produceretur materia prima, esset primum subiectum; sed esse primum subiectum, est esse materiam primam, ergò iam ex se ipsa produceretur.

Tertio suadetur assertum, loquendo de eius incorruptibilitate: si posset materia prima virtute agentis naturalis corrumpi, vel ità corrumperetur, ut in nihilum reverteretur, vel in aliquid abiret; sed neutro modo corrumpi potest; ergo est naturaliter incorruptibilis: minor quoad utramq; partem probatur; quoad primam enim quod scilicet non ita possit corrumpi, ut in nihilum reuertatur, certa mihi est: nam quemadmodum solius Dei est ex nihilo aliquid facere, ità solius Dei est aliquod in nihilum reducere, seu anihilare; ergò nullum agens naturale potest ita corrumpere materiam primam, ut in nihilum reuertatur: quod autem non possit materiam ita corrumpere, ut in aliquod abeat, ostenditur pariter, quia si ita corrumperetur, iam in se ipsam abiret, adeoque esset, quando amplius non esset.

Confirmatur hæc ultima pars asserti quidquid corrumpitur, vel à contrario corrumpitur, vel ex defectu causæ conservativæ; sed neutro modo corrumpi potest materia prima; ergo est incorruptibilis. Maior patet inductione per omnes corruptiones, quas quotidie ad oculos habemus, & calidum à frigido, & lignum ab igne, tamquam à contrario corrumpitur, & lux ipsa, quamuis contrario careat, corrumpitur tamen recedente vel sole, vel face, quæ sunt causæ lucis conseruatiuæ. Probatur itaq; minor, quia materia nullum habet contrarium: imò potius est subiectum contrariorum, cum modo priuationi, modo formæ subsiet.

Dico Secundo materiam primam esse generabilem, & corruptibilem, sumptis generatione, & corruptione, ut mutationes sunt. assertum hoc, est etiam commune, &

Ostenditur efficaciter, quia in hoc sensu illud dicitur generabile quod transit de non esse sub forma, ad esse sub illa, si sit generatio & viceversa, si sit corruptio sed in mutationibus vere transit materia, de non esse sub forma, ad esse sub illa, si sit generatio; ergò in hoc sensu materia prima potest dici generabilis.

Nil solidi afferre possunt aduersæ partis Auctores, si adsint contra assertum hic positum unum: vel alterum placet solummodo afferre argumentum, quod opponi posset, & primum est.

Si materia esse in corruptibilis, tribuere deberet homini, & cuicumque alteri composito esse incorruptibile; at qui hoc affirmari nequit, asserentibus omnibus, res genitas corruptibiles esse; ergo &c Probatur maior paritate: non stat materiam, rem esse materialem, & non tribuere toti esse materiale; ergo etiam non stabit, esse ipsam incorruptibilem, & homini non tribuere esse incorruptibile.

Secundum est. Materia taliter dependet à forma, ut sine aliqua existere nequeat; sed est possibilis casus, in quo agens naturale destruat omnes formas; ergo erit possibilis casus, in quo naturaliter corrumpatur.

Utrumque facilis est solutionis, primum siquidem, si advertamus, formam non omnes suos effectus tribuere subjecto, sed tantùm eos, quorum est capax, & à quo subiectum dispositum, uti patere potest in materia de Incarnatione ubi agimus de sanctificatione humanitatis assumptæ per divinitatem in solutione cujusdam argumenti magni ponderis, & insuper in ipsis operationibus sensitivis, quæ receptæ in materia eidem non tribuunt denominationem sentientis, quinimmò ipsa anima rationalis, quæ proximior censetur viventis rationalis pars, viventi eidem immortalitatem non tribuit, non obstante, quod ipsam habeat. Dispar autem ratio (quidquid sit de solutione hujus argumenti, quam refert. Quiros, de qua non summus solliciti) pro solutione meo videri, ex eo desumi potest, quod esse rem incorruptibilem bonum est, bonum autem ex integra causa desumi debet, hæc autem in casu non esset obstante unionis corruptibilitate, esse verò rem materialem malum quodammodo est, malum autem est ex quocumque defectu, nisi dicere velimus discrimen oriri ex capacitate compositi ad denominationem materialis, incapacitate verò in ordine ad incorruptibilitatem, quatenus constat materia transmutabili.

Secundum argumentum solutionem petit alterius difficultatis, quam Peripatetici solent proponere nimirum quomodo materia à forma dependeat, in cujus resolutione communior est sententia, ipsum dependere à posteriori, non à priori, à posteriori quidem, sicuti lux pendet à Sole, essentia à proprietatibus, corpus ab ubicatione, non verò à priori, cum materia in plausibili sententia in priori ad formas existere intelligatur. De hoc plura refert, & ad rem Richardus, Lynceus, Societatis Jesu libro 2. Physicorum tract. 3. cap. 2. & 3. Sed hac doctrina omissa, quantum vis vera, addo quod si materia à forma aliquam dicit dependentiam, fortassis erit in ratione perfectibilis; sed in hoc sensu nullum est argumentum, primò, quia esse potest sine omni perfectivo supernaturaliter, secundò, quia uno deficiente, aliud succedit cum impotentia agentis naturalis, ad omoem ei tolleudam formam.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum materia appetat formas.*

Aliquid plus dicere rem, ut appetentem aliquid, quam præcisè, ut habentem potentiam ad aliud, certum omninò est; Terminus enim appetitus, non est, nisi quod rei aliquo modo bonum est (sive deinde bonum morale sit siue physicum) atque perfectiuum. Res autem, ut præcise potens in ordine ad aliud, præsefert solum illius capacitatem, quapropter aqua in ordine ab calorem recipiendum, vere habet potentiam, cum tamen non habeat appetitum; Unde falsa mihi est doctri-

na

na Ioannis à Sancto Thoma, docentis materiam habere appetitum, nihil aliud esse, quam habere capacitatem ad formas.

Hic autem sermo est de appetitu innato, quærendo an hic conueniat materiæ in ordine ad formas tanquam in ordine ad bonum sibi naturale, & conveniens, in qua difficultate communis sententia est affirmativa, & pro hac stant Diuus Thomas prima parte, quæst. 59 articulo 2. Scotus distinctione prima, quæst. prima, Henricus in summa articulo 4. quæst. 3. illis verbis: *Materia quidquid appetit forma est, non tamen tantùm unam formam secundùm genus, vel speciem appetit, sed generaliter omnes*, & quæst 5. sub eodem articulo hæc habet: *Sicuti patet de materia ad omnes formas, ad quas est in potentia, quia naturaliter illas desiderat, & quæst. 7 sub eodem articulo: Sicuti materia est in potentia ad omnes formas particulares;* sit ergo

## CAPUT PRIMUM.

*Verisimile est in materia adesse hunc appetitum ad omnes formas.*

PRæcisivè loquor ab illa difficultate: an nempè materia ipsas appetat formas solùm sub ratione individuali, ut sustinet Spinula, vel solùm sub ratione generica, in qua conveniunt, ut docet Ioannes à Sancto Thoma. Hæc enim difficultas mihi parui roboris est: Existimo etenim materiam sub utraque ratione formas appetere, cum sub utraque ipsa inueniat suum perfectiuum, sed præcipuè tamen sub ratione generica, cum formas appetat sub illa ratione, sub qua sunt materiæ perfectivæ: cum autem hoc habeant sub ratione faciendi unum per se, quæ communis, est omnibus, hinc sequitur; ipsas appetere sub ratione communi: Sed quidquid sit de hoc.

Posset primò assertum hoc suaderi quamplurimis scripturæ, Patrum, & Philosophorum oraculis, uti ipsam suadere conantur aliqui extra nostram Scholā sed ne actum agere videatur, omnia omitto, & tantùm Augustini oraculum placet afferre in libro 11. de Civitate Dei capite 28 ressidens sub his expressum verbis: *Si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus: verùm tamen id quasi appetere videremur, quo feracius essemus, uberiusque fructuose. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu, atque vita, non tamen nobis deesset, quasi quidam nostrorum locorum, atque ordinis appetitus: nam veluti amores corporum momenta sunt ponderum sive deorsum gravitate, sive seorsum levitate nitantur*: ex quibus primum argumentum, quod confici potest, sic procedit: ex Augustino rei cuilibet innatus est appetitus; ergo & materiæ, atqui hic esse nequit, nisi in ordine ad formas, cum solùm hæ sic habeant rationem perfectivi; ergo materia appetit formas.

Secundò hoc medio, & principaliter, qualibet res, quamvis inanimata est à Deo, ut Auctore naturæ producta; ergo debet esse producta cum omnibus perfectionibus, quas necessariò importat ipsarum rerum natura, sed natura ordinat, quæ spectant ad ejus ordinem, ad id, quod est sui perfectiuum; ergo & materia ordinatur ad sui perfectionem, sed ipsius perfectiuum sunt formæ ut patet; ergo

Et hic adverte Lector falsam propositionem, quam in hac re habet Spinula, nempe materiam solùm id appetere, quod est producibile dependenter ab ipsa, quia appetitus materiæ coincidit cum ipsius potentia: siquidem materia ulterius appetit formam rationalem, quæ certè non producitur dependenter ab ipsa: nec ex hoc sequitur; quod appetitus excedat potentiam; cum pariter potentia sit etiam in ordine ad formas, quæ independenter à concursu materiæ produci possunt.

Tertiò eadem veritas suadetur; ostendendo simul in materia adesse appetitum in ordine ad omnes formas. Si in omnibus formis sit ratio motiva adipiscibilis virtute alicujus agentis, jam in materia erit appetitus in ordine ad ipsas: Patet hoc: percipere enim non possum, quomodo stare possit ratio motiua in formis sine appetitu in materia; sed in omnibus formis substantialibus est ratio motiua, quia in omnibus est ratio faciendi unum per se; ergo &c. & hic advertendum est, quod male à Thomista Io: à S. Thoma pro ratione formali appetitus materiæ in formis, assignatur corruptibilitas, & generabilitas formæ: siquidem hoc dato, jam in materia non esset appetitus ad animam rationalem, cum ista corruptibilitate careat; quinimmò formæ ipsæ in prima rerum corruptione non essent terminus appetitus materiæ, cum in sensu composito primæ productionis non fuerint generabiles, juxta plausibilem quamplurium sententiam. An verò hic appetitus sit appetitus simultatis, vel simultas appetitus, respondeo, dicendo utrumque esse, maximè cum in mea sententia, non repugnet agente Deo, ut Auctore supernaturali in materia duplicem, adesse formam non subordinatam, ut suo dicam loco adversus Thomistas.

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur argumentis adversæ partis.*

ARguunt primò aliqui. Semel dato, quod appetat omnes formas, jam verificabitur, quod materia, dum est sub una forma, appetat etiam alias cum priori incompossibiles; sed hoc evenire nequit; ergo &c. Probatur minor: si sic appeteret, sequeretur, materiam sub priori forma constitutam esse in statu violento, cum haberet aliquod incompossibile cum illo, quod naturaliter appetit: aqua enim quando existit sub calore, ideo est in statu violento, quia calor incompossibilis est cum frigore.

Respondetur nullatenus sequi, quod in argumento obiicitur: ad rem enim ponendam in statu violento, non sufficit, quod terminus rei appetitæ sit incompossibilis cum forma, quam prohibet, sed ulterius exigitur, quod forma antecedens possessa sit rei violenta, uti certè non est relate ad materiam, antecedens. Per quod patet ad illud de aqua calida.

Arguunt secundò multipliciter. Si materia appeteret alias formas in sensu composito alicujus possessæ, optaret corruptionem: Patet hoc; nam possessæ corruptio est medium necessarium ad aquisitionem novæ formæ: appetens enim aliquid, tenetur appetere omnia media ad illud; sed hoc falsum est nihil enim appetit corruptionem illius, quod est sibi bonum, uti est forma possessa, nisi in concursu boni perfectioris, quod non evenit in casu. Huic argumento occurrere aliqui solent, dicendo materiam forma aliqua indutam alias appetere sub conditione tantùm, quod priori spolietur: appetitus autem conditionatus alterius, stat sine desiderio corruptionis alterius: sed huic solutioni non aquiesco: appetitus enim ad omnes formas absolutus est, sicuti absoluta est ratio motiva in eisdem formis: aliter

 ergo

ergo satisfactio, dicendo tunc sequi, quod obiicitur, quando materia inæqualiter appeteret formas, magis scilicet appetendo absentem, quod non verificatur.

Arguunt tertiò. Si materia dum est sub determinata forma, semper appetit alias, pariter dum est sub forma perfectissima, deberet appetere alias imperfectiores; sed hoc est falsum; ergo. Ostenditur minor; natura humana subsistens subsistentia divina non amplius appetit subsistentiam creatam; ergo nec materia, dum est v. gr. sub forma rationali, optabit alias formas. Patet hæc consequentia; ideò primum, quia divina subsistentia relatè ad subsistentiam creatam est perfectior, sed etiam forma rationalis perfectior est relatè ad alias; ergo.

Dum mihi argumentum hoc occurrerat, statim cogitaveram solvi posse, disparitatem afferendo in hoc stantem, quod subsistentia ita est perfectior, ut præcontineat imperfectiorem scilicet subsistentiam creatam, qua propter sequitur, quod natura prout hic subsistens ulteriorem non appetat; at verò forma rationalis non præcontinet omnes alias formas, unde optimè potest adhuc ipsas appetere.

Arguunt quartò. Est aliqua forma, quam materia appetere nequit; ergo non appetit omnes. Probatur antecedens; forma illa, circa quam versatur hoc Dei decretum. *Nolo quod hæc forma sit producibilis*, talis est, ut materia ipsam appetere nequeat, cum hæc stante tali decreto careat bonitate motiva; ergo.

Respondeo. Decretum Dei facere utique formam aliquam esse producendam, vel non verò esse producibilem, vel non. Hoc enim secundum desumitur solùm à prædicatis essentialibus rerum. Secundò dico adhuc materiam ipsam formam appetere, quia solùm esset improducibilis extrinsecè, hoc est ratione Decreti. Cæterum intrinsecè producibilis esset, quod sufficit, ut possit esse terminus rei appetitæ.

Arguunt ultimò, appetitus materiæ non est sola materia, sed simul cum negatione primæ realis productionis formæ, sed in ordine ad formas corruptas non est hæc negatio; ergo comparativè ad easdem non erit appetitus. Probatur major. Appetitus naturalis est potentia naturalis, sed potentia naturalis non est omninò intrinseca materiæ, sed includit etiam negationem primæ productionis formæ; ergo etiam appetitus materiæ.

Huic argumento inferius occurram, ubi de appetitu materiæ ad formas corruptas. Interim dico argumentum totum verum esse, loquendo de appetitu proximo, & potentia passiva proxima, falsum verò de appetitu remoto, de quo est controversia, & assertum.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum materia appetat formas æqualiter.*

Controversia hæc propter scholam subtilis communiter proponi solet, & resolvitur affirmando materiam æqualiter appetere formas, quamvis inæquales in perfectione, sic tenet Doctor *in summa art. 4. quæst 3.* illis verbis; *materia secundùm quod materia quidquid appetit forma est, non tamen tantùm unam formam secundùm genus, vel speciem appetit, sed generaliter omnes*, quæ tamen Doctoris auctoritas mihi sufficiens non apparet ad suadendam positam conclusionem esse juxta Doctoris mentem, cum in Textu relato unicè habeatur materiam omnes formas appetere, nihil verò de æqualitate, vel inæqualitate appetitus; quapropter nostræ scholæ Auctores egrè assertum hoc, ut Doctoris insinuant, ex prædicta auctoritate, à qua præcindendo.

Placet primò conclusionem suadere hac ratione, qua quibusdam in Thæsibus Neapolim usus sum: Sicuti in formis physicis una est perfectior alia, ita etiam in metaphysicis una differentia alia; sed quamvis in metaphysicis una sit essentialiter altera perfectior, hoc non obstante in Scoti sententia materia metaphysica non magis appetit, & petit identificari cum una, quàm cum alia; ergo etiam quamvis una forma physica sit alia essentialiter perfectior, non magis appetet uniri cum una, quàm cum alia. Major est certa, nedum enim datur ordo in physicis, sed etiam in metaphysicis in perfectione essentiali. Minor pariter liquet maximè in sententia Scotistarum ponentium distinctionem formalem ex natura rei mediam, per quam dicunt animalitatem secundùm suam essentiam non exigere potius identificari cum rationalitate, quàm cum irrationalitate; Probatur itaque consequentia; ideò non obstante inæqualitate, in perfectione essentiali, quæ relucet in formis metaphysicis, materia metaphysica non magis appetit unam formam metaphysicam, quàm aliam, quia ratio motiva in formis metaphysicis est æqualis, cum ratio faciendi unum per se metaphysicum, quæ est ratio motiva, æqualis sit in omnibus formis metaphysicis; ergo quia ratio motiva in formis physicis est ratio faciendi unum per se, quæ æqualis est in omnibus formis, non obstante ipsarum inæqualitate in perfectione essentiali pariter appetitus erit æqualis.

Probatur secundò; si materia physica magis appeteret formas perfectiores, quam imperfectiores, ideò esset, quia formæ perfectiores magis perficiunt materiam, quàm imperfectiores, sed ex hoc non sequitur, quod major sit appetitus erga perfectiores, quàm imperfectiores; ergo. Minor suadetur paritate: quamvis potentia materiæ per receptionem formæ perfectioris, magis perficiatur, quàm per receptionem formæ imperfectioris, tamen potentia materiæ æqualis est ad omnes formas; ergo quamvis ipsa materia magis perficiatur per unionem physicam cum perfectiori forma, quàm cum minus perfecta, adhuc erit appetitus, æqualis ad omnes formas.

Dices ideò potentiam materiæ esse æqualem ad omnes formas, non obstante, quod magis perficiatur per receptionem formæ perfectioris, quàm imperfectioris, quia respicit ipsas, non quatenus perfectiores, sed sub ratione receptibilis, quæ receptibilitas, cum non suscipiat magis, & minus, nec sit major in una forma, quàm in alia, hinc est, quod est potentia æqualis; at verò appetitus materiæ respicit illas, quatenus sunt ipsius perfectivæ, unde cum perfectivitas sit major in una, quàm in alia, hinc magis debet appetere unam, quàm aliam; sed

Contra est. Insto primò tali medio; ideò non obstante, quod potentia materiæ magis perficiatur per receptionem formæ perfectioris, quàm imperfectioris potentia, est æqualis tam relatè ad formas perfectiores, quàm imperfectiores, quia non obstante inæqualitate perfectionis, ratio formalis, secundùm quam potentia materiæ respicit formas, est æqualis in omnibus formis; sed etiam ratio motiva appetitus materiæ est æqualis in formis inæquali-

qualibus in perfectione essentiali; ergo si non obstante, quod potentia materiæ magis perficiatur per unam formam, quàm per aliam, est potentia æqualis, ita & appetitus. Minor est certa, siquidem ratio motiva appetitus est ratio faciendi unum per se præcisè; in hac autem ratione una forma non excedit aliam, quamvis excedat in perfectione, quis enim dicet quod magis fit unum per se homo, quàm lapis.

## CAPUT UNICUM.

*Diluuntur Argumenta Scholæ subtilis.*

QUamvis apud quamplures Auctores Patrum Societatis, & Scholæ Divi Thomæ difficultas suprapofita, nec proponi, nec dirimi soleat; placuit tamen ipsam dirimere, ut nil eorum deficiat, quæ ad perfectam materiæ peripateticæ cognitionem pertinent. Arguunt ergo primò Scotistæ Appetitus materiæ nil aliud est, quàm perfectibilitas ejus; sed est major perfectibilitas per formam perfectiorem, quandoquidem cum ea habetur compositum perfectius; ergo magis illam appetit. Confirmatur ideò appetit aliquam formam, quia est ejus perfectio; ergo magis appetit formam, quæ est major perfectio materiæ.

Ut huic argumento, & aliis huius generis fiat satis recolendum est in quo consistat perfectibilitas materiæ per formas, & perfectivitas formæ relatè ad materiam, quo prænotato apparebit deinde, an verum sit materiam magis perfici per formam perfectiorem, quàm per imperfectiorem; perfectivitas itaque nihil aliud est, quàm pura ratio faciendi unum per se consistens in indivisibili, cum non suscipiat magis, & minus; unde patet in forma. Ad confirmationem responderi potest, vel concedendo totum argumentum, cui ut benè impugnetur assertum deficit minor subsumpta, quæ esse deberet hæc. *sed forma perfectior est major perfectio materiæ à materia intenta*, quæ procul dubio falsa est, cum quælibet forma relatè ad materiam non sit magis perfecta, quamvis relatè ad aliam esse possit,

Arguunt secundò. Scotistæ ex Philosopho primò Metaphysicorum. *In causis præcisis, sicuti se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum*; sed materia simpliciter appetit formas, quia forma est ejus perfectio simpliciter; ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maximè, quæ est ejus perfectio maxima.

Confirmatur quod magis intenditur à natura, magis quoque appetitur; ergo cum natura intendat magis formas perfectiores, quàm imperfectiores, consequenter eas magis appetit.

Respondeo hoc argumentum cum sua confirmatione, quod est potissimum scholæ Scotisticæ, quo asseritur inæqualitas appetitus, soluitur à nobis, aduertendo quod tunc ualet illud principium *sicuti se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad. Secundum quid*, quando res non solùm crescit materialiter, & entitativè sed etiam formaliter, nempe in ratione motiua, nam si res cresceret tantùm materialiter, & non formaliter, nimirum secundùm illam rationem, secundum quam non habet mouere potentiam, vel appetitum, profectò non crescit inclinatio ad ipsam: sic verbi gratia, si per impossibile obiectum cresceret sub ratione veri, non verò sub ratione boni, adhuc non cresceret uoluptas in uoluntate in ordine ad illud, quare hoc? nisi quia non cresceret obiectum secundùm illam rationem, secundum quam à voluntate appetitur. Sic in casu, quamuis una forma substantialis excedat aliam in perfectione essentiali, tamen non excedit formaliter, sed tantùm materialiter; hoc est non secundùm vim motiuam, quia vis motiua formæ relatæ ad materiam consistit in ratione faciendi unum per se, secundùm quam rationem perfectior forma non excedit imperfectiorem, sed equiparatur, ut fatentur, & aduersarii, adeoque non est argumentum rationis formalis motiuæ; undè informa concessa maiori in sensu explicato, & minori nego consequentiam.

Ad confirmationem concesso antecedenti nego consequentiam, nam quamuis verum sit quod natura in genere intendat magis formas perfectiores, quàm imperfectas, falsum tamen est, loqendo de natura ipsius materiæ ob rationes supra assignatas.

Obiicit tertio Mastrius. materia magis appetit formas substantiales, quàm accidentales; sed forma substantialis est perfectior formis accidentalibus; ergo est appetitus materiæ magis ad formas perfectiores, quàm ad imperfectiores.

Respondeo dupliciter, primò dicendo quod non ideò maior est appetitus materiæ ad formas substantiales, quàm accidentales, quia formæ substantiales sunt perfectiores, sed ideò potius est ad formas substantiales, quàm accidentales, quia accidentales appetuntur à materia, quatenus disponunt ad formas substantiales tanquàm media ad finem. Maior autem est appetitus & inclinatio ad finem, quàm ad media iuxta illud *propter quod unum quodque tale, & illud magis*, at verò formæ substantiales non se habent (excepta forma corporeitatis) ut dispositiones, & media ad aliam formam, & sic non erit maior appetitus ad unam, quàm ad aliam; undè patet in forma. Secundò respondere possum, dicendo quod æqualitas appetitus non defenditur inter formas substantiales & accidentales, inter quas certum est appetitum inæqualem esse, cum vis motiua inveniatur in formis substantialibus, quæ non invenitur in formis accidentalibus, sed unice defenditur inter formas substantiales, de quibus non procedit argumentum.

Arguunt quartò appetitu elicito magis appetitur maius bonum; ergò & innato.

Probatur consequentia non minus est appetitus ordinatus, & coniunctus cum rectitudine innata, innatus quam elicitus; sed ex quo appetitus elicitus sit ordinatus, & rectus, est magis ad maius bonum, quàm ad minus bonum; ergo etiam appetitus innatus. Confirmatur, quod facit cognitio in appetentibus cognoscitiuis, supplet natura in non cognoscentibus; ergo si appetitus appetitu elicito magis appetit maius bonum, quàm minus bonum, ita in non cognoscentibus hoc idem conueniet.

Qui uult seruandam rigorosam proportionem inter appetentia appetitu innato, & appetentia appetitu elicito, oportebit asserere quod materia, dum est sub forma perfectiori, non appetat formam imperfectiorem, quemadmodum qui appetit appetitu elicito dum habet maius bonum, non appetit minus bonum, quod tamen falsum est; in forma itaque concesso antecedenti nego consequentiam, ad cuius probationem concessis præmissis distinguo consequens; ergò etiam appetitus innatus magis est ad formam perfectiorem, quàm ad imperfectiorem, si sit forma perfectior etiam relatè ad materiam, concedo consequentiam

tiam si tale malus bonum non detur, seù talis forma perfectior respectiuè nego consequentiam. Distinctio patet.

Ad confirmationem concedo totum, nam verissimum est, quod appetens appetitu innato, magis appetat quod est magis sibi bonum, quam id, quod est sibi minus bonum, & quod natura suppleat in non cognoscentibus: at probandum remanet quod forma perfectior sit maius bonum comparatiuè ad materiam, quam sit forma imperfectior.

Arguunt quintò, materia non appetit facere unum per se præcisè, sed etiam perfectius, itaut ratio motiva non tantùm sit ratio faciendi unum per se, sed etiam ratio faciendi unum per se perfectius; sed certum omninò est, & evidens, nec negatur ab aduersariis, quod cum forma perfectiori fit unum per se perfectius, cum ex extremis perfectioribus fiat compositum perfectius, ergo erit major appetitus in materia relatè ad formas perfectiores, quam imperfectiores.

Respondeo hoc argumentum inniti falsò supposito, nempe quod ratio motiva sit ratio faciendi unum per se perfectius, cum hæc consistat in indiuisibili. Huc enim reducitur meo videri totus Cardo difficultatis, nimirum, an ratio motiua sit præcisa ratio faciendi unum per se, an verò ulterius sit ratio faciendi unum per se perfectius, si primum, innegabilis erit æqualitas appetitus, si verò secundum inegabilis erit inæqualitas.

Arguunt sextò. Tota ratio, quare appetitus materiæ sit æqualis, est quia vis motiva in omnibus formis pariter æqualis est, Atqui stat, quod vis motiva in formis sit æqualis, cum inæqualitate appetitus; ergo probatur minor, esto vis motiva movens creaturam rationalem ad amorem beatitudinis sit eadem, tamen hoc non obstante non est idem appetitus in omnibus quoad intensionem, sed in uno, ut maior, in alio minor; ergo à pari esto sit eadem bonitas in omnibus formis, adhuc non est idem appetitus in omnibus.

Respondeo disparitatem esse, quia beatitudo non movet se sola, sed solum ut cognita, hoc ipso autem quod non mouet, nisi ut cognita mouet tantùm ad mensuram cognitionis, undè cum in uno sit perfectior cognitio Beatitudinis quam in alio, sequitur majorem esse appositum in uno, quam in alio, quamvis bonitas beatitudinis sit omnino eadem at appetitus materiæ commensuratur tantùm bonitati, quæ relucet in forma; undè cum bonitas hæc sit æqualis, ut millies ostensum est, profectò, etiam appetitus debet esse æqualis, cum tantum commeosuraretur rationi motive, quæ æqualis est in omnibus formis.

Arguunt ultimò excessus bonitatis unius formæ supra aliam; identificatur cum forma; ergo materia appetens formam appetit talem excessum, sed si appetit talem excessum magis appetit formam perfectiorem, quam imperfectiorem, ergo non appetit æqualiter omnes formas.

Respondeo, quod quamuis materia appetens appetat consequenter quidquid identificatur cum forma, adeoque etiam excessum unius supra aliam, non tamen magis appetit unam, quam aliam, quia una non excedit aliam, secundum rationem formaliter motiuam appetitus, adeoque ille idem excessus, quem materia appetit, eodem appetitu appetit, quia in ratione formaliter motiua appetitus est æqualis alteri formæ excessi.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum materia appetat formas corruptas.*

Ratio dubitandi est, quia quamvis formæ corruptæ possint per absolutam Dei potentiam reproduci, nequeunt tamen per ullam potentiam naturalem reuocari ad esse. Ad id autem, quod naturaliter impossibile est, videtur, quod naturalis appetitus se se extendere nequeat, circa quam difficultatem duæ adsunt sententiæ. Prima affirmatiua est, atque communior, ipsique adherent. Hurtado, Oviedo, Comptonius, Pontius, Lynceus, Complutenses, Suarez, Rubius, Amicus, Quiros, & Andreas Semerii, ita ut tamen quintus in ordine relatus Auctor, velit appetitum hunc non esse omninò naturalem, sed potius obedientialem, quatenus formæ corruptæ naturaliter non sunt possibiles. Secunda Sententia illa est, quam infeliciter deffendit Rodericus de Arriaga *disp. 2. Physicè sub sect 2.* affirmans respectivè ad ipsas appetitum in materia non adesse. Nos mediam sequimur viam cum quibusdam primæ sententiæ Auctoribus, quam veriorem, & consonantiorem esse in hac re existimamus; quam ante quam agrediamur.

Advertendum est appetitum materiæ dividi posse in remotum, & proximum, siue in prædicamentalem, & transcendentalem: appetitus remotus, sive transcendentalis est sola, & nuda entitas materiæ; prædicata nimirum illius essentialia, ut apta recipere formam. Appetitus verò proximus, & prædicamentalis est entitas materiæ non nudè accepta, sed prout importat dispositiones, & circumstantias atque ablationem omnium impedimentorum, ita ut potentia sit ad receptionem formæ expedita. Primus appetitus est adæquatè intrinsecus materiæ, cum sit ordo, & relatio transcendentalis ad formam. Relatio enim transcendentalis est adequatè intrinseca fundamento. Secundus verò appetitus non est adequatè intrinsecus materiæ, sed constituitur etiam partialiter per dispositiones, & circumstantias extrinsecas. Sicuti v. g ignis per se ipsum, & ex intrinsecis suis, est causa productiva alterius ignis remotè tamen; constituitur autem proximè per aproximationem Primus appetitus appellatur etiam exigentia remota, secundus exigentia proxima. Primus ab aliis inefficax, secundus efficax, & hoc ideò, quia appetitus proximus habet vim termini tractiuam; itaut terminus negari nequeat absque violentia. Appetitus vero remotus caret vi sufficienti ad determinandam existentiam termini, adeoque illi negari potest terminus absque violentia hoc supposito sit.

## CAPUT UNICUM.

*In ordine ad formas corruptas ponitur in materia appetitus remotus, & negatur proximus.*

Hanc sequentes sententiam suadere ipsam solent quoad primam partem hoc medio. Materiam appetere formam remotè, & transcendentaliter est materia habere proportionem ad formam, sed materiam secundum se proportionem habet ad formas corruptas; ergo; minor, in qua unicè stat difficultas, ostenditur ex eo, quod materia post corruptionem formæ est eadem ac erat ante corruptionem, neque enim ipsa intrinsecè mutatur per extrinsecam formæ corruptionem; sed ante corruptionem

nem formæ habebat proportionem ad formam; ergo candem proportionem habebit etiam post ipsam.

Huic rationi solutio, quam affert Arriaga, & cum ipso alii suam sequentes sententiam, est post corruptionem formæ non manere totam essentiam appetitus; cum non maneat negatio præteritionis primæ productionis, in qua inadæquatè consistebat appetitus: Nec ex materiæ invariatione sequitur etiam appetitus ejusdem inuariatio, cum ipsa invariata hic variari possit, ut patet in ipso appetitu gaudii, quem materia ita habet ad præsentiam formæ, ut antea non haberet, quin ipsa varietur; Sed

Contrà est quamvis enim hæc doctrina vera esse possit loquendo de appetitu inferius negando in materia relatè ad formas, falsa tamen est, si sermo sit de appetitu quem hic in materia esse contendimus nimirum de appetitu purè transcendentali; hic enim cum adæquate intrinsecus sit, desumi nequit, nec etiam partialiter, seu inadæquate ab ipsa negatione præteritionis primæ productionis: Nec variari potest materia ipsa invariata, utpotè ipsi intrinsecus. Ideò autem variatio non contingit in materia, dum ejus appetitus transit de appetitu desiderii ad appetitum gaudii formæ possessæ, quia estò varietur modus appetendi, semper tamen perseuerat substantia appetitus ad eandem formam, & quidem sub illa ratione sub qua forma appetitur, nimirum sub ratione faciendi unum per se; at verò semel supposita, ut vera Arriagæ sententia, appetitus quo ad ipsas formas corruptas nullatenus amplius perseueraret: quemadmodum in Thomistica sententia, transeunte materia de una forma in alteram, non sequitur sui ipsius esse physici corruptio, quia semper est quoad substantiam sub existentia, sequeretur verò, si una recedente, altera non adveniret, quia sub esse physico amplius non perseveraret. Secunda verò pars asserti adeò certa est, ut sola indigeat explicatione non probatione: diximus enim ad appetitum proximum non sufficere solam entitatem materiæ, sed ulterius exigi dispositiones, per quas fiat in actu primò proximo ad formas disposita, ut ipsam naturaliter exigat tamquam sibi debitam ex vi talium dispositionum; Sed ad formam jam semel corruptam nequit ita proximè disponi; ergò. Minor ostenditur, quia unum ex requisitis ad actum primum proximum in ordine ad aliquam formam est negatio præcedentis corruptionis, cujus ratio est, quia ad hoc, ut materia sit in actu primò proximo ad aliquam formam, debet talis forma esse producibilis ab agente naturali; sed agens naturale nequit formam semel corruptam producere juxta vulgare Axioma communiter receptum, *à privatione ad habitum non datur regressus.*

Arguit primò Arriaga appetitus est inclinatio ad bonum naturaliter possibile, ut certum est ex ipsa appetitus definitione; sed reproductio formæ corruptæ est impossibilis naturaliter, ergo non datur appetitus ad eam reproductionem, minor certa est ex Philosophi superiori proloquio, secundò quia natura ipsa exigit propter sui pulcbritudinem, quæ maxima in varietate consistit, ne formæ semel corruptæ iterum reproducantur, sed aliæ diuersæ, quare, quæ semel producta est, manet impossibilis naturaliter.

Respondeo appetitum innatum ferri posse ad aliquod naturaliter impossibile, uti uariis ostendunt exemplis Patres nonnulli eiusdem Societatis nostræ sequentes sententiam, & sane ex alta turri præcipitans suam appetit conseruationem, cum tamen vivere in tali casu ipsi sit naturaliter impossibile; & homo cæcus innatæ visum appetit, in eumque propendir, cum tamen visio sit ei naturaliter impossibilis, & anima à corpore separata inclinationem habet appetitumue naturalem ad reunionem cum ipso, cum tamen talis unio sit naturaliter ioadipiscibilis, & in nostra sententia in homine inest appetitus entitativè naturalis ad visionem beatificam (non enim volumus appetitum ad ipsam esse obedientialem, ut quamplures edocent cum Ripalda) cum tamen visio beatifica sit naturaliter impossibilis. In forma itaque dico verum esse appetitum innatum circa impossibile per se, vel ex suis intrinsecis non ad esse, esse tamen potest circa aliquod solum per accidens, vel naturaliter impossibile, quemadmodum dicimus in materia de divina scientia, quod estò Deus decernere nequeat rem aliquam futuram sub conditione ab intrinseco impossibili, ut tali cognita per scientiam simplicis intelligentiæ, decernere tamen potest sub conditione extrinsecè impossibili, uti decreverat conversionem Tiriorum futuram sub conditione quod signa facta fuissent eis, quæ Betsaitis facta fuerunt; undè optimè Illustrissimus Petrus de Godoy in suo Tractatu de *merito Christi dispu.* 49. sustinet, quod estò in Christo implicet negatio mortis supposito præcepto moriendi, adhuc adest potentia in eodem non moriendi, quia implicantia omissionis mortis oritur solum ab extrinseco videlicet ex suppositione præcepti, non vero ex intraneis eiusdem omissionis.

Arguunt secundò alii si materia haberet appetitum naturalem ad formas corruptas, posset illas naturaliter habere; sed hoc falsum pænitus est; ergò maior ostenditur, quia quoties non deficit potentia passiua in natura, nec etiam deficit potentia actiua in eadem; Atqui si non deficit potentia actiua ad forma corruptam reproducendam, posset materia naturaliter habere formam corruptam; ergo. Maior huius ultimi sylogismi certa penitus est, si enim ex hoc quod forma est eiusdem rationis post productionem, ae antea sequitur in materia perseverare eius appetitum, ex eodem capite erit etiam proportionata agenti per modum effectus, sicuti antea.

Respondeo ineptam esse illationem ex potentia passiua naturali ad actiuam pariter naturalem: ad habitus siquidem supernaturales inest nobis potentia passiua naturalii, cum tamen non insit potentia actiua naturalis iuxta illud Augustini *lib. 1. de prædest sanctorum: posse habere fidem, & charitatem naturæ est hominum: habere autem actu gratiæ est fidelium.*

Quod si quæras unde proueniat repugnantia oaturalis in forma corrupta ad hoc, ut ab agente naturali reproducatur, dico non unicam esse apud Auctores rationem. Ex præcipuis tamen prima est formã esse naturaliter improducibilem quia nihil est in rerum natura, quod petat ipsius existere, nisi ad summum conditionatè & in defectum alterius, quinimo plura sunt, quæ postulant ipsam non esse, unde calor in aqua frigida absque ullo agente naturali calido ei aproximato est naturaliter impossibilis, quatenus talem calefactionem nullum agens ex natura sua postulat.

Alii verò dicunt oriri ex exigentia naturæ, ne formæ semel corruptæ iterum reproducantur, sed aliæ productæ, quem dicendi modum defendere Arriagam vidimus. Alii verò ipsam desumunt ex eo quod reproductio naturaliter nunquam fuit facta, sed hic huic rationi non assentior, quamuis hac utamur in materia de gratia, dum sermo erit de uitatione omnium venialium collectivè, ubi sufficienter colligere nolumus moralem impoten-

tiam ad vitanda omnia venialia collectiuè, quatenus ex hominibus maximopere studentibus Deo placere, nullus hucusque per gratiam ordinariam peruenit ad talem vitationem: tameo in casu non tenet, si quidem quamplura sunt, quæ hucusque producta non suot, quæ tameo impossibilia ab omnibus naturaliter non censentur.

Nonnulli verò alii volunt impotentiam hanc oriri ex causæ fæcunditate exigente nouos semper effectus producere, vel ex limitatione effectus, cuius apetitus ad existendum, expletus sit per habitam existentiam: quidam verò alii ipsam venantur ex Decreto Dei volente res semel corruptas oon redire; quibus omnibus illi addi possunt, qui hoc euenire indicant, quia res quaslibet iodiuiduari exiltimant per circumstantias loci, & temporis, quæ cum redire nequeant, nec etiam res redire possunt. Sed inter tot dicendi modos nullus est qui ceteris sit plausibilior, quapropter in hoc nihil determino, nec intendo retulilse determinando, sed quemlibet in sua relinquo probabilitate, firmiter unicè asserendo formas ipsas oatuialiter improducibiles esse quidquid in oppositum *Scotus in 4. dist. 43. quæst. 5.* affirmauit.

## QUÆSTIO OCTAVA.

*Vtrum materia appetat omnes formas possibiles.*

SEmel posito quod ratio motiva appetitus sit ipsius foimæ perfectivitas, vel ratio facieodi unum per se, ut superius diximus, non est undè oegari possit hic sententia affirmativa, quam ferè omnes sequuntur Auctores difficultatem hanc non proponentes, sed potius ut certam supponentes sententiam, quam inferius vindicabimus à quibusdam non parui roboris obiectionibus, quas fieri posse ex cogitavimus. Quod antequam fiat breviter, sed mihi efficaciter communis ratio sic exponitur Ratio appetitus materiæ ad formas, est formæ perfectiuitas, vel ipsa ratio faciendi unum per se cum ipsa; atqui hæc relucet in qualibet forma substantiali, solum in dubio reuocando, an hæc perfectivitas sit, æqualis in omnibus formis, in qua partem negatiuā sustinent Scoristæ, & ex exteris, quos viderim Compronius in sua Physica; ergo appetitus materiæ erit ad omnes foimas, sed aliunde appetitus iooatus noo stat absque capacitate; ergò in materia & est capacitas, & inclinatio ad omnes. Sed cum tria argumenta efformari possint in oppositum hæc examinemus. Primum itaque argumentum ex eo deducitur quod data io materia porentia ad omnes formas esset hæc Incompiehensibilis. Res enim compreheosivè non cognoscitur, oisi simul cogoosca tur, & terminus, ad quem respectum dicit transcendeotalem, atqui terminus hic, quem materia respiceret, stante Thesi exposita esent omnes formæ; ergò maior suadetur, primò quia ideò io nostra sententia noo stat divinæ esentiæ comprehensio sub ratione ideæ, quio omnia possibilia cognoscantur, quia hæc in eiusdem includuntur definitione saltem in obliquo, & cum ipsa connectantur, ad quæ eadem esentia respectum dicit, atqui etiam formæ in definitione materiæ io obliquo veniunt, & maximè in definitione per negativum tradita, atquæ materia ad eas respectum dicit, simulque connexionem, tanquam eum suo perfectiuo; ergò.

Nec valet, quod communiter respondere solent aliqui videlicet suffi.ere ad perfectam materiæ comprehensionem, quod formæ cognoscantur sub ratione communi, nimiū sub ratione faciendi unum per se, sub qua unicè à materia respiciuotur, siquidem instari potest in oostra sententia hoc medio. Quemadmodum materia formas respicit sub communi ratione faciendi unum per se, ita omoipotentia respicit possibilia sub commuoi ratione producibilis; ergò si comprehensio omnipotentiæ Importat distinctam cognitionem cujuslibet possibilis sub propria particulari ratione, ita ut non sufficiat cogoitio possibilium sub ratione communi, etiam comprehensio materiæ importabit cognitionem omoium formarum distinctam, ita ut non sufficiat cognitio ipsarum in generali.

Revera iohærendo doctrinæ quam defendimus in materia de divina scieatia, argumentum hoc suam habet vim; cui tamen, ne solutionem expectet, occurrere libet recipiendo ut legitimam solutionem, quæ io arguendo affertur, atque impugnatur. Duplex itaque disparitas esse potest: prima primæ paritati, quæ opponitur est, quod essentia divina sub conceptu ideæ nedum præsefert ipsa possibilia in obliquo; sed ita ipsa impoitat, ut ad eandem dicat ordinem, sub propria, & iodividualı ipsorum ratione, non quia in Deo sint ideæ individuorum, quas Henricus noo ponit in divina mente, ut optimè ex oostris advertit Illustiiss. Lodigerius in materia de divina scientia, sed quia ideæ specierum summi possunt etiam sub respectu ad possibilia in particulari, sub quo eadem in particulaii repræseotare nulli dubium est: stante autem hac habitudine, optimè sequitur ex omoipotentiæ, vel ideæ comprehensione perfecta eorumdem possibilium cognitio; at verò cum materia, nec necessariò ipsas formas etiam indirectè importet, nec respectum dicat sub ratione particulari, sed solum sub ratione communi, & generali, cujusmodi est ipsa ratio faciendi unum per se, infertur ejus cognitionem perfectam, & sui ipsius comprehensivam, non debere esse etiam cujuslibet formæ, quemadmodum visio intuitiva essentiæ sub ratione ideæ in Patria, non est iotuitiva omnium possibilium.

Secundò verò paritas dirimi potest primò lohærendo nostræ sententiæ, io qua sustinemus possibilia in particulari io sola omnipoteotia non clarè dignosci tanquam io medio cognito propter rationem superius allatam, nimirum quia ipsa eadem respicit taotum sub communi ratione, quæ communiter censetur ratio producibilitatis, nihilominus etiam inhærendo Divi Thomæ sententiæ, quam refert, & sequitur in materia de divina scientia Petrus de Godoy Episcopus Oxomensis cum cæteris sustinens Thomistis possibilia distinctè à divina scientia cognosci in essentia sub respectu omnipotentiæ, disparitas esse potest, quod possibilia perfectè secundum proprias rationes continentur in ipsa omnipotentia, at verò oon sic forma in materia, exercente unicè rationem causæ materialis oon effectivæ, vel per præcontinentiam.

Secundum argumentum consimile est alteri, quod proponere solent aliqui ex negantibus omnipotentiam connecti cum possibilibus; quod breviter efformo. Si materia esset poteotia ad omnes formas, & cum ipsis connexa, una ex his implicante, & ipsa implicaret. Patet hoc, alias cum ipsa non fuissent connexa, quemadmodum si res quælibet perseveraret in esse omni abdicata duratione, & ub catione, jam res ut existens metaphysicam non diceret connexionem, cum aliqua ubicatione & duratione iodeterminata, & si iotellectus præmissis,

m.ssis, penetratis, & dispositis posset non elicere actum conclusionis explicitum; jam amplius non daretur connexio metaphysica inter præmissas principia ejusdem, & ipsam conclusionem, quæ connexio magis communiter conceditur à Philosophis; atqui una implicante implicare non deberet propter aliarum perseverantium in linea possibilitaris, quæ possunt esse terminus ejusdem materiæ; ergo.

Hoc argumentum efformatum tamen in alia materia, nimirum inter omnipotentiam ex una parte, & possibilia ex altera, optimè solvit Illustrissimus noster Lodigerius in materia de divina scientia, cujus doctrinæ inhærendo, quæ mihi solida est, dicendum evenit ipsam potentialitatem materiæ fore defecturam in hypothesi, quod una forma implicaret. Ratio est, quia de ejus essentia est connecti cum qualibet forma, quæ nulla facta suppositione non implicet: cum hac autem non connecteretur, quamvis nulla facta suppositione non implicaret; & quemadmodum omnipotentia destructo uno possibili implicaret, quia non amplius connecteretur cum omnibus possibilibus nulla facta suppositione, sic in casu.

Ulterius talis forma vel intrinsecè impossibilitaretur, vel extrinsecè, hoc secundum affirmari nequit, tum quia non est in mea sententia extrinseca impossibilitas, possibilitas enim, & impossibilitas sunt rei tantum intrinseca; tum quia impossibilitas, si purè extrinseca esset, certè non haberet tollere receptionem materiæ ad eandem formam, uti in simili superiùs dixi loquendo de formis corruptis, quæ quamvis extrinsecè impossibiles sint, nihilominus erga ipsas naturalis magis communiter ponitur in materia appetitus contra Arriagam, aliosque, quos suppresso nomine refert idem Arriaga: si verò formæ intrinsecæ supponantur impossibiles, tunc nil mirum, si ex unius impossibilis suppositione sequeretur & aliud, nimirum defectus potentiæ in ipsa materia.

Tertium argumentum ex incremento in perfectione in materia resultante deducitur, semel posito, quod in ipsa sit potentia ad omnes formas recipiendas, sed ab hoc referendo abstinendum est hic, cum mihi nullius roboris esse videatur, alibiq; solutum esse deprehendes, & ultra suo loco dicta, inde patet primò, quod munus causæ passivæ, est munus imperfectionis, quapropter pro ipsa Deum supplere non posse communiter docent Theologi. Secundò quia eadem penitus passiva potentialitate, qua potest unam, potest & alias formas recipere, maximè loquendo de informatione successiva, de qua nunc procedit difficultas; de simultate enim est specialis difficultas, in qua partem negativam sequi Oviedo, Spinulam, aliosque vidẽbimus. Pro Coronide hoc tantum referre nobis sufficiat, quod quemadmodùm spatium aliquod determinatum infinita locare potest corpora successivè, quin spatio infinitas arguatur, poterit quoque hoc contingere in eadem materia.

## QUÆSTIO NONA.

***An materia divinitus existere valeat absque omni forma substantiali.***

Adeò clara est in hac re mens Divi Thomæ, & Thomistarum omnium, ut Judicem superfluum esse doctrinam Angelici Doctoris per extensum præmittere. Cum ubique reponet omninò impossibile esse materiam existere omni forma denudata. Hoc pluribus in locis insinuante Divo Thoma, & primò *quæst. 4. de potentia art. 1. & 3. contra Gentiles cap. 4.* illis verbis *quod materia non tendit ad impossibile, est autem impossibile materiam tantum sub privatione esse, & 1. part. quæst. 66. hæc habet; si materia informis præcessit duratione, hæc jam erat in actu, hoc enim duratio importat. Creationis autem est eas actu, ipsum autem quod est actu est forma. Dicere igitur materiam præcedere sine forma est dicere eas actu sine actu, quod implicat contradictionem, & quodlibet. 3. art. 1. Unde idem est materiam esse in actu, & materiam habere formam, dicere; ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul;* sed sicuti certa est Divi Thomæ sententia, ita certum est oppositum ab Henrico, & Scoto, Patribusve societaris communiter sustineri, cum quibus omnibus sit.

## CAPUT PRIMUM.

***Materia potest de potentia absoluta existere sine ulla forma substantiali.***

Prima ratio solida, qua ostendi potest Thesis posita illa est, quæ innititur supra existentiam peculiarem, quam materiæ superius tribuimus, qua supposita efficax confici potest argumentum sub hac forma. Materia sine ulla forma intelligitur cum duplici actualitate essentiæ, videlicet, & existentiæ, nullam importans metaphysicam connexionem cum ipsa, sed hoc ipso potest divinitus absque ipsa existere; ergò vera est conclusio, quæ defenditur. Veritas majoris constat, partim ex superius dictis, partim ex rei evidentia, cum hucusque affirmatum non sit inter ipsam materiam, & formas intervenire, vel identitatem, vel connexionem metaphysicam, quæ sæpè sæpius oritur, vel oriri solet ex identitate reali. Minor quoque est certa, cum sufficienter enumerentur rationes, ob quas unum non valeat existere absque altero. Secunda ratio est, quia magis dependet posterius à priori, quam è contra; sed nihilominus posterius esse potest sine suo priori, ut patet in ipsa forma substantiali, ipsisque accidentibus, quæ valent existere sine omni materia; ergo à fortiori hoc verificabitur de ipsa materia, quæ prior est formis substantialibus.

Tertia ratio procedit etiam supposito, quod materia existat per existentiam formæ: res enim nata existere per unam existentiam naturaliter, potest supernaturaliter sine illa existere, existendo per aliam existentiam; ergo materia quamvis nata sit existere per existentiam formæ, adhuc poterit existere per aliam existentiam. Antecedens est certum in Sententia Thomistica, juxta quam Christi humanitas, quæ ante assumptionem apta erat existere propria existentia, post assumptionem existit existentia verbi. Dixi in Sententia Thomistica, quia in Sententia Henrici, & Scoti, Verbum naturam humanam assumens, etiam ejus existentiam assumpsit, quamvis non subsistentiam.

Quarta, & ultima ratio est, quia non repugnat. Deo formam quamlibet conservare exceptis modalibus absque sua causa materiali; ergo à pari non repugnabit Deum conservare posse omnem materiam absque sua causa formali extrinseca.

His rationibus breviter insinuatis respondent Thomistæ multipliciter, & in primis primam dicunt procedere ex falso supposito, cum procedat ex suppositione, quod materiæ conveniat actus existentiæ ipsi

ipsi denegatus. Ad secundam verò dicunt, quod accidens dependet à subjecto ut à causa substentante in esse, materia verò à forma, ut ab actu suo. Pro priori autem dependentia, potest optimè Deus supplere per aliam causam, quia sustentatio solùm pertinet ad exercitium ponendi rem in esse, non ad determinationem, & ipsius specificationem. Exercitium autem existendi multò melius potest fieri per causam efficientem, quæ solùm dat esse quoad exercitium. At verò non pro secunda; materia enim dependet à forma, non per modum causæ efficientis, sed formalis, cujus proprium munus est dare esse rei, specificando, & determinando; undè remota omni forma caret materia omni principio denominante, & specificante ejus esse, & sic solùm manebit existentia potentialis, & indeterminata, quæ non potest habere effectum formalem per actum existendi.

Ad tertiam verò rationem dicunt utique verum esse, quod res potest existere per existentiam diuinam, supplendo pro existentia ereata, quoties tamen res est capax existentiæ, uti erat humanitas assumpta, materia autem absque ulla forma non est capax existendi, unde aliud est, quod subsistentia, & existentia creata sint supplebiles per divinam, aliud quod sint supplebiles in ipsa materia. Primum verum est; secundum est falsum. Ad quartam tandem dicunt ipsam in integrum solui eadem doctrina, qua soluta fuit secunda; Sed

Contra est, siquidem nulla ex his solutionibus, quas exhibet egregius Thomista Ioannes à Sancto Thoma adæquatè satisfacit, & enervat rationes superiores, non quidem prima: supra enim ostensum est materiam propriam habere actualitatem existentiæ, quæ quamvis hic supponatur, alibi tamen, & quidem efficaciter fuit ostensa. Non secunda, quia dum dicitur quod materia dependet à forma in genere causæ formalis, ipsam specificando, & determinando, vel sermo est de specificativo intrinseco, vel extrinseco. Si de intrinseco falsum dicitur, materia enim intrinsecè non specificatur à forma physica, sed à forma metaphysica, nempè à propria essentia, si de extrinseco; contra est, siquidem nulla repugnantia intervenit in hoc, quod res in priori intelligatur existens ad suum specificativum extrinsecum, cum solùm necesse sit, quod non intelligatur in priori ad specificativum intrinsecum, quia hoc est uniuscujusque essentia, quæ in Creatis in priori est ad existentiam.

Nec tertia solutio intentum euincit, siquidem alicujus rei incapacitas absolutè, & simpliciter ad existentiam sine alio, vel prouenit ob identitatem, quam habet cum illo, vel ob metaphysicam connexionem, sed materia cum nulla forma identificatur, nec talem connexionem præsefert; ergò materia nuda opprimè erit capax existentiæ, quamuis denudata formæ Quod si dicas, uti dicere solent incapacitatem ex hoc oriri, quod haberet actum secundum sine primo, ad hoc infrà fiet satis.

Respondent secundò complutenses, & præcipuè ad tertiam rationem in ordine positam, utique nullam esse repugnantiam in hoc, quod Deus sua virtute infinita suppleat pro quolibet effectu secundario, tamen prius habito effectu primario, siquidem hoc non habito suppleri non potest, cum nulla potentia suppleat pro ultimo essentialiter, nun habito primo essentialiter: modo Deus sua virtute infinita supplere poterit in mysterio Incarnationis vices existentiæ creatæ, tum materiæ, tum naturæ humanæ; materiæ inquam, redendo ipsam existentem per existentiam Increatam, sed prius actuatam per naturam humanam, impediendo ipsius naturæ existentiam, substituendo increatam: at supplere nequit in casu vices formæ, faciendo materiam existere sine omni forma, quia suppleret pro actu ultimo non habito primo, quod est impossibile Uno verbo potest Deus supplere pro effectu secundario habito primario, ut euenit in Misterio Incarnationis, non verò si primus non habeatur, ut eveniret in existentia materiæ absque omni forma; Sed

Contra est, quamuis enim verum sit non posse suppleri pro actu secundario non habito primario, & consequenter supplere non posse Deum pro existentia, quæ effectus secundarius dicitur, non habito ejus actu primo, falsum est tamen, quod actus primus materiæ correspondens existentiæ sit ipsa forma physica, ut supponitur à Thomistis sine ullo valido fundamento, cum potius sit ipsa actualitas essentiæ ipsius materiæ, quæ in materia ante aduentum existentiæ reuera supponitur.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

PRimum argumentum, quod soluendum proponunt Thomistæ illud est, quod communiter afferri solet in Schola Thomistica, & sic procedit: implicat contradictionem materiam esse absque omni forma; ergo nequit à Deo fieri. Probatur antecedens, materia existens sine forma esset actu sine actu, sed hoc implicat contradictionem; ergo; sequela patet, & quod esset supponitur, cum haberet existentiam, quod verò non esset, probatur, quia careret primo actu, nempè forma.

Confirmatur, præocupando solutionem, quæ afferri potest materia semel carens omni forma esset carens existentia, ergo esset actu absque actu non tam formali, quàm virtuali. Probatur antecedens, nam materia prima intra lineam essentiæ est aliquid essentialiter incompletum per modum primi, cum sit per modum potentiæ, ergo impossibile est semel spoliatam omni forma conjungi cum existentia. Patet consequentia, nam quia animalitas est essentialiter incompleta per modum primi, nequit intelligi conjuncta cum existentia nisi prius actuata sit per aliquam differentiam metaphysicam; ergo nec poterit intelligi existens materia non prius actuata per formam physicam, & ratio utriusque est, quia quod est essentialiter incompletum per modum primi, prius respicit actum de linea essentiæ, quàm posteriorem.

Respondeo me nullam videre veram, & realem contradictionem in hoc quod diuinitus materia existat sine omni forma physicè, nec illa, quæ affertur est vera contradictio nisi secundùm vocem, non verò secundùm rei veritatem, quòd enim diciturr esset actu sine actu, idem est ac dicere quod intelligeretur in actu metaphysico sine actu physico, in quo nulla est repugnantia.

Ad confirmationem nego antecedens (quamvis distingui posset insistendo supra diuisionem alibi traditam existentiæ in perfectam, & imperfectam) ad cujus probationem concesso antecedenti nego consequentiam, ad cujus iterum probationem distinguo antecedens, quia animalitas est essentialiter incompleta per modum primi in linea metaphysica, concedo, quia præcisè est incompleta, nego antecedens, vel aliter idem antecedens distinguo, quia animalitas est essentialiter incompleta intelligi nequit existens sine rationalitate ex defectu

for-

formalitatis, metaphysicè conserentis existentiam animalitati nego antecedens, ex defectu totius metaphysici, quod haberi nequit, nisi una simul cum differentiis, concedo antecedens, & nego consequentiam; qualibet distinctio patet.

Arguunt secundò Thomistæ, & quidem ratione desumpta ex Divo Thoma *quæst 4. de potentia art 1.* Repugnat dari aliquod à parte rei sub certo genere, & non sub determinata specie, sed materia sine forma est sub genere corporis saltem reductivè, & non sub aliqua specie; ergo. Major est certa, nisi velimus ponere quasi ideas Platonis.

Minor verò ostenditur, & primò, quod esset sub genere corporis saltem reductivè, patet, quia quælibet pars, ut est materia respectu corporis reducitur ad suum totum, quod verò non esset sub specie pariter patet, quia intelligeretur indifferens ad esse partem hominis, vel equi; ergo ad nullum determinatè pertineret.

Respondeo repugnare quidem aliquod esse sub determinato genere, & non esse sub specie neque completa, neque incompleta; at non repugnate ita esse sub determinato genere, ut simul solùm sit sub aliqua specie incompleta, ut esset materia sine omni forma existens; Quod si sermo sit de specie completa aliter satisfieri potest, dicendo veram esse majorem, loquendo de genere metaphysico, falsam de genere physico, de quo est sermo in præsenti; vera inquam est de genere metaphysico, quia genus metaphysicum importat cum suis differentiis identitatem; ratio autem, cum alia identificata existere nequit, sine ipsa, aliàs non esset identificata. At verò genus physicum talem identitatem non importat cum forma ipsi generi correspondente, nec essentialem connexionem, unde benè poterit absque ipsa existere, adeoque quin sit in specie completa.

Arguit tertiò Magister P. Cavino; Ordo essentiæ & ordo existentiæ distinguuntur adæquatè, ille enim est prior natura, & ad istum essentialiter præsupponitur, sed repugnat subordinationem essentialiter inter hos ordines adæquatè acceptos reperiri; nisi eadem subordinatio inter actus eisdem correspondentes, & proprios servetur; ergo actus essentiæ indispensabiliter supponitur ad actum existentiæ; atqui sola forma est actus ordinis existendi; ergo implicat, quod detur existentia absque forma.

Respondeo in primis me posse simpliciter, & absolutè negare majorem, non quia ordines enumerati in argumento non distinguantur inter se adæquatè, videlicet realiter strictè, sed quia supra distinctionem realem essentiæ, & existentiæ non innititur vis argumenti, ideò ab hoc præscindendo concesso toto primo sylogismo, distinguo juxta superius dicta minorem. Forma est actus ordinis essentialis, in ordine ad totum, concedo ad materiam, nego minorem, & consequentiam. Ut enim forma præcederet existentiam ipsius materiæ, deberet esse de ejusdem essentia, quod tamen affirmari nequit; sed

Instabis primò ex Cavino Thomista, quamvis rationalitas non sit de essentia animalitatis, adhuc tamen animalitas nequit coniungi cum essentia non prius actuata per formam; ergo materia non poterit intelligi existens, quamvis forma non sit de essentia ipsius materiæ.

Instabis secundò cum Cajetano. Esto forma non dicatur de essentia materiæ est tamen de essentia illius existentis, cum dicat ordinem essentialem ad ipsam formam; ergo nequibit intelligi, quin prius intelligatur forma physica actuata.

Respondeo ad primam afferendo disparitatem in eo stantem, quod ideò animalitas intelligi nequit existens nisi actuetur ab aliqua differentia metaphysica, quia animalitas habet existere per existentiam tertii, quod constituit, cum saltem hoc tertium haberi nequeat, nisi interveniente aliqua differentia metaphysica, hinc est quod animalitas existere non valet, nisi prius actuetur per sui ultimam differentiam, quamvis differentia metaphysica sit extra rationem generis. At materia non habet existere per existentiam tertii, nisi pura existentia completa, unde non est opus, quod prius actuetur per formam. Ad secundam dico formam physicam neque esse de essentia materiæ, ut existentis, cum etiam qua existens intelligatur in priori ad formam; neq; ordo essentialis materiæ ad formas facit ipsam existere per easdem, sicuti ordo essentialis creaturæ ad Deum, cognitionis ad objectum non facit creaturam formaliter existere per ipsum Deum, vel cognitionem formaliter existere per ipsum objectum.

Arguunt quartò alii Thomistæ. Illud, quod est summè potentiale, nequit attingere maximam actualitatem, nisi per auctualitatem mediam, neque actum ultimum, nisi per actum primum; sed materia est summè potentialis, cum sit pura potentia, nullum includens actum, existentia verò est maxima actualitas, cum sit ultimus terminus lineæ substantiæ, forma substantialis est actualitas intermedia, cum excedat in actualitate materiam, & ab existentia excedatur; ergo.

Respondeo in primis existentiam non esse hanc maximam actualitatem, hæc enim communiter creditur subsistentia. Secundò dico materiam esse summè potentialem in ordine physico, quapropter ad formas substantiales pervenire nequit, nisi prius per accidentia intermedia disponatur, unde ordo intentus in argumento intervenit, in ordine tamen metaphysico non adest hæc summa potentialitas, sed potius ipsa materia actualis est propter duplicem actualitatem, quam ipsi concedimus, nimirum essentiæ, & existentiæ.

Instabis adhuc cum eodem novissimo Thomista Magistro Parte Cavino; ideò repugnat essentiam divinam sub munere speciei intelligibilis uniri intellectui Beatorum non perfuso lumine gloriæ, quia intellectus creatus in linea intelligibili, est pura potentia, & essentia Dei est perfectissimus actus; quapropter ut detur debita proportio inter intellectum creatum, & essentiam divinam, debet cõstitui lumen gloriæ, quod habeat actualitatem ad mixtam potentialitati, ac proinde valeat elevare ad reddendum proportionatũ intellectum ad illam unionem; sed etiam materia prima est pura potentia, & existentia est actus perfectissimus; ergo nequeunt uniri, nisi mediante forma, quæ comparatur ad materiam per modum actus, & ad existentiam per modum potentiæ.

Respondeo nos in primis posse in hac instantia negare suppositum, supponitur enim repugnare essentiam divinam uniri intellectui Beatorum, quin in priori sit lumine gloriæ intellectus perfusus, cum tamen uniri possit de potentia absoluta per modum speciei sine luminis gloriæ præcedenti informatione per ipsam ejusdem omnipotentiæ intimam præsentiam, vel alterius auxilii, ut in materia de visione Dei ostendam, sed hoc dissimulato adhuc affero disparitatem, siquidem; ideò intellectus non potest uniri essentiæ divinæ, gerendo

munus speciei intelligibilis, quin prius sit lumine gloriæ perfusus, quia intellectus in ordine ad visionem secundùm se non intelligitur in potentia adæquata, & completa, sed tantùm incompleta, & remota, cum autem per Thomistas, & non Thomistas essentia divina sub munere speciei non uniatur intellectui, nisi præsuponatur, in ipso tota præcontinentia visionis, hinc non unitur, nisi in priori intelligatur perfusus lumine gloriæ: at materia, quamvis sit in pura potentia ad existendum est tamen in potentia adæquata, & secundùm se capax est habendi talem existentiam, unde non est necesse, quod intermediet forma physica, nisi ad summum ut existat existentia perfecta.

# DISPUTATIO TERTIA.

De Formis substantialibus, & accidentalibus.

## CAPUT UNICUM.

*Præmittitur brevis notitia formæ Peripateticæ.*

FOrma substantialis definiri solet, quod *sit principium intrinsecum specialiter determinans ad hanc, vel illam rationem substantiæ, seu ratio, quare res nominatur hoc, & illud in particulari*. His definitionibus optimè definitur forma, prout contradistincta à materia; nam quamvis verum sit ex materia specie diversa constitui cum eadem forma substantiam specie diversam, tamen sola forma habet specialiter ad hanc, vel illam rationem substantiæ propriam denominationem tribuere, cum ad habendum hoc, vel illud compositum, puta hominem, determinatè requiratur hæc forma videlicet anima rationalis; indeterminatè verò hæc, vel illa materia, seu materia hujus, vel illius speciei; in quacumque enim materia ponatur anima rationalis, semper habetur homo, non verò è contra, quæcumque forma ponatur in hac materia habetur homo; eo ferè modo quo in artificialibus determinatè requiritur ad habendum aliquod artefactum puta Phialam hæc forma, indeterminatè verò hæc, vel illa materia, puta argentum, vel sive in argento, sive in auro ponatur forma Phialæ, semper habetur Phiala, non tamen haberetur Phiala, si alia forma poneretur in hac materia. Hoc eodem modo dicimus, quod sive in hac, sive in alia materia specie diversa ponatur forma hominis, semper habetur homo, si ponatur forma ignis, semper habetur ignis, adeoque bene dicitur de forma, quod specialiter determinet ad hanc, vel illam rationem substantiæ.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum dentur accidentia realia peripatetica.*

HIc non est sermo de accidenti prædicabili, de cuius existentia nulli dubium, certum est enim aliqua esse prædicata de aliquibus contingenter dicta, ut Petrum esse album, currere, & horum similia: difficultas itaque procedit de accidentibus physicis, queriturque utrum dentur formæ reales positivæ à substantia realiter distinctæ, in qua difficultate communissima sententia est negativa Cartesii, Gassendi, Maignan, aliorumque accidentia peripatetica impugnantium. Affirmativa tamen verior creditur, & conformior iis, quæ fides docet in ordine ad Eucharistiæ Sacramentum. Hanc secundam itaque defendere amplectimur, unde sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Accidentia realia, quæ sint formæ reales permanentes à substantia contradistincta, ostenduntur lumine fidei, & rationis naturalis.*

EX variis actibus animæ, ut sunt intelligere, & velle, atque ex motu pariter existente in rerum natura, non desunt, qui manifestè colligere volunt existentiam accidentium realium, cum quælibet cognitio accidens sit, sicuti motus, cũ modo fieri modo cessare remanente mobili conspiciamus; sed qui sic arguunt parũ, vel nihil urgent, oppositam nobis sententiam: primo quia hic non est sermo de accidentibus vitalibus spiritualibus, quæ ultrò ab Atomistis admituntur, neque argumentum ex motu desumptum urgere potest, cum ipsum ponant indistinctum à subiecto: alia ergò via procedamus, & quidem communi, nimirum ex infallibili Eucharistiæ Sacramento, de quo loquendo Tridentinum hæc habet *cap. 4 & canone 2 si quis dixerit in Sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, & negaverit mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis, in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, remanentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia apertissimè transubstantiationẽ appellat anathema sit*: ex his autẽ Tridentini verbis arguo sic ad ostendendam veritatem propositam: non stat unum remanere sine alio in rerum natura, & nõ esse ab ipso realiter strictè distinctum, sed Teste Tridentino in Eucharistiæ Sacramento manent species panis, & vini, non perseverante, sed destructa substantia panis, & vini; ergò tales species substantiæ panis, & vini realiter sunt distinctæ à substantia utriusque; sed species panis, & vini realiter distinctæ, sunt accidentia realiter distincta; ergò. Nihil in hoc discursu est, quod probationem expectet, solùm videndum superest quid dicant contrarii.

Respondent itaque primò ex Tridentino solum haberi existentiam in Sacramento Altaris specierum panis, & vini, sed quod istæ species panis, & vini sint formæ accidentales absolutè distinctæ ab utraque substantia, non verè puræ sensationes, & impressiones, quas Christus efficit in Sacramento Eucharistiæ ad se occultandum, hoc non probatur. Præterea dicunt non esse easdem numero species post consecrationem, ac antea, sed solum specificè, & quoad sensum; nam species panis ante consecrationem erant identificatæ cum substantia panis, & vini, post consecrationem verò identificantur cum Christi substantia, nec hoc est contra Tridentinum, quia non affirmat, quod maneant eædem numero species: non enim dicit *remanere species*, sed *manere*, quo indicatur esse in Eucharistia species panis & vini, sed non easdem numero: Attamen, quia ex alia parte sunt similes prioribus ante consecrationem, ideo communiter dicitur à Vulgo quod species panis remaneant. Sed

Contra hæc solutio impugnatur per omnes partes quas cõtinet, & ut cum ordine procedã, aduerto quamplura

plura in solutione aduersæ partis Auctores asserere; docent itaque primò Concilium non ponere accidentia illa distincta à substantia. Docent secundò species Eucharisticas esse puras impressiones, docent tertiò non permanere eadem numero post consecrationem, ac antea ob identitatem, quam dicunt cum substantia, nec in hoc dicendo se opponere Tridentino.

Incipiendo à primo arguo contra; non stat Tridentinum docere, quod maneant species panis, & vini, in Sacramento Altaris sine substantia panis, & vini & quod non agnouerit tales species distinctas realiter ab ipsa substantia panis, & vini; patet hoc, nam si agnovisset indistinctas à substantia, non asseruisset manere sine substantia; sed de facto asseruit, quod maneant sine substantia; ergò agnovit distinctas.

Quod verò secundo loco dicunt, videlicet has species esse puras impressiones, prætetquam quod seculo nono iam adulto, Carolo Caluo iubente, sic sentientes proscripti sunt, atque statutum est verè superesse panis, & vini accidentia in Eucharistiæ mysterio, nec ipsa consistere in pura illusione facta sensibus à Deo, ut de more eruditè aduertit Teophilus Raynaldus, ubi de accidentibus in Eucharistia remanentibus, hic dicendi modus expresse Tridentino opponitur, siquidem Tridentinum asserit, quod manent hæ species in Sacramento Altaris, per ly autem manent, videtur intelligendum aliquid permanens, quale non sunt sensationes, & impressiones, nam semper manent in Sacramento Altaris tales species, usquedum non aduerminantur tales Hostiæ, non autem semper fiunt tales sensationes, ut patet in Hostia consecrata intra Pixidem existente; ergò hæ species non sunt solæ sensationes.

Secundò illæ species Eucharisticæ, vel revera consistunt à parte rei cum Christi corpore citra affectiones sensuum nostrorum, vel non; si non consistunt; ergo falsum est, quod Eucharistia sit Sacramentum perseverans, quippè cum nullum in ea sit reale signum sensibile, quando nulla occurrit actualis sensuum apprehensio, si consistant; ergo falsum est has species solùm esse impressiones nostris sensibus divinitus factas. Tertiò istæ species, vel sunt actuales impressiones, vel sunt hoc, quod Christus possit tales sensationes efficere, non primum dicere valent, quia, ut superius dixi, non semper sunt actuales impressiones, cum tamen semper sint species; non secundum, quia species istæ, sunt quid distinctum à Christo, ut potente per suam virtutem infinitam præbere effectus sensationis, & impressionis, uti colligitur ex verbis Tridentini tria distinguentis, nempe Christi Corpus, Sanguinem, & species panis, & vini.

Solutio verò quoad tertiam partem pariter falsa est, siquidem mens Tridentini est, quod eadem numero accidentia maneant, nam ea accidentia panis debent manere in Sacramento Altaris, quorum existentia negabatur à Viclepho, sed mens Viclephi erat impossibile esse, quod eadem numero accidentia panis, & vini manerent absque utraque substantia; de productione enim similium nulla poterat esse difficultas, etiam apud Viclephum, cum impossibile non sit virtuti divinæ accidentia similia præexistentibus corruptis producere; ergo mens Concilii est quod eadem numero accidentia remaneant in Sacramento Altaris.

Ulterius si mens Tridentini fuisset accidentia panis, & vini, vel species non esse easdem numero, sed similes, dum Viclephus sustinebat impossibile esse, quod accidentia panis, & vini maneant sine substantia, sufficientissimè, & ad rem occurrisset Concilium Viclepho asserendo, quod quamvis sit impossibile, & in intelligibile, quod eadem numero accidentia panis, & vini maneant sine substantia, impossibile tamen non est, quod species similes producantur à solo Deo; sed Concilium hac doctrina non occurrit; ergo signum est sentire Concilium remanere eadem numero accidentia.

Tertiò si vera esset adversariorum Doctrina quoad hanc partem, sequeretur, quod impropriè in Sacramento Altaris manerent species panis, & vini, quod hac suadeo paritate Quamvis verbum divinum suppleat pro subsistentia creata, terminando naturam assumptam, tamen non nisi impropriè, & falsò diceretur, quod in natura assumpta maneat subsistentia creata; ergo à pari non poterit propriè affirmari, quod maneant species panis, & vini in Sacramento Altaris per hoc præcisè quod Deus suppleat, immittendo nostris sensibus easdem affectiones panis, & vini, sed ex alia parte Tridentinum intelligi debet de propria specierum permanentia, sicuti dum dicit substantiam panis, & vini converti in substantiam Corporis, intelligitur de propria conversione; ergo non manent per hoc quod maneant aliæ similes.

Præterea mens Tridentini est, quod tales species post consecrationem sint distinctæ, & non identificatæ cum substantia Christi; mens Atomistarum est quod sint identificatæ cum substantia Christi; ergo mens Atomistarum est contraria Tridentino, major ostenditur, nam Tridentinum non asserit tales species, esse Christi substantiam, sed unicè quod ipsa Christi substantia, sit sub speciebus, qua phrasi satis sufficienter denotatur species esse distinctas à Christi substantia. Rursus per Atomistas hæ species sunt ipsæ impressiones, quas Christi substantia efficit; ergo jam tales sensationes relatè ad Christi substantiam se habent ut effectus; ergo distinctæ sunt ab ipsa Christi substantia, cum quilibet effectus, qua talis distinctus sit à sua causa efficiente. Ultimò tandem quia species istæ, quæ sunt in Hostia consecrata post aliquod tempus elapsum corrumpuntur; sed substantia Christi est incorruptibilis; ergo non sunt ipsa Christi substantia; Probatur minor, dum corrumpitur, & adverminatur Hostia consecrata debet assignari aliquod, quod corrumpatur, sed nihil est assignabile, quàm prædictæ species; ergo.

Dices corruptionem, & adverminationem fieri in seminibus animalculorum adhærentibus Hostiæ vel Calici; sed

Contra est, nam semel omisso, quod dentur hæc semina animalculorum adhuc remanet explicandum ab his Atomistis, quid corrumpitur Hostiæ per adverminationem horum seminum; secundò quamvis corruptio fieret in talibus seminibus non tamen fieret in Hostia, quamvis Hostiæ adhereant, quia in hostia nihil esset capax corruptionis; ergo semper Hostia consecrata secundùm se esset incorruptibilis, cum tamē videatur corrumpi.

Respondet secundò Cartesius, ut hujusmodi arguendi vim vitet, species Eucharisticas non esse præexistentis panis, & vini accidentia, quia hæc inquit manere sine subiecto impossibile est; sed id, quod remanet peracta consecratione, nil aliud est, quàm substantia tenuis, ac aerea, quæ intra panis, & vini porros recondita, his destructis remanet; & easdem nostris sensibus producit affectiones, seu sensus, ac affi-

afficiebat panis, & vini substantia.

Verum abissus abissum invocat, & cupiens vitare Caribdin Cartesius, incidit in Scillam, siquidem instaurat erroneum Dogma Viclefi, & Joannis Hus contendentium substantiam panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ remanere, quia impossibile putabant accidentia sine subiecto posse consistere, unde ajebat Joannes Hus: *Fructus istius dementiæ, qua fingitur accidens sine subiecto foret blasphemari Deo scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ.* Nec dicere valet Hæreticos illos fuisse tantùm in eo damnatos, quod assererent substantiam panis, & vini, remanere; Etenim Concilium non solùm hanc proscripsit propositionem, sed etiam istam, quæ est veluti prioris fundamentum, accidentia panis non manent sine subjecto. & istam, quæ est secunda inter articulos Ioannis Hus: *denuntio modernis Hæreticis, quod non possunt declarare ac intelligere accidens sine subiecto.*

Respondent tertiò alii conuersa panis substantia in Corpus Christi, remanere superficiem panis, sub qua delitescens Christi Domini Corpus ingerit nostris sensibus easdem affectiones, gustus, visus, odoratus, quas substantia panis imprimebat, sed pariter.

Contrà est: hæc enim solutio non solùm in fidem, & religionem, sed etiam in rationem, atque in ipsa Cartesiana Principia directè militat. In fidem quipe, & Religionem, siquidem si Christi Domini Corpus sub speciebus panis, & vini delitescens supplet utriusque substantiæ vires, & easdem nostris sensibus affectiones præbet, consequens est, quod quemadmodum per impressionem illarum affectionum, substantia panis, & vini dicebatur visibilis, sapida, & odorifera, sic & adorandum Christi Domini Corpus in Eucharistia dicatur sensibus sapidum, & odoriferum, & visibile, quod alienum est à religione. Pugnat etiam hæc solutio cum ipsis principiis Cartesianis. Etenim illa superficies Eucharistica, aut est entitas realis, aut nihil, si nihil, frustra adstruitur, si aliquid, non primum, quia obstat fides; non accidens, quia hoc absque subiecto, nec etiam divinitus posse consistere dicunt.

Respondent quartò alii naturales veritates non fidei Dogmatibus sed Philosophiæ principiis esse examinandas, ac comprobandas; Sed

Contra est, si enim legantur ea, quæ habentur in Concilio Lateranensi quintò sessione octava sub Leone X. palam fiet etiam juxta principia phylosophica verum hoc esse, quod accidentia sint realiter distincta à subiecto, & hoc, quia quod est verum secundùm fidem, est etiam verum secundū rationem verū enim vero minimè contradicit, ut edocet idem Concilium sub eadem sessione, ergo si hoc verum est secundùm fidē verum etiā erit inhærendo rationi.

Respondent ultimò alii remanere in Sacramento solùm corpuscula, & effluuia, quæ constituunt exteriorem apparentiam, ac speciem panis, & vini, quæ accidunt interiori substantiæ; sed

Contra est pariter, quia ex hac solutione sequeretur remanere substantiam panis, quod tamen est contra fidem; Probatur assumptum, quia per Atomistas substantia panis nihil aliud est, quàm corpuscula congregata, quæ ad sensum immissa suam efficiunt sensationem, sed remanerent corpuscula, quæ ad sensum emissa, efficerent panis sensationem, ex data solutione: ergo. Quod si dicas præter Atomos, quibus panis constat dari aliquas Atomos, quæ ad sensum immissæ, sensationem efficiant, adhuc contrà est, nam juxta Atomistas, omnes Atomi quomodocumque congregatæ constituunt substantiam; ergo si præter Atomos, quibus constat panis dantur aliæ, substantia panis esset mixta alteri substantiæ, quod tamen est falsum.

Probatur secundò ratione. In ente naturali datur novus ordo, nova dispositio, & nova situatio localis Atomorum, sed hic ordo, seu hæc dispositio, est accidens distinctum ab ipsa substantia Atomorum; ergo maior ultrò admittitur ab adversariis. Probatur minor. Illud est quid distinctum à substantia Atomorum, quod potest ab ipsis Atomis separari, quia alioquin si id, à quo Atomi possunt separari non esset quid ab illis distinctum, esset quid realiter idem cum ipsis, adeoque possent separari à se ipsis, quod manifestè repugnat, sed nouus ordo, noua dispositio, & situatio potest separari à substantia Atomorum, dum enim eædem Atomi transeunt à ligni constitutione ad cōstituendum ignem, deperdunt antiquam dispositionem, & aliam novam aquirunt; ergo nova dispositio, & novus ordo est quid distinctum à substantia Atomorum.

Quod autem sit quid accidentale ostenditur, quia cū hæc dispositio consistat in ubicationibus Atomorum, si esset quid substantiale, dicendum esset, quod quotiescunque corpus movetur localiter, mutaretur substantialiter; deindè si non esset quid accidentale esset aliquod substantiale; ergo cum hæc nova dispositio producatur de novo, dicendum erit, quod ex vi agentium naturalium produceretur de novo aliquod substantiale, quod difficile est Atomistis. Iam verò sic sumo: Tota ratio negandi accidentia est, ne dicatur aliquod produci de novo, & ut saluetur commune principium ex nihilo nihil; sed quod aliquod de novo producatur negari nequit, quia nova dispositio Atomorum est aliquod, quod nunc est, & prius non erat; ergò aliquod producitur de novo, demum hæc dispositio, quæ de novo producitur, vel fit ex nihilo, vel non, si primum; ergò neque in substantia Atomistica saluatur commune principium, si verò non fit ex nihilo, ergo potuit aliquod produci de novo absque eo quod lædatur veritas talis principii; ergò remanente illo principio, poterit dari nova formarum productio, tum accidentalium, tum etiam substantialium.

Esset, & aliud argumentum, quod ab aliquibus petitur ex existentia accidentium supernaturalium, ex quibus inferunt aliqui naturalia, sed cum eadem sit difficultas circa naturam accidentium supernaturalium, ab hoc abstinemus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Atomistæ arguentes audiuntur, ut illis fiat satis.*

PRimum argumentum adversæ partis esse potest hoc: si per solam panis, & vini apparentiam cum negatione accidentium realium contradistinctorum à Christo salvetur hoc, quod Christus in Eucharistia se offerat sub specie panis, & vini, jam ad hoc saluandum superfluæ redduntur hæ entitatulæ superadditæ; sed revera cum pura panis, & vini apparentia tenente sensus fidelium intelligi potest Christus sub specie panis, & vini; ergo. Probatur minor. Quemadmodum Christus in Eucharistia se offert sub specie panis, & vini, ita Magdalenæ fecit se videre sub specie Hortulani, & sub specie Pellegrini euntibus Emaum, sed Christus sub specie Hurtulani est unicè Christus sub nova apparentia; non verò sub aliquo else reali à Christo distincto, ergo à pari de pane, & vino in Eucharistia nihil realitatis erit superstes, sed erit pura apparentia.

Con-

Confirmatur primò hoc argumentum: Spiritum Sanctum apparere sicuti Columbam, tamquam Columbam, & in specie Columbæ est eadem præstare sensui nostro, quæ præstaret ipsa Columba, non verò est accipere Corpus aereum simile Columbæ; ergò etiam Christum se offerre sub speciæ panis, & vini, est eadem præstare, quæ præstabat substantia panis, & vini, non verò esse sub entitate dicta. Antecedens certum est, aliàs si apparere sicuti Columba esset accipere corpus aereum, vel accidentia entitatiua, iis acceptis, dum quis appareret, omnibus, & singulis appareret, quia corpus aereum, & accidentia peripatetica secundùm se, cum visibilia sint, deberet etiam Spiritus Sanctus sub speciæ Columbæ ab omnibus pariter videri.

Confirmant hoc argumentum, quia nulli ex Patribus, & Doctoribus species Sacramentales vocaverunt nomine accidentium, ut laudabili inductione ostendit Teophilus Raynaldus *Tomo* 6. ubi de accidentibus in Eucharistia remanentibus. Si etenim Patres Græci inspiciantur, ipsas explicãt sub nomine Typi, & Antype, uti Cyrillus Hierosolymitanus *Cathec.* 4. Nazianzenus: *oratione* 42 *& oratione* 11. Si verò Latini legantur, isti pariter abstinentes ab hoc vocabulo barbaro accidentium, species istas exprimunt, vel sub eodem nomine specierum, uti Augustinus *lib.* 3. *de Trinitate cap* 4. vel imaginis ut Hildebertus, vel sub nomine formæ, ut idem Augustinus, vel figuræ, ut Anastasius Monachus Andegavensis scribens ad Gheraldum Abbatem contra novum tunc errorem Berengarii, exponendo quomodo Sacramentum Eucharistiæ impune figura dici possit; alii verò sub nomine simbolorum, ut Andreas Cretensis, *Homilia in Dominica Palmarum*. Alii similitudinis Panis, & vini, ut Sanctus Ambrosius 6. *de Sacramentis cap* 1 & Eligius *Homilia octava*, alii sub nomine signi, uti Diuus Dyonisius *in Hyerarchia Eucharistica*. Alii panis, & vini ut Damascenus *lib.* 4. *de Fide cap* 14. Alii verò dicunt esse apparentiam panis, & vini, uti Sanctus Cirilus *Catech.* 4. Alii velamina panis, & vini, uti Martinus 5. *in Concilio Constantiensi*. Alii effigies panis, & vini, uti Ciprianus sermone de Cœna Domini. Alii verò vultus prioris creaturæ, uti Hugo Lingonensis Episcopus Tractatu de Corpore, & Sanguine Domini. Alii qualitates panes, & vini, uti idem Hugo Lingonensis Tractatu de Eucharistia contra Berengarium, vel Latibulum Corporis, & Sanguinis Domini uti Rufinus supra illud Psalmi 17. *posuit tenebras latibulum suum*: vel tandem expressè sunt species Eucharisticæ sub metaphora Pellegrini, ut à Sancto Bernardo *Sermone suo* de Discipulis euntibus Emauntem: nullus tamen actenus nomen accidentium usurpavit, ex quo euidens est nomen nouum esse, atque subreptitium.

Respondeo quidquid sit de Christo sub apparentia Hortulani, certum mihi est in casu species panis & vini, negato quolibet accidenti reali in sola apparentia non residere, siquidem hæc propriè sua oda sunt à Catholico viro, nimirum quod Eucharistiæ Sacramentum sit signum sensibile, secundò quod sit verè cibus, & potus. Tertiò quod interveniat vera transubstantiatiô, hoc autem saluari nequit, nisi aliquod reale contradistinctum perseveret quomodocunque deinde nuncupetur. Non enim esse potest sacramentum signum sensibile per Christi Corpus, cum hoc sensibile non sit in eodem, nec ratione istarum specierum, quia istæ sensum deludunt immaginatione falsa, nec esset verus cibus, & potus sed fantasticus, nec tandem vera transubstantiatio, cum non esset aliquid utrique termino commune, sub quo fiat conuersio.

Confirmatio autem urgere potest etiam aduersarios, siquidem nec à relatis Patribus species Eucharisticæ tanquam actiones obiectiuæ, & purè impressiones appellatæ sunt & consequenter etiam ipsi nouo nomine & insufitato utuntur. Secundò mirum esse non debet vocabulum hoc accidentium, species enim panis, & vini pro libito diversis nuncupari possunt nominibus, ut superius in confirmatione ad sufficientiam manifestum est, præterquamquod ut eruditè aduertit Theophylus Raynaldus, nomen accidentium non adeò nouum est, ut antiquius etiam non assumeretur loco speciei ũ. Vtuntur enim tali vocabulo Conciliũ Constantiense in Viclefi damnatione, atque Concilium Coloniense *parte* 7. *cap.* 15. sub his verbis *Quid enim panis, vinique species aliud post consecrationem, quàm species sacramentales, & accidentia sine subiecto.* Nec Concilium Constantiense reprobauit nomen accidentium in propositione Viclefi, sed uniè ipsius impossibilitatem perseverantiæ dempta substantia. Cur autem Patribus potius Arriserit vocabulum speciei, quam accidentium Teophylus Rainaldus plures reffert coniecturas, inter quas, mihi plausibilis ea videtur, quod nomen accidentis præseferat, connaturaliter actualem inhærentiam, quæ cum Eucharisticis speciebus non conveniat; hinc meritò vocabulum hoc reticetur.

Arguit secundo Maignan, si stet affirmatio specierum in Sacramento Altaris cum negatione accidentium, iam ex existentia specierum panis, & vini non infertur existentia huiusmodi accidentium, atqui reuera res ita est; ergò. Probatur minor, stat negatio specierum sine negatione accidentium; ergo stabit etiã affirmatio specierum sine affirmatione accidentium; antecedens patet, de facto enim in eodem Altaris Sacramento Christus non est sub propriâ specie, & tamen habet propria accidentia; habet enim suam quantitatem, & cætera, quæ propria sunt corporis humani quoad se. Probatur itaque consequentia; si affirmatio specierum panis, & vini, & negatio propriarum specierum Christi in Sacramento Altaris, non esset negatio accidentium, quæ sunt propria Christi, iam hoc nomen *species* esset nomen amfibologicum, siquidem traductum ad speciem panis significaret accidentia panis, traductum vero ad species proprias Christi Domini aliud indicaret; sed est penitus incredibile quod ecclesia utatur nominibus amfibologicis ad explicandum sacræ Eucharistie Sacramentum; ergò.

Respondeo negationem speciei præseferre suo modo negationem accidentium, quod ut evidenter appareat, Inquiro ab arguente cur Christus in Sacramento Altaris non dicitur esse sub propria specie? profectò, ni fallor, dicere debebit arguens, quia non est cum extensione locali, vel quantitatiua in loco; ergo jam, negatio propriè speciei dicit negationem localis extensionis, & ubicationis circumscriptiuæ; Hæc autem cum sint accidentia, iam negatio specierum erit quoque negatio accidentium, & consequenter paritas non urget: cum enim falsum sit antecedens totum argumentum retorqueri poterit in suum doctissimum Auctorem uti consideranti patere potest.

Arguunt tertiò alii promiscue, & primò: docet Tridentinum Eucharistiæ Sacramento deberi cultum latriæ; sed hoc penitus falsificaretur, si præter increatam Christi excellentiam adessent hæc accidentia peripatetica; ergò. Secundò, quia pronomen hoc pærcontentum in verbis consecrationis indicat

unum tantum esse concretum, ita ut sensus sit hoc nihil est aliud: quàm corpus meum, esset aliud autem concretum, si esset agregatum accidentium, cum hæc sint sensibilia ut quod, sicque redderentur falsa ipsa verba, vi quorum insinuatur sola præsentia Corporis Christi. Tertiò quia si perseverarent eadem numero accidentia post consecrationem, ac antea, non haberetur amplius deceptio sensuum quam tamen aliundè insinuat Angelicus Præceptor illis verbis *visus, Tactus, Gustus, in te falitur, sed auditu solo actu creditur*. Quartò quia talis coexistentia Patrum sententiis opponitur docentium in Sacramento Altaris nil aliud esse præter Christi Corpus, & Sanguinem eiusque diuinitatem, & præcipuè Ambrosii, qui dilucidè in cantica hoc expresserat his verbis: licèt *figura panis, & vini hic sit, omninò tamen post consecrationem nihil aliud credenda sunt, quàm caro, & sanguis Christi*. Quintò tandem, quia data existentia harum entitatum fracto Sacramento, & istæ frangerentur; sed hoc Ecclesiæ opponitur insinuanti, quod nulla rei fiat scissura; ergò species de primo ad ultimum non sunt entitatulæ distinctæ.

Respondeo ad singula, ad primum dico, quod cultus latriæ debetur Sacramento Eucharistiæ. Idem enim est omnino Christus sub speciebus Eucharisticis, ac in sua specie naturali; sed in sua specie naturali erat adorandus latria, cum Deus sit; ergò etiam sub speciebus. Maior supponitur, minor est de fide, nam sæpè in sua specie fuit adoratus ut Mathei *cap. 8. vers. 2 Ecce leprosus veniens adorabat eum*, consequentia est clara, si enim Sacramentalis existentia non tollit identitatem Christi, nec etiam tollit eius excelentiam; ergo neque adorabilitatem. Adoratio autem per se primò fertur ad Christum non verò ad species, hæ enim solùm coadorantur ad Christi adorationem. Ad secundum Censeo etiam data existentia accidentium in sensu afferti, adhuc verba consecrationis legitima esse, quatenus unum concretum adhuc ad esset, respectu cuius Christus se habet, ut materia per comparationem ad species in ratione Sacramenti, & species ipsæ, vel accidentia, ut forma, vi quarum habetur, quod Sacramentum sit signum sensibile. Ad tertium dico adhuc nostras sensus decipi, quia illa accidentia, quæ ex se preseferunt sensibus substantias panis, & vini, cum quibus naturaliter conectuntur in Eucharistiæ tamen Sacramento, verè sunt separata, in verborum inducentium verum Christi Corpus, & Sanguinem. Quartum verò, solvitur dicendo non esse aliquod substantiale ultra Christi substantiam docente Tridentino, quod panis substantia, & vini conversa sit in Christi corpus, & Sanguinem, si enim remaneret aliquid de substantia panis, & vini non esset perfecta transubstantiatio. Verba autem Ambrosii hunc sensum faciunt *licet hic sit panis, & vini figura, tamen nihil aliud est, quam caro & Sanguis*, ly nihil aliud excludente quamlibet substantiam contradistinctam à propria Christi. Ad ultimum tandem respondeo, quod dum Ecclesia fidelibus suis insinuat quod nulla rei fit scissura in hoc sensu intelligi debet, nimirum ad Hostiæ fractionem Christi Corpus non frangi, cum totum perseveret in minima parte hostiæ, undè docet Ecclesia ità à Fidelibus manducari ut minimè laceretur, quinimo diviso Sacramento sub qualibet diuisionis particula integrum perseverat.

CAPUT TERTIUM.

*Aliæ referuntur adversæ partis rationes.*

Cum omnem conatum adhibeant adversarii, ut proscribant hæc accidentia peripatetica, placet alia ipsorum argumenta præcipua referre, & primò illud, quo contendunt ex Tridentino desumi non posse sententiam superius statutam, & sic arguunt. A Tridentino species in sensu peripatetico, nec directè, nec indirectè præcipiuntur; ergo non est, unde ex Concilio Tridentino desumantur, Probatur antecedens, & primò quod directè, & immediatè non habeatur sententia peripatetica, certum est, quia à Concilio solùm definitum est dari species, & accidentia in Eucharistiæ Sacramento, non verò hæc esse in se præcisè quiditates: si enim esset immediatè definitum, adesse hæc accidentia tamquam entitates, expressè sic definire debuisset: *Si quis negaverit species, vel accidentia in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vera, & realia accidentia peripatetica, & dixerit ea præcisè non importare, quid physicum, & reale præter puram imaginem similitudinem, & apparitionem Anathema sit, & Hæreticus damnatus*. Modus autem hic loquendi Concilii non invenitur.

Nec etiam indirectè, & implicitè, quia, si absque his accidentibus peripateticis Eucharistiæ Sacramentum rectè explicetur, jam implicitè non deducitur atq; sine his accidentibus rectè explicatur, omniaque salvantur; ergo. Probatur minor, & primò rectè explicatur Eucharistiæ Sacramentum dicendo. *Antè Consecrationem panis, & vinum erat, sed Christus verax, est eadem præstans, quæ substantia panis, & vini præstabat, cum tamen panis, & vini substantia minimè sit*, quæ explicatio adeò legitima est, ut ipsam Divus Bernardus Clarevalensis tradiderit *sermone primo* in Cœna Domini illis verbis, *Deus enim est, & quamquam panis ministeria habeat, mutatur tamen in carnem Deus, & homo est qui testatur panem veraciter fieri carnem suam*; nec in hac explicatione ullum est inconveniens, non; quidem ex parte Sacramenti, quia Deus potest quomodocumque sibi placet Sacramenta instituere, non enim est de ratione formali Sacramenti, ut sic, quod in accidentibus peripateticis adæquatè, vel inadæquatè consistat: non ex parte hominis primò quia homo debet eo modo Sacramenta accipere, quo Deus illa instituit. Secundò, quia si ex parte hominis esset inconveniens, maximè quia deciperetur, faciendo quod appareret id, quod non est, si Deus eadem nobis, quæ ipsa panis, & vini substantia, præstaret, sed hoc non obstante non deciperetur, qui enim est Dominus non decipit, cum sic faciendo, utatur jure suo, nec ulli præjudicium faciat, imò summam, ultra naturæ debitum, gratiam concedat, vel si esset deceptio, esset sine absurdo, & defectu, quia falsò judicaremus: cum rectè viribus naturæ judicare non possumus, transubstantiatione enim facta extra naturæ spheram judicamus, & ultra nostram propriam activitatem, solùm enim, quis falsò judicat, quando naturæ viribus rectè judicare potest, quia non operatur secundùm perfectionem virtutis propriæ.

Nec tandem ullum est absurdum ex parte Dei quia indignum non est dicere, quod Deus eadem præstet, quæ præstat nobis substantia panis, sicuti enim ipse non dedignatur vocari panis, & corpus hominis ingredi, ita nec officio panis fungi.

Respondeo indirectè saltem fuisse à Concilio definitum,

finitam ſeotentiam peripateticam in hac re mihi extra controverſiam eſt. Ratio hoc affirmandi non unica, eſt, præcipua tamen eſt, quod converſio panis, & vini in Chriſti Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiatio nuncupatur, ſimulque accidentia panis, & vioi lo Sacramento Altaris manere affirmatur. Hoc autem certè verificari oon poſſet io adverſariorum ſententia, quia nihil remaneret commune utrique termino, quod tamen ad tranſubſtantiationem exigitur, & quia accidentia revera non manerent in eodem Sacramento cum voca bulo manere indicet ipſorum perſeverantiam io eodem Sacramento, cujuſmodi certè non ſunt actiones objectivæ. His adde, quod concilium in eo ſenſu aſſeruit accidens manere ſine ſubjecto, in quo ſenſu Etorodoxi aſſeruerunt hoc eſse impoſſibile; ſed iſti loquebantur ſolùm de accidentibus diſtinctis; Deum enim impreſſionem, vel actio nem objectivam frequeoter imprimere noſtris ſenſibus non repugnat, imò Deo hoc apertè poſſib le eſt; ergo dum Concilium aſservit hoc eſse impoſſibile, nomine accidentium intelligebat eotitates diſtinctas à ſubſtantia panis, & vini.

Arguunt ſecundò alii. Concilia vocabulo ſpecies ſemper utuntur in ſingulari, nunquam in plurali, niſi quando ſimul loquuntur de pane; & vino conſecratis. Sic Concilium Florentinum in Decreto Eugenii ait *Totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, totus ſub ſpecie vini*, & Tridentinum, *ſeſſione* 13. *Canone* 5. ſub uaquaque ſpecie totus Chriſtus continetur. Itaque per Peripateticos dici poſſet cum Florentino totus Chriſtus cootioetur ſub accidente panis, totus ſub accidente vini, & cum Tridentino affirmari poterit ſub unoquoque accidente totum Chriſtum contineri, ſed illæ locutiones ſunt falſæ; ſupponamus enim ceſsare ſaporem, odorem, colorem, remanente ſola quantitate panis, vel ſolo colore vini, in tali caſu remaneret aliquod accidens; ergo adeſset Chriſtus in Hoſtia corrupta, quod eſt impium.

Reſpondeo falſum eſse ex ſeotentia peripatetica ſequi, quod Chriſtus adeſse poſſit ſub Hoſtia conſecrata, una vel altera tantum ſpecie perſeverante, nec obſtat modus loquendi Conciliorum, ſiquidem nomine ſpeciei in ſingulari expreſsè intel ligunt collectionem omnium accidentium, quemadmodum per nomen Exercitus intelligitur collectio plurium, quamvis nomen ſingulare ſit. Di ctum enim hoc Concilii *Chriſtus eſt ſub ſpecie panis* equivalet huic *Chriſtus eſt ſub omnibus illis ſpeciebus quæ conſtituunt ſpeciem panis*; ſpecies autem hæc plures ſunt ut patet.

Arguunt tertiò. Naturæ Phenomena poſsunt clarè, & diſtinctè explicari, per ſubſtantias, & effluvia Corpuſculorum ſioe qualitatibus diſtinctis; ergo iſtæ qualitates, ut ſuperfluè reiiciendæ. Antecedens patet; Calor ſiquidem facilè explicatur per intromiſſionem igniculorum. Humiditas per intromiſſionem particularem aquæ. Siccitas per excluſionem earundem. Albedo per ſubſtantiam, & corpuſcula calcis parieti illita, & ſic de aliis.

Confirmat hoc argumentum tantum abeſt, quod naturæ effectus explicentur per qualitates peripateticas, ut potius per iſtas nil explicetur, ſiquidem ſi à Peripateticis quæratur; cur magnes trahat ferum, reſpondeot, quia eſt quædam ſimpathia magnetis cum ferro, ſi verò denuò quæratur, quid ſit hæc ſimpathia reſpondent eſſe quandam amicitiam, turſus ſi quæratur quid ſit hæc amicitia, dicunt ipſam conſiſtere in quadam qualitate, deniquè ſi quæratur quid ſit hæc qualitas occulta, dicuot quod ſit quædam virtus, quam neſcimus; ergo per has qualitates non benè explicantur effectus naturę.

Reſpondeo aliqua eſse phenomena, quæ per ſolum corpuſculorum effluvia ſalvari oequeunt, nam experientia cooſtat, quod ſpecies, quæ ab objectis ad potentiam immituntur inſtantaneæ feruntur ad oculum: in eodem enim inſtanti conſpiciuntur ab oculo objecta remota, & proxima.

Si autem tales ſpecies eſsent ipſa corpuſcula, prius deberent conſpici objecta proxima, quam remota, quia per motum localem, adeoque ſucceſſivum tranſeundo per totum medium deberent ferri ad potentiam, cum mobile nequeat tranſire ab extremo ad extremum ſioe medio. Prius enim devenirent ad potentiam corpuſcula objecti proximi, quàm remoti, & ſic prius objectum proximum, quàm remotum attingi deberet, quod tamen experientia conſtat falſum eſse: ad id autem quod dicitur de calore, frigiditare, & aliis in materia de elementis reſpondebimus.

Ad confirmationem dico, quod ſi à Peripatetico quæratur cur magnes attrahat ferrum reſponſio erit hoc contingere ratione qualitatis inexiſtentis in magnete, quod ſi rurſus rogetur, quid ſit qualitas, reſponſio non erit quod ſit occulta, ſed potius, quod ſit forma peculiaris mixto conveniens, quæ principium ſit talis attractionis: in qualibet autem re deveniendum eſt ad primum ſui conceptum, quo priorem aſſignare nequeamus. Alia eſſent argumenta, ſed cum minoris ponderis ſint ipſa, relinquimus.

## QVÆSTIO SECUNDA.

*An duæ formæ ſubſtantiales totales, & non ſubordinatæ poſſint informare eandem numero materiam.*

De non ſubordinatis, ut vides difficultas procedit, quæ enim inter ſe ſubordinatæ ſunt nedum de poſſibili, ſed etiam actu in eadem inveniuntur materia, præcipuè in ſubtilis, & ſolemnis ſententia, in qua ponitur ultra rationalem formam, etiam forma corporeitatis: de non ſubordinatis itaque quæritur, utrum agente Deo, ut Auctore ſupernaturali poſſint duæ formæ ſimul in eadem materia coexiſtere, per informationem, in qua communis eſt Thomiſtarum ſententia negativa propter quaſdam rationes inferius fideliter refferendas, quibus adhęret Vaſquez. His tamen adverſantur nedum fere omnes Scotiſtæ, verum etiam quamplures Heoriciſtæ, quibus adhærent Suarez, & alii, quos refert Quiros *tract.* 3. *disp.* 10. dixi *fere omnes Scotiſtæ, & quamplures Henriciſtæ*, quia quænam fuerit utriuſque Doctoris mens, res non eſt certa. Pontius enim *diſp* 33. *num.* 46. propugnat Scotum negatiuam defendere, e contra affirmativam ſuſtinere exiſtimat Maſtrius hic *diſp* 5. *nu.* 64. cui noviſſimè adhærent Dupaſquier *in Phyſica diſp.* 4. *concl.* 3 Petrus à Sancta Catherina *lib* 1. *Phyſic. diſp* 5. *quæſt.* 1 Ex noſtris verò aliqui ſuſtinent affirmatiuam ſed juxta Henrici mentem, inter quos Sapientiſſimus Noſter Magiſter Soſteneus Cavalli, negativam verò alii eſſe opinatnur cum Magiſtro Ventura. In quo diſſidio cum illis Sentio, qui Doctorem Solemnem authumant in affirmativam inclinaſse. Et revera textus omnes, quos affert noſter Magiſter Ventura, ut Henrico conſonam oſtendat Theſim negatiuam, parui roboris eſse oullus eſt, qui advertere non poſſit, ſi in

inte-

## CAPUT SECUNDUM.

*Adversæ partis objectionibus occurritur.*

ARguunt primò Thomistæ. Repugnat duas formas esse in eadem numero materia, qua formæ substantiales sunt, qua tales sunt, videlicet, vel diversæ speciei, vel individuationis; ergò de potentia absoluta non poterunt esse in eadem numero materia. Probatur antecedens, & primo quo ad primam. Formæ substantiales, qua substantiales sunt, tribuunt primum esse materiæ; sed si una forma supponeret aliam, non daret primum esse materiæ; ergo formæ substantiales, qua substantiales, nequeunt esse simul in eadem materia: Probatur minor; dare primum esse, est formalissimè dare esse simpliciter, & primum; sed hoc supponeretur semel supposita alia forma in materia; ergò. Repugnat etiam, qua tales formæ sunt, quia hæ ordinantur ad constituenda diversa composita numero, vel specie distincta; sed si essent in eadem numero materia non ordinarentur ad constituenda diversa composita numero, vel specie; ergò. Probatur minor, quia implicat duas formas ordinari ad diversa composita, ubi est unitas materiæ; ergò si essent in eadem numero materia, non ordinarentur ad constituenda diversa composita numero, vel specie. Antecedens patet, quia materia est pars essentialis talis compositi; ergò ubi est unitas materiæ, plures formæ non possunt constituere duo composita simpliciter diversa.

Ut hoc, & alia argumenta huic similia perfectè solvantur, advertendum est, in quo sensu forma substantialis sit actus primus, & ultimus. Tripliciter autem dici potest actus primus inhærendo Doctrinæ Henrici traditæ in summa *art.* 28 *quæst.* 6. *& art.* 32. *atque quæst* 1. Primò quatenus forma substantialis per se operatur in ipsa re, tanquam præcipua perfectio rei. Secundò dicitur actus primus t... actu primò ab essentia rei in ipsa re. Tertiò tandem dici potest actus primus, quia materia perficitur per formam substantialem in esse substantiali: juxta hanc autem triplicem explicationem optimè salvatur, quod forma substantialis adveniens alteri præsupositæ in materia sit actus primus, ut speculanti patebit.

Quod autem triplex hæc explicatio sit revera Henrici, patet hic ejus verba referendo: *Actus primus dicitur ille, quem forma, & perfectio rei operatur in ipsa re per se*. En prima explicatio. *Actus primus, qui est esse ab essentia rei in ipsa re*. En secunda. *Actus primus verò, per quem perficitur res secundùm gradus suos in esse substantiali, ut est forma substantialis cujuscumque, quæ dat ei esse primum*. En tertia explicatio. Alii verò Doctrinam hanc Henrici non sequentes docent formas substantiales habere rationem actus primi propter prioritatem intentionis, quia primò intenduntur à natura; rationem verò actus ultimi, quia ultimò actuant materiam, quod verum est, dummodò non sit forma substantialis subordinata. Subordinata etenim non ultimò actuat, & hoc ideò, quia ex natura sua disponit ad non subordinatam. Hac autem brevi, sed vera doctrina supposita facilis redditur solutio in forma, nedum in Henrici, verum etiam in Scoti sententia quamplurimis Thomisticæ scholæ argumentis.

Arguunt secundò alii promiscuè, & primò quia forma secundò adveniens non posset amplius facere cum materia unum per se, adveniret siquidem enti in actu completo; sicuti ideò ex natura Divina, & humana non fit unum per se unitate naturæ, quia hæ naturæ sunt simpliciter, & absolutè completæ. Secundò quia implicat quod idem effectus pendeat immediatè à duplici causa totali in eodem genere; sed materia in esse actuatæ est effectus formæ, licet non in esse materiæ, & quoad suam entitatem; ergò. Tertiò quia natura terminata una subsistentia creata terminari nequit ab alia; ergò etiam materia terminata una forma substantiali adæquata terminari non poterit ab altera. Patet hæc consequentia utrobique enim adæquatè est terminata, eo vel maximè, quod materia prout informata forma aliqua substantiali habet rationem suppositi; ergò si hoc est alteri incommunicabile, erit etiam materia forma substantiali actuata. Quartò, quia dato, quod eadem materia informaretur duplici forma v. gr. Equi, & Leones, unum compositum posset in recto prædicari de altero, quemadmodum albedo, & dulcedo residentes in eodem subjecto dicunt mutuam prædicationem in concreto: valet etenim album est dulce, & viceversa.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico ad essentiam spectare formæ substantialis constituere unum per se ultimò completum, si forma subordinata non sit, quod non tollitur data præsupositione in materia prima alterius formæ substantialis; & hoc ideò, quia forma illa substantialis adveniens, adveniret materiæ solùm ratione sui. Habet enim ipsi advenire, prout ipsa est in potentia passiva ad ipsam, & prout est perfectibilis per ipsam. Cum autem ratio potentiæ passivæ de facto conveniat materiæ independenter ab actuatione formæ substantialis præcedentis, hinc adveniret materiæ, non prout actuatæ per priorem formam; atqui sic advenire, non est advenire enti in actu prout in actu, sed enti in potentia, prout in potentia; ergò bene poterit haberi unum per se non obstante, quod materia in priori intelligatur actuata per formam substantialem diversam.

Ad secundum omissa solutione, quam præbent defensores possibilitatis dependentiæ effectus à duplici causa totali, quam non defendimus, dico in casu non fore eundem effectum, sed plures effectus, quia esset duplex actuatio, & duplex unio, sicuti esset duplex forma.

Ad tertium disparitas non unica est. Salmanticenses volunt ideò naturam terminatam subsistentia creata, divina terminari non posse, quia utraq; importat duos modos essendi incompossibiles, videlicet esse per se, & esse in alio. Primum vi creatæ subsistentiæ. Secundum verò vi divinæ, quod inconveniens est: Terminari verò non posse altera creata, quia etsi modi isti oppositi non haberentur, tamen cum subsistentia consistat in modo positivo, jam duo modi solo numero differentes in eadem reciperentur natura, quod manifestè repugnat. Sic loquuntur *tract.* 21. *de Incarnatione*, §. 3. Vasquez verò hoc implicare docet, quia plures subsistentiæ propriæ præstarent eundem numero effectum, nempe esse per se gerendo munus causæ adæquatæ. Repugnat autem eumdem numero effectum à duplici causa totali dependere, ut alibi dicam.

Sed his solutionibus non arrideo. Primę quidem, quia si subsistentia divina, & creata non importarent modos essendi incompossibiles, adhuc natura terminata subsistentia creata, divina terminari non posset, ut manifestè patet in natura terminata una subsistentia creata, quæ ab altera pariter creata terminari nequit, quamvis non dicat modum sub-

sistendi oppositum. Cui doctrinæ ulterius accedit, quod hæc solutio falsò innititur supposito; supponit enim subsistentiam creatam in positivo consistere, atque accidentia numero distincta in eodem subjecto recipi non posse, quod alibi reprobavimus.

Secunda verò solutio Vasquezii ea certitudine nō gaudet, quam aliundè optabam. Supponit enim quod subsistentia exerceat munus causæ in ordine ad naturam, quam terminat, quod reprobat Petrus de Godoy cum aliis Thomistis docentibus naturam à supposito divino terminatam non dependere dependentia causalitatis, & propria, sed unicè dependentia impropria, atque terminativa. Ut veritati itaque magis adhæream dicendum est disparitatem esse, quia subsistentia creata formaliter consistit in duplici unionis negatione, videlicet in negatione communicationis, tum actualis, tum aptitudinalis cum alio, ex qua evidens colligitur ratio, cur terminata una subsistentia, terminari nequeat ab alia; at verò informatio non consistit in tali negatione, sed præcisè in ipsa actuatione cum exclusione alterius formæ impedibili tamen, cum sit solùm effectus secundarius. Quod autem additur, nimirum materiam habere rationem suppositi in statu conjunctionis cum forma, adeoque esse alteri incommunicabilem, dico hoc unicè ostendere argumentum ipsam esse incommunicabilem alteri, tamquam supposito, quod certè non est altera forma.

Ad quartum tandem disparitas est, quod ad prædicationem in accidentalibus sufficit identitas subiecti, quæ interveniret in hypotesi; ad secundam verò prædicationem ulterius exigitur identitas suppositi, quæ non esset, eo vel maximè, quod Equus, & Leo sunt nomina naturæ, cum autem esset diuersa natura. Equi, & Leonis, hinc prædicatio non fieret mutua; nec etiam per solam communicationem idiomatum, quia communicatio idiomatum est inter naturas completas ejusdem suppositi, hic autem essent diuersa supposita.

Arguunt tertiò alii præcipuè tamen Thomistæ ex Magistro Paulo Cavino. Si materia habens jam formam ignis v. g. posset etiam facere unum per se cum forma lapidis, vel diceret in sensu composito formæ ignis ordinem per se ad formam lapidis, vel non. Si non dicit ordinem per se; ergò cum ipsa non poterit facere unum per se. Patet hæc consequentia, quia, ut ex duobus extremis fiat unum per se, debet inter illa esse ordo per se, & hinc est, quod in rebus disparatis, & non ad se invicem ordinatis, non fit unum per se v. g ex niue, & aere. Si autem materia jam informata per formam ignis affirmetur dicere ordinem per se simul ad formam lapidis, arguit contra: materia in sensu composito formæ ignis naturaliter nequit recipere formam lapidis; sed ad adventum formæ lapidis debet amittere formam ignis; ergò in sensu composito formæ ignis nequit dicere ordinem ad formam lapidis. Antecedens conceditur etiam à nobis. Probatur consequentia, quod alicui ex natura sua, vel ab intrinseco non conuenit, per se ei conuenire non potest; sed ex natura rei materiæ in consortio formæ ignis nequit naturaliter recipere formam lapidis; ergò in consortio formę ignis nequit dicere ordinem per se ad formam lapidis, ut habendam in consortio formæ ignis, alias hæc illi per se conueniret.

Explicatur hoc paritate. Quamuis accidens supernaturale stare possit sine subiecto, dici tamen nequit per se ordinari ad essendum sine illo; ergo à pari, quamuis materia possit recipere dupliem formam simul, dici tamen nequit quod ipsa per se ordinetur ad eas simul habendas.

Confirmatur. Repugnat Deum, ut auctorem naturæ dare ordinem per se ad terminum, ad quem, ut auctor naturæ perducere non potest, sed solum ut auctor supernaturalis, sed ad simultatem formarum perducere non potest materiam, nisi ut auctor supernaturalis; ergò illi dare nequit ordinem per se.

Hoc argumentum in integrum soluitur, doctrinam alibi traditam recolendo, ubi diximus ordinem alium esse prædicamentalem, vel proximum, alterum verò transcendentalem, vel remotum. Hunc secundum tribuimus materiæ informatæ una forma relatè ad alteram. Ad illud autem de accidente dico dispatem esse rationem, siquidem accidens ex suis intrinsecis, ordinatur ad inhærendum subiecto, ac per consequens ex suis intrinsecis ordinari nequit ad non inhærendum eidem subjecto; at verò materia ordinatur ad habendas plures formas: itaut ejus aptitudo non sit solum ad unam formam sed ad plures. Quod verò de facto unicam diuisim recipiat, hoc solum prouenit ex dispositionibus, quæ illam ad unicam disponunt.

Ad Confirmationem, nego minorem, si intelligatur de ordine transcendentali, & inefficaci, nam nonne Deus nos nequit perducere ad beatam visionem, nisi ut auctor supernaturalis, & tamen, ut auctor naturæ nobis desiderium ad ipsam visionem indit ex cognitione effectuum? Item nonne reunio animæ ad corpus in die judicii supernaturalis est, & tamen anima dicit ordinem ad talem unionem naturaliter, qui ordo non est, nisi transcendentalis, & per istum anima, & corpus in die judicii faciene unum per se? ergò ille ordo, quem materia dicit ad duas formas sufficit ad faciendum unum.

Dices hic ordo transcendentalis nihil aliud est, quam potentia obedientialis, idest mera non repugnantia ad recipiendam duplicem formam; sed pura potentia obedientialis sufficere nequit ad faciendum unum per se; ergo.

Respondeo, in primis per instantiam: materia dicit solam potentiam obedientialem, per se ad formam secundò habendam (ut tenet hic auctor) sed sola potentia obedientialis sufficere nequit ad faciendum unum per se; ergo per hunc ordinem materia nequit facere unum per se cum forma, secundò habenda; ergo cum cineres divi Petri, v. g nunc per se dicant solum potentiam obedientialem ad illius animam, ipsi, cum illa in die judicii non facient unum per se. Respondebit certè arguens, & de facto respondet in hac quæstione cineres Divi Petri dicere solam potentiam obedientialem ad reunionē animæ cum corpore, quæ supernaturalis est. Ceterum dicere ordinem, per se ad ipsam animam, quæ mutata non est per hoc, quod semel fuerit separata à corpore.

Hoc idem respondeo etiam ego, quod materia respectu simultatis formarum dicit puram potentiam obedientialem. Ceterum respectu entitatis formarum, quæ ponerentur simul dicit ordinem per se, & sic solum infertur materiam non posse facere unum per se cum ipsa simultate, secus verò cum ipsis formis, & sicuti ipse duo distinguit in anima reunienda Cineribus, ita, & nos distinguimus dicendo ordinem per se esse ad formas, non verò ad ipsam simultatem.

Instabis; ergò aliquod purè naturale connectitur cum entitate supernaturali, quod omninò affirmari nequit: ens quippè supernaturale est suprà exigentiam omnium rerum naturalium. Consequen-

quęr ria patet, quià talis ordo connectitur cum duplici forma simul, quæ supernaturalis est.

Respondeo utique aliquod naturale connecti non posse cum supernaturali, qua tali, scilicet si explicetur, ut supernaturale, secus si non explicetur, ut supernaturale. Patet hoc, nam universus rerum ordo de facto connectitur cum Deo, non ut auctore supernaturali; sed ut Auctore naturæ. Præterea dico præfatum ordinem per se materiæ non terminari ad aliquod supernaturale, nam terminaretur ad duplicem entitatem formarum, quæ supernaturalis non est. Si alia optas in hac materia, videre potes hic aurea manuscripta nostri doctissimi Præceptoris.

Arguunt quartò aliqui Domestici. Repugnat eandem numero materiam esse in duplici specie adæquata, sed eadem numero materia informata duplici forma substantiali disparata esset in duplici specie adæquata; ergò implicat eandem numero materiam informari duplici forma substantiali disparata; ergò hoc fieri nequit diuinitus. Probatur maior si idem esse posset in duplici specie adæquata, posset esse adæquatè diuersum à se ipso, quod repugnat alias esset idem, & non esset idem; ergò non potest eadem res esse in duplici specie adæquata. Minor autem primi sylogismi ostenditur, siquidem materia prima constituitur in specie adæquata per formam physicam; ergò si informaretur duplici forma physica, disparata, esset in duplici specie adæquata.

Confirmatur primò quia dari nequeunt duæ affirmationes trahentes secum necessariò duo contradictoria formalia, sed si darentur in eadem materia duæ formæ disparatæ v g. forma lapidis, & forma panis, essent duæ affirmationes trahentes secum duo contradictoria formalia, uti sunt differre specie, & non differre à se ipso; ergò.

Confirmatur secundò. Idem Animal, nequè supernaturaliter potest esse simul rationale, & rugibile, cum non possit Deus variare essentias rerum; ergò nec eadem numero materia informari poterit duplici forma substantiali non subordinata. Patet hæc consequentia, siquidem ideò primum quià animal esset simul rationale, & non rationale; ergò ideò secundum quià talis materia esset simul panis, & non panis.

℟. Omissa Illustris Spinulæ solutione, ut argumentum hoc in integrum soluamus, aduertendum est aliud esse, materiam esse in duplici specie, aliud existere sub formis specie diversis, aliud tandem fore partem essentialem simul plurium specie distinctorum. Primum non sequitur in sententia, quam defendimus, materia enim sivè sit cum una, sivè cum infinitis formis, semper est tantum in sua specie incompleta. Secundum verò, & tertium à veritate non distant. Quod si instes saltem sequi, quod idem esset unum specie compositum, simulque non esset, perpende Lector diversitatem specificam desumi à formis, quæ cum diversæ essent, diversa quoquè essent composita, nisi dicere velimus cum Dupasquier Scotista, nullatenus sequi ipsa composita esse unum, & idem, quia ad identitatem requiritur identitas materiæ, & formæ simul, alioquin lignum, & ignis, qui ei succedit in eadem materia essent unum numero, quod nemo asserit, cum autem hæc identitas non adsit in casu, hinc.

Ad primam Confirmationem censeo, quod esto duæ formæ substantiales in eadem essent materia, adhuc non sequeretur adesse duas affirmationes secum trahentes duo contradictoria formalia, siquidem non eadem materia differret à se ipsa, sed solum eadem materia prout stat sub una forma substantiali reduplicando suprà formam differret à se ipsa, pro ut stat sub alia forma, in quo nulla est repugnantia Quod si sermo sit de composito, non esset idem quod differret à se ipso, sed solum unum ab alio differret.

Ad secundam verò Confirmationem omissa solutione eiusdem Spinulæ docentis idem Animal esse posse inadæquatè simul rationale, & irrationale, dico disparitatem esse, quod animalitas non haber esse sub rationalitate, vel irrationalitate, nisi per identitatem tamquam sub suis differentiis essentialibus diuisiuis, implicat autem quod aliquod sibi identificet omnes differentias sui diuisiuas; at verò materia non unitur formæ per identitatem, sed solum per unionem, cuius certè formæ non sunt differentiæ essentiales.

Quæres hic pro Complemento difficultatis proposita, an possit una forma duplicem informare materiam.

Respondeo affirmativè, præcisivè tamen loquendo ab impossibilitate replicationis, & hoc, quià nullam video repugnantiam, nec ex parte formæ nec ex parte materiæ, ut consideranti patebit. Sed

Dices si talis forma posset informare duplicem materiam, posset etiam eadem humanitas assumi à tribus suppositis divinis; atqui hoc evenire nequit, siquidem essent plures homines; & non essent; quia essent tres habentes humanitatem simpliciter, non essent, quia esset identitas humanitatis.

Hoc argumentum, ut soluatur opus est aduertere inter Theologos difficultatem esse, an tres personæ divinæ in dicta hypotesi essent unus, vel plures homines. Ex nostris sustinent aliqui affirmatiuam sententiam, hac freti ratione, quià humanitas prædicata de divina persona adesse, & abesse potest præter subiecti corruptionem, ea autem est natura accidentis, ut positum in diversis multiplicationem efficiat, cui sententiæ, ut optimè aduertit Godoy in Schola Diui Thomæ, adhærent Caietanus, & Medina. Alii verò docent non fore simpliciter plures homines. Et rationem dant, quia homo de formali significat naturam, quæ ut dicatur pluraliter, petit pluralitatem sui, undè dicunt, quod in tali hypothesi essent tres personæ humanæ, quià essent tres personalitates, quæ in recto importantur per nomen personæ, non verò essent tres homines, quià natura esset una; cui dicendi modo, adhæret Godoy. Ex his sententiis utraquè est probabilis, nec probabilitati secundæ, obstat ratio superior, siquidem quamuis concedatur, quod homo de persona Verbi accidentaliter prædicetur, tamen ly homo nomen est, non adiectiuum, sed substantiuum. Ea autem est natura substantivorum, ut optimè advertit hic Godoy, ut multiplicitatem à forma desumant, quemadmodum adiectiua à suppositis.

Dices secundò. Si unica forma possit informare simul plures numero materias posset etiam infinitas; sed virtus informandi perfectio est; ergo talis forma esset infinitæ perfectionis. Probatur major paritate. Si idem Corpus posset esse in duplici loco, posset etiam esse in infinitis, ut inferius dicam adversus Scotistas propugnantes possibilitatem replicationis circumscriptivè, & si humanitas potest assumi à tribus posset etiam ab infinitis Personis, si adessent, & Corpus Christi, quod poni potest definitivè sub pluribus hostiis posset etiam in infinitis, si adess-

adessent, & eadem species objecti, quæ nata est fecundare intellectum Petri v. g. potest etiam fecundare infinitos Intellectus, quantum est de se si adessent.

Huic instantiæ Mastrius occurrit disparitatem assignãdo innixã possibilitati replicationis circumscriptivæ. Docet enim ideo corpus potens esse in duobus posset etiam esse in infinitis, quin ejusdẽ sequatur infinita perfectio, quia in ordine ad locũ solum passivè se habet nullamque virtutem exercet in illius aquisitione: at vero forma exerceret virtutem ioformativam in informando materiam, vnde infinitam habere deberet perfectionem, si infinitas informaret materias. Sed hæc solutio displicet primò quia procedit ex suppositione possibilitatis replicationis quam negamus. Secundò, quia etiam hac supposita disparitatem non assignat, quia ut optimè hic advertunt aliqui Scotistæ corpus non minus exercet virtutem repletivam loci in eiusdem aquisitione, quam forma virtutem informativam in informando materiam; ergò utrobique est eadem ratio. Itaque dicendum est, atque concedendum formam ipsam infinitas posse informare materias, quia infinitas in perfectione, quæ sequeretur in ipsa, esset solùm infinitas extensiva, sicuti solùm esse contendimus infinitam illam visionem, qua quis in Patria omnia comprehenderet possibilia: virtus autem infinita extensiva, perfectionem infinitam non affert, ut dicam in materia de Incarnatione, nisi dicere velimus ipsam formam nullatenus esse infinitam, quia illas infinitas informationes præstare posset per eandem indiuisibilem virtutem informatiuam tota diuersitate se tenente in multiplicatione applicationis; unde quamuis virtus informatiua sit perfectio, non est tamen major perfectio, quod hæc applicetur pluribus subiectis, sicuti major non exigitur in causis efficientibus creatis, ad hoc, ut iste applicentur ad productionem plurium effectuum ejusdem rationis.

## QVÆSTIO TERTIA.

*An admittenda sit forma corporeitatis in viventibus.*

Nomine formæ corporeitatis hic nihil aliud intelligitur, quam forma simplex, vi cuius materia distribuitur in varias partes substantiales eterogeneas, subordinata animæ rationali, ipsamque præcedens, ab ipsa realiter strictè distincta, non impediens, quin habeatur unum viuens per se, sed ad id habendum necessaria. Sic explicata mirum est, quot aduersarios habeat, quamuis in impugnatione per diversam abierint viam, quapropter patet manifestè falsum esse, quod affirmat hic Ariaga docens *disp.7 in sua Physica sec. 11 sect.6.* hanc sententiã de forma corporeitatis, nullos habere asseclas, nullosque impugnatores; cum in schola subtilis acriter tueri soleat, & accerrimè ipsam propugnet Henricus; ipsam vero impugnent Patres societatis ut Suarez, Oviedo in sua Physica *controu. 3. pun.* 2. de forma substantiali, & idem Ariaga, ac Quiros *tract. 3. Physicor: disp.* 47 Ex Thomistis vero, Ioannes à Sancto Thoma, Complutenses, Sanchez, Bannez, Gallego, Cauino, & alii aduersus quos Neapolim ob dimicandi studium propugnavimus Angelicum Præceptorem, hanc, nec in quæstionibus disputatis *quæst.* 2. de anima, *art.* 9. nec *quæst* 76. *art.* 4. expressè reprobasse (quibus in locis præcipuè opinantur Thomistæ ipsam à divo Thoma excludi) quod obiter tamen propugnavimus.

Secundo pariter aduertendum, est, quod estò Auctores omnes extrà scholam subtilis conveniant in negando formam corporeitatis superius explicatam ex diametro verò in schola subtilis defendatur in quolibet vivente, tamen in schola Henrici media via proceditur, ipsam cum Scotistis propugnando in viventibus rationalibus, negando verò in cæteris viventibus cum Thomistis.

Tertiò pariter præsupponendum est hic, quod aliundè fuit ostensum solidissimis fundamentis, materiam nimirum non existere per existentiam formæ, sed per sibi propriam, cum in priori ad formam existat, quià scilicet est vera causa physica formæ, quod verum non esset, nisi in priori ad formas ipsas existeret; & hoc in hac materia, ideò notatum volo, quià inservire debet ad solutionem quamplurium, quæ obiectat aduersa pars. Quibus positis sit.

### CAPVT PRIMVM

*Ostenditur existentia formæ corporeitatis in viventibus vita rativnali, & eiusdem carentia in aliis.*

Particularis est Henrici ratio, qua ipse probat huius formæ existentiam in viventibus rationalibus; an verò sicuti particularis, ita, & solida sit, ipsam propono, ut inspiciatur, & quidem sub his terminis. Duæ productiones reales realiter inter se distinctæ necessariò postulant duos terminos realiter inter se distinctos; sed isti termini sunt formæ; ergò in homine duæ sunt formæ realiter distinctæ, quæ esse nequeunt, nisi anima rationalis, & forma corporis. Major ex multiplici capite est certa, primò ex Aristotele 3 *physicorum textu* 37. dicente, quod sanitas primò corrupta, & iterum generata in eodem nequit esse eadem numero, si motus ad primam, & secundam sint duo numero: Secundò ex Diuo Thoma apparere ius veritas, ubi de potentia *quæst* 6 *art.* 8. docet enim ibi actionem, & motum à termino specificari, quod verum non esset, si idem posset esse terminus diversarum actionum, ut sunt generatio, & creatio; quæ major propositio loquendo de actionibus formaliter, vel virtualiter transeuntibus, adeò vera est etiam in Schola Diui Thomæ, ut Illustrissimus de Godoy *quæst.* 2. de Incarnatione *tract.* 2. *disp* 11. ideò ponat unionem hipostaticam superadditam, ut saluetur terminus actionis unitivè. Minor autem manifesta est, quia dum producitur homo de novo, Deus creat animam, homo verò agit actione non creatiua, sed quæ exigit concursum materiæ, expellit enim à materia formam præcedentem seminis, & illam disponit ad susceptionem animæ rationalis; sed istæ sunt distinctæ, & diuersæ actiones, una siquidem est creatiua, altera generativa; ergò in generatione hominis.

Huic rationi respondent primò Thomistæ diversitatem actionum non arguere duplicitatem formæ, cum una, & eadem forma possit esse terminus diversarum, & distinctarum actionum, maximè, si talis forma habeat subordinari duplici agenti secundum diversam considerationem, ut de facto euenit in casu, siquidem forma viuens rationalis, ut in se subsistens terminat actionem creatiuam, ut unita verò, & informans habet terminare generativam, unde quamuis esset idem terminus materialis, tam creationis, quàm generationis, cum esset eadem anima rationalis, tamen esset diuersus terminus

minus formalis, à quo unicè actiones specificantur.

Contrà · est, & in primis hæc solutio, quæ est Joannis à Sancto Thoma, quam sequuntur quamplures Thomistæ reiicitur advertendo, quod superius diximus, nimirum actiones transeuntes non respicere formam, solum ut communicandam, sed ut producendam, & hoc, quia actio transiens, qua talis alterius est productiua, maximæ in sententia quorundam thomistarum afferentium hanc esse præcipuam differentiam intervenientem inter actiones immanentes & transeuntes, quod primæ non producunt, nisi se ipsas in rerum natura, secundę verò aliquod à se distinctum, ad quod primò, & per se dicunt ordinem, sed hic terminus, qui respici debet sub ratione producti, non potest esse anima rationalis, quia sic est terminus creationis; non unio, cum hæc in sententia Thomistica non sit entitas superaddita, adeoque quid ab extremis distinctum, non materia, cum hæc pariter sit terminus creationis; non compositum, cum hoc sit terminus, *qui*, de quo non controuertitur; ergò necessario erit forma corporeitatis.

Respondent secundò Patres Societatis esse adhuc assignabilem terminum actionis generatiuę, etiam hac forma exclusa, & hunc esse unionem ipsam substantialem de materia eductam.

Contra, siquidem unio nequit esse terminus formalis generationis, uti per extensum ostendam in tractatu de ortu, & interitu; interim tamen demonstro breuissimè triplici ratione, & prima quidem sit, quia solum ille esse potest terminus formalis, quo generationis, quo una generatio distinguitur ab alia, cum autem hæc distinctio non habeatur per unionem, primò, quia cum hæc per se ipsam non diversificetur ab alia, jam hæc nõ poterit esse terminus formalis. Secundò, quia terminus generationis variari nequit, quin varietur, & ipsum genitum. Unio autem variari potest genito ipsu inuariato. Idem enim omnino est, qui nascitur, ac qui resurgit, & tamen unio in Resurrectione eadem non erit, cum à diuerso agente, & in diuerso producatur tempore. Tertiò quia generatio viuentium est origo viventis à viuente, ut à principio conjuncto in similitudinem naturæ; causans autem præcisè ipsam unionem non esset tale principium, cum ex vi talis productionis non produceret aliquod sibi simile. Angelus siquidem in die judicii causabit unionem inter corpus, & animam rationalem, & tamen non erit principium coniunctum.

Resp. tertiò alii terminum intrinsecum actionis generativæ substantialis esse prævias dispositiones, per quas disponitur materia ad receptionem formæ rationalis: cum enim anima rationalis servet consuetudinem aliarum formarum, hinc recipi non debet in materia, nisi hæc sit benè disposita. Sed,

Contra est, actio enim generativa substantialis, qualis est illa hominis nequit habere pro termino formali prævias dispositiones, cujus ratio potissima est, quia hæc debet habere pro termino aliquod substantiale, sicuti actio generativa accidentalis respicit aliquod accidentale. Secundò quia accidentia disponentia, ut videbimus, ubi de ortu, & interitu producuntur successivè; ergo produci nequeunt per actionem generativam hominis, sicq; non possunt esse terminus talis actionis. Consequentia certa est, quia actio generativa hominis est instantanea. Tertiò quia tales dispositiones præsupponuntur ad actionem generativam, unde produci nequeunt per ipsam, & consequenter nequeunt esse ipsius terminum.

Responder quartò Cajetanus tunc productiones diversas, diversos exigere terminos, quando agentia non sunt subordinata, secus quando sunt subordinata: subordinatio enim facit, quod agentia eundem terminum respiciunt. Cum autem homo generans, & Deus creans animam rationalem sint agentia subordinata, hinc concludit non debere habere diversos, ac distinctos terminos, sed eandem animam rationalem, quæ intrinsecè terminat creationem, extrinsecè verò terminat generationem, sed pariter.

Contra est siquidem Cajetanus, non benè percipit Henrici ratiocinium. Henricus enim non ex diversitate agentium arguit diversitatem terminorum, sed ex diversitate actionum. Quod, ut clarius pateat adverto cum nostro Burgo duplicem esse subordinationem agentium, unam nempè cum identitate actionis, ut est illa, quæ datur inter Equum, & Solem in productione Equi, alteram verò cum diversitate actionis, ut domi factor subordinatur Architecto in construenda domo. Modo verum quidem est, quod agentia primo modo subordinata eundem respiciunt terminum, quia una, & eadem est illarum actio, secus agentia secundo modo subordinata: & ratio est, quia diversarum, & realiter distinctarum actionum diversi, & distincti esse debent termini, neque subordinatio quidquam officit, imò tantum abest, ut idem terminus sit utriusq; actionis, ut potius ex hoc, quod actiones illæ sint subordinatæ, inferatur multiplicitas terminorum subordinatorum; cum actio alteri actioni subordinatur, quatenus terminus unius actionis subordinatur termino alterius.

Hinc corruit id, quod ultimo loco dicit Cajetanus, nimirum animam rationalem dici posse terminum generationis extrinsecum. Dato enim hoc, adhuc argumentum habet vim suam, siquidem generatio debet habere suum terminum intrinsecum. Cuilibet enim actioni physicæ, & reali necessariò debetur terminus intrinsecus, quia extrinsecus terminus supponit actionem intrinsecè completam; non potest autem esse intrinsecè completa, nisi per terminum intrinsecum.

Probatur secundò ratione eadem conclusio ex identitate corporis Christi vivi cum mortuo in triduo mortis. Idem numero est corpus vivum pendens in Cruce, ac mortuum existens in Sepulchro; sed negata forma corporeitatis non salvaretur hæc unitas corporis; ergò ponenda est forma corporeitatis. Probatur minor. Perseverare nequit idem corpus, nisi eadem perseverante forma, qua constituatur in ratione corporis; sed sola forma corporeitatis eadem perseverare potuit in vita, & in morte; ergo hac negata esse non potuisset idem corpus vivum, ac mortuum; nam esse non poterat idem per animam rationalem, quia hæc in triduo mortis mansit separata à corpore; neque per suppositum divinum, quia à supposito divino non habetur ratio corporis, ergo fuit idem corpus, per eandem formam corporeitatis, quam retinuit. Hoc est Henrici fundamentum ab ipso relatum *Quodl. 4. quæst. 12.*

Huic rationi occurrunt primò adversarii, dicendo quod ratio corporis non habetur à forma quadam substantiali, ut hic defendimus, sed à pluribus partibus materiæ extensis media quantitate, quæ materia sola est in corpore de genere substantiæ, sicq; dicunt explicari quomodo per verba consecrationis panis fiat transubstantiatio in Christi Corpus, quatenus nimirum vi talium verborum fit tran-

 sub-

ſubſtantiatio de ſubſtantia panis in ſubſtantia Chriſti domini, nempe in partes ſubſtantiales materiæ extenſas media quantitate. Sed

Contra eſt, ſiquidem hæc ſolutio non ſalvat identitatem corporis Chriſti in ſepulchro, cum eo quod erat pendens in Cruce pro generis humani redemptione; nec ſalvat veram tranſubſtantiationem ſubſtantiæ panis in Chriſti Corpus factam per verba conſecrationis; non ſalvat inquam hoc ſecundum, quia non ſtat vera tranſubſtantiatio panis in Chriſti Corpus per verba conſecrationis, quin Corpus Chriſti ultra materiam, & quantitatem importet etiam aliquam formam ſubſtantialem, quæ ſit corporeitatis; quemadmodum non ſtat vera tranſubſtantiatio vini in verum Chriſti Sanguinem, & quod ſanguis ultra materiam non importet formam ſanguineitatis.

Secundò quia eſſe organicum, & corporeum eſt eſſe & etereogeneum, fatentibus hoc etiam adverſariis; ſed ſi ratio corporis nil aliud eſſet, quam ſimplex materia cum quantitate non ſalvaretur, unde haberetur talis eterogeneitas; ergò ratio corporis non eſt ſita adæquatè in tali materia extenſa per quantitatem. Prob. major, quia talis eterogeneitas haberi nequit à materia, cum hæc homogenea ſit, non à quantitate, quia effectus quantitatis, neque eſt dare homogeneum, atque eterogeneum; ſed tantum unam partem extra aliam conſtituere.

Reſpondent ſecundò Patres Oviedo, & Arriaga idem eſſe corpus in Chriſto mortuo, ac in vivente, etiam forma corporeitatis negata, quia eſt eadem materia cum eadem deorganizatione figuræ externæ, quæ corpus appellatur, & ratione illius deorganizationis dicitur eſſe idem corpus habitum per tēperamentū qualitatum eterogenearum, per quod temperamentum materia habet rationem corporis ad diſtinctionem materiæ non organicè. Sed

Contra eſt, quod enim ratio corporis nihil aliud ſit, quam materia cum tali deorganizatione partium, verum dicitur ab Oviedo, ſed falsò poſteà affirmatur, quod hæc partium organizatio non habeatur ab unica forma ſubſtantiali, ſed à diverſis qualitatibus; nam ratio corporis eſt unum per ſe, eſtò incompletum, adeoque haberi non poterit à pluribus qualitatibus accidentalibus. Secundò quia ut optimè advertit hic quidam Scotiſta, ſi ſufficeret ad hoc, ut ſalvaretur identitas Corporis Chriſti in ſepulchro, quod eſſent eadem accidentia ſenſibilia, à quibus haberetur ratio corporis, profectò dici poſſet, quod in Eucharіſtia maneat ſubſtantia panis, cum maneant eadem accidentia panis ſenſibilia, ut fides docet, quod tamen alienum eſt à veritate catholica. Ulterius neſcio, quo fundamento velint Patres iſti ſocietatis potius adſtruere congeriem plurium qualitatum præbentium hoc eſſe organicum eterogeneum, quam unicam formam ſubſtantialem. Non ignoro Arriagam redarguere docentes, quod dum aqua remoto igne recuperat ſuam frigiditatem, talis recuperatio ſit virtute plurium qualitatum in ipſa aqua exiſtentium, & hoc quia docet fruſtra fieri per plura, quod fieri poteſt per pauciora, nimirum per unicam formam ſubſtantialem. Secundò negat pluralitatem animarum in homine, & hoc ideo, quia per unicam viventem formam rationalem omnes haberi poſſunt operationes: rurſus negant quamlibet diſtinctionem intrinſecam inter predicamentalia & hoc ideo, quia iudicant omnia ſaluari poſſe per ſolam diſtinctionem rationis: negant tandem potentias animæ realiter ſupperadditas, pluralitatem formarum in mixto, & hoc unicè, quia fruſtra plurium exiſtentia ponitur, cum omnia, & quidem connaturaliter per unam formam haberi poſſunt. Hanc autem doctrinam quis non videt ſuadere unitatem formæ, etiam ad tribuendum homini eſſe organicum, & non niſi inutiliter recurrere aduerſarios ad plures formas partiales.

Reſpondent tertiò Thomiſtæ Corpus Chriſti eſſe idem numero ratione ſuppoſiti in quo ſubſtentatur, non ratione formæ, qua conſtituatur. Uno verbo terminative eſſet idem quatenus terminaretur eadem exiſtentia, & ſolùm ratione ſuppoſiti, à quo habetur unitas numeralis, ut à termino. Imò Scotiſtæ, & Henriciſtæ nequeunt maiorem identitatem in ipſo corpore ſaluare, quam ſuppoſitalem, eo quod ablata forma ſpecifica, remaneat ſolùm generica omnibus communis; ergò non remanet idem individuum ſpecificum, quod antea. Sed

Contra eſt: Gratis ſiquidem ab aduerſariis coarctatur Sanctorum Patrum aſſertum in eo conſiſtens, quod ſit idem numero Corpus Chriſti domini mortuum, ac vivum, dum ab ipſis aſſeritur, quod ſit tantùm idem terminative, non verò formaliter. Secundò, quia ſuppoſitum divinum non dat eſſe corporeum; ergò ex hoc, quod permanſerit idem ſuppoſitum non bene infertur manſiſſe idem corpus.

Probatur tertiò aſſertum præcipuè contra Thomiſtas. Ideo in homine non eſt ponenda forma corporeitatis diſtincta à rationali, quia à forma ipſa rationali haberi poteſt eſſe corporeum, ſed hoc eſſe ab ipſa haberi nequit; ergò. Probatur minor, quia gradus corporis repugnat naturæ animæ rationalis, quæ ſpiritualis eſt. Secundò, quia ante adventum animæ rationalis iam ſupponitur corpus organizatum, cum Deus non creet animam rationalem, niſi prius adſit materia organizata.

Dices duplicem eſſe organizationem, primò illam, quæ antecedit aduentum animæ rationalis. Secundò illam quæ concomitatur modo. Utique verum eſt, quod prima non habetur ab anima, habetur tamen ſecunda, quæ ſubſequitur poſt primæ corruptionem. Sed

Contra eſt & in primis neſcio, quo fundamento iſti Thomiſtæ hoc affirment. Ponunt enim, quod materia ſit organizata ante animæ creationem, & deinde dicunt, quod ipſa organizatio deficit ad ipſius aduentum, cum ſit penitus incredibile defecturum eſſe id, quod inſervire debet formæ, pro aliquibus ſuis obeundis operationibus. His autem ſuppoſitis.

Dicendum eſt ſecundo in aliis viventibus non adeſſe formā corporeitatis diſtinctam à forma ſenſitiva. Sicuti non ut Scotiſticæ ſcholæ placerem ſuperius poſui aſſertum, ſic & hoc ſecundum propugno non ut Scholæ divi Thomæ doctrinam ſequar, ſed utrumque defendo, ut coherenter loquar ad ea, quæ Henricus in hac docet materia, cuius rationem placet ſub hoc medio proponere. Si aliqua eſſet ratio admittendi in viventibus rationalibus formam corporis, maxime quia etiam in iſtis datur organizatio neceſſaria ad operationes ſenſitivas vel, vegetatiuas; ſed hæc ratio nullam indicat neceſſitatem hanc ponendi in ipſis viventibus; ergò. Maior eſt ipſorum ratio fundamentalis. Probatur itaque minor. Forma, quæ ſecundum ſe eſt materialis, & eterogenea poteſt extendere unam formam extra aliam, & diverſas præbere organizationes; ſed in ceteris viventibus animæ ſunt materiales & eterogenee; ergò ſine ulla forma corporeitatis

poſ-

possunt vivificare, & organizare. Minor quoad duas partes certissima est in Schola Doctoris, ut videbimus in tractatu de anima, ubi nedum divisibilitas, sed etiam eterogeneitas demonstrabitur.

## CAPUT SECUNDUM

*Solvuntur obiectiones.*

QUi D. Thomæ sententiam sequuntur, multipliciter arguere solent; & primò communiter, sic loquuntur. Si in vivente rationali daretur duplex forma substantialis, quarum prima esset corporeitatis, secunda vivens, hæc, quæ subsequeretur ad formam ipsius corporis, non daret esse simpliciter, sed de ratione formæ substantialis est dare esse simpliciter; ergò. Probatur maior. Implicat illam formam dare esse simpliciter, si præsupponat esse sinpliciter jam habitum per aliam formam; sed semel supposita forma corporeitatis substantiali hoc esse simpliciter supponeretur habitum per ipsam, cum implicet præsuponere formam substantialem, & non præsuponere esse simpliciter; ergò

Argumentum hoc Thomisticæ Scholæ à nobis integrè soluitur monendo in primis Thomistam per ly *dare esse simpliciter* nil aliud intelligere, quam hoc, quod est reddere materiam simpliciter, & absolutè existentem. Quo breviter notato censeo negandam esse majorem, ejusque suppositum: supponitur enim, quod effectus formalis formæ substantialis sit dare existentiam materiæ, cum nec anima rationalis, nec forma corporeitatis dent esse simpliciter materiæ. Quod si pro esse simpliciter intelligant constituere aliquod in determinata specie entis completi, hoc negatur, nam anima rationalis daret adhuc primum esse simpliciter, cum constitueret corpus taliter viuificatum.

Arguunt secundò iidem. Hæc forma corporeitatis, quæ datur in viuentibus vita rationali, vel est sufficiens se sola ad ponendam materiam extra suas causas perfectè, & completè, vel est insufficiens; sed ulteriori indiget forma. Si primum; ergò non est forma substantialis, cum hæc per se sit sufficiens ad ponendam rem extra suas causas. Si verò dicatur secundum; ergò talis forma erit completè substantialis, quia completè dabit esse substantiæ. Hoc argumentum pariter laborat falsitate suppositi, cum denuò supponatur hic à Thomistis formam conferre materiæ existentiam. Quod si pro esse simpliciter isti intelligere velint formam substantialem dare esse composito, dico in hoc sensu formam corporeitatis esse insufficientem titulo subordinationis. Est enim forma formæ præcipuè subordinata.

Arguit tertiò Ioannes à Sancto Thoma. Omnes gradus generici, & specifici prædicantur essentialiter de quolibet inferiori; sicuti enim homo est essentialiter animal, & rationale, ita est viuens, & corpus; sed nequit prædicatio essentialis de eadem re desumi à diuersis formis; ergò debet prouenire ab eadem. Probatur minor, quia quæ sumuntur à diuersis formis, vel ita sumuntur, ut sint inter se coordinata, vel non; sed siue sumantur prout coordinata, siue non, nunquam possunt fundare prædicationem essentialem de eadem re; ergò prædicatio essentialis de eadem re desumi nequit à diuersis formis. Probatur minor, nam si istæ formæ non sint coordinatæ, & subordinatæ inter se, prædicatio erit solū per accidēs; si verò istæ formæ sint inter se subordinatæ; ergò fiet quidē prædicatio per se, sed nō per modū partis essentiæ, sed per modum proprietatis, hoc est non primo modo, sed secundo modo, cum forma alteri subordinata prædicari nequeat primò, & per se per modum partis essentiæ, hoc autem falsum est, cum gradus generici, & specifici essentialiter prædicentur de quolibet inferiori.

Hoc argumentum, quod ultimum est præcitati Thomistæ, soluitur dicendo formam corporeitatis subordinatam esse formæ rationali. Hoc autem non obstante optimè habetur prædicatio essentialis respectu compositi, quæ sit primò, & per se; nec hæc tollitur per hoc, quod gradus genericus, & specificus à diuersis sumantur formis, sicuti materia, & forma in Physicis prædicantur essentialiter de toto composito, quamvis sint distinctæ entitates. Quod si dicas hoc ideo contingere, quia materia habet rationem potentiæ, forma verò habet rationem actus; & ego dicam formam corporeitatis relatè ad animam rationalem habere rationem potentiæ, cum constituat partem potentialem. Et ratio totius est, ut etiam aduertit quidam Scotista, quia prædicata sumpta à diuersis formis prædicantur de re juxta modum quo tales formæ in ea sunt; itaut si formæ constituant essentialiter, prædicentur essentialiter, si non constituunt, accidentaliter. Cum autem forma corporeitatis, & forma rationalis ipsum hominem constituant, & in linea corporis, & in linea viuentis, hinc primò, & essentialiter prædicabuntur.

Arguunt quartò alii Thomistæ promiscuè, & primò. Anima rationalis supplere potest pro forma corporeitatis; ergo superflua erit forma ab ipsa distincta ad præstandum gradum corporis. Antecedentis veritatem suadere conantur primò, quia anima rationalis supplet de facto pro sensitiva, præbendo ipsius operationes, quæ tamen entitativè materiales sunt. Secundò quia subsistentia verbi spiritualis est, tamen supplet, imò supplevit pro substantia creata corporea. Tertiò, quia nulla est repugnantia in hoc, quod anima rationalis det esse corporeum, non quidem prout esse corporeum est esse extensum, & divisibile, sed unicè prout est ratio constituendi aliquod sub gradu corporis. Quartò, quia si ad tribuendum gradum corporis requireretur peculiaris forma, pariter ad dandum alios gradus sensitivi, vegetativi, auditivi, olfactivi requirerentur aliæ formæ distinctæ, quod tamen non admittitur. Quintò quia ipsa forma rationalis est virtualiter, vel eminenter corporea, ut quo, quia potest corpus constituere.

Hoc argumentum nullius roboris est quoad omnes sui partes. Falsum enim est primum, quod communiter obiiciunt Thomistæ; siquidem in operationibus sensitivis distinguimus duplicem formalitatem, quarum una est formalitas vitalitatis, & hæc habetur ab anima, altera materialitatis, quæ provenit à materia elaborata; quemadmodum vitalitas relucens in visione habetur ab intellectu, supernaturalitas verò à lumine gloriæ, unde numquā operationes sensitivæ, qua materiales habentur ab anima rationali. Quod si argumentum procedat de gradibus sensitivis, & vegetativis dicendum est Scotistarum solutionem illam legitimam esse, quæ docet gradus istos ut sic à materialitate præscindere, eo quia conceptus vitæ, sive vegetativæ, sive sensitivæ, ut sic, solùm importat *se movere ab intrinseco*, qui motus certè materialitatem non includit, quamvis in Brutis ad materialitatem deinde contrahantur; quod tamen non evenit, loquendo de gradu corporis, qui ex sua ratione formalissima materialitatem includit. Secundum, quod affert Joannes à S. Thoma nullius est roboris, siquidem

subsistentia divina solùm supplet pro creata secundùm rationem præscindentem à spiritualitate, & materialitate, quatenus supplet ultimò terminando naturam, quæ ratio communis est utrique subsistentiæ. At verò anima rationalis supplere deberet pro gradu non præscindente, sed importante materialitatem, uti est gradus corporis. Tertium Cajetani non tenet, nam dare esse corporeum est formalissimè dare esse materiale divisibile, & æterogeneum. Est enim imprescindibilis ratio corporis ab extensione, & divisibilitate in plures partes æterogeneas. Quartum quod affert Magister Paulus Cavinus non urget; anima siquidem rationalis est ad illos conferendos sufficiens, cum in ejus virtute contineantur; præcontinentur autem, quia secundum se præscindunt à materialitate, maximè ut provenientes ab anima rationali; esse corporeum autem non præscindit, adeoque ab ipsa provenire nequit. Quintò, quod obiiciunt Complutenses, Goudin, Arnu, aliique parum urget in primis, quia negatur à nobis talis continentia virtualis, secundò, quia hac concessa adhuc non obtinetur intentum, & hoc, quia causa tribuens aliquem effectum in genere causæ formalis debet ipsum formaliter præcontinere, ut patet in ipsa albedine conferente esse album, & in lumine gloriæ conferente intellectui in Patria superioritatem ordinis. Continentia enim virtualis, vel eminentialis solùm sufficiunt pro causalitate effectiva, non verò formali, cujus generis est causalitas tribuens esse corporis.

Arguunt quintò alii. In mixto datur solum unica forma cum hoc fine ut habeatur unitas compositi; ergò cum hæc ratio vigeat in homine, in ipso solùm erit una forma Secundò, quia data forma corporeitatis haberetur genus realiter distinctum à sua differentia, quod prohibent metaphysici. Tertiò, quia anima rationalis adveniens adveniret enti jam constituto in actu simpliciter, sive in genere substantiæ, adeoque secunda magis esset accidentalis, quam substantialis: nec obstat, quod dicitur, nimirum ipsam formam corporis non tribuere esse ultimatum, siquidem hæc habet rationem actus in linea substantiali; de ratione autem formæ substantialis est, quod sit actus ultimus, cum ratio actus in ipsa importet rationem ultimi. Quartò, quia esse corporeum optimè habetur præcisè ex complexo materiæ, & formæ rationalis. Quintò, quia forma corporeitatis in hominis corruptione perseveraret, & consequenter falsificaretur, quod corruptio unius esset alterius generatio.

Respondeo ad singula, & ad primum, Arriagæ argumentum nullum est, formæ enim elementorum non sunt formæ subordinatæ formæ mixti; sed non subordinatæ, & natæ facere unum per se unde mirum non est, quod earum formalis perseverantia in esse in mixto impediret unum per se; hoc autem non verificatur loquendo de forma corporeitatis Secundum, quod obiicit Magister Cavinus nimis frivolum est cum hic arguens confundat ordinem metaphysicum cum ordine physico, distinctio enim realis negatur unicè inter metaphysicas partes, non verò inter physicas. Tertium scholæ Divi Thomæ parum urget. Forma enim corporeitatis non dat esse ultimatum simpliciter, & specificum, sed unicè esse ultimatum in linea corporis, seu genericum; nec obstat, quod additur, siquidem ratio actus in forma substantiali est ratio actus ultimi si sit forma non subordinata, non verò si sit subordinata, uti est forma corporeitatis.

Quartum, quod proponit idem Cavinus solvitur advertendo, & monendo tò *corporeum* dupliciter accipi posse, nimirum prout dicit esse organicum, & prout solùm dicit esse materiale: in hoc secundo sensu concedo esse corporeum haberi exclusa forma corporeitatis; at in primo nego; unde hoc argumentum nullum est etiam prout proponitur à Patre Bernardo de Quiros societatis Jesu. Quintum tandem, quod affert Suarez Henrici Sectatores non urget docentes ad corruptionem hominis etiam ipsam formam corporeitatis corrumpi succedente forma cadaverica, & hoc ideò, quia forma corporeitatis teste Henrico connexa est connexione naturali cum forma rationali, unde ipsa abeunte per separationem, & ipsa corrumpitur.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur quædam argumenta, quibus Schola Scoti probare solet existentiam formæ corporeitatis etiam in cæteris viventibus.*

CUrsus Philosophici auctores Petrus à S. Catharina, & Thoma à S Joseph Ordinis Minorum strictioris Observantiæ *lib. 1 de Generatione, & corrup. disp. 2. quæst. 7.* adversus secundam conclusionem nonnulla obiiciunt, quæ, ne solutionem expectent, hic referre, simulq; refellere placet Arguunt itaque primò. Gradus corporis nequit in ipsis viventibus haberi ab anima sensitiva; ergo etiam in ipsis est forma corporeitatis. Antecedens concedendum esse suadere conantur multipliciter, & primò, quia gradus genericus haberi nequit à diversa forma, haberetur autem, si in homine, gradus corporis haberetur à forma corporeitatis, & in aliis viventibus ab anima sensitiva. Secundò, quia si forma sensitiva constituit corpus in esse corporis, ineptè diceretur compositum constare corpore, & anima, quemadmodum, quia album formaliter constituitur in esse albi per albedinem, nugatoriè diceretur album essentialiter constare albo, & albedine. Tertiò, quia si forma sensitiva intrinsecè constitueret corpus in esse corporis, non posset deinde benè describi per ordinem ad illud cum tamen describatur. Patet hoc, quia ad hoc, ut aliquod describatur per ordinem ad aliud opus est hoc aliud esse notius eo, quod describitur: id autem, quod constituitur formaliter per aliquam formam nequit esse notius tali forma, unde qui ignorat naturam caloris, ignorat etiam naturam calidi constituti per calorem. Quartò sicuti requiritur corpus organizatum ad hoc, ut anima rationalis informet corpus, ita tale corpus requiritur, ut forma sensitiva informet materiam; sed ita requiritur ad informationem animæ rationalis, ut corpus supponatur in priori ad ipsam; ergo hoc etiam verificari debet de sensitiva. Quintò, quia incerta est divisibilitas formæ viventis brutorum perfectorum, & à quamplurimis plausibiliter negatur: ipsius autem æterogeneitas ab omnibus ferè Philosophis proscribitur, unde videtur impotens ad tribuendum esse corporeum.

Respondeo ad singula, & ad primum dico argumentum totum retorqueri posse adversus Thomistas, quia ipsi docent gradum corporis in homine haberi ab anima rationali, in aliis à diversa forma vivente, & adversus Patres societatis, quia per ipsos à diversis qualitatibus æterogeneis habetur in homine, ac in aliis viventibus. Pro omnibus itaq; dico gradum corporis esse gradum genericum, quia

in

in omnibus importat potentialitatem, & rationem subjecti.

Secundum argumentum in integrum solvitur, si semel supponamus, quod qui docet formam sensitivam tribuere esse corporeum in viventibus vegetativis, & sensitivis, docet simul talem effectum haberi ab ipsa anima, prout hæc materialis est, & æterogenea: ab anima enim prout vivens solùm habetur compositum vivens, ita ut istum duplicem effectum tribuat secundum diversam sui considerationem, & quidem cum ordine prioritatis, & posterioritatis. Hoc autem posito patet, quod non nugatione, & falsò, sed cum veritate affirmatur compositum constare corpore, & anima, quia constat forma, quæ tribuit esse corporeum, & animatum. Per quod patet in forma. Ad argumenti verò declarationem patet disparitas; ideò enim non rectè dicitur album non constare ex albo, & albedine, non quia præcisè album constituatur per albedinem, sed quia album constituitur per albedinem secundùm rationem formalem albedinis; at verò compositum non constituitur formaliter in esse corporis per animam, qua vivens est, sed qua æterogenea, & materialis.

Tertium totum retorquetur in materia de elementis, quæ quamuis definiantur in ordine ad mixtum, quod constituunt, vel per formalem inexistentiam sui, vel per virtualem, ipsorum tamen definitiu legitima communiter creditur, & defenditur. Secundò noone anima definitur in ordine ad actum, & tamen anima non ita est actus, ut rationem actus supponat, sed potius constituat, seù ut melius dicam, sit ipsa ratio actus? Pro omnibus itaque dico animam adhuc optimè definiri relativè ad corpus, quia hæc sit nobis notior, dum dicimus, quod sit actus corporis; & quia anima definitur prout forma viuens est, secundùm quam considerationem gradus corporis est quid aliud ab ipsa.

Ad quartum dico me libenter velle procedere cum ordine in quolibet viuente, sicuti cum ordine procedit natura in viuentibus rationalibus, hoc tamen sensu, ut anima sensitiua, vel vegetatiua in priori conferat ēse organicum, deinde ēse viuens, itaut ēse organicum, & ēse viuens ab eadem forma proueniant, sed cum ordine posterioritatis, & prioritatis, quod esse possibile alibi ostendam.

Ad quintum facilis est in mea sententia solutio. Doceo enim quamlibet formam viuentem, rationali excepta, in partes integrantes æterogeneas diuisibilem ēse, & ex professo hoc ostendam in materia de anima; nec ex hoc tollitur unitas specifica ab ipsa anima, ut obiicit Mastrius, cujus ratio est, quia quamuis anima sensitiua constet pluribus partibus æterogeneis, tamen hæ partes conueniunt in ratione sensitiui, & connectuntur in ordine ad faciendam unam formam totalem; sicuti per ipsum stat, quod forma corporeitatis nihil aliud sit, quàm congeries plurium partium substantialium diversæ rationis, & tamen, quod ipsa sit unica forma substantialis tribuens ēse corpori, & faciens unum per se incompletum cum ipsa materia.

Quod si denuò dicat Mastrius sententiam hanc aduersari Phylosopho primò de anima, decernenti rationem mixtionis non ēse in anima, quod idem est, ac dicere in ipsa non ēse partes æterogeneas, tum quia textu 4 & 9. docet omnem animam indivisibilem ēse; facilis est utriusque Textus explicatio, primi quidem dicendo Phylosophum solùm negavisse animam ēse compositam ex pluribus elementis; secundi verò; si affirmetur locutum fuiſse de diuisione in partes, quarum quælibet sit ipsa anima.

# DISPUTATIO
## QUARTA.
De privatione, unione, & toto composito.

## QUÆSTIO PRIMA.
*Quot sint principia corporis naturalis.*

Ut veram Peripateticorum statuamus sententiam circà compositionem Corporis naturalis, sciendum est primò partes alias essentiales esse, alias integrantes. Integrantes sunt illæ, quarum si aliqua auferatur, non destruitur totum secundum suum conceptum quidditatiuum: huiusmodi sunt in corpore humano, aures, pedes &c, quarum si aliqua auferatur, adhuc remanet homo secundùm suum conceptum quidditatiuum. Essentiales verò sunt illæ, quarum aliqua ablata non remanet totum secundùm eundem conceptum quidditatiuum. Tales sunt anima, & corpus in eodem supposito.

Sciendum est secundò generationem hic dupliciter accipi posse, primò pro conversione unius corporis in aliud v. gr. ligni in ignem, & sic accepta terminus, à quo est positiuus, quia terminus illius est, vel vetus compositum, vel forma antiqua. Secundò pro mutatione substantiali, qua subiectum formam acquirit, quam anteà non habebat, & tunc terminus, à quo est priuatio formæ. Hîc autem controversia est de generatione, prout mutatio est, seù de generatione, qua generatio est, quam inintelligibilem esse censemus, nisi intelligantur materia, forma, & privatio.

Sciendum est tertiò opus esse ad rationem principii, quod respectu rei, cuius est principium, prioritatem habeat, sivè prioritas illa sit originis, sivè temporis, sivè naturæ, sicuti ad hoc, ut forma, & materia sint prima principia, necessariò requiritur, quod non fiant ex alio, quod intelligendum esse in eodem genere, in quo res primum principium dicitur, suprà docuimus. Hoc supposito.

Dico primò principia corporis naturalis in fieri, si principia sumantur, ut quid intrinsecè constituens corpus naturale esse tantùm duo. Patet hoc, quia idem est corpus entitativè in fieri, ac in facto esse, sed in facto ēse principia constitutiua sunt solùm duo, nempè materia, & forma; ergo etiam in fieri. Si tamen fieri sumatur, prout præsefert transitum de non ēse ad ēse, tria volumus ēse, quod sic ostendo. Illa sunt principia rei naturalis in fieri, quibus præcisè positis, & intellectis, ponitur, & intelligitur res in fieri, & aliquo illorum non posito non intelligitur res in fieri; sed positis præcisè materia, & forma, & priuatione, ponitur res in fieri, & aliqua illarum non intellecta, non intelligitur res in fieri; ergò Maior est certissima, & continet universalem regulam cognoscendi principia, seù constitutiua alicuius rei. Probatur minor. Res naturalis in fieri de suo conceptu formali dicit transitum subiecti non habentis formam ad formam habendam; sed talis transitus nec poni, nec intelligi potest, non positis, nec intellectis materia, forma, & priuatione; ergò. Maior explicatione

fit evidens, nam rem fieri est formaliter ità de nouo esse, ut anteà non esset, adeoquè dicit formaliter transitum de non esse ad esse. Iste autem transitus debet esse transitus alicuius in narura præsuppositi, cum ex nihilo nihil fiat. Minor aurem ostendirur, quià ad habeodum, sive intelligendum transirum alicuius non habentis formam ad formam habendam, debet intelligi id, quod transit; & hoc est ipsa materia prima. Prætereà intelligi debet hoc, quod transit, prius carere forma; hæc autem carentia vocarur priuatio, & ulterius intelligi debet, quod transeat ad ipsam formam habendam; ergò iam ad intelligendum transitum alicuius de non esse ad esse intelligi debeot ista tria, mareria forma, & priuatio.

Dico secundo principia Corporis naturalis in facto esse, esse tantum duo, quod ostenditur. Illa sunt principia rei in facto esse, quæ in ipsa remanent post generationem, ipsamquè constituunt; sed sola materia, & forma hoc modo remanent; ergo Maior evidens est. Minor solutione eorum, quæ afferi possunt, magis fier evidens.

## CAPUT UNICUM

*Diluuntur rationes dubitandi.*

Argult primo Gassendus. Si privatio esset principium, maximè esset in linea principii, à quo; sed hoc non; ergo. Probatur minor, si esset excogitandum, & ponendum principium, seù rerminus, à quo magis propriè esset ponenda forma præexistens, nimiium forma vetus, quàm ipsa privatio; ergo priuatio ineptè dicitur principium in linea principii, a quo. Probat Antecedens Gassendus; nam magis congruum est dicere materiam transire de forma ligni in formam ignis, quàm de nõ forma ignis, ad formã ignis; nam dum intelligitur trãsitus de forma ligni ad formã ignis, explicatur magis proximè aptirudo, quam habet materia ad recipiendam nouam formam ignis, quàm dum intelligitur transitus de non igne ad formam ignis; nam eriam aqua, & lapis sunt non ignis, cum etiam in istis non sit forma ignis, & tamen ex istis fieri nequit ignis; ergo sit melius gignitur forma ignis ex ligno, sicuti melius gignitur equus ex equo, quàm forma ignis ex non ligno, & equus ex non equo, dicendum est, quod terminus, à quo sit potius furma præcedens.

Confirmat hoc argumentum Gassendus. Aristotelici docent, quod priuatio non est ens simpliciter ergo ex ipsa non potest fieri aliquod positiuum. Probatur Consequentia, primò, quia ex nihilo nihil fit: ergo si priuario nihil est, ex ipsa nihil fieri poterit. Secundò quia quamuis res antequam fiat, nihil fit, tamen ipsum non esse non potest conferre ad ipsum esse, cum principium aliquid conferat; sed si privatio esset principium, priuatio, seu non esse conferret aliquid ad ipsum esse, cum principium aliquid conferat respectu rei, cuius est principium; ergo ex ipsa priuatione non poterit fieri aliquod positiuum.

In hoc argumento quamplura dicuntur, quæ omnia perscrutanda sunt, antequam in forma fiat satis, & in primis examinandum est id, quod asseritur, nimirum magis congruum esse ponere pro termino, à quo ignis producendi formam præexistentem v. g. formam ligni, quàm non esse ipsius formæ ignis, circa quod dico verum hoc esse loquendo de generatione, prout est conuersio unius in allud, non verò prout est productio rei ex præsupposiro subiecto. Secundò falsum est, quod explicetur major aptitudo in mareria, dum dicimus ipsam transire de forma ligni ad formam ignis, quàm de non forma ignis ad formam ignis, cum potius in priori transitu intelligatur mareria impedita. Forma enim antecedens ad existentiam formæ nouæ non conducit, sed potius ei obstat, & obnititur tanquam ejus impedimentum, & proindè quantumlibet sit terminus à quo, nihilominus esse nequit principium alterius formæ, quà expellitur. Carentia verò formæ conducit ad ejus existentiam, sicuti conducit ad ipsius appetitum desideril. Ex quo patet quid in forma respondendum est.

Ad Confirmationem concesso antecedenti distinguo Consequens: ex ipsa fieri nequit aliquod positiuum, tanquam ex principio constituente ipsam in esse positiui, concedo Consequentiam, ex ipsa non potest fieri aliquod positiuum, tanquam ex principio à quo, nego consequentiam, ad cujus probarionem distinguo antecedens, ex puro nihilo à Creatura nihil fit, concedo Antecedens. ex nihilo rei, seù ex non esse rei, & ex aliquo subjecto positiuo nihil fit; nego antecedens, & distinguo Consequens, ergo ex ipsa priuatione nihil fieri potest, ex ipsa sola priuatione, concedo Consequentiam, ex ipsa priuatione, & ex aliis rebus positiuis in rerum natura præsuppositis, nego Consequentiam. Ad secundam verò probationem primæ Consequentiæ distinguo majorem, quamuis res nihil sit, tamen ipsum non esse non potest conferre ad esse per modum principii, *quod*, concedo maiorem, per modum principii, *à quo*, nego majorem. Priuatio (& in hoc stat tota equiuocatio) vel sumi potest in ordine ad compositum, quod generari dicitur, vel in ordine ad ipsam generationem compositi, uti est mutatio, si sumatur in ordine ad compositum, optimè dicit Gassendus, ipsam non posse dici principiũ, quia negatiuum nihil confert respectu rei positiuæ, tamen si sumatur respectu generationis ipsius compositi, ut muratio est, habet rationem principii, ut supra ostensum est. Sed

Instabis adhuc ex Gassendo ipsa generatio est quid positiuum; ergu ejusdem nequit esse principium ipsa priuatio. Probatur hæc Consequentia, quia compositum quid positiuum est, nequit ipsius priuatio esse principium; ergo à pari, quia generatio ipsa est quid positiuum, ipsius non poterit priuario esse principium

Respondeo, quod instantia hæc sicuti facile fuit excogitata, ita facile à nobis diluitur in forma distinguendo antecedens. Generatio est quid positiuum secundùm principale significatum, quatenus importat actionem productivam, concedo, prout importat transitum rei de non esse ad esse, subdistioguo, est quid positiuum secundùm se totam, nego, secundùm aliquam sui partem, concedo aotecedens, & nego Consequentiam. Uriquè generatio est quid posiriuum, quatenus importat ipsam actionem productiuam, quæ accidens est positiuum. Est tamen quid negatiuum secundùm aliquam sui partem, oimirum quarenus imporrat ipsum non esse rei

Arguunt secundò alii promiscuè, & primò forma antecedens in materia noo habet rationem principii; ergo nec eriam priuatio, cum non minus intelligatur transitus in ipsa noua rerum generarione de non esse ad esse, quàm de esse uoius formæ ad aliam formam.

Secundò quia priuationi non comperit essentia principii, de cujus ratione est, quod sit id ex quo, ut

ioexi-

inexistente res constituitur. Privatio autem certè, ita non est. Tertiò priuatio nequit esse principium non certè quando non est, quia ratio principii vel intrinseci, vel extrinseci expostulat existentiam in eo, quod est principium, non quando est, quia quoties perseuerat privatio formæ in materia nondum intelligitur res in fieri. Quartò quia priuatio accidentium, quæ consequuntur ad formam novam, non est principium generationis, esto adsit in priori ad productionem formæ novæ; ergo nec etiam erit priuatio ipsius formæ novæ substantialis. Quintò, & ultimo, quia pluries fit compositum oulla præcedente priuatione, uti in prima rerum generatione, & etiam dum aliquis nutritur assumpta Eucharistia, in quo casu in eodem instanti, in quo creatur materia Chyli, introducitur etiam forma, cujus tamen non præcessit carentia in materia.

Respondeo ad singula, & ad primum dico, quòd forma præcedens non per se requiritur ad generationem compositi, quod patere potest, si supponamus agens applicari materiæ nudæ omni forma, vel etiam in ipsa generatione lucidi, ubi non est forma, quæ corrumpatur. Vel etiam affirmare possumus formam antecedentem per se requiri ad generationem sub conceptu Conuersionis utrinquè positivæ, non vero sub conceptu proprio generationis propter dicta.

Secundum ut soluatur, aduertendum est priuationem dupliciter considerari. Primò relatè ad compositum substantiale, quod primò, & per se intenditur, & à natura, & à generante, secundò relatè ad ipsum fieri talis compositi. In priori acceptione utique habere nequit ratioem principii, ex quo, & hoc quia tale principium debet esse positiuum, de cujus genere non est priuatio in communiori sententia. Habet hoc tamen ipsa priuatio in secunda, cum revera constituat tale fieri, seu ingrediatur toter constitutiua transitus de non esse ad esse.

Ad tertium aliqui respondere solent, priuationem principium esse, quando ipsa non est, sed immediatè antea fuit, nec obstare volunt non existentiam, cum sustineant priuationis hoc peculiare esse, principiare non essendo, sed huic non subscribo (quam vis ipsam de Quiros firmare, vel ostendere conetur) sed communiorem exhibeo solutionem in eo stante, quod priuatio principium sit generationis in ultimo sui esse. Ad quartum disparitas est, quia ipsa accidentium priuatio non venit principaliter in ipso transitu de non esse ad esse, sed unicè de Consequenti; benè verò in recto, & principaliter intelligitur ipsa priuatio formæ nouæ substantialis.

Ad ultimum dico priuationem semper interuenire in qualibet generatione, & consequenter etiam in prima generatione rerum (si res primò productæ sint per generationem, non vero per creationem) in qua esto priuatio non præcederet tempore ipsas formas, præcederet tamen natura, cum prioritas naturæ quæ competit à materiæ relatè ad formas, sit ipsi iotrinseca, & inimpedibilis.

Ex his solutionibus hæc nouissima displicuit de Quiros, qui proinde ipsam impugnare conatur. Quid dicat præstat audire. Instat itaquè primò. Esse in priori naturæ non est aliud, quam esse simul tempore cum altero, quod ab illo, ut à causa pendeat; sed forma non dependet à priuatione, ut à causa; ergo pro illo priori licèt non intelligatur ipsa forma, quæ non est causa sui, non intelligitur privatio, sed præcisio. Secundò materiam esse in priori sine forma, oon est aliud, quam considerati per cognitionem præcisiuam non cognoscentem formam; sed hoc non facit ex parte objecti non esse formam, sicuti animal præcisum à differentia non est ex parte obiecti sine differentia; ergo. Tertiò in illo instanti temporis non est priuatio formæ, cum tunc sit forma; ergo nec pro priori naturæ. Probatur hæc Consequentia, quod enim absolutè est, in signo naturæ, absolutè est in instaon temporis, cum instantia naturæ sint partes intra illud inclusæ. Quartò quia sic etiam pro secundò instanti, & reliquis daretur priuatio formæ, nam tunc pro priori naturæ nondum intelligitur forma in materia; ex quo priuatio noo esset terminus à quo cum non recedat.

Sed nullum ex his superiorem solutionem dirimit; non quod primo loco affertur, siquidem prioritas naturæ, quà talis secundum suum conceptum genericum non dicit hanc dependentiam unius ab altero tanquam à causa; de cætero talis prioritas naturæ reperibilis est absquè tali dependentia. Nec secundum obstat. Prioritas enim naturæ est prioritas realis, non vero rationis, vel ex parte modi cognoscendi, uti patet in ipsa solis prioritate respectivè ad lucem. Nec tertium valet, siquidem in instanti temporis non est privatio lucis in Sole, cum tamen sit pro priori naturæ; undè verum non est, id, quod absolutè est in signo naturæ, esse etiam in instanti temporis. Quartum verò, & ultimum parum vrgent, nam esto in secundo instanti adhuc intelligatur in materia priuatio pro priori naturæ, adeoquè non recedat, recedit tamen, si ipsa sumatur physicè, in quo statu non est carentia sed forma. Quinimmo addo instantiam hanc ultimam etiam de Quiros urgere posse, siquidem cum priuatio in sua sententia principium sit generationis prout dicit non esse sui, atquè principium aliquod formæ, ex quo fiat, cum tale principium perseveret, nimirum materia, atquè non esse ipsius priuationis stante forma io materia, iam priuatio etiam per ipsum non esset terminus, à quo.

Arguunt ultimò alii. In tantum sunt tria principia corporis naturalis in fieri, prout fieri dicit transitum de non esse ad esse, quià nequit intelligi generatio quà talis, nisi relata tria intelligantur; sed hoc non probat priuationem ingredi in ratione principii; ergo. Minorem ostendunt, & quidem multipliciter, primò: ex quo intelligi nequeat compositum absquè unione unio non habet rationem principii. Secundò esto generatio intelligi nequeat sine agente, tamen agens non est eiusdem generationis priocipium. Tertiò esto totum compositum intelligi nequeat, quin implicite intelligatur subsistentia, subsistentia tamen non habet rationem principii. Quartò esto finis non moueat in actu secundo nisi ut cognitus, tamen cognitio non habet rationem virtutis motiuæ. Quintò, & vltimò, esto essentia non habeat rationem medii, in quo relatè ad possibilia, nisi sub respectu Ideæ, vel omnipotentiæ tamen omnipotentia, & idea in nostra sententia noo constituunt ipsam rationem medii, in quo, sed unicè se habent per modum puræ applicationis; ergo hoc idem affirmari poterit loquendo de priuatione, & ratio totius est, quià aliquod aliquando contingit intelligi non posse absquè alio ex puro defectu conditionis.

Respondeo concessa maiori negando minorem, quæ sufficienter non suadetur per singula, quæ subsequuntur; non per primum, quia unio est pura ratio formalis, qua principia constituunt in actu secundo, non verò principium, non per secundum,

quia

quia esto generatio conc ipi non possit conceptu negatiuo absque agente, tamen concipi potest conceptu abstractiuo, & præcisiuo, ita ut generatio concipiatur non attendendo ad agens, at verò nullo modo generatio concipi potest absquè priuatione sub conceptu generationis, ut optimè aduertit hic Frassen. Non per tertium, subsistentia enim, vel consistit in negatiuo, adeoquè ingredi nequit intus constitutiua rei in facto esse, vel supponit naturam iam completè constitutam. Non per quartum, quià cognitio est pura conditio intrinseca ad finalizandum, quod indè patet, quià præcisivè ab ipsa intelligitur res ipsa, ut potens mouere, & allicere voluntatem. Non tandem ultimum urget, quia respectus ideæ, & omnipotentiæ supponunt in priori essentiam infinitam in linea intelligibili, & representatiua, undè nil mirum, quod unicè requirantur per modum puræ conditionis, & applicationis nectentis eamdem essentiam cum possibilibus; at verò in priori ad priuationem generatio qua talis perfectè non intelligitur, ut speculanti patebit.

## QVÆSTIO SECUNDA,

*In quo formaliter consistant privationes, & negationes.*

POst brevem discussionem eorum, quæ principia sunt corporis naturalis, accedimus recto ordine ad aliorum examen, quæ sub hac disputatione proponi solent, & primum, quod in controversiam vocamus, est de privationibus, in quo formaliter consistant quærendo. Circa quam non unica reperitur sententia. Prima vult privationes, & negationes esse entia rationis, sic Pereyra, Sotus, Averoes, & D. Thomas *quæst.* 21 de veritate, & ex nostris Dosius *art. 5. quæst 3. libro suo de physico auditu*. Secunda sententia vult esse formaliter aliquod positivum; huius Auctores inter se dissident. Aliqui enim volunt esse res ipsas possibiles; alii verò easdem res possibiles, sed prout istæ connotant volitionem, vel nolitionem divinam; alii verò esse formam absolutam positivam oppositam rei, quæ non est; alii verò esse ens abusivum; quidam verò esse aptitudinem realem subjecti ad formam, qua caret, & aliqui tandem stant pro ente relativo. Ultima tandem sententia sustinet privationes formaliter esse à parte rei contra primam sententiam, non verò formaliter esse aliquod in esse entis. Ita Scotus, Cajetanus, Molina, Suarez, Conimbricenses, Arriaga, & alii. Hanc ultimam sequor, quam expressè sequitur Doctor in Summa *art* 25. *quæst.* 2. hæc scribens *Errabant enim Manichæi credendo privationes per se existere, & causari, & habere causas positivas, sicuti, & habitus habent Errabant enim quærendo, unde esset malum, non prius quærendo, quid est malum. Prius enim quærendum est, quid sit malum, deinde unde sit, ut invento, quod non sit natura aliqua, non quæratur ei efficiens causa, sed deficiens.*

### CAPUT PRIMUM.

*Privationes formaliter, & negationes nihil sunt, & non sunt entia rationis.*

PRimò hoc medio conclusio suadetur. Illa sententia verior censenda est, qua facilius redditur negabilis sententia Manichæorum reprobata à doctissimis viris Augustino, Henrico, & aliis, atqui admissa ultima sententia relata redditur negabilis Manichæorum sententia; ergo. Major liquet, ideò enim aliqui sustinent extra nostram Scholam omnipotentiam non connexam cum possibilibus: alii verò possibilitatem replicationis circumscriptivæ, quia existimant sic facilius intelligere omnipotentiam, ut perfectissimam, & possibilitatem replicationis definitivæ, quæ in Sacramento Altaris de fide tenenda est. Probatur itaque minor. Vi illius sententiæ facilius reprobatur talis hæresis, vi cujus tollitur malo, qua malo omnis sui causa effectiva; sed juxta hanc sententiam, quæ à nobis propugnatur tollitur respectu mali omnis causa effectiva; ergo. Probatur minor, vi illius sententiæ tollitur omnis causa realis effectiva in ordine ad privationes, vi cuius ponitur in effectu incapacitas, ut producatur; sed sententia ponens privationes, & negationes nihil esse in ratione entis, ponit in privationibus talem incapacitatem; ergo. Minor liquet, cum productio primò terminari debeat ad aliquid.

Probatur secundò. Inter formam, & ejus privationem intervenit oppositio contradictoria; ergo privatio erit purum non ens; antecedens liquet, dummodo forma, & privatio sint in eodem subjecto pro eodem instanti temporis, vel naturæ. Probatur itaque consequentia, oppositio contradictoria solùm potest intercedere, nisi inter ens, & non ens, non verò inter duplex ens positivum; ergo.

Probatur tertiò evertendo simul alios dicendi modos. Privatio nequit consistere in decreto Divinæ voluntatis, neque in forma positiva incompossibili cum re, quæ non est, neque in aliquo ente diminuto, æterno medio inter ens rationis, & reale simpliciter; ergo de formali importabit purum nihil Probatur antecedens per partes cum ordine; & primò, si sublato quolibet decreto adhuc intelligeretur formaliter privatio, jam formaliter privatio non desumitur à decreto; atqui de facto sublato quolibet decreto habentur privationes formaliter; ergo. Major præcontinet regulam universalissimam in tota Philosophia, & Theologia. Probatur itaque minor, si in Deo nullum esset decretum, nec de re positivè futura, nec de re non futura, quod fieri posse affirmo, liberè enin decernit Deus positivam rei futuritionem, & negativam futuritionem, res illa non esset futura; non enim potest transire ad futuritionem absque decreto, cum hoc sit causa efficiens futuritionis; ergo esset non futuritio; ergo privatio futuritionis, cum supponam subjectum capax futuritionis; ergo. Nec desumi potest à forma aliqua positiva, nam hæc vel est ens reale simpliciter in linea existentiali, vel ens diminutum; neutrum affirmari potest; ergo. Probatur minor per partes, & in primis primum dicere nequeunt adversarii, quia mundi præsentis ab æterno erat privatio existentiæ, cum tamen ab æterno, nulla esset forma creata existens; si verò sermo sit de ente diminuto, contra est, quia hoc ens diminutum, quemadmodum non recognoscimus pro constitutivo possibilitatis rei contra Scotistam Pontium, & alios Scotistas, nec pro formali distinctionis formaliter inspectæ, ita nec negationis, & privationis; alias non salvaretur oppositio contradictoria inter ipsam, & formam; tum quia cum hoc ens diminutum non possit esse ens rationis, debet enim tribuere denominationes reales, deberet esse aliquod ens reale importans falsam actualitatem essentiæ, adeoque cum ab æterno sint hæ privationes, ab æterno quoque esset creatura habens veram, & realem actualitatem essentiæ extra Deum, quod erroneum esse advertunt

tunt

sunt Auctores quamplurimi contra quosdam, inter quos ausi sunt aliqui adscribere solemnem Doctorem; sed quam falsò videri potest in Logica.

Dices tertiam hanc rationem peccare, quia formas omnes non enumerat, in quibus residere potest privatio; affirmari enim potest ipsam consistere in re possibili, qui modus dicendi diversus est ab impugnatis; sed

Contra est, siquidem ideò hæc sententia à me superius non fuit impugnata, quia omninò recedit à vero, ut optimè ante me adverterat Pater Compronius. In Chimera enim de facto est negatio existentiæ, cum tamen hæc non sit possibilis, præterquamquod privatio, & pura impossibilitas important diversas conceptibilitates; Res enim qua possibilis dicit de formali non repugnantiam ad existendum; privatio verò de formali carentiam existendi, vel alicuius formæ, vel termini.

Ultimò tandem ostenditur conclusio, & præcipuè contra eos, qui dicunt formaliter privationes, negationes esse ens rationis. Si privatio detur secundum suam rationem formalem independenter ab opere intellectus, jam formaliter non est ens rationis; atqui sic datur; ergo. Probatur minor, privatio formaliter est remotio formæ, vel alicujus gerentis munus formæ à subjecto capaci; atqui à parte rei inveniuntur plures remotiones formarum realium à subjectis capacibus rales formas habendi; ergo. Probatur minor, de facto enim aqua in suo esse naturali caret forma caloris, cujus tamen est capax, & materia caret quamplurimis formis, tam substantialibus, quàm accidentalibus, cum tamen capax sit ipsas habendi.

Confirmatur primò hæc ratio. Quoties invenitur aliquod constitutum, quod secundùm se totum reale sit, & constitutiva sic se habere necesse est; atqui oppositio relativa, quæ est veluti totum constitutum, realis est, ergo erunt & extrema ipsum constituentia; atqui inter hæc extrema ingreditur ipsa privatio, & quidem formaliter; ergo hæc erit realis.

Confirmatur secundò. Quælibet generatio compositi est vera generatio realis, nullo enim opere interveniente intellectus, res aliqua generat, altera non generatur. Generatio enim est causalitas physica, quæ certè realis est; ergo etiam principia omnia concurrentia ad ipsam generationem oportebit esse realia. Patet hæc consequentia, quia generatio nil aliud est præter sua principia, adeoque si principia non sunt realia, nec erit realis generatio ipsa; atqui privatio principium est corporis naturalis, & quidem constitutivum ipsius transitus de non esse ad esse; ergo erit realis, & quidem formaliter sumpta, cum solum, qua talis sit principium distinctum à cæteris, & opposita principio formali. Quod si dicas privationes, & negationes membra esse dividentia ens rationis, adeoque ejus naturam participare; memineris verum hoc esse posse, si tamen ipsas accipias, prout substant secundis intentionibus; sed sit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes dubitandi.*

Arguunt primò. Purum nihil nequit esse melius, & perfectius re positiva; atqui aliquando evenit negationes perfectiores esse, adeoque quid melius re positiva; ergo. Probatur minor, melior est negatio peccati, odio Dei; sed odium Dei est quid positivum, cum sit actus divinæ voluntatis, quo se avvertit à Creaturis; ergò. Huic argumento plausibilis solutio est, quod negatio illa peccati sit melior solum in ordine morali, non verò in esse physico, in quo solum habet rationem puræ negationis; in esse enim morali præfert aliquod positivum, quamvis per modum connotati, sed hac solutione omissa aliam do, & ea est, quod negatio peccati in re non est vera negatio, siquidem negatio negationis quid positivum est, sed peccatum qua tale est pura negatio, cum formaliter sit defectus; ergo negatio peccati non erit propria negatio, sed quid positivum; ergo non sequitur, quod pura negatio sit quid nobilius re positiva.

Arguunt secundò. Semel posito, quod privationes nihil sint, hæ propositiones *Petrus nunc currit*, *Petrus nunc non currit*, non essent contradictoriæ; sed verè sunt contradictoriæ; ergo. Prob sequela. est contradictorium natura, quod sint de eodem, objecto; atqui si privationes nihil, sint prædictæ propositiones, non essent de eodem objecto; affirmativa enim versaretur circa entitatem positivam; altera verò circa negationem; ergo.

Respondeo, omissa quamplurium solutione, qui distinguentes objectum directum ab indirecto, & pro objecto directo assignantium in propositione negativa negationem cursus, pro indirecto verò cursum ipsum, dicere solent affirmationem, & negationem, ut opponantur contradictoriè sufficere, si sint de eodem objecto indirecto, vel directo; argumento occurrere possumus, advertendo ipsum etiam urgere afferentes negationes, & privationes consistere in forma positiva, vel abusiva, siquidem hoc dato adhuc recensitæ propositiones non haberent idem objectum. Affirmativa enim respiceret cursum, negativa verò tale ens abusivum, in quo per istos Auctores stat formaliter negatio. Pro omnibus ergo in forma dico, quod ad oppositionem contradictoriam requiritur, quod sit idem objectum utriusque actus affirmativi, nimirum, & negativi, ita tamen ut per unum actum ponatur; per alterum verò removeatur. Quod totum salvatur etiam in casu nostro.

Arguere possunt tertiò alii promiscuè: & primò priuationes formaliter habent suam essentiam, cum formaliter definiantur, de illo autem esse nequit definitio, in quo non est essentia exprimenda; ergò jam erunt ens saltem nominaliter. Secundò habent etiam proprietates entis positiui. Quælibet enim carentia est cognoscibilis, amabilis, & distincta ab alia. Carentia enim lucis distinguitur à carentia soni. Tertiò priuatio est principium generationis naturalis, tanquam terminus, à quo; sed generatio realiter non est ex nihilo, quia ex nihilo nihil, etenim si esset ex nihilo, esset creatio; ergò priuatio in ordine entium naturalium non est purum nihil. Quartò purum nihil in ordine reali est pura negatio entitatis; sed priuatio non est pura negatio, sed ulterius explicat realem aptitudinem in subjecto, quod priuatio respicit sub ratione apritudinis; ergo non est purum nihil. Quintò negatio identitatis non distinguitur à positiuo, quod constat, primò, quia. Petrus se ipso distinguitur à Leone; ergo se ipso non est Leo, nec identificatur cum Leone; ergo superflua est illa negatio. Secundò quia alias in qualibet re tot essent negationes identitatis, quot res possibiles & impossibiles fingi possent. Tertiò quia ipsa entia negatiua se ipsis distinguuntur, nam carentia Petri non est carentia Pauli, quam distinctionem non habet per aliam carentiam, alias esset processus in infi-

infinitū; ergò similiter negatio existentiæ rei non erit purū nihil, sed erit indistincta ab ente positiuo. Sextò, quia Deus est vera causa priuationis, cum certè per suum decretum ipsam ponat, decreuit enim non existentiam Antichristi pro tempore præsenti. Septimò, quia daretur infinitum in actu, cum dentur infinitarum rerum priuationes distinctæ, in quo non est minor difficultas, quàm in infinito positiuo. Ultimò tandem, quia per nos contra Cardanum, si calor esset pura carentia frigoris, & frigus esset pura carentia caloris; ergò etiam si tenebræ sunt pura lucis carentia, etiam hoc idem affirmare possemus de Luce.

Respondeo, nihil esse ex dictis, quod positam, & ratione firmatam veritatem eneruet, si primum excipiatur, quod difficultatem validam continere non nego, cui ut aliqui occurrant, dicere solent definitiones, quæ communiter circumferri solent de priuationibus, & negationibus nō esse essentiales, sed solùm descriptiuas, uti sustinent Conibricenses; at solutio hæc inefficax est, quia definitiones, quæ cōmuniter exhibentur loquendo de negationibus, & priuationibus, recipi solēt tanquā essentiales, & revera ita sunt, cum non esse in subjecto apto, sit vera priuationis essentia. Congruentius ergo existimo argumento occurrere, asserendo priuationes propriè definiri, & quidem per formam, dicendo, quod priuatio sit absentia formæ, à qua sicuti habet desumere unitatem, & distinctionem, ita etiam definitionem.

Ad secundùm dico relatas proprietates esse transcendentales, adeoquè conuenientes etiam puro nihilo, maximè in sententia nostra. Volo enim distinctionem formaliter consistere in puro negatiuo. Tertium vero, quod affert Ruvius, patui roboris est, quapropter de facili respondeo dicendo generationem utiquè esse non posse ex puro nihilo. Generatio autem esto esset ex nihilo, quia esset ex priuatione, esset tamen ex quamplurimis aliis positivis uti ex materia, & forma, quæ sunt entia positiva. Ad quartum concedo priuationem ulterius dicere aptitudinem in subjecto, sed hoc venit in obliquo, non in recto; in hoc venit tantùm purum non esse formæ. Quintum vero non facit ad rem; negatio enim identitatis sufficienter distinguitur à positiuo, nec oppositum sufficienter ostenditur per primum, quod opponitur, quia esto Petrus seipso distinguatur fundamentaliter, & originaliter à Leone, non tamen formaliter, nisi per ipsam negationem identitatis, uti in Logica dictum est, non per secundum, quia non est undè superfluæ sint tot negationes, quot sunt res possibiles, quemadmodum enim quælibet res possibilis ab altera distinguitur, ita quælibet negationem hanc identitatis importare debet tanquam formalem rationem distinguendi; nec urget paritas desumpta ex distinctione intercedente inter purè negatiua; cum hæc soluta remaneant in Logica in hac Controuersia.

6. Ad sextum dico Deum eo modo causare negationes, quo ipsas cognoscit, cum autem dignoscat non directè, sed indirectè, uti diximus alibi, ità indirectè causat, nimirum nolendo res ipsas esse. Ad septimum vero ommissa solutione eorum, qui volunt per vnicam negationem res omnes possibiles non esse, dico infinitum hoc categorematicum non sequi, & ratio mihi solida est, quià pro eo signo intelligitur priuatio, pro quo res est capax existentiæ, cum autem res capaces non sint existendi per unicam integram collectionem, sed per plures nunquam deveniendo ad ultimam productionem, ità priuationes possibiles erunt solum infinitæ syncategorematicè, non vero categorematicè.

Ad ultimum disparitas est, quià non est potior ratio asserendi unam ex relatis qualitatibus esse aliquod negatiuum, & non aliam, at verò adest potior ratio hoc affirmandi potius de tenebris, ac de luce cum hæc, & non tenebræ se habeant ut forma.

Arguunt ultimò Defensores primæ sententiæ. Privatio est carentia alicuius formæ à subiecto apto ad illam habendam; sed talis carentia non est ens reale, sed potius negatio entis realis; ergò priuatio non est ens reale, sed rationis.

Respondeo in primis, quod si aduersarii velint priuationes, & negationes esse ens rationis, vel quatenus assumuntur virtute intellectus ad esse predicati, vel subiecti, ut si diceremus cæciras est priuatio visus, in qua propositione cæcitas subest secundæ intentioni habens aliquod, quod ipsi convenire solum potest opere intellectus, ut est esse subiectum, vel esse cognitum, libenter do ipsis, in quo sensu loqui aliquando Diuum Thomam docet Collegium Conibricense; at tunc extrà difficultatem sumus, cum hic sermo sit de priuationibus, pro ut dicunt meram Carentiam formæ: dum autem dicitur, quod talis carentiam non est ens reale, dico hoc verum esse summendo ens reale, pro ut importat ens positiuum, falsum tamen si intelligatur, pro ut est præcisè remotio formæ à subiecto apto.

## QVÆSTIO TERTIA.

*Vtrum detur unio physica inter extrema per modum entitatis modalis superadditæ.*

POst solutam superiorem difficultatem inquirendum est hic, quomodo extrema Constitutiva totius physici inter sese uniantur ad efformationem compositi, an videlicet media aliqua forma modali superaddita, vel ab hac præscindendo per aliquid aliud. In quo negotio duæ præcipuæ sunt sententiæ. Prima uult omnem modum superadditum superfluum esse ad copulandam materiam cum forma, & vicissim. In hac sunt omnes antiqui, & Recentiores Atomistæ, quos non vacat referre docentes ipsam unionem physicè acceptam esse partes ipsas, ut se inuicem habentes, esto deindè abstractiuè, vel metaphysicè sit accidens. Huic adhæret Thomistica schola, dumodo excipiantur Patres Complutenses *libro primo physicorum disp: 6. quæst:* 2. cūes Illustrissimi Episcopi Petrus de Godoy *tract:* 2. de incarnatione *disp:* 10. *quæst* 2. *§* 4. Araviol, & Herrera.

Secunda sententia huius modi supperaddiri ponit necessitatem. Sic Scotus *in* 3. *disp.* 1. *quæst.* 1. *§* de, primo, Suarez primo *Tomo* 3 *parte disp.* 8. *sect* 2. Vasquez Tomo primo 3 *parte disp.* 16 *cap.* 1 Oviedo Arriaga, Hurtado, aliique quamplures. Quid autem sit hæc unio dissidium est inter auctores hanc acriter propugnantes, siquidem Gabriel uult unionem esse entitatem absolutam, & accidentalem. Scotus vero loco allegato uult esse simplicem relationem, quod inde constare dicit, quia intelligi nequit aliquid unitum, quin etiam intelligatur, cui sit unitum, quam relationem esse extrinsecus advenientem communiter propugnant ex Scotistis Mastrius disp. 1. *de Incarnatione quæst.* 2 *art* 3. Petrus à Sancta Catherina *lib.* 1 *Physicæ disp.* 5 *quæst.* 1. aliique. quotum, ratio est, quia denominatio uniti non resultat expositione fundamenti, & termini: pos-

sunt enim existere materia, & forma, quin uniantur; sed solùm provenit ab aliquo extrinseco videlicet ab actione agentis. Sed quidquid sit de hoc litigio apud hujusmodi modi defensores, unionem supperadditam sustineo, & hanc in decursu controversiæ explicabo, ut cessent tandem Atomistæ Recentiores affirmare difficultatem hanc, & maximè de unione corporis, & animæ fore Peripateticis vix explicabilem.

## CAPVT PRIMUM

*Defenditur unio superaddita.*

SEntentiam hanc consonam esse Henrico res omnino certa est, viderique potest noster Magister Ventura; an autem hoc etiam inhærendo rationi clarum, & evidens sit, hoc est, quod in præsenti tractandum est, quod ut validè fiat, sic primò sententia affirmatiua ostenditur. Si præcisiuè ab unione superaddita possent extrema uniri, vel hoc eveniret per ipsa extrema, vel per dispositiones in materia introductas, vel per intimam præsentiam, vel per actionem productiuam, uno verbo per connotata, sed nullum ex his affirmari potest; ergo. Minor ostenditur quoad omnes sui partes, & in primis uniri non possunt extrema per se ipsa; hæc enim ex se sunt intrinsecæ indifferentia ad uniri; nec per dispositiones; hæc enim tollunt unicè indifferentiam. quæ erat in materia ad disponi, ad talem numero formam, non vero indifferentiam formalem ad uniri; non per intimam præsentiam, quia hæc adest inter materiam ligni *A*, cumpenetratam cum forma ligni *B*, supposito quod lignum *A*, & lignum *B*, sint compenetrata, cum tamen non adsit unum per se; nec esse potest actio eductiua, quia hæc nequit dare denominationem permanenter uniti, sicuti in simili docent Thomistæ, quod actus dilectionis proueniens ex motiuo Charitatis nequit permanenter formaliter iustificare, quia ipsa forma transiens est, sicuti transiens est actio eductiua.

Dices uniri posse per actionem eductiuam permanentet non obstante, quod sit forma transiens, sicuti peccatum actuale constituit hominem habitualiter peccatorem, & in statu peccati, esto transiens sit. Sed

Contrà est, peccatum enim constituit hominem habitualiter peccatorem per imputationem, & moralem quamdam informationem, vel perseuerantiam, unde quandiu moraliter permanet in eo peccatum transactum, & ei imputatur, tamdiù dicitur esse in statu peccati: at unio non sic unit, sed per veram, ac physicam inherentiam, ac proindè dum realiter non est, unire nequit.

Secundò, quia potest Deus producere formam ligni, & deindè ipsam conseruare extra materiam, in quo casu esset actio productiua, & tamen nō esset unio; ergò actio productiua nō est sufficiens ad uniēda extrema. Tertiò, quia prius est, quod extrema producantur, quam uniantur; ergò formaliter uniri non poterunt per eamdem actionem: antecedens liquet, cum enim prius sit extrema esse, quam uniri (quæcumquè deindè sit hæc prioritas) à forriori prior erit productio, quam unitio, cum productio sit in priori ad ipsum esse rei productæ. Hæc ratio mihi efficax est, qua utar pariter in materia de Incarnatione ad firmandum productionem humanitatis assumptæ à Verbo, nullatenus posse esse unionem ejusdem humanitatis cum eodem.

Secundò ostenditur Conclusio. Illa, quæ possunt separari, realiter distingnuntur; sed materia, & forma possunt separari ab unione, ut in morte hominis, in qua perit unio inter animam. & corpus remanentibus anima, & corpore; ergò unio compositi substantialis est aliquid ab utroquè extremo adequatè, & realiter distinctum.

Huic argumēto respondet Illustris Petrus de Godoy dicendo ipsum habere manifestissimā instantiā in nostra sententia, nam duratio non distinguitur realiter à re durante, & tamen potest esse res, & non durare, item relatio non distinguitur realiter à fundamento, & tamen fundamentum potest existere non existente relatione. Sicuti ergo non obstante identitate durationis cum re durante, relationis cum fundamento, adhuc fundamentum, & res possunt existere non existente duratione, & relatione, ità à pari non obstante identitate extremorum cum ratione uniendi, poterunt existere extrema, quin sint unita. Quibus retorsionibus addit extrema esse separabilia ab unione, non quoad entitatem, sed solum quoad connotationem, hoc est extrema in tali casu non denominarentur unita, non verò quod intelligatur defectus alicuius entitatis realis, vi cuius extrema denominarentur vnita. Sed

Contrà est, & in primis Instantia nullius roboris est, nam falsum est, quod duratio non distinguatur à re durante; eodem enim penitus fundamento, quo asserimus unionem distingui ab extremis, dicimus, & durationem distingui à re durante, & relationem à fundamento remoto. Secundò quià dum deficit unio, deficit entitas realis, sed hoc ipso sunt extrema separabilia ab unione quoad entitatem; ergò unio est aliquid entitatiuè distinctum ab ipsis extremis. Probatur maior, dum extrema uniuntur, aduenit noua entitas realis; ergò dum deficit, deficit noua entitas realis; Consequentia patet paritate rationis. Probatur Antecedens; dum advenit unio inter materiam, & formam, advenit noua denominatio physica; nam denominatio uniti est physica; sed noua physica denominatio nō saluatur absquè noua entitate reali; ergò Secundò dum desinit res esse in tali numero loco non deficit pura denominatio realis, sed insuper importatur defectus novæ entitatis realis; ergò à pari dum deficit noua denominatio uniti, importatur defectus nouæ entitatis. Probatur hæc consequentia, sicuti res transit de esse in loco tad non esse in loco, ità extrema transeunt de unitis ad non esse unita, sed primus transitus importat corruptionem superadditæ entitatule; ergò & secundus.

Respondet secundò magister Cauinus in separatione Animæ à Corpore non perire unionem, quæ erat ratio uniendi animam cum Corpore; & hoc quià & si sit separata Anima rationalis à Corpore, nunquam materia manet destituta omni forma; perseverante autem aliqua forma, quam habeat vnire, perseverare poterit etiam unio. Sed

Contrà, hæc solutio noua mihi videtur, & insubsistens, si enim remaneret eius unio, anima esset simul separata, & non esset, esset, ut supponitur, non esset verò; nam non alio modo separatur, quam dum destruitur eius unio, cum autem stante huius Thomistæ solutione hæc non destruetetur, iam non esset separata. Secundò quià unio illa, qua materia est unita tali determinatæ formæ, est etiam essentialiter affixa etiam tali formæ; ergò hac deficiente non poterit perseverare; estò aliæ succedant formæ.

Hanc

Hanc secundam solutiooem prævideras magister Cavinus, qua propter respondet utique unionem, quæ sit modus ità essentialiter affixam esse extremis, quæ unit, ut illis deficieotibus deficiat, secus verò, si loquamur de unione, quæ sit identificata cum extremis, uti in casu. Sed

Contrà est primò, quià unio, quæ est inter extrema non est unio, quæ sit identificata cum extremis; ergò est unio, quæ sit modus; sed unio, quæ sit modus deficere debet deficient uno ab extremis; ergò ad defectum unius formæ debet & ipsa deficere. Probatur Antecedens, si unio esset identificata cum extremis, non possent extrema existere, quin essent unita; sed possunt existere, quio sint unita; ergò. Probatur sequela primò, nequit ratio formalis uniendi extrema existere, quin talia extrema sint unita; ergò si ratio formalis uniendi sit identificata cum extremis, non poterunt existere, quin sint unita. Secundò posita causa formali indispensabiliter ponitur etiam eius effectus formalis, nisi aliquid obstet; sed unio est ratio formalis vniendi, ergò si hæc semper esset identificata cum extremis, deberent extrema semper existere unita. Tertiò quia extrema suot ratio formalis uniendi in actu primo, seù quià per se ipsa sunt unibilia, nequeunt existere, quin sint talia; ergò si pariter per se ipsa essent ratio actualis uniendi, nequirent existere, quin actualiter unirentur. Quartò si corpus esset ratio essendi in loco determinaro actualiter per se ipsum, formaliter non posset tale corpus existere, quin esset in tali determinato loco; ergò hoc idem affirmandum esset de extremis. Quintò, unio, quæ sit modus deficere debebit ad defectum unius ex extremis; ergo unio, quæ sit identificata cum extremis, deficere debebit altero illorum deficiente. Patet Consequentia siquidem ea est identificatorum oatura, ut uno deficiente, & aliud deficiat. Vltimò tandem, quià hoc est, quod controvertitur, nimirum utrum unio sit identificata cum extremis, unde respondetur per illud idem, quod est in quæstione. Nimis falsa itaquè est huius Thomistæ solutio.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta opposita.*

Arguuot primò Communiter Thomistæ. Illa est ratio formalis uniendi, quæ est formalis ratio actuandi, & recipiendi, sed materia, & forma se ipsis sine aliquo realiter superaddito sunt formalis ratio actuandi, & recipiendi; ergò se ipsis immediatè uniuntur absque modo superaddito. Maior certa est, nam in tantum uniuntur, in quantum una recipit, & altera actuat; ergò quod est ratio formalis actuandi, & recipiendi erit formalis ratio uniendi. Minor verò probatur, quià materia se ipsa est essentialiter potentia, & forma ipsa est essentialiter actus; ergò.

Argumentum hoc sumpserunt Thomistæ ab Angelico Præceptore prima parte, in qua hæc lego. *Forma autem per se ipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec det esse per aliquod medium*; nihilominus occurro advertendo argumentum hoc suos convincere contradictionis Auctores; nam si materia, & forma se ipsis essent ratio formalis actuandi, & recipiendi absque ullo modo superaddito, cur deinde ipsi exigunt actionem productivam, dispositiones in materia, & alia connotata, quæ omnia sunt aliquod superadditum extremis. In forma distinguo majorem, illa est ratio formalis uniendi, quæ est ratio actuandi in actu secundo, concedo majorem, taotùm in actu primo, nego majorem, & distinguo minorem; sed materia, & forma se ipsis sunt ratio actuandi, & recipiendi in actu primo, concedo minorem, in actu secundo, nego minorem; distinctio omnibus obvia est; sed

Instat quidam Recentior Thomista. Materia, & forma sunt ratio formalis uniendi in actu primo; ergo etiam in actu secundo. Probatur consequentia: in quolibet genere causæ ab eodem principio sumitur potentia ad agendum, & ipsum exercitium; ergo si sunt ratio uniendi in actu primo extrema per se, & hoc erunt in actu secundo.

Respondeo falsum esse, quod in quolibet genere causæ ab eo, à quo desumitur potentia ad agendum, desumatur, & exercitium, siquidem in linea causæ efficientis causalitàs in actu primo habetur ab entitate rei, quæ habet rationem causæ; causalitas verò in actu secundo ab ipsa actione productiva realiter distincta à virtute causæ.

Arguit secundò idem Magister Cavino. Materia prima, nec de potentia absoluta potest esse sine forma; ergo unitur illi absque modo superaddito. Probatur hæc consequentia, quia duo alba nequeunt esse, quin unum actu referatur ad aliud, sequitur, quod relatio sit indistincta ab illis; ergo quia materia, nec de potentia absoluta potest esse actu sine aliqua forma, sequitur, quod per se ipsam uniatur.

Confirmatur hoc, sicuti non stat extrema relationis esse simul coexistentia, & non esse actu relara, ita non stat esse simul extrema unionis, & actionem productivam, vel omnia connotata, & non esse actu unita; oportet enim assignare omnia, si velimus formam non solùm entitativè, sed etiam denominativè; ergo sicuti hac ratione, quia existentibus omnibus connotatis relationis non stat non esse actu relationem, arguitur illa indistincta, argui pariter debebit, & indistincta unio.

Respondeo dupliciter argumento principali, & in primis negando antecedens, quod in sententia Henrici est penitus falsum, nam materia de potentia absoluta potest esse sine omni forma, cum existat propria existentia, non verò existentia formæ. Secundò omisso antecedenti, dico non valere consequentiam, siquidem in plausibili sententia nequit res existere, nec de potentia absoluta, quin sit in aliquo loco, & tempore, & tamen habet esse in loco, & tempore per ubicationem, & durationem superadditam; unde ex quo non possit esse materia, quin sit unita formæ, tantùm sequitur, quod adsit connexio cum ipsa forma, non verò quod per ipsam uniatur, sicuti ex eo quod non possit esse res aliqua, nisi cum aliqua ubicatione, tantùm sequitur connexio essentialis, non verò quod per se ipsam sit ratio essendi in loco.

Dices ideò ad hoc, ut res transeat de uno loco io alium requiritur ubicatio superaddita, quia tunc intelligitur transitus de concreto unius generis ad concretum alterius (idem dicunt Thomistæ de relatione). Transitus autem de genere ad genus importat novam realitatem; cum una realiras utpotè finita, & limitata non possit constituere duplex concretum diversi generis; at verò dum extrema transeunt de non unitis ad unita, està transeant de una denominatione ad aliam, tamen non est transitus de uno genere ad aliud genus; unde non debet advenire, oec perire aliquid entitativè, sed tan-

tantùm connotativè, & denominativè. Sed

Contra eſt: ſiquidem hæc ſolutio, quæ eſt familiariſſima in Schola D. Thomæ, nullatenus argumentum ſolvit, nam neceſſitas novæ formæ ſuperadditæ non oritur ad ſalvandum tranſitum de uno genere ad aliud genus, ſed ad tollendam phyſicam indifferentiam, quæ eſt inter duo; ſic neceſſitas ubicationis ſuperadditæ provenit ex eo, quia tam corpus eſt indifferens ad eſſe in loco *A*, quàm locus *A* ad recipiendum determinatum corpus; ſed etiam materia eſt indifferens ad recipiendam hanc, vel illam formam determinatè, quamvis determinata ſit ad eſſendum ſub aliqua forma; ergo.

Contra eſt ſecundò, ſiquidem, ut optimè loco ſuperius relato advertit etiam Illuſtriſſimus Petrus de Godoy, realis diſtinctio non deſumitur, vel ex diverſitate prædicamentali, vel ex diverſitate concreti, ſed ex ſeparabilitate reali, vel mutua, vel non mutua; atqui ſeparabilitas non mutua inter fundamentum, & relationem, quatenus perſeverare poteſt fundamentum deficiente relatione, facit, quod relatio ſit entitas modalis ſuperaddita fundamento; ergo quoque ſeparabilitas extremorum ab unione efficiet, quod ipſa extrema ſint realiter diſtincta ab unione.

Contra eſt tertiò, non alio capite aſſeritur ſubſiſtentia realiter ſtrictè diſtincta à natura, niſi quia in Chriſto videmus naturam humanam à propria ſubſiſtentia ſeparatam; ergo, cum etiam extrema ab unione aliquando ſeparentur, profectò ab unione erunt diſtincta.

Contra eſt ultimò, ſupponendo in primis quandam doctrinam ejuſdem M. P. Cavino docentis denominationem uniti non eſſe denominationem purè abſolutam, ſed veluti terminatam, quatenus unio terminatur ad extrema, quæ denominat unita. Hoc autem ſuppoſito ſic arguo; dum extrema tranſeunt de abſolutis ad eſſe relata, de non eſſe in loco ad non eſſe in loco formaliter requiritur modus, & hoc, quia in tali caſu eſt tranſitus de uno genere ad aliud genus, vel de una denominatione ad aliam diverſi generis, ſed etiam hoc idem intervenit, dum extrema uniuntur, habetur enim tranſitus de denominatione purè abſoluta ad denominationem terminatam, cum unio ſit denominatio terminata; ergo pariter importatur nova entitas ſuperaddita.

Ut confirmationi autem argumenti propoſiti occurram, quæro an inter iſta connotata ingrediatur unio ſuperaddita, vel non; ſi ingreditur, habemus, quod quærimus; ſi non, quæro ulterius, an hæc connotata ſint eadem, quæ ſupra fuerunt enumerata, vel alia, ſi alia, adducantur, ſi eadem, jam fuit reſponſum, cum à me oſtenſum eſt, nec per ipſa haberi unitum formaliter permanenter.

## CAPUT TERTIUM.

*Solvuntur quædam alia argumenta.*

CUm in compoſito adæquatè materiali noliot aliqui unionem ſuperadditam eſſe contradiſtinctam ab ipſa dependentia formæ à materia, ut Suarez, vel ab ipſa actione productiua, uti Illuſtriſs. Spinula, non incongruum erit iſtorum argumenta referre.

Arguunt itaquè hoc medio. Per hoc præcisè, quod intelligamus formam dependere à materia in genere cauſæ materialis abſquè ulla intellecta unione, intelligimus materiam cum forma componere unum per ſe; ergo ad hoc habendum non erit neceſſaria unio formalis. Probatur antecedens: per hoc præcisè, quod intelligamus formam dependere à materia in genere Cauſæ materialis, etiam nulla intellecta unione, intelligimus formam actuare materiam, recipi in materia, & illud, quod erat in potentia fieri actu; ſed per hoc præcisè, quod intelligamus formam actuare materiam, recipi in materia, & inhærere materiæ, intelligimus unum per ſe; ergo. Nihil eſt in hoc ultimo ſylogiſmo negabile.

Confirmatur primò, compoſitum eſt totum per ſe exiſtens ex potentia, & actu, in quantum materia habet rationem potentiæ, & forma habet rationem actus, ergo per hoc præcisè conſtituitur compoſitum, per quod materia exercet rationem potentiæ, forma verò rationem actus; ſed per ſolam dependentiam formæ à materia, materia exercet munus potentiæ, & forma munus actus, munus enim potentiæ, qua potentiæ, eſt recipere, & munus formæ, qua actus eſt recipi, per ſolam autem dependentiam formæ à materia, forma recipitur, & per conſequens materia recipit; ergo per ſolam dependentiam formæ à materia, materia gerit munus potentiæ, & forma munus actus.

Confirmatur ſecundò, prius eſt formam materialem dependere à materia actualiter, quoad ſuſtentationem, quàm habere modum unionis; ſed in illo priori non eſt ſeparata; ergo eſt unita. Probatur hæc conſequentia, quia non datur medium inter eſſe ſeparatum, & unitum, ergo, ſi in illo priori non eſt ſeparata, erit unita.

Reſpondeo per actionem eductivam haberi utique, quod forma ipſa ponatur in materia, ſed ſolùm tanquam in ſubiecto inhæſionis, vel ſuſtentationis, non verò tanquam in ſubjecto informationis, quæ duo ſeparabilia ſunt, nedum in anima rationali, ut patet, quæ eſt in materia, non tanquam in ſubjecto inhæſionis, vel ſuſtentationis, ſed etiam in cæteris formis ſubſtantialibus, caſu quo à Deo crearentur. Undè exiſtimo per actionem eductivam, nil aliud haberi, quàm quod forma, quæ eſſe poterat in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, per ipſam actu ſit in eadem, non verò quod hæc in ipſa ſit, tanquam in ſubiecto informationis: & quamvis contingere nequeat, quod forma materialis ſit in materia, tanquam in ſubiecto inhæſionis, quin etiam ſit tanquam in ſubiecto informationis, hoc tamen non habetur formaliter per ipſam actionem, ſed per unionem productam per eandem actionem, per quod patet ad primam confirmationem.

Ad ſecundam Confirmationem, ommiſſa majori, de cuius veritate eſſet locus dubitandi, diſtinguo minorem, in illo priori non eſt ſeparata, tanquam à ſubiecto inhæſionis, concedo minorem, tanquam à ſubiecto informationis, ſubdiſtinguo, & hoc vi actionis eductivæ, nego, vi unionis per ipſam productæ, concedo minorem, & Conſequentiam. Attentè aduertendum eſt aliud eſſe formam, non poſſe actualiter dependere à materia, quin ipſi uniatur, & aliud, quod uniatur materiæ per illam dependentiam. Primum verum eſt, maximè ordine naturali inſpecto, at ex hoc non ſequitur, quod uniatur per præciſam dependentiam, quemadmodum quamvis res eſſe nequeat, quin ſit in aliquo loco, non ſequitur, quod ſit in loco præcisè per exiſtentiam. Secundum verò eſt falſum, ut ſuperius dixi.

Arguunt ſecundò alii. Si indifferentia intrinſeca, & realis, quæ eſt in extremis ad uniri, vel non uniri poteſt tolli per aliquod aliud, quàm per modum intrinſecum ſuperadditum, jam ſuperfluit modus

iste; sed de facto tolli potest per aliquod aliud; ergo. Ostenditur minor, supponendo adesse Dei decretum efficax, quo Deus velit materiam, & formam ligni uniri inter se, in qua hypothesi non sunt amplius hæc extrema indifferentia ad uniri, sed debent uniri, cum tale decretum determinet ipsa ad uniri.

Respondeo, quod si argumentum hoc urget, actum est de qualibet forma modali superaddita, & sic etiam de actione superaddita, quam tamen peripatetici aduersarii admittunt, siquidem posito Dei decreto efficaci, quo velit causam agere, & rem esse in loco, nec causa amplius est indifferens ad agendum, vel non agendum, nec res ad essendum in loco. In forma itaque pro omnibus dico, quod per decretum tollitur indifferèntia effectiua, sed non formalis, nisi per entitatem superadditam, maximè quod in tali decreto terminatiuè includitur ipsa unio superaddita, Deus enim volens extrema uniri, vult etiam unionem, qua extrema formaliter uniantur, aliàs vellet ipsa extrema, ut formaliter unita, & non formaliter unita, vel vellet effectum formalem absquè sua causa formali.

Ultimò arguunt auctoritate Diui Thomæ, & Philosophi, qui in hoc conuenire videntur, quod unio hæc superaddita non adsit, & præcipuè Sanctus Doctor pluribus in locis hanc negare videtur, Octavò enim Metaph. lect. quinta hæc habet. *Non oportet ea uniri* (scilicèt formam, & actionem) *per aliquod vinculum, sicuti ea, quæ sunt penitus diuersa, undè nulla est causa faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia, & forma, nisi quod mouet potentiam in actu, & parte secunda, quæst.* 110. *art* 1 *ad* 2. *hæc habet: Anima est vita corporis, per modum causæ formalis, inter formam autem, & materiam non cadit aliquod medium, quia forma per seipsam informat materiam, vel subiectum, & in* 3. *dist.* 3. *quæst. unica art* 3. ennumerans, quæ desiderantur ad unionem, nec verbum facit de vinculo quo; hæc enim habet. *Unio tripliciter accipi potest uno modo pro ut unio est idem, quod unitio alio modo prout unio est passio, & sic est quædam naturæ assumptæ dependentia ad assumentem, tertio modo, & propria unio est relatio consequens actionem, & passionem, & sic est quædam comparatio, & habitudo extremorum.*

Respondetur duplex medium excogitari posse inter aliqua extrema, unum, quod habeat esse proprium, & ut quod, v g bitumen nectens duo ligna, & hoc, cum sit rigorosè quoddam tertium, habet optimè impedire immediatam communicationem extremorum; aliud verò medium illud est, quod tantùm mediare potest ut quo, siuè ut ratio formalis nectendi aliqua, & hoc non tollit immediatam extremorum communicationem, ut patet in visione intuitiua alicujus objecti, quod immediatè dicitur videri, quamuis videatur tale objectum intermedia visione, & specie propria ipsius objecti, & causa quælibet efficiens immediatè habet agere, quamvis intelligatur agere media actione superaddita, & divinitas ut identificata cum verbo, seu notionaliter sumpta, est immediatè unita humanitati, quamuis mediet unio hypostatica. Per quod patet, quomodo superiores auctoritates explicari possunt, ultima excepta, in qua estò explicitè Sanctus Doctor non nominet unionem, nominat tamen quoad substantiam: explicat enim ipsius diuersa munera, dum asserit ipsam summi posse primò prout est unitio, secundò prout est passio; tertiò prout refertur ad extrema Sic etiam explicat relata testimonia Angelici Magistri ex Thomistis Magister Bannez, uti aduertunt etiam Complutenses.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum sit unica, vel multiplex unio in Composito.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Sententia negatiua.*

Usquè adeò controversia fuit inter nos, & Thomistas negantes unionem superadditam inter extrema; modo est inter Scotistas, & Henricistas, an nimirum semel posita hac unione superaddita unica ponenda sit, vel duplex. Primi communiter docent ex Scoto in 2 *distinct.* 1. *quæst.* 5. *num.* 24. duplicem esse in composito unionem, quarum una recipiatur in materia, & à forma terminetur, altera verò in forma sit, & ad materiam pariter terminetur, cum unica unio in duobus extremis inhæsivè esse non possit. Scholæ subtilis adhæret Hurtado, ut videri potest in suo cursu phylosophico in *Physica disp.* 3 *sect.* 2. Cæteri verò communiter propugnant solùm unius unionis existentiam, sic ex nostris Magist. Cavalli Præceptor noster doctissimus *in suis aureis manuscriptis*, & Magister Ventura, quibus addi possunt Ariaga, Oviedo, Suarez, Semery, Siluester Maurus, Amicus, Recupitus, Mazziotta, Benedictus de Benedictis, Spinula in Physica *disp.* 4. *sect.* 5. & alii extra Scholam Subtilis. Hanc amplectimur, quam primò ostendimus hoc medio. Unica unio sufficit ad hoc, ut materia sit unita formæ, sed per hoc, quod materia sit unita formæ, habetur compositum; ergo unica unio sufficit ad hoc, ut habeatur unum compositum. Maior colligitur ex doctrina adversariorum, minor est evidens, quia quoties materia est unita formæ, habetur unum ex materia, & forma, unum autem ex materia, & forma est ipsum compositum.

Secundò ideo ab aduersariis geminatur unio, quia per unam debet uniri materia cum forma, & per alteram forma cum materia; sed per illam unionem, qua materia unitur formæ, habetur formaliter, quod forma uniatur materiæ; ergò non est geminanda unio. Maior est doctrina Scotistica, minor est euidens, quià implicat materiam esse physicè unitam formæ sibi physicè non unitæ, seù à se divisæ; sed si materia esset formaliter unita formæ, quià forma esset formaliter unita materiæ, esset physicè unita formæ sibi physicè non unitæ, seù à se divisæ; ergò non potest materia formaliter uniri formæ, quin forma uniatur materiæ.

Huic rationi non unica est solutio apud Scotistas. Sunt primò, qui dicont verùm esse, quod unica unio est nexus duorum, unius, ut subjecti, & alterius, ut termini, undè ut sic uniantur unica sufficit: at ut uniantur ambo extrema per modum subjecti, unica non sufficit, sed duplex exigitur. Sic autem extrema uniri debent, primò quia capacia sunt ad sic uniri. Secundò, quia facilius intelligimus extrema inter se intrinsecè esse unita, quod aliundè non intelligeremus, si specificè forma uniretur per unionem ad se terminatam. In hoc enim casu solùm extrinsecè, & absque sui mutatione uniretur materiæ, cum tamen certum sit intrinsecè uniri, atque cum sui mutatione. Alii verò respondent, libenter concedendo unicam unionem sufficere ad hoc, ut extrema uniantur, sed nihilominus volunt geminandam esse, quia cum unio sit pura relatio mutua (ipsius enim totum esse est ordinare materiam, & formam) jam in utroque recipi debet. Quoties enim aliqua duo denominantur relativè ad invicem, & utrumque est capax

formæ

formæ denominantis, forma denominans poni debet in utroque; ergo cum ambo extrema denominentur unita, etiam unio recipienda erit in omnibus. Sed

Contra est. Solutio enim hæc quoad omnes sui partes à vero recedit, quia efficaciter non ostenditur, cur extrema uniri debeant, unionem ipsam recipiendo, non quidem ratione capacitatis, quia, ut inferius dicam, modi non multiplicantur ob solam capacitatem, sed ob ipsorum indigentiam, quæ optimè in casu tollitur per unicam unionem, vnde sicuti aduersarii propugnare contendunt unionem ex parte formæ titulo capacitatis, ipsam ego proscribere contendo titulo superfluitatis, & quidem potiori jure, cum natura res non multiplicet attenta capacitate, sed solùm indigentia, aliàs dicendum esset quodlibet accidens formæ uniri materiæ propria, vel peculiari unione, quod tamen Scotistæ, quod sciam, non propugnant. Nec etiam hæc unio subjectiva desiderari potest ad hoc, ut forma sit unita materiæ intrinsecè, & cum sui mutatione, quia primum optimè conspicitur in verbo ipso humanitati intrinsecè unito, cum tamen unionem non recipiat: secundum verò, videlicet, quomodo formæ mutatio contingat etiam in nostra sententia inferius videbimus. Solutio verò quoad tertiam partem, quam præbet Philippus Faber, & qua nouissimè usus est Sebastianus Dupasquier, minus cæteris urget, & superius eneruat argumentum, siquidem per ipsam jam conceditur, quod intenditur, videlicèt unicam unionem sufficere ad extrema unienda, & consequenter duplicem non esse necessariam ad hunc mutuum nexum præstandum. Quod verò adducunt de mutua uniti denominatione, in quo præcipuè residet difficultas, censeo formam denominantem in omnibus extremis denominatis recipi non debere, etsi hæc capacitatem habeant ad formam denominantem recipiendam, ut patet in ipsa Albedine, & dulcedine in lacte quæ quantæ denominantur à quantitate, cum tamen nec Albedo, nec nigredo quantitatem recipiant, sed è contra.

Probatur tertiò conclusio unica unio hypostatica sufficiens est, ut diuinitas, & personalitas Uerbi humanitati uniantur; ergò etiam poterit unica sufficere ad hoc, ut hæc extrema, de quibus procedit difficultas, mutuò uniantur.

Dices ideò diuinitatem, & personalitatem Uerbi uniri unica unione humanitati, quià sunt extrema realiter identifica, at verò materia, & forma sunt extrema realiter strictè distincta. Sed

Contrà est. Identitas diuinitatis cum Personalitate Filii facit per adversarios diuinitatem, & filiationem unica unione vniri humanitati; ergo conceptibilitas metaphysica unionis, quæ est nexus mutuus duorum, faciet, quod ipsa extrema quamuis distincta uniantur unica unione.

## CAPUT SECUNDUM

*Diluuntur argumenta Contraria.*

ARguit primò Pontius. Quotiescunquè sunt aliqua, quæ denominantur relatiua ad se inuicem denominatione mutua eiusdem rationis, si ponatur modus formæ relatiuæ in uno extremo ad dandam denominationem, debet etiam poni in altero, si sit capax eius; sed materia, & forma, quando componunt compositum denominantur relatiua ad se inuicem denominatione eiusdem rationis; materia enim dicitur uniti formæ, & forma dicitur uniri materiæ; ergò si in alterutra ponatur relatio, cum etiam altera sit capax, debet etiam poni alia relatio in illa; sed poni nequit unus respectus in utraquè, cum accidens unum nequeat subiectari in duobus subiectis realiter distinctis naturaliter; ergò. Probatur maior quandò sunt duo similia sibi inuicem, si unum ex ipsis dicatur simile per unum respectum superadditum, & aliud dici debet simile per talem respectum, tum quià non est maior ratio, cur poneretur unus respectus subiectivè in uno, quàm alius in altero.

Respondeo legitimam esse maiorem, quandò tamen forma relatiua in uno existens extremo, non habet uirtutem sufficientem ad denominandum aliud relatiuum, quod si talem virtutem habeat superfluè geminaretur altera forma in ordine ad consimilem denominationem habendam, ut evenit in præsenti; siquidem unio recepta inhæsivè in materia, nedum habet vim denominandi materiam unitam formæ, sed etiam formam materiæ, & hoc quià de suo conceptu est nexus duorum: nec sufficienter arguitur ex paritate relationis similitudinis, quæ (supposito quod formaliter in modo superaddito consistat) debet duplicem importare, siquidem relatio ex genere suo non est mutua, ut patet in ipsa relatione creaturæ ad Deum, & cognitionis ad suum obiectum, ex quo fit, quod, ut sit mutua, uti est relatio similitudinis, exigatur modus superadditus in utroque extremo, at verò unio physica de suo conceptu formali abstractissimo est mutua, quia est duorum nexus. Ratio autem cur unio ponatur pot..us subiectivè in materia, quàm in forma, etsi tam materia, quàm forma per unionem debeant intrinsecè denominari unita, est, quià materia sola est subiectum inhæsionis ipsius unionis, ut infrà ostendam, quapropter hic est maximè advertendum unionem non ideò recipi in materia, quia ipsam intrinsecè uniat, sed ideò recipitur in sola materia, quià hæc sola exercere potest munus subiecti.

Dices utique per unionem se tenentem ex parte materiæ haberi, quod etiam forma uniatur materiæ, sed per modum termini, non verò per modum subiecti, nam unio, per quam materia unitur formæ terminatur etiam ad formam, ad hoc autem ut forma sit intrinsecè unita deberet etiam uniri per modum subiecti, quod evenire nequit, nisi ponatur altera vnio ex parte formæ terminata ad materiam. Quod si quæratur, quare opus sit ipsam sic uniri, respondent primò quià potest sic uniri. Secundò quià non est potior ratio cur materia uniatur formæ per unionem in se receptam, non verò forma debeat sic uniri, cum sit intrinsecè indifferens ad uniri, non minus quàm materia. Sed

Contra: verum est per unionem se tenentem ex parte materiæ formam solùm uniri per modum termini, non verò per modum subjecti; sed id, quod adverto, est opus non esse, quod uniatur formæ per modum subjecti respectivi unionis, siquidem forma non debet uniri materiæ, nisi intrinsecè, intrinsecè autem unitur per hoc, quod unio, quæ inhæsivè recipitur in materia, terminetur ad formam, quod totum egregiè patet in ipsa unione hypostatica denominante intrinsecè verbum unitum humanitati, cum tamen in verbo non recipiatur: nec sufficiens ratio redditur, cur actu debeat poni unio ex parte formæ, dicendo, quia potest forma sic uniri, cum res non multiplicentur attendendo ad possibilitatem, & potentiam, sed attendendo ad necessitatem, quæ in præsenti non vide-

videtur. Secundò, quia unio est modificatio utriusque extremi tantum unitivè, quatenus utrumque unit constituendo utrumque sibi invicem intimè præsens substantialiter, non tamen est modificatio utriusque extremi inhæsivè, quia minimè opus est, quod utrique inhæreat; ergo per unionem se tenentem ex parte materiæ poterit optimè forma uniri intrinsecè ipsi materiæ: antecedens est in terminis ipsa Mastrii doctrina, quam videre potest quilibet in materia de Incarnatione *disp. 1 quæst. 2. art. 3. num.* 133.

Nec obstat, quod primò communiter docent Scotistæ, nimirum verbum divinum, ideò non uniri per modum subjecti naturæ humanæ, quia non est capax; sic verò formam uniri, quia capax est receptionis novæ entitatis: nec quod secundò dicunt videlicet non valere. *Verbum intrinsecè unitur absque unione superaddita in se recepta; ergo etiam sic unitur forma cum materia*, quemadmodum non valet hic alter arguendi modus, *verbum dicit relationem similitudinis, vel dissimilitudinis ad creaturas sine modo superaddito; ergo etiam una Creatura ad alteram absque tali modo*: non obstant inquam hæc, quia hac attenta doctrina videtur, quod ideò in formis creatis exigatur unio in ipsis recepta ob capacitatem, quam habent in ordine ad ipsius receptionem; si enim exigeretur ad habendum intrinsecè unitum, obstaret semper paritas desumpta ex verbo divino intrinsecè unito naturæ assumptæ, absque ulla unionis receptione. Quis autem non videt falsum esse modos geminandos esse ob solam subjecti capacitatem, cum solum ponatur ad indifferentiam tollendam, ut communiter docere solent modalistæ. Quod autem infertur ex paritate Verbi divini non est superius deductum consequens, sed hoc: *Verbum intrinsecè est unitum humanitati absque unione recepta; ergo esse intrinsecè unitum ex genere suo non exigit receptionem formæ unientis*; alias sicuti in Verbo non est receptio, nec deberet esse unitio. Id verò, quod ultimo loco additur de relatione, dico nec in creatis ipsam consistere in modo superaddito, quod probo ex eodem antecedenti ab Adversariis allato. Relatio dissimilitudinis, quam dicit Deus ad creaturas non consistit in modo superaddito; ergo relatio dissimilitudinis ex genere suo non constituitur per modum superadditum; ergo erit dabilis etiam in creatura absque modo superaddito.

Arguunt secundò alii. Modus unionis recipi debet in materia, & forma; sed idem modus recipi nequit in duobus; ergo duplex erit assignandus. Majorem, in qua resider difficultas ostendunt. Forma, ut unita materiæ est perfectio materiæ; ergo ut unita materiæ debet recipi in materia; ergo modus unionis recipi debet in materia; similiter materia ut unita formæ est perfectio formæ; ergo forma debet recipere materiam, ut unitam; ergo debet recipere unionem; non enim alio modo forma potest recipere materiam, ut unitam, nisi recipiendo unionem. Quod autem forma sit perfectio materiæ, & materia formæ manifestum esse affirmat hic Hurrado, eo quia utraque sit entitas incompleta, complenda, & perficienda per alteram.

Confirmatur hoc. Unio æqualiter recipit utrumque extremum, cum utrumque sit æqualiter ens incompletum perfectibile per unionem; ergo in utroque inhæsivè debet recipi. Confirmatur secundò, quia si forma uniretur materiæ ex hoc præcisè, quod unio se tenens ex parte materiæ terminatur ad formam, sequeretur absque ulla sui mutatione formam informare materiam, cum in tali casu forma nihil reciperet; sicuti ideò verbum non mutatur per unionem hypostaticam, quia ipsam non recipit inhæsivè. Confirmat tertiò Dupasquier, quia saltem in homine duplex constitui debet unio, siquidem si unica datetur, vel spiritualis esset, vel materialis; si hoc secundum dicatur, jam non poterit afficere animam rationalem, quæ spiritualis est; si verò spiritualis sit, non poterit afficere materiam.

Respondeo omisso, quod mutuo sese perficiant extrema ipsa physica, quod propriè loquendo negari potest, cum hoc solùm conveniat materiæ, adhuc non sequitur, quod intenditur, cujus ratio potissima est, quia hæc mutua perfectio habetur quidem per unionem, tamquam per applicationem extremorum; sed non per unionem receptam, nisi aliunde proberur necessitas huius receptionis ex parte utriusque extremi. Ideò enim forma perficit actu materiam, quia unitur materiæ ipsam informando, non verò, quia unitur unionem ipsam recipiendo.

Ad primam confirmationem dico unionem æqualiter respicere utrumque extremum per modum termini, sed non æqualiter per modum subjecti, sicuti in simili dicere solent Theologi loquendo de unione hypostatica, vel Philosophi discurrendo de actionibus transeuntibus respectivè ad agens, & passum, quorum unum, vel alterum solùm actionem transeuntem respicit per modum subjecti juxta sententiarum diversitatem. Ad secundam dico adesse adhuc, unde desumatur mutatio, primò, quia noviter actu informat, secundò quia trahitur ad rationem entis physicè completi. Tertiò, quia ipsam unionem, estò non recipiat inhæsivè, recipit tamen adhæsive, quod sufficit ad mutationem.

Ad tertiam verò confirmationem Salmaticenses *tract. 21. de Incarnatione disp. 4. § 7.* occurrunt docendo corpoream esse unionem, quo non obstante aptam esse volunt ad uniendam animam rationalem, quæ ipsam tamquam subjectum, quo recipiat, sicuti recipit, ut *quo* quantitatem, & reliqua accidentia corporea. Sed solutionem hanc amplecti non possumus, nedum quia supponit subjectum inhæsionis accidentium esse totum compositum, verum etiam, quia falsum est animam exercere rationem subjecti relatè ad unionem, & accidentia corporea, unde censeo congruentius dicendum esse unionem ipsam inhæsivè recipi in sola materia, terminativè verò etiam in anima, ad quod præstandum improportionata non est; quia ipsam non unit sub conceptu materialitatis, sed sub conceptu unionis, sub quo apta est, & proportionata ad unienda extrema incompleta. Sicuti estò natura irrationalis improportionata sit ad uniri cum divina subsistentia, hac accepta sub conceptu personalitatis, non est tamen sub conceptu subsistentiæ, ut propugnant Scotistæ.

Et ratio totius est, quia materialitas per accidens se habet in ipsa unione, sicuti per accidens se habet materialitas in Phantasmate in ordine ad concausandam speciem impressam, ut alibi diximus: unde non video quo jure Dupasquier affirmet in homine majorem adesse necessitatem asserendi unionem geminandam esse.

Tertium argumentum, quod promovere placet sic procedit. Per unicam existentiam extrema existere nequeunt. Secundò per unicam actionem forma, & accidentia ultimò ad ipsum disponentia produci nequeunt, sicuti nec per unicam ubicatio-

nem

nem, durationem esse in loco, & tempore materia, & forma esse possunt in Henrici sententia: etsi res posset esse in duplici loco circumscriptivè, hoc illi contingere non posset per unicam præsentiam, sed per plures. Quintò si plures Personæ divinæ unirentur eidem humanitati, hoc contingeret per plures uniones, non verò per unicam, & hoc non ob aliud, nisi quia non unica, sed multiplex esset indifferentia tollenda; ergo hoc idem dicendum est in casu inter extrema physica, quorum quodlibet sua gaudet indifferentia. Sextò tandem, quia natura assumpta existere nequit eadem indivisibili verbi existentia absoluta, sed solùm propria, & contradistincta, ut propugnat Scotus *in 3. dist. 6. quæst. 2.* Mastrius *disp. 1. de Dominica Incarnatione quæst. 4. art. 1.* Cardinalis de Laurea *art. 11. disp. 4.* de Incarnationis existentia, & Henricus in Summa *art. 27. quæst. 1. num. 36.* ergo etiam extrema unica unione uniri non poterunt.

Respondeo ad singula, & à primò incipiendo. Disparitas est, quod inter extrema materia ipsa in priori ad formas existit, sicuti in priori exercet munus physicæ causalitatis, unde est, quod impotens est existere per eandem formæ existentiam, etiam loquendo præcisivè ab identitate reali, quæ inter essentiam, & existentiam intervenire debet. Secundum verò facilis est solutionis. Ideò enim accidentia ultimò, disponentia, & forma substantialis non cadunt sub eadem ratione producibilis, quia diversimodè produci petunt. Accidentia enim exigunt produci successivè, & in priori, forma verò substantialis instantanea, & in posteriori. Hæc autem ratio, nec consimilis militat in casu de duplici unione. Paritas verò, quæ tertio refertur loco pariter, ipsa mediocris est roboris, quia, ut alibi dicimus, est possibilis casus, in quo materia existat in determinato loco, quin ibi sit forma, unde ubicatio, vel duratio unius extremi non est ex conceptu suo mutua, sicuti mutua est ipsa unio. Ad quintam verò paritatem omissa Illustrissimi Petri de Godoy solutione, quam tradit in materia de divina Incarnatione, qua vult humanitatem illam unica unione in hypothesi uniri, eo quia si uniretur pluribus unionibus, hæ vel specie, vel numero differre deberent, quorum neutrum evenire posse contendit: non quidem numero, quia plura accidentia numero in D. Thomæ schola esse nequeunt, non specie, quia inæquales in perfectione esse non possunt, non quidem inæqualitate à subjecto desumpta, idest ab humanitate, hæc enim est eadem; nec à personalitatibus divinis, cum & istæ æquales sint in perfectione. Omissa inquam hac solutione dicendum est, ideò duplicem in hypothesi esse necessariam unionem, quia humanitas, & verbum uniri possunt, quin aliæ personæ eidem humanitati uniantur, ut de facto constat; at verò uniri nequit materia formæ, quin vicissim forma uniatur materiæ. Ad ultimum tandem disparitas est, quia humanitas est in priori naturæ existens, antequam assumatur à verbo, sicuti actio productiva humanitatis est in priori naturæ unione ad verbum, unde nil mirum, quod non existentia verbi, sed sibi propria existat, quæ ratio, ut omnibus patet, non militat in casu.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum totum distinguatur à suis partibus collectivè acceptis.*

Quod communiter hic supponi solet, & nos supponimus, nimirum compositum quodlibet à suis partibus seorsim sumptis distingui, tanquam includens ab incluso. Cardo itaque difficultatis ad hoc punctum devolutur, utrum partes cuiuslibet compositi substantialis omnes in recto importatæ simul sumptæ à toto ipso distinguantur. Sermo autem hic est de distinctione obiectiua, de extrinseca enim, seù rationis non curamus in præsenti, quamuis Pontius de utraquè difficultatem moueat, quod etiam faciunt Complutenses statuentes cum Suarez inter totum, & partes collectivè acceptas distinctionem rationis ratiocinatæ. De hoc igitur loquendo nulli dubium est Scotum *in 3. dist. 2. quæstione prima* eiusque alumnos affirmatiuam defendere sententiam, cui nedum adhærent sui discipuli, sed etiam ex exteris Vasquez Fonsceca, Conimbricenses, Pererius, & nonnulli Thomistæ, uti adverunt iidem Complutenses. Contrà hos omnes negatiuam sustinemus sententiam, quæ impugnatione prioris variis rationibus firmari solet ab Auctoribus. Inter hos autem egregius Thomista Ioannes à Sancto Thoma existimat sufficienter hanc Scoti Sententiam reprobari ex eo, quod forma hæc totalitatis daret esse accidentale, cum non daret esse primum, & substantiale, quatenus hoc supponeretur iam datum per ipsam formam substantialem, cui rationi stant fere omnes Thomistæ una simul cum Compluteßibus comprehendentibus ipsam sub hoc unico syllogismo. Ex prima potentia, & actu primo unitis constituitur unum ens per se; sed materia est prima potentia, & forma substantialis est primus actus, ergò ex illis unitis, seclusa omni alio constituitur unum per se, vel si aliud intersit, non erit unum per se.

Sed quidquid sit de hoc discursu, cuius examen, & defensionem relinquo Thomistis, placet aliter suadere negatiuam hanc sententiam sequenti hoc capite.

### CAPUT PRIMUM.

*Sententia negatiua rationibus suadetur.*

HÆc conclusio cohærentiam habet cum iis, quæ communiter docent Theologi in materia de Incarnatione, ubi affirmare solent ex natura humana, & diuina (essentialiter tamen, non notionaliter accepta divina natura, ut sic enim constituit tertiam naturam, idest personam subsistentem) non resultare tertiam naturam ex duabus integris naturis compositam. Ut affinem itaque ipsam defendimus, quam triplici ratione suademus, & primò per hoc præcisè, quod sint materia forma, & unio seclusa qualibet altera entitate est totum; ergò hoc ex genere non habet; nec est opus, quod importet hanc formam totalitatis superadditam. Probatur antecedens, implicat, quod partes ut superius adductæ ponantur, quin materia, & forma intelligantur unitæ, sed implicat, quod sint unitæ, quin totum intelligatur compositum, cum hoc ipso, quod intelligantur unitæ, intelligantur ut componentes, quæ autem intelliguntur, ut actu componentia, iam constituunt compositum; ergò

Fff per

per hoc præcisè, quod recensita tria intelligantur, percipitur totum compositum.

Secunda ratio procedit, quià si compositum substantiale importet aliquid realiter diversum à partibus simul sumptis, & unitis, inquiro, an essentia compositi consistat adequatè in eo solo, quod partibus superaddimus; an verò etiam constituatur ex illo superaddito simul cum partibus accepto. Primum est omninò absurdum, nam essentia compositi physici nequit non includere partes, aliàs non erit entitas composita, sed simplex; si verò dicatur secundum; ergò iam ens naturale non distinguitur ab omnibus suis partibus simul sumptis, & unitis, quandoquidem compositum non est aliud, quàm materia, forma, & unio, & hæc tertia entitas, quæ cum sit ipsum totum, nequit non habere rationem partis, & ingredi compositionem.

Vltima ratio, quæ & ipsa sufficienter solida est, directè impugnat rationem aduersæ partis fundamentalem, siquidem ideò Scotistæ ponunt hanc formam totalitatis in compositis substantialibus, ut hæc distinguant ab aggregatis accidentalibus; atqui etiam negata forma totalitatis optimè intelligitur talis distinctio, vel diversitas, vel quià partes totius substantialis omnes sint substantiales, vel quià se habeant per modum potentiæ, & actus, vel quià unione magis strictà uniantur, uti docet de Quiros; ergò ex hoc capite superflua est hæc forma totalitatis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Argumenta præcipua oppositæ sententiæ referuntur.*

PRimò arguunt Scotistæ communiter. Omnis causa vera, & realis, quæ causat per influxum verum, & realem, distinguitur realiter à suo effectu, quià idem nequit influere in se ipsum, neque in aliquod sibi realiter identificatum, aliàs affirmari posset essentiam diuinam esse causam intrinsecam physicè influentem in Deum, sed materia, & forma unitæ sunt vera, & realis causa realiter influens in compositum; ergò.

Confirmant primò impugnando præuisam solutionem. Implicat, ut siuè seorsim, siuè simul ponantur in rerum natura, partes physicæ causent totum, nisi uniantur; ergò ut unitæ causant. Probatur antecedens, quià non causant totum, nisi sufficienter applicentur, & applicatio ipsarū est prior aliquo modo, quàm effectus; sed illa applicatio non est alia ab ipsa unione; ergò ut unitæ causant; ergo etiam simul habent ratione causæ. Secundò, quià posita unione aliquid causant, quod non causabant absque unione, sed non causant seipsas, neque unionem intrinsecè, nec sunt partes sui ipsius, aut unionis; ergo aliquod aliud, quod esse nequit nisi totum. Tertiò. materia seorsim sumpta est causa inadæquata totius; & similiter forma seorsim sumpta; ergò utraquè simul sumpta est causa adæquata totius; ergò utraquè simul sumpta, & unita causat totum. Prima Consequentia patet inductione in omnibus aliis causis partialibus. Quartò. Si partes collectivè sumptæ seruent negationem obiectivam identitatis relatè ad totum, seruant distinctionem; atqui revera seruant negationem identitatis; ergò seruant distinctionem. Ostenditur minor, si seruant radicem negationis, seù actum primum, seruatur ipsa negatio identitatis, atqui partes etiam collectivè inspectæ seruant radicem negationis, nimirum suam essentiam, quæ per nos est ipsa distinctio fundamentalis, atquè adeò radix distinctionis; ergò. Quintò, partes nedum distributivè, sed etiam collectivè distinguntur à toto; ergò etiam collectiuè habent rationem causæ. Probatur Antecedens, quæ identificantur distributivè cum tertio, identificantur etiam collectivè cum eodem tertio, ergò quæ à tertio distributivè distinguuntur, distinguuntur etiam collectiuè.

Sextò, quia juxta communem responsionem quælibet pars seorsim, & alteri unita causat totum; ergo utraque pars simul, & unita causat totum. Patet consequentia, quia à particularibus diuisivè acceptis valet consequentia ad uniuersale, quapropter dicimus in materia de divina voluntate quod si sit possibilis casus, in quo Petrus dissentiat singulis auxiliis seorsim inspectis, erit etiam possibilis, in quo dissentiat omnibus, ergo si quælibet pars diuisiuè causat, utraque simul, & collectiuè causat.

Septimò, quia si saluari debet, quod materia, forma, & unio sint ipsum totum, neque materia, neque forma aliquid intrinsecè causarent, materia enim non causat se ipsam, neque formam intrinsecè, cum non sit materia pars intrinseca formæ, neque causat unionem intrinsecè propter eamdem rationem: similiter propter eamdem rationem forma non causat seipsam, neque materiam, neque unionem; ergo assignandum est aliquod distinctum à materia, forma, & unione, quod sit effectus intrinsecus illarum, & consequenter non seorsim, sed simul sumptæ, & unitæ causant totum, & ut sic ab illo realiter distinguuntur. Octavò, quia intellectio v. g. causatur ab objecto, & potentia per modum unius; licèt obiectum possit dici causa totalis intellectionis in genere repræsentatiuo, & potentia possit dici causa totalis in genere vitali; ergo licèt materia in genere causæ materialis sit causa totalis, & forma in genere causæ formalis sit etiam causa totalis totius; utraque tamen per modum unius causant totaliter, & adæquatè totum. Patet consequentia, quia sicuti intellectio est adæquatè vitalis, & repræsentatiua, ita totum compositum est adæquatè materiale, & formale, ergo sicuti ex objecto in ratione repræsentatiui, & potentia in ratione vitalis constituitur una causa extrinseca adæquata intellectionis, ita ex materia in ratione materialis, & ex forma in ratione formalis constituitur una causa intrinseca adæquata compositi.

Confirmat ultimò Dupasquier, omnis causa partialis dicit relationem, non solùm ad concausam compartialem, sed etiam ad causam totalem, quæ ex partialibus coalescit. Pars enim ut talis dicit ordinem ad totùm; sed relatio non potest esse absquè termino suo; ergo supponunt unam totalem.

Respondeo: negari nequit extrema etiam prout unita realiter compositum causare, dummodo tamen unum extremum importetur in recto, cætera in obliquo, non tamen si ipsa extrema importentur collectivè, & in recto, in quo statu non sunt causæ intrinsecæ influentes in totum, sed potius sunt ipsum totum. Per quod patet in forma.

Ad primam Pontii Confirmationem certum est extrema actu non exercere suam causalitatem, nisi uniantur, & consequenter prout unita causant, ly prout reduplicando suprà rationem, sine qua non, at cum ut unita importari possint in sensu distributiuo, ut eveniret si unum extremum importaretur in recto, cætera verò in obliquo, hinc non est legitima Consequentia, extrema non causant actu totum, nisi

ut

ut unita, ergo cauſant totum etiam collectivè.

Ad ſecundam ejuſdem Scotiſtę Confirmationem concedo, quod poſita unione aliquid extrema cauſent, quod hac ſecluſa non cauſabant. Cauſant enim actu in genere cauſæ partialis totū ipſum, quod in priori non cauſabant actu, ſed tantùm in potentia, materia enim prout unita formæ actu cauſat totùm ſecundùm propriam cauſalitatem; propria autem cauſalitas eſt cauſalitas partialis cauſans ipſum compoſitum, & conſequenter aliquid aliud ab ipſo.

Ad tertiam Philippi Fabri Confirmationem concedo antecedens, ſed nego Conſequentiam, quæ ſufficienter probari nequit, loquendo ad normam cauſarum partialium extrinſecarum. Diſparitas enim eſt, quod effectus cauſarum extrinſecarum adæquatè diſtinguitur ab hujuſmodi cauſis, quapropter poſſunt plures extrinſecæ cauſæ in unum convenire, ut ſimul influant in effectum, cui conferunt eſſe diſtinctum ab illo eſſe, quod habent cauſæ influentes, at de ratione cauſarum intrinſecarum, qua talium eſt non aliter cauſare, quàm exhibendo ſuas entitates, eaſquè formaliter unione mediante communicando, per conjunctionem unius ad alteram. Implicat autem ex his partialibus communicationibus, quibus partes ſingulæ ſeſe invicem communicant fieri unicam communicationem totalem, quia non eſt aliquod tertium, cui talis communicatio fieri poſſit.

Ad quartam dico non ſervari lo materia rationem eſſentiæ, & hæc eſt ratio diſtinguendi ſe à toto, dum collectivè accipitur cum aliis compartibus, cum non habeat amplius rationem partis, & rationem incluſi, ſed potius totius.

Ad quintam dico falſum eſſe aſſumptum, ſiquidem gradus vegetativi ſenſitivi, & diſcurſivi diſtributivè identificantur cum anima vegetativa, vel ſenſitiva tanquam cum tertio, & tamen omnes ſimul non identificantur uti in vegetativa.

Ad ſextam Petri à Sancta Catherina ſolutio eſt in caſu conſequentiam non valere, quia non ſervatur eadem inhærentia prædicati in ſubjecto; ſicuti apud Theologos non tenet hæc alia, per gratiam ordinariam poſſumus vitare ſingula peccata venialia; ergo etiam poſſumus vitare omnia vi ejuſdem gratiæ. Septima confirmatio facilis eſt ſolutionis ſi dicatur materiam formam, & unionem intrinſecè cauſare totum, vel eſſe cauſam intrinſecam complexi ex materia, & forma, & unione reſultantis. Ad octavam diſparitas eſt, quia objectum motivum, & potentia cauſant in genere cauſæ efficientis; & extrinſecæ, de cujus ratione eſt ab effectu diſtingui; at verò partes phyſicæ intrinſecæ totum cauſant cum repugnantia intrinſecæ adæquatè cauſalitatis.

Ad ultimam Confirmationem diſtinguo majorem, omnis cauſa partialis extrinſeca dicit relationem, concedo majorem, intrinſeca nego majorem, & ſuppoſitum, nimirum quod ſit poſſibilis cauſa totalis intrinſeca propter dicta. Repugnante autem termino in ratione termini, repugnat quoquè relatio ad ipſum.

Arguit ſecundò Pontius: Homo non includit aliquid præter materiam, & animam rationalem, & unionem per adverſarios; ſed materia non cauſat per modum partis intrinſecæ, aut animam rationalem, aut unionem, aut ſeipſam; ergo debet cauſare aliquid aliud.

Confirmatur quia per generationem ſubſtantialem produci debet aliqua ſubſt antia ſivè mediatè, ſivè immediatè; ſed actio, qua unitur anima rationalis Corpori eſt generatio ſubſtantialis ſecundùm omnes; ergo debet produci per illam aliqua ſubſtantia; ſed non producitur anima rationalis, non materia prima; hæ enim eſſe poterant antea productæ; ergo hoc erit aliquid aliud ſubſtantiale diſtinctum, ſicquè forma totalitatis. Quod ſi dicas produci unionem, contrà eſt, quia ſecundùm quoſdam unio eſt reſpectus extrinſecus adveniens, non verò modus aliquis ſubſtantialis.

Hujus Scotiſtæ argumentum nil valet, ſiquidem pro termino formali humanæ generationis aſſignamus formam ipſam corporeitatis etiam ab arguente admiſſam.

Ad confirmationem autem dico produci aliquod ſubſtantiale, ſiquidem producitur tota ſubſtantia per modum termini qui, & producitur forma corporeitatis per modum termini quo, unio verò per modum puræ conditionis, quæ in noſtra ſententia non eſt actio generativa, nec reſpectus extrinſecus adveniens, ſed modus aliquis ſubſtantialis.

Arguunt tertiò, ex Scoto Pontius, Maſtrius, Duraſquier, & Petrus à Sancta Catherina: totum Compoſitum ex anima, & Corpore eſt quid diſtinctum realiter ab illis ſimul ſumptis, & unitis; ergò & omne totum per ſe. Antecedens oſtenditur, quia in illo toto ſubjectatur unum per accidens, nimirum actus vitalis viſionis ocularis; ſed non poſſet ſubjectari in illo, niſi eſſet quid unum diſtinctum à partibus, nequè enim unum accidens poteſt ſaltem naturaliter ſubjectari in diverſis ſubjectis; ergò

Reſpondeo ex ſubjecto inhæſionis actus vitalis materialis, cujuſmodi eſt actus viſionis ocularis non inferri totum diſtinctum à partibus ſimul, & in recto acceptis, cum etiam forma totalitatis excluſa, non ſequatur, quod accidens ſubjectetur in ſubjectis diverſis. Actus enim vitales materiales, vel recipiuntur in ſola materia, uti in homine, vel partim in materia, & partim in forma, tanquam in ſubjectis partialibus, uti in cæteris viventibus ſuſtinent aliqui.

Ultimum tandem argumentum, quod promoveri poſſet, illud eſt, quod quibuſdam in Theſibus propoſui, & ſic procedit. Quilibet reſpectus eſt ad terminum diſtinctum, nihil enim refertur ad ſe ipſum; atqui partes phyſicæ eſſentiales dicunt reſpectum ad totum; ergo ab ipſo diſtinguuntur. Nec officit communis ſolutio, quod partes dicant talem reſpectum diſtributivè, non vero collectivè acceptæ, ſiquidem contra hanc ſic inſto. Reſpectus, quem dicunt partes eſſentiales ad totum eſt ipſis partibus eſſentialis, & non adventitius; ergò eumdem dicunt etiam collectivè acceptæ. Probatur conſequentia, quod eſt eſſentiale partibus non deperditur per Collectionem; ergo ſi reſpectus hic eſt eſſentialis partibus, erit etiam in ipſis collectivè acceptis, antecedens ſuadeo hac paritate, quia dependentia creaturæ à Deo eſt eſſentialis creaturæ, hæc non deperditur, ſed perſeverat, & ſi Creaturæ ſumerentur ſub unica integra collectione; ergo hoc idem de reſpectu dicendum erit in caſu.

Reſpondeo partes eſſentiales dicere reſpectum hunc, quatenus partes eſſentiales ſunt, quapropter uſque dum perſeverat ratio partis, adeſſe debet etiam talis reſpectus, cum autem partes collectivè acceptæ non retineant amplius rationem partis, hinc dicere non debent amplius talem reſpectum, & hoc quia non ſalvatur ratio inhærentiæ prædicati in ſubjecto; quæ cum aliundè ſalvetur in dependentia Creaturarum à Deo, etiam ſi collectivè ſumantur, quia indemnis perſeverat ratio creati, in qua radice-

tur

tur dependentia, hine oil mirum, quod Creaturæ etiam collectivè dicant perfectionem. Per quod patet disparitas.

## QVÆSTIO SEXTA.

*In quo formaliter consistant subsistentia, suppositum, & Persona.*

NOn mediocris est difficultas proposita, in qua ferè omnes supponunt idem esse inquirere, in quo stet subsistentia, ac in quo suppositum, & Persona, quamuis de diuersis dicantur. Persona siquidem non nisi de natúra rationali affirmari potest; suppositum verò de omnibus naturis compieris, subsistentia tandem de qualibet natura estò incompleta, dummodo, tamen non indigeat altero, cui uniatur, & propterea anima rationalis, quamuis incompiera, dicitur subsistens.

Antequam autem hæc, quam proposuimus controuersiam dissoluatur, sciendum est, quod in hac re duplex præcipua est Sententia.

Prima vult, subsistentiam in rebus creatis modum esse positivum superadditum naturæ substantiali: modum autem esse volunt naturæ, quia ejus effectus formalis est terminare, & naturam modificare: ad modificandum autem non tequiritur entitas, sed sufficit modus, unde sententia Dominici de Mariois *prima parte, quæstione* 3. *articulo* 3. *capue* 2. docentis entitatem esse, co quia melius explicatur Verbum assumpsisse humanitatem, non assumendo subsistentiam, ferè communiter reprobatur à Thomistis: Hanc autem Divi Thomæ esse senteotiam, nullus est, qui dubitare possit: clarissima enim extant testimonia apud recensitos Thomistas, inter quæ iuce clarius est, quod iegirur *prima parte, quæst.* 3 *articulo* 4 illis verbis: *quod hoc nomen Persona non est nomen negationis, nec intentionis, sed nomen rei;* unde non immeritò hanc propugnant Thomistæ omnes, inter quos docti Patres Salmaticenses *tractatu* 21. de Incarnatione, disputatione 8. *dubio* 1. Ioannes à Sancto Thoma in Physica *quæst.* 7 *art.* 7. Perrus de Godoy prima parte, distinctione 80. *paragropho* 2 quibus accedunt Eminentissimus Ioseph Saenz de Aguirre *tract.* 4. de Sancto Trinitatis Misterio *cap.* 36. *sect.* 7. Suarez *disp.* 34. Metaph. *sect* 4. Valentia 3. *parto quæst.* 4. *puncto* 2. Vasquez 3. *parte disp.* 31. *cap.* 16. Ruitz de Monroia *disp* 32. de Trinitate *sect.* 5. *num.* 13. aliique plures, quos referunt Aguirre, & Godoy, quibus omnibus adhæret Spinula in Meraph *disp. ultima sect.* 2.

Quinam autem sit effectus formalis, & proprius hujus modi superadditi, non una est hujusmodi modi defensorum mens. Cajetanus, quem Godoy, aliique sequuntur Thomistæ, volunt esse modum substantialem, immediatè additum naturæ, quam proximè disponat ad existentiam, tanquam ad actum ultimum.

Hunc dicendi modum sustinet etiam Ioannes à Sancto Thoma loco superius allegato ex D uo Thoma: alii verò econtra, volunt subsistentiam modum esse superadditum naturæ prius existenti per suam entitatem, itaut natura prius existat, deinde per modum positiuum, vel subsistentiam incommunicabilis reddatur: hanc passim propugnant Patres Societatis, inter quos præcipuè Vasquez, & Suarez: nonnulli verò effectum formalem, & proprium subsistentiæ opinantur esse reddere totum per se existens, ac proinde completum in ultimo actu intra genus substantiæ, ex quo effectu primario, & positiuo hic alter negatiuus, oritur essentialiter tamē connexus, videlicet constituere naturam incapacem ulterioris complementi, vel unionis substantialis ad aliud subsistens: hunc dicendi modum defendit Emioentissimus Cardinalis de Aguirre, loco superius assignato: sed si verum fateri debeo, verior mihi est, & consonantior Henrici doctrinæ secundus modus, quem Patres Societatis sequuntur: subsistentia enim actus ultimus, & ultimum naturæ complementum est: non esset autem, si essentiæ aduenirer in priori ad existentiam, sed potius existentia ipsa indueret rationem actus ultimi: nec quod in contrarium obiiciunt hic Ioannes à Sancto Thoma, & Aguirre vim habere potest: quod ut appareat quid obiiciant, referre hic placet.

Obiiciunt itaque primò: modus subsistentiæ convenit naturæ ex ipsa coniunctione partium, seu quia habet rationem totius: hoc ipso enim, quod totum est, ulteriori termino noo est communicabile: existentia verò naturæ convenit, inquantum subiicitur actioni agentis, vei causæ producenti, sed prius naturæ conuenit modus totalitatis, quàm existentia. Fieri enim proprium est suppositi, cum terminus generationis, vel creationis, ut quod sit ipsum totum, quod fit: illi autem conuenit esse, cui conuenit fieri; ergò si fieri, ut quod non conuenit naturæ, sed supposito, etiam esse, vei existentia non conveniet alicui, ut subjecto quod, nisi subsistentiæ, & supposito, ergò prius est naturam esse subsistentem, quam esse existentem.

Dicunt secundò. Idem est existere per se, ac subsistere: non enim est quidquam aliud subsistere, quàm per se existere, atqui natura substantialis creata per suam entitatem per se existit, & absque ullo superaddito; ergo etiam per suam entitatem subsistit absque aliquo superaddito posteriori.

Tertiò quia natura substantialis lapidis V G. coalescens ex materia, & forma unitis, postquam simul existit per se, viderur habere ultimum complementum, quod habere potest intra genus substantiæ; ergò per illud ipsum in re positum, & Independenter ab omni subsistentia superaddita, redditur incommunicabilis alteri supposito, sive subsistenti. Sed

Nulla ex his rationibus urget: non prima, quia quamuis verùm sit quod fieri, & esse ut quod proprium sit totius, vel suppositi, verum tamen non est, quod prius natura habeat rationem suppositi, nisi inquantum habet rationem totius; atqui prius non est habere rationem totius, & postea fieri, & esse, sed potius è contra; cum natura habeat esse totius in posteriori ad actionem, vi cuius partes uniuntur; ergò quamuis fieri proprium sit suppositi, tanquam termini quod, non est tamen prius suppositum, quàm fieri, & consequenter nec prius suppositum, quàm existere.

Secundùm vero, quod obiicit Aguirre non vrget: existere enim per se, & subsistere unum, & idem non sunt: humanitas enim à Verbo assumpta existit per se, & quidem propria existentia, & non existentia Verbi Incarnati, & tamen propria subsistentia noo subsistit: aliud enim est per se existere, aliud verò per se subsistere: primum est existere, quin communicetur alteri, ut subiecto inhæsionis, secundum verò est existere, cum impotentia ad communicari alteri ipsum participanti. Primum haberur io natura substantiali, qua substantia est: secundum verò qua subsistens.

Tertium verò faciiis est solutionis: siquidem quamuis verum sit, quod natura lapidis coalescens ex materia, & forma unitis incommunicabilis sit alteri

suppo-

supposito: hoc tamen non contingit ratione suæ existentiæ: etenim vi huius solum ponitur formaliter extra causas, sed vi suppositi, vel subsistentiæ, vi cuius redditur alteri incommunicabilis: quemadmodum, esto natura terminata à Verbi subsistentia reddatur infinitè sancta: hoc tamen non contingit ratione subsistentiæ, sed ratione divinitatis sanctificantis: hoc autem breviter supposito.

Secunda sententia circa præcipuam difficultatem sustinet subsistentiam creatam formaliter consistere in negativo, videlicet in negatione unionis intrinsecè cum ulteriori substantia absoluta; dicitur autem absoluta, quia si vniretur substantiæ modali, uti modo substantiali, in quo iuxta primam sententiam formaliter consistit subsistentia, non amitteret subsistentiam, sed potius perficeretur in ratione subsistentis: Hanc sequuntur Scotus in 1. dist. 23. quæst. 1. & dist. 25. quæst. 1. Philippus Faber in relatis locis sententiarum, aliique plures etiam ex societate, quas refert idem Eminentissimus Cardinalis de Aguirre: huic sententiæ adhæret Doctor solemnis quodlibet 1. quæst. 8. paragrapho *non positiuum*, ubi hæc lego: *est igitur dicendum, quod in formis creatis speeificis, ut specifice sunt ratio individuationis ipsarum, qua determinantur in suppositis, & quæ est ratio constitutina suppositi est negatio, qua forma ipsa, quæ ex se est specifica in esse rationis, ut est terminus factionis, facta est indiuisa omnino in supposito, & individualis & singularis priuatione omnis divisibilitatis per se, & per accidens à quolibet alio diuiso*: & ulterius quodl. 5. quæst. 8. *sic ergo non nisi determinatione negationis circa formam contingentem in sua factione fit completiua, ut ratione formali, & individuo, & supposito constituto*, unde nescio hic, quomodo Albertinus doceat in quæstionibus Theologicis de Trinitate, Doctorem primæ adhærere sententiæ. Attentè enim legi quæstionem hanc sub quodlibeto tertio, ab ipso relatam, in qua hoc non lego, sed solum inuenio, Doctorem duo sibi proponere dissoluenda, ex quibus primum est, an ratio generandi in Patre sit divina essentia, vel eius proprietas, secundo verò utrum in diuinis maneat relatio, in quorum resolutione, nec verbum quidem habet de subsistentia creata.

Dixi autem superius, duplicem esse præcipuam sententiam, quia non deest altera quorundam Atomistarum, sustinens quidem consistere in positiuo, sicuti prima, sed censet deinde, formale subsistentiæ non esse quid physicum, sed solum morale, quatenus esse subsistens est esse iuris sui; quod est quid morale, seu pendens à nostro modo existimandi res, fundatum tamen in re physica: nimirum in re ipsa, quæ esse dicitur iuris sui, quam sui auctores firmare contendunt, etiam ex pluribus Conciliis, præcipuè tamen ex Francfordiensi; sed hac de re, videantur Maignan, & Casimirus, qui hanc propugnant, hoc unico fine, ut ubique negent modos superadditos: quod tamen facere poterant, Scoti sequendo sententiam.

Vltimò tandem sciendum est, subsistentiam esse aliquod distinctum obiectivè à natura substantiali singulari, & completa: quod ex Mysterio Incarnationis manifestè deducitur, in quo ex fide habemus, integram naturam humanam esse assumptam absque personalitate: quod contingere non potuisset, si realiter cum natura identificaretur; unde nimis à vero recedit, quod hic Cardinalis Aguirre habet, videlicet Henricum docuisse sup positum, nisi sola ratione, & ex nostro concipiendi modo differre à natura subsistente: Pluribus enim in locis obiectiuam statuit Doctor distinctionem, inter naturam singularem completam, & suppositum, præcipuè tamen in summa *art. 26. quæst. 1.* illis verbis: *esse autem in actu, est ipsum esse hoc determinatum in supposito, quando ipsa res in se recepit, & in ipsa sua essentia actum primi principii, & facta est eius effectus: & est unus ex modis entis, quo verissimè res dicitur esse: quod tamen separabile est à natura, & essentia, & hoc per suum interitum in non esse: potest enim essentia rei intelligi sine tali esse tanquam habens rationem in divino exemplari, per quam iterato potest reduci in actuale esse.*

Quod si *Quodlib.* 4 *quæst.* 4 per totam Henricus doceat clarissimè naturam, & suppositum solùm differre penes modum significandi, ut abstractum, & concretum, dico Doctorem ibi considerare solùm naturam, ut est abstractum quoddam metaphysicum respectu suppositi, qua ratione includit etiam suppositalitatem, unde sicuti albedeneitas, v. gr. solo modo significandi differt ab albedine, & similiter animalitas, & rationalitas ab animali, & rationali, ita Henricus solo modo significandi simplicis, & compositi, abstracti & concreti vult differre naturam, & suppositum; at si sermo sit de natura humana, prout est abstractum quoddam physicum hominis, non secus, ac albedo est abstractum physicum albi, Henricus neque per somnium identificavit naturam cum supposito, quam tamen legimus identificasse Durandum.

## CAPUT PRIMUM.

*Ponitur Sententia Henrici.*

Henrici sententiam negativam defendere, nimirum subsistentiam creatam in positivo non consistere superius demonstravimus; nunc hoc idem ratione ostendendum est, & prima sit, quæ communiter in nostra Schola circumferri solet sic procedens; si Verbum Divinum naturam humanam, quam assumpsit dimitteret, nihilque circa ipsum faceret, scilicet nihil positivè ipsi addendo natura sic dimissa esset suppositum, vel persona; sed non esset suppositum, vel persona per additionem alicujus positivi; ergò. Majoris hypothesim concedunt etiam Adversarii, cum Deus absolutè dimittere possit naturam assumptam. Minor quoque patet ex eadem hypotesi, quam fecimus, in qua nimirum dimittatur natura absque additione alicujus positivi. Major verò quoad illas particulas, quod scilicet natura sic dimissa esset suppositum, vel persona, pariter evidens est, primò quia natura sic dimissa esset rationalis naturæ individua substantia, ut speculanti patebit, adeoq; & persona. Secundò quia talis natura sisterit in se, & non progrederetur ad alia, hoc est non esset in alio; ergò verè esset suppositum; vel persona, cum hujus valde proprium sit in se sistere.

Huic rationi quamvis solidæ occurrit primò Magister Cavinus docens talem naturam à Verbo dimissam fore utique singularem, sed non positivè subsistentem, cum esset positivè communicabilis, sed tantum negativè. Pari enim modo, inquit, se haberet natura sic dimissa in ordine ad subsistentiam, ac accidens Eucharisticum in ordine ad esse per se; sed accidens Eucharisticum, quamvis sit per se negativè, quatenus non inhæreret subjecto, non est tamen per se positivè; ad sic enim esse exigitur modus intrinsecus positivus, qualis est ipsa perseitas; ita quamvis natura sic dimissa esset sub-

sistens negativè, quatenus alteri non communicata, non tamen esset positivè subsistens, nisi per adventum modi superadditi, cum non minus petat compleri substantia in suo genere, quam accidens in suo. Et rationem totius exhibet, quia talis natura, quamvis non sit actu terminata, est tamen terminabilis in potentia, adeoque positivè non subsistens. Sed

Contra est, nam talis natura etiam positivè esset subsistens, siquidem natura illa talis est, ut nec alteri intelligatur communicata, nec communicabilis; atqui illa natura in sensu composito status separationis non esset alteri communicabilis; ergò nedum negativè, sed etiam positivè esset subsistens. Paritas autem accidentium non viget, siquidem disparitas obvia est, ideò enim ad hoc ut accidens reddatur per se positivè existens requiritur positiva differentia, quæ perseitas vocatur, quia per se positivè existere est constitutivum substantiæ in ratione substantiæ. Substantia autem in ratione substantiæ per aliquod positivum constitui debet: at verò non sic procedit de subsistentia, de cujus ratione, cum non sit constituere substantiam in ratione substantiæ, nec in ulla altera ratione positiva, optimè esse poterit aliquod negativum.

Occurrunt secundò Salmaticenses negando absolutè naturam illam esse suppositum, quia suppositum est natura sistens positivè in se, & nulli alteri communicabilis. Natura autem sic dimissa, quamvis negaret communicari alteri, ut subjecto inhæsionis, quia substantia est, atque negaret communicari alteri, ut inferiori, quia singularis, eo modo quo genus communicatur speciebus, aut species individuis, & tandem, quia completa excluderet communicationem per modum partis; non tamen negaret communicationem alteri, ut habenti ipsam, sed potius posset alteri, ut subjecto, sive ut sustentanti, sive ut habenti, & naturam participanti communicari; adeoque suppositum non esset; cum incommunicabilitas, quæ suppositum constituit, sit incommunicabilitas quarti generis; sed

Contra est. Hæc enim solutio, quæ pariter deduci potest ex doctrina Joannis à S. Thoma, superiorem Henrici rationem non dirimit, sed in suo robore relinquit. Ratio est, quia natura humana à verbo separata, caret unione, tum actuali, tum aptitudinali naturali (est enim substantia completa) licet retineat aptitudinem obedientialem ad unionem cum Verbo, vel alia Persona divina, unde estò doctrina adversariorum vera sit loquendo de anima separata à corpore, quæ non subsistit, quia retinet unionem aptitudinalem naturalem cum corpore, falsa tamen est loquendo de natura, quod alteri sit communicabilis naturaliter.

Secundò ostenditur veritas proposita ex eo quod Persona supra naturam intellectualem non addit, nisi rationem individuationis, prout hæc dicit divisionem ab alio; sed hæc est pura negatio; ergò quod addit Persona supra naturam intellectualem est aliquod negativum, non positivum. Major primò clarè deducitur ex ipsa Boetii definitione cõmuniter recepta; secundò, quia rationem indivisionis in se quam primò importat individuum, nequit constituere naturam in ratione suppositi; humanitas enim in Christo Domino est indivisa in se, cum tamen suppositum non sit; ergò id, quod constituit Personam, vel suppositum, erit pura divisio ab alio. Quod autem hæc sit pura negatio, quæ est minor ostendenda, patet siquidem divisio ab alio est negatio unionis cum illo, negatio autem unionis est aliquod negativum, quemadmodum unio est quid positivum.

Tota hæc ratio, & doctrina ex Henrico desumpta est pluribus in locis; præsertim verò *art.* 25. *quæst.* 1. *num.* 8. ubi loquens de divisione, & indivisione rerum hæc habet; *In compositis enim ex materia, & forma unio partium secundum rei veritatem habitus quidem est à forma rei partes continente, & significatur nomine unius; divisio autem secundùm rei veritatem est privatio illius habitus, & significatur nomine multitudinis, & infra, divisio est privatio secundùm rem.* Et confirmatur hæc ratio, quia per istam sententiam clarissimè explicantur Concilia, & Patres docentes Verbum Divinum assumpsisse humanitatem, non verò subsistentiam, aut Personam. Evidens enim est humanitatem assumptam à Verbo, ipsique prout unitam non potuisse esse non unitam eidem Verbo. Hoc autem non ita clarè explicatur in prima sententia; non enim quemadmodum est evidens humanitatem non potuisse habere negationem unionis, & simul unionem cum Verbo, ita evidens est, non potuisse simul cum unione retinere modum illum substantialem, in quo formaliter reponunt docti Adversarii subsistentiam.

## CAPUT SECUNDUM.

*Referuntur præcipua Argumenta in oppositum existentia.*

Arguunt primò, & præcipuè. De ratione suppositi ex communi sententia est incommunicabilitas, seu negatio communicationis cuicumque alteri supposito etiam divino; ergo debet importare aliquod positivum distinctum à natura realiter. Probatur hæc consequentia: negatio prædicati saltem repugnantis petit aliquod positivum supra quod fundetur; ergo debet importare aliquod positivum distinctum realiter à natura. Antecedens suadetur inductione, & primò negatio materiæ physicæ in Angelis, quia est negatio prædicati repugnantis fundatur in positiva Angeli spiritualitate. Secundò negatio irrationalitatis in homine fundatur in ipsa rationalitate; ergo negatio prædicati saltem repugnantis petit aliquod positivum supra quod fundetur.

Confirmat hoc argumentum Magister Cauino; Quoties repugnat aliquod prædicatum alicui, ita ut, tale prædicatum de ipso negetur, debemus necessariò assignare rationem, cur negetur, seu id ratione cujus repugnat, alias gratis negaretur; ergò si natura ut subsistens importat negationem subsistentiæ tenemur afferre aliquod positiuum fundans illam duplicem negationem.

Hoc argumentum Communissimum est in Schola Thomistica, & illud idem est, quod nobis objectant Scotistæ in materia de principio indiuiduationis, oimirum negationem cujuslibet prædicati repugnantis fundari debere in aliquo positiuo, ut experientia constat in allatis exemplis. Cui difficultati, ut occurrant Scotistæ aduertunt tripliciter naturam aliquam esse posse alteri incommunicabilem. Primò actualiter, secundò aptitudinaliter, tertiò potentialiter. Modò dicunt, quod si natura sit incommunicabilis, nedum naturaliter, sed etiam potentialiter, utique talis repugnantia fundari debet in aliqua entitate positiua, à qua oriatur; at si natura sit tantum incommunicabilis actualiter non verò potentialiter, negatio communicationis oriri

non

non debet ab entitate positivè superaddita; Cum autem hoc secundo modo natura creata personetur (adhuc enim est potentialiter communicabilis, ut patet in natura hipostaticè assumpta à Verbo) hinc non debet præseferre entitatem positiuam, suprà quam fundatur illa duplex negatio.

Si nihil aliud occurreret libenter subscriberem huic Scoti solutioni, quàm tradit in *3. dist. 1. quæst. 1. §. Per hoc*, versu respondeo littera O, sed quia semper remanet locus instandi, & dicendi, quod esto naturæ specificatiuè sumptæ, nimirum præcisivè à ratione suppositi non repugnet communicari alteri, repugnet tamen in sensu composito personalitatis, ideò alia via procedendum esse judico in solutione negando uniuersaliter quod nihil possit repugnare alicui ratione alicujus negatiui, siquidem quæro ab arguente, an aeri prout tenebroso, seu in sensu composito tenebrarum repugnet illuminatio. Opinor responsuros affirmativè. Hoc supposito rursus interrogo, an hoc repugnet ratione alicujus positiui. Credo adhuc responsuros negatiuè, cum ipsi repugnet ratione tenebrarum, quæ nihil sunt in plausibili sententia; ergo infero ego potest aliquod prædicatum repugnare alicui ratione puræ negationis: ergo uniuersaliter vera non est propositio assumpta ab ipsis. Quod si dicas negationem lucis separabilem esse ab aere, non verò inseparabilem, contra est, quia quamuis talis negatio sit separabilis in sensu diuiso à tenebris, non est tamen in sensu composito, sicquè semper viget instantia. Per quod patet etiam ad Confirmationem.

Arguunt secundò. Cavino, Aguirre, Godoy, & Suarez natura creata semel personata ita substantialiter completur per propriam subsistentiam, ut nec de potentia absoluta possit ulterius compleri per aliam etiam diuinam; ergò affirmandum est suppositum addere ad illam aliquod positiuum. Probatur hæc Consequentia compleri per aliquod positiuum, est modus possibilis, quemadmodum est possibilis in linea formæ aliqua forma habens entitatem ita perfectam, ut repugnantia, quam dicit ad communicari alteri per informationem, conueniat illi ratione alicujus positiui, nimirum ratione suæ perfectionis essentialiter inseparabilis ab illa, ut in natura Angelica, est etiam conuenientior, quia est perfectior, perfectius est enim compleri per aliquod positiuum, quàm per negatiuum, sicuti positiuum perfectius est negatiuo; ergo respectu naturæ substantialis erit convenientior maximè quod per positiuum magis recedit ab incompletione, quàm per negatiuum.

Respondeo innegabilem esse possibilitatem modi positiui personantis naturam, sed hunc aut humo non extiturum conuenientiorem, cum illud in rerum natura convenientius non sit, quod superfluum est; superfluus autem esset talis modus positiuus naturam ultimò terminans, cum hoc optimè habeatur per duplicem negationem; nec juuat, quod affirmatur, nimirum naturam magis perfici, si subsistentiam esse aliquod positiuum doceamus, nam si ex hoc aliquid evincitur, ostendi etiam posset ipsam creatam subsistentiam esse entitatem spiritualem, cum pariter res magis perficiatur per aduentum novæ entitatis spiritualis, quàm per simplicem modalitatem corpoream.

Arguunt tertiò alii promiscuè; & primò, quià omninò absurdum est primam substantiam compleri in linea substantiæ per id, quod formaliter nihil positiuum est in ipsa substantia, subsistentiam autem sic compleri est penitus certum. Secundò quià suppositum creatum exemplatur à divino; ergò si divinum addit aliquod positiuum, etiam creatum. Tertiò quià complementum formale in Angelis; Personale in Divinis, physicum, vel metaphysicum in toto convenit ratione alicuius positivi, à quo sit essentialiter inseparabilis negatio ulterioris communicationis formalis, personalis, aut totalis ergò & complementum personale in Creatis. Quartò quià suppositum est ens per se, non esset autem tale, si importaret puram negationem, cum pura negatio nequeat concurrere cum ente positiuo ad constituendum unum per se. Quintò quià sicuti natura determinatur ad esse personæ per personalitatem ità determinatur ad esse singularis per singularitatem, sed ad esse singularis determinatur per aliquod reale positiuum superadditum naturæ specificæ; ergò etiam ad esse personæ.

Respondeo ad omnia & primum, quod affertur, urget etiam M. Cavino Thomistam eiusdem argumenti Auctorem, cum subsistentia, estò importet aliquod positiuum, non constituat tamen hoc positiuum naturam subsistentem, pro ut positiuum est, sed ratione negationis communicabilitatis, quæ sequitur ad idem esse positiuum. Pro omnibus itaquè dico aliud esse, quod suppositum sit perfectio substantiæ, aliud, quod sit perfectio constituens substantiam in linea substantiæ. Primum verum, est hoc affirmante Henrico *in summa art: 62. quæst. 5.* illis verbis: *In Creaturis ratio perfecti, utroque modo magis est suppositi, quàm alicuius existentis in supposito* secundum verò falsum est, aliàs Verbum assumendo naturam, non assumpsisset omnem perfectionem naturæ substantialis de linea naturæ substantialis, cum non assumpserit subsistentiam, quod tamen nefas est asserere.

Ad secundum negari nequit suppositum creatum exemplari à divino, quemadmodum creata sapientia exemplatur à diuina, sed sicuti hæc non ità exemplatur, ut sequatur esse aliquid substantiale, sicuti est Sapientia in Deo, ità suppositum creatum non ità exemplatur, ut debeat esse quid positiuum sicuti est suppositum diuinum. Exemplatur itaque solùm in hoc, quod sicuti suppositum divinum est ratio ultima terminandi naturam, ita & creatum, adeoquè equiparantur in effectu suppositi, non in forma, à qua habetur talis effectus: quinimmo etiam in ipso effectu suppositi adest maxima differentia, cum suppositum creatum faciat naturam subsistentem in se, & non in alio, diuinum verò in alio.

Cur autem Personalitas diuina consistat in positivo, secus personalitas creata, disparitas est, quia in divinis per subsistentias, & Personalitates solùm una persona distinguitur ab alia, sicuti per ipsas solùm opponuntur relatiuè, adeoque per ipsas constituitur Pater in esse principii productivi, & Filius in esse termini producti: virtus autem productiua positiua esse debet, cum det esse alteri, & terminus productus nonnisi in positiuo consistere potest, cum recipiat esse ab altero. At subsistentiæ, & Personalitates creatæ supponunt naturam, utpotè de se limitatam, & finitam jam distinctam ab altera natura, nec sunt virtutes, sed solùm conditiones producendi, solùmquè habent formaliter terminare naturam, illamque reddere existentem in se, & non transeuntem ad aliud esse substantiale, quod est solùm quid negatiuum. Sed contra priorem solutionem.

Dices nullum contradictorium supplere habet pro altero contradictorio; atqui carentia unionis humanitatis cum subsistentia Verbi est contradictoriè opposita unioni cum eadem Verbi subsistentia; ergo si

sub-

subsistentia diuina supplere habet in assumptione humanitatis pro creata subsistentia, hæc non potest consistere in tali negatione.

Respondeo subsistentiam diuinam supplere lato modo pro subsistentia creata, quia ponitur loco ipsius in ordine ad ultimò terminandam naturam, esto non eodem modo, uti pluries diximus. In hoc autem sensu potest optimè unum Contradictorium supplere pro altero.

Ad tertium M. Cauino disparitas satis nota est, ideo enim complementa omnia in antecedenti relata ab aliquo positiuo desumuntur, vel quia habent constituere totum substantiale in ratione totius substantialis, sivè physici, siuè metaphysici, vel quia aliquod ex illis attenditur penes oppositionem relatiuam, ut euenit in diuinis; at verò subsistentia creata non est complementum totius substantialis in linea substantiæ, nec in ipsis ratio personæ attenditur penes relatiuam oppositionem.

Ad quartum dico, suppositum esse ens per se secundùm id, quod importat de materiali, & connotato, quia habet connotare unam completam substantiam, non verò secundum id, quod importat de formali. Quintum tandem si urget, urget Scotistas docentes principium induiduationis esse aliquod positiuum, at in nostra sententia non probat; volumus enim etiam indiuiduationem formaliter consistere, in negatiuo.

Arguunt quartò alii, & primò si suppositum in natura importet negationem unionis cum alio supposito, vel nomine alieni suppositi venit aliquod positiuum, vel negatiuum; non primum quia hoc idem dici posset de proprio, nec secundum quia aliàs omnia entia subsisterent in se, cum nullum dari possit ens, quod vel uniatur, vel uniri possit alicui negationi, unio enim est inter extrema positiua. Secundò, quia hæc negatio, vel est diuisionis, vel dependentiæ, non prima esse potest, humanitas enim assumpta hanc habet, cum tamen non habeat propriam subsistentiam, non secunda, siquidem independens, qua tale, est perfectius dependente sicuti subsistens perfectius est non subsistente; sed si independens non importaret, nisi solam negationem dependentiæ, Independens, qua tale, non esset perfectius, cum nihil sit perfectius alio per puram negationem; ergo indepenedntia ab alio, quam importat natura Creata, ut in se subsistens, nequit consistere in pura negatione dependentiæ. Tertiò quia data hac sententia, quam defendimus, definitiones omnium Conciliorum, & præcipuè Ephesini Concilii Statuentis verbum assumpsisse humanitatem, non verò eius subsistentiam, ridiculæ forent. Sensus enim esset hic: *cum unione humanitatis ad Verbum, non mansit carentia unionis humanitatis ad idem Verbum, seu clarius dum erat unio, non erat negatio unionis*, vel etiam nugatoria essent eadem decreta, quia docendo Verbum assumpsisse humanitatem, non verò subsistentiam, docerent Verbum assumpsisse humanitatem, non verò illud nihil, quod formaliter est ipsa creata subsistentia. Quartò quia sequeretur Verbum ipsum post unionem non esse personam, sed unicè compositum ex natura humana, & verbo, quod est apertè hæreticum. Probatur sequela, quia in humana natura manet omnis res, & omnis modus realis, qui est in Creata Persona, & tamen definit esse Persona solùm, quia unitur, ergò à pari Verbum, quia unitur non erit Persona, & si nulla re, vel modo reali priuetur.

Respondeo ad primum nomine alieni suppositi nos intelligere duplicem negationem actualem nimirum, & aptitudinalem cum altera natura subsistente, quam cum non quælibet res dicat, nec quoque quælibet est subsistens. Esto autem quælibet res uniri nequeat huic duplici negationi, non tamen quælibet impotens est uniri alteri naturæ suppositatæ per duplicem negationem, quapropter nullum est hoc argumentum Illustrissimi Spinulæ. Ad secundum plausibilis est solutio Mastrii docentis independentiam, quam dicit subsistentia creata esse solùm independentiam ab alio, tanquam à supposito terminante naturam: Independentiam enim ab alio, tanquam à subiecto inhæsionis, natura suppositata non sibi vindicat ratione suppositi, sed quia natura suppositata substantialis est. Natura autem independens ab alio, tanquam ab alieno supposito, falsum est, quod perfectior sit natura ab alio dependente. Certum enim est perfectius naturam subsistere cum dependentia à subsistentia Verbi, quàm independenter ab illa, & propriam vindicantem.

Tertium verò si aliquid urgeret, etiam irritæ essent tot Ecclesiæ definitiones, quod tamen asserere nefas est. Irrita esset in primis proscriptio errorum Begardorum, & Beguinarum (quidquid sit an Begardi isti ex Sacra Sancti Francisci Familia fuerint, ut scribit Bzouius *Tomo* 14. an potius quidam Hermarius Italus dictus Pongilupus, ut credit Demetrius Thadæi in Nitela Franciscanæ Religionis *cap.* 1.) facta à Concilio Viennensi secundo Generali 300. & amplius Episcoporum sub Clemente V. & maximè dum proscripta est propositio illa, in qua Begardi docebant *quamlibet intellectualem naturam in se ipsa naturaliter esse beatam, & quod anima non indigeat lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, eoquè beatè fruendum*. Patet hoc, quià Concilium definiendo animam non esse in se ipsa naturaliter beatam, sed indigere lumine gloriæ ad Deum videndum, definiuisset naturam de se indigentem lumine gloriæ ad Deum videndum, indigere lumine gloriæ. Secundò ineptæ essent definitiones Concilii Florentini centum quadraginta, & unius Episcoporum sub Eugenio IV. Pontifice celebrati anno Domini 1438., & 39. Contrà errores Græcorum in Præsentia Ioannis Paleologi Constantinopolitani Imperatoris, & præsertim prior definitio, qua Eugenius in litteris unionis decreuit spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, & duabus spirationibus, sed tanquam ab unico principio, & unica Spiritus Sancti Spiratione, quod etiam Græci affirmabant. Patet hoc, quià Concilium decernere simul cum Græcis Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio æternaliter esse, & suum esse subsistens ex Patre simul, & Filio, tanquam ex uno principio, & unica spiratione procedere, est idem ac decernere Spiritum Sanctum esse Spiritum Sanctum. Item summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. definierunt ad merendum, & demerendum, requiri libertatem à necessitate. Nunc sic: Libertas requisita ad meritum, & demeritum est re ipsa, & formalissimè libertas à necessitate; sed Summi illi Pontifices definierunt ad meritum, & demeritum requiri libertatem à necessitate; ergò definierunt libertatem à necessitate requiri ad libertatem à necessitate.

Directè autem dico ridiculum non fuisse Ephesini definitionem, si quod definiuit Concilium anno Christi 431. celebratum sub Celestino Papa, Præside Cyrillo Episcopo Alexandrino tempore Theodosii Iunioris, simulque Nestorii dogma aduertamus. Propugnabat enim hic factam non fuisse unionem Verbi cum natura humana, nec sanctam

Mariam

Mariam Deiparam nuncupandam esse. Quod si Christum hominem, & Deum appellabat Nestorius, non sensu hoc faciebat, quo nos, sed affectionis respectu, quemadmodum de duobus Amicis invicem valdè se diligentibus, eos habere unam animam dicimus, quod nimii amoris causa eadem iis placeant; undè inaudito scelere duos volebat esse Dei Filios, duos Christos; unum Deum, alterum Hominem, ità ut hic solus secundus ex Virgine esset natus, ità ut Christus Homo communis primùm, & solitarius natus sit, & nec dum Dei Verbo Personæ unitate sociatus, postea in eum adsumentis Verbi Persona descenderit. Hic est error Nestorii circa Incarnationis mysterium, quem aliquantulum tetigit Vincentius Lirinensis Commonit: parte 1. cap: 7., & mirificè exhibet Diuus Cyrillus Alexandrinus in 12. anathematismis, & præcipuè anathematismo tertio, ubi hæc lego: *si quis in uno Christo subsistentias post factam illarum unionem dividit coniunctione tantùm illa, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, & non magis coitione secundum naturalem unionem conectens anathema sit.* Errorem hunc Ephesinum Concilium proscripsit illis verbis. Non enim dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata, facta sit caro, nec quod in totum hominem, qui est ex Anima, & Corpore transformata sit, sed magis, quod carnem animatam anima rationali sibi complacuerit, verbumquè substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter factum sit homo, & nuncupatum sit etiam Filius hominis, non nuda tantùm modo voluntate, sed nec assumptione sola Personæ, sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus, & Filius non evacuata, vel sublata diversitate naturarum per coniunctionem, sed quià simul nobis effecerunt unum Deum, & Christum, & Filium, idest divinitas, & humanitas per arcanam illam, ineffabilemquè copulationis adunationem.

Hac autem brevi notitia supposita quis non videt in Schola Henrici, & Scoti, aliorumvè in negatiuo subsistentiam creatam constituentium non sequi Concilii Decreta esse ridicula, nedum quià Concilii Patres præscindebant in suis definitionibus ab opinionibus purè Scholasticis, cuiusmodi est hæc de subsistentia in negativo, verùm etiam quià sensus Concilii definientis Verbum non assumpsisse cum natura humana eius subsistentiam, idem est, ac decernere, Verbum cum unione morali cum humanitate non retinuisse negationem physicæ unionis, in qua propria naturæ humanæ subsistentia consistit, quæ definitio certè in hoc sensu vana non est.

Quartum tandem, quod opponit Suarez nullius est roboris: Non enim ponimus personalitatem etiam increatam in negatiuo, sed unicè creatam, undè Verbum, dum unitur naturæ, non ammittit rationem suppositi.

Effer & aliud argumentum sub hoc capite solvendum in eo consistens, quod suppositum est operandi principium. Hoc autem esse debet aliquod positiuum: at facilis est solutionis. Evidens enim est ejus solutio in Henrici summa art. 50. *quæst. 7. num. 4.* illis verbis expressa: *Dico quod in omni actione est considerare agentem, sivè eum, qui agit, & rationem agendi, hoc est vim, sivè virtutem, & potentiam, qua agit; Undè ratio suppositi, & si non sit ratio agendi, & elicitiva actus, est tamen ratio agentis, & elicientis actum, quæ quidem ratio agentis, licèt sit ratio principii non tamen est ratio, qua ipsum suppositum habet, quod sit, aut dicatur principium, sed potius illa, quæ est vis elicitiva.* Ratio autem præcipua est, quam docti Patres Salmaticenses *tract.* 21. de Incarnatione *disp.* 5. §. 2. insinuant, videlicèt quia ut induceret subsistentia rationem principii quo, seu rationem agendi, deberet uniri per modum formæ, aut naturæ; cum huic solùm conveniat præstare vim agendi. Subsistentia autem non sic unitur, sed solùm per modum termini, & complementi in linea substantiæ, ut optimè hic cum eisdem advertit Illustrissimus Petrus de Godoy. Cui accedit quod si subsistentia esset ratio principii quo, pro diversitate subsistentiæ quoque esset diversa operatio, quod tamen non evenire videmus. Subsistentiæ enim divinæ, & Personales diversæ sunt rationis, & inter se oppositæ, cum tamen operationes essentiales ab iis procedentes sint ejusdem rationis.

## CAPUT TERTIUM.

*Solvuntur alia Argumenta contraria.*

ULtra ea, quæ adduximus, insurgit laudatus Cardinalis Ioseph Saenz de Aguirre, qui Scoti, & Henrici oppugnans sententiam, nonnulla docet adesse difficilia argumenta, quæ adhuc solutionem expectant, & quam dicere optat à præstantissimis ejusdem sententiæ sectatoribus. Ego quamvis in istorum numero non sim, argumenta nihilominus huius Auctoris referre volo, & quantum vires suppetunt eisdem occurrere.

Arguit itaque primò, si natura in ratione suppositi constitueretur per prædictam negationem, etiam in ratione personæ constitui deberet: sed hoc secundum affirmari nequit; ergo. Major certa est; eadem enim est ratio utriusque. Minor autem ostenditur. Repugnat per simplicem negationem constitui quod perfectissimum est in genere substantiæ; atqui persona perfectissima est in genere substantiæ; ergo. Major liquet constitutum enim suam accipit perfectionem à suo proprio constitutivo; atqui negatio quælibet, sive actualis, sive aptitudinalis, nequit esse aliquod perfectissimum, nec perfectum, sed potius carentia omnis perfectionis in genere substantiæ; ergo repugnat quod id, quod perfectissimum est in genere substantiæ, constituatur formaliter per negationem.

Argumentum hoc nullatenus vim habere existimo, primò, quia urgere posse etiam suum auctorem conspicio, cum doceat, quod esto persona addat naturæ rationali aliquod positivum, quo compleatur intra proprium genus, & ultimò terminetur, hæc tamen non constituat naturam rationalem, suppositum, & personam, nisi resultet ex ipso modo negatio unionis substantialis ad aliud subsistens, tamquam effectus secundarius cum primario essentialiter connexus, quo supposito, argumentum contra ipsum retorqueri posse certum est, cum tam benè repugnet primò constitui per simplicem negationem, quod est perfectissimum in genere substantiæ, quàm constitui per aliquem modum positivum, prout hic secum defert essentialiter negationem ipsam.

Pro omnibus itaque dicendum est adhuc optimè intelligi personam esse aliquod perfectissimum in genere substantiæ, estò natura in ratione personæ constituatur per duplicem negationem. Ratio est quia ratio personæ connotat necessariò naturam ordinis superioris, quam non connotant suppositum, & subsistentia, cum ratio personæ dici ne-

queat, nisi de natura rationali, suppositum verò, & subsistentia, è contra dici possunt de natura irrationali, sed.

Sed instabis ex eodem Aguirre: quia persona est quid perfectissimum in linea naturæ constitui debet natura rationali, quæ perfectissima est inter omnes in eadem linea naturæ; ergò quia personalitas perfectissima est in linea substantiæ, constitui debet personalitate, quæ sit perfectissima in linea subsistentiæ; sed hoc contingere non posset, si in simplici negatione consisteret; ergò.

Respondeo negando suppositum. Falsum enim est personalitatem (si tamen accipiatur formaliter, & non connotativè) perfectissimam esse in linea subsistentiæ: patet hoc, nam tam habet reddere naturam incommunicabilem subsistentia, quam persona. Personalitas enim creata in linea subsistentiæ solùm hoc affert, quod naturam ultimò terminet, reddendo ipsam alteri incommunicabilem, in quo non excedit subsistentiam, sed ipsi parificatur; cum hoc, quod est naturam reddere incommunicabilem, sit prædicatum utrique commune.

Arguit secundò; si persona adderet solam negationem unionis, verbum naturam assumens, naturam ipsam assumpsisset cum omni sua perfectione, & integritate, quam habuisset in ratione personæ; hoc affirmari nequit, ergò. Major certa est, quia natura humana Christi fuit unita verbo divino cum omni patrium perfectione, quæ spectat ad lineam, & integritatem naturæ; ergò si in ratione personæ nulla alia perfectio, aut integritas positiva superadditur, natura humana Christi unita fuisset verbo divino cum omni positiva perfectione, & integritate, quam habuisset in ratione personæ.

Probatur itaque minor, quia si natura humana Christi unita fuit verbo divino cum omni positiva perfectione, & integritate, quam habuisset in ratione personæ, jam Nestorio concederetur in Christo ultra personam verbi etiam persona alia humana, & creata quoad omnem positivam perfectionem, & integritatem, quam persona humana, & creata importat extra unionem ad verbum.

Respondeo revera verbum naturam humanam assumendo, ipsam assumpsit cum omnibus perfectionibus spectantibus ad lineam, & integritatem naturæ, quod verum est, sive personalitas formaliter consistat in positivo, sive in negatione; at hinc non sequitur, nec sequi potest in nostra sententia, quod in Christo etiam persona creata adesset. Ratio est, quia cum hæc consistat in negatione unionis cum altera natura subsistenti, quæ negatio non adest in natura verbo unita, sequitur verificari non posse absurdum, quod optat arguens in nostra sententia, sed

Dices ex eodem Eminentissimo: error Nestorii erat concedere in Christo naturam humanam cum omni positiva perfectione, & integritate, quam haberet, si existeret extra verbum, non verò consistebat in hoc, quod crederet naturam humanam Christi dicere negationem unionis ad verbum, cum unionem inter humanitatem, & verbum fateretur, ut efficaciter colligitur ex S. Cyrillo occulato Teste errorum Nestorii in ipso Concilio Ephesino. Refert enim S. Pater *lib. 2.* contra Nestorium ipsum appellasse Christum hominem cum Deo tamquam dignitatis æqualitate conjunctum, sed

Contra est: error enim Nestorii non erat asserere verbum assumpsisse humanitatem cum omni perfectione, & integritate spectante ad lineam naturæ, nisi dicere velimus Nestorianos omnes Theologos, & Catholicos, qui hoc fateri debent. Sed solùm erat in hoc, quod ita docebat verbum assumpsisse humanitatem, ut simul assumpsisset etiam personalitatem creatam, quam in negatione physicæ unionis cum ulteriori natura subsistente reponimus. Nestorius autem etsi agnosceret unionem quandam moralem, & effectivam inter verbum, & humanitatem, non agnovit tamen unionem physicam, ut superius monuimus ex eodem Cyrillo: cui accedit ipsa explicatio mysterii Incarnationis facta à Concilio Ephesino, in qua expressè colligitur errorem Nestorii fuisse verbum non fuisse physicè unitum humanitati; habet enim *Non enim dicimus quod Dei natura conversa, vel immutata facta sit caro, nec in totum hominem, qui est ex Anima, & corpore transformata sit, sed magis quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit, verbumque substantialiter ineffabiliter, & incomprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam Filius hominis non nuda solum voluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint unus tamen ex ambabus Christus.* Vide Lector summam Conciliorum Ludovici Bail, ubi de Concilio Effesino, vide Anatematismos Cyrili Alexandrini, & perspexeris nos hic non parum veritatem assequi.

Arguit tertiò. Ecclesia enim Catholica post præces jejunia, & consultationes plures in Concilio Effesino definivit naturam humanam in Christo non retinuisse propriam personalitatem; at si propria personalitas naturæ humanæ consisteret in negatione actuali unionis ad personam alienam, ut vult Scotus, frustranea esset talis definitio; ergo cum hæc frustranea non sit, asserendum est personalitatem propriam naturæ humanæ consistere in negatione unionis actualis ad personam alienam. Probatur minor, nam frustraneum est definire id, quod sola apprehensione terminorum notum est, & à nullo etiam adversario negatur; at sola apprehensione terminorum notum est naturam humanam ex suppositione unionis ad personam alienam verbi admissæ à Nestorio, non retinere negationem ejusdem unionis, cum evidens sit simul cohærere non posse unionem, & negationem unionis naturæ humanæ ad eandem verbi personam; ergò si propria personalitas naturæ humanæ consisteret in negatione actuali unionis ad personam alienam, ut Scotus, frustra Ecclesia post præces, jejunia, & consultationes plures definivisset naturam humanam in Christo non retinuisse personalitatem propriam.

Hoc argumentum novum non est in hac materia videri enim potest relatum à Suarezio, Arriaga, Spinula, aliisque innumeris adversæ partis auctoribus, quod cum superius solutum sit, nihil addendum remanet, nisi advertere, quod si subsistentia non consistit in negatione unionis; ne frustraneæ Ecclesiæ definitiones reddantur, nec etiam consistere poterit in hoc entitatula superaddita. Patet hoc, quia Ecclesia Catholica, consultationes, atque jejunia adhibuisset ad definiendum humanitatem assumptam non retinuisse propriam subsistentiam, quia Verbum illam assumpsit absque hac entitatula eo, vel maximè quod in sententia Eminentissimi arguentis modus iste positivus naturam subsistentem constituit, prout secum defert essentialiter negationem unionis substantialis ad aliud subsistens, adeoque argumentum solvendum remanet

net ab ipso, omnibusque illis, qui hoc efficiunt.

Arguit quartò. Conjunctio inter personam Verbi, & naturam humanam fuit conjunctio specialissima, & hypostatica, quia unum per se substantiale constituit cum humanitate sibi unita, sed hæc unio specialissima, & hypostatica constituens unum per se substantiale, esse non posset inter personam Verbi, & naturam humanam Christi, si hæc habuit omnem positiuam perfectionem, & integritatem, quam alioquin haberet extra verbum ergò. Probatur minor, nam unio hypostatica sufficiens ad constituendum unum per se exigit necessario, ut saltem alterum è duobus extremis sit in genere substantiæ incompletum, ac proinde non habens omnem perfectionem positiuam, & integritatem sibi debitam, ergò cum hic defectus esse nequeat in Christo ex parte personæ assumentis, quæ in illo perfectissima, & diuina permansit debuit esse ex parte naturæ assumptæ; ergò si hæc habuit omnem integritatem positiuam, quam habuisset naturaliter, extra verbum, non potuisset ex illa, & persona Verbi resultare hypostatica unio sufficiens ad constituendum unum per se.

Hoc argumentum parui est roboris, cum urgeat, si urgeat etiam Aguirre, siquidem, & si verbum assumens humanitatem non assumpsisset modum ipsum positiuum superadditum, assumpsisset tamen naturam integram, & completam in linea naturæ, & consequenter adhuc ex parte naturæ non eiset ratio incompleti, quam exigit arguens ad rationem unius per se. Pro omnibus itaque dico adhuc optime haberi unum per se: ratio est, quia estò talis natura esset completa in linea naturæ, non est tamen completa, sed incompleta in ratione suppositi: assumitur enim absque propria subsistentia, hoc ipso autem quod incompleta fit in linea suppositi, optimè potest fieri unum suppositum.

Arguit ultimo. Id, pro quo suppletur à Persona Verbi in humanitate non est negatio unionis ad suppositum alienum; ergò humanitas Christi Domini naturaliter non constituitur subsistens per negationem unionis ad suppositum alienum. Probatur antecedens primò, quia si id, pro quo suppletur à Persona Verbi esset negatio unionis, iam id, pro quo suppleret esset nihil, id autem pro quo supplet, non est nihil, nihil enim à nullo suppleri potest, sed aliquid. Secundò, id pro quo suplet persona Verbi in humanitate illud est, in quod refunderentur actiones humanitatis, si hæc seorsim à Verbo subsisteret; sed actiones humanitatis, seorsim à Verbo subsistentis non refunderentur in negationem unionis, sed in aliquod positiuum. Refunderentur enim solum in principium actiuum illarum ut quod, & ut quo, negatio autem nequit esse principium tam ut quo, tam ut quod; ergò.

Tertiò quia si persona Verbi suppleret solum pro aliquo negatiuo, & non positiuo, nullus esset influxus personæ Verbi in operationes humanitatis asumptæ, neque ut quo, neque ut quod: patet hoc quia supplens vices alicujus nihil influentis, nihil influit, neque, ut quo neque ut quod: hoc autem falsum est, cum diuinum suppositum in Henrici Schola valeret infinitæ merita Christi Domini.

Quartò sequeretur, quod Virgo Beata propriè non diceretur Theotocos, seu Deipara. Patet hoc, quia ut Deipara dicatur, opus est, quod non solùm humanitatem Christi genuerit, sed etiam ipsum Diuinum Verbum, prout suplens in humanitate id, quod à Matre extra mysterium Incarnationis generandum erat; sed si Verbum in humanitate non suplet aliquod positiuum, sed solam negationem unionis; Virgo solùm genuit humanitatem Christi, nec ipsum Verbum Diuinum, prout supplens in humanitate id, quod à Matre, extra Incarnationis Mysterium generandum erat; ergò si Verbum in humanitate non suppleret aliquod positiuum, sed solam negationem unionis, Beata Virgo non fuisset verè, & propriè Deipara, sed solum Christipara. Maior ex terminis patet, & est communis consensus Patrum, quos allegat Petavius. Minor autem probatur, quia à Matre extra Mysterium Incarnationis non erat generanda in humanitate Christi negatio unionis, quæ nihil est, & nullam actionem productiuam terminare potest, sed solum aliquod positiuum, quod capax est generationis; ergò si Verbum in humanitate non supplet aliquod positiuum, sed solam negationem unionis, Beata Virgo solum genuit humanitatem Christi, non autem Diuinum Verbum prout supplens in humanitate id, quod alioquin extra Mysterium Incarnationis à Matre generandum erat.

Hoc argumentum inter cetera validius est, nihilominus ad singulas ejus partes respondeo, & ad primam dico verbi subsistentiam supplere vices subsistentiæ creatæ lato modo, ultimò videlicet humanitatem terminando, in quo sensu creatæ substituitur, ejusque loco ponitur, non tamen propriè, vel ad præstandum eumdem effectum, quem præstaret subsistentia creata, siquidem hæc constituisset naturam humanam subsistentem in se, & non in alio; subsistentia verò verbi constituit naturam humanam subsistentem in alio, & non in se. Estò autem nihil pro nihilo propriè supplere non possit, potest tamen lato modo hoc contingere.

Ad secundam verò facilis est solutio in illorum sententia, qui suppositonegant principium operandi, ut quo, & ut quod, & solum ipsum se habere vel concomitanter, & per accidens sustinent, vel solùm per modum conditionis necessariò requisite ad agendum in natura supposita, vel suppositabili, uti propugnant Mastrius, & Vasquez authumantes actiones esse suppositi solùm denominatiuè, & quidem denominatione ultima, quia per actionem id quod ultimo denominatur, suppositum est. Huic enim sententiæ adhærendo actiones nullatenus refunduntur in supposito, tamquam in principium actiuum. At cum Henricus in summa *quæst. 3 num. 19.* tribuat supposito rationem principij illis verbis: *principium enim solummodo suppositorum est, quorum est elicere actionem, & terminare illam*, dicendum est refundi in suppositum, quatenus id, quod operatur est natura in se existens, nec alteri communicabilis, in quo sensu nulla est inplicantia.

Tertia verò pars argumenti non obstat, quia veritatem solùm habet, si diuina subsistentia suppleret vices subsistentiæ creatæ præstando eundem omnino effectum. Secundò, quia falsum est, quod Persona creata non influat per modum principij quod, dum autem obiicitur, quod nihil, nihil influit, adeoque simplicem negationem non esse principium quod, dico principium hoc non esse ipsam duplicem negationem, sed naturam duplici negatione affectam, in quo sensu induit rationem principij. Tertiò, quia quemadmodum stat, quod Persona Verbi suppleat vices Personæ creatæ rationi sui non dignificantis operationes humanitatis, nec ipsam sanctificantis, & adhuc ipsa dignificet operationes humanitatis, ipsamque sanctificet, ita stabit, quod estò Persona Verbi suppleret vices alicuius nihil influentis, adhuc ipsa influat in operationes humanitatis asumptè.

Ad

Ad quartam nego maiorem, quam ex Petavio ex terminis notam esse vult doctissimus arguens. Vt enim Virgo deipara dicatur, non est opus, quod producat Verbum, prout supplens in humanitate vices subsistentiæ creatæ, seu Verbum prout unitur humanitati ipsam ultimò terminando, sed sufficit, quod subministret materiam generationi, producat formam corporis, & organizet corpus ipsum, quod deinde perfectè organizatum uniat animæ rationali à Deo creatæ, ex qua unione resultauit humanitas Verbo Dei in eodem instanti Temporis coniuncta; sicuti qualibet mater in tantum generat hunc hominem, in quantum generat naturam humanam hanc singularem, quæ deinde redditur subsistens ita ut terminus primus, & immediatus sit natura, terminus verò remotus sit suppositum, ita hoc idem evenire poterit in nostro casu. Sed

Dices: esto humanitas in primo sui esse fuerit verbo unita, actio tamen productiva humanitatis non fuisset ad verbum terminata; ergo Beata Virgo propriè non esset Dei Mater. Consequentia est certa, ut enim Dei Mater dicatur, opus est, quod Virginis concursus ad Verbum terminetur; Probatur antecedens; Si humanitas fuisset prius tempore producta, quàm Verbo unita, Virgo non diceretur Mater Dei, ergò etiam sic denominari non poterit, etsi eodem tempore, quo fuit producta, fuit unita.

Respondeo disparitatem esse, quod humanitas prius tempore producta, quam Verbo unita, proprio esset terminata supposito, quod indueret rationem termini quod, relatè ad actionem humanitatis productiuam; at verò in secundo casu fuisset primò terminata per Verbi subsistentiam creata impedita, unde actio productiua ad Verbum, ut quod, fuisset terminata.

# LIBRI SECUNDI PHYSICORUM. DISPUTATIO PRIMA.

In qua breviter agimus de natura, de composito artificiali, de casu, fortuna, & fato, atque de violento.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Natura.*

Multipliciter accipitur hoc naturæ nomen. Primò pro essentia, & quidditate rei, in quo sensu dicitur cum Summulistis, quod definitio sit ratio explicans naturam rei, idest quidditatem, & essentiam rei; natura ità accepta reperitur in qualibet re, cum qualibet res suam habeat essentiam, & quidditatem, secundò accipitur natura pro mente divina toti uniuerso præsidente, in quo sensu ait Diuus Augustinus supra hanc naturā, esse aliā naturā, mentē nimirum diuinā, rerū omniū creatricem. Tertiò accipitur natura pro uniuersitate rerum creatarum, & in hoc sensu dicere solemus Petrum esse in rerum natura, non verò Antichristū. Quartò accipitur natura pro causis secundis, & etiam pro ipso Deo concurrente, ut Auctore naturæ, cum iisdem. In hoc sensu dicitur à Philosopho, quod Deus, & naturæ nihil faciunt frustrà. In præsenti verò non agitur de natura secundùm prædictas acceptiones, sed solùm de natura sumpta pro principio quodam substantiali motus, & quietis sensibilis, intrinseco substantiæ, quæ sensibiliter, quiescit, vel mouetur. Definitur autem ab Aristotele natura ita accepta hoc modo *principium est causa motus, & quietis ejus, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.* Hæc definitio sui explicatione probatur. Dicitur principium, quæ particula stat locò generis, cum per ipsam conveniat natura cum aliis, quæ sunt quidem principia, sed non habent rationem naturæ; dicitur & causa ad excludendam priuationem à ratione naturæ, cum priuatio, quamuis sit principium, non tamen est causa; dicitur motus, & quietis, quæ particulæ accipi non debent copulatiuè, ità ut ad rationem naturæ requiratur, quod sit principium, & causa utriusque, sed sufficit, si sit alterutrius, cum & in eo, quod solùm mouetur, ut Cœlum, & in eo, quod solùm quiescit, ut terra, saluetur ratio naturæ, quapropter accipiendæ sunt illæ particulæ in sensu non copulativo, sed accomodo, ità ut sensus sit, natura in eo, quod mouetur, est principium motus, in eo, quod quiescit, est principium quietis.

Sciendum tamen est nomine motus in ordine, ad quem definitur natura, nos non intelligere solùm motum localem, sed quemlibet motus speciem. Quatuor autem sunt species motus, generatio nimirum, augumentatio, alteratio, & latio augumentatio, est motus ad quantitatem, alteratio est motus ad qualitatem, & latio est motus ad locum. Sicuti autem nomine motus, cuius natura debet esse principium; & causa, non intelligitur solus motus localis, ità etiam nomine quietis non intelligitur sola quies, quæ sit terminus motus localis, sed qualibet quies, quæ alicuius motus sit terminus, dicitur eius, in quo est, quià ad rationem naturæ requiritur, ut sit principium intrinsecum rei, quæ movetur, vel quiescit. Dicitur in quo est primò, quià non sufficit naturam esse quomodocumque principium intrinsecum, sed debet esse primum essentiale, vel substantiale, non autem accidentale, seù superadditum rei, quæ mouetur, aut quiescit; ità quamuis grauitas sit intrinseca lapidi, & per se ipsum lapis deorsum moueatur, non tamen est de natura lapidis, quia non est primò in lapide, sed est accidens aliquod superadditum. Dicitur denique per se, & non secundùm accidens, ad excludenda à ratione naturæ quædam principia, quæ quamuis sint intrinseca ei, quod mouetur, non tamen sunt substantia ipsius, neque aliquod per se, & necessario profluens à substantia, ita, v. g. ars medica, quamvis sit intrinseca medico seipsum curanti, non tamen habet rationem naturæ, licèt sit principium motus, per quem Medicus mouetur ad sanitatem acquirendam, quia non est per se, sed per accidens in medico.

Quæres quibusnam conveniat ratio naturæ. Respondeo primò, rationem naturæ convenire materiæ, & ostendo, quia materia est principium, & causa passiva motus, & quietis in composito, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens; ergò materiæ conuenit ratio naturæ; Consequentia patet, Antecedens probatur, quia materia est causa passiva, in qua recipiuntur innumeri motus, qui contingunt in composito, in ipsa enim recipiuntur motus alternationis motus augumentationis, & motus

tus ipse eductionis formæ; ergo materia est principium, & causa motus, & quietis.

Dices. Materia prima non magis inclinat in hunc, quam in alterum motum, cum non magis appetat productionem hujus, vel alterius formæ; ergò nullus motus est naturalis materiæ.

Respondeo ex hoc, quod materia non magis appetat productionem unius, quam alterius formæ, cum appetat æqualiter omnes formas non sequitur ullum motum productiuum formæ esse naturalem materiæ, sed potius è contra omnem motum esse naturalem materiæ, quæ omnem formam æqualiter appetit.

Dices iterum Si materia esset natura ex eo, quod est principium passiuum, sequeretur, quod nullus motus esset violentus, cum quilibet recipiatur in materia, cui non opponitur.

Respondeo negando sequelam; ratio est, quia ad hoc, ut motus sit naturalis toti, & non violentus, non satis est, ut quocumquè modo sit à principio passiuo intrinseco, sed insuper requiritur, quod non sit oppositus formæ totius, sivè oppositus formæ, cum qua est unita materia receptiua talis motus. Hinc cum motus lapidis sursum sit contrarius formæ lapidis exigentis tendere deorsum, ideò est violentus, non naturalis.

Dicimus secundò formam etiam habere rationem naturæ, & probatur, quia forma est præcipua pars compositi, à qua proveniunt præcipui, & nobilissimi motus compositi, immò motus, qui secundum naturam sunt compositi, simpliciter, proueniunt à forma, quæ specialiter determinet, ut dictum est ad hanc speciem compositi; ergò forma potissimum habet rationem naturæ.

Dicimus tertiò, unionem, sicuti, & compositum non habere rationem naturæ. Hoc primo ostenditur de unione, quia ipsa non est principium, sed nexus, quo partes, nimirum materia, & forma exercent munus principii; ergo ipsa propriè non est natura. De composito vero suadetur, quia ad rationem naturæ requiritur, ut sit in aliquo, in quo exerceat munus principii, & causæ, ut patet in definitione; sed compositum non est in aliquo, uti est certum; ergo non habet propriè rationem naturæ: hinc ait Aristoteles: *quod autem* ex his, idest in materia, & forma naturæ quidem non est, sed à natura, ut Homo: solet tamen à Diuo Thoma, aliisque pluribus totum quandoque vocari naturam, ita dicitur, Verbum assumpsisse naturam humanam, idest totum compositum ex Anima rationali, & corpore, & dicitur etiam materiam, & formam coalescere in unam naturam, ex quibus patet totum etiam dici naturam, sed minus propriè, & rigorosè.

Dices ex Aristotele. *Maximè autem*, & propriè natura dicitur eorum substantia, quæ in seipsis, ut ipsa scilicet motum proprium habent; sed totum compositum est substantia; ergo totum compositum maximè, & propriè est natura.

Respondeo, nomine substantiæ intellexisse Aristotelem formam, quam ideo substantiam appellat, quia est pars præcipua, & principalior compositi, utpotè quæ determinat ad hoc, vel illud compositum, ut dictum est, ubi de forma.

Quæres, an Anima rationalis sit natura.

Respondetur, Animam rationalem esse naturam, inquantum est vegetativa, & sensitiua, & etiam prout intellectiva dependenter à sensibus, quia ut sic est principium, & causa motus sensibilis, quod requiritur ad rationem naturæ; in quantum verò est præcisè intellectiva, non habet rationem naturæ, quia ut sic non est principium, & causa motus sensibilis, ut patet in ipsa à corpore separata.

Dices ex Aristotele; formæ illæ habent rationem naturæ, quæ non sunt separabiles, nisi secundum rationem; sed anima rationalis est separabilis plusquam ratione, cum realiter, & physicè existat à corpore separata; ergò anima rationalis non est natura.

Respondeo Aristotelem loqui de formis, quæ natura sua existunt separatæ ab omni materia, ut sunt Angeli, & Intelligentiæ, quæ movent corpora. Anima autem rationalis non est hujusmodi, cum natura sua exigat, & habeat inclinationem ad unionem cum corpore, qua ratione dicitur, & quod sit in statu violento, dum existit separata à corpore.

Ex dictis intelligendum est, quod si daretur corpus omninò immobile, seu incapax motus, non esset corpus naturale, quia quamvis perpetuò quiesceret, non tamen haberet quietem, quæ requiritur ad rationem naturæ; natura autem debet esse principium, & causa motus, & quietis positivæ, vel privationis. Quies positiva est possessio alicujus perfectionis acquisitæ per motum. Quies verò privativa est negatio motus in subjecto apto, seu capaci talis motus; neutra autem quiete quiesceret, ut patet, corpus omnis motus incapax.

Dices in corpore incapaci quietis salvatur ratio naturæ; ergò in corpore incapaci motus salvatur ratio naturæ; antecedens patet, quia corpus cœleste, ut localiter mobile habet rationem naturæ, & tamen est incapax quietis, quæ sit terminus motus localis.

Confirmatur, quia corpus omninò immobile, adhuc esset sensibile, cum haberet accidentia, sensibilia; ergo esset naturale.

Respondeo disparitatem esse, quia corpus incapax quietis habet motum positivum, qui naturalis est, hoc ipso, quod est secundum inclinationem corporis, quod movetur, ut contingit in corpore cœlesti. Corpus verò omninò immobile non habet quietem, quæ sit terminus illius motus, sive sit positiva, sive privativa, sicuti requiritur ad rationem naturæ. Ad confirmationem dico, quod corpus habens accidentia sensibilia, hoc ipso secundum illa est mobile motu alterationis, aut augumentationis, adeoque non esset corpus omninò immobile.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Arte.*

OB plures rationes affirmari solet, quod ars imitatur naturam: primò, quia utitur operibus naturæ, ut ad eorum similitudinem sua opera edat, ita v. gr. Pictor volens pingere Leonem, sibi ad oculos naturalem Leonem ponit, ut ad ipsius similitudinem alium pingat. Secundò, quia ex consideratione plurium, quæ natura contingunt, ortæ fuerunt plures artes; ita ars ædificandi orta fuit in hominibus ex avium nidis, & speluncis Ferarum. Tertiò quemadmodum natura in suis operibus progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora, ita est ars.

Ars autem dupliciter considerari potest, primò ex parte Artificis; & hoc modo definita fuit à nobis in Logica *habitus cum vera ratione effectivus*. Secundò ex parte artefacti, & hoc modo ars est conformitas operis artis cum regulis, & præceptis ejusdem. Ex parte verò artefacti, puta syllogismi,

est conformitas ipsius syllogismi cum regulis, & præceptis Logicæ. Hæc in aliquibus imitatur naturam, & in aliquibus differt. Convenit primò in hoc, quod, quemadmodum natura, ita & ars aliquod præsupponat circa quod operatur, & ex illo opus à se intentum efficiat: secundò quia quemadmodum subjectum naturæ, nimirum materia est indifferens ad plura opera, ita etiam subjectum artis, puta marmor, quod est subjectum statuariæ, est indifferens ad hanc, vel illam figuram. Tertiò quia ars, sicuti, & natura paulatim perducant ad ultimam perfectionem suum opus. Quartò, quia tam in natura, quam in arte contingunt effectus monstruosi ex redundantia, vel inopia materiæ, vel ex aliquo alio impedimento. Differunt verò ars, & natura, quia natura est subjectum ejus, quod ab ea movetur; ars verò non est subjectum illius, quod per artem movetur, sed aliquod accidentale superadditum. Secundò quia omnia constitutiva operis naturalis sunt à natura; constitutiva verò operis artificialis aliqua sunt ab arte, & alia à natura. Sic in domo lapides sunt à natura, & dispositio lapidum ab arte. Tertiò quia operibus naturæ insunt vires similium productivæ, non verò operibus artis. Ita homo generat hominem, ignis ignem; non verum domus generat aliam domum.

Quæres an possit efficere opera naturæ, & an per artem Chimicam possit effici verum aurum.

Respondeo per artem posse mediatè effici opera naturæ, idest mediantibus virtutibus naturalibus, per quarum applicationem oriri possunt effectus naturales. Probatur, quia per artem agriculturæ, qua applicantur terræ semina tritici, & aliarum frugum, habentur isto tempore triticum, & aliæ fruges; sed isti sunt effectus naturales; ergò ars potest mediatè efficere opera naturæ. Ita ex folio Basilici inter duos lateres posito, post aliquod tempus generatur Scorpio, & intestinis Bovum terra coopertis nascuntur apes. Ex his autem patet per artem effici posse opera naturæ, & ad horum effectus, nihil aliud requiri, quam cognitiones naturalium virtutum, & potentiam applicativam earumdem.

Dicimus secundò effectionem veri auri esse moraliter impossibilem per artem Chimicam, & probatur, quia non nisi cum ingenti difficultate, & rarissimè, vel nunquam contingit fieri verum aurum per artem chimicam; ergò effectio veri auri est moraliter impossibilis per artem chimicam. Minor experientia constat, quia effectio veri auri ab innumeris Chimicis tentata, à nemine unquam fuit acquisita.

Dices de facto per artem chimicam medietas unius ferri clavi versa fuit in verum aurum, ut constat in clavo, qui asservatur in Musæo Magni Ducis Etturiæ; ergò non est moraliter impossibilis effectio veri auri per artem chimicam.

Respondeo clavum prædictum non probare possibiles moraliter effectiones veri auri per artem chimicam, nam dici potest, quod in illo clavo ferrum ita fuerit unitum auro ab aliquo excellenti Artifice, ut videatur una, & eadem substantia. Ad confirmationem ex duplici capite patet falsum esse aurum dedignari tanta tenacitate adherere ferro, ut videatur una, & eadem substantia. Primò, quia si hoc esset statim ac medietas prædicti clavi versa fuit in aurum illicò separata esset à ferro, cui dedignatur adhærere. Secundò quia experientia constat ferrum per artem ita inaurari, ut non prius absumatur aurum, quàm ferrum.

## CAPUT TERTIUM.

*De casu, fortuna, & fato.*

STOicorum fuit sententia, ut referunt Tullius libro primo de Diuinatione, & Diogenes Laertius in vita Zenonis omnia fato fieri, inter quos refert Priscillianistas Divus Gregorius Homilia 10. *in Euangelium*. Fati autem nomine intelligebant colligationem ex astrorum moribus trahentem vi sua efficaciam. De his autem mentionem facit etiam Augustinus *libro* 1. *de Ciuitate Dei*. Fati tamen Defensores dissides fuisse inter se docet Ruvius hic. Aliqui enim tuebantur omnes actiones humanas fato fieri, authumantes corpora Cœlestia directè influere in voluntatem humanam. Alii verò solum naturales effectus causarum, quos inter non defuere docentes, ut refert Castro *lib*: 7. *aduersus hereses*. corpus humanum in duodecim membra distribui juxtà totidem Zodiaci signa, ut quælibet Zodiaci pars dominaretur cuilibet membro, quorum errorem describit Augustinus *libro contra Faustum* his verbis: *Asserunt enim fatalibus stellis Homines colligatos, ipsumquè corpus nostrum secundum duodecim signa Cœli esse compositum, constituentes in Corpore Arietem, Taurum in Ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & cætera nominatim signa percurrentes ad plantas, usquè peruenium, quas piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab Astrologis nuncupatur*.

Novissimæ verò tamen errantes nomeo Fati traxerunt etiam ad diuinam voluntatem, quam afferebant libertatis creatæ læsiuam; in hoc errore immersi erant Prædestinatiani, ut inquit Prædestinatus, & quem stultissimo mendacio, & immoderatis calumniis tribuebant Augustino Semipelagiani, ut refert Prosper in Epistola ad Rufinum *cap.* 18. & ob quem dirimendum cum aliis, Prosper, & Ilarius suis epistolis opem Augustini implorarunt, & Augustinus libros de Prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ composuit, quibus addit Augustinus manichæos libro secundo contrà duas Epistolas Pelegianorum, uti facit Hieronymus in Prologo dialogi aduersus Pelagianos.

Fatum sic intellectum reprobandum penitus est, adeout inherendo Augustini documentis hoc oomine Catholici uti nequeant, quamuis sensum legitimum induere possit, & hoc quià nomen secundum se concretivè inspectum fuit assumptum à Gentilibus ad explicandam fatalem necessitatem, quapropter Augustinus *lib.* 5. *de Ciuitate Dei capite* 1. hæc habet. *Si propterea quisquè res humanas fato tribuit, quià ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat*. Diversa itaquè descriptio Fati afferenda est, quam egregiè exhibet Boetius *lib*: 4. *de Consolatione prosa* 6. dicendo, quod *sit inherens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina Prouidentia suis quæquè necta ordinibus*, vel ut alii clarius, quod sit ordo causarum secundum diuinam providentiam executiuus, quæ Boetii descriptio vindicatur ab oppositis a Diuo Thoma *d.st*: 30. *quæst*: 2. *art*: 1. *ad* 5.

Qui autem errabant in fato etiam relapsi sunt, dum fortunam investigarunt. Putabant enim Gentiles Fortunam divinum Numen esse, quos egregiè redarguit Augustinus libro 4. de Civitate Dei *cap.* 18. illis verbis *Quomodo bona fortuna, quæ nullo judicio venit, & ad bonos, & ad malos*. Plura autem fuisse simulacra fortunæ variis nuncupata nomioibus, optimè hic aduertit eruditus P. Pereira *lib.* 9. Physicæ, & ex parte Collegium Conimbricense,

ſe, inter quæ quoddam fuit fortunam cæcam indicans ad inſtar furis expreſſum ſupra volubilem lapidem, ut hi cujuſdam Poetæ verſiculi fidem faciunt.

*Fortunam inſanam eſſe, & cæcam perbibent Philoſophi*
*Saxoquè illam inſtare, globoſo prædicant volubilem*
*Ideò, quo ſaxum impulerit ſors cadere eo fortunam autbumant*
*Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quod nibil cernat, quo ſe ſe applicet*
*Inſanam autem aiunt, quia atrox incerta, inſtabiliſque ſit,*
*Brutam, quia dignum, atque indignum negat internoſcere.*

Unde autem devenerit origo cultus fortunæ refert Tullius illis verbis: *Ignoratio rerum, atquè cauſarum fortunæ nomen indixit*. Ignorantia ergò peperit Deam. Quænam verò fuerint ſacrificia huic Deæ inſtituta neſcimus, quamvis quidam eruditus Auctor referat apud Ægyptios fuiſſe ſexcenta ſex genera ſacrificiorum, & totidem apud Romanos, & Græcos. Idolum itaque erat hæc fortuna, quapropter, ut utar phraſi Tertulliani *libro ſuo de Idololatria cap.* 4. humanus error, undè nil mirum, ſi Auguſtinus *libro primo Retractationum cap.* 1. doceat abſtinendum eſſe etiam ab ipſo fortunæ vocabulo illis verbis: *Non mibi placet toties appellare fortunam, quamvis non aliquam Deam voluerim boc nomine intelligi, ſed fortuitum rerum eventum Dixi quidem boc. Veruntamen me pœnitet ſic illic nominaſſe fortunam, cum videam bomines babere in peſſima conſuetudine, ubi dici debet, Deus boc voluit; dicere boc ſolent, voluit fortuna.*

Ut ergò de fortuna rectè ſentiamus, audiendus eſt Doctor ſolemnis, qui de more ſubtiliter, atquè veraciter loquens, ſic de ipſa diſcurrit: *Eufortunium, quo aliquis univerſaliter benè fortunatus eſt, non debet quo ad impulſus adſcribi aſtris, aut Cœlo, aut fato niſi per accidens, quia Cœlum non intendit niſi unum determinatum, & non intendit illud, quod accidentaliter ei annexum eſt, ſed adſcribi debet multò verius Deo ſecundùm diſpoſitionem in nobis meritorum, vel demeritorum, & boc non tantùm ſui ipſius, ſed etiam Parentum, ſecundùm quod quandoquè providetur à Deo Filiis in proſperis, & adverſis ſecundùm merita Parentum. Secundùm eam Libram æquitatis juſtitiæ divinæ contingunt bominibus omnia proſpera ſcilicèt, & adverſa, ut ſi quis poſſit videre regulas juſtitiæ, quibus univerſa diſpenſat Deus, videret quod nibil eorum, quæ contingunt aliter contingere debuit, & boc omnia quæ fiunt referendo ad Deum, ut juſtè efficientem, vel juſtè fieri permittentem:* vel ut aliter explicat Doctor ex Auguſtino reducendo nomen fortunæ ad generalem providentiam divinam, & ſub illa tanquam ad cauſas proximas ad naturam, & voluntatem in quantum fiunt, non à cauſa determinata, & per ſe, ſed per ſe quæ tali cauſæ accidentaliter proveniunt, dicuntur eſſe caſualia, & fortuita.

Ut autem quis ſit benè fortunatus, quatuor requiruntur ex Doctore. Primum exigitur naturalis diſpoſitio, à qua dicitur benè natus. Secundum divina impulſio, quæ adeſt omnibus æqualiter quantū eſt ex parte Dei, licèt non omnes æqualiter eam recipiant. Tertium eſt huiuſmodi motus, ſiuè impulſus perceptio. Quartum executio operis, ad quod eſt impulſus, adeò ut ſequatur effectus, ſine cuius frequenti adeptione non dicitur Homo benè fortunatus. Hæc eſt vera intelligentia fortunæ communiter definiri ſolita: Cauſa per accidens in his, quæ operantur ob aliquem finem ex electione, nequè ſemper, nequè ut plurimum, ut explicatur ab eodem Benedicto Pereira.

Reſpectu autem Dei nihil eſt fortuiti, & à caſu, ut optimè deſcribit Boetius *lib.* 5. *de Conſolatione Proſa prima bis Carminibus.*

*Hue ex alto cuncta menti*
*Nulla terra mole reſiſtunt,*
*Non nox atris nubibus obſtat,*
*Vno mentis cernit in ictu*
*Quæ ſint, quæ fuerint, veniantquè*
*Quem, quià reſpicit omnia ſolus,*
*Verum poſſis dicere ſolem.....*

Huius autem rationem à priori tangit Doctor in *ſumma art.* 35. *quæſt* 6. in eo conſiſtentem, quod ea, quæ fiunt à caſu, in quantum huiuſmodi careant ordine ad finem, ad quem aliàs, vel à natura, vel à uoluntate nata ſunt ordinari: Cum autem Deus omnia ordinet in ſuum finem, dum agit, iam à caſu non operabitur. Tangit etiam Diuus Bonaventura ſuprà ſecundum ſententiarum *diſt* 37. *quæſt.* 2. illis verbis; *Nibil eſt à Deo caſuale, ſecundum quod eſt caſuale, quià nibil eſt à Deo inopinatè, ſeu improviſè.* Tangit etiam Durandus ex eo, quià caſualia, & fortuita ſubterfugiunt Dei Prouidentiam, quià quod non eſt præcognitum, non eſt præuiſum; ſed caſualia non ſunt præcognita, cum eueniant præter intentionem agentis; ergò non eſſent prævisa, ſi autem non præuiſa iam non à Deo.

## CAPUT QVARTUM.

### *De Violento.*

QVià violentum opponitur naturali, meritò hìc de illo agimus. Pro quo ſciendum eſt naturali opponi ſupernaturale, liberum, artificiale, & uiolentum. Naturale, cui opponitur, ſupernaturale, dicitur id, quod non excedit vires naturæ, cum econtrà ſupernaturale ſit id, quod tales vires excedit. Prout verò opponitur libero idem ſignificat, ac neceſſarium. Naturale oppoſitum artificiali dicitur id, quod ſecundùm ſe totum eſt à natura, artificiale verò, quod aliquo modo eſt ab arte: deniquè naturale prout opponitur violento dicitur quidquid fit juxta inclinationem, & exigentiam naturæ, undè violentum definitur communiter, quod prouenit à principio extrinſeco non conferente vim paſſo, ſed reluctante, ita v.g. motus lapidis ſurſum violentus dicitur, quia eſt à principio extrinſeco, videlicèt à proiiciente, & nullam vim confert idem lapis, qui mouetur, immo potius propria gravitate reſiſtit, quantum poteſt.

Dices paſſum confert aliquod motui violentum; ergò malè dictum eſt in definitione, quod nullam vim conferat paſſum; Antecedens probatur, quia paſſum eſt ſubiectum, in quo recipitur motus violentus; ergo paſſum aliquid confert.

Reſpondeo verba illa nullam vim conferente paſſo, ita intelligenda eſſe, ut ipſum paſſum renitatur motui, quo mouetur, ut innuitur etiam in ipſa definitione per illas particulas, immò potius renitente. Paſſum autem, eſtò motum recipiat, hoc evenit contra exigentiam, & inclinationem.

DIS-

# DISPUTATIO SECUNDA.

De causis extrinsecis.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quid sit causa efficiens.*

IN dubium revocare non placet hic, quod tamen aliundè impudenter negavit Cartesius 2. *part. princip. Phil. num.* 36. *pag* 53 & ex ipso Malebranchius de veritate inquirenda *lib.* 6. *cap.* 3. videlicet causas secundas non agere, nec veras causas esse effectuum, quos videmus, quapropter Cartesius nullum admisit principium intrinsecum motus, & quietis, sed utriusque solum Deum agnovisse manifestè constat illis verbis: *Deus, qui materiam simul cum motu, & quiete in principio creavit, jamque per solum concursum ordinarium tantundem motus, & quietis in ea tota, quantum tunc posuit, conservat.*

Sed quam falsò hæc dicantur clarè patet, si rationes dubitandi, quæ refert Malebranchius, referamus, simulque earum inefficaciam ostendamus. Asserit itaque primò, quod aliquid divini admittitur in omnibus corporibus, quæ nos ambiunt, dum admittuntur formæ, facultates, qualitates, virtutes, & entia realia idonea ad producendos quosdam effectus vi suæ naturæ. Secundò affirmat quod quidquid in nos, ut causa vera, & realis agere potest, necessariò est supra nos juxta D. Augustinum, & rectam rationem. Has ob causas ille Doctor agnovit corpus non posse agere in anima. *Ego enim ab Anima, inquit, hoc corpus animari non puto nisi intentione facientis; nec ab isto quicquam illam pati arbitror, sed facere de illo, & in illo, tamquam subjecto divinitus dominationi suæ.* Tertiò, quia potentia agendi, præcipuè mala infligendi, & beneficia conferendi tessera sunt divini cultus Deo debiti; unde in Sacra Scriptura Deus Israelitis probat se ab illis adorari debere, quia illos punire, & remunerari potest. Quartò, quia si Sol, quem sensus nobis repræsentant, causa universalis sit, quæ vitam & motum omnibus communicat; quemquam vix possumus temperare, quin habeamus, ut summum Numen. Omnes itaque causæ naturales non sunt veræ causæ, sed tantùm causæ occasionales.

Sed quam falsa hæc omnia sint, aliaque, quæ scripserat Cartesius, ex eo etiam cognosci potest, quod Academiæ Cadomensis Doctores die 3. Maii anno 1677. declararunt principia Philosophiæ. *Renati des Cartes contraria esse saniori Theologorum doctrinæ, nec ad gradum promovendos esse, qui ea defendere voluerit, vel scripto, vel voce etiam sub pena amittendi gradum quemcumque in sacra facultate obtinuit, Rege jubente in Concilio Versalii habito die secunda Augusti anno superius descripto.*

Et meritò: Virtute enim agendi præditas esse res à Deo factas communis est omnium consensus. Unico enim ore clamant Theologi, Philosophi, Peripatetici, & Atomistæ nonnulli activas atomos propugnantes. Communis autem hic omnium consensus reprobari non debet, nisi urgente efficaci ratione, quæ cum pluribus Theologis usque adhuc non occurrerit, probabile est, nec apud Cartesianos adesse. Quæ enim obiicit hic Malebranchius, adeò inefficiam præseferunt, ut nec Pueris obiici possint. Primum enim non urget, siquidem estò activæ sint facultates in natura, quia tamen istæ ad activitatem divinam non perveniunt, sed longè distant, sicuti finita virtus ab infinita, sic divinum Numen, nos non agnoscere in corporibus. Subtiliter enim de more Augustinus *lib.* 5. *de Civitate Dei* ad Marcellinum diversitatem referens inter Deum causam primam, & secundas, docet, quod prima illa est, quæ facit, nec fit, secundæ verò, quæ faciunt, & fiunt.

Secundum verò à veritate alienum esse perspexeris, si solùm causam universalem, & omnium primam solùm supra nos esse animadvertas, non verò causas particulares determinatis effectibus producendis à Deo accommodatas. Auctoritatem verò Augustini ad rem non facere nullus est, qui non videat. Controversia enim, & dubium hic est, an in rerum natura res aliquæ activitate præditæ sint, non verò an corpus in animam activitatem exerceat, quam solùm corpori negasse Augustinum ex ejusdem verbis apertè constat. Quinimmò ex eodem textu animam activam esse dignoscimus, cum referat Augustinus istam de hoc facere, tamquam de subjecto dominationi suæ. Nec rebus corporeis virtutem negat, sed manifestè tribuit pluribus in locis. Tertium verò ad rem non facit. Solùm enim probat divino Numini convenire mala nobis infligere posse, atque beneficia conferre, quod nullatenus derogat causarum activitati in ordine ad proprios effectus. Ultimum tandem nullius est roboris. Nec enim usque adhuc Peripatetici ad eam devenerunt insaniam, ut solis corpus inter cœlestia maximè excellens (ut loquar Augustini verbis) tamquam divinum numen haberent, ut impiè credidisse Manicheos refert Augustinus *lib.* 2. de moribus Manicheorum. Esto enim vitam, & motum omnibus Sol communicet, hoc tamen efficit virtute finita cum dependentia à prima omnium causa modo alibi explicando. His itaque Cartesii deliriis omissis, pro certo tenendum est, quod causa efficiens communiter definiri solet: *Primum unde motus, aut quies*, vel aliter *Principium primum mutationis, aut quietis*. Contra hanc definitionem, quam plures sequuntur, quædam obstant argumenta. Præcipuum tamen, quod aliquam ingerit difficultatem, sic procedit. Illa definitio legitima esse nequit, quæ alteri à definito convenit; atqui prædicta definitio aliis causis à causa efficienti convenit; ergò. Major est certa, cujus certitudo nota est etiam Summulistis. Probatur itaque minor, & primò talis definitio convenit etiam naturæ, etenim etiam hæc definitur: principium motus, & quietis ejus, in quo est primò, & per se. Convenit etiam causæ finali, immo potius causæ finali, quàm efficienti, cum potius hæc sit principium per se, & extrinsecum, & prius sit in causando, quàm efficiens. Convenit tandem tertiò causæ materiali, quia & ista est primum principium mutationis in suo genere; ergo.

Respondeo legitimam esse Aristotelicam definitionem, nec ab ejus valore deturpatur per argumentum relatum, siquidem talis definitio non naturæ convenit, quia quamvis hæc sit principium motus, non est tamen tamquam ab eo, à quo primò incipit motus, sed est principium motus, & quietis in eo, in quo est primò, & per se. Præterea natura est principium intrinsecum motus Interni, causa verò efficiens est principium extrinsecum, nec urget, quod secundò proponitur; causa enim finalis, esto prius moveat agens antequam operetur

tur, tamen non prius movet subjectum, ex quo aliquid fit. In executione enim causa efficiens est prima, cum etiam actio primò emanet ab ipsa. Nec tandem urget, quod tertio loco dicitur, quia quamvis realis mutatio fit simul, & à causa materiali, & à causa efficienti, prior tamen est influxus causæ efficientis, quàm materialis; vera enim est hæc causalis. Ideò materia recipit formam, quia causa efficiens agit, non verò hæc alia, ideò causa efficiens agit, quia materiam recipit.

Quod si dicas allatam definitionem non convenire causæ creatrici, cum hæc non sit principium mutationis, dico dissidium esse inter Auctores, utrum Creatio sit mutatio. Divus Thomas negatiuam sustinet partem, quià mutatio propriè designat hoc esse post hoc citcà aliquod idem, seù unum commune subiectum actu existens, ut patet in ipsis motibus alterationis, augumentationis, atque diminutionis. Cum autem certum sit hoc in Creatione non intervenire, iam creatio non erit mutatio. Huic dicendi modo communiter adhærent Thomistæ, & ex exteris, quos viderim, Suarez in metaphysica *disp: 17.* de causa efficienti in communi, addens Philosophum per superiorem definitionem solùm attendisse ad causam efficientem naturalem, quæ revera semper coniuncta est cum mutatione, hoc colligens ex eo, quod in secundo Physicorum sit tantùm sermo de causis naturalibus.

At nullam video necessitatem coarctandi talem Aristotelicam definitionem ad solas causas creatas, cum etiam creatio suo modo principium esse possit mutationis, non quidem physicæ, quia hæc importat subiecti transitum de non esse ad esse, sed metaphysicæ consistentis in puro transitu de non esse ad esse, uti etiam aduertit hic insignis Thomista Joannes à Sancto Thoma, & ipsam sequitur etiam Henricus in Summa *art. 39. quæst 11* & *§ est igitur*, ubi docet Creationem ipsam habere aliquod subjectum commune considerans rem ipsam creandam in triplici Statu. Primò prout est in intellectu antè instans suæ Creationis. Secundò prout est essentia ipsa in instanti suæ Creationis. Tertiò pro ut est ipsa essentia creata, secundùm quod est aliquod præter esse, & non esse. Primò modo docet Doctor rem creandam non esse subjectum creationis, sed unicè in potentia remota, ut creetur; Secundò modo esse unicè creationis terminum. Tertiò verò modo esse subjectum mutationis, & hoc quia, quemadmodum materia, quia media est inter ens, & non ens, ideò est subjectum generationis, sic quia essentia tertio modo est veluti media inter esse, & non esse, erit subiectum Creationis metaphysicum.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An duæ causæ possint esse simul sibi invicem Causæ.*

UT difficultas proposita clarior euadat, pro certo tenendum est primò causas reales quasdam esse ejusdem speciel, quasdam verò diversæ, uti sunt omnes quatuor causæ, si inter se comparentur. Nunc difficultas, nedum procedit de causis ejusdem, sed etiam diversi generis, dummodo reales sint, quærendo: num duæ causæ efficientes esse possint inter se mutuò causæ, Et num esse pariter possint, si una materialis sit, & altera efficiens; vel si vis, si una materialis sit, formalis altera, quamvis in rigore de his causis procedere non possit difficultas, cum hic tantùm difficultatem proponam inter duo mutuò habentia prioritatem naturæ, qualem certè in nostra sententia nullæ habent formæ, vel substantiales, vel accidentales.

Tenendum est secundò pro causa in præsenti intelligi, quidquid quomodolibet ingreditur actum primum proximum in ordine ad aliquem effectum, adeoquè causam hîc accipi non solùm pro causa propria, & rigorosè tali, sed etiam pro conditione; Tam enim repugnat quod duo sint sibi invicem causæ, quam quod sint sibi invicem conditiones, vel sibi invicem causa, & conditio. Hoc posito sit.

### CAPUT PRIMUM.

*Repugnat quod duo pro eodem instanti reali sint sibi inuicem causa secundùm primum, & idem esse reale, & secundùm eandem realem existentiam, tàm in eodem, quàm in diverso genere causæ.*

COnclusio hæc à me ostenditur medio communi apud omnes Auctores, sed tamen solido, & quia hoc sub diversa forma proponi solet, nobis placet ipsum exhibere, eo modo, quo exhibetur ab amatissimo Magistro Sosteneo Cavalli Præceptore meo, qui sic procedit: implicat, quod res existat antequam sit; sed si datetur mutua causalitas res existeret, antequam esset; ergo implicat mutua causalitas. Maior liquet, Minor ostenditur; si pro eodem instanti reali, in quo *A*, causat *B*, causaretur à *B*, deberet *A*, constituere actum primum proximum in ordine ad *B*, Modo sic arguo. In illo priori, in quo *A*, constituit actum primum ad *B*, nondum existit *B*, quia secus actus primus non præcederet actum secundum, nec verificaretur, quod prius est esse, quàm operari, sed in illo eodem fieri deberet ipsum *B*, etiam existere, ergò deberet existere antequam esset. Probatur minor, in illo signo, in quo *A*, constituit actum primum proximum in ordine ad *B*, certè *A*, existit; ergò existit actio ipsius productiua, nam nullum ens contingens potest existere absque actione ipsius determinata, sed in illo signo, in quo existit actio productiua *A*, debet etiam existere *B*, quia actio productiua *A*, est actio profluens à *B*, non potest autem existere actio, quin existat principium, à quo profluit; ergò in eo signo, in quo existit completus actus primus in ordine ad *B*, existit necessariò, & ipsum *B*, ergò *B*, existit priusquam existat.

Urgeo brevius. Ad effectum supponitur existentia; ergò si effectus dat esse suæ causæ, nempè si est causa suæ causæ, jam effectus supponitur existens ad suam causam. Hoc autem chimericum est, nam effectum præexistere suæ causæ, est etiam præexistere sibi ipsi, cum & causa præexistat effectui, sed effectum sibimetipsi præexistere est omninò chimericum; ergò etiam chimericum erit effectum præexistere suæ causæ; ergò implicat, quod duo sint sibi invicem causæ.

Dices negari quidem ab omnibus mutuam causalitatem in eodem, non autem in diverso genere causæ, nam in Sententia Thomistica materia dependet à forma conferente existentiam ipsi materiæ, cum aliundè apud omnes certum sit, materiam causare formam. Sed

Contrà est, quià præsens difficultas procedit in ordine ad duplicem causam, quarum utraque causet cum vera, & propria causalitate, & cum prioritate naturæ ad effectum. Quamuis autem materia sit vera, & propria causa formæ, tamen forma nullo modo

dat esse materiæ, nec est vera Ipsius Causa, sed solùm ipsam informat, & actuat cum sola dependentia ab ipsa à posteriori.

Et hæc est ratio, cur idem nequeat se ipsum producere, ut ex nostris optimè aduertit Illustrissimus Lodigerius, quia implicat aliquid non esse in actu in solo signo, in quo intelligitur dare esse, & efficienter causare; sed siquid reciperet esse à se ipso, illud idem in priori ad receptionem sui esse, intelligeretur dare sibi esse, & efficienter seipsum causare; ergò id, quod acciperet esse à se ipso esset in actu in priori ad receptionem sui esse, quod repugnat; Sed quid Aduersarii doctissimi dicant, vel dicere possint præcipuè loquendo de mutua causalitate in diverso genere Causæ, audiamus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur argumentis aduersæ Partis.*

Arguunt primò, vel arguere possunt, diuersitas instantium in iis, quæ se causant, tollit omnem repugnantiam; ergò etiam identitas instantis, cum diversitate causalitatis, removebit pariter omnem repugnantiam. Probatur hæc Consequentia, ideò diversitas instantium tollit omnem repugnantiam, quià facit, quod unum sit in priori in uno instanti, in quo causat, & non sit in altero, in quo est causatum, non verò est causa; sed etiam sublata mutua causalitate in eodem genere causæ haberetur, quod unum esset in priori, secundùm unam rationem, secundùm quam causaret, non esset verò secundum aliam, vel sub alia inspectione, sub qua non causaret; ergò.

Explicatur amplius argumentum. Ad hoc, ut repugnet, rem esse in priori ad sui causam debet intelligi in priori ad sui Causam secundùm illam rationem, qua causa causat, & qua effectus est causatus, non verò secundùm aliam rationem, secundum quam causa non causat. Patet hoc, nam si intelligatur in priori secundùm illam rationem tantum, secundùm quam non causatur, nulla interveniret vera repugnantia, cum tantum sit unum præsuponi ad aliud, sed quoties est mutua causalitas in diverso genere causæ, tantum intelligitur, quod unum sit in priori ad aliud secundùm illam rationem, secundùm quam non causatur, non verò secundùm quam causatur; ergò iuxtà rei veritatem nulla interueniret vera, & realis repugnantia, in hoc quod duo se mutuò causant in diverso genere causæ.

Respondetur mutuam inter duo causalitatem etiam in diverso genere causæ, dummodo intelligantur causare in eodem instanti reali in genere causæ physicæ, tam benè repugnare, quàm benè repugnat mutua causalitas in eodem genere causæ, patet hoc, quià repugnantia tota fundatur suprà illud, quod in priori intelligeretur, rem esse, antequam esset; hæc autem non tollitur per diversum genus causalitatis, quin potius manifestè sequitur, siquidem quamuis v. g. causa materialis, dum formas habet causare, non ipsas causet in eodem genere, quo ab ipsa forma causatur (si causetur) necessè est tamen, quod in priori existat ad ipsam, si verè physicè ipsam habet causare, cum ipsam causet in genere causæ physicæ, qumuis materialis; ex alia verò parte in eodem instanti non posset, existere, quià à forma communicaretur existentia; ergo diversitas Causæ, dummodo causæ physicæ sint, & se mutuo causent pro eodē instanti reali in ordine ad idē esse, non absolvit à repugnantia, quæ inuenitur in mutua physica Causalitate eiusdem generis.

Arguunt secundo; non repugnat, quod idem producat se ipsum; ergo non repugnat quod duo pro eodem instanti reali sint sibi inuicem causæ. Cosequentia hæc liquet, eædem enim Repugnantiæ, quæ afferri possunt, & solent pro consequenti, ædem inquā omnino stant pro Antecedenti. Ostenditur itaquè Antecedens. Corpus Christi ponitur in Sacramento Altaris; per reproductionem, hoc est se ipsum reproducendo. Sed se ipsum repoducere est se ipsum producere; ergo non repugnat, quod idem producat se ipsum.

Præterea in probabili sententia Christus effectivè concurrit ad actionem sui ipsius conseruatiuam in Sacramento Altaris sed actio conseruatiua est actio verè effectiua, cum conservatio sit continuata productio; ergo Christus effectiuè concurrit ad actionem effectiuam sui ipsius.

Respondeo facilem esse solutionem, si doctrinam adueriamus, quam tradit Illustrissimus Lodigerius *lib. 1. disputationum Theologicarum disp. 1. quæst. 5. cap. 3.* ubi docet, quod Christus in Sacramento Altaris per sui reproductionem nō dat corpori esse simpliciter cum simpliciter sit Christi Corpus ante consecrationē, sed dat solū esse secundū quid, nimirū modo inextenso, & definitiuo. Sic etiam concurrere dicitur Christus effectivè ad actionem sui ipsius, non quidem ut per ipsam accipiat esse simpliciter, sed solùm secundùm quid. Dum autem dicitur, quod nihil dat sibi suum esse, intelligi hoc debet simpliciter, & absolutè, in quo solùm sensu sequuntur repugnantiæ in argumento allatæ, per quod patet in forma.

Arguunt tertiò; non repugnat, quod una, & eadem res præcedat aliam in genere causæ materialis, & quod subsequatur ad illam in genere causæ efficientis; ergo. Probatur Antecedens ad Hominem, quia per nos Creatio materiæ, quæ est actio transiens, subjectatur in ipsa materia, quam producit, & consequenter præcedit illam in genere causæ efficientis, licèt sit posterior ipsa in genere causæ materialis: Quod totum etiam ostenditur in conversione Sacramentali, si hæc sit actio transiens, quæ recipitur in Corpore Christi Domini, quod effectivè attingit.

Confirmatur multipliciter primò de facto datur mutua causalitas in diuerso genere causæ inter accidentia disponentia ad formam, & formam ipsam; ergò, Probatur antecedens, accidentia disponentia ad formam sunt causa dispositiva formæ; forma verò est causa ipsorum effectiua. Secundò intellectio divina est prior volitione regulativè, quia cognitio regulat volitionem, & tamen volitio prior est ipsa cognitione in genere objecti motiui. Tertiò estò Spiritus Sanctus procedat à Filio, tanquam à principio sui quasi effectiuo, Filius nihilominus procederet etiam ex cognitione Spiritus Sancti; ergo iam secundùm diuersam inspectionem duo benè possunt esse mutuo principium.

Respondeo, quod si fiat hæc mutua causalitas pro eodem instanti reali repugnat, quod una res præcedat aliam in genere causæ materialis, respectu cuius sit deindè posterior in genere causæ efficientis, & hoc quia illa res intelligeretur esse antequam esset. Esset nim, quia esset causa materialis, & physica talis rei, non esset verò, quia nihil intelligi potest existens in priori ad suam causam efficientem, cum per ipsam habeat existere. Causa enim efficiens terminatur ad conferendum rei existentiam,

nec

nec valet exemplū actionis creativæ, tum quia actio hæc non habet propriè rationem causæ efficientis, sed unicæ viæ, & medii, quo causa actu agit; tum quia propriè materia non exercet rationem subjecti relatè ad ipsā. Ad primæ autē partis Confirmationē dico ipsam tangere difficultatem illam, quæ solet agitari in Schola Thomistica, utrum nimirum accidentia disponentia ad formam effectivè producantur ab ipsa, affirmandbus Thomistis, ut videbimus suo loco, negantibus aliis extra Scholam Divi Thomæ, cujus negationis fundamentum mihi semper visum fuit præcipuum, & solidum in eo consistens, quod accidentia disponentia ad formam præsupponi debent in aliquo priori saltem natura existentia ad ipsam formam producendam, quod autem prout existens qua tale præsupponitur ad aliud profectò nequit esse illius effectus, cum de ratione effectus sit non in priori, sed quod in posteriori tantum intelligatur existens ad sui causam, quapropter in materia de gratia affirmabo ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem non provenire effectiuè ab ipsa gratia sanctificante; sed ab alia gratia actuali inhærente, per quam Deus habet mouere Peccatorem ad actus meritorios exigentes aliquod comprincipium supernaturale.

Ad secundum dico, quod quamvis intellectio divina exerceat causalitatem regulatiuam (impropriè tamen, & metaforicæ) in ordine ad volitionem, non tamen volitio eamdem exercet respectu intellectionis, cum ratio obiecti motivi volitioni relatè ad intellectionem non concedatur in Schola Henrici & Divi Thomæ, uti videri potest per extensum in materia de diuina scientia apud Illustrissimum nostrum Lodigerium.

Ad tertium dico Spiritum Sanctum non esse principium Verbi, quamvis concurrat ad cognitionem, ex qua Verbum procedit: & ratio est, quia ad cognitionem ipsam non concurrit tanquam obiectum motiuum, sed solùm terminatiuum, quod efficienter ad ipsam cognitionem non se habet.

Arguunt ultimo. Ideo per nos dari nequit mutua causalitas, quià idem esset causa sui ipsius iuxtà illud, quod est causa causæ, est causa causati; sed hæc ratio non est exclusiua causalitatis in diverso genere causæ; ergò saltem in diuerso genere Causæ erit possibilis mutua causalitas. Major liquet. Ostenditur minor dupliciter, primò ex communi sensu omnium Philosophorum, & ex ipso Scoto *in 4. dist. 49. quæst.* 2 affirmante valere tantùm in causis eiusdem generis relatum principium. Secundò ratione, nam hoc ipso, quod causalitas est in diuerso genere, jam quod est Causa suæ Causæ non est causa ejus secundùm id quod habet à sua Causa, sed secundùm aliud; sed hoc ipso, quod non est causa suæ causæ secundùm id; quod habet à sua Causa, jam non est Causa sui ipsius, cum non causaret sui causam secundùm idem esse; ergò.

Reuera difficile est hoc argumentum, quod affertur, & adeo difficile, ut Scotus, & Suarez ex ipso asseruerint repugnantiam hanc in maiori relatam militare solùm in Causis eiusdem generis. Nihilominus placet nobis illam extendere etiam ad causas diuersi generis, dummodo sint Causæ physicæ se causantes pro eodem instanti reali temporis; nam quamvis effectus intelligatur causare sui Causam, non secundùm illam rationem, secundùm quam est causatus, sed secundùm aliam, intelligitur tamen simpliciter, & absolutè ipsam sui causam causare, cum verè causet physicè. Quod autem est causa suæ Causæ secundùm illam rationem, secundùm quam causa producit effectum, est causa sui ipsius, quamvis deindè causet secundùm rationem diuersam ab illa, à qua fuit causatus. Sufficit enim quod causetur effectus physicè à sua Causa, quæ deindè mutuo ab effectu physicè influente iterum causetur; ad hoc ut intelligamus talem effectum fore se ipsum causaturum, vel se ipso priorem.

## QVÆSTIO TERTIA.

*An idem effectus possit produci simul à duplici causa totali.*

Controuersia hæc, quæ communiter proponi solet, non procedit de pluribus causis subordinatis, de quibus loquendo certum est nedum de possibili, sed etiam de facto producere eumdem effectum, cum pro eo signo, pro quo effectus à causa secunda producitur, & à Deo producatur. Cardo itaquè difficultatis cadit supra plures causas efficientes totales non subordinatas. In qua duplicem inuenio sententiā, quarum prima docet nullam adesse repugnantiam in tali productione. Hanc communiter defendunt Patres Societatis Sectantes in hoc Sententiam Suarez, Ariagæ, Hurtadi, aliorumquè, quibus adherent Quiros, Spinula Maignan, ulterius existimantes hoc etiam naturaliter esse possibile. Secunda sententia communissima in Schola Divi Thomæ, & Subtilis sustinet huiusmodi effectus impossibilitatem. Hujus Auctores non refero, cum innumeri sint, & videri possint apud Complutenses ex Thomistis, apud Mastrium ex Scotistis. Huic secundæ adheret Henricus, ut optimè colligitex nostris Magister Ventura, & quidem *Quodlibeto 4. quæst.* 13. & 14. cum quo, & cum aliis sit.

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Secunda Sententia.*

Vnde nam desumatur repugnantia effectus ad produci à duplici principio efficienti non est omnium una, & eadem mens. Aliqui enim volunt hauriri ex hoc, quod quæl bet ex illis causis esset, & non esset totalis, totalis ut supponitur, nō totalis vero, quia relinqueret locū alterius causalitati, sit ex Thomistis procedit celebris Ioannes à S Thoma Alii verò repugnantiam petunt ex parte operationis, quia nempe esset duplex operatio, & non esset; esset quia adesset duplex principium, non esset deinde, quia terminaretur ad eundem effectum. Alii verò ex parte effectus repugnantiam desumentes, dicunt ipsam esse, quia talis effectus essentialiter penderet, & non penderet à qualibet ex illis efficientibus, & hæc est vera ratio D. Thomæ, & Scoti, ut optimè advertunt eorum discipuli, quamvis rationem hanc Patres Societatis per varias solutiones doceant invalidam esse ad intentum, aliqui verò implicantiam desumunt eo quia huiusmodi effectus duplici existentia simultanea deberet donari, cum duplex causa efficiens totalis duplicem existentiam conferat, sic ex nostris Magister Ventura; sed quidquid sit de his rationibus. Validiores eligo, & sic arguo primò ad rem. Repugnat eundem effectum simul per se essentialiter dependere à pluribus causis totalibus, & adequatè suam dependentiam terminantibus, sed si unicus, & idem effectus à pluribus causis totalibus simul produceretur, dependeret simul à pluribus causis suam dependentiam totaliter

totaliter terminantibus; ergo. Major ostenditur, quia si aliquis effectus dependeret simul à pluribus causis suam dependentiam totaliter terminantibus, sequeretur, quod à nulla essentialiter dependeret, vel quod simul ab una dependeret, & non dependeret essentialiter; hoc implicat; ergò implicat aliquem effectum simul dependere per se à pluribus causis totalibus, & adequatè suam dependentiam terminantibus. Probatur sequela majoris, quia tuncunum non penderet essentialiter ab alio, quando hoc non existente, adhuc illud existeret; sed si aliquis effectus penderet simul a pluribus causis totalibus, qualibet illarum non existente, existeret ille effectus, cum qualibet illarum sit sufficiens, ut supponitur ad illius existentiam; ergo à nulla illarum essentialiter penderet.

Huic rationi validissimæ occurrunt variis modis Adversarii, & primò occurrit Andreas Semerii dicendo rationem hanc totam evanescere per explicationem huius vocabuli *pendere*. Si per ly pendere intelligatur rem ita esse ab hac causa, ut cessante tali causa non esset, implicat in terminis effectum pendere à duplici causa; sed hic nequit esse sensus. Ita enim dicimus rem esse à duplici causa, ut utralibet deficiente adhuc res esset, & secundum totam suam perfectionem intrinsecam esset. Si autem per ly *pendere* nil aliud intelligamus, nisi procedere, aut effici, negandum est, quod procederet, & non procederet, efficeretur, & non efficeretur; sed

Contra est. Libentissimè do explicationem illius vocabuli pendere, quam desiderat Auctor, ut argumenti vim evadat, sed id, quod adverto est, etiam data hac vocabuli explicatione argumentum non solvi; siquidem hic difficultas non est de dependentia, utcumque sumpta, sed de dependentia cum addito, nimirum essentiali, quam indispensabiliter importat effectus ab illa causa, à qua producitur in sensu composito productionis, quæ dependentia, nedum importat esse receptum ab alio, sed ulterius, quod ablato principio, à quo res pendet, & res ipsa auferatur.

Respondent alii secundò dicendo effectus creatos a causis creatis essentialem dependentiam non habere. Hanc enim dicunt solum reperibilem esse in ordine ad primam causam, a qua quælibet creatura essentialiter dependet. Quapropter contendunt ineptum esse argumentum, cum innitatur falsitati; sed

Contra est, omissis enim variis impugnandi modis, quibus impugnari solent sic respondentes a Scotista Mastrio, docente etiam in creatis essentialem inveniri dependentiam, ut patet in ipsis actibus vitalibus, qui taliter pendent a suis principiis vitalibus, ut a solo Deo produci nequeant, quapropter in schola Henrici affirmari solet Deum supplere non posse loco potentiæ intellectivæ tribuendo actui vitalitatem propter essentialem dependentiam ejusdem actus a potentia vitali; omisso inquam hoc impugnandi modo, dico etiam effectus creatos pendere essentialiter a causa creata, non quidem simpliciter, & absolutè, uti pendent a Deo, sed ex suppositione, quod producantur ab ipsa causa creata.

Respondet tertiò Suarez dicendo, quod ad hoc ut aliquid essentialiter, & per se ab alio dependeat, non necessario requiritur, ut auferatur id, quod pendet ablato illo, à quo pendet, sed sufficit, quod ab illo verè recipiat esse, licet illo non dante esse, & sic cessante dependentia, ab illo, adhuc retineat esse, ut ab alio datum; Sed

Contrà est, quià dependentia per se distinguitur à dependentia per accidens in hoc, quod prima dicat aliquam necessitatem, & non contingentiam, sicuti dicit secunda, sed hec necessitas non est aliud quam id, quod per se pendet, ità connectatur cum illo, à quo per se dependet, ut pro instanti dependentiæ, nequeat unum existere absquè alio. Si enim unum sine alio existere possit, iam erit dependentia cum contingentia, quæ est dependentia per accidens; ergò unum ab alio per se dependere non solum dicit unum ab alio totaliter recipere esse; sed etiam, ut nequeat habere esse sine illo pro instanti, pro quo ab illo per se pendet.

Præterea dependentia per se effectus à causa fundatur in indigentia, quam habet effectus, ut producatur à causa ad existendum; ergò si aliquis effectus in hoc instanti ita producatur ab una causa, ut ad existendum non indigeat illa, & simul ita producatur ab alia, ut non indigeat illa ad existendum, necessariò sequitur à nulla per se dependere; sed si à duplici causa totali simul produceretur, ità produceretur à qualibet, ut illa non indigeret ad existendum, cum qualibet ablata, & alia remanente adhuc existeret; ergò à nulla per se penderet quod non est dicendum. Sed dices primò posset Deus tribuere effectui aliã dependentiam, qua non egeat, ut existat, sicuti corpori, dum est in uno loco in alio simul esse potest, quo non eget. Dices secundò effectum in eo casu neutra determinate indigere, & a neutra determinate à se dependere, indigere tamen, sivè dependere ab aliqua Indeterminate; eo modo quo visio neutro oculo determinatè indiget; indiget tamen aliquo indeterminatè. Undè in eo casu uni, & eidem indigentiæ, quam haberet effectus alicuius causæ indeterminatè, satisfaceret Deus liberaliter per duplicem, quamuis nec hac, nec illa alia determinatè accepta indigeret, sed aliqua solum indeterminate.

Contrà est, & in primis relatio dependentiæ, quàm quilibet effectus importat relatè ad suam Causam fundatur in indigentia eiusdem effectus, ut optimè ex Vasquezio aduertit hic Mastrius contra Hurtadum, cuius est prima instantia; ergò si per unicam causam totalem expleatur indigentia, ut revera expleri debet, si sit causa totalis, iam ab altera pendere non poterit, cum alterius indigentiam non habeat, ad hoc ut sit. Paritas autem de replicatione circumscriptiua non tenet, quià hæc nobis censetur pariter impossibilis. In sententia verò, quæ sustinet huius possibilitatem, respondere possumus dicendo corpus non pendere essentialiter à loco, undè non implicat, quod sit in duplici loco.

Ad secundam instantiam dico hic sermonem non esse de effectu, prout procedere potest à causa, vel in actu primo, in quo sensu vera est hæc doctrina Suarez; sed de effectu pro ut actu procedit, & gignitur à causa, in quo sensu dependentia est determinata, & si ab utraquè causa actu producatur, actu ab utraquè determinatè dependebit, & utraquè indigebit, quod.

Totum explico exemplo visionis contrà nos adducto, quià etsi demus visionem consideratam in actu primo posse ab uno, vel altero oculo pendere, ità ut à nullo determinatè pendeat, tamen si sermo sit de eadem, ut producta, non potest non pendere ab aliquo determinatè, & hoc quià id, quod est, ex suppositione, quod sit, non nisi à causa determinata esse potest; sed effectus in hipotesi actu esset à duplici causa; ergò ab utraquè actu determinatè de-

drpenderet, ex altera parte suprà ostensum est, quod non penderet; ergò semper uiget inconveniens ex Diuo Thoma, Scoto, & Henrico superius expositum.

Secundum fundamentum illud est, quod superius terigimus, quod ferè communiter proponi solet in Schola Scoti, & à nobis sub hac forma exhibetur. Idem numero effectus in eodem instanti bis produci nequit; ergò nequit à duplici causa totali causari. Consequentia hæc liquet quià causari à duplici causa totali est bis in eodem instanti produci, antecedens verò probatur; nequit idem in eodem instanti bis corrumpi; ergò neque bis in eodem instanti produci. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens autem est manifestum, quià unica corruptione posita nihil amplius remanet corrumpendum; ergò nequit idem duplici corruptione corrumpi.

Dices posse aliquid bis corrumpi, si subtrabatur duplex influxus totalis, quo prius conseruabatur, adeoquè potest etiam idem bis produci in eodem instanti; sed contra est, quia illi duo influxus rem illam conseruantes ad inuicem ita se habebunt, ut unus poni possit, quin alter ponatur. Hoc certum esse omnino existimo; ergò pariter poterit unus desinere, quin alter necessariò desinat esse. Supponamus ergò, quod unus tantùm ex illis desinat, tunc peto, effectus quoad substantiam, vel desineret, vel non? Si dicas secundum, contra est; ergò talis effectus non conseruabatur per illum influxum, cum ex illius ablatione, & desitione nihil effectus deperdatur. Si primum, ut rursus inquiro, vel ita desinit effectus quoad substantiam, & nihil illius maneat destruendum, vel ita ut aliquid destruatur, & aliquid remaneat. Si primum, habemus intentum, quod nimirum effectus nequeat bis corrumpi in eodem instanti, si secundum; ergò id, quod remanet, non conseruabitur per influxum ablatum, sed solùm id, quod destruitur; ergo illi influxus non erant totales contra suppositum.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Argumenta aduersæ Partis præcipua dissoluuntur.*

ARguunt primò aliqui. Natura humana terminata per subsistentiam Verbi poterat diuinitus simul terminari ab aliis Personis; ergo etiam unus effectus adæquatè productus per unicam causam efficientem totalem produci poterit simul ab alia. Antecedens est certum. Probatur itaquè consequentia; non minus natura humana per subsistentiam Verbi intelligitur adæquatè terminata, & ab ipsa dependens ut subsistens, quàm effectus productus, per unicam causam efficientem intelligatur adæquatè productus; & ab ipsa dependens, sed nihilominus primum est possibile, ergo & secundum.

Confirmatur primò. Natura humana propter solam capacitatem ab una subsistentia terminata potest ab alia simul terminari sine propria dependentia; ergo etiam effectus productus ab una causa efficienti totali poterit ab alia produci sine dependentia.

Confirmatur secundò, quia Christi humanitas adæquatè a Verbo terminatur solùm intensivè, non extensivè, salva contradictione potest terminari simul ab alia Persona; ergo quia effectus potest produci ab una causa totali, solùm adæquatè intensivè, & non extensivè, poterit absque contradictione produci ab alia.

Confirmatur tertiò; nulla cernitur repugnantia in hoc, quod in Henrici sententia eadem relatio possit simul terminari ad plures terminos; ergo etiam quod duæ causæ simul possint terminare ad eundem numero effectum.

Huic argumento cum suis confirmationibus non unica est solutio. Illustrissimus Petrus Godoy *quæst. 3. de Incarnatione tract. 3. disp. 26* § 4. existimat harc in hoc consistere, quod dependentia naturæ à supposito diuino impropria sit, & terminativa, non verò propria, & causalitatis, quæ cum oriatur ex vi terminandi etiam relucente in aliis diuinis subsistentiis, & potentia obedientiali naturæ assumptibilis, non verò ex ejusdem indigentia, hinc potest optimè ab una terminata, terminari simul ab aliis; sicuti propter eandem rationem una relatio terminari poterit ad plures terminos, cum pariter isti vim habeant terminandi; at verò dependentia effectus à causa propria est, & in indigentia fundata, quæ cum expleta sit per unicam causam efficientem totalem, hinc dependere non poterit ab alia. Sed

Hæc solutio quibusdam non placet. Ratio istorum est, quia si natura terminata una subsistentia, potest etiam alia, non propter indigentiam ejusdem, sed propter potentiam obedientialem naturæ, & vim terminandi, quæ adest in aliis subsistentiis; poterit etiam hoc affirmari de effectu videlicet, quod dependeat à pluribus causis non propter indigentiam, sed propter effectus potentiam obedientialem, & virtutem productivam in pluribus causis relucentem, eo vel maximè, quod natura subsistens (dicunt isti) ut subsistens, tam propriè dependet à subsistentia, quàm effectus à sua causa, quamvis in diverso genere. Secundò, quia sicuti dependentia effectus fundatur in indigentia, ita coexistentia termini in relatione fundatur in relationis exigentia; sed nihilominus hac exigentia termini per unū terminum explera potest adhuc eadem relatio alium respicere terminum; ergo etiam poterit idem effectus, quamvis expleta sit ejus indigentia per unám causam, ab alia causa dependere.

Ut solidius itaque argumento occurram, dicendum est primò ipsas subsistentias divinas, si terminarent eandem humanitatem, adæquatè in actu secundo non terminare, sed inadæquatè, cum in actu secundo quælibet suum attemperaret concursum. Secundò dicendum est naturam, ut suppositatam ab una Persona divina non recipere idem esse subsistens, ac reciperet ab alia; sed diversum, quemadmodum etiam sunt diversæ Personæ, & subsistentiæ; at verò effectus à duplici causa productus reciperet idem esse ab utraque, quod repugnare probavimus. Nec obstat, quod obiicit Godoy contra hanc utramque solutionem; contra primam quidem dicendo attemperationem contingere non posse in casu, quia subsistentia divina naturam humanam sustentat, quasi in genere causæ formalis, vel se ipsam communicando, & consequenter debet in actu terminare quantum potest: sicuti calor, ut octo communicatus subjecto nequit non tribuere illi totam suam gradualem intensionem. Non obstat inquam, quia sicuti stat, quod causæ efficienti necessariæ conveniat agere quantum potest, & nihilominus una causa efficiens simul cum alia suum attemperet concursum, ut etiam concedit Godoy; hoc idem contingere poterit in causa formali, vel quasi formali, si hæc simul cum altera terminet. Nec pariter obstat quod contra secundam

obiicit, videlicet, quod estò in casu darentur plures uniones, & plures personæ ex illis resultantes, inveniretur tamen una natura, unica existentia existens, & ab illis in existendo dependens, siquidem instantia hæc falsò innititur supposito, supponit enim, quod natura existat per divinam existentiam, quod in materia de Incarnatione reprobabitur.

Ad ultimam verò confirmationem respondent aliqui in nostra schola unicam relationem non terminari ad plures terminos, sed ad multiplicationem terminorum etiam relationem multiplicari. Sed hac solutione, quamvis uti possint Scotistæ, uti tamen nequeunt Henricistæ. Henricus enim in Summa *art.* 66. *quæst.* 5 *num.* 4. vult unicam relationem referri posse ad plura. Dicendum itaq; quemlibet terminum in ordine ad unam relationem non esse adæquatum in actu secundo simul cum aliis acceptum quamvis sit in actu primo.

Arguit secundò Illustrissimus Spinula. Causa naturalis necessariò determinata ad agendum cum omnibus requisitis ex parte actus primi, necessariò agit, si non impediatur. Sed duo ignes sunt causa naturalis determinata ad agendum cum omnibus requisitis ex parte actus primi, & non impedita; ergò. Ostenditur minor, si aliquid obstat, & impedit maximè consortium alterius causæ; sed hoc impedimentum est omninò extrinsecum, & ideò nec intrinsecè immutat, nec suspendit virtutem agendi. Rogo enim, quid deperdit ignis A ex consortio ignis B. aut quid illi advenit, ex quo veluti ligetur ejus virtus? si autem eo modo se habet intrinsecè, nec aliquod ei tollitur, nec additur, quare non aget?

Respondeo verissimum esse causam necessariam nullo interveniente impedimento, & omnibus præsentibus dispositionibus ad operandum, necessariò operari, & secundum totam effectus indigentiam; at falsum deinde est in hypothesi tale non adesse impedimentum, siquidem quamvis concursus alterius causæ non impediat, vel prioris causæ virtutem, vel quod ipsa operetur, impedit tamen, quod agat secundùm totam indigentiam effectus, cum enim & ipsa det esse effectui, jam impedit etiam, quod alia det totum esse effectui, & consequenter opus est priorem causam suum attemperare concursum; quemadmodum concursus speciei impressæ, quamvis non impediat intellectum operari, impedit tamen, quod intellectionem producat ratione sui in genere principii totalis; sed

Instat primò idem Illustrissimus Auctor; si ignis B adveniens impedit ignem A, ne agat, vel impedit secundum suam entitatem, vel per suam actionem, utrumq; est impossibile; ergò nullo modo impeditur ignis A ex consortio ignis B. Major est certa, nihil enim est aliud excogitabile, quod impediat. Probatur itaque minor. Entitas ignis A. nullam habet oppositionem, nec cum entitate ignis B cum sint ejusdem speciei, nec cum ipsius actione, sicuti nullam oppositionem habet habitus fidei cum habitus scientiæ, & universaliter omnis causa disparata, & multò magis similis cum actione alterius; sic neque habet incompossibilitatem ignis B cum actione ignis A. Addo si supposito, quod illi duo ignes sint æqualiter applicati, Deus impediret, & nollet concurrere cum igne B & sic actio ignis B non posset sequi. Rogo ignis A. aget ne? certè sic, & tamen esset ibi tota entitas ignis B. ergo signum est, quod entitas ignis B. nullam habet incompossibilitatem cum entitate ignis A. nec cum ipsius actione.

Instabis secundò impossibile est, quod actio ignis *B*, impediat actionem ignis *A*, quia si impedit, quando est. Certè enim quando non est, nequit impedire; sed dum est actio ignis *B*, jam etiam est actio ignis *A*, quia uterque ignis ex suppositione est æquè applicatus in eodem instanti, ac proinde unius actio non est prior actione alterius, & dum est una, non est maior ratio cur non sit etiam alia; ergò uterquè ignis aget; ergò falsum est nullum ex his ignibus operaturum.

Respondeo ad primam instantiam, ignem *B*, per sui concursum actualem impedire, quod ignis *A*, totaliter producat ignem *C*, quemadmodum species impressa concurrens ad productionem cognitionis impedit, quod intellectus actu causa sit adæquara, & principium adæquatum eiusdem cognitionis, esto concursus intellectus vitalis ad cognitionem nullam habeat oppositionem cum concursu speciei impressæ, & econtrà. Quoties enim causa aliqua concurrit ad effectum saltem aliquid ipsius producit; secundùm autem hoc aliquid ab alia causa produci non poterit, cum jam ab alio productum sit.

Ad secundam instantiam dico actionem ignis *B*, impedire concursum adæquatum in actu secundo ignis *A*, quando est: nec valet asserere, quod quando est ipsa actio ignis *B*, sit etiam actio ignis *A*, sicque eam non impediat, nam dum asserimus, quod agere ignis *A*, impediat agere ignis *B*, dicimus hoc fieri in genere causalitatis adæquate, non vero, quod ignis *A*, simpliciter impediat omnem actionē ignis *B*.

Arguit Tertiò Ouiedo: Nulla est repugnantia in hoc, quod idem terminus duplicem causalitatem actiuam simul terminet; ergò poterit illam terminare diuina Omnipotentia intercedente. Antecedens mihi firmum est, donec aliquis repugnantiam assignet, quam illicò soluam, ut illud inconcussum conseruem, sed adhuc illud suadeo. Repugnantia ex parte virtutis actiuæ præcisè sumpta nulla existit; idem enim effectus simul continetur sub pluribus principiis actiuis, quod saltem respectu creati, & increati negari nequit; neque ex hoc quod principium suam virtutem exerceat, alterius virtutem actiuam euacuat; Respectu verò actionum, si aliqua est incompossibilitas, est formalis, similis incompossibilitati duarum formarum in eodem subiecto, quæ potest à Deo vinci. Repugnātia autē ex parte termini nulla est, quia terminus nullam virtutem exercet circa actionem, neque ex parte illius magis requiritur ad terminandum simul actiones, quam ad easdem successiuè terminandas; ergò ex nullo capite potest aliqua esse repugnantia in eo, quod effectus supernaturaliter dependeat à principio effectivo per duplicem adæquatam causalitatem.

Respondeo hoc argumentum, ut integrè soluatur exigere alterius difficultatis discussionem: nimirum, an idem effectus produci possit diuisim à pluribus causis totalibus, in qua partem negatiuam sustinere solent communiter Thomistæ, hac præcipua freti ratione, quia quemadmodum anima Petri constituere nequit Paulum, quamvis sit ejusdem speciei, quia est metaphysicè limitata per gradum indiuidualem: sic & potentia generatiua eiusdem Petri producere non poterit effectum ab altera productum quia pariter, & ipsa limitata est, cui sententiæ adhærendo falsum erit nullam esse reperibilem repugnantiam ex parte virtutis actiuæ in productione effectus à duplici causa totali. Sed quia sententiam oppositam Scoti, Henrici, aliorumque, quos refert,

&

& sequitur Suarez, probabiliorem judicamus; aliter respondeo dicendo repugnare ex parte actionis, & ex parte termini, ex parte actionis inquam, quia quælibet esset totalis, ut supponitur, non esset verò, quia relinqueret locum causalitati alterius causæ, quæ repugnantia certè non est homogenea cum illa duarum formarum in materia; cum hæc sit tantum naturalis perita per exclusionem alterius, quàm secum affert quælibet forma per modum effectus secundarii ex parte termini producti, quià quamuis hic oulìam exerceat virtutem actiuam, adhuc tamen, quia importaret essentialiter dependentiam à qualibet ex illis causis, & simul non importaret, ideo etiam ex parte ipsius viget repugnantia.

Arguunt quartò, promiscuè, & validius alii. Primò potest idem numero effectus poni propter duos fines totales: de facto enim Christi Incarnatio quo ad substantiam dependet à duplici causa finali. Fuit enim volita quo ad substantiam, & ob excellentiam Mysterii, & ob remedium peccati, & de facto natura ordinauit linguam ad duos fines totales, videlicet, ad gustum, & ad loquelam; ergò etiam idem effectus à duabus causis totalibus efficientibus dependere potest. Secundò potest dari naturaliter duplex dependentia adæquata à posteriori; ergò & à priori; antecedens patet in Angelo, qui plures simul habet ubicationes, à quarum qualibet adæquatè pendet à posteriori. Tertiò potest eadem forma materialis causari à duplici causa materiali totali, uti si forma viuentium perfectorum sit indiuisibilis, in quo casu causaretur de novo materialiter à nouis partibus materiæ, quas per nutritionem aquirit; ergò similiter di cendum de efficienti. Quartò creatio juxta plures consistit in voluntate Dei; sed potest concurrere duplex voluntas totalis ad eundem effectum, ut si Deus decerneret existentiam Angeli propter duos fines adæquatos; ergò Quintò potest dari duplex connexio essentialis adæquatè illatiua eiusdem termini; ergo & duplex actio adæquata Consequentia est certa, quia nihil specialius habet actio, quam esse talem connexionem: antecedens probatur; nam de facto duo peccata mortalia adæquatè inferunt carentiã gratiæ, dum simul eliciuntur; & duo calores seipsis simul adæquatè causant carentiam frigiditatis, sicuti duæ causalitates præmissarum seipsis sunt connexio adæquata ejusdem actus concludentis Sextò exclusio peccati dum ponitur à gratia sanctificante ponitur à pluribus causis totalibus; cum quælibet pars gratiæ sanctificantis sit adæquatè incompossibilis cum peccato, & de facto eadem sanctificatio humanitatis Christi habetur à gratia increata, & creata. Septimò plures Sacerdotes simul proferentes verba Baptismi, sunt plures causæ totales morales; ergò etiam ad eundem effectum poterunt concurrere plures causæ physicæ totales. Octauò idem Corpus potest ubicari duplici ubicatione totali; ergò similiter terminari duplici causa totali. Nonò ponamus formam materialem indiuisibilem, replentem passum intensionis jam incapax, & utrumque agens simul, & semel applicetur eidem passo, tunc utrumque deberet agere; cum utrumque sit proportionatum, seu maximè cum sint causæ necessariæ applicatæ, & absque contrario; ergò agent quantum possent.

Respondeo ad singula breviter, & à primo Incipiendo censeo primo, ipsum probare, etiam naturaliter posse eundem numero effectum produci à duplici causa efficienti totali, dico secundo fines illos totales esse in actu primo, non verò in actu secundo, dum simul concurrit cum causis secundis: exemplum autem ad rem non facit, quia procedit in sententia Suaretii, quam suo loco reprobabimus, volentis substantiam Incarnationis volitam esse per prius decretum propter excellentiam Mysterii, per secundum propter remedium peccati, tanquam per duo motiua sufficientia: nisi dicere velimus specialem adesse repugnantiam inter causas efficientes totales, quam inter finales, ut propugnant Maironus, Mastrius, aliique Scotistæ, quam tamen difficulter assignabunt. Ad secundùm disparitas est, quia dependentia à posteriori, est tanquam à puro termino, quem respicit, dependentia vero à priori, est tanquam à causa, qua indiget effectus ad hoc, ut sit, quæ cum expleatur per unicam causam, si totalis sit, non est unde ab altera effectus dependeat: Angelus autem non dependet à pluribus ubicationibus sibi adæquatis; cum esse nequeat, nec diuinitus in pluribus locis, sed tantum inadæquatis integrantibus unum adæquatum. Ad Tertium, quod afferunt Ariaga, & Quiros, dico, vel in casu quamlibet causam materialem suum atemperare concursum, vel ex una educi effectum, ex altera non, vel hoc non esse possibile, quia haberetur replicatio formæ, quæ impossibilis est in nostra sententia: Indiuisibilitas autem formæ viventium perfectorum, quam Quiros simul cum Thomistis defendit, non ponitur. Ad quartum dico, quod in nulla sententia creatio est volitio, quamuis aliqui sint docentes virtutem proximè operativam esse, vel ipsam voluntatem divinam, vel ex parte ipsius se tenere: nihilominus hoc dissimulato, dico illas volitiones non esse duas causas totales, quia actiones specificantur à fine, cum autem quilibet illorum finium non esset totalis, nec una volitio in ratione causæ seorsim ab alia totalis esset.

Ad quintum disparitas est, quia in tali connexione nulla est implicantia, sicuti nulla est dependentia, quæ aliunde est in casu nostro. Ad sextum verò plures gradus gratiæ habent excludere in actu secundo peccatum, per modum unius causæ adæquatè, quam integrant, quamuis quilibet gradus, si seorsim ab alio infunderetur, adæquatè peccatum excluderet, unde negatio peccati consequeretur quamlibet partem gratiæ, tanquam ad causam adæquatam in actu primo, non verò in actu secundo, ut optimè aduertit hic Mastrius. Sanctificatio autem humanitatis Christi, quæ habetur per gratiam increatam, non est eadem, sed diversa ab illa, quæ habetur per gratiam creatam. Ad sextum dico tales Sacerdotes in casu habere rationem causæ moralis, partialis, non totalis in actu secundo, nisi simul accipiantur. Octauum superius iam solutum est Vltimum tandem soluitur inhærendo communi solutioni, dicendo nimirum, tales causas atemperaturas suum concursum, stante præsentia alterius, quæ suo concursu impedit aliam totaliter agere, uti diximus loquendo de concursu speciei partiali in ordine ad cognitionem, quæ solutio, quamuis impugnetur à Quiros, quia tamen parui, vel nullius roboris sunt instantiæ, quas affert, ideo illas omittimus.

Arguunt quintò alii: materia adæquatè informata per unicam formam totalem, potest simul informari ab alia pariter totali; ergò à pari effectus poterit produci à duplici causa efficienti totali: probatur hæc consequentia, nam non minus materia est totaliter, & secundum omnes sui partes informata per unicam formam, ac effectus secundum omne sui esse productum in natura ab unica causa efficienti totali; ergò.

Quod

tiam; cum repugnare velint solùm spirituale recipi permanenter, & connaturaliter in re materiali: Requirunt ergo Thomistæ, quod sit motio quædam vialis deriuata à principali agente, atque quod instrumenta per actionem sibi propriam dispositivè operentur in ordine ad producendum effectum cum principali causa.

Sed quidquid sit de his causæ instrumentalis explicationibus, quarum aliquas refert Mastrius, quasdam impugnat Pontius, nonnullas refellit Comptonius, dico causam principalem illam esse, quæ propria virtute attingit effectum principaliter intentum, itaut nulli famuletur; Instrumentalem verò, quæ deseruit causæ principali in ordine ad producendum effectum per se ab ipsa intentum: hoc instrumentum triplicis generis est: aliud nempe morale, uti sunt Sacramenta respectu gratiæ, & communiter describi solet illud esse, *quod licèt physicè non influat in effectum, tamen verè causat effectum, si applicetur*: aliud est naturale, *& illud est, quod inseruit naturali agenti in ordine ad opus naturæ*: aliud tandem artificiale: *vel illud, quod inseruit principali agenti in ordine ad efficiendum opus artificiale*: quod instrumentum non est propriè instrumentum, quia non concurrit effectiuè, sed solùm recipit motum: difficultas itaque procedit in præsenti, tum de causa principali, tum de instrumentali, quæ antequam dissoluatur.

Ulterius adverto hic non procedere difficultatem, utrum creatura possit creare quodlibet creabile, nec solùm aliquod cum independentia à prima causa, sed solùm, utrum aliqua creare possit, vel per modum causæ principalis, vel instrumentalis, cum dependentia à primo agente; quidquid deinde sit hæc dependentia, non procedit, inquam, primò duplici sensu, quia penitus certum est repugnare creaturam potentem producere quodlibet: hæc enim deberet esse actu infinita; cum posset in aliquod infinitum syncategorematicum, quemadmodum docet ex nostris Illustrissimus Lodigerius in materia de Visione: quod si daretur aliquis influxus robustior in intellectu aliquo imperfecto in Patria, supplens vices pro omni intellectu perfectiori etiam possibili, hic deberet esse simpliciter infinitus, & quidem actu deberet continere virtutem illam intellectus majorem, & minorem in infinitum, quod idem dici posset, & deberet, loquendo de tali virtute creata, potente quodlibet creare; maximè quod nulla res potest creare se ipsam: quod tamen euenire deberet, si res aliqua creata creare posset omne creabile: nec pariter in secundo sensu proponitur, quia certum est repugnare creaturam, quæ in operando immediatè non pendeat à Deo, ut patet ex iis, quæ dicenda remanent contra Durandi aliorumque sententiam.

In hoc autem sensu sic exposita controversia, triplex invenitur sententia. Prima docet, creaturam posse eleuari ad creandum in genere causæ principalis; pro hac stant Ouiedo, Ariaga, Tannerus, Albertinus, Spinula Comptonius, qui nouissimus ineptè refert pro hac sententia Suarezium; cum hic arideat sententiæ Scoti. & Diui Thomæ.

Secunda docet non posse eleuari creaturam ad creandum & huic adhærent Alumni Divi Thomæ, Scoti, & Henrici, aliique extra, uti Molina, Granado, Valentia, Vasquez, recipientes repugnantiam relatam à Scoto.

Tertia verò sustinet rem possibilem esse, Creaturam elevari ad creandum in genere causæ instrumentalis; pro hac stant Hurtado, Suarez, & Magister sententiarum in 4. dist. 5 Durandus in 2. sent. ex hisà nobis secunda defenditur.

## CAPUT PRIMUM.

*Examinantur repugnantiæ creaturæ creantis, veriorque eligitur sententia.*

VT Thomistæ repugnantiam assignent Creaturæ creantis, triplici procedunt via, & prima est. Terminus creationis est terminus uniuersalissimus: est enim esse ut sic; sed hic est effectus propriissimus primæ causæ; ergò creaturæ concedere non poterit. Probatur maior: siquidem actio creatiua influit in ipsum esse secundum rationem generalem entis, cum aliam non supponat, producendo totum ens, nihil de effectu supponens.

Secundò talis causa creans, deberet esse omne ens; sed hoc repugnat, aliàs esse posset supra seipsam; ergò. Probatur sequela, quia causa principalis creatiua terminatur ad ens, inquantum ens; sed causa principalis efficiens debet esse supra suum effectum; ergò creatura si posset esse causa principalis efficiens creationis, deberet esse supra omne ens.

Tertia tandem, & ultima ratio est, quia talis virtus deberet esse potens ad infinita, quia virtus creatiua unius debet esse potens ad creandum quodlibet; sed virtus creatiua omnium possibilium debet esse infinita, ut in superioribus dictum est; ergò. Probatur sequela, quia non est maior distantia inter nihil & unum ens creatum, neque maior præparatio in ordine ad unum, quàm sit inter nihil, & aliud ens creabile; ergò.

Hæ revera sunt rationes D. Thomæ, quas breviter refert ex auctoribus Thomistis sæpè citatis hoc in cursu phylosophico Magister Paulus Cavensis; an verò solidæ sint, hoc est quod quæritur, & à me negatur: prima siquidem ratio allata in ordine fundata non est, quia quamvis terminus creationis ut sic, sit ens creabile ut sic, sicuti generationis ut sic ens generabile ut sic, talis creationis tamen est tale ens, & hoc quia quælibet actio physica ex genere suo terminari debet ad singularia; cum rei conferat existentiam, quæ solis tribuitur singularibus, ut benè in hac re advertit Hurtado. Secundò quia per hanc rationem Thomisticam saltem ut exponitur ab hoc Thomista nil aliud intelligitur, nisi quod actio creativa produceret totum, hoc est totaliter rem, quæ creatur: in hoc autem sensu, nulla est implicantia, quod creatura influat in ipsum esse, vel terminetur ad ipsam rationem entis, unde hic nil aliud facit laudatus Thomista, quàm afferre pro ratione id, quod est in quæstione.

Tertia verò ratio pariter deficiens est: siquidem virtus creativa ad unum non illicò est ad omnia, & hoc, quia quamvis distantia infinita non minus intercedat inter nihil, & omne ens, quam inter nihil, & unum ens, adque in ordine ad ea omnia, quæ creantur: nulla sit major proportio in rerum natura in ordine ad unum, quàm ad aliud, virtus tamen creativa adhuc esset finita, unde impediretur ad omnia creanda; quod impedimentum, est ipsa specialis repugnantia in eo residens, quod talis virtus deberet esse actu infinita quoad substantiam, & non solùm quoad modum, quia virturem actu infinitam habere deberet.

Dices semel posito in Henrici sententia, quod aliquod corpus esse possit in duplici loco, etiam esse posset in infinitis, ut etiam docent nobiscum Complutenses adversus Scotistas; ergo etiam si sup-

 po-

ponamus, quod creatura aliqua unum, vel aliud creare possit, quodlibet ex nihilo deberet posse producere.

Hæc paritas mihi hæc scribenti occurrit, & certè difficilis est solutionis, nihilominus existimo disparitatem esse, quod virtus potens ad unius creationem est infinita solùm quoad modum, finita verò quoad substantiam; virtus verò potens ad quodlibet creandum infinita esse debet quoad substantiam, quia totius creabilis continere deberet perfectionem: non tenet autem à possibilitate infiniti quoad modum ab infinito quoad substantiam; at verò valet: si corpus potest bilocari, poterit etiam esse in infinitis locis propter inferius dicenda in materia de corporum bilocatione.

Scotus verò aliam amplexus est viam, quam aliqui ejusdem scholæ sic promovent. Si creatura creare possent, hæc esset, vel materialis, vel spiritualis; atqui in nullo sensu huic convenire potest virtus creativa; ergò. Ostenditur minor, & quidem talis creatura non poterit esse materialis, cum hæc solùm operari possit dependenter à materia, sicuti dependenter ab eadem illi convenit esse. Secundò, quia forma materialis producenda petit produci suo connaturali modo, nimirum per eductionem: nec secundum dici potest, quia si hæc posset maximè per actus intellectus, & voluntatis. Per hoc autem non potest substantiam aliquam creare, quia accidentia, uti sunt actus vitales, nequeunt effectivè substantiam producere

Hanc communiter omnes volunt esse veram Scoti repugnantiam pro impossibilitate creaturæ potentis creare, quam approbat Vasquez. Hæc tamen à nobis parum solida existimatur, siquidem solùm evincit creaturam materialem creare non posse juxta modum suum connaturalem operandi, quemadmodum modus connaturalis essendi est dependens à materia. Cæterum non obtinet, quod hoc non possit de potentia extraordinaria: nec obstat, quod formæ materiales producendæ petant produci modo sibi connaturali, nimirum per eductionem, siquidem quamvis hoc petant, si producantur modo sibi connaturali, possunt tamen aliter produci, & aliter fuisse productas in prima productione sustinent quamplures Thomistæ, quamvis hoc neget Suarez cum aliis non paucis. Ratio autem Vasquezii parum valet, siquidem actus volitivi, & creativi non se haberent, ut principium creativum, sed solùm concurrerent dirigendo, & applicando virtutem activam, ut optimè ante me adverterant aliqui ex societate.

Suarez verò, ut repugnantiam statuat alia progreditur via. Docet enim, quod si talis creatura creans esset possibilis pertinuisset ad perfectionem universi, essetque in hoc ordine rerum. Cum autem Deus in creatione hujus universi hanc creaturam non produxerit, signum evidens est illam non contineri in ordine possibilium. Sed

Hæc ratio mihi videtur inter cæteras inefficacissima, ut etiam ex societate agnovit Hurtado: Ex hoc enim, quod in hoc universo creatura creativam habens virtutem producta non sit, non sequitur ipsam non esse possibilem, sed solùm ad hunc ordinem rerum non spectare. Non enim omne possibile debitum est huic universo, quod verum est præcipuè apud illos, qui plausibiliter docent alia universa esse possibilia. Plures enim sunt possibiles creaturæ perfectiores, quæ certè non sunt debitæ huic universo, quod tamen falsum esset, si vera esset doctrina exposita Suarezii.

Post has rejectas rationes accedit Henrici ratio, quæ mihi solida est, & sub hac forma proponitur. Si creatio sit opus solius potentiæ infinitæ, jam creatura non poterit elevari ad eseodum; sed verè opus est solius potentiæ infinitæ; ergò. Major liquet. Ostenditur minor. Tunc esset opus potentiæ infinitæ, quoties inter ens, & nihil esset distantia infinita. Distantiam enim infinitam absolvere non potest, nisi potentia infinita; sed revera hæc intervenit, ut patet; ergo. Hæc Doctoris ratio tota in his continetur verbis. *Censeo itaque probabilissimè ostendi ad cujusvis rei creationem requiri potentiam simpliciter infinitam; ex eo enim quod nulla creatura accepit virtutem ad creandum, signum est hoc provenire ex limitatione omnium istarum creaturarum.* Rationem hanc adeò solidam Pereyra judicavit, ut ineluctabilem referat his verbis. *Hæc autem ratio, quamvis multis calumniis prematur, firma tamen, & integra adhuc stat, ac mihi quidem certè valde probatur.* Nihilominus, cum Scotus, Durandus, Ochamo, Suarez, Arriaga, Hurtado, Spinula, aliique ipsam reprobent, quid in oppositum dicant, audire præstat. Dicunt itaque primò inter ens creatum, & nihil non dari distantiam infinitam, & hoc, quia non magis distant, quam distet perfectio ejusdem entis creati; cum autem hæc sit finita, quoque ejusdem rationis erit distantia inter ens, & nihil, quantum est ex parte entis; sicuti numerus binarius infinitè non distat à negatione omnis numeri: & ratio est, quia unum oppositum tantùm distat ab alio, quantum de reliquo participat. Dicunt secundò alii creationem non attingere distantiam, quæ est inter ens, & nihil, cum non attingat utrumque extremum, quod ipsam importat distantiam. Creatio enim solùm attingit ens, quod creatur, quod cum limitatum sit, non arguit in causa virtutem infinitam.

Dicunt tertiò, alii argumentum simul ostendere nullam creaturam, nec etiam posse generare; & hoc quia etiam generans extrahit effectum ex nihilo. In hoc enim solum differunt creatio, & generatio, quod prima non recognoscit subjectum, bene verò secunda.

Sed hæ evasiones, quas auctores relati congerunt adversus Henrici rationem, inefficaces sunt ad intentum. Prima quidem, nam si distantia inter ens creatum, vel creabile, & nihil deberet esse finita, quia perfectio entis creabilis est finita, dicam ego distantiam inter creaturam, & Deum solum finitam esse, quod ostendo eodem penitus sic respondentium discursu; siquidem ejusdem rationis est distantia creaturæ à Creatore, ac est creaturæ perfectio; sed hæc finita est; ergò finita quoque erit ejus distantia. Stat ergò inter extrema distantia infinita, quamvis inter ea unū sit, quod solū finitam dicat perfectionē. Perfectio enim unius extremi, quamvis in se finita sit, potest optimè esse ratio distanti infinitè ab alio, si accipiatur, vel relatè ad extremum dicens infinitam perfectionem, vel ab omni perfectione infinitè recedens.

Ad secundum libenter concedo creationem directè non attingere distantiam formaliter, sed potius ipsam rem creatam, dico tamen attingere ipsam indirectè, & de consequenti: siquidem cum attingat rem ipsam creandam, & hæc infinitè distet à nihilo, jam de consequenti etiam ipsam distantiam attingit: quod autem dicitur, creationem non attingere utrumque extremum, dico hoc falsum esse, siquidem creatio suo modo præter rem ipsam, quæ creatur, attingit etiam ipsum nihil per modum termini *à quo*.

Tertia

Tertia verò euaſio nulla eſt: ſiquidem per generationem, quamvis res extrahatur ex nihilo ſui, non extrahitur tamen ex nihilo ſubiecti: recognoſcit enim ſubiectum; unde non interuenit infinita diſtantia inter ens, & nihil: cum in priori ad generationem eſſet aliquid rei, nimirum ſubjectum, ex quo forma rei educitur: viget ergò robur prædictæ rationis Henricitæ his verbis expreſſæ ab ipſo Henrico: *ex parte autem creandi ratio eſt, quia creatio eſt actio ex non ſubiecto, hoc eſt ex nihilo, & omnis actio creaturæ eſt ex ſubiecto ſuſceptibili, præſuppoſito eo, quod eſt potentiæ finitæ, quia inter omninò nihil, & ens in actu, non eſt niſi diſtantia infinita, quam non poteſt abſoluere, niſi potenti a infinita; at verò id, quod eſt in potentia præcedens, & ens in actu, non eſt niſi diſtantia finita, quæ abſolui poteſt per agens finitum.*

Huic autem doctoris rationi accedit ſecunda plauſibilis, & moralem præſeferens certitudinem. Hæc autem in eò ſtat, quod in linea perfectionum attributalium Dei ſunt quædam attributa, in quibus communicat Deus cum creaturis, uti ſunt ſapientia, Iuſtitia; aliqua verò, in quibus nec communicat, nec communicare poteſt, uti omnipotentia; ergò etiam in linea operatiua ſunt quædam operationes, in quibus Deus communicat cum creaturis, ut velle, intelligere, producere; aliæ vero, in quibus nullatenus communicat, ut creatio.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

ARguunt primò aliqui: obiectum producibile ex nihilo, ſi ſummatur ut ſubſtantia, & ut præcisè producibile, non eſt extra ſpheram actualis actiuitatis ſubſtantiæ creatæ; ergò ſi eſt extra ſpheram ejuſdem, id erit, quia eſt ex nihilo producibile; Sed non repugnat quod ſubſtantia elevetur obedientialiter ad attingendum etiam ipſum ſecundum hunc modum producibilitatis; ergò. Antecedens liquet cum prima conſequentia: oſtenditur itaque minor ſubſumpta: Intellectus creatus attenta ſua potentia obedientiali poteſt per divinam omnipotentiam elevari medio lumine gloriæ ſupra ſuam actiuitatem naturalem, ad attingendum obiectum excedens, quale eſt Deus, ut intuitivè viſibilis; ergò non repugnat, quod creatura, attenta ſua capacitate obedientiali de abſoluta Dei potentia eleuetur ad producendum in eſſe rei aliquod obiectum ex nihilo: hæc conſequentia patet, quia nulla apparet diſparitas.

Confirmatur: actiuitas creata, nedum dicit, quod ſit hæc actiuitas, ſed etiam quod ſit actiuitas; ſed produci ex nihilo reſpectu actiuitatis ut ſic, non eſt obiectum æquivocum, ſed uniuocum, quia ſub actiuitate ut ſic non importat agere dependenter ab obiecto; ergo.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia Deus eſtò ſit obiectum excedens in linea entitatis, non excedit tamen in linea cognoſcibilis eundem intellectum, quinimmo ſic præcontinetur intra actiuitatem intellectiuam; unde nil mirum, quod intellectus elevari poſſit ſtante uirtute inchoata, & incompleta, quam de ſe habet ad ipſam; at vero virtus creaturæ elevari nequit ad productionem obiecti ex nihilo, quia in ordine ad ipſam non præſupponitur hæc virtus inchoata, & incompleta propter dicta.

Ad Confirmationem dico, utique adeſſe in cauſa creata actiuitatem ut ſic, ſed tamen contractam ad actiuitatem creatam impedientem, & facientem, ut ipſam cauſa ſecunda agere non poſſit, niſi dependenter à ſubiecto propter ſui finitatem, quemadmodum potentia abſtrahens à corporea, & incorporea, ſi contrahatur ad corporeum limitatur ad attingendum, tantum obiectum corporeum.

Arguit ſecundò Durandus promiſcuè, & primo contra Henrici rationem ſuperius ſtatutam Illa diſtantia non eſt infinita, qua eſt aſſignabilis maior, ſed eſt aſſignabilis maior diſtantia illa, quæ invenitur inter ens, & nihil; ergò. Maior liquet; unum enim infinitum formaliter, qua tale nequit eſſe maius altero. Minor vero oſtenditur, non eſt quod implicat contradictionem, ſeù quod repugnat plus diſtar ab ente, quam purè non ens, quia ex ipſo nihil plus fieri poteſt; ergò eſt dabilis maior diſtantia illa, quæ eſt inter ens, & nihil.

Secundò tantum diſtant ab inuicem albedo, & nigredo, ſi ſint ſeparatæ ſicuti ſi eſſent in ſubiectis, ſed ens, & nihil circa ſubjectum ſuppoſitum non diſtant in infinitum, quia forma, & priuatio circa ſubiectum ſe habent, ut ens, & nihil, quorum diſtantia abſoluit agens naturale actione naturali; ergò excluſo omni ſubiecto ens, & nihil non diſtant in infinitum.

Tertiò non eſt actionis creaturæ, quod eius actio ſit mutatio, quæ ſupponat ſubiectum; ergo etiam poterit elevari ad creandum. Probatur antecedens non minus eſt poſſibile Deo ſeparare accidens à ſubiecto, dum producitur ab agente naturali, quam poſtquam productum eſt, ſed ſecundum eſt poſſibile, ut evenit in Sacramento Altaris; ergò etiam, quod accidens producatur ex non ſubiecto ab agente naturali Deo cooperante.

Quartò quandocumque actio non habet ſubiectum, nec terminum à quo, ſed ſolum effectum productum, niſi effectus ſecundum ſe arguat infinitatem virtutis productiuè, non poterit ex aliquo, quod ſit in actione argui infinitas virtutis productivè; ſed creatio ita eſt; ergò. Probatur minor. Toties ſola actio habet attingere utrumque terminum, idest terminum, ad quem, & terminum à quo, quoties uterque terminus eſt quid poſitivum, ut patet in ipſa tranſubſtantiatione panis in Chriſti Corpus; atqui terminus, à quo creationis eſt ſimplex privatio; ergo actio creativa non recipit terminum à quo, ſed effectum ſecundùm ſe.

Reſpondeo ad ſingula, & incipiendo à primo dico poſſibilem non eſſe majorem repugnantiam illa, quæ invenitur inter ens, & non ens. Oppoſito enim privativa in linea oppoſitionis eſt omnium ſumma, adeoque non eſt reperibilis aliqua major ipſa; nec oppoſitio inter ens, & non ens, quod repugnat, eſt major oppoſitio, cum hæc ſit oppoſitio privativa, nimirum inter ens reale, & ejus carentiam.

Ad ſecundum diſparitas eſt, quod circa ſubjectum forma, & ejus privatio non diſtant infinitè, nec in ordine ad ſubjectum ſe habent, ut forma, & ejus privatio: at verò cum inter ſe, ſe habeant, ut forma, & privatio, adeoque ut ens, & non ens, hinc diſtantia poterit optimè eſſe infinita.

Ad tertium pariter diſparitas eſſe poteſt, quod à prima poteſt Deus abſolvere, quia debet ſolùm diſpenſare accidens ab actuali inhærentia; non verò à ſecunda, quia obſtat finitas virtutis activæ creatæ exigentis in productione rei concurſum ſubjecti.

Quartum verò ſolvitur advertendo, quod quamvis creatio non habeat terminum à quo, ſed ſolùm eſſe

effectum productum, adhuc deberet existere in virtute creativa infinitas, non quidem ratione distantiæ inter terminum ad quem, & à quo, sed ratione effectus infiniti quoad modum, quæ infinitas in eo consistit, quod sit productus per creationem extrahentem rem a puro nihilo: sed falsum est, quod ipsa actio creativa non attingat terminum ipsum à quo. Ex hoc enim, quod hic sit nihil, solùm sequitur, quod attingi non possit primò, & ut à natura inventus, vel per modum termini ad quem, non verò per recessum, ut attingi solet communiter terminus a quo.

Arguit tertiò Suarez. Ideò talis creatura nequit elevari ad creandum instrumentaliter, quia talis creatura instrumentalis deberet præseferre virtutem infinitam; atqui hoc falsum est; ergò. Ostenditur minor. Quamvis ad transubstantiationem habendam virtute connaturali requiratur virtus infinita, ad transubstantiationem tamen vi agentis supernaturalis habendam non acquiritur talis virtus infinita; ergò à pari quamvis requiratur virtus infinita in creatura, si fit connaturaliter instrumentum, non requiritur tamen in eadem, si solùm divina virtute hoc fiat. Et ratio à priori totius est, quia in tali casu actio instrumenti non attenderetur ex perfectione creaturæ concurrentis instrumentaliter, sed solùm ex perfectione primi agentis, & potentiæ obedientialis instrumenti.

Respondeo concessa majori negando minorem, ad cujus probationem nego paritatem; & disparitas est, quod creatura in ordine ad conversionem se habet, ut simplex instrumentum morale, non dicens influxum physicum in effectu; at verò in ordine ad creationem alicujus effectus haberet physicè influere, quamvis per subordinationem ad causam principalem, cum autem effectus sit infinitus quoad modum, deberet virtus instrumentalis prout elevata esse infinita. Secunda disparitas etiam esse potest, quod in conversione supponitur aliquid rei, nimirum terminus à quo; at verò in creatione rei nihil positivi supponitur, cum terminus, à quo sit, purum nihil.

Arguit quartò Spinula intendens probare creaturam elevari posse ad creandum per modum Instrumenti. Potentia obedientialis consistit in virtute inchoata in ordine ad effectum; atqui de facto ignis v. gr. habet hanc virtutem ad creationem alterius ignis, cum habeat virtutem ad producendum simpliciter ignem; ergo si perficiatur hæc virtus productiva ignis, poterit ipsum creare.

Confirmatur virtus inchoata consistit in hoc, quod respiciat aliqua prædicata effectus, licet non omnia; atqui creatura potens simpliciter producere, respicit aliqua prædicata creationis, licet non omnia illa, videlicet, in quibus convenit cum eductione; ergò habet virtutem inchoatam; ergo poterit hæc virtus assumi à Deo tanquam instrumentum Ipsius ad creandum.

Respondeo dando libenter potentiæ obedientialis allatam explicationem, sed nego deinde ignem habere istam virtutem inchoatam ad creandum; nec enim virtus ad producendum ignem est virtus inchoata creationis, cum elevari nequeat ad ipsam, sicuti elevari nequit ad infinitatem, quæ necessariò exigitur ad creationem, non quidem titulo effectus, qui quoad substantiam finitus esset, sed titulo distantiæ infinitæ intervenientis inter ens, & nihil.

Confirmatio verò non urget, quia ad creationem effectus requiritur, quod causa præcontineat prædicata effectus eo modo, quo sunt producta, vel debet produci; cum autem prædicata ipsa, quamvis secundùm se præcontineantur in causa, tamen, ut per creationem producibilia in ea non continentur, hinc est, quod creatura ad creationem, activam virtutem habere nequit.

# DISPUTATIO TERTIA.

De causalitate causæ efficientis, atque de causis finali, & exemplari.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum causalitas causæ efficientis sit actio superaddita.*

### CAPUT UNICUM.

*Defenditur sententia affirmativa.*

Inhærendo iis, quæ superius diximus, & inferius dicturi summus, sentiendum nunc est causas omnes efficientes agere media actione superaddita, quod antequam suadeam pro certo habeo effectus, alios esse indifferentes, alios verò determinatos, ut potius ab hac, quam ab alia causa producantur. Primi generis sunt omnes res, & formæ absolutæ sic v. g. Calor est indifferens, ut à Deo solo, vel à Deo simul, & igne *A*, producatur, vel etiam ut producatur à Deo simul, & igne *B*, Effectus verò determinati sunt omnes formæ modales, quæ per suam essentiam affixæ sunt subjecto suo, atque petunt dependere abhac potius causa, quam ab alia. Hic autem difficultas procedit de prioribus, de quibus loquendo dicendum est ipsos produci media actione superaddita, quod suadeo ex intrinseca indifferentia, ex qua præcipuè existentiam modorum desumunt, & colligunt Aristotelici, sic arguentes: Ubi est indifferentia intrinseca ad plura, opus est, quod ipsa tollatur per aliquam formam denuò advenientem; atqui causa efficiens indifferens est ad agendum, vel non agendum, & effectus pariter Indifferentiam habet ad hoc, ut producatur ab hac, vel illa causa; ergò hæc indifferentia tollenda est per aliquod superadditum, quod actionem nuncupamus. Pro veritate maioris stant omnia ea, quæ dixi, ubi de unione, & dicam, ubi de duratione, & ubicatione. Minor verò mihi evidens est. Consequentia autem est omnibus certa. Sed

Communissime huic rationi occurrit Eminentissimus Cardinalis Joannes Baptista Ptolemeus affirmans causam efficientem habentem virtutem producendi effectum, ut actu, & exercitè connotantem sub nomine termini modalis totum id, quod præter ipsam causam constituit actum primum proximum, proximè expeditum in ordine ad productionem actionis superadditæ optimè sufficere, ut actu intelligatur operans, & effectus, ut exercitè, & actu connotans eundem ipsum actum primum proximum intelligatur, ut effectus talis determinatæ causæ; Sed

Quàm falsa sit hæc solutio, Inde patet; quod estò causa cum omnibus requisitis ad agendum intelligatur proximè potens agere, non intelligitur tamen

actu operans, vel in actu secundò; cum sit possibilis casus, in quo causa in actu primò proximo existens non agat, ut eueniret, si in diuina voluntate adesset decretum, quo vellet causam non prosilire in actum secundum, quod tamen euenire non posset, si actus primus proximus esset causæ ratio agendi, & in effectu ratio actualis dependentiæ, quemadmodum esse nequit actio ipsa superaddita à causa proueniens, quin causa sit actu agens, & effectus actu productus. Sed contra

Arguit primò Maignan. In agente saltem necessario nulla est indifferentia ad agendum, vel non agendum positis omnibus requisitis in actu primò; ergò saltem in hoc casu non indigebit actione superaddita.

Secundò causa potest per se ipsam tribuere esse actioni; ergò etiam effectui; cum utrique suo modo æque tribuat esse.

Tertiò implicat, quod effectus, ut effectus esse recipiat à causa per aliud à causa distinctum, ergò nequit hæc actio poni tamquam medium ad recipiendum in actu tale esse. Probatur antecedens. Implicat unum differre ab alio per aliquod tertium, tamquam per rationem differendi distinctum ab utroque differenti, sicuti repugnat unum alteri coexistere per formam coexistendi distinctam; ergò pariter implicabit, ut aliquid accipiat esse per aliud, tamquam per formam accipiendi distinctam, & ab accipiente, & ab esse accepto

Quartò. Si actio esset aliquod distinctum ab agente, & effectu, hæc, vel esset facta ex nihilo, vel ex materiæ præsuppositione, non primum; ergò secundum. Quo dato ulterius inquiritur, ex qua materia fiat, an agentis, an effectus, an utriusque, an ex alia diversa; si dicant aliquid ex primis tribus; ergò actio non erit diversa ab agente, vel effectu, vel utroque simul; si quartum dicant; ergò actio erit substantia ipsa completa, non vero solum modus substantialis.

Nimis inefficacia sunt hæc argumenta ad intentum cum facilis sint solutionis in schola Peripatetica. Primum siquidem nullum est, quia esto causa necessaria determinata sit quoad speciem, non est tamen quoad indiuiduationem, sed potius indifferens est ad agendum, hac, vel illa actione. Preterquamquod adhuc est in ipso agente necessario formalis indifferentia determinanda tamen per actionem. Secundum vero esto aliquantulum urgeat, parum tamen urget. Disparitas enim latissima est, quia actio est causalitas, de cuius ratione est, quod immediate à causa proueniat, non sic verò effectus, qui à causalitate distinctus est. Tertium verò disparitatem habet omninò claram. Ratio enim differendi maxime, si prima sit, est ratio constituendi; cum autem nihil constitui possit per aliquod extrinsecum, nec etiam differre poterit per aliquod extinsecum. Actio autem non est constitutiua agentis in actu primo, quamuis constitutiua sit in actu secundo, & ab ipsa causa, qua actu agens sit, indistincta. Ad ultimum tandem dico, non subsistere hunc arguēdi modum. Actio fit ex materia agentis; ergò non est diversa ab agente. Ratio est, quia fit ex materia, tamquam ex causa materiali extrinseca per veram, & physicam causalitatem, de cuius ratione est in effectum distinctum influere.

Arguunt secundò alii. Posito, quod existat entitas causæ cum reliquis in actu primo proximo, quæ requiruntur ad agendum, & simul existat entitas effectus, nequit non dari dependentia effectus; ergò his positis nulla datur indifferentia; ergò causalitas causæ efficientis non habetur per actionem superadditam. Antecedens probatur, quia inter reliqua requisita ad ipsum actum proximum causæ necessariæ, est decretum dei efficiens, quo Deus vult effectus dependere à causa, sed posito tali decreto est impossibile, quod effectus non dependeat à causa; ergò.

Respondeo posito actu primo proximo includente decretum, dependentiam non posse non esse de consequenti, hoc est ratione decreti efficientis radicaliter, & causaliter influentis necessariò talem dependentiam; at falsum postea est ipsam non posse non esse formaliter, cum decretum ipsam dependentiam formalem, & in actu secundo non constituat. Sicuti si Deus efficere vellet parietem album, licet ex efficacia decreti non possit non poni consequenter albedo in pariete, tamen paries non foret formaliter albus per decretum, sed per albedinem ex vi decreti necessariò consequentem, Quod idem dicere debemus de dependentia. Per quod patet in forma.

Arguunt tertiò alii; & primo: effectus non minus est indifferens ad hoc, ut dependeat ab hac numero conditione, quam ab hac numerò causa; sed ad tollendam indifferentiam respectu conditionis non requiritur aliquod supperadditum; ergò. Secundò si actio esset per suam essentiam affixa determinatæ causæ, actio causæ non posset esse à solo Deo, sed absurdum est Deum se solo non posse facere, quod facit simul cum creatura; ergò. Tertio effectus quicumque creati pendent per suam essentiam à Deo, ergò saltem ut, dependeant à Deo, non indigent actione superaddita. Consequentia patet ex doctrina superius allata: antecedens est certum, quia omnis creatura dicit essentialem dependentiam à Deo.

Respondeo ad omnia, & ad primum opinor ad tollendum indifferentiam, quam habet effectus ad dependendum potius ab hac conditione, quam ab alia, sufficere, quod hæc conditio, & non alia afficiat hic, & nunc hanc causam, itaut quando hæc causa actu producit effectum, per eandem actionem, per quam tollitur indifferentia causæ, tollatur etiam indifferentia actionis.

Ad Secundum verò dico absurdum non esse Deum non posse facere se solo aliquam creaturam modalem, uti est ipsa actio, & hoc quia, utpotè modus est essentialiter affixa creaturæ. Tertium verò non urget, quia essentialis dependentia, quam dicit quælibet creatura à Deo consistit in impotentia existendi, quin à Deo dependeat, quam dependentiam certè non habet creatura per actionem superadditam, cum identificetur cum ipsa creatura. Dependentia autem, de qua hic agimus, diversa est, cum sermo sit de dependentia eiusdem creaturæ, vel à solo Deo, vel ab ipso simul, & creatura, in ordine ad quam ipsa indifferens est.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum actiones transeuntes subjectiuè sint in agente.*

EX Epigraphe difficultatis, ut vides sermo est in præsenti de subiecto inhæsionis, non verò denominationis. Certum est enim agens solummodo per actionem, actualiter denominari in actu secundo agens, cujus ratio unica ea est, quod denominatio agentis est denominatio, quæ petitur penes illud principium, à quo actiones profluunt, quod cum agens sit, profectò denominatio ipsi soli convenire poterit. De subjecto itaque inhæsionis intelligenda est proposita difficultas, ut communiter

Non intelli-

intelligitur, circa quam duplex est sententia, quarum prima est Scoti *in 4. dist. 13 quæst 1.* & omnium Scotistarum, quibus adhærent ex Thomistis Cajetanus *prima parte quæst. 25* & Ioannes à Sancto Thoma *quæst. 14. art. 4.* in Physica, aliique docentes actiones transeuntes subjectivè recipi in agente. Secunda verò ex diametro opposita sustinet in passo inhæsivè huiusmodi actiones recipi. Sic Suarez *disp. 48. in Metaph. sect. 4.* & inter Thomistas Capreolus, Soto, Ferrara, ex quibus quinam magis cohærenter loquantur ad Divi Thomæ doctrinam, inferius aliquantulum examinabitur. Interim mihi sufficiat in sententia Henrici huic secundæ subscribendum esse sententiæ, quamvis contrarium sentiat ex nostris Magister Ventura, an autem cum veritate videamus.

## CAPUT PRIMUM.

*Ex doctrina Henrici clarissimè deducitur in eius Schola secundæ sententiæ subscribendum esse, cui accedit ratio quædam peculiaris conclusionem firmans, & roborans.*

PRimus Textus, ex quo deduci potest Henrici Mens, ille est, qui habetur in summa *art. 28. quæst. 6. num. 4.* illis verbis: *actus verò secundus similiter duplex est, quidam manens in ipso agente, ut sunt intelligere, velle, & omnis actus, quo aliquid movetur ex se, alius verò transiens in rem extra, qualis est omnis actio, qua aliquid movet, & transmutat aliud à se.*

Secundus ille est, qui habetur sub eodem articulo, sed *quæst. 6.* his verbis: *cum igitur, sic diversis modis dicuntur potentia, & actus, secundum quod loquendo de potentia activa, quæ est principium transmutationis, & actu secundo, qui est operatio ab ipsa in aliud extra, ex illis non potest intelligi aliqua compositio in re etiam creata, quia actio inquantum egreditur à re nihil ponit in agente, sed solùm in passo:* & infra: *Loquendo verò de potentia activa, & actu secundo, qui egreditur ab ipsa, & manet in agente, tamquam accidens, & transmutatio existens in ipsa, ex tali potentia, & actu est compositio in creaturis, ut in intelligente, in quantum est intelligens, & similiter in currente, aut volente, & cæteris hujusmodi agentibus. Tali enim actu perficitur potentia in ipso agente, sed talis compositio non potest intelligi in Deo,* & *art. 56 quæst. 2 num. 23.* hæc habet: *dicitur actio, ut est ab agente, & passio ut recipitur in passo, ita quod actio, & passio, in quantùm sunt hujusmodi fluxus constituunt duo prædicamenta accidentium. Unum est ab agente, quod dicitur actio, alterum, ut est in recipiente, quod dicitur passio, & ambo habent esse in passo recipiente, ut in subiecto* Et *art. 39 quæst. 3. ad 2.* docet, *quod in naturalibus actio est agentis proprietas, non quia est in agente, sed quia est ab agente in subjecto passo subjectivè.*

Ex his omnibus autem Henrici verbis apertissimè patet, quam verum sit actiones transeuntes ita esse ab agente, ut in passo recipiantur, tamquam in subjecto Quod clarissimè constat præcipuè ex primo textu superius adducto, nam ibi loquitur doctor de actionibus transeuntibus contrapositivè ad immanentes; sed loquendo de immanentibus asserit ipsas manere in agente, tanquam in subjecto; ergò transeuntes recipiuntur in passo, quod totum indicatur illis verbis: *transiens in rem extra.* Sed audiamus quæso quasnam explicationes afferat Magister Ventura his Henrici Textibus.

Respondet itaque primò Doctorem loqui solùm de actione transeunti terminativè, idest ratione termini, & effectus producti, non verò de actione secundum se. Ad Textus verò allatos in particulari respondet, & ad primum dicit doctorem loqui de actionibus, ut habent rationem motus: & bene, cum motus inhæsivè recipiatur in passo, non tamen sermonem instituere de actionibus, qua actiones sunt. Ad auctoritatem verò desumptam ex *art. 59. quæst. 3.* docet illius sensum esse, quod actiones transeuntes, ut egrediuntur ab agente, hoc est sub cõceptu actionis, nihil ponant effectivè in agente, seù nihil de suo termino, sed solùm in passo, quia terminus actionis ponitur in passo. Cæterũ, ut actio ponitur in agente, ut constat *ex act 33. quæst. 4. num. 9.* illis verbis: *nihil est effectus, nisi fiat ab agente, nihil autem fit, nisi actione agentis. Actio enim sub ratione, qua actio est, semper requirit aliquod principium elicitiuum ejus. Sed*

Quam illegitimè sint hæ explicationes ex multiplici capite patere poterit attentè consideranti, quod dum Henricus loquitur de actionibus transeuntibus, de ipsis loquatur contrapositivè ad immanentes; atqui subsumo ego actiones immanentes secundùm se sunt inhæsivè in ipso agente; ergò trãseuntes secũdùm se erunt inhæsive in passo, & non solùm ratione effectus producti. Quod totum ulterius patet legenti Henricum *art. 30. quæst. 4. num. 25.* ubi doctor distinguendo duplicem respectum in eadem actione transeunte assignat differentiam inter actionem, prout actio est, & prout respicit terminum, asseritque, quod primo modo actio respicit agens, à quo est; secundo verò respicit actum, in quem terminatur illis verbis: *actio est media inter agentem, & actum* (scilicèt passum) *habens duos respectus, & sic potest considerari, ut respicit agentem, à quo est, vel ut respicit actum, in quem terminatur:* Hac autem doctrina ejusdem doctoris supposita. Sic argumentor. Actio ratione termini est actio, prout respicit actum, in quem terminatur; sed per superiora verba loquitur doctor de actione, non prout respicit actum, in quem terminatur, sed prout respicit agentem, à quo est; ergò non loquitur de actione ratione termini, sed de actione prout actio est. Minor constat præcipuè ex *articulo 58. quæst. 1. num 23.* illis verbis: *dicitur actio, ut est ab agente*, addens postea doctor, quod sic habeat subjectari passo his verbis: *quod in naturalibus actio est agentis proprietas, non quia est in agente, sed quia est ab agente in subjecto passo subjectivè:*

Pariter inepta est secunda explicatio, siquidem actio, prout motus est, est actio prout tendit ad suum terminum; sed actio, quæ recipitur in passo ex Henrico, non est solùm actio prout dicit tendentiam ad suum terminum, sed est actio prout egreditur à re, cujus est actio; ergò dum asserit, quod actio subjectivè recipiatur in passo, non solùm loquitur de actione, prout motus est; sed etiam prout actio est. Minor est certa legenti verba Doctoris *art. 28. quæst 6* hæc enim habet. *Actio in quantum egreditur à re nihil ponit in agente sed solum in passo.*

Tertia tandem explicatio solida non est, siquidem ex auctoritate deducta ex *art. 33. quæst. 4.* tria solùm colligi possunt, inter quæ profectò non est, quod actio solùm ratione termini recipiatur in passo; nam primò asserit, quod effectus, ut effectus est, fit ab agente; secundò quod non fit effectus, nisi ratione agentis. Tertio, quod actio, qua producitur effectus, requirat aliquod principium sui elicitum.

Henrici auctoritatibus assertum positum confirmantibus in nostra schola, accedit ratio omninò solida, & ea est, quæ petitur ex diversitate actio-

nis

nis immanentis à transeunte, quam placet sic exponere. Actiones transeuntes contradistinguuntur ab immanentibus; sed hæc distinctio, vel diversitas petitur ex diversitate subjecti inhæsionis; ergo istæ actiones habent diversum subjectum; sed immanentes subjectivè recipiuntur in agente, seu principio, à quo sunt; ergo transeuntes recipi debent in passo. Major est certa. Minor præcontinet potissimam differentiam actionis immanentis à transeunte, nec altera est assignabilis solida differentia, ut inferius videbimus. Alii tamen diversa procedentes via, ut hanc conclusionem, quam defendimus firment, docent actionem agentis transeuntem nihil aliud esse, quam dependentiam effectus à suo principio, quæ dependentia, cum non sit res distincta ab ipso effectu, sed ipsius modus, jam actio erit subjectivè ex parte effectus. Secundò, quia agens, qua agens est, non mutatur; mutaretur autem, si actionem, qua operatur reciperet subjectivè, cum quodlibet per novam receptionem alicuius mutetur.

Sed quam inefficaci ratiocinio hæc satis communis sententia probetur, patet, quia falsum est actionem esse ipsam effectus dependentiam à causa quemadmodum ipsa unio in compositis adæquatè materialibus non est ipsa formarum materialium dependentia à materia, sed potius actio est exercitium causæ secundæ, & ratio qua effectus actualiter producitur, & dependet; dependentia enim est intrinseca effectui, ut effectus est, actio autem est extrinseca. Ratio autem ultimò adducta, quæ Suarezii est, non est valida: docet enim Divus Thomas mutationem aliqam in agente intervenire; hæc enim habet loco inferius referendo: *novitas actionis in agentibus creatis facit mutationem in agente, prout est exiens de otio ad operationem.*

## CAPUT SECUNDUM.

### *Diluuntur Argumenta contraria.*

Arguit primò Magister Ventura: actio est modus agentis; sed modus non potest esse nisi in eo, cujus est modus; ergo actio est in agente. Minor est certa, quia modus, nec etiam divinitus subjectari potest in alio, quam in re, cujus est modus; ergo si est modus agentis, subjectabitur in agente.

Respondeo de ratione modi non esse, quod non poterit esse in rerum natura, quin subjectetur inhæsivè in rebus, quas modificat, sed solùm est, quod esse nequeat in rerum natura sine re, cujus est modus, quod longè diversum est à primò. Neque ex quo actio sit modus agentis necessariò sequitur, quod subjectetur inhæsive in agente, nam scio recentiorem hunc arguentem asserere unionem non esse solùm modum materiæ, verum etiam formæ, & tamen simul propugnare ipsam recipi in sola materia, non verò in forma. Sicuti itaque stat, quod unio sit modus formæ, quin inhæsivè recipiatur in forma, ita stabit, quod actio agentis, sit modus agentis, quin subjectivè recipiatur in agente. Actio enim dicitur modus agentis, non quia recipiatur in agente, sed quia per ipsam actionem de indifferenti ad operandum per actionem, determinatur ad operandum, quæ determinatio optimè intelligitur per hoc præcisè, quod illa operatio sit à suo principio absque eo, quod inhæsivè in ipso recipiatur.

Præterea, si verum est, quod actio agentis, ex quo sit modus agentis debeat inhæsivè recipi in agente, cum eadem actio, non solùm sit modus agentis, verum etiam patientis, consequenter actio debebit inhæsivè recipi etiam in passo. Assumptum patet, quia indifferentia est etiam in effectu ad esse ab hac, vel ab ipsa causa, quæ per actionem tollitur.

Arguunt secundò alii domestici cum eodem. Aliqua actio est delectabilis, ea præsertim, quæ procedit ex habitu; sed delectatio est in agente; ergo etiam actio est in agente. Major patet, quia habitus tribuit facilitatem, & delectationem operanti, non solùm in actibus immanentibus, verùm etiam transeuntibus; nam artifex delectatur videns opera sua, & 2. *Ethic. cap.* 3. dicitur: *omnem actionem, sequitur, vel voluptas, vel dolor.* Minor etiam est certa, nam declaratio est actio intransitiva, adeoque remanens in eo, qui delectatur. Præterea non potest oriri delectatio in aliquo, nisi forma aliqua realis de novo illi adveniat, quia delectatio resultat ex positione alicujus rei convenientis; sed hæc forma de novo adveniens non est, nisi actio; ergo actio, ex quo delectatio provenit erit in agente; sed

Contra est, in quo enim consistat delectabilitas, quæ in agentibus resultat ex aliquibus actionibus, etsi actiones, de quibus delectamur in nobis non recipiantur, assignatur à Doctore, & quidem *art.* 35. *quæst.* 11. ubi explicans verba hæc Aristotelis: *actiones autem maximè delectabilia, & contristabilia dicuntur*, hæc habet; *unde in passionibus naturalibus corruptivis potentia passiva, quasi impotentia quædam est, quia ex infirmitate, & debilitate quadam procedit: E contrariò autem actio, & potentia activa est quædam dispositio secundùm naturam, & fortitudo, ut habitum est supra, & potentia dicitur id, quo res nata est non pati* per quæ ostendit Doctor, quo sensu actiones aliquæ delectabiles sint, cum hoc provenire doceat, quia potentiæ, à quibus actiones emanant, sunt quædam dispositiones secundum naturam, quæ indicant fortitudinem operantis, non verò, quia inhæsivè tales actiones recipiantur in ipso agente, à quo producuntur. Imò si Doctoris solemnis doctrinam profiteri vult recentior iste, dicendum est actionem delectabilem non esse, quia recipitur in agente; nam potentia activa, ut sumitur à Doctore contrapositivè ad potentiam passivam illa dicitur, vi cujus res nata est non pati; si autem agens, seu potentia activa operando suam actionem, à qua profluit delectabilitas, ipsam reciperet, profectò esset id, quo res potius nata esset pati; ergo si ex Doctore potentia activa non est id, quod agens patitur, dicendum est actiones transeuntes non recipi in agente.

Arguunt tertiò nonnulli Scotistæ. Actio, prout actio est secundum suam rationem formalem non denominat passum agens, quia passum, ut passum non agit; ergo non subjectatur in ipso. Probatur hæc consequentia, quia si actio secundùm suam rationem formalem subjectaretur in passo denominaret passum agens; ergo si non denominat passum, ut passum agens, non subjectatur in ipso. Probatur antecedens. Forma denominat subjectum, cui communicatur, & quod informat; sed si actio inhæsivè subjectaretur in passo, communicaretur passo; ergo denominaret passum agens. Major est certa; nam de facto albedo communicari nequit parieti, & esse in pariete, quin denominet parietem album, & divinitas communicari nequit humanitati, quin ipsam reddat infinitè sanctam, sicuti essentia divina nequit esse præsens intellectui beati

beati, quia ipsum fecundet explendo ejusdem totam proximam potentialitatem.

Hoc argumentum, quod est Scoti, & Scotistarum Achiles soluitur primò aduertendo tunc formam communicatam subjecto tribuere eidem effectum suum formalem, quoties communicatur sub illa ratione formali, sub qua eumdem præstat effectum. Si enim hoc modo non fiat communicatio, non sequitur effectus communicatio, ut clarissimè patet in ipsa gratia, si in lapide infunderetur, & subsistentia diuina respectiuè ad humanitatem, quæ ideo ipsam non reddit infinitè subsistentem, quia eidem non communicatur, qua infinita est. Infinitas enim de materiali se habet ad ipsam humanitatem terminandam, sicuti ipsam de materiali se habere dicimus in materia de scientia Dei in ordine ad esse obiectum motiuum intellectus Beati ad visionem beatificam in nostra, & plausibili sententia. Cum autem actio estò communicetur passo, quia tamen ei non communicatur secundùm illam rationem formalem, secundùm quam tribuit rationem agentis (hanc enim præstat solùm illi principio, à quo est, secundùm quam rationem certè non communicatur passo) hinc non sequitur quod passum denominaretur agens, estò actionem ipsam subjectivè reciperet. Essentia autem diuina communicatur intellectui loco speciei impressæ, unde nil mirum si ipsum intellectum necessario fecundet, cum communicetur sub illa ratione, sub qua fit fecundatio.

Instabis primò: non stat, quod actio agentis extrinseca denominet agens agere, & intrinseca non denominet passum agens, si inhæsiuè recipiatur in passo; ergò semper passum denominaretur agens. Probatur antecedens; non stat, quod cognitio denominet extrinsecè obiectum cognitum, & intrinsecè non denominet potentiam cognoscentem, in qua potentia inhæsivè recipitur; ergo à pari non stat, quod actio, qua causa causat extrinsecè denominet agens agere, & intrinsecè non denominet passum agens, in quo inhæsivè recipitur.

Instabis secundò: nequit dari forma, quæ exerceat suam causalitatem media informatione circa aliquod sobiectum, quin præstet respectu illius suum effectum formalem; sed si inhæsiuè recipitur in passo, jam ipsa actio, quæ est forma, communicaretur passo media nimirum informatione; ergò passum indispensabiliter denominaretur agens.

Respondeo ad primum afsignando disparitatem; ideo enim cognitio denominat potentiam cognoscentem, quia est in potentia cognoscente, secundùm illam rationem formalem, secundùm quam habet ipsam denominare cognoscentem, cum in ipsa sit, tamquam in principio, à quo prouenit; at verò actiones transeuntes taliter recipiuntur in passo, ut ab ipso non proueniant, sicque in illo non sunt secundùm illam rationem, secundùm quam tribuunt denominationem agentis.

Ad secundam Instantiam respondeo cum distinctione, nequit dari forma quæ exerceat suam causalitatem media informatione circa aliquod, quin respectu illius tribuat suum effectum formalem in illis formis, in quibus effectus formalis communicatur per puram informationem, concedo majorem, in iis, in quibus effectus formalis non communicatur per puram informationem, nego majorem. Utique quando modus tribuendi effectum formalem alicui subiecto est præcisa informatio, tunc semel posito, quod forma informet subjectum, eidem tribuit suum effectum formalem, ut patet in ipsa albedine subjectiuè existente in pariete, quæ in eodem esse nequit, quin ipsum denominet album; at verò si non sit præcisa informatio, tunc effectus formalis non habetur, nisi alia intercedant; uti in casu, in quo denominatio agentis præcipuè desumitur non ab informatione, sed ab emanatione actionis, itaut illud, à quo actio emanat, agens dicatur, quapropter asserit Angelus doctor, quod si per impossibile actiones creatæ in nullo subiecto reciperentur, adhuc agentia secunda actualiter agentia dicerentur per solum egressum realem actionum ab ipsis.

Præterea tunc forma communicata subjecto tribuit eidem suum effectum formalem, quando subiectum est capax, sive proximè, siue remotè ejusdem effectus propter cujus capacitatis defectum essentia divina per sui entitatem fæcundans intellectum Beati, quamuis sit infinitè fæcunda, nihilominus intellectum Beati infinitè non fæcundat. Modo passum, qua tale incapax est denominationis agentis, adeoque estò inhæsiuè recipiat talem actionem, adhuc non denominabitur agens.

Arguunt quartò alii. Implicat mutua causalitas physica etiam in diverso genere causæ; sed semel posito, quod actio esset subiectivè in effectu seù termino, daretur hæc mutua causalitas; ergo Ostenditur minor, actio haberet rationem causæ efficientis respectu effectus, seù termini; terminus verò haberet rationem causæ materialis respectu actionis cum esset subiectum inhæsionis; sed tam causa efficiens, quàm materialis habent rationem physicæ causalitatis; ergo daretur mutua causalitas physica, quamuis in diverso genere causæ.

Confirmatur. Quod exercet munus causæ materialis præsupponi debet existens; sed terminus productus non præsupponitur ad ipsam actionem agentis, cum producatur per ipsam. Implicat autem id, quod producitur per ipsam actionem, ad ipsam præsupponi; ergo terminus productus non poterit esse subiectum inhæsionis.

Hoc argumentum cum sua confirmatione aduersarii existimant tanti roboris esse, ut dicant ipsi vix posse fieri satis, nihilominus dico in integrum solui, si præ oculis habeamus, quod dum dicimus actiones transeuntes subiectiuè recipi in termino producto sensus sit, quod recipiantur in materia compositi, noviter producti, sive accidentalis, siue substantialis, non verò subiectivè in toto composito, in quo si reciperetur, vel in eius forma, tunc fortasse sequeretur mutua causalitas, quam optat arguens, quæ tamen non sequitur semel posito, quod sit sola materia, ut propugnamus. Per quod patet ad confirmationem, materia enim, circa quam agentia naturalia operantur, præsupponitur ad ipsarum actiones, unde optimè habere poterit rationem subiecti. Sed

Dices; ergò saltem in actione creatiua materiæ, si ipsa actio creatiua inhæsivè reciperetur in materia, esset causalitas; nam actio creatiua esset causa materiæ in genere causæ efficientis, & ipsa materia esset causa talis actionis in genere causæ materialis. Sed

Contra est, omissa enim solutione Patris Suarez asserentis actionem creatiuam non habere subiectum inhæsionis, dico ipsam actionem recipi in materia, tamquam in subiecto, in quo, non verò tamquam in subiecto ex quo, quod propriè solùm gerit munus causæ materialis.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur alia argumenta ſcholæ Thomiſticæ.*

ARguunt primò Thomiſtæ quamplures auctoritatibus Diui Thomæ pluribus ex locis, & primò *ex 2. Contra Gentes cap 35. & in 2. diſt. 1. q. 1. ar. 1. ad 2. & diſt: 4. ibidem quæſt. 1. art. 4.* ad primum, ubi ait: *actionem, & paſſionem non poſſe eſſe idem numero accidens, quia actio eſt in agente, & paſſio in paſſo*; quo in loco Sanctus Doctor loquitur de actione crucifigentium Chriſtum, non precisè, ut eſt actio moralis, vel immanens, ſed ut illatiua paſſionis in illo quæ ut ſic eſt tranſiens. Inſuper ſecundò contra gentes *cap. 9. Actio quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicuti accidens ſubiecto, & ideo inter nouem prædicamenta computatur, & quæſt: 7. de potentia art. 9. ad 7.* ait: *actio, ut actio conſideratur ut ab agente, in quantum verò eſt accidens conſideratur, ut in ſubiecto agente.*

Huic argumento reſpondere debent etiam illi, qui doctrinæ Diui Thomæ militantes, nihilominus volunt actiones tranſeuntes ſubiectiuè recipi in paſſo, quia tamen concluſionem, quam tuentur, defendunt quamplures extrà ſcholam Thomiſticam, ut Angelico Magiſtro conſonam ideo placet relatis auctoritatibus occurrere ipſas explicando. Et primò Suarez ipſas exponit affirmando Diuum Thomam voluiſſe ſolum actiones eſſe in agente, non tanquam in ſubiecto inhæſionis, ſed lato modo, quatenus videlicet quæcumque forma extrinſeca dici poteſt eſſe in eo, quod denominat; vel etiam dici poteſt eſſe in agentibus ſolum quo ad efficaciam, vel tandem eſſe in agente ratione relationis reſultantis, cum relatio, quam dicit cauſa ad ſuum effectum ſit in ipſo agente, quibus explicationibus, ſi licitum eſt aliquid addere ex proprio dicerem actiones eſſe in agente, tanquam in ſuo principio effectiuo non vero tanquam in ſuo principio paſſiuo, quæ explicatio aliquibus textibus relatis, & ſi non omnibus adaptari poteſt.

Arguit ſecundo Magiſter Cauinus. Ideo actiones ſubiectiuè recipi debent in paſſo ut ſaluetur diſcrimen inter actiones immanentes, & tranſeuntes; ſed etiam dato, quod inhæſivè reciperentur in agente, adhuc ſaluaretur ſufficiens diſcrimen inter ipſas; ergò. Maior eſt fundamentum concluſionis ductum à ratione. Probatur itaque minor. Quamuis potentia operativa tranſeunter, ſit in agente, ſicuti eſt potentia operatiua Immanenter, adhuc inter ſe iſtæ potentiæ operativæ diſtinguuntur; ergo quamuis actiones tranſeuntes, & immanentes ſint in ipſo agente ſubiectiuè, adhuc diſtinguerentur. Probatur conſequentia. Ideo primum, … potentia operatiua tranſeunter ordinatur per ſe ad terminum extrinſecum agentis; potentia vero operatiua immanenter non per ſe ordinatur ad terminum extrinſecum agentis; ſed etiam tales actiones, quamuis eſsent in agente, ita ſe haberent, ut actiones tranſeuntes per ſe ordinarentur, & reſpicerent terminum extrinſecum agentis; non ſic vero actiones immanentes; ergò adhuc eſſet inter ipſas actiones ſufficiens diſcrimen.

Confirmatur nulla actio immanens reſpicit terminum extrinſecum, ut immanens eſt, nam eſtò actiones diuini intellectus, & voluntatis ſint productiuæ termini extrinſeci, videlicet Creaturarum, tamen hoc actiones iſtæ præſtant, ut virtualiter tranſeuntes, non verò, ut immanentes; ergò reſpicere terminum extrinſecum non conuenit actioni immanenti, ut formaliter Immanens eſt.

Confirmatur ſecundò actiones Dei immanentes, quamuis ſint productiuè etiam ad extra, tamen non per ſe ordinantur ad terminum extrinſecum, cum Deus ad creaturas nullam dicat relationem; ergò ſolum actiones tranſeuntes ordinantur per ſe ad terminum extrinſecum; ergò ex tali ordinatione ad extrinſecum terminum deſumenda eſt diuerſitas actionis tranſeuntis ab actione immanenti.

Reſpondeo, quod in dicta hypoteſi adhuc actiones haberent, unde diſtinguerentur ex parte termini extrinſeci, vel penes ordinem, quem dicunt ad ipſum actiones tranſeuntes, qua tales; at tamen non remaneret diſtinctiuum earundem actionum etiam ex parte ſubiecti, cum tamen ex parte eiuſdem præcipuè ſe habeat inhærendo doctrinæ Doctoris docentis actiones tranſeuntes tranſire in extraneam materiam, non verò immanentes, uti ſunt intelligere, & velle, & omnis motus, quo aliquid movetur ex ſe. Et reuera diſtinctionem præcipuam penes hoc eſſe ſummendam, patet, quia reſpicere terminum extrinſecum, convenit etiam actionibus immanentibus, ut ſcientiæ viſionis, quæ quamuis actus immanens ſit in ſententia Thomiſtica, cauſa eſt productiua creaturarum; nec verum eſt, quod ad terminum productum non ordinetur; ſiquidem, cum per Doctorē, & iuxta rei veritatē reſpectus quicumq; nullum dicat ineſſe, nullo modo repugnat ei, quod in ſe eſt, ut Deus eſt. Ratione enim eius, quod eſt cauſa omnis eſſe, ad omne aliud ens à ſe habet aliquo modo referri. Quis autem non videt prædicatum utrique commune non habere unum ab altero diſtinguere. Per quod patet in forma, tum ad argumentum, tum ad confirmationes.

Arguunt tertiò alii: omne accidens actualiter debet eſſe in aliquo ſubiecto inhæſionis naturaliter loquendo; ſed actiones tranſeuntes habent rationem accidentis; ergò debent eſſe in aliquo ſubiecto inhæſionis; ſed hoc nequit eſſe, niſi agens; ergò Minor ſubſumpta oſtenditur. Illud eſt ſubiectum, quod per talem actionem actuatur, & reducitur de potentia ad actum; ſed per actionem cauſa efficiens actuatur, & reducitur de potentia ad actum, nempe de actu primo ad actum ſecundum; ergò.

Confirmatur: non ſtat materiam per formam actuari, ipſamque in ſe non recipere; ergò à pari non ſtabit, quod per actionem actuetur cauſa efficiens, & quod ipſa actio non recipiatur in ipſa.

Reſpondeo conceſſo toto primo ſylogiſmo negando minorem ſubſumptam, ad cujus probationem diſtinguo majorem; illud eſt ſubiectum, vel denominationis, vel inhæſionis, quod reducitur de potentia ad actum concedo maiorem, ſemper inhæſionis nego majorem, & conceſſa minori diſtinguo conſequens, hoc ſubjectum denominationis nequit eſſe, niſi agens concedo conſequentiam, inhæſionis nego conſequentiam. Verum eſt, quod per actionem cauſa efficiens actuatur in hoc ſenſu quia per actionem actualiter cauſat; ſed non eſt opus ad hoc habendum, quod inhæſiuè agens recipiat formam ipſam actuantem, ſeu potius determinantem, ſed ad hoc ſufficit, quod actio ſit ab agente, cum per hoc præcisè intelligatur cauſa in actuali exercitio cauſandi, quod exercitium eſt ipſa cauſalitas.

Ad Confirmationem, quam nos addidimus argumento, clara eſt diſparitas, ſiquidem ideo non ſtat, quod materia actuetur à forma, quin ipſam recipiat inhæſivè, quia ipſa forma cum materia debet facere

unum per se; ad hoc autem faciendum necessariò exigitur, quod ita forma actuet materiam, ut ipsam informet, maximè cum ipsa materia actuetur in genere causæ materialis, cujus proprium est actuari per informationem; at verò agens actuatur non in genere causæ materialis, sed efficientis, de cujus ratione non est recipere formam, qua actuatur, seu potius determinatur.

Arguit ultimò idem Cavinus supponens in primis Intellectum, nec de potentia absoluta posse elicere actum supernaturalem, vel visionem absque omni qualitate intrinsecè inhærente. Quo supposito sic arguit. Quia Intellectus in hujusmodi actibus debet intrinsecè mutari de non potente, vel non continente, in potentem, & continentem, id per quod fit potens, & continens, debet esse intrinsecè illi inhærens, & non præcisè extrinsecè illi se habere; ergo quia causa in productione effectus intrinsecè mutatur de non agere ad actu agere, id per quod verificatur actu agere, scilicet actio, debebit in illa subjectari.

Confirmat hoc argumentum: Repugnat agens mutari per formam existentem in alio subiecto, sed per actionem agentis ipsum agens mutatur; ergò ipsa actio inhæsivè recipitur in agente. Probatur minor ex Diuo Thoma asserente *in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. ad 2* quod: *novitas actionis in agentibus creatis facit mutationem in parte, prout est exiens de otio ad operationem.*

Respondeo omissa doctrina, quæ supponitur, cum tamen falsa sit in Henrici, & Scoti sententia, ut in materia de Visione Dei videbimus, assignando disparitatem. Ideo enim id, per quod intellectus fit potens elicere visionem supernaturalem, debet inhæsivè recipi in ipso intellectu, quia illa qualitas se tenet ex parte virtutis, cum autem virtus operatiua resideat inhæsiuè in agente, hinc est, quod qualitas eleuans intellectum, ad hoc, ut possit elicere visionem, debet necessariò recipi in ipso Intellectu; at verò actio, qua causa agit non se tenet ex parte virtutis, cum potius ipsam completam virtutem præsupponat; actio enim operatiua non provenit, nisi ab adæquato actu primo.

Ad Confirmationem dico verè agens mutari per actionem; sed mutatio hæc non consistit in hoc, quod actio, qua agens actu agit, in ipso agente recipiatur; sed in hoc solùm, quod actio sit ratio formalis, qua constituitur causa in actu secundò causans, adeoque quod translatiua sit causæ de actu primo ad actum secundùm, non verò in hoc sita est, quod actio ipsa recipiatur in ipso agente, à quo procedit, ut etiam insinuat Angelicus Præceptor, qui explicans textu allato, quomodo per actionem agentis agens mutetur, docet hoc non contingere, quia in ipso agente actio recipiatur, sed quia hæc translatiua est agentis de otio ad operationem, quæ translatio optimè intelligitur per præcisum egressum actionis ab agente. Hæc enim habet in primum sententiarum *dist. 32 quæst. 1. art. 1. quod si per impossibile poneretur esse aliquam actionem, quæ non esset accidens, nec esset inhærens, tamen adhuc denominaret agentem, & tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, & in eo non est, ut inhærens.*

# QUÆSTIO TERTIA.

*Utram causalitas finis sit bonitas objecti, an cognitio.*

## CAPUT PRIMUM.

*Præmittitur notitia causæ finalis.*

Finem è causarum numero expungi curavit Cartesius, & extra ipsius scholam quamplures recentiores Atomistæ hoc idem affirmarunt docentes nullam assignabilem esse fini causalitatem, quam proegumenam, seu intus impellentem; nihilominus ut in integrum sententiam sequamur Peripateticam, fini suam causalitatem tribuimus cum certè intentionaliter existens moveat ad agendum, in qua motione quamplures causalitatem constituunt. Finis autem nomine communiter intelligere solemus, id, cujus gratia cætera fiunt, unde finis operantis propter felicitatem æternam est ipsa felicitas æterna, quia gratia illius quamplura fiunt. Hunc distinguunt Physici in triplicem speciem, nimirum in finem *qui, cui, & quo*; nomine primi venit, id, quod intendimus, nomine secundi id, cui aliquod intendimus, nomine tertii media, quibus rem ipsam consequimur. Alii verò ulterius ipsum dividunt in objectivum, & formalem. Primus est objectum illud, quod possidemus media operatione. Secundus verò est ipsa operatio; sic v. gr. visio Dei est finis formalis, Deus verò ipse, finis objectivus. His positis dico causalitatem finis in actu primo adæquatè consistere in bonitate objecti, vel reali, vel apparenti, quam diligimus, cognitione se habente ut intrinseca conditione, & primò hoc assertum ostenditur: In eo consistit vis motiva causæ finalis, cujus acquirendi gratia ponuntur media; sed media ponuntur gratia obtinendi bonitatem objecti, quod diligimus non verò cognitionem, quæ præsupponitur ad positionem mediorum; ergo vis motiva consistit in bonitate objecti, non verò in cognitione. Major constat ex terminis. Probatur minor, quia ægrotus v. gr. sumit medicinam, quæ est medium ad sanitatem, gratia obtinendæ sanitatis, non verò obtinendæ cognitionis sanitatis, cum cognitio sanitatis præsuponatur in ægroto sanitatem optante, nam sine cognitione sanitatis non posset optare sanitatem, nihil enim volitum, quin præcognitum; ergo media ponuntur gratia obtinendæ sanitatis, quæ diligitur, non verò cognitionis, quæ supponitur.

Probatur secundò. Vis causativa finis in actu primo nihil est aliud, quàm vis potens allicere, & movere voluntatem ad sui amorem, & ad ponenda media ad sui conservationem; sed hujusmodi vis est in sola bonitate finis, non autem in cognitione; ergo. Major patet. Probatur minor. Vis in actu primo potens movere ad sui amorem, & ad media ordinata ad sui consecutionem, nequit consistere, nisi in eo, quod diligimus de facto, quando amor est in actu secundo, & ad quod ordinantur de facto media, quando hæc ponuntur in executione; sed per amorem actualem diligitur de facto bonitas sanitatis v. gr. & non diligitur ejus cognitio, & media in executione ordinantur ad bonitatem sanitatis, non verò ad cognitionem sanitatis; nemo enim accipit Pharmacum, ut cognoscat, sed ut sanitatem obtineat; ergo.

Quod si quæras, quare cognitio habeat rationem meræ conditionis, & solius applicativi? Pro hoc adverto conditiones esse in duplici specie: aliæ enim

enim sunt extrinsecæ, & illæ sunt, quæ rationem formalem agendi, vel causæ substantiam non attingunt, ut approximatio ignis ad pabulum; aliæ verò sunt intrinsecæ, & sunt illæ, quæ ad eandem rationem aliquo modo pertinent, unde etiam vocantur modi intrinseci, cujus generis in nostro casu est cognitio finis, quæ non se habet, ut approximatio. Hæc enim est conditio extrinseca, & supplebilis à Deo, non verò illa.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit Argumentis contrariis.*

Cum plura obiter dicta sint superius, inter quæ præcipuè bonitatem, quamvis fictam exercere posse munus objecti motivi, atque malum ipsum sub ipsa ratione mali in voluntate causalitatem finalem exercere non posse, placet quibusdam, quæ afferri possunt contra hæc, occurrere, antequam contra statutam præcipuam sententiam argumenta referantur, & contra primum.

Arguunt aliqui. Causa finalis est vera, & realis causa; sed causalitas realis non potest oriri, nisi à principio reali, & bonitas apparens non est realis; ergo bonitas apparens non poterit movere.

Solvit hoc argumentum his terminis Doctor eximius. *Causalitas finalis ita est realis, ut fiat morali quodam, & intellectuali modo per naturalem sympathiam, quæ est inter intellectum, & voluntatem, & ideò ad illam non requiri aliud esse reale in causa, nisi illud, quod sufficit ad motionem inter has potentias per naturalem consensionem earum, & quia ad hoc sufficit esse reale, ut repræsentatum in intellectu, etiamsi in re verum non sit, ideò etiam ad causalitatem finalem sufficere, potest apparens bonitas, licet vera non sit.*

Non dissentio huic solutioni; sed aliam addo ex propriis, concedendo absolutè causalitatem finalem esse verè realem, & consequenter ipsam oriri non posse, nisi à principio reali, quod totum adhuc verificatur, quamvis bonitas ficta, vel impossibilis moveat, cujus ratio est, quia talis bonitas, quæ movet, non movet, ut impossibilis, cum ut talis careat bonitate capaci ad movendum, sed movet, ut possibilis, seu, ut cognita per judicium falsum ut possibilis; sicque semper talis causalitas est principium reale, si non entitativè, saltem in modo causandi, quod sufficit, ut verificetur, quod realis causalitas non fit, nisi à principio reali.

Arguunt secundò alii contra id, quod obiter supra dictum est videlicet, quod malum, ut malum non possit habere causalitatem finalem in voluntate. Voluntas non semper movetur à fine ad obtinendum aliquod; sed sæpè etiam ad vitandum aliquod; sed ad hoc movetur à fine, ratione malitiæ; ergo non solùm bonum, sed etiam malum, ut malum habere potest aliquam causalitatem in voluntate.

Huic argumento respondet Suarez dicendo, quod quando mobile recedit ab uno termino, & ad alium accedit, terminus à quo non est finis illius motus; sed ipse terminus, ad quem motus fertur. Modo autem, cum in casu recessus à malo sit veluti terminus à quo, & bonum sit terminus ad quem, finis non erit ipse recessus à malo, qui potius est veluti medium ad obtinendum finem, sed ipsum bonum propter quod consequendum recedit à malo; sed

Quidquid sit de hac solutione, quæ sua difficultate non caret, cum ipsa peccati vitatio, seu recessus à malo possit esse finis principalis, ut esset in illo, qui finaliter intenderet peccati vitationem nil aliud intendendo, in quo casu haberet rationem finis; quidquid, inquam, sit, aliter satisfacio argumento via planiori, & veriori dicendo non moveri in hypothesi à malitia, sed à vitatione ipsius malitiæ, quæ vitatio bona est etiam bonitate morali, itaut malitia sit ratio tantùm, cur diligam ejus vitationem, non verò sit objectum amoris. Ideò enim diligo vitationem, quia odio habeo peccatum, aliàs non diligerem ejus vitationem.

Arguunt tertiò alii contra præcipuum assertum. Ex diversa apprehensione diversificatur essentialiter appetitus; ergo cognitio, seu apprehensio boni pertinet formaliter ad constituendum finem. Hæc consequentia liquet, quia appetitus non specificatur, nisi à fine; ergo si specificatur per diversas apprehensiones, jam apprehensio habebit rationem finis. Probatur itaque antecedens. Appetitus naturalis differt à sensitivo, & sensitivus à rationali; sed primus non differt à secundo, & secundus à tertio, nisi quia primus fertur in bonum sine cognitione; secundus verò fertur in bonum cognitum per simplicem cognitionem sensitivam; quando rationalis fertur in bonum cognitum per cognitionem rationalem; ergo.

Respondeo distinguendo antecedens ex diversa apprehensione diversificantur essentialiter appetitus, tamquam ex ratione formali specificante, nego antecedens, tamquam ex diversa ratione proponente objectum concedo. Non est mirum, quod ex sola diversa applicatione haberi possit diversitas appetitus in specie. In plausibili enim sententia actus charitatis in patria elicitus diversus est ab illo viæ, quidquid in oppositum sentiant ex Societate Silvester Maurus *lib. 5. de Beatitudine formali quæst. 5.* Vasquez *12. disp. 10. cap. 4. num. 22.* & inter Thomistas Illustrissimus Petrus de Godoy *tom. 1. tract. 5. de Beatitudine disp. 3. §. 4* aliique plures; cum tamen hæc diversitas non oriatur ab objecto motivo hoc enim est commune utrique actui, sicuti communis est bonitas increata, sed unicè à diversa applicatione, in quantum illi actus à diversa regulantur cognitione; ut disusè videbimus in materia de Beatitudine supernaturali.

Arguunt quartò alii. Si ratio motiva ad amorem est bonitas, & malitia ad odium, deberet bonitas, & malitia cum æquali proportione movere, itaut minor bonitas non plus movere deberet, quam major malitia; sed potius minus; atqui de facto contingit minorem bonitatem plus movere, quam movet major malitia, & interdum plus movet minor malitia ad fugam, quam magna bonitas ad prosequendum bonum; ergo ratio motiva ad amorem non est bonitas, & ad fugam malitia. Consequentia hæc liquet, tum ratione, tum paritate. Ratione inquam, quia amor commensurari debet rationi motivæ; paritate verò, nam quia immaterialitas in plausibili sententia est ratio à priori illativa gradus cognoscitivi, major immaterialitas infert majorem cognoscitivitatem, & minor minorem; ergò à pari, si bonitas est ratio motiva, ubi erit minor bonitas, hæc non poterit plus movere, quàm moveat maior malitia ad odium.

Respondeo omissa quorundam solutione in eo posita, quod quando contingit nos minorem bonitatem plus diligere, quam odio habeamus maiorem malitiam, hoc non contingit ratione ipsius minoris bonitatis, nec præcisè ratione majoris malitiæ, sed unicè ex libertate ipsius voluntatis, quatenus

nus hæc majori motioni, aliquando non cooperatur, & iden minor bonitas quantùm est de se aliquando contingit magis mouere voluntatem, quàm major malitia moueat, quia hæc fortius apprehenditur in ordine ad amorem, quàm apprehendatur malitia; unde illa maior motio in ordine ad bonitatem minorem, & minor ad malitiam majorem non refunduntur in ipsa bonitate minori, prout minori, & malitia majori; cum sola bonitate attenta; & malitia præcisè inspecta, potius oppositum evenire deberet, sed penes maiorem, vel minorem apprehensionem. Nec mirum, est quod ex majori, vel minori apprehensione, quamuis hæc ad motionem purè applicatiuè, & per modum conditionis concurrat, desumatur, major, vel minor motio, cum explicari hoc totum possit in illorum sententia, qui volunt objectum motiuum divinæ scientiæ in ordine ad cognoscenda futura esse ipsam essentiam sub ratione decreti, itaut essentia sola sit objectum formale motiuum; decretum verò ingrediatur per modum purè applicationis. In qua sententia certum est essentiam diuinam mouere ad cognitionem liberam creaturarum, quamuis ipsa sit summè necessaria, & hoc nonnisi quia liberè applicatur, simulque non mouet, nisi ut liberè applicata; itaut libera applicatio per decretum habita sit radix cognitionis liberæ, quamuis objectũ motiuũ, qua motiuum sit ens summè necessariũ, & ipsa natura diuina contingenter sanctificat humanitatẽ. quamuis sit essentialiter sancta, propter contingentem applicationem factam media unione hipostatica. Sicuti ergò simplex diversa applicatio importare potest variationem ex parte effectus, poterit quoque diuersitatem preseferre ex parte causæ diuersus modus se applicandi, ut optimè magis diffusè diximus, de æqualitate appetitus materiæ.

Arguunt ultimò pluribus conglobatis rationibus, & primò causa physica non solùm causat per essentiam, verum etiam per existentiam; ergo etiam causa intentionalis non solùm debet causare secundùm esse intentionale per rem denominatam, sed etiam per formam denominantem, quæ est cognitio. Secundò ablata cognitione aufertur vis motiua ergò hæc consistit formaliter in cognitione; antecedens liquet: bonum enim non movet, nisi ut cognitum; ergò ablata cognitione aufertur vis motiua. Tertiò causa finalis causat, & mouet secundùm illud esse, quod habet, sed habet esse solùm intentionale; ergò causat secundùm esse intentionale; Sed esse intentionale est cognitio; ergò causat, & movet per cognitionem, adeoque hæc erit vis motiua.

Respondeo ad omnia breviter. Ad primum disparitas est, quia in esse physico essentia, & existentia non distinguuntur realiter, cum in Henrici sententia realiter strictè identificentur, adeoque, si causa causat secundùm primam actualitatem, causare debet etiam secundùm posteriorem. At verò in esse intentionali distinguitur realiter res denominata à forma denominante, cum objectum sit semper distinctum à cognitione, & nulla cognitio potest esse cognitio sui ipsius, adeoque bene poterit causa intentionalis, qualis est finalis, mouere, & causare per rem, nimirum per esse intentionale, vel per rem denominatam, quin causet per formam denominantem.

Ad secundùm dico remanere totam vim motiuam in bonitate objecti, etiam ablata cognitione, quamvis illa bonitas actu non moueat ex defectu intrinsecæ conditionis, videlicet cognitionis. Ad tertium clara est solutio ex doctrina ad primum relata.

Quæres, quænam sit causalitas in actu secundo.

Respondeo sententiam esse nonnullorum circa hoc quæsitum, causalitatem finis in actu secundo actionem esse, qua media ponuntur in gratiam finis, verbi gratia actio ipsa, qua ponitur ambulatio in gratiam sanitatis, per istos causalitas est qua sanitas est in actu secundo causans, unde asserunt actiones etiam esse causalitatem in actu secundo causæ efficientis, & causæ finalis.

Hæc sententia nobis non placet. Ratio multiplex esse potest. Præcipua tamen est, quod causa efficiens non operatur, nisi prius sit mota à fine; aliàs à casu operaretur; ergò jam motio intelligitur in priori ad actionem, qua causa operatur, & consequenter motio causæ finalis non erit ipsa actio.

Explicatur hoc primò. Causa efficiens antequam agat saltem anterioritate naturæ intelligitur mota à fine, & causa efficiens tunc respectu finis se habet, ut effectus; ergo antequam detur actio causæ efficientis, jam data est causalitas causæ finalis; ergò causa finalis non agit, seu non est in actu secundo causans per actionem causæ efficientis. Probatur hæc consequentia, quia quod antecedit causam antecedit etiam ejus actionem, ut per se patet; sed eo ipso quod causa efficiens agit, ut mota à fine, motio finis antecedit causam efficientem; ergò à fortiori antecedit ejus actionem; ergò finis non agit per actionem causæ efficientis. Hæc ratio adeo mihi efficax est, ut propter eamdem doceamus in Physica, nec materiam existere posse per formam, nec organizari posse per animam rationalem, quia videlicèt in priori ipsa intelligitur nedum existens, verùm etiam in suas partes distributa, sicuti dicam suo loco de Dei essentia, quæ ideo constitui nequit per gradum intelligendi, quocumque modo illum explicent Thomistæ, Salmaticenses, Albeda, Gonet, & Godoy, quia in priori ad ipsum Dei essentia intelligitur. Sed

Dices: sicuti de ratione actionis est supponere prius causam motam à fine, ita de ratione relationis est supponere fundamentum, & Personam, vel subjectum; sed nihilominus relationi non repugnat constituere Personam, ut patet in ipsa diuina relatione, quæ quamuis excludatur à constitutione Personæ sub respectu ad terminum, non excluditur tamen sub conceptu formæ hipostaticæ, & subsistentis; ergò etiam poterit actio causam in actu secundò mouere non obstante sui posterioritate.

Respondeo disparitatem esse, quod relatio Personam non constituit sub illo conceptu, sub quo posterior est, videlicet sub conceptu, explicito *ad*, sed solùm sub conceptu subsistentis, qui conceptus, & primus est in ipsa relatione, & simul prior ipsa Persona: at verò actio sub nullo conceptu prior esse potest ipsa motione causæ efficientis. Cum enim posterior sit secundum primum conceptum, cujusmodi est esse *ab*, posterior quoque erit secundùm quemlibet alium.

Itaque existimo dicendum esse causalitatem finis in actu secundo esse allicientiam, qua finis sub ratione boni mouet voluntatem ad sui amorem. Hæc est germana Henrici sententia, ut videri potest *art. 49 quæst. 6* ubi hæc lego: *Finis sub ratione boni mouet voluntatem aliciendo ipsam ad se desiderandum, & terminatur ordo primæ motionis. & statim incipit ordo secundæ motionis, voluntas enim intellecta bonitate finis ipsum optat adipisci, & mouet intellectum ad concipiendum formam motiuum, & omnium aliorum, quæ sunt necessaria, hoc est media ad ipsum pertingendum, quibus perceptis*: En quod per Henricum, antequam detur actio, qua ponuntur, & eliguntur media,

jam

jam finis fuit in actu secundo causans per allicientiam. Ratio autem est, quia causalitas finis in actu, secundo est id, per quod in actu secundo mouet, & inclinat ad se voluntatem; sed finis mouet, & inclinat ad se voluntatem per allicientiam ad sui amorem; ergo allicientia est eius causalitas in actu secundo. Maior patet ex discrimine, quod intercedit inter intellectum, & voluntatem. Intellectus enim trahit ad se objectum, voluntas verò trahitur ab objecto, adeout tunc voluntas subjaceat causalitati finis, cum ab ipso allicitur; & trahitur. Minor verò probatur. Per id finis mouet voluntatem, per quod voluntas formaliter trahitur; sed per allicientiam formaliter trahitur; ergò.

Confirmatur per id finis in actu secundo causat, per quod exercet suam efficaciam, & uirtutem finalizandi; sed alliciendo voluntatem ad sui desiderium talem efficaciam exercet, & virtutem; ergò. Maior patet: sicuti enim causa efficiens in actu secundo causat per hoc, quod suam virtutem exercet in actu secundo, sic idem evenire debet loquendo de causa finali. Probatur itaque minor. Virtus finalizandi est bonitas; sed bonitas exercetur in actu secundo alliciendo, & trahendo ad sui amorem; ergò. Et hæc, ni fallor, est etiam sententia Divi Thomæ *quæst. 22. de veritate art. 2. dicentis: sicuti influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, & desiderari*. Aduertendum tamen est hic nos non ponere causalitatem finis in sola ostensione bonitatis, sed etiam in ostensione cum actuali allicientia, itaut illa bonitas finis actu moveat, & trahat in sui amorem voluntatem.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quamplurima discutiuntur spectantia ad Causam finalem.*

QUæres primò. An finis semper primus sit in intentione, ultimus verò in executione.

Respondeo axioma hoc utilissimum esse in Teologia ad varia Providentiæ, atque prædestinationis diuina Mysteria explicanda. Sententia; ergò nostra est affirmatiua, adeoque statuimus semper in intentione præcedere finem, & sequi media. Et ratio est manifesta, quia media propter finem eliguntur, adeoque mediorum electio finis intentionem præsupponit. Vbi tamen notandum, nos hic non velle prioritatem quandam Temporis, sed rationis dumtaxat, siquidem à Deo, & finem, & media simul ab æterno decreta esse in Teologia probabimus. Iam verò finem esse ultimum in executione, apparet ex dictis, quia per media finis aquiritur. Media ergo præcedere existentiam finis necesse est.

Quæres secundò. An omnis appetitio seù volitio humana sit propter finem. Respondeo affirmatiuè, & probatur; quia appetitus humanus, seù voluntarius procedit ex ratione, adeoque est actus intendentis. Id autem, quod intenditur, vocatur finis.

Dices aliqui homines multa agunt absque præuia cognitione, aut mentis deliberatione; ergo non semper agunt propter finem.

Respondeo esse ignorationem Elenchi; neque enim dico homines semper agere propter finem, sed omnem appetitionem, aut volitionem humanam esse propter finem. Distinguendum enim est inter actiones hominum, & humanas. Quotiescumque homines aliquid agunt absque cognitione, aut intentione agendi, eiusmodi actiones hominum quidem, non verò humanas appellamus. Dices: atqui volitio finis ultimi est actio humana, & tamen non est propter finem; ergò. Respondeo volitionem finis ultimi, hoc ipso propter finem esse, quia agens à fine cognito movetur ad volendum, adeoque voluntas excitatur ad finem illum consequendum, itaut finis istius volitionis sit possessio, siue fruitio summi boni.

Quæres tertiò. An Bruta agant propter finem. Resp. non desunt, qui etiam Brutis rationem tribuunt, adeoque ex ratione quamplurima operari docent, dicendo quædam actiones suas ad finem ordinare, & media quoque apta ad finem consequendum eligere, ac disponere; ut cum Hirundo, & nonnullæ aliæ aues nidos miro artificio præsertim fœtus parturiendi causa extruunt. Non desunt verò alii, qui docent hæc, & talia plura à Brutis præstari, non quod iam finem Intelligant, aut ullo modo cognoscant, sed solùm per impetum quemdam, aut instinctum naturalem, itaut eo modo actiones suas perficiant, & ad finem perveniant, sicuti horologia, vel automata Motus suos, ad quos ab Artifice destinata sunt, absoluunt. Nos primos sequimur. Secundi verò, qui iuxta Cartesiana principia respondent, suo impugnabuntur loco.

Quæres quartò. An eadem actio habere possit diversos fines bonum, & malum.

Respondeo eandem actionem diversorum objectorum posse habere diversos fines. Apparet ex Historia *Jonathanis*, quæ extat 1. *Sam.* 20. ubi Jonathan emittens tres sagittas, & Armigerum suum alloquens, ut sagittas illas tolleret, duò intendebat, unum respectu Armigeri, nempe ut sagittas illas tolleret; alterum respectu Davidis, ut fuga vitæ suæ consuleret. Eandem quoque actionem ratione diversarum causarum, à quibus procedit, posse habere duplicem finem, bonum, & malum manifestum est in venditione Josephi, ubi finis Dei erat bonus, Fratrum verò vendentium erat malus, ut docetur. *Genes. 11. vers. 5. & 8 Vos cogitaveratis quidem contra me malum. Sed Deus cogitavit illud in bonum, ut faceret sicuti est die hoc, conservando in vita Populum multum*. Eandem tamen actionem ratione ejusdem causæ posse habere duplicem finem, bonum, & malum, non arbitror; & ratio est, quia agentis intentio, vel rectè rationi convenit, vel non; si conveniat, finis bonus est; si non conveniat, malus; adeoque finis bonus, & malus ratione ejusdem causæ simul esse nequit.

Quæres quintò. Utrum detur finis ultimus naturalis, sive Beatitudo naturalis?

Respondeo finem propriè, & accuratè loquendo, prout aliquid concipitur extra efficientem, causam, non existere, adeoque nec causam esse supra notatum est, ac proinde etiam idem de fine ultimo hic suppono. Quando ergo quæritur utrum detur finis aliquis ultimus, sensus non est, utrum finis ultimus alibi existentiam habeat; sed solùm, utrum homo viribus naturæ in hac vita summam felicitatem, seu beatitudinem consequi possit?

Scholastici Beatitudinem dividunt in naturalem, & supernaturalem. Naturalem vocant eam, quæ naturæ viribus comparari potest. Supernaturalem verò illam, quæ supernaturali Dei gratia aquiritur. Nos verò licet in statu innocentiæ, seu integritatis ante lapsum primorum parentum, Beatitudinem aliquam ipsis naturalem fuisse fateamur: nunc verò post lapsum nullam veram beatitudinem agnoscimus, ad cujus comparationem non requiratur gratia Dei supernaturalis.

Ad quæstionem itaque propositam respondemus negativè, & probatur primò, quia nullum verè

bonum, ac proinde, nec summum, cujusmodi est beatitudo naturæ viribus comparari potest, ut patet ex variis Scripturæ Testimoniis. Jeremiæ 13. 23. *An mutare potest Ethiops cutem suam, aut pardus livente maculas suas? Etiam vos possetis benefacere, cdocti malefacere? Rom. 8. 7. Quoniam quod sapit caro inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subiicitur; nam ne potest quidem* 11. *Cor.* 3. 5. *non quod idonei simus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, veluti ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est* 2. Quia omnes facultates hominis in statu naturæ sunt corruptæ, intellectus cæcus, voluntas depravata, & in vitia quævis proclivis, ut Theologi fusius demonstrant; ergò viribus naturæ Beatitudo obtineri non potest.

Dices. Datur in homine etiam in hac vita appetitus naturalis Beatitudinis; ergò datur etiam Beatitudo naturalis. Consequentia hæc est certa, quia appetitus naturalis non est frustra.

Respondeo primò negari posse antecedens; licet enim in homine detur appetitus, quo feratur in summum bonum confusæ, & indefinitè, quia tamen non cognoscit definirè, & distinctè, quid illud sit, seu in quo consistat, neque illud distinctè appetere potest, *ignoti enim nulla cupido*. Secundò respondeo negando consequentiam, quia multa homo appetit in hac vita, quæ tamen non potest consequi, ut Immortalitatem, sempiternam sanitatem, perfectam scientiam, divitias immensas. Similiter etiam Eva æqualitatem cum Deo appetit *Genesis* 3. 5. Ratio verò consequentiæ nulla est: si enim sensus sit, appetitum frustra esse, qui expletur; concedo appetitum hominis sæpissimè frustraneum esse, ut patet ex dictis. Si verò sensus sit appetendi, seu volendi vim frustra homini datam esse: nego, quia ad hoc sufficit, ut sit objectum ipsi proportionatum; an verò in hoc, an in altera vita comparabile sit, idque, vel ex naturæ viribus, vel gratiæ supernaturalis auxilio, non refert.

Quæres, in quo consistat Beatitudo nostra.

Respondeo in hac re non unicam fuisse sententiam apud veteres. Brevi calamo à vero alienas impugnamus; & primo in corporis sanitate reponi nequit Beatitudo. Sanitas enim Brutis nobiscum communis est. Nemo autem summum hominis bonum constituere potest in eo, quod est Pecudibus, & brutis commune. Secundò, quia homini vitioso sepè confertur. Tertiò verò, quia instabilis est, cui inconstantiæ aduertens Ambrosius *lib.* 3 *Hexam cap.* 7. hæc scripsit: *viret enim, & gloria hominis in carne, quasi fenum: atque putatur esse sublimes exigua quasi herba est, prematura, ut Flos, caduca quasi fenum. Germinat vitæ viriditatem in specie, non in fructu soliditatem. Hilarioris vitæ quasi flos prætendens jucunditatem breviori spatio occasum, sicuti herba feni, quod priusquam evellatur arescit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna. Hodie vides Adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suavi odore, crastina die tibi facie, & ore mutatus occurrit. Plerosque, aut labor frangit, aut inopia macerat, aut eruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eviratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat.*

Secundò reponi nequit in diuitiis, earumue possessione. Ratio multiplex est, quarum prima, & potissima est, quia summum bonum explere debet hominis appetitum, itaut in eo animus quiescat, & nihil ulterius desideret, atqui divitiæ non explent hominis appetitum, & semper plures homo desiderat iuxta illud.

*Quo plus sunt pote, plus sitiuntur aquæ*

Secūdò, quia divitiis etiā malli abundant, unde Seneca *Ep* 67. *Multi certè mali, & improbi diuitiis abundant, ac proinde non sunt bona vera, quæ non efficiunt benes*, quibus addi possunt damna, quæ ex diuitii sepe sepius sequuntur, ut luculentissimæ ostendit Theophilus Rainaudus *Tomo* 3. *dist.* 1 *quæst.* 3 *art.* 4. & pulchre de more refus Plinius in Proemio *lib.* 14. illis verbis: *diuitiis affricat, nempe quod distractam in tam varia, & diuulsam mentem, studiis literarum tractandi inidoneam reddunt, unde illa literarum clades, & bonarum artium, veluti rubigo ardens circa opes studium consecuta: nimirum alii subiere ritus, circaque alie mentes hominum detinentur, & auaritie tantùm artes coluntur. Antea inclusis Gentium imperii intra ipsas, ideoque, & ingenii, quadam sterilitate fortune necesse erat animæ bona, exercere; Regesque innumeri honore artium colebantur, & in ostentatione has præferebant opes, immortalitatem sibi per illas prorogari arburantes. Posteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, postquam Senator censu legi cepius, judex fieri censu, Magistratum, ducemque nihil magis exornare, quam census. Postquam cepere opes in auctoritate summa, & potentia esse, captatio in questu fortissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum iere vitæ pretia, omnesque à Maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere.*

Tertiò collocari non potest in honoribus, vel dignitatibus. Honor enim res pariter instabilis est, qui facilè ammitti potest, atque impiis, aliquando confertur hominibus. Dignitatibus verò quamplura incomoda associantur, & eo magis, quo dignitas sublimior est, unde Epictetus apud Arrianum *lib.* 3. *cap.* 22. de regia felicitate loquens, hæc reliquit: *ubique sunt perturbationes, mæstitiæ, timores, appetitus infiniti, invidiæ, obtrectationes, quo aditu preclusis sic omnibus sese felicitas presentaret?* Cui non parum affinis est Boetius 4 de consolatione metro 2. sic rem totam describens.

*Quos vides sedere Celsos*
*Solio in culmine Reges*
*Purpura claros nitente*
*Septis tristibus armis*
*Ore torvo comminantes*
*Rabie cordis anhelos*
*Detrahat, si quis superbis*
*Vani tegmina cultus,*
*Iam videbat intus arctas*
*Dominos ferre catenas*
*Hinc enim versat libido*
*Avidis corda venenis*
*Hinc flagellat ira mentem*
*Fluctus turbida tollens*
*Mæror, aut captos fatigat*
*Aut spes lubrica torquet*
*Sulvos caput tot unum*
*Cernas ferre tyrannos*
*Non facit, quod optat ipse*
*Dominis pressus iniquis.*

Dices summum hominis bonum est per quod homo maximè redditur similis Deo; atqui hoc fit per honorem, unde illi, qui aliis præsunt, Dii appellantur; ergò.

Respondeo negando minorem, & ad probationem dico eos, qui presunt Deos appellari, non quod omnino Deo similes sint (sunt enim aliquando impii) sed quod sint ministri Dei ratione officii, & vindicis ad iram, ut Apostolus docet Rom. 13. 4.

Quartò reponi non potest in pulcritudine. Hæc enim pariter instabilis est, unde rectè Clemens Alexandrinus 3. Pedag. cap. 1. *Flaccescit pulchritudo, &*

*cuius*

*citius, . nam folia humi decidit, & priusquam veneris autumnus marcescit, & interit*, & Ausonius *Edyll* 14. aptans Rosæ fugacitatem, mox dilabenti pulchritudini habet.

*Hæc modo, quæ toto mutilaverat igne Comarum*
*Pallida collapsis deseritur foliis*
*Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam*
*Et dum nascuntur consenuisse Rosas*
*Eve, & defluxit rutili coma punica floris*
*Tum loquor, & tellus tecta rubore micat*
*Tot species, tantosque ortus, variosque nouatus*
*Una dies aperit conficit una dies*
*Conquerimur natura brevis, quod gratia florum est*
*Ostentata oculis illicò dona rapis*
*Quam modo nascientem rutilus conspexit Eoys*
*Hanc rediens serò vesperè vidit annum.*

Quintò reponenda non est in longævitare vitæ, primò quia vita, quamuis longa appetitum satiare non potest. Secundò quia incerta est, & instabilis Tertiò, quia etiam reprobis conceditur. Quartò, quia beatus nemo à longa, sed à bona vita dicitur; unde præclaré Seneca *lib. de Tranquillitate animi* dixit. *nihil turpius est, quam grandis natu Senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diù vixisse præter ætatem*.

Sextò non residet in voluptate corporea. Primò, quia hæc communis est Brutis. Secundò quia simul cum tempore aduolat. Tertiò, quia si summum bonum in voluptate consisteret, jam homo Deo felicior esset, cum Deus voluptate corporea careat, qua non caret homo, sicque Deus ab homine vinceretur, quod nimis à verò distat. Quælibet ex his rationibus ex Seneca desumitur. Prima quidem, & secunda ex Epistola 123 his verbis: *Voluptas humilis res, & pusilla est, & in nullo habenda pretio, communis cum mutis Animalibus ad quam minima, & contemptissima advolant*; & breulus ex lib. *de vita beata cap.* 9 *Quid mihi voluptatem nominas. Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus, ac Belluis laxior est*. Tertia verò ex Epistola 74. *Aut ista, inquit, bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo est. Quoniam quidem, quæ parata nobis sunt, non habet in usu Deus; nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quicquam ex his hominem inescantibus, & vili voluptate ducentibus pertinet, ergò aut, quod incredibile est bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est bona non esse quæ Deo non desunt. Adiice, quod multa, quæ bona videri volunt animalibus, quam homini pleniora contingunt. Illa cibo auidius utuntur; Venere non æque fatigantur. Virium illis major est, & æquabilior firmitas. Sequitur, ut multò feliciora sint homine: nam sine nequitia, sine fraudibus degunt, fruuntur voluptatibus, quas & magis cupiunt, & ex facili sine ullo pudoris, aut pœnitentiæ metu. Considera tu itaque, an id bonum vocandum sit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo constituamus. Obsolescit, si ab optima nostri parte ad pessima transit, & transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda.* Sed in hac re videatur Theophilus Rainaudus *Tomo* 3 *dist.* 1 *quæst.* 3. *art.* 4. *n.* 96. veram Epicuri inquirens mentem, quam eruditè, & solidè proscribit.

Septimò reponi nequit in ipsa virtute, uti ipsam reponebant inter antiquos Phylosophos Cleanthes, Antisthenes, Diogenes, Necotones, Possidonius, & Zeno. Virtus enim comparitur cum plurimis huius vitæ incomodis, & sæpe sæpius virtute præditus infortunatus est, atque plures huius vitæ miserias subit. Hanc optimè excludit à nostra Beatitudine Eminentissimus Ioseph Saenz de Aguirre in sua Phylosopia morali *lib.* 1. *in* Aristotelis *Ethica cap.* 5

Dicendum itaque remanet veram, & formalem hominis Beatitudinem comparari ex summi boni possessione aut fruitione, ac proinde, cum Deus sit absolutæ summum bonum, & infinite perfectum, ex possessione ipsius, ac fruitione beatitudinem hominis comparari constat; adeoque, & eum hominem verè beatum esse, qui Deum possidet eoque fruitur. Sicuti ergò divitiarum possessores divites dicuntur, Ita etiam possessores Dei verè felices, & boni appellantur; in cuius solum delectatione formaliter summum hominis bonum consistere arbitror, atque unice appetitum nostrum satiari per huius assecutionem, ut preclarè Augustinus habet *lib* 1. *confess. cap.* 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*

Quæres. An Deus supplere possit defectum causæ materialis.

Respondeo supplere posse in genere causæ efficientis producendo v. gr. ignem ex nihilo, seu independenter ab omni materia, non verò supplere posse in genere causæ materialis, quia munus causæ materialis est passivè concurrere, recipiendo, & sustentando formam, sed Deus non potest concurrere, cum non possit quidquam pati, aut recipere, cum sit omninò immutabilis; ergo non potest supplere Deus in genere causæ materialis, sicuti nec etiam in genere causæ formalis, quapropter Thomistæ passim nolunt Deum supplere posse loco luminis gloriæ, quia hoc exercet munus formæ relatè ad intellectum, quem elevat.

## QUÆSTIO QUINTA.

*An idea consistat in conceptu formali, vel objectivo.*

### CAPUT PRIMUM.

*Præmittitur notitia Ideæ, & resolvitur proposita difficultas.*

Quamvis Ideæ nomen obviæ sit intelligentiæ, facilis tamen non est explicationis. Cartesius, Le Grand, aliique, postquam posuerunt Ideas quasdam animæ ingenitas, inter quas recensent etiam lineæ rectæ trianguaris (has enim sensui tribui posse negant, cum hujusmodi lineas dicant non esse reperibiles) atque causalitatem exemplarem non esse physicam, cum dirigere operationem non sit proprie in ipsam influere, docent Ideam esse formam unjuscujusque nostrarum cogitationum, cujus immediata perceptione earumdem cognitionum cognitionem habemus. Sed penitus falsa est hæc Ideæ notitia, cum nec sit forma quamlibet cognitionem informans, sed potius cognitioni objecta, nec sit apta vi suæ cognitionis in nostram ducere cognitionem, nisi casu, quo sit ejusdem Idea. Si enim sit rerum à cognitione distinctarū exemplar, manuducet quidem intellectum ad ipsas cognoscendas, sed non ad se ipsum, vel ejus actus, cum nec sui ipsius, nec suorum actuum esset idea. Censeo itaque cum Peripateticis Ideam esse formam, ad quam respicit agens, ut ad ejus similitudinem opus aliquod efficiat.

Quomodo autem hæ Ideæ habeantur, non una est apud omnes mens. Aliqui enim volunt animam eas producere in se ipsa, alii Deum eas causare, vel in momento creationis, aut quoties hæc illis

illis opus habet; nonnulli verò sustinent animam in se ipsa videre mentem suam, omnes suas perfectiones, simulque omnia externa objecta. Alii verò tandem nos omnia in Deo videre. Quilibet dicendi modus suos habet propugnatores, & præcipuè novissimus, quem plures ex Cartesio se docere gloriantur; inter quos Malebranchius *lib 3 de inquirenda veritate*, *& Le Grand* in sua Apologia *pro Renato des Cartes contra Samuelem Pakerum*. Volunt enim hi in quolibet esse Dei Ideam, etsi adhuc in utero matris existat; quæ innata singulis dicitur, non quia illa semper nostræ menti obversetur, aliàs nos semper de Deo cogitaremus (est enim Idea animi conceptus, vel verius, est singularis cognoscendi modus). Ideam autem hanc claram, & distinctam nos habere contendunt, etsi Deum ipsum cum suis attributis clarè non intelligamus, quemadmodum perspicuam Trianguli Ideam aliqui habent, quamvis ipsius proprietates omnes non cognoscant, & hoc, quia omnes proprietates Trianguli in ipsius Idea continentur, sicuti nullæ de Deo perfectiones demonstrari queunt, quæ in Idea quā de Deo habemus, conclusæ non sint. In Deo autem nos omnia videre authumant nobiles descripti Philosophi, quem mentibus nostris arctissimè præsentia sua uniri propugnant; sed

Quàm falso hoc aseranr, suadere hic contendo, & primò, quod anima inepra sit ad ideas rerum producendas, simulque quod omnia in Deo in hac via cognoscat, & à primo incipiendo, quo fundamento solido virtutem hanc productivam intellectui deneget Malebranchius nescio Quod si dicas hoc primò provenire, quia jam creatura Deo æquipararetur; quemadmodum enim Deus omnia ex nihilo creavit, & in nihilum omnia redigere potest, ita homo creare posset, & annichilare omnium rerum Ideas Secundò verò, quia jam creatura aliquod nobilius formaret eo, quod Deus fecit, siquidem mundus intelligibilis perfectior est mundo materiali, & repræsentativo. Cum itaque quis aserit homines præditos esse virtute formandi Ideas pro libito, ita aserit ipsos posse formare entia nobiliora, & perfectiora mundo, quem Deus condidit, Perpende Lector hæc Malebranchi argumenta inepta esse ad proscribendam tot Theologorum sententiam. Primum quidem, quia Ideæ productio nullatenus creatio est; hæc enim ita producitur, ut supponat impressiones materiales, quas cerebrum accipit ab objectis, vel esse ejusdem Ideæ sub modo tamen materiali, seu à materia nunquam depurato, quæ præsuppositio creationi derogat.

Dices: non est minus difficilè ideas ipsas creari, quàm produci ex Immaginibus Materialibus, quæ cum iis nullam habent proportionem, sicuti difficilius non est Angelum creare, quam illum ex Lapide educere Contra est. Instantia enim hæc Malebranchii parum urget: Species enim in Phantasia relucens esto materialis, non concurrit tamen secundùm hanc formalitatem, sed per sui repræsentationem, ratione cuius proportio reperitur inter ipsam, & impressam producendam.

Secunda, verò ratio Malebranchii pariter imbellis est, siquidē cum Deus ad totius mundi ideam, quam creatura pro libito, & iuxta sui virtutē efformare potest effectivè immediatè concurrat, iam creatura effectum perfectiorem in rerum natura non ponit, quàm posuerit Deus; sed solum cum Deo effectum perfectiorem in linea repræsentatiua poneret eo, quem Deus posuit in linea entitatiua; non adest itaque solida ratio, unde releganda sit à mente humana hæc virtus productiua idearum, quam Phantasiæ expresè Augustinus concessit *lib 8 de Trinitate cap.* 6. illis verbis *sic, & Alexandriam cum eloqui volo, quam numquam uidi, presto est apud me Phantasma eius. Cum enim à multis audissem, & credidissem Magnam esse illam urbem, sicuti mihi narrari potuit fixi in animo meo Immaginem eius, quam potui; & hoc est apud me verbum eius, cum eam volo dicere antequam voce quinque syllabas proferam*. Quid huic clarissimo Augustini Testimonio dicturus sit Malebranchius, dicturi sint Cartesiani, non percipio, nisi de more detorquere velint Augustini verba.

Ultima verò sententia, quam propugnant, nimis à verò recedit. Medium enim in quo, ad aliorum cognitionem non inducit, nisi vi suæ cognitionis, quod verum est, loquendo de medio formali, atqui in hac via divina essentia à nobis per conceptum positiuum non cognoscitur; cognoscimus enim de Deo solùm per simile, unde cum nulla creatura similis sit Deo, secundùm esse particulare, iam nulla creatura positiuo conceptu ipsam essentiam cognoscet; ut optimè Augustinus sermone 189. his verbis retulit *vis scire naturam Dei. Hoc scito, quod nescias. Nec in hoc contristeris, quod nescias; quia, & Angeli nescierunt, & similiter omnes creaturæ*; ergò iam in divina essentia clarè, & distinctè res, quas cognoscimus, cognoscere non poterimus, non quia hoc medium aptissimum non sit ad omnium cognitionem: Deus enim in seipso omnia videt; sed quia medium hoc enigmaticè solùm tenemus.

Secundò, quia huic sententiæ inhærendo immediata creaturarum cognitio reprobatur, quæ tamen non est, unde excludatur. Patet hoc, quia essentia divina non est species propria creaturarum ipsisque Commensurata; sed potius species aliena, species rerum omnium præcontinens; sed species, quæ propria non sit rei, vel per identitatem cum ipsa vel ab ipsa emissa, ad cognitionem immediatam deservire nequit; ergo.

Tertiò, quia nescio, unde colligant aduersarii Deum menti uniuscuiusque esse intimè præsentem in linea intelligibili supplendo defectum cuiuscumque speciei impressæ. Fortasse, quia potest sic esse; ergò iam dicam ego omnia in hac via solùm in diuina bonitate diligimus. Patet hoc, quia Deus potest per se ipsum omnibus voluntatibus suam bonitatem patefacere, & vi huius ad omnis bonitatis amorem mouere; ergò iam solus Deus ad extra operatur creaturis nihil agentibus, quia pariter Deus potest hoc facere, ergò iam negligentes pietatem assequi gloriam assequentur, quia Deus independenter ab hac potest gloriam impertiri.

Quartò tandem, huius sententiæ insubsistentia clarè constat ex nonnullis, quæ nimiam redolent falsitatem Docet enim LeGrand in sua pro Cartesio Apologia Deum à nobis clarè in hac via cognosci, quoad singulas eius perfectiones, simulque insinuat Malebranchius nos viatores Deum cognoscere visu immediato, & directo, quorum utrumque apud omnes Theologos falsum est. Primum quidem, quia quamuis conceptu positiuo nonnulla divina attributa nos cognoscamus, distinctè tamen ea non cognoscimus, seù esto cognoscamus Dei perfectiones supereminere omni creatæ perfectioni, quid tamen sit hæc eminentia, nos non cognoscimus, unde Gregorius *lib. 4. Moralium cap.* 26. hæc docuit *mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè conspicere praeualet Deus non est*. Secundum verò Malebranchii Diui Paulli oraculo opponitur. Vult enim Apostolus nos ad

Dei

Dei cognitionem solùm provenire ex rebus creatis prius cognitis ( quod verum est loquendo de cognitione distincta ) Hoc autem à vero esset alienum, si directa, & immediata cognitione Deum assequi nobis viatoribus esset concessum. Sed

Dices primò in fauorē primæ sententiæ Immunis esse debet perfectissima dependentia mentis creatæ à Deo in omnibus suis actionibus; atqui si hæc haberet ideas rerum sibi præsentes, iam hæc perfectissima dependentia non haberetur, quia mens haberet quidquid ad distinctè cognoscendum necessarium est; ergò.

Dices secundò in fauorem eiusdem. Quidquid ex Deo venit propter alium fieri non potest, quàm propter Deum; sed si Deus mentem crearet, ac ipsi daret pro idea cognitionis solem, seu pro obiecto immediato cognitionis solem, Deus opinor, illam mentem, & illius mentis ideam propter solem faceret, non verò propter se.

Dices tertiò in fauorem secundæ sententiæ. Nullus teneri potest desiderio videndi aliquod obiectum, quin illud prius videamus confusè, & modo quodam generali; & consequenter nullus potest duci cupiditate videndi omnia obiecta, quin omnia eodem modo prius præsentia sint nostræ menti; sed non aliter præsentia esse possunt, nisi quia ipsi menti præsens est Deus, qui solus omnia eotia complectitur; ergò.

Dices quartò. Mens creata percipit aliquando infinitum, & aliquando ideam habet maximè distinctam existentiæ Dei; sed hoc oriri nequit nisi ex ipsa unione mentis eum Deo, concipi enim nequit ideam entis infinitè perfecti, quæ est idea, quam de Deo habemus, esse aliquid creati; ergo.

Dices quintò, quia hæc est vera Augustini sententia *lib* 14. *de Trinitate cap* 3. his verbis expressa *ab illa incommutabili luce veritatis, etiam impius, dum ab ea auertitur quodamodo tangitur. Hinc est quod etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendant rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis indicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Vbi autem eas vident? neque enim in sua natura; nam cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles, videat quisquis in eis, & hoc videre potuerit...... Vbinam, ergò sunt istæ regulæ scriptæ nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, unde lex omnis iusti describitur.*

Nullius sunt efficaciæ hæ instantiæ, quas Malebranchius excogitauit, ut Cartesii magis firmaret assertum. Prima quidem, quia etsi omnia mens nostra intelligeret per rerum ideas, quas ipsa sibi produceret, adhuc esset in intelligendo perfectissimè dependens, nedum, quia tota virtus adæquata ad intelligendum consurgens ex intellectu, & specie impressa à Deo habetur, verum etiam, quia mens indiga est cōcursu immediato Dei, ut actu intelligat.

Non secunda: quamuis enim mens, & solis idea sint propter solem cognoscendum, tamquam propter obiectum proximum, non sunt tamen tamquam propter obiectum ultimum; cum ulterius ordinetur mens ad possessionem summi veri per visionem intuitiuam, qua solum possessione satiatur intellectus, quemadmodum solum summum verum est eius finis ultimus.

Non tertia, quia hæc notitia confusa, quam de rebus habemus, non oritur, quia menti nostræ præsens sit Deus, sed quia una simul cum specie, quantum est de se clarè obiecti repræsentatiua, intellectus difficultatem habet ad clarè obiectum percipiendum.

Non quarta, quia ideam, quam habet mens infiniti, ex eiusdem natura desumit. Existentiam verò Dei dignoscit à posteriori, vel ex creaturis, ex quibus in cognitione Dei auctoris naturæ facile quilibet devenire potest. *Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ultima verò nō urget, cum solùm obtineant Augustini verba nos prædicata nonnulla divina in ipso Deo cognoscere per cognitionem confusam ex creaturis via remotionis, & eminentiæ, ut loquuntur Theologi, in quo nulla est difficultas.

Hoc itaque obiter supposito præcipua difficultas proposita dirimenda est, circa quam duplex versatur sententia. Prima est Divi Thomæ *prima parte quæst.* 15. *art.* 1. *ad* 2. vbi affirmat ideam consistere in conceptu obiectiuo his verbis *artifex enim, dum intelligit formam domus in materia dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus à se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam vel rationem domus*, quibus verbis motus Ioannes à Sancto Thoma docet, quod idea non solùm non est ipse conceptus formalis, sed nec etiam est obiectum ipsum ad extra, ut cognitum denominatione extrinseca, sed ipse conceptus formalis secundùm habitudinem rei repræsentatæ ad rem, quam ad extra format, vel clarius sit ipsum obiectum intrinsecè cognitum per conceptum formalem redditum immateriale, & intelligibile per modum expressionis; sic enim comparatur ad res ideatas, ut forma immaterialis ad formam in materia, quapropter nescio, quo iure quidam ex nostris Recentioribus referat Thomistas pro sententia defendente ideam, seu exemplari consistere in conceptu formali ipsos impugnando, cum tota schola Thomistica aliena sit ab hac sententia. Thomistis subscribit Scotus eum hoc tamen discrimine, quod vult ideam esse obiectum ad extra faciendum, ut cognitum, non verò quoddam idolum internum in anima existens distinctum realiter ab ipsa re facienda, ad cuius similitudinem res ipsa sit operanda, subscribunt tandem Ochamus *quæst*: 5., *Gabriel quæst: eadem art:* 2. Durandus *dist:* 36. *quæst:* 3. Basol. *quæst:* 2. *art.* 2. Richardus *art* 2. *quæst.* 2 Ioannes à Sancto Thoma *quæst:* 11. *art:* 3 Magister Gonzalez 2 *parte disp:* 48. *sect.* 2. Paulus Cavino, & alii innumeri.

Secunda sententia propugnat Ideam non consistere in conceptu objectivo, sed in formali, cujus sententiæ defensores sunt Suarez *disp.* 25. de causa exemplari *sect.* 1. Vasquez 1. *part. disp* 72. *cap* 2. ubi affirmat, quod Idea in Deo sit ipse conceptus formalis, quamvis postea in creaturis rationem Ideæ tribuat conceptui objectivo. Ex his duabus sententiis primæ subscribo, nedum quia communior est, verum etiam quia est expresse tradita ab Henrico *art.* 1. *quæst.* 2. *num.* 15. illis verbis. *Artifex ad exemplar artis in mente sua facit domum*. Ex ostenditur ejus veritas hoc medio. Idea est illa forma, ad quam operans respicit, ut ad ejus similitudinem suum opus efficiat; sed conceptus objectivus, sive objectum cognitionis est illa forma, ad quam operans respicit, ut ad ejus similitudinem suum opus efficiat; ergo Idea consistit in conceptu objectivo, non verò in formali. Major patet ex definitione Ideæ. Minor verò ostenditur, quia Architectus v. gr. qui solo exemplari interno utitur, non respicit ad cognitionem, sed ad objectum, nimirum ad domum, quam mente concipit; ergo conceptus objectivus &c. Confirmatur, quia Artifex operans

rans ex Idea externa puta ad imitationem domus, quam in carta formavit, recipit ad ipsum exemplar externum, videlicet ad domum in carta formatam; ergo etiam Artifex operans ex Idea interna respicit ad domum mente conceptam, quæ est objectum cognitionis, & consequenter objectum, seu conceptus objectivus, habet rationem Ideæ.

## CAPUT SECUNDUM.

*Solvuntur Objectiones.*

Contra Henrici, & D. Thomæ sententiam insurgit primò acriter Suarez loco superius relato tali medio. Si exemplar esset res objectivè cognita, vel esset eadem res, quam Artifex facit, aut facturus est, aut facere potest, vel esset alia objectivè cognita, & à conceptu formali distincta, ad cujus similitudinem res fit; sed neutrum affirmari potest; ergo non est res objectivè cognita. Major liquet ex sufficienti enumeratione. Ostenditur itaque minor, & quia duas præcontinet partes prima suadetur. Si Idea esset res ipsa, quam artifex est facturus, jam Idea in Deo eorum, quæ ipse facit, esset ipsa res facienda; sed affirmari nequit, quod Idea eorum, quæ Deus ad extra producit sit ipsa res producenda; ergo. Major est certa. Probatur itaque minor multipliciter, & primò, quia Idea divina juxta sententiam magis consentaneam, magisque probatam, & plausibilem apud Theologos non est aliquod creatum, aut creabile, cum nulla res actu sit, vel producibilis sit, quæ creata, vel creabilis non sit; ergo.

Secundò, quia Ideæ in Deo sunt rationes rerum in ipso incommutabiliter permanentes, ut asserit Augustinus *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 19. sed hoc affirmari nequit, nisi Idea in Deo sit aliquod increatum; si enim essent aliquod creatum, vel creabile jam non essent amplius rationes incommutabiliter permanentes, sed commutabiliter existentes, cum nil creatum habeat incommutabiliter permanere; ergo.

Tertiò, quia illa sententia non est admittenda, quæ olim fuerat rejecta à Sanctis Patribus, atqui sententia affirmans Ideam in Deo esse ipsam rem faciendam, vel creatam, fuit improbata à Patribus, & præcipuè à D. Ambrosio 1. Exameron. *cap.* 1. à Justino martire oratione Partener. ad Gentiles, Eusebio Cæsariensi, Gregorio Nazianzeno *oratione* 33. Helia Cretensi damnantibus sententiam Platoni tributam, quantùm ad hoc, quod assereret ideas esse aliquid extra Deum; ergo.

Minor autem quoad secundam partem; nimirum, quod idea esse non possit res objectivè cognita, videtur certa; nam si idea esset res objectivè cognita, vel esset ipsa essentia divina, quæ est objectum primarium cognitionis divinæ, vel ipsa creatura possibilis; atqui neutrum affirmari potest; non quidem primum, quia essentia divina non continet creaturas, ut causa exemplaris, cum formaliter ipsas non præcontineat, nec per continentiam formalem, & similitudinem, nec per repræsentationem intentionalem; sed solùm continet ipsas, ut causa efficiens, quatenus virtute eminentiali ipsas præcontineat; nec secundum affirmari potest, cum creaturæ possibiles jam rejectæ sint à ratione ideæ; ergo.

Confirmatur primò. Si essentia divina haberet rationem ideæ respectu intellectus divini, vel haberet in priori ad cognitionem divinam, qua ipsa cognoscitur, vel prout cognita, neutrum dici potest; ergo. Ostenditur minor, & in primis nequit habere rationem ideæ in priori ad cognitionem, quia creaturas non formaliter, sed eminenter solùm præcontinet; sed continentia eminentialis non sufficit ad rationem ideæ, quapropter lux Solis, licèt eminenter præcontineat calorem, non est tamen idea caloris; ergo non poterit ipsa habere rationem ideæ in priori ad cognitionem. Nec etiam in posteriori, quia esse cognitum non constituit exemplar in esse exemplari; sed supponit illud, & ad summum cognitio esse potest conditio necessaria, ut idea causet; ergo si essentia divina secundùm se non habet rationem exemplaris, nec etiam prout cognita.

Confirmatur secundò, dum essentia divina dicitur idea, vel est essentia divina secundùm se, & ut sic nequit dici exemplar, quia est omninò dissimilis creaturis, vel est essentia, ut præcontinens, tamquam causa universalissima ipsas creaturas; ergo creaturæ complebunt rationem ideæ, quod affirmari nequit obstantibus prioribus efficacibus rationibus in probatione primæ partis argumenti; ergo nec essentia ipsa Dei, nec res in ipsa cognitæ possunt habere rationem ideæ; ergo de primo ad ultimum erit conceptus formalis.

Respondeo ideam esse rem ipsam, non quam artifex operatur, sed aliam, ad quam respicit, ut operetur, quam imitatur, quapropter dum Deus producit effectus ad extra, ratio ideæ non est res ipsa, quæ à Deo creatur, ut sanior fert sententia Patrum auctoritatibus roborata, & rationibus, inter quas illa est plausibilis, quod ideæ in Deo, æternæ sunt, & incommutabiles, quod verum non esset, si essent res ipsæ, quæ terminant divinam Omnipotentiam; sed ratio ideæ est ipsa essentia divina, quamvis formaliter non contineat creaturas per formalem similitudinem, & hoc, quia de ratione ideæ non est indispensabiliter, quod formaliter præcontineat ideatū per formalē similitudinem; sed sufficit, quod sit forma imitabilis, ad cujus normam agens increatum aliquid efficere possit, & efficiendo prudenter operetur, ut patet in ipsa definitione ideæ tradita ab Augustino, & relata à D. Thoma afferente, quod sit forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Cum autem essentia divina sit imitabilis à creaturis, quamvis immitatione imperfecta, ad cujus normam Deus producit, quidquid ad extra producit, benè poterit habere rationem ideæ. Similitudo enim formalis solùm exigitur in ideis finitis, & limitatis non per excessum repræsentantibus ideata, sed per commensurationem. Similitudo enim virtualis, & virtualis præcontinentia sufficiunt ad hoc, ut agens operetur ex idea, sicuti sufficit per Suarezium ad hoc, ut agens intellectuale intelligat dependenter à specie impressa.

Ad confirmationem dico ipsam essentiam divinam habere rationem ideæ respectu intellectus divini in priori ad cognitionem, quia ipsa est immitabilis à creaturis, quamvis imperfectè, nec officit sola præcontinentia virtualis, vel eminentialis, quia hæc tollit quidem, quod sit idea commensurata, & limitata, non verò quod sit perfectissima idea, quinimò conducit talis continentia eminentialis ad perfectissimam rationē ideæ, quia quoties eminenter continet creaturas perfectiori modo illas continet, continere autem perfectiones creaturæ per excessum est esse ideam perfectiorem.

Ad secundam confirmationem nego antecedens; siqui-

ſiquidem, dum eſſentia divina dicitur, idea, non dicitur talis ſecundùm ſe, neque ut præcontinens tamquam cauſa univerſaliſſima ipſas creaturas; ſed ut imitabilis à creaturis. Ut ſic autem eſtò ſit omninò diſſimilis ſecundùm naturam, non eſt tamen omninò diſſimilis ſecundum imitationem, cum aliquam admittat, & quemadmodum, ut divina eſſentia ſub ratione ideæ ſit ratio cognoſcendi poſſibilia ſecundùm ſuum eſſe particulare, ſufficit in plauſibili ſententia, quod ipſa poſſibilia præcontineat virtualiter, nec requiritur, quod illa contineat continentia formali, ita etiam ut ſit exemplar, erit ſufficiens eadem continentia.

Arguit ſecundò Suarez. Exemplar eſt cauſa vera, & realis rei, quæ fit per illam; ergo non poteſt eſſe res ipſa; quæ poſtea fit, ut antea erat præconcepta. Antecedens eſt certum ex concluſione inferius ponenda. Probatur itaquè conſequentia, quia Idea non poteſt eſſe vera, ac propria cauſa ſui ipſius; nec valet dicere pro argumenti ſolutione, quod res præconcepta, & res producta diſtinguantur, ut res in potentia, & res in actu exiſtens; nam hujuſmodi res producta eadem eſt, & eandem exiſtentiam, ut actu exercitam, vel ut poſſibilem includit, & res, ut potentia nequit ſe ipſam cauſare in actu.

Reſpondeo omittendo antecedens, & negando conſequentiam, non enim nos dicimus, quod Idea ſit res ipſa, quæ efficitur, ſed alia, quæ in anima exiſtit, ut ipſius Idolum. Noſtra enim ſententia ab illa Scoti diſtinguitur, quia hæc reponit rationem exemplaris in ipſa re extrinſeca, prout cognita, unde non urget hæc inſtantia, quam opponit Suarez contra ſolutionem à ſe excogitatam.

Arguit tertiò: Si Idea eſt aliquod cognitum ab Artifice, vel hoc cognitum eſt ipſum opus quod eſt efficiendum, vel eſt aliquod aliud imitandum ab Artifice, neutrum affirmari poteſt; ergò. Probatur minor per partes, quas præcontinet, & primò quoad primam, quia creaturæ, ut præcognitæ à Deo non ſunt Ideæ; ergo nec res artificiata, ut præcognita ab artifice creato erit Idea. Secundò verò quoad ſecundam partem patet, ſiquidem ſæpiſſimè accidit artificem in effectum rei nullum objectum habere medium, quod intueatur; ſed directè, & immediatè aliquando concipit artificium, & media illa cognitione illud operatur; ergo non datur aliqua tertia entitas, quæ habere poſſit rationem exemplari.

Reſpondeo Ideam eſſe aliquid aliud ab ipſo opere efficiendo, quod eſt eius Idolum; nec ſequitur, quod creaturæ à Deo producendæ ſicuti habere nequeunt rationem Ideæ in Deo, ita etiam nequè apud Intellectum creatum. Diſparitas enim clariſſima eſt, in eo conſiſtens, quod Deus non poteſt accipere cognitionem à rebus, nec aliquid teſte Auguſtino poteſt extra ſe intueri, ut aliquid faciat, quod tamen eveniret, ſi eſſe creaturæ in ſe ipſis eſſent exemplar. At non repugnat, quod agens Intellectuale creatum ſumat cognitionem à rebus, unde benè poterit opus efficiendum ſub aliqua ratione habere rationem exemplaris. Ad probationem verò ſecundæ partis, dico quod ſi artifex operatur non à caſu, ſed humano modo nunquam eveniet, quod efficiat opus aliquod non interueniente aliquo exemplari, aut externo, aut interno, ad cuius normam operetur in rerum productione, quod optimè colligitur ex modo operandi perfectiſſimo primæ cauſæ operantis ex Idea, teſtante hoc Auguſtino *lib. 83 quæſt. 48.* illis verbis: *Quo conſtituto atque conceſſo, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidiſſe? quod ſi rectè dici; vel credi non poſſit, reſtat, ut omnia ratione, ſint condita.*

Arguit quartò. Exemplar eſſe debet in intellectu; ſed eſſe nequit in Intellectu ſolùm objectivè; ergò erit in Intellectu formaliter, & inhæſivè; ſed eſſe nequit Intellectus, prout eſt nuda potentia, quia ſic non eſt forma repræſentans, ut eſt de ratione exemplaris, neque eſſe poſſunt habitus, qui ſe tenent ex parte potentiæ, quia iſti non ſunt formæ formaliter repræſentantes; ſed purè inclinantes ad judicium Intellectiuum ipſam potentiam, nec ſpecies objecti, quia hæc non repreſentat formaliter objectum, ſed ſolùm eſt virtualiter cooperans ad formationem verbi, quod eſt repreſentatio formalis; tum quia ſpecies per ſe ipſam non eſt cauſa operatiua ad extra, ſeù directiua operationis, quod conuenit Exemplari; ergò erit conceptus formalis.

Hoc argumentum nihil urget contra ſententiam poſitam, juxta Henrici, & Diui Thomæ documenta, cum deficiat ſaltem in probatione illius, quod principaliter eſſet probandum, nimirum exemplar non poſſe conſiſtere in conceptu objectiuo, quod non oſtendit Suarez, ſed ipſius loco unicè demonſtrat Idem non poſſe eſſe potentiam Intellectivam, vel ſpecies impreſſas, & habitus, quod ultra concedimus. Immo addo, quod ſi eſſe nequit nuda potentia Intellectiua, quia ipſe Intellectus non eſt forma repræſentans, cum hæc forma, nec etiam ſit ipſe conceptus formalis, ſed unicè ſit ſimplex objecti perceptio, pari jure etiam talis conceptus erit excludendus à ratione Ideæ, cum & hic non ſit forma repræſentans, ut in materia de anima per extenſum oſtendam.

Arguit quintò. Idea eſt forma actuans, & informans ipſum Intellectuale agens; ſed non eſt alia forma, quæ valeat informare intellectuale agens, niſi conceptus formalis; ergò. Maior oſtenditur, ſiquidem inter effectus Ideæ numeratur hoc, quod eſt determinare actionem externam Intellectualis agentis; ſed hoc, quod eſt determinare, eſt exercere munus formæ informantis, & actuantis ipſum Intellectuale agens; ergò

Reſpondeo in forma, negando maiorem, ad cujus probationem diſtinguo maiorem: effectus ideæ eſt determinare actionem externam artificis, tanquam ratio formalis cognoſcendi, nego maiorem, tanquam objectum cognitum, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, hoc, quod eſt determinare, tanquam ratio formalis cognoſcendi eſt munus formæ, concedo minorem, tanquam medium cognitum, nego minorem, & conſequentiam. Idea igitur non eſt ratio formalis cognoſcendi, ſed eſt id, quod cognoſcitur, & ſe habet, ut medium cognitum, ad quod reſpiciens artifex operatur. Sic reſpondet ex noſtris Magiſter Ventura.

Arguit ſextò Suarez. Idea eſt menſura, & regula veritatis; ſed menſura, & regula veritatis nequit eſſe conceptus objectiuus; ergò erit formalis. Probatur minor, nam menſura, & regula veritatis diſtingui debet ab ipſa re, cujus ſunt menſura, & regula; ſed conceptus objectiuus, & proprius rei faciendæ non diſtinguitur ab ipſa re, bene verò diſtinguitur conceptus formalis; ergò. Maior eſt certa, nihil enim eſt menſura ſui ipſius. Minor pariter liquet. Res enim creata dicitur vera penes conformitatem ad exemplaria.

Reſpondeo omiſſa maiori nego minorem, ad cujus probationem conceſſa maiori loquendo de menſura extrinſeca, uti eſt exemplar nego denuo minorem; ſiquidem cum conceptus objectiuus non ſit

sit ipsa res efficienda, sed quoddam Idolum, quod agens Intellectuale imitatur cuncurrens in genere causæ efficientis ad rem ipsam producendam, jam non poterit non distingui ab ipsa re, cujus est men sura, & regula veritatis. Præterea ad rationem Ideæ, nedum requiritur distinctio ab Ideato, sed etiam similitudo respectu Ideati. Patet hoc primò ex conceptu proprio Ideæ. Secundò ex doctrina Auctoris, quem impugnamus, docentis essentiam diuinā non esse operandoiū Ideā, quia non est formaliter similis. Conceptus autem formalis similitudinē hanc non habet, cum nihil plus dicat, quam dicant sua principia non habentia per argumenti auctorem rationem Ideæ. Dixi omissa maiori, quia in Henrici sententia, quæ colligitur *ex summa art.* 63 *quæst.* 5. Idea non est mensura Ideati in quantum est Idea; sed potius est principium productiuum illius, & mensura solùm illius est, in quantum est ratio perfectionalis unitè existens in perfectione diuina.

Arguunt ultimò alii. Si res concepta per conceptum formalem est exemplar, vel est ipsa res, quæ est facienda, & eadem in indiuiduo, vel est alia res concepta, quæ sit imago externa, vel interna operis faciendi; sed neutrum ex his affirmari potest; ergò. Probatur minor, & primò quoad primam partem, siquidem exemplar est illud, quod habet dirigere ad opus, sed eadem numero res, quæ est facienda non est forma directiua, sed ad quam dirigitur actio medio exemplari, cum non proponatur, ut imitanda, sed ut facienda; ergò nequit esse ipsa res facienda; nec multò minus esse potest alia res concepta distincta ab illa, quæ effici debet, siquidem hæc non est omnino necessaria in Artifice ad operationem artis, quæ fit per exemplar, nam melius fieret per propriam, & immediatam cognitionem ipsius rei efficiendæ per artem; illud enim extrinsecum adminiculum menti objectum non est proprium, & per se exemplar, sed est quasi materia remota, vel objectum adiuuans ad formandum aliquale, seu imperfectum exemplar.

Respondeo minorem falsam esse præcipuè quoad secundam partem, quæ importatur explicitè in maiori concessa, ad cuius probationem dico esse omnino necessariam, ut agens Intellectuale prudenter, & non à casu operetur. Quod si dicas adhuc non à casu operaturum, quia adhuc ageret per immediatam cognitionem ipsius rei faciendæ, dico hoc verum esse, sed sic agendo semper operatur media forma aliqua interna simillima rei faciendæ, quæ resultat ex cognitione immediatè terminata ad ipsam rem, quæ fieri debet. Ultra quamquod etsi diceremus, quod idea sit ipsa res, quæ postea fit, nil absurdi sequitur, cum nullam in hoc videam repugnantiam, quod idem se ipsum causet exemplariter, itaut exemplar intentionaliter existens causet se ipsum realiter.

Esset & alia objectio communiter afferri solita in eo consistens, quod si artifex per cognitionem reflexam respiceret directam, qua mente v. g. domum concepit, ut ad ejus similitudinem veram domum efficeret, in tali casu illa prævia cognitio esset Idea, & esset forma subjectiuè in anima existens, sicque in tali hypothesi conceptus formalis haberet rationem Ideæ; sed facilis est solutioois, siquidem talis cognitio directa stante hypothesi indueret rationem conceptus objectivi, esset enim objectum cognitionis reflexæ.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Quænam sit Causalitas Ideæ conveniens.*

Ut difficultas hæc proposita dirimatur absq; ulla penitus æquivocatione, non abs re esse judico advertere in quo sensu proponi soleat, vel saltem debeat controversia præfixo titulo posita, quod totum opus est advertere, nedum, ut difficultas in suo proprio sensu discutiatur, verum etiam, ut argumentis occurrentibus in oppositum fiat satis. Difficultas ergo est de exemplari quolibet, sive interno, sive externo, non quidem in ordine ad agens intellectuale, sed in ordine ad effectus, quos agentia ex idea producunt, & quæritur, quomodo idea concurrat ad tales effectus, an scilicet concursu proprio causalitatis materialis, an verò formalis, ao potius finalis, vel efficientis, an alio diverso. Circa quam; advertendum est secundò hanc controversiam supponere in idea concursum per modum veræ causalitatis in ordine ad effectus, qui ideò supponitur, quia mens est Sanctorum Patrum clarissima tribuentium ideæ veram causalitatem, præcipuè Augustini *Libro suo* 83. *quæstionum, quæst.* 46 & ratio ipsa suadet; cum enim agentia intellectualia non sint determinata ad unum, sicuti naturalia, sed se habeant per indifferentiam ad plura, ad quæ concurrere possunt per intellectum, hinc requiritur aliquod comprincipium determinans, cum ab agente Indeterminato privativè, ut est agens intellectuale secundùm se, nihil determinatum produci possit; hoc autem comprincipium determinans, cum nequeat esse, vel scientia, vel ars, quia hæc sunt principia plurium, & oppositorum effectuum, profectò dicendum est, quod hoc sit ipsa idea, & hæc est ratio D. Thomæ, quæ habetur 1. *part quæst.* 44. *art.* 2. ut optimè veri Thomistæ advertunt.

Circa hanc autem difficultatem sic propositam triplex est sententia, quarum prima est Thomistarum ferè omnium docentium ideam præcipuè habere rationem causæ formalis extrinsecæ, minus verò principaliter efficientis, & finalis, sic Joannes à S. Thoma *quæst.* 21. *art.* 3. in sua Logica. Nazarius 1. *part quæst.* 15. *art.* 1. Complutenses *libro* 2. *Physicorum disp.* 9. *quæst.* 4. Nicolaus Arnu in Physica *quæst.* 3. *art.* 3 *cap.* 5. & cæteri Thomistæ, existimantes sententiam hanc se colligere ex D. Thoma *quodl.* 7. *art.* 3. & *sect.* 11. in explicatione *tract.* 2. *metaph.* Aristotelis, ut opinatur idem Joannes à S. Thoma, vel ex *quæst.* 3. *de veritate art.* 1. & 1. *part. quæst.* 45. *art.* 6 & 3. contra Gentes *cap.* 19. ut deducunt Complutenses. Favent etiam huic sententiæ Fonseca *primo metaphysicorum cap.* 7. *quæst* 1. *sect.* 5. Argentina, Cajetanus 1. *part. quæst* 6 *art.* 3. in fine Ægidius *propositione* 37. *de Eucharistia*, quibus omnibus adhærere videtur ex nostris P. M. Ventura, & quidem ut asserit ex Henrico *quodlib.* 9. *quæst.* 1. & 2 cum hac tamen differentia, quod Thomistæ ideæ tribuunt causalitatem formalem principaliter, noster verò M. Ventura tribuit rationem causæ formalis extrinsecæ minus principaliter, & principaliter rationem causæ efficientis;

Secunda sententia illa est, quam communiter defendunt Patres Societatis. Docent enim hi ideam exercere puram rationem causæ efficientis. Sic Suarez *disp.* 25. *in metaph* ubi de causa exemplari *sect.* 2. Ruvius, quibus adhæret Aversa 1. *part. quæst.* 25. *membro* 4. *art.* 1. *quæst.* 5 & hanc tenent etiam omnes Scotistæ ex Scoto in primum *dist.* 2. *quæst.* 2. & *dist.*

*& dist.* 36. *art.* 1. sed quod magis interest hæc est nostri Doctoris solemnis *art.* 68. *num.* 12. his expressa verbis. *Quia igitur idea in Deo causalitatem omnimodam habent super res, quarum sunt formæ in constituendo illas in esse essentiæ, & existentiæ* (en propria causalitas designata ideæ respectu ideati) *& hoc secundum rationem causæ formalis exemplaris, ideircò respectus ideæ ad ideata non est penes genus relationis, quod est inter mensuram, & mensuratum, sed potius penes primum, quod est inter producentem, & productum. Non enim idea mensura est ideati in quantum est idea distinctè existens in intellectu divino, sed potius est principium productivum illius* (en causalitas efficiens) *& mensura illius, in quantum est ratio perfectionalis unitè existens in essentia divina.* In quibus verbis attentè ponderatis non invenio, quod exemplar ab Henrico reducatur ad causam formalem, sed unicè ad efficientem.

Hæ duæ sententiæ plausibiles sunt his temporibus, cum illa Platonis, quæ asserebat ipsam ideam reduci ad novum genus causæ distinctum à primis quatuor assignatis communiter improbetur ab Auctoribus, vel etiam altera quorundam tribuentium puram metaphysicam causalitatem, pro qua referri solent Martinez, & Fuentes ab omnibus refellitur. Secundam itaque ex prioribus eligo defendendam, unde sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Idea præcisè concurrit in genere causæ efficientis ad effectus, qui ex ipsa producuntur.*

PRima ratio mihi solida, qua assertum institutum probari potest illa est, qua usi sumus, ut talem causalitatem in præmissis formalibus in ordine ad conclusionem defenderemus, quam hic ad rem nostram placet sic expendere. Id quod complet virtutem agentis habet influere simul cum ipsa virtute in eodem genere causæ efficientis; atqui idea est forma complens virtutem agentis intellectualis; ergò idea influit in genere causæ efficientis. Nihil est in hoc syllogismo, quod probationem expectet, non quidem major, quia id, quod complet virtutem agentis se tenet ex parte ipsius virtutis activæ, sicuti id quod complet causam materialem se tenet ex parte ipsius causæ materialis, quapropter dictum est in principio Physicæ, quod accidentia disponentia materiam ad formam recipiendam reducuntur ad causam materialem, quia ipsam complent in genere potentiæ passivæ proximè. Minor pariter mihi certissima est, & ulterius probari potest. Siquidem eo modo se habet idea in agentibus intellectualibus, quo formæ naturales in agentibus naturalibus; atqui forma naturalis complet ipsam virtutem agentis naturalis, imò est tota virtus agentis naturalis tam proxima, quàm remota in Henrici sententia; ergò etiam idea erit forma complens virtutem agentis intellectualis, hoc modo scilicet, quatenus agens intellectuale per ideam recipit in se similitudinem, vel formalem, vel virtualem effectus, & recipit determinationem ad illum quoad specificationem.

Secunda ratio, quæ pariter firmiter evincit intentum hoc modo procedit. Idea prout idea est forma practica; ergò concurrit in genere causæ operativæ, vel efficientis. antecedens est certum, cum detur, ut deserviat ad opus. Prob. itaque consequentia; quia ratio practici ex genere suo efficientiam importat, quapropter dictum est in Logicæ Proemialibus, quod de ejus ratione sit ordinari ad opus efficiendum, quodcumque deinde sit tale opus practicum, unde Henricus distinguendo praxim à speculativa, distinctionem sumit à fine intrinseco, & per se, quia nempè finis practicæ est opus elaborandum; speculativæ verò est veritas purè contemplanda: dixi prout idea, quia idea sub alia consideratione potest pertinere ad scientiam speculativam, quatenus videlicet est tantum principium cognoscendi rem, unde ut vim habeat hoc secundum fundamentum facta est reduplicatio supra ideam, quod idem est ac dicere, prout principium futuri operis, vel etiam prout est idea rerum purè possibilium, quæ censetur pariter practica, quamvis hæc posterior non sit ordine suo actu voluntaris.

Tertia ratio est, quia causa efficiens ut sic dividitur in causam naturalem, & artificialem; ergò sicuti quidquid constituit ipsam in esse causæ naturalis reduci debet ad causam efficientem, ita etiam quidquid constituit ipsam in esse causæ artificialis debet reduci ad causam efficientem, & quidquid etiam habet similem rationem causandi; ergò ad causam efficientem reduci debet, quapropter Divus Dionysius *cap.* 3. *& 4. de Divinis Nominibus* appellat Ideas *Divinas rerum effectrices.*

## CAPUT SECUNDUM.

*Adversariorum Argumenta dissolvuntur.*

ARguunt primò Complutenses. Proprium formæ est constituere effectum in determinata specie, sed Idea confert ideato propriam speciem, cum species Ideati summatur per conformitatem ad Ideam, sicuti ad sui Regulam, & mensuram; ergò propria causalitas Ideæ pertinet ad causam formalem, sed non potest pertinere ad causalitatem formalem intrinsecam, quia non ponit Ideata in tali determinata specie, se ipsam communicando effectui; ergò pertinebit ad rationem causæ formalis extrinsecæ.

Respondetur verissimum esse, quod formæ proprietas est effectum cõstituere in determinata specie, ut optimè colligitur ex ipsa ejus definitione, at nego quod Idea conferat ideato propriam speciem in genere causæ formalis, siquidem dum asseritur conferre propriam speciem, vel hanc confert intrinsecè constituendo exemplatum, & hoc hi Thomistæ non dicent, renuentes, & benè affirmare quod Idea sit ipsa forma intrinsecè constitutiva compositi, vel hanc confert extrinsecè, & tunc verum est: sed hoc habet, non quia sit causa formalis, sed quia concurrit taliter concursu efficienti, ut agens intellectuale intendat effectum producere similem exemplari, seù in eadem specie, qua est exemplar. Sic autem conferre propriam speciem effectui, ut effectus est, optimè habetur per concursum efficientem, qui dando esse effectui ipsum producit in determinata specie, in qua ipse est. Quod totum patet in ipsis præmissis purè causantibus Conclusionem in genere causæ efficientis in sententia Thomistica, maximè apud Ioannem à S. Thoma, quamvis præmissæ conferant conclusioni speciem propriam, & ipsum intellectum determinent ad Conclusionem ipsam specificando. Quod si dicas præmissas specificare ex parte objecti cogniti, non verò ex parte assensus, quo tale objectum cognoscitur, & ideo non repugnat quod præmissæ effectivè influant ordinando potentiam ad alicientiam alterius actus, & per

modum luminis interioris illustrando formaliter, ut de facto asserit idem Ioannes à S. Thoma, adhuc non soluitur retorsio allata ex illa parte qua dicitur, quod præmissæ conferant speciem conclusioni, quatenus quod, si conclusio sit universalis, vel particularis, necessaria, vel probabilis, vera, vel falsa, hoc desumitur à præmissis. In forma itaque distinguo maiorem. Proprium est formæ constituere effectum in specie determinata intrinseca conc. mai. extrinseca nego maiorem, & distinguo minorem. Idea confert Ideato propriam speciem ratione causalitatis formalis, quàm exercet erga ideatum nego min. quia est imago, & similitudo rei faciendæ, & ut talis concurrens concedo min. & nego consequentiam: etiam Phantasma confert speciei impressæ propriam speciem, quatenùs tribuit ipsi rationē imaginis, & tamen non concurrit in genere causæ formalis extrinsecæ; benè verò in genere comprincipij effectiui in sententia illorum, quibus placet Phantasmati tribuere genus causalitatis, & non puræ conditionis respectivè ad speciem impressam.

Arguit secundò Ioannes à S. Thoma. Id quod est specificatiuum ex genere suo habet importare causam formalem; atqui Idea est forma à qua extrinsecè specificatur ipsa forma intrinseca, & originatur; ergò per se primò spectabit ad genus causæ formalis. Maior liquet, specificatio enim desumitur à forma, ut in libris de Ortu, & Interitu demonstrabitur. Probatur itaque minor. Forma intrinseca ab eo specificari debet, cuius est participatio, & ad cujus similitudinem fit, atque per ordinem ad quod regulatur ejus veritas, & perfectio; Atqui Ideatum est participatio exemplaris, & ad ipsius similitudinem fit, & per ordinem ad ipsum regulatur eius veritas, & perfectio; ergò.

Confirmatur. Ideæ causalitas cognoscitur ex ipsius definitione; atqui in eius definitione ponitur quod sit forma, ut patet ex tradita Augustini definitione communiter recepta in Scholis; ergò idea spectat ad rationem causæ formalis Quod adeo verum est, ut Philosophus causas annumerans, posuerit sub genere formæ exemplaris, & Henricus ipsam ideam sæpe sæpius uocat nomine formæ, ex ipso Boetio in lib. 3. de Cōsolatione in metro sic loquente;

*Forma boni liuore carens, tu cuncta superno*
*Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherimus ipse*
*Mundum mente gerens, similique imagine formans,*

quibus verbis consonus est Angelicus Præceptor loco infra referendo hæc habens *Alio modo dicitur causa, species, & exemplar, & hæc est causa formalis, quæ comparatur dupliciter ad rem, uno modo, sicuti forma intrinseca rei, & hæc dicitur species; alio modo, sicuti extrinseca à re, ad cuius tamen similitudinem res fieri dicitur, & secundum hoc exemplar rei dicitur forma*. Sed

Respondeo maiorem universaliter loquendo non esse veram, nisi sermo sit de solis specificatiuis intrinsecis, siquidē extrinsecè specificari potest ab aliquo quod respectu rei significatæ non habeat gerere munus causæ formalis; de facto enim actio generatiua, & actio resurectiua eiusdem numero viventis rationalis specificantur inter se, cum sint actiones specie diuersæ, & tamen earum specificatiuum non habet rationem causæ formalis, sed effectivæ, cum hoc sit principium productiuum ipsarum actionum: Prætereà multa extrinsecè specificantur ab alio, tanquam à puro termino, ut evenit in relatione cognitionis ad obiectum.

Confirmatio autem non urget, cum ob plures rationes idea vocari soleat forma, ex quibus tamen euinci nequit, quod respectum dicat ad exemplatum in genere causæ formalis. Plausibiliores dò explicationes: primaque sit illa, quam tradit noster Doctor. Docet enim art: 68. quæst: 5. in summa; *Ideas esse formas, quatenus res formantur ad similitudinem exemplaris*, quod ex Boetio affirmat. Secundò docet impropriè, & abusiuè ideas formas vocari, quod totum pariter asserit ex Boetio illis verbis. *Nam formis, quæ in corporibus sunt abutimur formas vocantes, dum imagines sunt; Assimilantur enim formis his, quæ non sunt in materia constituta.* Alii formam dicunt ideam, non quidem respectu rei efficiendæ, sed respectu artificis, quam suo modo informat, & constituit in suo genere in actu, sit sufficiens ad agendum; vel etiam respectu exemplati formam dicunt, quia exemplatum continet in se per modum imaginis, quamuis ipsum non causet in genere causæ formalis, quæ explicatio plausibilis mihi videtur omnibus aliis, & est D. Thomæ, ut optimè aduertit Suarez verbis illis: *Alio modo sicuti extrinseca à re, ad cuius tamen similitudinem fieri dicitur, & secundum hoc exemplar dicitur forma*. Est ergò forma exemplar ratione imaginis, ut docent Angelicus Præceptor, Henricus, Boetius, eximius Doctor, iuxtà quorum explicationem argumentum ab Auctoritate desumptum corruit.

Arguunt Tertio alii. Vna ex rationibus, ob quas idea reduci debet ad causam efficientem est, quia determinat agens intellectuale ad operandum; sed hæc ratio nulla est; ergò Prob. minor. Quamuis finis determinet agens ad operandum, nihilominus non reducitur ad causam efficientem; ergò quamuis Idea determinet idem agens, nihilominus non erit reducenda ad causam efficientem.

Confirmatur. Quia exemplar habet rationem causæ finalis; ergò ad eamdem causam debet reduci, ad quam ipsa causa finalis. Antecedens certum videtur, tum quia exemplatum respicit exemplar, ut perfectiuum sui, adeoque ut finem, cum perfectio alicuius, finis illius sit; tum quia munus exemplaris est, ut ad illius similitudinem, & imitationem fiat effectus; sed hoc est ipsum exemplar habere rationem causæ finalis; nam ideo Deus dicitur omnium ultimus finis, quia omnia intendunt illi assimilari; ergò quia effectus producendi ex Idea intendunt ipsi Ideæ assimilari, Idea habebit rationem causæ finalis.

Respondeo veram esse maiorem, sed cum addito, nimirum Ideam reduci ad causam efficientem, quia ita determinat agens intellectuale ad operandum, ut ipsum constituat proximè aptum ad agendum; at verò finis, quamuis reuera determinet (diversa tamen determinatione etiam in pura ratione determinationis) agens, ipsum tamen taliter determinat, & movet ad agendum, ut non constituat, sed supponat agens perfectè constitutum in actu primo proximo ad operandum.

Ad confirmationem dist. ant. exemplatum respicit Ideam ut perfectiuum sui, & per conuenientiam ad ipsam, tanquam ad causam efficientem conc. ant. tanquam ad causam finalem neg. ant. & cons. Utique exemplatum eo magis perficitur, quo magis ad sui Ideam accedit, quod apertissimè constat in creaturis, quæ eo perfectiores sunt, quo magis ad Deum accedunt, vel de illius perfectione participant; at falsum est, id, quod respicit aliud, ut perfectiuum sui, ipsum respicere, ut sui causam finalem, cum quilibet effectus, ut effectus est respiciat sui causam, ut dantem sibi suum esse, & consequenter, ut sui perfectiuam, cum tamen ipsam non respiciat tanquam

quam sui causam finalem. Est ergo Idea perfectio Ideati, si Idea perfecta sit, quatenus. Agens intellectuale, cuius est agere ex Idea, ex intentione ipsam imitandi operatur, conferendo omnes perfectiones, quæ sunt conferibiles Ideato.

Præterea de ratione causæ finalis est quod talis sit, ut ad ipsam omnia ordinentur, atque moueat agens intellectuale ad operandum, cum autem omnia non fiant propter exemplar, sed potius ipsum exemplar fiat in ordine ad exemplatum, propter quod Idea formatur, nec per se datur ut moueat voluntatem, sed ut determinet actionem agentis intellectualis, hinc non habebit rationem causæ finalis, quamuis sit perfectio ipsius Ideati.

# DISPUTATIO QUARTA.

## De Motu, Actione, & Passione.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit motus.*

Motus naturam aggredimur hic explicandam quapropter eiusdem talem debemus assignare definitionem, quæ cuilibet motui assignato, & assignabili conueniat. De motibus enim in particulari, seu in specie infra discurram, dum membra ipsum diuidentia examinabo: motus ergo in tota sua latitudine definitur ab Arist. *Actus entis in potentia, secundùm quod in potentia*, quæ definitio habetur expresse *in 3. Phys. Tex. 3.* Hanc recipio examinandam aliis omissis; dicitur itaque *actus*, & particula hæc stat loco generis, per hanc enim motus conuenit cum qualibet forma, siue substantiali, siuè accidentali, siuè modali, siuè absoluta. Quinam autem actus sit, an perfectus, vel imperfectus est in controuersia. Patres Complutenses volunt esse actum imperfectum acceptum à actu imperfecto, quatenus ex proprio modo actuandi relinquit potentiam incompletam, & ordinatam ad actum perfectiorem. Alii intelligunt actum præscindentem à perfecto, & imperfecto, & hoc ideo quia ista particula *actus* habet rationem generis, quam non haberet, nisi importaret rationem actus abstrahentem à perfecto, & imperfecto, si enim exprimeret actum imperfectum, jam superfluæ essent cæteræ particulæ, quæ in definitione ponuntur ad exprimendum id, per quod motus differre habet à cæteris formis, cum per primam particulam importaretur id, per quod actus differret à cæteris formis. Alii volunt per illam particulam venire actum secundum, quamuis in definitione abstrahat ab actu primo, & secundo, & ideo venire talem actum, quia motus est exercitium ipsius rei, quæ mouetur; exercitium autem rei, quæ mouetur propriè loquendo non habet rationem nisi actus secundi, ut patet in ipsa ratione, quà causa efficiens agit, quæ actus secundus nuncupatur, quia est exercitium ipsius causæ efficientis. Alii verò, inter quos Mastrius, docent, quod motus habeat rationem actus pro actuatione subiecti, quod mouetur. Huic ultimæ explicationi me subscribo, cum mihi videatur consonantior ætimologiæ nominis, actus enim dicitur, ab informando, & actuando.

Dicitur deindè entis in potentia, & per has particulas significatur, quod motus ita actuat sui subiectum, ut ipsum relinquat in potentia ad terminum ipsius motus.

Ideam hanc motus assignatam non intelligentes moderni diuersam inuestigarunt, ut maiori forsan studerent claritati. Inter hos celebris est Cartesii sententia asserentis motum *translationem esse unius partis materiæ, siuè unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt, & tanquam quiescentia spectantur in vicinia aliorum.*

Sed hæc descriptio penitus recedit à vero, quapropter etiam à quamplurimis Cartesii discipulis non recipitur. Hac enim semel concessa, nec aqua ab hydria contenta moueretur ad motum hydriæ, nec merces in naui recondita dum nauis mouetur de Europa in Indiam, & hoc, quia nec merces nec aqua transirent ex vicinia eorum corporum in viciniam aliorum, quin imò semel admissa hac motus Idea globus ferreus è tormento bellico explosus tantùm secundùm aliquam sui partem, non secundùm se totum, & totaliter moueretur, ut optimé aduertit hic Petrus Godard in sua delitiorum Cartesii ventilatione. Quod si ex propriis aliquid addere licet, dicerem in alios Cartesium incidisse errores in materia de motu. Ex multis primus est, quia asseruit omnem motum localem esse, cum tamen adsint aliæ species motus ut in confesso est apud omnes, quinimo etiam in ipsius Cartesii sententia docentis solem circa suum centrum moueri, absque tamen loci mutatione, cum in centro mundi ipsum permanere doceat. Secundus error est, quod motus localis naturam, quam Peripatetici exhibent, corruperit, dum docuit esse actionem, qua corpus aliquod ex uno loco in alium migrat.

Nec sufficit, quod dicunt plures Cartesiani, videlicet aquam in Hydria contentam ad motum hydriæ moueri, sicuti merces in naui reconditas, dum hæc mouetur de Europa in Indiam, quia esto eadem hydria, & nauis sint, tamen à parte aliqua terræ vicina, quæ veluti immobilis spectatur ad aliam, quæ pariter ut immobilis accipitur fuit aqua cum mercibus delata, maximè quod definitio Cartesii, ut vera sit opus est Corpora omnia, in quibus sit motus, mathematicè considerare videlicet attenta sola extensione diuersas partes ambiendo partes mathematicas, unde sit quod Palum in aqua defixum quamuis nouæ sibi succedant aquæ partes, nihilominus localiter non moueatur, quia iisdem partibus ambitur, si flumen veluti immobile spectemus; Sed

Etiam in hoc sensu quamplures pati difficultates prædictam motus localis descriptionem agnouit Emanuel Maygnan in sua Philosophia naturæ *cap, 35. de Vorticum hypothesibus*. Ex his mihi semper solida visa est illa ratio quam subtiliter tangit hic Auctor docens, quod inhærendo huic definitioni planetæ, idest sidera errantia, propriè non mouerentur, quod tamen falsum esse, inde constat, quod inter se non semper seruent eadem interualla. Patet hoc, quia nullus adest Planeta, qui è vicinia materiæ Cœlestis immediatè ambientis ipsum, & spectatæ instar quiescentis transferatur in viciniam alterius materiæ cœlestis: cum materia Cœlestis sic ambiat quemlibet Planetam, ut ipsum secum deuehat.

Secundò, quia sequeretur terram moueri, quod negat Cartesius, esto terra tum circa propriū centrum, tum circa solem moueri asserat. Patet hoc, quia, ut optimè docet Maygnan terra cum toto solari vortice rapta,

rapta, & circumacta sic mutat locum secundùm se totam, ut secundùm se totam sit nunc in una parte Zodiaci; tunc in alia. Sed quidquid sit de his ineptiis placet denuo redire ad Peripateticam allatam descriptionem, circa quam.

Quærere hic solent aliqui an dum dicimus motum esse actum entis in potentia per istas particulas veniat tantùm mobile, quod moveri dicitur, vel etiam agens. Ulterius an veniat nedum id, quod est in potentia subjectiua, sed etiam id, quod est in potentia objectiua, seu clariùs; an veniat tantùm subjectum receptiuum motus, an verò etiam terminus productus per motum, & ratio est, quia tam subjectum, quod dicitur moveri intelligitur in potentia ad terminum, quam terminus motus per ipsum motum intelligatur adhuc in potentia ad Physicæ existendum, maximè cum ordo ad terminum sit id, quod præcipuè exprimitur in ipso motu; motus enim est tendentia ad suum terminum.

Cui breviter respondeo intelligendum esse solùm id, quod est in potentia subjectiua, sic v. g. dum lignum intelligitur moveri motu alterationis ad calorem ut octo, venit per modum entis in potentia ipsum lignum, quod revera est in potentia subjectiva ad terminum motus alterativi; neque intelligi potest ipse terminus quamvis hic sit in potentia per ipsum motum, nam solùm de illa potentia loquitur Philosophus, quæ ita actuantur per motum, ut adhuc sit in potentia ad terminum motus; sed hæc est potentia subjectiua; ergò intelligi debet solùm de potentia subjectiua, neque per ly *ens in potentia, prout in potentia* intelligi potest ipsum agens; nam motus est actus tantùm mobilis, ex eo, quod illius debet esse actus, qui propriè intelligitur in potentia per talem motum ad terminum; agens autem non propriè intelligitur in potentia ad terminum per ipsum motum, cum terminum motus antecedenter præcontinere debeat, alias subjectum movere non posset ad aquisitionem ipsius termini.

Post hæc si motus definitionem clariorem exigas hanc exhibeo: motus est actus ipsius rei, quæ intelligitur moveri ad aliquam formam, ita rem ipsam actuans, ut vi motus adhuc intelligatur in potentia ad ipsam formam ad quam movetur. Hæc definitio clarissima est ejusque bonitatem hoc discursu suadeo illa definitio est optima, quæ omni, & soli definito convenit; atqui sic se habet definitio Philosophi clarioribus verbis hic expressa; ergo A. est una ex præcipuis regulis bonæ definitionis, ut videre est in summulis. Prob. minor, & quia continet duas partes, quoad primam, primò ostenditur. Omnis motus, vel est motus creationis, vel generationis, vel alterationis, seu augumentationis, lationis, constrictionis, localis, corruptionis, successivus, vel instantaneus; atqui hæc definitio his omnibus convenit; ergo. B sui explicatione probatur; & in primis convenit motui creationis, quia res, quæ movetur per sui creationem per talem motum formaliter intelligitur esse in potentia ad sui esse Physicum; in potentia quidem logica. Secundò convenit motui generationis, siquidem res quælibet substantialis, quæ actu producitur per talem motum generationis, est in potentia ad terminum ejusdem motus, videlicet ad sui productionem in rerum natura per eductionem è materia. Convenit insuper motui alterationis, quia res, quæ movetur motu alterationis, taliter movetur ad alterationem, ut quamvis intelligatur per talem motum actuata, adhuc intelligatur ad ipsas qualitates alterativas. Convenit tandem cæteris motibus, quia res quælibet sive moveatur motu locali, sive altero motu, ita movetur, ut adhuc intelligatur in potentia ad terminum ipsius motus; sic v. gr. per motum localem ita res movetur ut in sensu composito motus adhuc sit in potentia ad terminum motus, qui est locus ille determinatus aquirendus, propter cujus aquisitionem ponitur motus, quod totum dicendum videtur data proportione etiam loquendo de aliis motibus.

Secundò ingerit aliquam difficultatem ipse motus instantaneus. Videtur enim hoc existente non esse amplius mobile in potentia ad terminum motus, cum hic statim existat, ac existit motus, ut evidenter constat in motu Solis illuminantis; sed nihilominus existimo etiam ipsi convenire prædictam definitionem, nam esto dum res aliqua movetur instantaneo motu non intelligatur in potentia ad terminum, sed potius in actu, hoc non evenit ratione motus formaliter. Hic siquidem formaliter quaotum est ex parte sui, semper relinquit subjectum in potentia ad terminum, quod evenire defendo, etiam in motu instantaneo illuminationis (si motus sit instantaneus Solis illuminantis) siquidem aer intelligitur adhuc in potentia ad illuminari dum movetur à Sole motu illuminationis ratione ipsius motus, seu quatenus motus illuminationis motus est, cum fieri effectus necessariò sit prius natura facto esse ejusdem; motus autem est fieri ipsius effectus.

Superest itaque, ut probetur minor quoad secundam sui partem, quæ sic ostenditur. Ideò hanc definitionem Soli motui non convenire dubitare possumus, quia etiam formis absolutis, accidentalibus, disponentibus materiam ad introductionem formæ substantialis adaptari potest, cum etiam illæ taliter actuent materiam, ut hæc adhuc & in potentia ad terminum principaliter intentum à natura; atqui hæc ratio efficaciter non urget; ergo. Majorem existimo certam, cum nulla alia sit ratio suspicandi prædictam motus definitionem alteri à motu convenire, quam relatis. Minor verò evidens est quia esto materia informata qualitatibus dispositivis adhuc sit in potentia ad formam præcipuè intentam, non est tamen ratione qualitatum, sed ratione sui ipsius, quæ potentia est ad omnes formas, ergo relata definitio non convenit aliis.

Ex his de motu dictis patet manifestè quam falso asserat Maygnan definitionem peripateticam motus non explicare quid sit motus: quam falsò Bodinus in *Theat. naturæ lib.* 1 cogitaverat definitionem hanc Aristotelicam esse multo obscuriorem motu ipso; quam falso Sculerus asseruit definitionem Philosophi traditam esse meras tenebras; adeoque definitionis nomine indignam, atque eiusdem inuolutionem, & meram principii petitionem. Fateor quidem rem difficilem esse eius naturam inquirere, quod etiam affirmat Doctor, simulque asserti rationem reddit in *summa quæst.* 6 *art.* 6. his verbis, *quia propter mutationem quæ est in rebus naturalibus ipsa minimum esse habet, & minima certitudine nata sunt sciri* (loquitur de tempore, & motu) *ideò etiam contingit quod alia, quorum esse, & natura est ipsa mutatio, aut in mutatione consistit, minimum esse habeat inter omnia naturalia, & nata sunt sciri debilissime ut sunt tempus, & motus.* De tempore enim dicit Philosophus *cap* 4. *Physicorum*, quod apparet, quod omninò non sit, aut vix, & obscurè: & Augustinus. *Quid est tempus, si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim nescio.* Nihilominus quæ diximus ad rem dicta fuisse volumus, quod

totum

torum ea Atomistis comprobat Casimirus Tolosates Capucinus *disp.* 4. *art.* 1 *de motu*. Ideò autem nullam mentionem facio de motibus animæ internis, uti de motu intellectionis, & volitionis, quia isti improprie eius naturam participant, ut docet Doctor in summa *art.* 27 *quæst.* 2. his verbis: *ad primum ergo in oppositum, quod Deus est immutabilis, & ideò non habet in se principium motus, dicendum quod motus accipitur ibi largè, extendendo nomen motus ad actionem, sive operationem etiam spiritualem, quam agit res quæcumque in se ipsa, & ratio est, quia motus proprie debet esse motus sensibilis, ejusmodi certè non est omnis motus ad intra*. Sed

Arguunt primo quamplures Thomistæ, docentes in relata definitione Philosophum non comprehendisse motus instantaneos. De ratione motus est supponere subjectum imperfectum, ipsum sic relinquere, & ad ulteriorem actum promovere; sed hoc non convenit motibus instantaneis; ergò &c. Probatur minor. Dum intellectus v. g. motu instantaneo mouetur ad intellectionem, non supponitur, imperfectus, sed perfectus in priori præcontinens totam rationem specificam intellectionis. Secundo Intellectio non relinquit intellectum in potentia ad ulteriorem terminum, cum ipsa sit ultima actualitas in linea intellectivi; ergo.

Negari nequit in via Henrici, ut supra dixi motus instantaneos internos propriè non habere rationem motus, nihilominus tueor etiam oppositum defendi posse, atque etiam ipsos comprehensos esse, vel comprehendi posse in data descriptione, quod ut ostendam, aduerto non esse de ratione generica motus supponere subjectum imperfectum in omni linea, sed solum ipsum supponere cum carentia illius perfectionis, ad quam movetur, si id ad quod movetur sit perfectio, cum aliquando moveatur ad id, quod non est sibi bonum, ut evenit quando movetur ad sui destructionem. Secundò requiritur quod pro illo signo, pro quo movetur, ratione motus formaliter careat illa perfectione, ad quam movetur: hoc autem posito existimo Aristotelicam descriptionem motus, etiam motibus instantaneis internis convenire; nam intelligitur revera intellectum v. g. esse imperfectum, dum se mouet ad intelligendum, non quia careat præcontinentia, adæquata, seu activitate ad intelligendum, cum hæc benè in priori supponatur ad intelligere, sed quia prout movetur ab objecto motivo ad intelligendum, caret ipsa actuali cognitione, seu ultima actualitate intellectiva, quam deindè aquirit.

Arguunt secundò alii contrà traditam motus definitionem. Motus essentialiter dicit ordinem ad terminum à quo, & ad quem; sed hic ordo non explicatur indefinitione motus, sed solus respectus ad mobile; ergò hæc definitio est defectuosa. Secundo, quia definitio assignata motus præcontinet particulas se se mutuò destruentes, cum dicat quod mobile per motum, & sit in actu, & in potentia; ergò.

Respondeo ad primum dicendo designari utrumque terminum, nimirum à quo, & ad quem, & hoc per illas particulas *secundum quod in potentia*. Ad secundum omissa magistri Venturæ solutione, quam vult deductam ex Henrico, de cuius soliditate esset locus dubitandi, dico utique actum, & potentiam respectu eiusdem repugnare, non respectu diversorum, ut evenit in casu. Mobile enim in actu dicitur relate ad ipsum motum, in potentia verò respectu ad terminum, in ordine ad quem movetur.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An motus sit subjectivè in mobili, vel in movente.*

Quamvis quæstionem hanc Patres Complutenses tractent solùm de motu locali, seu progressivo asserentes jam explotatum esse cæteros motus in mobili subjectari; seu in re ipsa, quæ movetur, nobis tamen placet de omni motu difficultatem instituere inquirendo, an motus subjectivè sit in mobili, an potius in movente. Circa quam triplex se se exhibet sententia. Prima illa est, quam defendunt Soncin. 5. *metaph. quæst.* 4. Fonseca *cap.* 15. *quæst.* 10. *sect.* 5. & docet motum inhæsivè recipi in movente; secunda sententia illa est, quam sustinet noster Ventura. Considerat hic dupliciter motum, primò prout habet rationem actionis, seu respectu sui principii, secundò verò prout habet rationem motus, seu secundum ordinem, & tendentiam ad terminum secundùm priorem inspectionem affirmat recipi in movente; secundùm posteriorem verò in mobili, seu in passo. Tertia sententia illa est, quæ communiter defenditur in schola Thomistica juxta præceptoris Angelici doctrinam, quam tradit *sect.* 4. in qua habetur motum esse in mobili, ut patet his verbis. *Manifestum est, quod actus cujuslibet est in eo, cujus est actus; & sic manifestum est, quod motus est in mobili, cum sit actus mobilis*.

Huic sententiæ D Thomæ subscribo, cum subscribat, & Henricus *art.* 59. *quæst* 2. in summa illis verbis. *Motus magis pertinet ad passionem, quam ad actionem, motum autem magis pertinere ad passionem, quam ad actionem, est motum potius recipi in passo seu in re, quæ movetur, non verò in re, à qua res movetur*. Hæc igitur est Henrici doctrina, & sententia, quamvis huic se se opponat noster Ventura, in cujus sententia, cum habeam actionem, & motum esse realiter idem accidens, nescio deinde, quomodo idem possit recipi inhæsivè in subjectis realiter distinctis. Nec valet, quod respondet, nimirum hoc contingere secundùm diversam motus inspectionem, siquidem cum hæc diversa acceptio non tollat, quin actio, & motus sint realiter unum, & idem numero accidens, una, & eadem res, nec tollet impotentiam ad recipi in pluribus subjectis realiter distinctis; sed quidquid sit de hoc.

## CAPUT PRIMUM.

*Roboratur rationibus quibusdam sententia D Thomæ, & Henrici ultimò exposita, nempe quod motus sit in mobili.*

Brevi calamo Thesim hanc suadeo hic. Inferius enim ejus veritas magis apparebit, & præcipue quæstione sequenti. Ostendo itaque ipsam breviter, & præcipue loquendo de motu locali, qui ibi esse debet, ubi est terminus proprius illius; sed terminus primarius motus localis recipitur in mobili; ergo & ipse motus. Probatur minor. Terminus primarius motus localis est ipsa ubicatio, seu præsentia localis; sed hæc recipitur in re, quæ movetur ad locum aquirendum; ergo.

Secundò probatur, & pariter de motu locali, ratione qua etiam utuntur Complutenses. In eo subjectivè recipitur motus localis, ubi est ejus effectus formalis, sed effectus motus localis est in mobili; ergo in mobili subjectatur. Major certa est effectus enim formalis maximè primarius, est indi-

 stinctus

stinctus ab ipsa forma, quinimò ipsa est. Probatur itaque minor. Effectus proprius motus localis est localiter moveri; sed mobile est, quod localiter movetur, & non ipse locus; ergo effectus motus localis recipitur in mobili.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

ARguunt primò contra statutam veritatem nonnulli. Moventia creata, dum se movent per actum talem mutantur; ergo jam motus in ipsis recipitur. Antecedens est certum, dum enim ignis actu se movet alterando lignum, ignis ipse mutatur, cum transeat de non actu alterante ad actualiter alterandum; Sic quoque qualibet causa se movet ad effectum producendum sibi similem per motum generationis; ipsa causa mutatur, cum transeat de otio in actum, ut loquitur D. Thomas & sic universaliter de quolibet se movente. Prima verò consequentia probatur, quia id, quod mutatur, mutatur per aliquid in se receptum; sed movens mutatur per motum; ergo mutatur per motum in se receptum; ergo.

Consimili argumento respondet noster Ventura, moventia creata mutari non ratione motus præcisè, sed ratione dispositionum, quæ requiruntur, ut moventia actu moveant; sed hæc solutio non est solida, siquidem nedum præsupositivè per dispositiones ad motum, sed etiam formaliter ratione ipsius motus aliquo modo mutari moventia creata negari nequit, nam mutari est aliter se habere, ac antea, sed præcisè per ipsum motum intelligitur movens aliter se habere, ac antea, cum non intelligeretur actu se movens; ergo etiam ratione motus præcisè intelligitur ipsa mutatio. Alia ergo via, & quidem breviori satisfieri posse judico argumento dicendo movens per ipsum mutari non intrinsecè, sed extrinsecè.

Arguunt secundò alii. Ibi est motus localis, ubi proprius ejus terminus cõstituitur, sed proprius terminus motus localis est locus, qui non subjectatur in corpore mobili; ergo neque motus localis. Probatur minor. Terminus est id, à quo motus denominatur localis, sed motus denominatur localis à loco; ergo. Secundò, quod aquiritur per motum localem est terminum ejus, sed locus aquiritur per motum localem, ergo locus est terminus hujus motus.

Respondeo locum alium esse intrinsecum, extrinsecum alterum. Extrinsecus, vel est spatium reale, vel imaginarium, vel juxta communiorem Peripateticorum sententiam ipsa superficies corpus ambiens formaliter tamen inspecta. Intrinsecus verò est ipsa forma modalis, quæ ubicatio nuncupatur per motum acquisita. Modò terminus per se primò intentus à motu locali, est locus intrinsecus, cum sit ipsa præsentia corporis locati in loco, cum autem hæc in mobili recipiatur, profectò etiam recipi debet in ipso ipse motus. Unde patet in forma.

Dices sententiam hanc contrahire Philosopho asserenti 8. *Physicorum Textu* 9., quod mobile maximè ex vi motus localis nullam formam sibi inse- quentem aquirat, quod non eveniret, si motus localis subjectaretur in mobili.

Respondeo optimè explicari Philosophi verba, quæ in Textu allato habentur, si dicamus ipsum solùm asseruisse mobile per motum localem non aquirere formam aliquam absolutam, non verò exclusisse etiam modalem.

Arguunt ultimò alii. Deus, ut actualiter movens, & quidem primum, ita movet, ut ipse motus in ipso sit subjectivè; ergo motus subjectivè habet esse in movente. Probatur antecedens. Omnis motus, quo Deus movet se, est, vel ipsa actualis intellectio, vel actualis volitio; sed tam volitio, quam intellectio in ipso intelliguntur esse subjectivè; ergo.

Respondeo multipliciter, primò in sententia Thomistica, affirmando, quod Deus, dum se movet ad intra, vel motu intellectionis, vel volitionis impropriè dicitur moveri; nam omnes motus instantanei intentionales, impropriè habent rationem motus, quia per istos potentiæ non moventur ad ulteriorem perfectionem sibi aquirendam, ad quam ordinem dicant. Cum autem de ratione motus sit, quod res illa, quæ movetur per ipsum motum, intelligi debeat in potentia, prout in potentia ad terminum ulteriorem, hinc est quod motus intellectionis, & volitionis, non nisi impropriè sunt motus, & sic non valet argumentum, cum nos loquamur de motu propriè dicto, cum dicimus in mobili, non in movente recipi. Secundò inhærendo Henrici sententiæ, respondeo quod motus est subjectivè in ipso Deo, dum movetur ad intra motu scilicet, vel intellectionis, vel volitionis, non verò, est in ipso, dum movetur ad extra motu creationis, nam dum movetur ad intra, movetur intentionaliter; motus autem intentionalis ea est natura, ut in eo recipiatur, à quo est. Quod si dicas ex hac solutione tolli rationem motus à motibus instantaneis intentionalibus, atque affirmari motum recipi in movente, quod supra negatum est, respondeo me non tollere rationem motus, quia movens intentionale habet rationem, & mobilis, & moventis, uti intellectus divinus, qui ratione nostra intelligitur se movere ad intelligendum, & etiam moveri ad ipsam intellectionem ab ipsa essentia divina habente rationem objecti formalis motivi. Motus autem isti recipiuntur in movente, non ut movens, sed ut mobile est, seu clarius motus intellectionis non recipitur in intellectu, ut se movet ad intellectionem, sed quatenus ab objecto motivo movetur ad intelligendum, & sic in ipso intellectu, prout habet rationem mobilis.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum actio, passio, & motus distinguantur realiter strictè inter se.*

DUplex in hac difficultate versatur sententia. Prima sustinet realem distinctionem; pro hac stant communiter Scotistæ; stant Thomistæ volentes actionem separabilem, & separatam aliquando inveniri à motu, ut eveniret putant in qualibet actione creativa, quæ estò vera actio sit, tamen non habet rationem motus, cum nullum in ipsa detur subiectum commune, quod tamen exigitur ad mutationem, & in qualibet intellectione, quæ propriè, quamvis, & ipsa vera actio sit, habere nequit rationem motus, cum per ipsam intellectus non intelligatur in potentia ad ulteriorem terminum; sed ipsa sit ultimus terminus, & ultima intellectus actualitas. Hoc ipso autem, quod actio, & motus, actualem separationem admittunt, non est cur realiter distingui non debeant. Sic discurrunt Complutenses, Ioannes à Sancto Thoma, & alii insigniores Thomistæ &c.

Secunda sententia defendit identitatem realem quam-

quamvis ejus defensores inter se postea dissides sint in assignando, quænam deinde sit distinctio intereniens afferentibus Patribus Societatis aliisque nonnullis solam intervenire distinctionem rationis ratiocinatæ, aliis verò ulterius distinctionem ex natura rei. Prò hac secunda sententia communiter referri solent Suarez in metaphisica *disp.* 49. *sect.* 1. *num.* 6. Vasquez *prima parte disp* 59. *num.* 41 Rubio in Logica, Ariaga in *Physica disp.* 8 *num.* 15. Oviedo *in Physica controv.* 12. *puncto* 2. Hurtado *in Physica disp.* 11. *sect.* 4 Conimbricenses in Logica *quæst* 1. *art.* 2. Illustrissimus Spinola *sect.* 50 *in Physica disp.* 6. Huic secundæ sententiæ subscribo, quamvis prima sua probabilitate non careat. Sit igitur.

## CAPUT PRIMUM.

*Ostenditur veritas secundæ sententiæ.*

SUarez loco supra laudato actionem, & passionem inter se non distingui realiter contendit: vult enim quod distinguantur tamquam duo modi reales, non verò tanquam duæ res. Modi autem cum distinctionem sumant à re, cuius sunt modi, & actio, & passio sint modi eiusdem rei, vel eiusdem termini, consequens erit quod realiter inter se distingui non poterunt: quod autem actio, & passio, modi sint ipsius rei, ostendit, quia actio nihil aliud est, quam modus ipsius effectus, scilicet dependentia ipsius ab agente, & passio est ipsum fieri formæ, vel effectus, quod fieri pariter modus est ejusdem termini.

Sed hoc Suarezii ratiocinium mihi solidum non est. Primò quia falsum est modum distinctionem sumere à rebus, quas modificat, cum res quælibet, quæ ab alia distinguitur per se ipsam distinguatur, non verò ratione alterius. Distinctio enim sequitur ad rei entitatem, cui commensuratur, cum autem res quælibet, sive modalis sit, sive absoluta per se habeat suam entitatem, ita etiam à se habebit ab altera distingui, non verò ab identitate, vel diversitate termini, alias etiam duratio, & ubicatio, & omnes modi afficientes idem subjectum realiter modaliter inter se non distinguerentur, quia eandem rem modificant, & afficiunt. Secundò, quia falsum est actionem esse ipsam actualem effectus dependentiam à sua causa, cum ipsa potius sit ratio, qua effectus talem actualem dependentiam importat; ipsamque dependentiam præcedat, quod totum de passione data proportione affirmari debet.

Alia ergo ratione procedendum esse iudico, & illa sit, cui præcipuè adhærent quam plures cum Ouiedo, quam sub hac forma proponere placet. Actio est ratio, qua agens est in actu secundo agens, & passio est ratio, qua passum est in actu secundo patiens; sed eadem est ratio, qua agens est in actu secundo agens, & passum in actu secundo patiens; ergò actio, & passio sunt realiter idem. Maior patet quia per illud idem, per quod agens est in actu secundo agens, passum est formaliter in actu secundò patiens, nam per hoc quod v. gr. ignis est in actu secundo calefaciendi, seu in exercitio calefaciendi, lignum est in actu secundo calefacti.

Probatur secundò cum Hurtado. Si passio esset modus realiter distinctus ab actione, esset aliquod improductum in rerum natura, sed hoc repugnat; ergò. Probatur assumptum; si passio esset quid productum, vel esset tamquam terminus alterius actionis, vel tanquam ratio producendi, neutrum dici potest, ergò esset quid improductum. Probatur minor, & in primis passio dici nequit esse quid productum, per modum termini actionis, quia passio non dicitur terminus actionis, sed vice subiecti, seu patientis in terminum, ergo nequit produci, ut terminus actionis. Qui ad secundam verò partem patet, quia si passio produceretur tanquam ratio producendi non esset amplius passio, sed actio, cum actio sit ratio producendi.

His accedit auctoritas Philosophi pluribus in locis negans distinctionem realem inter hæc prædicamenta præcipuè tamen *in* 3. *Physicorum cap.* 3. ubi ait *actionem, & passionem in re esse eundem actum, seu motum, & differre tantum penes diversos respectus*, vel esse diversa solum ratione. Nec officit, quod per diversitatem rationis Complutenses, & alii intelligant diversitatem essentiæ, cum ratio propriissimè usurpata sit essentia, siquidem, quamvis concedatur, ut de facto conceditur diversas essentias habere, non inde optimè infertur distinctio realis propria, de qua est sermo, cum falsum sit diversitatem essentiarum inferre semper distinctionem entitatiuam, ut in materia de distinctionibus dictum est. Quod autem addunt Thomistæ ex Philosophi sententia potius contrarium deduci, hoc nego, siquidem quamvis in eodem libro, & eodem capite doceat actionem, & passionem non esse idem, explicari poterit Textus de negatione identitatis, vel formalis obiectiuæ, vel rationis, non verò de identitate reali, quæ superiori loco ab ipso adstruitur.

Philosopho omnino concors est Henricus in summa *art.* 32 *quæst.* 5. ubi edocet hæc prædicamenta inter se non distingui, nisi per solos respectus esse ab alio, & esse in alio; sed aduersarios audiamus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

ARguunt primò Thomistæ ex Angelico Præceptore hoc medio. Actio, & passio pertinent ad diuersa prædicamenta realiter distincta; sed res ad diuersa prædicamenta spectantes, & ipsa constituentes debent distingui realiter; ergò Pater minor, quia una, & eadem res creata spectare non potest ad diversa prædicamenta, quælibet enim res creata, prout creata est, definita est, & determinata solùm ad unum genus; Undè docet Sanctus Doctor *quæst* 8 *de potentia art.* 2. ad primum in creatis relationem distingui à substantia, quia substantia creata est definita, & limitata ad unum genus, undè hæc ibi habet: *ad primum ergo dicendum quod nulla substantia, quæ est in genere potest esse relatio, quia est definita ad unum genus, & per consequens excluditur ab alio genere*; ergò &c.

Explicatur hoc ulterius, & simul urgetur. Passio est forma constitutiua concreti pertinentis ad prædicamentum passionis, actio vero non est forma constitutiua concreti pertinentis ad prædicamentum passionis, sed hoc ipso nequeunt realiter identificari, ergò &c. suadetur minor, quia relatio est forma constitutiva prædicamenti relationis, quæ forma non est ipsa quantitas, ideò relatio, & quantitas distinguuntur realiter, ergò si passio est forma constitutiua prædicamenti passionis, actio verò non, affirmandum erit realiter non distingui.

Urgetur secundò. Hoc concretum passum, vel motum non sunt pura concreta rationis, sicuti genus, & differentia, sed concretum, quod rationis non est, nequit per formam constitui, quæ de suo genere non sit, ut patet in aliis relatis quanto, quali, relato;

relato; ergò haberi debent à diuersa forma realiter distincta. Et ratio totius à priori est, quia alias talis forma si constitueret diuersa concreta Physica, exiret limites proprii generis, nec intelligeretur amplius ad unum genus limitata.

Hoc Thomistarum argumentum supra doctrinam Divi Thomæ formatum, ex alia doctrina eiusdem Doctoris, quam tradit *Opusculo 48 tract. 5. cap. 3.* in integrum soluitur, quod ut fiat, ipsam referre optimū esse judico. Docet itaque in illo Opusculo aliqua prædicamenta inter se esse intrinsecè diversa, alia verò diuersa esse, non quia diuersas res realiter, & intrinsecè important, sed solùm quia dicunt diuersas res intrinsecè. Primò modo asserit differre inter se substantiam, & reliqua prædicamenta, secundo verò relationem à suo fundamento, quatenus hæc importat oppositionem relativam, quam oppositionem non importat fundamentum, vel sicuti totum à sua parte, quia hoc importat aliquid plus, quam sui partem. Hæc est doctrina quoad substantiam, & quasi in terminis Diui Thomæ, quam, ut magis lectori constet, placet afferre, *dicendum igitur, quod divisio entis in decem prædicamenta, est diuisio in decem, secundum rem, vel quantum ad hoc, quod dicant diuersas res intrinsecè, & realiter, sicuti substantia, quantitas, qualitas, quæ sunt diuersæ res, vel in quantum dicunt diversas res, extrinsecè, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relationi. Sicuti enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicuti res à re; sed sicuti illud, quod importat plus, quam pars, sic relatio differt à suo fundamento, quia relatio dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum*: Ex hac autem patet prædicamentorum distinctionem non semper desumi penes diuersas formas realiter distinctas, sed aliquando penes diversas rationes formales, & diuersos respectus. Undè in forma distinguo majorem Actio, & passio spectant ad diuersa prædicamenta per modum rerum realiter strictè distinctarum, nego maiorem, secundum diuersas rationes formales, quas habent importare ex parte objecti, concedo majorem, & distinguo minorem. Res pertinentes ad diuersa prædicamenta distinguuntur realiter, si pertineant ad diuersa prædicamēta, importando diversas res intrinsecè realiter distinctas, ut euenit in substantia, & accidentibus juxta Diuum Thomam concedo minorem, secundùm diuersas res tantùm extrinsecè nego minorem, & consequentiam, distinctio patet.

Ad auctoritatem verò Diui Thomæ in argumento relatam dico Sanctum Doctorem solum ibi asserere, quod substantia creata, prout substantia est, non habeat rationem relationis, quia sub hac reduplicatione definita, est, & restricta ad genus substantiæ, cum sic tantum præseferat ipsam perseitatem, quæ non est ratio relativa, non tamen loquitur de substantia specificativè sumpta, quæ pertinere potest ad prædicamentum relationis, maximè quando est similitudo substantialis.

Ad argumenti explicationes, certum est ipsas retorqueri posse in Thomistarum sententia. Docent enim isti gradum corporis haberi ab ipsa anima rationali, à qua habetur esse specificum. Certum est autem, quod gradus genericus est gradus diversus à specifico, & quidem diversitate reali, cum gradus corporis sit genus physicum, & tamen ab eadem anima rationali habetur, quamuis ipsa finita sit, & limitata ad certum genus, nimirum ad esse viuens rationale Quod si dicas formam rationalem constituere corpus vivens, prout ipsa est principium, quo vitæ, corpus verò organicum, prout est eminenter formaliter corporea Dicam, & ego hoc idem de actione, & passione, nimirum actionem prout importat egressum à potentia, spectare ad prædicamentum actionis, prout vero recipitur in passo passionis. Ex hoc autem quod formæ creatæ sint definitæ ad certum genus, sequitur solum, quod formaliter inspectæ, & sub determinatis respectibus plura, & diversa concreta, & prædicamenta constituere non ualeant, quod & nos fatemur, non vero sequitur, quod sub diversis respectibus spectare non possint ad diversa prædicamenta, undè patet in forma quid respō iendum sit. Dicendum enim est quod forma constituens concretum unius generis non potest sub illa eadem ratione, sub qua illud constituit, aliud constituere, quia sic limitata est ad certum genus, posse tamen sub diversa ratione, ut patet in ipsa forma rationali per Thomistas.

Ad ultimam vero argumenti explicationem addiram, fateor concreta hæc, *relatum, passum* esse concreta realia, & non rationis; sed hinc solum sequitur, quod debeant haberi à forma reali, & sub aliqua ratione reali, quod totum à nobis conceditur. Concretum enim passi habetur ab ipsa actione, prout hæc habet esse in subiecto, & concretum motus, prout importat tendentiam ad terminum; non vero sequitur, quod debeant haberi a formis realiter distinctis, nisi quando formæ constituunt diversa prædicamenta, tamquam diversæ res intrinsecæ, & reales, uti faciunt quantitas, & qualitas, ut docet Sanctus Thomas.

Arguunt secundò alii. Ea, quæ à parte rei habent diversas essentias adæquatè diversas distinguuntur realiter, sed quæ collocantur in diversis prædicamentis gaudent essentiis adæquate distinctis, cum sint primò diversæ; ergò distinguuntur realiter. Maior probatur, nam distinctio consequitur ad entitatem, sive essentiam rei.

Confirmatur. Ea quæ habent diuersas definitiones adæquatas, non possunt esse realiter idem; sed actio, & passio habent diversas definitiones adæquatas, cum sint prædicamenta distincta, & consequenter nequeant in ulla ratione univoca convenire; ergo distinguuntur realiter; Probatur maior. Quæ habent diversam definitionem adæquatam, habent diversam essentiam Definitio enim adæquata, est explicatio totius essentiæ; sed vbi est diversitas essentiæ adæquatè, ibi necessariò est distinctio realis; ergò quæ habent diversas definitiones adæquatas distinguuntur realiter.

Confirmatur. Actio, & passio dicunt habitudines, seu relationes oppositas; sed realis oppositio petit distinctionem realem; ergò hæc datur inter actionem, & passionem.

Non diffiteor relata diversificari in essentia, quidquid in oppositum reclamet Hurtado, cuius diversitatis essentialis ratiō præcipua ea est, quod actionis quidditas consistat in ipsius processione ab agente, passionis verò in receptione in passo, ut etiam alii optimè scripserunt aduersus relatum auctorem. Diffiteor tamen, quod ex diversitate essentiæ, & consequenter definitionum sequatur per infallibilem consequentiam distinctio realis, seu entitativa, cum hæc unicè non desumatur à diversitate essentiæ, sed etiam à diversitate existentiæ. Distinctio enim commensuratur extremis distinctis, quod verum est etiam in sententia complutentium arguentium, qui sustinent distinctionem inter actionem, & motum esse realem modalem, non verò entitativam, quia motus ob suam imperfectionem

ſ ctionem nequir eſſe entitas, ſed ſolùm motus. Diſtinctionem verò inter actionem, & paſſionem eſſe realem entitatiuam, ſed non ſtrictiſſimam ob inſeparabilitatem, quæ ipſis conuenit etiam diuinitus, cum autem in caſu noſtro actio, & paſſio non duplicem, ſed unicam admittant exiſtentiam, atque rationes inſeparabiles ſint, profectò realiter inter ſe diſtingui non poterunt, non obſtante diuerſitate eſſentiæ, undè patet quid reſpondendum ſit in forma, ad argumentum, & primam confirmationem. Ad ſecundam verò dic inferri ſolum, quod actio, & paſſio formaliter diſtinguantur, cum reſpectus oppoſitos importent ſolùm formaliter inſpectæ.

Arguunt alii ulterius, in actione, & paſſione importantur diuerſæ habitudines ad mouens, & ad mobile ſecundùm rationem originis, & receptionis; ergò vel iſtæ habitudines ſunt relationes ſecundum eſſe ſui reales; vel ſecundùm dici, ſi primùm; ergò addunt aliquod realiter modaliter ad motum, quia relatio aliquid eſt præter fundamentum, ſi dicatur ſecundum; ergò ſunt aliquod abſolutum fundans illam relationem, & ſic cum fundent relationes diuerſas ſe habentes ad diuerſos terminos, non poterunt omninò eſſe inter ſe unum, & idem; ſed oportebit ipſos diſtingui non minus, quàm ipſæ relationes fundatæ.

Confirmatur. Dari poteſt actio ſine motu; ergò actio realiter diſtinguitur à motu. Conſequentia hæc certiſſima eſt omnibus. Antecedens probatur. Creatio eſt actio, intellectio eſt vera actio, ſed quælibet creatio, quælibet intellectio non ſunt motus, motu propriè accepto; ergò.

Confirmatur ſecundo maximè de paſſione, & motu. Ea diſtinguuntur realiter modaliter, quæ important inter ſe diuerſas habitudines; ſed paſſio, & motus important diuerſas habitudines, & quidem reales; ergò. Probatur minor. Paſſio reſpicit ſubiectum, ut recipiens eſſe ab agente. Motus verò reſpicit terminum, ad quem tendit; ergo dicunt diuerſas habitudines.

Quod verò diſtinctio intercedens inter actionem, & paſſionem, & motum non ſit, niſi porè modalis, patet, quia ut realitas illa motus dicatur actio non requiritur noua realitas ſuperaddita, ſed ſufficit quod ipſa dicat ordinem ad agens ſecundùm originem ab eo; ergo actio non eſt noua realitas diſtincta ſupra motum, ſed noua reſpicientia, & modificatio eiuſdem realitatis, quæ noua reſpicientia eſt nouus modus; ergo eum diſtinguantur penes diuerſam reſpicientiam, iam diſtinguuntur modaliter.

Reſpondeo negari non poſſe tria adducta prædicamenta importare habitudines diuerſas, & quidem reales; At ex hoc non benè infertur diſtinctio realis modalis, cum iſti diuerſi reſpectus fundentur in unica indiuiſibili realitate etiam per arguentes Thomiſtas affirmantes, quod realitas, quæ eſt in motu, prout habet rationem actionis non importet nouam realitatem ſuperadditam, ſed ſolùm nouum reſpectum. Hoc ipſo autem, quod iſti reſpectus fundantur in unica indiuiſibili realitate, non eſt, unde colligi poſſit diſtinctio hæc realis, modalis, quæ neceſſariò debet importare plures realitates, quamvis modales; Quod totum patet in ipſa eſſentia diuina, quæ omninò eadem, & indiuiſibilis dicit diuerſos reſpectus ad creaturas ſine ulla ſui diſtinctione obiectiua, nonniſi quia ſemper eſt eadem ſimplex entitas, quamuis reſpectus varientur.

Ad primam confirmationem dico creationem habere rationem motus, ſeu mutationis, cum res, quæ mouetur per creationem ratione motus formaliter intelligatur in potentia ad terminum, nempe ad exiſtendum, in potentia inquam logica, & ſubiectiua. Intellectioni verò, ſi velint Thomiſtæ non conuenire propriam rationem motus, concedi poteſt, ſed quemadmodum rationem motus non habet, ſic etiam per ipſos non habet rationem actionis, ſed de hoc ſuo loco, ubi erit ſermo de motu

Ad ſecundam confirmationem diſtinguo maiorem. Illa diſtinguuntur realiter modaliter, quæ important inter ſe diuerſas habitudines fundatas ſupra diuerſas realitates, & ſupra diuerſas res, vel ſupra rem, & modum rei, concedo maiorem, aliter, nego maiorem, & pariter diſtincta minori negatur conſequentia, diſtinctio patet.

Arguunt ultimò alii. Tum actio, & motus realiter diſtinguerentur, quando in diuerſis ſubiectis realiter diſtinctis recipi poſſent, ſed eſt poſſibilis caſus, in quo ſint in diuerſis ſubiectis realiter diſtinctis; ergo. Maior eſt certa, ſiquidem idem numero accidens recipi nequit in pluribus ſubiectis realiter diſtinctis: oſtenditur ergò minor, nam ſi motus à Deo immediatè cauſaretur in creatis, in hoc caſu motus reciperetur in mobili, ſeu in ipſa re creata, quæ intelligeretur à Deo moueri ad aliquid, actio verò, per quam Deus moueter, vel crearet, non reciperetur in eo, ubi eſſet motus, cum quælibet actio Dei ſit formaliter immanens.

Reſpondeo actionem creatiuam, & in uniuerſum quamlibet actionem, per quam Deus ab extra operatur non eſſe formaliter immanentem, ſed tranſeuntem, cui arridet etiam ipſe Suarez, quamuis deindè velit, quod tales actiones creatiuæ nullum habeant ſubiectum inhæſionis, ut communiter de actione tranſubſtantiali docet affirmari ex Diuo Thoma, à Theologis, quæ doctrina aliàs à nobis fuit reprobata, cum etiam actio creatiua ſuo modo ſuum ſubiectum habeat.

## CAPUT TERTIUM.

*Argumenta præcipua Scotiſtarum referuntur.*

CUm nedum Thomiſtæ cum Diuo Thoma concluſioni ſtatutæ, ſe ſe opponat, verum etiam Scotus *in quartum diſt. 17 quæſt. 1. & quod. 11.* ideo etiam huius argumenta afferre placet.

Arguit itaque primò, & quidem non diſſimili modo, quo ultimò arguebant Thomiſtæ ſuperiori capite: quæ ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, realiter diſtinguuntur, ſed actio quælibet, quamuis tranſiens, & paſſio, & motus ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis; ergò realiter diſtinguuntur, probatur minor, quia actio recipitur in agente, cum per ipſam denominetur formaliter in actu ſecundo agens; motus autem recipitur in mobili, ſeu in re ipſa, quæ mouetur. Paſſio verò in paſſo, ergò.

Reſpondeo in Henrici ſchola argumentum hoc inefficax eſſe, ſiquidem nulla actio tranſiens eſt, quæ inhæſiuè in agente recipiatur, cum quælibet recipiatur in paſſo, in quo motus, & paſſio recipiuntur, adeoque identitatem ſubiecti habent. Urgere ergo illos ſolùm poteſt, qui docent actionem, & motum eſſe realiter idem, ſimulque ſuſtinent actionem eſſe in agente, & motum in paſſo, & propugnat ex noſtris Magiſter Ventura.

Arguit ſecundò Scotus: ſeparabilitas realis duorum non poteſt eſſe compatibilis, cum ipſorum identitate, ſed actio, & paſſio aliquando ſeparantur à motu,

à motu, ergò cum motu nequeunt realiter identificari. Probatur minor, quando subiectum tempore non præcedit introductionem formæ, intelliguntur actio, & passio, sed tunc non intelligitur motus. Ergò actio, & passio aliquando separantur à motu. Minor est certa, nam res, quæ intelligitur propriè moveri ad aliud debet intelligi per illud, ad quod mouetur, mutari; sed si subiectum non præcedat existentialiter introductionem formæ, iam subiectum non intelligitur mutari, cum non intelligeretur in priori, in potentia physica ad ipsam formam, qua in illo priori careret; ergò

Respondeo dicendo, quod quamvis ipsa materia in hypothesi non præcederet præcedentia temporis ipsam formæ productionem, & introductionem, præcederet tamen præcedentia naturæ, adeoque in illo priori naturæ optimè intelligeretur ad ipsam moueri, & consequenter, nec in hypothesi, vera actio, & vera passio, à motu separarentur.

Arguunt ultimò Scotistæ, & primò. Actio, & passio sunt respectus simpliciter reales. Motus verò secundùm quid. Secundo actio, & passio, & motus, respiciunt diuersos terminos realiter distinctos, ergò realiter distinguuntur. Probatur hæc consequentia primò prout deducitur ex prima parte antecedentis: idem enim non potest fundare simul relationem simpliciter realem, & secundùm quid realem. Prout verò deducitur ex secundo antecedenti, pariter ostenditur quia actio, passio, & motus specificantur à terminis, ergò si respiciunt diuersos terminos distinctos realiter, pariter realiter distingui inter se necesse erit.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico motum dicere respectum realem, non verò secundùm quid, cum verè, & propriè quilibet motus dicat relationem ad suum terminum, & finem independenter ab opere intellectus. Nullo enim cogitante intellectu, motus alterationis ordinem dicit ad accidentia alteratiua. Respectus autem realis nequit esse respectus secundùm quid. Ad secundum vero nego tria prædicta respicere terminos realiter distinctos.

Essent hic referenda Argumenta impugnantia statutam distinctionem mediam inter ista prædicamenta, & præcipuè ea, quæ afferunt Patres Societatis, Suarez, Martinez, & nouissimè Benedictus de Benedictus, nonnullique alii ex eadem Societate sed cum hæc, vel jam soluta sint in Logica, vel facilis sint solutionis, ut opinor esse ea omnia, quæ obiicit eximius Doctor Suarez, dum ex inseparabilitate inferre conatur carentiam hujus distinctionis, illa omitto.

# DISPUTATIO QUINTA.

## De infinito, Creatura perfectissima, & continuo.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum infinitum categorematicum sit possibile.*

Enricus in *Summa aurea art* 4. *quæst.* 2. subtiliter de more advertit, quod licet infinitum præseferre videatur puram negationem, cum carentiam termini importet, aliquid tamen positivum secundum rem significare docet, quod existimo ab Henrico affirmari, ut congruenter loquatur ad ea, quæ docuit in Logicæ disputationibus, dum sermo erat de unitate, quæ quamvis per negationem divisionis explicetur, revera tamen ipsa aliquid positivum est: res enim, qua infiniti dicit extensionem rei infinitam sub illa ratione, qua res sortitur nomen infiniti. Quid autem sit hoc infinitum in genere non una est apud Recentiores, & antiquos definitio. Secundi enim ejus naturam explicare optimè existimabant affirmando infinitum *illud esse, cujus nihil est extra*. Sed hanc ineptam esse ad naturam infiniti particularissimam explicandam affirmo, cum cuilibet rei finitæ adaptari possit, quapropter non immeritò reiicitur ab Aversa hic, & ex Aversa ab Illustriss. Spinula variis rationibus undequaque solidis. Primi verò aliter illud definiunt. Dicunt enim infinitum *illud esse, cuius semper est aliquid extra accipere*. Unde ad hoc, ut numerus v. gr. hominum infinitus sit juxta hunc dicendi modum, debet quolibet numero dato, & qualibet collectione accepta extra ipsam, aliam remanere accipiendam: quæ definitio, ut magis solida videatur sensus ejus hic non debet esse, quod videlicet extra ipsum infinitum sit accipere aliquid ejusdem infiniti, sed quod qualibet portione accepta totius infiniti, semper remaneat aliud accipiendum. Infinitum autem hoc multiplicis generis esse potest, & primò aliud est categorematicum, sincategorematicum aliud. Primum est, quod revera infinitum existit, seu potest esse positum secundùm omnes sui partes, ita ut aliquando verum sit dicere, quod totum sit positum. Sincategorematicum verò illud est, quod revera finitum est, sed tamen aliquid ipsi addi, ut detrahi potest in infinitum, ita ut tamen ad ultimam partem detrahendam, vel addendam nunquam deveniatur. Ex his duabus definitionibus, apud quosdam prima non recipitur ut adæquata, docentes ulterius requiri, quod tales infiniti partes semper actu simul esse debeant. Sed immeritò, cum sufficiat quod ejus partes, vel sint, vel fuerint actu, quod patere potest, eo quia, si Deus per impossibile ab æterno produxisset creaturas, earundem creaturarum durationes forent nunc infinitæ, cum tamen simul non coexisterent. Cur autem primum infinitum categorematicum dicatur, secundum verò sincategorematicum, vide Complutenses, & ex novissimis Fonsecam hic.

Infinitum autem categorematicum quatuor modis evenire potest. Primò quidem quoad substantiam, seu essentiam, vel in genere entis, & est ipsa carentia termini essendi. Secundò quoad extensionem, vel quod actu continet infinitas partes equales uni certè communicantes inter se. Tertiò quoad extensionem, & consistit in qualitate existente cum infinita intensione. Quartò in multitudine, seu in quantitate discreta, & illud est quod importat multitudinem, vel actu infinitam, vel quod fuerit infinita. Alii autem, & præcipuè in schola D. Thomæ addunt quintam infiniti speciem, uti est infinitum in relatione, consistens in puro respectu ad aliquod, quod revera sit infinitum, quam infiniti speciem explicare solent in ipsis Christi actionibus, quæ sunt infinitæ relativæ, seu per respectum ad personam Infinitè ipsas dignificantem. Infinitum autem categorematicum triplex est. Aliud nempe successivum, & illud est quod estò infinitas partes equales uni certè sibi vindicet, non eas tamen simul habere potest, ut sunt motus, & tempus. Aliud est additione, seu adiun-

ctiune

ctione, illudque est, cui quamvis tempus aliquid, & aliquid addi possit, nunquam tamen deveniri potest ad ultimam additionem. Aliud tandem divisione, vel quod dividi potest in plures partes proportionales, itaut numquam possimus devenire ad ultimam divisionem. Cum enim quælibet divisio fit rei quantæ in rem quantam, necesse omninò est, quod quælibet pars divisa ulterius sit divisibilis, cum divisibilitas secundùm se sit à quantitate inseparabilis. Hac autem brevi notitia supposita, adverto totam difficultatem procedere de infinito categorematico. Secundum enim, nedum possibile est, verum etiam de facto datur, ut patet in durationibus animæ rationalis, & Angelorum cogitationibus, quinimò ex hujus existentia aliqui arguunt alterius possibilitatem, quamvis meo videri inefficaciter. Circa primum autem adeò difficilium est in scholis, ut utraque sententia plausibilis sit. Pro affirmativa autem stant quamplures auctores, relati ab Aversa, Complutensibus, Ariaga, quibus adhæret Emanuel Maygnan. Pro negativa stant D Thomas 1. *part. quæst.* 7 & 8, ut etiam exteri advertunt, & ex nostris Magister Ventura. Sto ego, nedum ut Henriei doctrinæ inhæream, sed insuper, quia pro impossibilitate adsunt rationes satis solidæ, quæ anteequam proponantur, non incongruum erit advertere quod difficultas, cum soleat proponi in multiplici statu, videlicet circa infinitum in multitudine, magnitudine, intensione, & essentia, etiam sub diversis capitibus dirimenda est.

## CAPUT PRIMUM.

*Repugnat qualitas infinitè intensa.*

Tam multæ sunt, & diversæ rationes, quibus secundæ sententiæ defensores solent probare assertum hoc præfixo titulo positum, ut in infinitum abirem, si ipsas recenserem. Præcipuas itaque solùm afferro, & mihi solidiores, quarum prima sub hac forma fit. Si possibilis esset qualitas aliqua infinitè intensa, esset pariter possibilis aliqua gravitas actu infinita in aliquo corpore gravi; atqui hæc repugnat; ergò. Sequela certa est: qui enim ponunt qualitatem actu infinitè intensibilem, ponere etiam debent, & ipsam gravitatem cum potentia ad actualem infinitatem obtinendam, cum Thesis affirmativa ab ipsis posita universalis sit. Probatur itaque minor. Si daretur lapis cum infinita gravitate, deberet motu instantaneo descendere, sed motus instantaneus localis repugnat; ergò. Probatur sequela. Ubi est major gravitas, ibi debet esse major velocitas motus, ut pater, nedum experientia, sed etiam ratione, siquidem ubi est major gravitas, ibi invenitur minor resistentia medii, & subiectum capax maioris impulsus. Gravitas enim quo major est, eo magis habet medii resistentiam superare; ergò ubi erit infinita gravitas, erit infinita velocitas. Hæc ratio non artidet aliquibus asserentibus lapidem hunc non descensurum infinita velocitate; sed adhuc fore in potentia ad magis, & magis velocius descendendum, itaut à Deo determinaretur ad certam mensuram velocitatis.

Contra est. Siquidem gravitas in re gravi causans motum deorsum habet causam in genere causæ naturali, sed causans in genere causæ naturalis debet causare secundum totam suam virtutem actiuam, nisi aliundè impediatur; ergò cum grauitas esset virtutis actu infinite, infinitam velocitatem in motu refundere deberet. Nec esset necesse quod ad eniret divina determinatio, cum iam grauitas ex se determinata fit ad dandam velocitatem lapidi sibi commensuratam.

Ad id autẽ, quod asseritur nimirum nullã adesse repugnantiam motus localis instantanei per spatiũ divisibile, dico hoc falsum esse: videbimus enim infra localem motum inseparabilem esse à successione. Secunda ratio pariter procedit in particulari & in eo consistit, quod si esset possibilis, qualitas infinita, esset possibile pariter, & lumen gloriæ infinitum, & visio beatifica infinita, sed hoc affirmari nequit; ergò. Probatur minor, siquidem lumen infinitum, quamuis ex se non repugnaret, repugnaret tamen secundum illud, cuius esset causa, nimirum visionis infinitæ claræ. Claritas enim visionis commensuratur lumini (ab intellectu enim in schola nostra desumitur solum maior vel minor facilitas operandi); ergò si lumen esset actu infinitum, & claritas esset infinita actu, quod repugnat, sicuti repugnat actum visionis creatæ Deum comprehendere.

Quod si dicas non fore comprehensionem illam uisionem, quia diuinam cogoscibilitatem penitus non exhauriret, falsum hoc est, siquidem visio intensiuæ actu infinita, est infinite clara; sed claritas infinita habet exhaurire, vel saltem posse cognoscibile actu infinitum; ergò.

Tertia ratio, illatiua impossibilitatis cuiuscumque qualitatis in esse intensionis Infinitæ, illa est, quæ desumitur ex Divo Thoma *in 3. partem quæst* 7. *art.* 11., qua utuntur Thomistæ communiter, & extra ipsorum scholam alii quamplurimi, inter quos Ariaga, quamuis solum ad obtinendam naturalem repugnantiam, & sic procedit. A radice finita, & limitata haberi nequid qualitas infinita; nec in subiecto receptiuo limitato in ratione receptivi recipi potest qualitas infinite intensa, sed sic est quod substantia est radix limitata accidentium, eum etiam qua talis non excedat ipsam essentiam substantiæ, quæ limitata est etiam in capacitate receptiua &c.; ergo.

Dices capacitatem subiecti infinitam esse, quod Inde colligi potest, quia qualitas ipsa, quæ crescere potest finite in infinitum, in ipso subiecto recipi potest. Secundo, quia capacitas obedientialis saltem infinita est. Tertio quia hoc solum probat quod qualitas esse nequeat infinita, prout est à substantia creata, tanquam à radice, & subiecto, non verò prout unicè esset à Deo, & existeret sine receptione in subiecto, in quo casu non esset necesse quod esset limitata per ipsum subiectum. Quartò. quia etsi quilibet actus elicitus ab humanitate Christi finitus sit, recipit tamen à dignitate Verbi effectum infinitum, nimirum valorem moraliter infinitum ergò finitas subtracti non impedit, quin forma infinita communicet effectum infinitum.

Contra est, siquidem capacitas ad recipiendam aliquam qualitatem intensibilem finitè in infinitum nunquam deueniendo ad ultimum non est opus, quod sit infinita, ut patet in ipsa materia, cuius capacitas certè finita est, & tamen est capax successiuè ad infinitas formas recipiendas, ita ut nulla sit assignabilis receptio, ultra quam non sit possibilis alia, nunquam deveniendo ad ultimam Et ratio est, quia de ista capacitate ad recipiendum hoc modo infinitum, nunquam verificari potest, quod infinitum receperit, sed solùm qualitatem infinitè intensam. Secundùm verò non urget, capacitas enim obedien

tialis

tialis finita est, quamuis recipiat agens infinitam. Ad tertium dico rationes esse, ob quas talis qualitas etiam secundùm se repugnaret. Præterea quamuis illa qualitas existeret diuinitus absque subiecto, tamen ordinem diceret ad subiectum. Sed nullum posset esse subiectum, ad quod ordinaretur, non quidem finitum, quia non est capax, non infinitum, quia non datur; ergò. Ad ultimum verò disparitas clara est in eo consistens, quod forma moralis taliter est extrinseca subiecto, ut. ab ipso nec educatur, nec in ipso intrinsecè recipiatur, unde nil mirum, quod in subiecto finito recipiatur effectus infinitus; At verò in formis, & effectibus, formalibus physicis, res econtra se haber; unde limitatio subjecti impedit optimè receptionem formæ infinitæ, & collationem effectus formalis infiniti.

Dices qualitatem, quamuis intensivè infinitam, fore tamen finitam, quoad essentiam; Sed

Contra est, quia qualitas ipsa etiam prout intensa habet radicari à substantia, sed substantia etiam, ut radix, est finita; ergò ab ipsa haberi non poterit qualitas infinitè intensa, maximè loquendo de qualitate, quæ consequitur ad formam.

## CAPUT SECUNDUM.

*Repugnat infinitum in essentia in creatis.*

SI vera est doctrina, quam ut veram defendunt nonnulli, nimirum infinitum in essentia illud esse, quod *importat carentiam cuiuscumque imperfectionis, & præcontinentiam cuiuslibet perfectionis possibilis*, quia infinitum in essentia est infinitum simpliciter, jam actum erit de possibilitate infiniti in essentia, sed cum hæc ab omnibus ut vera non recipiatur, placet ulterius rem propositam inquirere. Aliqui itaque diversam ineuntes viam docent implicare creaturam infinitam in essentia, quia quælibet res creata esse nequit, quin constet genere, & differentia saltem metaphysica, & consequenter, quin sit terminata in linea essentiæ, cum genus, & differentia sint essentiæ termini. Huic rationi communiter subscribunt omnes Thomistæ ex Diuo Thoma, cui aliquantulum videtur adhærere. Henricus *in Summa art. 44 quæst. 2* illis verbis: *Omnis creatura certis limitibus naturæ, & esse essentiæ suæ contenta est. Sed hæc ratio oppugnari solet, ab aliquibus, quia essentia esse potest infinita, quamuis terminus claudatur, ut eueniret casu, quo differentia esset infinitæ perfectionis. Tunc enim essentia per illam constituta, esset infinita, uti in Deo, cuius infinitas, quamvis sit veluti modus contrahens rationem entis, quia tamen est perfectio infinita, ideò Deus dicitur simpliciter infinitus*. Secundò quia secundùm quosdam Deus componitur ex genere, & differentia ultima, & tamen est undequaque infinitus.

Sed ut verum fatear, & veritati, quam semper dilexi, sim consonus, secunda hæc ratio Divi Thomæ solida est, nec præallatis rationibus Pontii, & Vasquezii taliter impugnatur, ut reprobari debeat: Falsum est enim in primis in Deo cadere compositionem ex genere, & differentia. Hæc enim compositio in Henrici schola non est rationis, sed obiectiua, cum obiectivè rationes genericæ, & differentiales distinguantur. Nec iuuat, quod ulterius opponitur, nempe, quod si differentia esset infinita, etiam essentia per illam constituta esset infinita, quamuis ex genere, & differentia constaret; siquidem præterquamquod differentiæ infinitæ perfectionis repugnant in creatis, dico adhuc talem essentiam futuram esse limitatam non ex capite differentiæ, sed ex capite rationis genericæ.

Nec pariter omnino displicet prima ratio allata, quamuis ipsa reprobetur à Pontio. Infinitum enim in essentia est infinitum in omni genere, quapropter Deus, qui infinitus est actu in essentia, est simpliciter infinitus, & in omnibus suis perfectionibus, cum istæ consequantur ad mensuram essentiæ; ergò si creatura aliqua esset infinita in essentia, esset infinita etiam in omni linea. Sed ex arguente creatura, quæ est infinita in omni genere necessariò debet esse independens; ergò &c. Quod si particularis nostra ratio exigatur pro asserto posito, hæc esse potest: Repugnat perfectiones Dei particulares non excedere in ratione sua formali particulari perfectiones particulares cuiuscumque creaturæ; sed si essent dabiles in creaturis perfectiones aliquæ actu infinitæ, ut sapientia infinita, virtus actu infinita, iam perfectiones divinæ non excederent in sua ratione formali creatas perfectiones; cum nullum infinitum formaliter, qua infinitum, excedat aliud; ergò repugnat quod detur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis.

## CAPUT TERTIUM

*Repugnat infinitum in quantitate discreta.*

HVius asserti rationem solidam afferre res penitus difficilis. Potissimas rationes refferam hic, earumque inefficatiam suadebo. Prima ratio illa est, quam proponit Durandus existimans Deum producta aliqua multitudine infinita in aliqua specie determinata non posse aliam producere eiusdem speciei, cuius ratio à priori est, quia infinitum illud est, cuius nihil est extra; sed hæc ratio nullius est roboris; siquidem Deus adhuc posset alia producere, nec verum est quod infinitum illud sit, cuius nihil sit extra, ut superius dixi.

Alii verò repugnantiam ostendunt, quod data multitudine infinita, in ista, neque essent binarii finiti, neque infiniti, non finiti, quia aliàs tota multitudo esset finita, non infiniti, quia tot darentur binarii, quot unitates, cum tam binarii, quam unitates essent infinitæ, sed hæc ratio non urget. dicere enim potest aduersa pars quod essent plures unitates binarii non quidem formaliter, seu in ratione infinitatis, sed solùm materialiter loquendo, quantum ad hoc, quod numerus binarius habet includere duas unitates, & sic binarii non essent æquales binariis sed longè minores, non quidem in ratione infiniti, quia unum infinitum nequit esse maius altero, sed materialiter. Sic huic rationi respondet Pontius.

Nonnulli verò probant, quia talis multitudo non haberet certam, & determinatam essentiam, qua poneretur, & qua ablata auferretur, siquidem partes constitutivæ hujus multitudinis non possent esse omnes finitæ, nam altera ex his partibus ablata, adhuc remaneret infinitum, cum infinitum per detractionem finiti non evadat finitum, nec etiam possent esse omnes infinitæ, cum pariter una ex his ablata remaneret infinitum, quia adhuc remanerent aliæ infinitæ, nec una poterit esse infinita altera finita, quia finita non esset amplius de constitutivo infiniti, cum infinitum per detractionem finiti nunquam evadat finitum; sed etiam hæc ratio, cui adhærer firmiter Spinula, & cum ipso aliquando nos adhærebamus parvi roboris, cum possit fieri satis, dicendo partes talis multitudinis constitutivas esse partes finitas in infi-

nitum

nitum actu, quo sensu certè demi non possunt, nisi tollendo ipsam multitudinem actu infinitam. Præterea hoc idem argumentum si urgeret, urgeret etiam contra multitudinem infinitam in potentia.

Quartò alii ostendunt, quia omne, quod est sub genere, necessario debet esse sub aliqua specie determinata; ergò omnis multitudo producta debet esse sub aliqua specie numeri; sed omnis species numeri est finita, quia constituitur per certam aliquam collectionem unitatum; ergò non potest produci infinita multitudo; Sed ratio hæc ut legitima non recipitur. Primò quia non constat quod omnis multitudo sit in aliqua specie numeri, maximè quatenus est à parte rei talis multitudo. Antequam enim intellectus numeret, non est cur hæc v. gr. numero unitas pertineat potius ad ternarium, quā ad quaternarium. Secundo, quia non omnis species numeri est finita, sed tantum illa, quæ mensuratur per unum, numerus autem infinitus non mensuratur per unitatem; ergò esset optimè numerus infinitus.

Quidam verò ostendunt hanc repugnantiam, quia omne quod producitur à Deo, sub aliqua certa intentione producitur, alioquin temere produceretur; sed omne id, quod producitur sub aliqua certa intentione agentis determinato numero comprehenditur; ergò nequit esse infinitum. Sed etiam hæc ratio non subsistit, quia ut optimè asserit in hac re Ariaga potest etiam infinitum cadere sub certa intentione primi agentis, ut contingeret casu, quo vellet Deus infinitum producere ad ostensionem potentiæ suæ.

Quamplures tandem repugnantiam affectant, quia ex hoc sequeretur, quod data quacumque multitudine infinita, unum infinitum deberet esse altero majus, quod tamen repugnat. Assumptum autem probant, quia non stat additio sine augumento, siquidem hoc ipso, quod alicui multitudini aliquid additur, jam in ea datur plus, quam prius; ergò tota multitudo fieret major. Sed hæc ratio, quamvis ut solida recipiatur ab Aversa, nullius tamen est roboris, siquidem satisfieri in integrum posset, potest dicendo per additionem non addi aliquid quoad infinitatem, seu in ratione infiniti formaliter, atque unum infinitum posse esse inequale alteri quantum ad inclusionem aliquorum. De facto enim numerus compositus ex duobus infinitis includit aliquid ultra illa, quæ includit numerus conflatus ex solo primo digito; sed de hoc infra.

Dices cum Aversa. Repugnat augeri, & minui in ratione totius, & non in ratione infiniti; ergò si sit majus totum, erit majus infinitum. Probatur antecedens, quia infinitum, qua infinitum est formaliter totum. Secundò quia in infinito nequeunt distingui infinitas ipsa, & partes finitæ, ita ut data infinitate hominum dici possit separatim hic sunt infiniti homines, & hæc sunt partes finitæ; ergò si una multitudo esset major altera, planè ipsum infinitum esset altero majus in ratione infiniti. Sed miror quomodo Aversa hic velit efficaciam hujus rationis, quam impugnat defendere, cum etiam apud ipsum, argumentum nullum esse possit; siquidem docet hic Auctor, quod producto infinito in aliqua determinata specie, adhuc Deus posset plura alia creare in eodem ordine, & ab eadem multitudine aliquid auferre.

Modo hac ejusdem doctrina supposita contra ipsum arguo. Illa quæ adhærentur per novam creationem, vel augerent infinitum in ratione infiniti, vel non; si primum dicat; ergò non est absurdum ipsi quod unum infinitum in ratione infiniti sit majus altero, & si non sit absurdum, cur infert, ut tale contra nos; si secundum dicat; ergò est veritas solutionis, nimitum quod fiat additio non in ratione infiniti, sed solùm in ratione totius includentis aliqua, quæ prius non includebat. Ad secundum & ego distinguo in multitudine infinita ex una parte v. gr. homines infinitos, & constituentes multitudinem infinitam, & ex alia partes finitos, sed dico postea quod si addantur plures homines, non augeretur numerus ille infinitus, qua infinitus, sed solum materialiter, ut dictum est.

Hæ sunt rationes, quibus Defensores repugnantiæ infiniti in multitudine, uti solent. Prima, ut monui utitur Durandus, secundâ Joannes à S. Thoma, tertia illustriss. Spinula, quarta omnes Thomistæ, quinta idem Joannes à S. Thoma, sexta Aversa. Prima reprobatur ab Aversa, & Ariaga, secundam, & tertiam nos reprobamus, quarta à Vasquezio, quinta à Conimbricensibus, & eodem Vasquezio, sexta, & ultima à Pontio. Pro conclusione rationem solidam non habeo, paratus tamen sum omnia solvere argumenta, quæ in oppositum afferri possunt.

## CAPUT QUARTUM.

*Repugnat infinitum etiam in quantitate continua.*

Etiam in probatione propositæ propositionis difficilium est apud Auctores. Aliqui enim hanc suadent, quia si daretur linea infinita in extensione, vel totum non esset majus sua parte, vel illa linea finita non esset, siquidem illæ partes, vel essent infinitæ, & sic quælibet pars esset æqualis toto, vel esset finita, & sic linea esse non poteit infinita, quia ex partibus finitis nequit resultare infinitum. Sed hæc ratio, qua Frassen, & Magister Ventura utuntur, nullius roboris est, siquidem defensoribus infiniti in magnitudine remanet locus respondendi partes illas fore finitas in infinitum actu, quapropter qua finitæ sunt, minores sunt toto, qua verò finitæ in infinitum actu, optimè possunt componere infinitum.

Alii verò repugnantiam affectant, quia, si ab una illarum scinderetur, & dertaheretur v. gr. palmus, partes illius lineæ, quæ remanerent inter se deberent esse æquales, vel inæquales: neutrum autem esse possent, non quidem inæquales, quia una pars talis lineæ esset longior altera, & consequenter minus longa non esset infinita; non æquales, nam si partes essent æquales, falsificaretur illud principium mathematicum, *si ab æqualibus inæqualia demas remanent inæqualia*, nam à tali linea cujus partes remanentes essent æquales, tolleretur palmus, qui esset inæqualis utrique parti, quæ remaneret de tali linea, & tamen adhuc partes illæ essent æquales; sed

Etiam hoc fundamentum ineptum est; siquidem pro libito respondere possunt, quod essent inæquales concedendo minus longam esse finitam, nec ex hoc sequitur quod linea non erit infinita, cum hæc non constituatur per solam partem minus longam, sed per plures, & plures in infinitum.


Alii verò repugnantiam corporis infinitè extensi ex eo deducunt, quod tale corpus esset simul mobile, & immobile localiter; mobile, quia haberet rationem naturæ, quæ est principium motus: Immobile verò secundū locum motu recto, quia quod

sic movetur, semper acquirit aliquam partem spatii, quam antea non occupabat; atqui tale corpus non posset novam partem spatii acquirere, occuparet enim omnem locum, cum supponatur infinitum in magnitudine, longitudine, & profunditate; nec dici posset moveri motu circulari, quia, ut aliquod corpus sic moveretur, deberet una pars corporis pervenire ad situm alterius, quod evenire non posset, cum enim partes infinitè distarent inter se, quia infinitè distarent à centro, jam una pars non posset pervenire ad locum alterius, quia infinita distantia est impertransibilis; sed etiam hæc ratio efficaciter non urget, quamvis enim solida videatur Complutensibus, aliis tamen non arridet, videlicet Conimbricensibus, Vasquezio, Joanni à S. Thoma assetentibus, vel tale corpus fore mobile secundùm se ratione intrinseci principii motus, & immobile, ut affectum quantitate continua, vel nullarenus repugnare corpus immobile secundùm locum.

Alii verò, & magis communiter, & præcipuè in schola D. Thomæ repugnare sustinent infinitam quantitatem propter rationem superiori capite tertio loco expensam, quæ utilis esse potest ad ostensionem huius conclusionis, quam.

Ulterius probare placet sic. Repugnat infinitum utrinque terminatum; sed si esset posita magnitudo v.g linea in infinitum extensa, daretur infinitum utrinque terminatum; ergò repugnat magnitudo in infinitum extensa, adeoque infinitum in quantitate continua. Sylogismus est planè conuincens, si tamen utraque præmissa probetur, & quidem de majori non posse dubitari, constat ex eo quod, cum infinitum sit idem, ac carens fine, videtur idem prorsus esse habere terminos, ac esse finitum. Verum ulterius probatur sic. Sit linea infinita inclusa duobus punctis *A*, & *B*, postulatum negare nequit, cum ab illis petatur, qui tenent non repugnare infinitum utrinq; terminatum. In hac linea *A*, ———— *B*, debent esse infiniti palmi ab ipsa extrahibiles, quia alioquin infinitum exhauriretur per acceptiones finitas. Præterea in hac linea debent esse infiniti palmi versus *B*, infinitè distantes à puncto *A*, dessignabiles à Deo, primò quia alioquin Deus non cognosceret omnes, & singulas partes constituentes aliquod determinatum. Secundò quia si aliqui palmi essent non infinitè distantes à puncto *A*, non posset hæc linea esse infinita, modo sic arguo. In hac linea omnes palmi non distant infinitè à puncto *A*, quia certè nec primus palmus habens se immediatè post *A*, nec quinarius, nec centum distant ab ipso infinitè. Assignent ergo Aduersarii post palmos finitè distantes à puncto *A*, palmos infinitè distantes ab eodem puncto. Si non possunt assignari; ergò non sunt, ergo linea non est infinita. Si assignent contra, quia Palmi immediatè se habentes antè palmos assignatos constituunt distantiam solùm finitam; ergò sic per additionem talium palmorum distantia evadit infinita, & sic finitum additum finito facit infinitum.


Probatur secundò eadem maior ducatur linea infinita *A*, *B*, quæ sit




deindè ducatur alia clausa pariter duobus terminis *C*, *D*, hæ lineæ sunt paralelæ, & distantes inter se solùm per unum palmum, deindè à puncto *A*, ducatur diameter ad punctum *D*, tunc sic arguo. Data hac hypothesi, quæ ab adversariis negari nequit, sequeretur quod ultima pars diametri terminata ad punctum *D*, distaret, & non distaret infinitè à puncto *B*, sed hoc est impossibile, ergò impossibile est infinitum utrinque terminatum. Sequela majoris probatur quoad primam partem, quod scilicet infinitè distaret, quia, ut habetur ex 6 Euclidis, duæ lineæ facientes angulum in *A*, in puncto *B*, & *D*, infinitè recedunt ab angulo; ergò in puncto *B*, & *D*, infinitè distant inter se; ergo ultima pars diametri in puncto *D*, distat infinitè à puncto *B*,

Probatur nunc quod secundam partem, quod scilicèt non distet infinitè. Ultima pars diametri terminata ad punctum *D*, tantùm distat à puncto *B*, quantum ab eodem puncto *B*, distat linea *C*, *D*, sed linea *C*, *D*, distant solùm per palmum, adeoque finitè; ergò tantundem solùm distaret ultima pars diametri; ergò non distarent Infinitè, ergò distarent & non distarent infinitè.

Probatur tertiò. Sit triangulus *A*, *B*, *C*, cujus latera sint infinita, & utrinque terminata, ab uno latere ad aliud ducantur lineæ transuersæ paralelæ, & distent inter se solùm per unum palmum, ita ut prima linea distet ab angulo per palmum, secunda per palmum à prima, & sic deinceps usque ad Basim, tunc sic. Si latera talis trianguli essent infinita per additionem unius palmi fieret transitus à finito ad infinitum, & per subtractionem unius palmi ab infinito ad finitum, sed utrumque æquè repugnat; ergo. Probatur sequela. Ab angulo ad Bases lineæ transuersæ ita crescunt, ut aliqua sit infinita, saltem illa, quæ constituit Basim, quia distat infinitè ab angulo, sed non crescunt nisi per unicum palmum, ergò aliqua linea finita per unius palmi additionem fit infinita. Rursus à basi versus angulum non decrescunt lineæ nisi per unicum palmum; sed aliqua ex decrescentibus est finita, quia certè illa, quæ distat uno tantùm palmo ab angulo non est infinita, ergo aliqua linea infinita per subtractionem unius palmi fit finita, quæ omnia absurda sunt. Repugnat ergo infinitum utrinque terminatum, quæ erat maior probanda. Figura autem descripta in hoc discursu sic exponitur




Dices ad hoc cum Ariaga, & Spinula. Sit linea infinita, quæ incipiens hic protendatur in infinitum versus Orientem, deindè diuidatur à Deo in medio: jam sic pars lineæ nobis proxima erit infinita sed erit utrinque terminata, ergò non repugnat infinitum utrinque terminatum, minor patet, quia hic, ubi incipit, habet terminum, ut supponitur, & rursus haberet terminum ex alia parte, ubi esset facta diuisio. Rursus altera pars lineæ in infinitum protensa esset in finita, sed prima pars esset ipsi æqualis; dimidium enim est æquale alteri dimidio; ergò etiam ipsa esset infinita.

Respondeo negando suppositum, nempe quod linea infinita possit diuidi in medio, ratio est, quia medium

medium respicit essentialiter hinc inde terminos; sed linea infinita saltem versus illam partem, secundùm quam est infinita, non habet terminum, ergò neque potest habere medium, ergo non potest diuidi in medio; quia alioquin diuideretur in eo quod non habet; deinde illa linea, ut supponit Ariaga, versus Orientem esset sine termino, quomodo ergo alia pars terminata posset esse ipsi æqualis. Sed quod non potest diuidi in duas partes æquales non potest diuidi in medio; ergò

Dices cum Spinula, saltem Deus posset lineam illam diuidere; ipse namque utramque medietatem conseruat, & quidem quâlibet diuersa actione, adeoque poterit cessare à conseruatione unius medietatis, & sic postea videbit punctum diuisionis, ultra quod linea, quæ prius protendebatur, postea non protenditur amplius.

Contra est, quia si Deus illam lineam diuideret illius medietates essent, & non essent amplius infinitæ. Essent, ut supponitur, & quia essent medietates infinitæ, non essent autem, quia finirentur punctis, & quia recurrerent argumenta omnia suprafacta contra infinitum utrinque terminatum; ergo semper stat infinitum licèt utrinque terminatū repugnare.

Probatur nunc minor superioris præcipui argumenti, nempe quod si esset in infinitum actu in quantitate continua daretur infinitum utrinque terminatum: sit linea, quæ incipiens hic in puncto *A*, ——————————— protrahatur in infinitum. Hoc posito interrogo an in tali linea sit aliquis palmus, qui distet infinitè à puncto *A*, vel non, si secundùm, ergo talis linea non est infinita, est enim impossibile, quod sit in infinitum protensa illa linea, cujus nulla pars distat infinitè à primo puncto; Si primum, ergo extensio infinita clauditur duobus terminis. Consequentia probatur, quia illa linea clauditur intra punctum *A*, in quo incipit, & partem illam, quæ infinitè distat à puncto *A*, sed illa linea est infinita, ergo aliqua linea infinita clauditur intra duos terminos.

Dices in præfata linea secundùm illam partem, secundùm quam protrahitur in infinitum non posse assignari ullam partem determinatam, secundùm quam infinitè distet à suo principio; ergo ruit argumentum. Antecedens probatur, quia sicuti in numeris finitis in infinitum procedentibus non potest assignari ulla determinata species numeri finiti, quæ infinitè distet ab unitate, ita nec in quantitate continua extensa in infinitum assignari potest ulla pars, quæ infinitè distet à prima; Sed

Contra est, quia in linea categorematicè infinita, vel aliqua pars distat infinitè à prima, vel non? Si secundum, ergò linea non est infinita, quia quidquid continet illa linea constituit solùm finitam distantiam. Si primum cur quæsò, cum talis pars habeat consistentiam, & actualitatem, non potest videri saltem à Deo sicuti ab ipso, in illa per adversarios, videtur medietas, ut retulimus ex Spinula. Ad paritatem verò dicò maximam esse disparitatem inter numeros, & lineam actu infinitam, nam cum linea actu infinita habeat totum suum esse actuale, ideoque destructiuum determinatè assignabile existentiæ, ac proinde quidquid in ipsa est determinatum, est & per consequens determinatè assignabile. At numeri procedunt per infinitum solùm syncategorematicè, cum existentia nunquam depurata à possibilitate, ideoque quod de ipsis actù est, semper est aliquod finitum, & determinatum, quod verò remanet in potentia, semper aliquod indeterminatum, nunquam sub vnica collectione assumibile. Hinc cum numeri non sint determinati secundùm collectiones, quæ accipi possunt, ideò quicunque numerus determinatè assignabilis distat ab unitate tantum finitè.

## CAPUT QUINTUM

*Diluuntur argumenta, quæ se opponunt statutis conclusionibus.*

ARguunt primò nonnulli. Si Deus esset agens necessarium, ex necessitate ageret secundùm ultimum suæ potentiæ, ac proinde tunc produceret omnia, quæ posset, ad quæ se extendit omnipotentia; ergò tunc crearet infinitum in actu, omnia nempe possibilia, quæ in divina essentia actu repræsentantur, sed Deus non est minus potens, ut agens liberum, quàm si esset agens necessarium; ergò si tunc posset producere infinitum in actu, & nunc debet posse.

Confirmatur; potentia Dei est infinita simpliciter, & categorematicè; ergò poterit producere effectum infinitè perfectum; probatur hæc consequentia, potentia finita debet posse attingere finitum effectum, & quo perfectior est, debet posse perfectiorem producere; ergò, quæ infinitè fuerit virtutis, poterit infinitam perfectionem effectui communicare.

Gabriel à Sancto Vincentio sufficienter existimat argumentum hoc solui, negando Deum producturum fore omnia possibilia collectiuè, etiam si foret causa necessaria quoad effectus ad extra, quia sicuti, quamuis supponamus Deum esse agens necessarium quoad entia successiua, tamen ipsa simul producere nequit; sed solùm successiuè tcluctante eorum natura, ita data proportione in permanentibus, adhuc simul ipsa non posset producere,

Sed hæc solutio quoad secundam sui partem, parui roboris est. Arguens enim respondere potest, ideò Deum non posse producere integram collectionem successiuorum simul, quamuis esset causa necessaria, quia obstaret specialis repugnantia, quæ inuenitur in simultanea coexistentia successiuorum, quæ certè repugnantia, cum non inspiciatur in permanentibus, profectò non tenet solutio.

Alia ergò uia soluitur argumentum, insistendo negationi maioris, cuius negationis ratio est, quia necessitas adueniens causæ liberæ non necessitat ipsam, nisi ad illos effectus, qui in ipsa præcontinentur, cum autem creaturæ sub unica integra collectione in omnipotentia non contineantur, quia ut sic non sunt possibiles; hinc sequitur, quod causa prima etiam considerata, ut necessaria, non produceret integram collectionem.

Ad confirmationem ne superflua existimaretur virtus infinita omnipotentiæ, non obstante impotentia ad producendum infinitum categorematicum, sunt, qui dicunt adhuc ipsam frustraneam non esse, quia de eius ratione tantùm est posse efficere maius, & maius sine certo termino, quod certæ non conuenit virtuti solùm finitè. Ita Auersa, & alii. Alii verò docent quod quamuis causa univoca debeat posse producere unum aliquem effectum, in quo tota eius virtus splendeat non tamen agens equiuocum, cuiusmodi est Deus, sic Henricus in summa *art*: 35 *quæst*: 6. ut optime aduertunt etiam Patres Conimbricenses. Alii verò dicunt frustaneam non esse virtutem, omnipotentiæ non obstante impotentia producendi infinitum cate-

categorematicum, quia infinitas virtutis manifestaretur, quoad modum ipsum effectum producendi. Sic Henricus, Diuus Thomas, & Scotus. Quibus solutionibus aliquid addere placet, dicendo virtutem ipsam omnipotentiæ adhuc non fore frustra neam, quamuis ipsa Deus non possit in ordine ad effectus ad extra adæquatè uti, sicuti species Angeli superioris, qua Angelus inferior superiorem cognoscit, superflua non est, quamuis ipsa Angelus inferior non possit adæquatè uti, & virtus meritoria in Christo superflua non est, estò ipsa Christus non possit adæquatè uti, & essentia divina, ut fæcundans intellectum Beati, non est superflua Ipsi Beato, quamuis ipsa adæquatè uti nequeat.

Arguunt secundo alii. Omne creabile collectivè sumptum est infinitum, sed omne creabile etiam collectivè sumptum est possibile; ergò omne creabile etiam est infinitum est possibile. Probatur minor, nam omne creabile etiam collectivè acceptum est creabile; sed creabile est possibile; ergò omne creabile etiam collectivè sumptum est possibile.

℞. Cum tota efficacia hujus argumenti consistat in illa propositione, quæ est minoris probatio, nimirum *omne creabile collectivè sumptum est creabile*, non incongruum esse existimo hanc explicare. Duplex itaque sensus esse potest hujusmodi propositionis. Primus quod omne creabile etiam collectivè sumptum sit creabile de se, sive ratione sui. Secundus verò, quod omne creabile etiam collectivè acceptum sit creabile. In secundo sensu falsa est, cum enim tota collectio integra creabilium non sit creabilis, consequenter non poterit aliquod esse creabile cum tota collectione; sed

Instabis, collectio resultans ex solis possibilibus nequit esse impossibilis, sed collectio omnium possibilium est collectio ex solis possibilibus; ergò. Probatur major multipliciter. Primò collectio resultans ex solis dependentibus, nequit esse independens: secundò collectio resultans ex solis sensibilibus, nequit esse insensibilis, & collectio resultans ex inanimatis, nequit esse viventium; ergò à pari collectio resultans ex solis possibilibus nequit esse impossibilis. Probatur hæc consequentia: ideò collectio ex sensibilibus nequit esse insensibilis, quia collectio est, veluti subjectum denominatum denominatione desumpta à partibus, quas colligit, hinc cum partes sint sensibiles, & collectio sensibilis, esse debet; ergò cum in collectione possibili partes sint possibiles, & collectio denominabitur possibilis.

Confirmatur, impossibilia, si per impossibile venirent sub unica integra collectione, non transirent de esse impossibili ad esse possibile, sed retinerent esse impossibilis, ita ut etiam collectivè essent impossibilia; ergò etiam possibilia si venirent sub unica collectione non evaderent impossibilia, sed remanerent possibilia.

Respondeo verum esse collectionem desumere denominationem à partibus ipsam constituentibus, eo tamen modo, quo ipsam constituunt. Unde collectio quælibet denominationem desumit à suis partibus, non utcumque acceptis, sed simul; cum partes solum simul acceptæ constituant collectionem. Modo possibilia collectivè accepta, non sunt possibilia, sed impossibilia, sicuti numeri sub unica integra colllectione accepta, non sunt possibiles, sed impossibiles. Hoc ipso autem quod possibilia collectivè accepta non sunt possibilia, nil mirum, quod collectio impossibilis dicatur. Ad paritatem autem dico, quod ideò ex sensibilibus non resultat collectio insensibilis, quia sensibilia sunt sensibilia, ne dum distributivè, sed etiam collectivè, & sic sunt sensibilia, etiam sub illa ratione, sub qua constituunt collectionem: at nõ sic loquendo de possibilibus. Quod si quæras quare sensibilia etiam collectivè sint sensibilia, facilis est responsio dicendo hoc evenire, quia etiam collectivè sunt affecta accidentibus, vi quorum res quælibet dicitur sensibilis; at verò simul non sunt creaturæ possibiles, quia simul non important solùm suum esse seorsim ab aliis omnibus collectivè, secundum quod tantum sunt creaturæ possibiles. Confirmatio autem potius nobis favet, siquidem quemadmodum impossibilia illa sub unica integra collectione, adhuc perseverarent impossibilia ratione sui, non verò ratione collectionis, quæ ut supponitur, esset possibilis, ita possiblia sub unica collectione adhuc perseverarent possibilia ratione sui, non verò ratione collectionis integræ, quæ est impossibilis.

Arguunt tertiò alii. Deus potest producere omnes homines, quos videt, sed Deus videt omnes, itaut nullus sit, qui non videatur; ergò Deus potest producere omnes, adeout nullus superfit producendus; sed hoc ipso daretur infinitum categorematicum; ergò. Confirmatur. Deus videt omnes homines possibiles collectivè; ergò potest illos simul collectivè etiam producere.

Respondeo in primis non valere à cognitione alicujus objecti ab ejusdem productionem, cum prima in plausibili sententia terminari possit ad impossibile, secus verò secunda. Secundò dico Deum posse producere omnes homines, quos videt eo modo solum, quo videt ipsos, ut possibiles; collectivè autem non sunt possibiles, sed solum distributivè. Unde ad confirmationem existimo, quod cognitio divina terminata ad omnes homines possibiles sub unica collectione, sit cognitio terminata ad objectum chimericum. Cognoscit utique Deus homines possibiles esse infinitos, quatenus cognoscit quod quolibet homine producto alii, & alii in potentia inconsumabili semper remaneant, itaut prædicatum infinitatis applicetur non hominibus collectivè acceptis (sic enim non sunt possibiles) sed applicetur ipsis distributivè acceptis, qui tunc distributivè accipiuntur, cum ita accipimus unam partem, ut non excludamus alias, & consideramus quid illi conveniat non ratione sui tantùm, sed etiam prout simul cum aliis.

Arguunt quartò Patres Reichenbergat, & Compronius Societatis Jesu. De facto datur infinitum in negationibus, tam quoad multitudinem, quam magnitudinem, & aliquo modo quoad intensionem; ergò non repugnat. Probatur antecedens, nunc non existunt infinitè entitates possibiles; ergò existunt earum negationes, cum quovis instante existere debeat alterum ex contradictoriis, seu res, aut rei negatio.

Confirmatur licet negatio numeri non sit numerus, tres tamen negationes Equi, scilicet Leonis, & Cervi, conficiunt numerum ternarium negationum, non minus, quam Equus, Leo, & Cervus conficiunt numerum ternarium rerum positivarum: sic negatio extensionis est, & ab æterno fuit undique diffusa, & suo modo extensa. Ubicumque enim non est res, est negatio rei.

Respondeo omisso nunc dari infinitas negationes actu, cum sententia sit satis plausibilis, omnes entitates possibiles negari per unicam negationem, dico adhuc argumentum non urgere, quia negationes nihil sunt, itaut nedum non sint res ipsæ

quæ

quæ negantur, sed nec etiam aliquod impossibile, cum ipsa re, quæ negatur: impossibilitas autem infiniti categorematici in creatis desumitur, eo quia esset aliqua res creata actu infinita, negationes autem nō sunt quid creatum; cum nullius actionis sint primò, & per se terminus. Sed circa hoc argumentum vide Caramuelem in sua Logica obliqua.

Obiicies quintò; repugnantia, quæ oritur ex reali positione alicuius, vel se tenet ex parte causæ, vel ex parte effectus, seu vel est intrinseca causæ, vel effectui, sed infinitum categorematicum, siue sit in quantitate discreta, siue in quantitate continua, ex neutro capite repugnat; ergò. Maior est regula infallibilis ad inquirendam cuiuslibet rei repugnātiam. Probatur ergò minor, & quidem quoad primam partem, omnino certa est: siquidem effectus repugnare nequit ex parte illius causæ, in qua præcontineri potest; sed effectus quilibet actu infinitus præcontineri potest in potentia Dei; cum hæc sit simpliciter infinita, ergò ex parte causæ nulla est repugnantia. Quod verò non repugnet ex parte effectus, ostenditur, primò quia tale infinitum non est infinitum simpliciter, & in omni genere, sed solùm in aliqua linea determinata, nempe, vel in numero, vel in magnitudine. Secundò quia hoc infinitum haberet essentiam finitam, & limitatam, positam in prædicamento quantitatis, vel qualitatis. Infinitas enim est potius affectio quantitatis, quàm ipsius destructio.

Respondeo falsam esse minorem, quoad secundam partem, ad cujus geminatas probationes per partes respondeo, infinitū repugnare etiā in determinata linea, quæ, repugnantia superius fuit ostensa. Ad secundam verò dico, quod quamuis hæc repugnantia infiniti non appareat attenta quantitate, & qualitate infinitè intensa secundùm essentiam, apparet tamen, si diligenter inspiciantur ea, quæ necessariò sequerentur ex ipsa utriusque infinitate.

Arguit sextò Pontius. Omnis collectio entium realium potest simul poni à parte rei, nisi sit aliqua impossibilitas inter eius partes, sed non est ulla incompossibilitas inter partes collectionis infinitorum hominum, aut infinitarum partium continuatarum unius lineæ; ergo. Probatur minor, quia non est incompossibilitas inter illas partes, nisi vel ex ratione sua specifica, aut indiuiduali, vel ex ratione infinitatis; sed non est incompossibilitas inter illas ex ratione specifica, aut indiuiduali, alias collectio duorum hominum, aut duarum linearum, nequiret esse simul, nec ex ratione infinitatis, quia datur infinitum sincategorematicum à parte rei, nec oriri potest ex ratione infinitatis particularis, nimirum categorematicè, nisi ostendatur aliqua particularis repugnantia, quæ sequeretur ex positione hujusmodi infinitatis, qualis non sequeretur ex positione infinitatis sincategorematice; ergò non est ulla incompossibilitas.

Hoc argumentum sic relatum casu accidit me legisse, dum aduersus Scotistam defendentem impossibilitatem infiniti, arguere debebam. At reuera argumentum, nisi aliquid addatur nullius roboris, est, siquidem oppositæ sententiæ defensores satisfacere facilè possunt dicendo implicare infinitum categorematicum, qua categorematicum, atque pro eius implicantia adesse rationes, quæ adaptari nequeunt sincategorematico. Quapropter, ut vis argumento conferatur, sic roborari posse existimo. Infinitum ut sic non repugnat; ergò nec infinitum categorematicum repugnabit. Antecedens negari nequit, alias si infinitum ut sic, seu abstrahens à categorematico, & sincategorematico repugnaret, implicaret quoque sincategorematicum. Probatur itaque consequentia: non stat non repugnare infinitum ut sic, & repugnare infinitum categorematicum; ergò. Probatur antecedens: non stat non repugnare esse ut sic, & repugnare esse simpliciter vel secundum quid; ergò. Probatur hæc consequentia: non minus esse simpliciter, & esse secundum quid sunt differentiæ diuidentes esse ut sic, quam infinitum categorematicum, & sincategorematicum sint differentiæ diuidentes infinitum ut sic; sed esse simpliciter, & esse secundum quid, taliter sunt differentiæ diuidentes esse ut sic, ut ipso esse, ut sic non repugnante, etiam eiusdem differentiæ non repugnent in esse reali; ergo etiam.

Sic arguendo videtur fortius arguit, quapropter hoc argumentum proposui, dum arguebam quibusdam in Thesibus: quod ut in integrum soluatur aduerto totum retorqueri posse in ipsa ratione entis, ostendendo simul non implicare ens rationis metaphysicum, consimili arguendi forma, hoc medio. Ratio entis, ut sic non repugnat; ergò nec etiam repugnare debebunt in esse reali membra immediatè ipsum diuidētia; sed membra immediatè diuidentia ens ut sic, sunt ens reale, & rationis; ergò utrumque ens non repugnabit, cum tamen unum ex his impossibile sit, nimirum ens rationis metaphysicum. Antecedens certum est. Consequ. verò ostendi potest iisdem probationibus, quibus deducta est possibilitas Infiniti categorematici. In forma itaque pro omnibus dico tunc benè inferri posse ex non repugnantia generis, etiam non repugnantiam membrorum diuidentium, quando membra diuidentia secundum id, quod specialiter dicunt supra rationem genericam non repugnant, ut euenit in ipso esse simpliciter, & esse secundùm quid. Utrumque enim ex his secundùm id, quod addit supra rationem essendi non repugnat; at in casu infinitum categorematicum in creatis secundùm id, quod addit infinito ut sic, est quid repugnans.

Arguunt septimò alii. Si per impossibile omnia possibilia existerent daretur infinitum categorematicum, ergò cum de facto omnia possibilia sint in linea possibilitatis in ipsa datur infinitum categorematicum. Probatur consequentia, ex possibilibus nullum est, quod non sit possibile.

Respondeo, quod ad hoc ut in statu possibilitatis sit infinitum categorematicum, opus esset quod in statu possibilitatis essent ipsa possibilia sub unica integra collectione, non verò solum per plures. Cum veritate autem huius propositionis *ex possibilibus nullum est, quod non sit possibile*, componimus nos etiam veritatem huius alterius *præter omnia possibilia, est aliquid aliud possibile*: quemadmodum cum hac propositione: *nullus est numerus qui non sit possibilis*, necessariò componimus huius alterius veritatem: *præter omnes possibiles, est alius possibilis*.

Arguunt, ultimò. Ideo repugnat productio omnium possibilium collectivæ sumptorum, quia in ordine ad ipsam productionem exhauriretur diuina omnipotentia, sed quod per productionem possibilium collectiuè exhauriatur eius diuina omnipotentia non repugnat; ergò. Probatur minor, non implicat virtutem causæ exhauriri per effectum sibi adæquatum, sicuti non repugnat potentiam exhauriri per obiectum suum adæquatum; sed infinitum in actu est terminus adæquatus correspondens virtuti categorematicè infinitæ; ergò nullatenus repugnat ipsam exhauriri per actualem productionem omnium possibilium. Probatur maior paritate, non implicat

eat potentiæ intellectiuæ, ita cognoscere cognoscibilia, ut nihil remaneat cognoscendum; ergò neque repugnabit &c. Probatur hæc consequentia: non minus exhauritur potentia intellectiua in ordine ad cognoscibile per cognitionem omnium cognoscibilium; ac exhaurietur omnipotentia per productionem omnium possibilium; sed non repugnat, quod intellectiua exhauriatur per cognitionem omnium cognoscibilium; ergò nec etiam quod virtus omnipotentiæ, exhauriatur per productionem omnium possibilium. Et ratio totius est, quia tunc non exhaurietur omnipotentia, sicuti non ex hauriretur scientia diuina per cognitionem totius cognoscibilis, sed potius perficeretur per exercitium totius virtutis, & esset in perfectissimo actu.

Respondeo causalem allatam in maiori prioris sylogismi falsam esse, cum repugnantia infiniti in actu non sit ex parte causæ primæ, quæ de se est etiam causa producens infinitum, si hoc in creatis esset possibile. Sed nihilominus causali omissa, adhuc argumentum non urget, siquidem dici potest, quod estò non incongruum sit causam ex hauriri per effectum sibi adæquatum, quin imò hoc necessarium sit, alias si causa ipsa per effectum non exhauriretur, iam talis effectus non esset causæ adæquatus contrà hypothesim; quemadmodum si indigentia effectus non expleretur per unicam causam, iam ipsa causa relatè ad talem effectum non esset totalis. Causa tamen prima in talem effectum exire nequit, cum de eius ratione sit, ita ad extra agere, ut semper remaneat aliquid agendum, & ita se comunicare, ut semper verum sit quod ulterius sit communicabilis, quod non verificaretur data productione totius producibilis. Ad paritatem vero facilis est disparitas. Ideo enim intellectus diuinus sua scientia infinita, ita omnia cognoscit, ut nihil remaneat cognoscendum, quia ipsa, nedum est infinita in linea intelligendi, verum etiam est potentia necessaria, & cuius ratione est agere quantum potest, & sic cognoscere omne cognoscibile proportionatum actuali actiuitati potentiæ intellectivè infinitæ: at omnipotentia ita est infinita, ut tamen sit libera in ordine ad effectus ad extra, cujus libertas non solùm in hoc consistit, quod ita agat ad extra, ut etiam possit non agere, sed etiam in hoc quod effectu quolibet dato sit ipsi libertas ad perfectiorem producendum, quod non verificaretur, si omne producibile collectivè esset possibile.

Esset & alia objectio ostendens qualitatem nedum posse esse actu infinitam, secundum intensionem, sed etiam de facto dari, ut patet in ipsa Christi gratia, quæ cum extendatur ad iustificandos homines infinitos, non potest non esse infinita, cum nullum finitum extendi possit ad effectum infinitum. Sed hic arguendi modus inefficax est, primò quia gratia Christi finita est in genere entis, quamuis infinita sit in esse gratiæ. Secundò quia, nec gratia Christi fuit categorematicè infinita, sed solum fuit inter possibiles sumè possibilis, ut sustinet *Scotus dist. 13. quæst. 4. ad primum*.

Quæres hic, an sit possibile infinitum sincategorematicum. Respondeo assertiuè primò ex Henrico *art. 44. quæstione prima* illis verbis. *Infinitum, quod contingit in creaturis esse, est infinitum in potentia tantum, & hoc non tali potentia, quod aliquando possit esse acta secundum totum, sicuti possibile est esse statuam, sed in tali potentia, quæ sic deducitur ad actum, quod semper manet in ipso potentia secundum partem aliquam actui admixtam*. Secundo ratione constabit, ex divisibilitate continui in suas partes, & penes durationes Angelorum, animæque rationalis futuras.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum unum infinitum esse possit majus altero formaliter inspecto, vel solùm materialiter.*

In hac difficultate breviter expedienda, duas conspicio inter se oppositas opiniones, prima est illa Ariagæ, Oviedo, Maygnan; aliorumque asserentium unum infinitum esse posse altero majus, quibus adheret Illustrissimus Spinula. Secunda verò sustinet hoc esse impossibile, loquendo de infinito formaliter inspecto seu in ratione infiniti, & pro hoc stant magis communiter Auctores. Huic secundæ adheremus, quæ primò ostenditur infinitum, qua infinitum, in ea ratione, in qua est infinitum importat carentiam termini, sed si unum infinitum posset esse altero majus, istam carentiam non importaret, cum in illa parte in qua majus excederet minus, minus terminaretur; ergò. Secundò, quia infinitum, qua tale ex genere importat infinitas partes actu, si sit categorematicum, in potentia verò, si sincategorematicum; sed nulla est reperibilis multitudo, quæ importare possit plures partes, quam illa, quæ importat infinitas prout infinitas; ergò nulla est multitudo, quæ possit esse major infinita, qua infinita est.

Dico secundò unum infinitum esse altero majus materialiter. Ad hoc probandum sufficiens est explicare, quid sit unum infinitum esse altero majus materialiter. Data enim explicatione mox evadit evidens assertum; quidam enim dicunt unum infinitum esse majus altero materialiter, esse formalissimè, quod aliqua includat ultra ea omnia, quæ includit aliud, quæ inclusio non conducit ad majorem habendam infinitatem. Alii verò dicunt unum infinitum esse majus altero materialiter, ut sustineant totum majus esse sua parte; si enim v. gr. in multitudine infinita palmorum non essent plures palmi, nec formaliter, nec materialiter, quam semipalmi, jam totum, idest palmi, non esset majus sua parte, idest semipalmis; nonnulli verò sustinent inequalitatem materialem in hoc consistere, quod plures sint rationes in uno, quam in alio, non tamen in ratione infiniti: ut in multitudine infinita hominum sunt plures digiti, quam oculi, tamen non plures sunt digiti, quam oculi, ut infiniti, cum tam oculi, quàm digiti dicerent termini privationem. Hanc ultimam accepto explicationem, contra quam.

Arguunt primò aliqui; producto infinito hominum potest Deus alios homines, illi addere; ergo est capax augumenti. Antecedens patet, quia infinitum illud hominum non continet omnes homines possibiles, nec enim infinitum illud est, cujus nihil est extra. Probatur itaque consequentia, infinitum per additionem continet aliquod ulterius, quod habebat in priori; ergo factum est majus se ipso.

Quod si dicamus tale infinitum fore majus materialiter, non verò formaliter in ratione infiniti, quia dari nequit majus infinito, qua tali, arguunt contra, primò quia numerus, qua talis formaliter ex unitatibus replicatis coalescit; ergo ad multiplicationem unitatum formaliter evadet numerus major. Patet hæc consequentia, quia est impossibile quod aliquis numerus habeat plure unitates, &

major

major formaliter non fit, alias esset causa formalis majoritatis sine effectu suo formali, nimirum multiplicatio uolatum absque numeri multiplitatione.

Secundò, quamuis unus oumerus infinitus non possit dici maior altero in numero determinatè, itaut possimus dicere infinitum oculorum continer tot uoitates, infinitum verò hominum tot alias, potest tamen dici maior in determinata proportione numeri, quia verum est hoc, *numerus infinitus oculorum est duplo maior infinito numero hominum*; ergò unum infinitum esset altero maius.

Tertiò si Deus producat infinitum hominum, quemlibet cum æquo, & deindè destruat Deus mile æquos, tunc infinitum hominum excederet infinitum æquorum secundum mille unitates, ergò infinitum excedere potest aliud infinitum.

Quartò si continuum haberetur per puncta Zanonis, ad istorum multiplicationem, augeretur etiam ipsa quantitas; ergò quia multitudo augetur per additiooem unitatis, non stat, quod plures addantur unitates, quin ipsa augeatur.

Quintò quia de facto quamvis quælibet offensa grauis irrogata Deo, sit simpliciter infinita, nihilominus offensæ non sunt æquales in grauitate, & offensa, sed una est altera maior. Deus enim profectò magis offenditur ab illo, qui Eucharistiam Sacrilegæ recipit, quam abeo, qui simplex jejunium frangit.

Sextò, quia in linea cognitionis comprehensiue una potest aliam excedere; ergò etiam in linea infiniti unum aliud superare poterit. Antecedens liquet in cognitione, qua Deus comprehendit v. g. Formicam, quæ certè excedit cognitionem illam, qua Angelus eandem Formicam comprehendit. Consequentia vero evidens est, quia si unum infinitum excedere nequit aliud, quia in illa parte, in qua excederet aliud, illud finitum esset, pariter si una cognitio comprehensiua aliam excederet in ea parte, in qua una aliam, excedit, alia deficeret, sicque non adæquaret totam intrinsecam cognoscibilitatem.

Respondeo optimam esse solutionem allatam, quæ certè non inualidatur per subsequentes instantias, non quidem per primam, quia tuoc numerus formaliter fit maior per additionem unitatis, quando est capax huius maioritatis, ut evenit in numero 45. cui si addas ternarium, ideo formaliter fit maior, quia capax est augumenti formalis: at verò numerus infinitus, qua talis capax augumenti non est, unde quamuis addantur aliæ unitates formaliter, maior non evadit. Secundò dici posset, quod fiat maior formaliter, non quidem in ratione infiniti, cum hoc consistat in indiuisibili, sed in ratione numeri præcisè ob rationem, quæ in argumento affertur. Quod verò additur reperibilem non esse causam formalem absque suo effectu formali, adeoque excessum io unitate, tanquam causa formali absque excessu io numero. Respondeo hoc verum esse, quoties in quantitate discreta capacitas est ad talem excessum non verò si noo adsit, ut io casu. Infinitum enim noo est capax augumenti in ratione infiniti, propter cuius incapacitatis præsentiam humanitas per verbi subsistentiam non redditur infinite subsistens, quamuis hæc sit infinita in linea subsistentiæ.

Ad secundùm fateor unum infinitum esse posse majus altero in determinata proportione numeri, ut v. g. numerus infinitus oculorum est duplo maior infinito numero hominum, non tamen in ratione infiniti, cum utrumque dicat carentiam termini, ubi autem in utroque est carentia termini, in uno esse oequit excessus supra aliud.

Ad tertiam dico illud infinitum, qua infinitum nō excedere aliud infinitum, quia non obstante illa ablatione decem æquorum, Æqui adhuc essent actu infiniti, & sic adhuc cum carentia termini. Ubi autem est carentia termini in utroque secundùm eamdem rationem, unum nequit excedere aliud, vel si excederet, non excederet infinitum hominum, qua infinitum, infinitum Æquorum, qua pariter infinitum æquorum, sed secundùm aliam inspectiooem, oempe quatenus importat plus altero numerum millenarium, quod non est excedere qua infinitum. Per quod patet ad quartam Instantiam.

Ad quintam verò non unica est solutio. Prima, & potissima procedit negando suppositum. Nolumus enim cum Thomistis offensam in peccato esse simpliciter infinitam. Secunda verò solutio juxta principia Thomistarum est offensam secundùm illam rationem, secundùm quam infinita est, non excedi ab alia. Ratio est, quia offensa gravis, infinita est in ratiooe offensæ formalis, & passive, seù prout est priuatio supremi dominii, quod Deus haber, ut honoreturà creaturis, quæ cum effectivè tollatur à peccatore per quodlibet peccatum lethale, quo à Deo ultimo fine avertitur, fit quod omnes offensæ sint simpliciter æquales secundùm quod infinitæ sunt, & consequenter, quod una non excedat aliam: estò deindè secundùm malitiam moralem, quam capiunt ab objectis, & circumstantiis, simpliciter finitæ sint, & inter se inæquales, ut optimè in hac re docent Salmaticenses *tract. 21. de Incarnatione disp. de necessitate Incarnationis §. 6.*

Ultima tandem soluitur, si aduertamus, quod tam creata, quam increata cognitio comprehensiva non se excedunt attenta cognoscibilitate intrinseca objecti, cum quælibet expleat totam intrinsecam objecti cognoscibilitatem, quamuis postea sola cognitio diuina expleat etiam cognoscibilitatem extrinsecam, ut optimè aduertit noster Lodigerius *lib. 2. disp. 4. quæst. 2. cap. 2.*

Nec tandem obstat, quod ulterius addunt alii videlicet humanitatem assumptam esse infinitè sanctam; & nihilominus esse minus sanctam, quam sit ipsa divinitas; siquidem humanitas est infinitè sancta in genere sanctitatis participatæ; divinitas vero imparticipatæ & à se: oulla autem est repugnantia in hoc, quod unum infinitum io uno genere minus sit altero infinito in alio genere.

Quæres hic pro integro complemento, utrum infinita inter se possint comparari, & comensurari.

Respondeo affirmatiuè. Ratio à priori est, quia comparatio duorum consistit in hoc, quod vel alterutrum excedatur ab alio, vel neutrum excedatur, sed duo infinita ita se habent, ut neutrum excedatur ab alio in illa ratione, in qua sunt infinita; ergò benè poterunt inter se comparari.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Vtrum sit possibilis creatura perfectissima.*

Circa hanc difficilem controuersiam duplex adest sententia. Prima possibilitatem adstruit creaturæ perfectissimæ inter omnes creaturas possibiles. Hanc sequuntur quam plures, quos refert & sequitur Artiaga, ipsamque etiam tenet Emanuel Maygnan *in sua phylosophia naturæ cap. 12.* ubi de infinito. Secunda, & verior negatiua est, cui adhærent ex Societate Antonius Beroaldus de Quiros *tract. 3. Physic. disp. 64.* Oviedo in animastica *contr. 6. cap. 7.* Ri-

Richardus Lynceus *tract. 3. cap. 2.* Conimbricenses *in Physica quæst. 3. cap 8.* Ex Thomistis verò quamplures, quos inter Complutenses *disp. 18. de infinito* Diuum Thomam referentes. Ex Scotistis verò Mastrius *disp. 10 quæst. 2. in Physica*, & alii, quamuis apud ipsos dissidium sit de Scoti mente ut novissimè advertit Sebastianus Dupasquier in *Physica disp: 18 quæst. 3.* contendens Scotum in speciebus admisisse statum, vel creaturam perfectissimam.

Ego tamen circa hanc difficultatem mediam incedebam uiam, & docebam in essentialiter ordinatis creaturam perfectissimam fore assignandam, negandam tamen in accidentaliter ordinatis, atamen ob quam plura temporis decursu excogitata, meliorem, & fortasse veriorem, & minus inextricabilem elegi sententiam, quam secundam esse firmiter teneo, cuius veritatem brevissimè suadeo hoc sequenti capite.

## CAPUT PRIMUM.

*Inter omnes creaturas possibiles non est possibilis omnium perfectissima.*

IN hoc erraverunt Complutenses, Mastrius, & nõnulli ex Patribus Societatis, quod existimarent assertum hoc Henrico dissonum esse. Errauerunt inquam, quia circa hanc difficultatem nihil determinat Doctor *Quodl. 8.* ( loco ab adversariis adducto) quod patet ex his verbis: *de hoc tamen nihil determino, nec ea, quæ hucusque proposui intendo proposuisse determinando, sed solum investigando, & proponendo lectori, quod mihi videtur magis aplicabile animo nihil tamen super hoc iudicando.* Sed quidquid sit de hoc, sententia, quam nouiter propugno, adeo vera est, ut aliqui non desint auctores, qui ipsam firmant ex Patrum oraculis. Videatur relatus Richardus Lynceus Dionysium Areopagitam per extensum referens. Ab his tamen Patrum oraculis inpræsentiarum abstinemus, rationem unicè inuestigantes, qua solidè firmetur nostra sententia: & hæc illa sit, cui communiter arident nedum Diuus Thomas, & Thomistæ, sed etiam omnes Scotistæ, aliique in Schola Societatis idem amplectentes assertum, quod sub hac forma proponitur. Quælibet creatura producta, & producibilis ita participat Dei perfectionem, ut hanc non adæquet; vel exhautiat; ergò erit possibilis alia perfectior, tum ex parte Dei producentis, tum ex parte creaturæ producibilis: hæc enim cum excessu in perfectione supra priorem creaturam non pugnat. Antecedens probatur, quia in Deo ratio entis (sicuti, & quodlibet aliud prædicatum) talis est, ut includat essentialiter omnem perfectionem entis; in creatura verè non ita reperitur, sed potius est definita, & limitata ad aliquod genus perfectionis; ergò non adæquat Dei perfectionem, sed infinitè ab ipsa distat. Prima vero consequentia patet, & præcipuè quoad primam partem, siquidem quoties effectus aliquis non adæquat perfectionem causæ, potest causa in perfectiorem erumpere effectum, sicquia intellectio perfecta ut tria non adæquat actiuitatem intellectus perfectam ut sex, potest eadem actiuitas erumpere in perfectiorem intellectionem.

Huic rationi respondent nonnulli, quod estò Deus produceret aliquam creaturam, ut perfectiorem producere non posset, nihilominus adhuc esset infinitè participabilis. Primò, quia hæc repugnantia ad ulterius magis participari non orietur ex parte Dei. Hic enim quatenus est de se est infinitè imitabilis, sed unicè prouenitet ex parte creaturæ, quæ essentialiter limitata est.

Secundò, quia etsi adesset status in speciebus, adhuc esset ulterius participabilis à creatura, quia estò non posset perfectiorem producere, adeoque se magis communicare, quoad perfectionem intensiuam, posset tamen adhuc quantum ad hoc, quod posset infinitas æquales producere. Sed contra est, quia etiam ex parte creaturæ nulla est repugnantia, siquidem etsi ponamus possibilem esse excessum unius creaturæ supra aliam in infinitum, adhuc quælibet limitata esset in perfectione: excederetur enim ab alia perfectiori. Quod autem exceditur ab alio, limitatum est, ut manifeste patet in ipsa visione intuitiua, cuius claritas, quia exceditur à comprehensiua, limitationem patitur. Unde nulla potest assignari repugnantia huius infinitè participabilitatis, etiam ex parte creaturæ. Nec pariter infinita participabilitas, quæ refertur in superiori solutione est sufficiens. Ratio est, quia infinita communicabilitas Dei propria, est ad posse se magis, ac magis communicari. Est enim essentia diuina omnibus modis infinita, & consequenter etiam in modo participandi; esse autem infinitam in modo participandi est posse magis, ac magis participari, nunquam deveniendo ad ultimam perfectionem, ut hic Complutenses optimè aduertunt. Non enim potest esse infinita per productionem creaturæ in essentia infinitè, quia hanc implicare communiter docent Philosophi. Inanis itaque est superior solutio, quam ex nostris Ventura, ex exteris Dupasquier, aliique nostræ, & Diui Thomæ rationi fundamentali exhibeat.

Nec minus inefficax pariter est altera, qua utuntur nonnulli in nostra Schola docentes, quod dato processu in infinitum in creaturis, & maximè in speciebus essentialiter ordinatis tolli primum ens simpliciter. Non inquam verum est: adhuc enim quælibet creatura esset ens ab alio, & consequenter talis processus potiu, indispensabiliter infert existentiam primè entis, à quo quodlibet ens est, quam tollat.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

COntra statutum assertum plura sunt adversæ partis argumenta. Præcipua solum refferre placet, & cætera minoris ponderis omittere, inter quæ existimo esse omnia ea, quæ in oppositum affert Ariaga sustinens in tota possibilium collectione perfectissimam esse summè Deo propinquam, ultra quam vicinior excogitari nequeat, vel quia non omnes species excedantur, alias plures essent excessæ, quam excedentes, cum quælibet, quæ exceditur, habeat aliam excedentem, & consequenter, tot essent excessæ, quot excedentes. Omitto inquam, quia hæc omnia facilis sunt solutionis. Primo, quia hic arguendi modus supra falsum innititur suppositum, secundò, quia nimis manifesta est instantia in numeris, quam etiam Maygnan agnovit, tertiò, quia in forma solutio de facili exhiberi potest, & videri apud Oviedum hic ejusdem societatis Auctorem, nostram, & D. Thomæ propugnantem sententiam.

Arguit itaque primò relatus insignis Atomista Emanuel Maygnan. Tota collectio creaturarum creabilium non potest, nec ratione partis, nec ratione totius equare perfectionem divinam ob essentialem

depen-

dependentiam à Deo in fieri, & in esse; ergò est necessariò minor; ergo habet terminum intrinsecum perfectionis; sed hoc ipso, quod illa creata perfectio habet terminum intrinsecum, ultra quem nulla altera sit nobilior, seu superior creabilis, necesse est unicam, vel duplicem esse supremam omnium, cui conveniat negatio illa ulterioris perfectionis; ergò datur una, vel duplex species suprema omnium secundùm essentialia.

Argumentum hoc, quod Maignan existimabat validius esse relatis ab Arriaga, facilis est solutionis, siquidem in primis errat in supposito; supponit enim omnes creaturas sub unica venire posse collectione. Secundò do libenter talium creaturarum collectionem infinitè distare à Deo, sicquè terminum habere suæ perfectionis, at infinita distantia non stat in hoc, quod tandem deveniamus ad aliquam creaturam, ultra quam non sit nobilior, sed in hoc, quod tota collectio perfectionis terminum habeat, & infinitè à Deo recedat, quia quælibet in tota collectione, vel excessa, vel excedens limitata est in perfectione.

Secundum argumentum est. Ideò data qualibet creatura sua perfectione donata potest Deus aliam perfectiorem producere, quia inter ipsam, & Deum distantia intercedit infinita; sed ex hac distantia infinita intercedente ineptè infertur possibilitas creaturæ perfectioris; ergò. Probatur minor. Primò quia estò tota collectio creaturarum infinitè distet à Deo, tamen inter collectionem creaturarum, & Deum alia creatura perfectior produci nequit, cum præter collectionem omnium creaturarum nulla altera creatura sit possibilis; ergò etiam licèt sit inter quamlibet creaturam assignabilem, & Deum infinita distantia, non inde sequitur, quod Deus efficere possit perfectiorem; cujus ratio à priori est, quia infinita distantia inter Deum, & creaturam non est, quia infinitè perfectiores intermediare possint, sed quia alterum extremum altero infinitè perfectius est.

Secundò, quia quemadmodum distantia adest infinita inter quamlibet creaturam contentam intra totam collectionem, & Deum, adest etiam in linea cognitionis, inter cognitionem intuitivam Beatorum intra totam suam latitudinem, & comprehensivam Dei; sed nihilominus non est possibilis cognitio creata, quæ perfectior sit intuitiva in tota sua latitudine, quamvis sit possibilis una visio intuitiva perfectior, quàm sit alia; ergò etiam quamvis sit distantia infinita inter Deum, & creaturam, quæ emineat in perfectione comparativè ad alias in tota collectione, nihilominus non erit possibilis creatura illa perfectior. Tertiò quia, si semper est possibilis creatura perfectior, & perfectior, nunquam deveniendo ad ultimam; ergò jam erit etiam possibilis creatura, quæ sit substantia supernaturalis, cui sit connaturalis visio beatifica, & humanitas, cui sit debita unio hypostatica. Patet hoc, quia hæc creatura intellectualis esset perfectior aliis; ergò si est possibilis excessus in perfectione in infinitum, jam & hæc erit possibilis.

Respondeo disparitatem esse, quod non obstante infinita distantia talis collectio complectitur omnes creaturas, unde fit, quod Deus perfectiorem producere nequit tota collectione: at in secundo casu talis creatura perfectissima, ita distaret infinitè, ut cæteras non complecteretur, & cum ex alia parte finita esset, jam alia intermedia perfectior possibilis non est neganda. Distantia autem hæc hoc ipso, quod est ratione infinitatis in uno extremo relucentis, etiam est ratione medii, quod intercedere possit, ut patet in ipsa visione beatifica clara, ut quatuor, quæ quia infinitè distat à visione infinita Dei, intercedere potest inter ipsam, & Dei visionem alia in claritate intensior; & ratio totius est, quia infinitas in uno extremo existens, est infinitas in perfectione etiam in modo participandi; ergo jam poterit extremum sic infinitum perfectiorem producere effectum.

Ad secundum verò disparitas latissima sese offert, & ea est, quod ideò non obstante distantia infinita inter intuitivam, & comprehensivam, non est possibilis visio creata intuitiva perfectior, quia immediatè supra intuitivam sese offert comprehensiva, quæ creaturæ convenire nequit in ordine ad Deum cognoscendum; at verò supra quamlibet perfectionem creaturæ assignatam, & assignabilem non sese offert immediatè divina perfectio, sed alia perfectio minor divina, & major creata. Tertium verò non urget, quia creatura, cui sit connaturalis visio beatifica (idem dic de unione hypostatica) repugnat ut optimè sustinent Theologi adversus Ripaldam, Izquierdo, aliosque paucos ex societate, quos subtiliter de more impugnat Lodigerius noster *tom. 2. lib. 2. disp. 3. quæst. 2 cap. 1.* & meritò cum visio beatifica sit supra totam naturæ exigentiam, unde nulli creaturæ, quæ elevata non fit per aliquod comprincipium supernaturale, potest esse debita.

Tertium argumentum est. Si essent possibiles infinitæ Angelorum species in perfectione se excedentes in statu possibilitatis, esset aliqua actu infinita in perfectione; sed hoc affirmari nequit propter repugnantiam infiniti in essentia in creatis superius ostensam; ergò. Probatur sequela, primò, quia, si actu darentur species infinitæ Angelorum in perfectione se se excedentes, unus daretur actu dicens infinitam perfectionem; ergò etiam si essent possibiles cum eodē excessu in perfectione in eodē statu possibilitatis, daretur unus actu dicēs infinitā perfectionē; ergò etiam si essent possibiles cum eodem excessu in perfectione, in eodem statu possibilitatis, daretur unus actu dicens in se infinitam perfectionem. Secundò, quia inter illas infinitas species in perfectione se se excedentes una daretur actu alias perfectiores præcontinens; sed hæc deberet esse actu infinita, cum præcontineret perfectionem infinitā specierū, quarū quælibet suā diceret perfectionē altera majorē. Quemadmodum enim virtus ad perfectiorem effectum in infinitum sincategorematicum, debet esse actu infinita, ita infinita exigitur actu perfectio ad excedendum in perfectione perfectiones majores, & majores in infinitum.

Respondeo in primis argumentum retorsionem pati in numeris, quam referre non vacat. Secundò antecedens, quod assumitur non est omnibus verum. Complutenses enim illud negant docentes, quod etsi omnes creaturæ possibiles actu essent, non inde una esset actu infinita, & hoc, quia nulla excederet alias per infinitas partes certè, & determinatè perfectionis; Sed per partes incertè, & indeterminatè perfectionis minoris scilicet, & minoris quacumque determinata perfectione assignabili. Quam doctrinam explicare contendunt exemplo alicujus determinatæ quantitatis continuæ, cui si fieret additio partium proportionalium, seu minorum in infinitum, numquam hæc quantitas fieret actu infinita; sed quidquid sit de hac solutione, quæ certè non undequaque vera est, aliter occurro, disparitatē afferendo eaque est, quod tunc omnes illæ creaturæ, cum haberent esse actu, haberent quoque esse determina-

tum, & cum aliundè essent actu infinitè cum excessu in perfectione, una esse deberet actu dicens infinitam perfectionem; at verò in secundo casu creaturæ essent solùm infinitè in potentia, & quidem inconsumabili, consequenterque numquam deveniremus ad unam, cæteras continentem, quæ ab alia non contineatur. quo stante actu infinita esse nequit, cum infinitum, qua tale excedi nequeat. Ad excedendum enim infinitas creaturas in perfectione se excedentes inspectas copulatiuè, exigitur quidem infinitas in actu, non verò ad excedendas distributiuè, idest ad taliter excedendum, ut possit ipsa excedi ab alia, quia excessus hic est solùm supra creaturas finitas, & est excedibilis ab alia perfectiori creatura.

Arguit quintò Dupasquier. Deus videt omnes creaturarum species, quas potest producere, & videt eas perfectione inæquales, ergò videt eam, quæ omnes superat, & illam producere potest: ergò potest producere eam, quæ omnes superat. Prima pars antecedentis, negari non potest, quin tollatur infinitas in scientia Dei. Secunda pars constat ex dictis in Logica de inæqualitate specierum Consequentia est evidens: nam si videt omnes creaturas possibiles, potest creare, quam voluerit, & per consequens eam, quam videt superare ceteras.

Respondeo ex diuina scientia inefficax erui posse argumentum. Ratio est, quia si potentia producendi commensurari debet. Modo sciendi. Cum Deus videat creaturas possibiles ita inæquales esse in perfectione, ut ad ultimam in perfectione deueniri non possit, nec quoque poterit creaturam, quæ omnes excedat, producere; Sicuti in statu possibilitatis creatura, quæ omnes excedat, non reperitur.

Quartùm argumentum est. In tota natura datur creatura omnibus imperfectissima, quam nonnulli Peripatetici esse volunt materiam primam; ergò aliqua esse poterit in divina scientia perfectissima. Consequentia liquet ex paritate rationis.

Respondeo argumentum hoc nimis probare, cum nedum ostendat possibilitatem creaturæ perfectissimè, verum etiam existentiam: nihilominus disparitas est, quod creaturæ crescunt in perfectione, quo magis accedunt ad diuinum esse; accessus autem hic, cum non habeat terminum, sed possibilis sit maior, & maior, ut supra diximus, hinc creatura perfectissima possibilis non est: possibilis tamen est imperfectissima, quia hæc dicitur per recessum. Recessus; autem minimus est possibilis, qui tamen ille non est, qui residet in materia prima: accidens enim puro ignobilius esse; cum ignobilius sit alteri inhærere, quam esse per se, quod verius judico maximè loquendo de accidente non operatiuo.

Arguunt alii ultimò Species procedunt à Deo, sicuti numeri ab unitate Teste Diuo Dionisio *cap. 2. de diuinis nominibus*; sed aliquis est numerus inter quem, & unitatem alius esse nequit, ut inter unitatem, & binarium; ergò erit quoque aliqua creatura ita Deo propinqua, ut inter ipsam, & Deum intermedia esse non possit.

Argumentum hoc ex quantitate discreta desumptum etiam facit pro nostra sententia, siquidem quemadmodum in numeris quolibet assignato, & assignabili, alius major magis recedens ab unitate assignari potest, quin unquam ad ultimum deveniamus; ita quoque qualibet creatura producta perfectior produci poterit, quin umquam ad ultimum deveniamus; ita quoque qualibet creatura producta perfectior produci poterit, quin umquam ad ultimam deveniamus. Sub terminis autem, sub quibus argumentum proponitur, adhuc solutionem habet; si dicamus, quod quemadmodum, quamuis non sit assignabilis numerus medius inter unitatem, & binarium, est tamen assignabilis numerus major in infinitum binario, quin umquam ad maximum deveniamus, ita quoque quamuis non sit assignabilis creatura medians inter creaturam perfectam, ut unum, & perfectam, ut duo, assignabilis tamen semper est creatura perfectior in infinitum supra perfectam, ut duo. Ulterius disparitas quoque esse potest, quod numerus binarius non præcontinet maiorem numerum unitate ultra se ipsum, nec unitas numerum majorem se ipsa, unde nil mirum, quod non sit assignabilis medius: at vero Deus præcontinet perfectionem infinite majorem collata cuilibet creaturæ, adeoque optimè poterit perfectiorem; sicque mediam producere.

## QUÆSTIO TERTIA.

*In quo consistat primus conceptus Metaphysicus quantitatis.*

Circa hanc celebrem difficultatem multiplex esse solet sententia quarum prima sustinet quantitatis essentiam consistere in impenetrabilitate, seu in repugnantia ad compenetrari, quam unum corpus habet cum alio corpore in eodem loco, vel una pars corporis cum alia parte. Sic Conimbricenses *pr. parte Logicæ in cap.* 6. de quantitate *quæst.* 1. *art.* 2. Hurtado *disp.* 13. *Metaph sect.* 4. Oviedo, Arriaga *disp.* 6. *Metaph. sect.* 1. Capreolus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. *& dist* 15. *quæst* 1. Soncinas 5. *Metaph. quæst.* 2. Vasquez *Tom.* 3. *par. disp.* 190 *cap.* 3. *nu.* 25. Pro qua sententia communiter citari solet etiam Suarez *disp.* 45. *Metaph cap* 6 *n.* 15

Secunda sententia illa est, quam refert, & sequitur Scotista Pontius *disp* 14. *quæst.* 11. docens rationem formalem quantitatis non consistere in impenetrabilitate, ut vult prima sententia, sed in partium extensione, ad quam sequitur aptitudo, seu exigentia connaturalis expellendi se invicem, & alias res ab eodem loco: quam aptitudinem vocat nomine impenetrabilitatis naturalis, cum videat divinitus unum corpus cum alio penetrari posse, unde ideo asserit se loqui de aptitudine connaturali. Ad extensionem enim partium sequitur connaturalis aptitudo se res expellendi ab eodem loco.

Hæc sententia tamen non est communissima apud Scotistas, siquidem quamvis omnes conveniant in hoc, quod essentia quantitatis non consistat in impenetrabilitate, quam solam esse volunt primam inter omnes ejusdem quantitatis proprietates, negant tamen, quod consistat in extensione, sive hæc actualis sit, ut patet in Eucharistiæ Sacramento, in quo quantitas Corporis Christi non est extensa in ordine ad locum; si.e aptitudinalis sit vel quia hæc est aliquid respectivum, quod esse nequit de essentia quantitatis, quæ forma absoluta est, vel quia prius est quantitatem habere partes in se, quam istas habere aptitudinem, ut extendantur in ordine ad locum. In quo autem consistat primus quantitatis conceptus usq; ad hæc tempora Scotistis videtur ignotū, cum solū doceant quantitatis essentiam consistere in illa entitate, ad quam sequuntur naturalis impenetrabilitas, mensura, divisio, extensio tum actualis, tum aptitudinalis, quod prædicatum nedum non determinant, verum etiam dicunt nobis ignotum esse, ut novissimè asseruerunt Petrus à S. Catharina, & Thomas à S. Juseph

Joseph in Logica *parte 2. disp. 3. quæst. 1.* quibus novissimè adhæsit Sebastianus Dupasquier *in Metaph. disp. 9. Conclusione* 4. vnde horum sententia melius impugnabitur, quando clarius ad lucem veniet, vel assignabitur, quid sit hoc prædicatum exigitivum impenetrabilitatis, in quo Scotistæ cum Mastrio in Physica *disp. 9 quæst. 1. art. 1. nu. 9.* reponunt quantitatis essentiam.

Tertia sententia affirmat consistere in ratione mensuræ. Ita Albertus Magnus *tract. 8. cap. 2.* & alii referentes pro hac sententia Divum Thomam opusculo suo 52. ubi hæc habet *propriè ratio quantitatis competit quantitati, quatenus quantitas est ratio mensuræ*. Sed ineptè Divus Thomas affertur. Verba enim in opusculo relato explicari possunt de mensura radicali, ut explicare solent Thomistæ, ulterius afferentes opusculum illud apocriphum esse.

Quarta tandem sententia illa est, quam defendit Sanctus Thomas pluribus in locis præcipuè tamen *prima parte quæst. 14. art. 3. ad primum, & 4. contra Gentes cap. 65. & opusculo 42. cap. 16.* & *opuscul. 46. tract. de quantitate cap. 14. & de Prædicamento situs cap. 1. & in 4. Physic. lect. 7. & in 4. distinct. 10 quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 2. & opusculo 70. quæst. 5. art. 3. ad. 3* in quibus locis expressè docet, quod ratio partis in aliquo est per quantitatem, & quod, *ordo partium in toto sit positio, & differentia quantitatis*, unde non immeritò Thomistæ omnes quartam hanc propugnant sententiam, quam diffusè explicat, & rationibus corroborat insignis Thomistæ Joannes à S Thoma *in Logica quæst. 16. art. 1.* manifestissimè ostendens remota quantitate, substantiam non habere partes integrales formaliter in ratione partis ordinatas, & distinctas. Hanc etiam defendit doctor Solemnis *quodl. 15. quæst. 7. & art. 7. quæst. 1.* cui ex Societate adherent Toletus, Vasquez, Rubio, Fonseca, Avversa, & ex Scotistis Boyvino.

Antequam tamen Henrici assertum ponatur pro certo tenendum est, quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, quod manifestè patet in speciebus Eucharisticis. Hæ enim quantæ sunt, cum impenetrabiles sint; nec tamen ibi est Panis substantia: Nec ualet asserere tales species impenetrabiles esse, non ratione quantitatis, sed alterius gerentis vices quantitatis; vel sic esse impediente Deo actualem penetrationem ad occultationem misterii, siquidem ultra ea, quæ diximus initio Physicè nullum est motiuum aduersariis hoc asserendi, nisi ut negent distinctionem realem quantitatis à substantia. Secundò, quia impenetrabilitas taliter est effectus peculiaris quantitatis, ut non sit supplebilis per aliquod distinctum saltem in ordine ad eundem effectum in specie atoma.

## CAPVT PRIMUM

*Nonnisi ineptè ponitur ratio formalis quantitatis in impenetrabilitate, aut in extensione prout ad hanc sequitur impenetrabilitas naturalis, aut in divisibilitate, aut in ratione mensuræ, sed unicè ponenda est in extranenitate partium quoad se.*

Quamuis plures præcontineat partes conclusio sub hoc capite expressa, unica tamen ratione equivalenter multiplici ostenditur & hæc sit. Si impenetrabilitas, divisibilitas, ratio mensuræ supponant alios effectus peculiares quantitatis, iam esse non poterunt eiusdem quantitatis essentia; atqui reuera res ita se habet; ergò. Maior est certa, & propter eius certitudinem docet Henricus adversus Thomistas essentiam Dei metaphisicè consistere non posse in gradu intellectivi, quia in priori ad hunc gradum intelligitur aliquid aliud soli Deo conveniens, & omnia primò radicans, quod est ipsum esse purissimum. Probatur itaque minor per partes, & primo. Ideo res est divisibilis (divisibilitate aptitudinari), quia habet partes extensas, si enim has non haberet non esset proximè divisibilis; sed habere partes extensas est effectus quantitatis; ergò à fortiori erit proprietas & non essentia ipsa divisibilitas. Secundo res quelibet, ideo est mensurabilis, sive deinde sit mensurabilitas actiua, siuè sit passiua, quia habet extensionem, per quam habet esse mensuram, vel mensurati: sicuti ideo impenetrabilis est, quia habet partes extensas; sed habere partes extensas est effectus quantitatis; ergò divisibilitas, impenetrabilitas, & extensio localis supponunt alios quantitatis effectus.

Sententia verò Pontii alia via impugnatur, & primò, quia dum asserit hic quantitatis essentiam consistere in partium extensione, ad quam sequitur impenetrabilitas naturalis, vel sermo est de partium extensione quo ad locum, vel quo ad se, si primum falsa est ipsius sententia, siquidem in Sacramento Altaris datur verum Christi corpus cum sua quantitate, in quo tamen nòn est localis actualis extensio. Si verò secundum dicat, adhuc interogo an ipsa extensio partium quoad se sit quantitatis essentia, prout importat impenetrabilitatem illam naturalem, reduplicando supra naturalem ipsam impenetrabilitatem, aut supra extensionem partium quoad se. Si primum dicat reddit prior difficultas: cum enim res, ideo sit naturaliter impenetrabilis, quia in priori habet partes extra partes, iam videntur supponi in re impenetrabili partes extra partes, & sic non posse esse essentiam quantitatis. Si vero dicatur secundum, iam nulla est amplius controversia cum Pontio Secundo, quia dum Pontius asserit, quod extensio est quantitatis essentia, vel loquitur de actuali, vel aptitudinali vel radicali. Non quidem de prima, quia fortiter obstat quantitas corporis Christi Domini in Eucharistia, quæ absque actuali extensione invenitur; ex quo mysterio sicuti fuit convictus Cartesius, dum eiusdem Ideam materiæ primæ reprobavimus, ita ex eodem conuinci posset Pontius Non de secunda, quia extensio aptitudinalis prædicatum respectiuum est, in quo Scotistæ abhorent essentiam rei absolute reponere, uti est ipsa quantitas, ut Scotus expresse affirmat 5. *metaph. cap. 12.* illis verbis: *Contra auctoritates probant, quod divisibilitas est proprium quantitatis sed non quod sit de essentia eius, quia divisibilitas est respectus, respectus autem non est de essentia absoluti*. Si verò in tertio sensu extensionem accipiat, inquiro quid sit hæc extensio radicalis, seù id in quo extensio actualis, & aptitudinalis radicantur. Certè quid ignotum non erit, nisi dicere velimus quantitatis esseńtiam ignotam esse Scotistis, atque adeo ipsos de re sibi ignota controversiam instituere, quod absit.

Et hic advertendum est, nonnisi inefficaciter aliquos reprobare sententiam Pontii quia á re quanto auferri potest hæc impenetrabilitas ipsa quantitate remanente, ut eveniret casu quo Deus unam substantiam corpoream cum altera compenetraret, siquidem hoc falsum est; Quamvis enim verum sit

agente

agente Deo, ut auctore supernaturali Deum posse aliquam substantiam cum altera compenetrare, tamen non inde sequitur, quod illa substantia reddatur de impenetrabili connaturaliter penetrabilis, in cuius exigentia reponit Pontius essentiam quantitatis. Qualibet enim penetratione facta semper res quanta retinet sui connaturalem impenetrabilitatē, quemadmodum quamuis una forma ad sui aduentum non expelleret aliam, tamen semper retinet hoc, quod exigat alterius expulsionem, Deo impediente actum secundum, nimium actualem expulsionem, non verò primum, vel exigentiam.

Probatur secundò conclusio, & præcipuè loquendo de impenetrabilitate. Impenetrabilitas corporum in eodem loco supponit alios effectus quantitatis; ergò nequit esse effectus primarius, ipsiusque essentia. Antecedens, in quo adest difficultas ostenditur. Impenetrabilitas unius cum alio in eodem loco supponit locabilitatem circumscriptiuam utriusque in illo; sed locabilitas corporis circumscriptiua in loco est effectus quantitatis, licèt non primarius; ergo. Probatur maior: ita se habet actualis impenetratio ad actualem extensionem, sicuti impenetrabilitas ad locabilitatem; sed repugnat unum corpus esse actu impenetratum, nisi sic supponatur extensum; ergò repugnat esse impenetrabile, nisi supponatur aptum localiter extendi. Minor probatur, quia hæc est vera causalis: in tantùm hoc corpus in hoc loco impedit coexistentiam alterius, in quantum est circumscriptiuè, vel extensum in loco.

Confirmatur: sicuti quantitas est naturaliter impenetrabilis cum alio corpore in eodem loco, ita qualitas contraria est incompossibilis cum alia in eodem subjecto; sed nihilominus primarius conceptus qualitatis non est hujusmodi incompossibilitas; sed se habet, ut ejus proprietas; ergo nec primarius quantitatis erit impenetrabilitas, sed potius erit proprietas.

Nec dicas impenetrabilitatem esse ipsam locabilitatem in loco circumscriptivo, adeoque locabilitatem non supponi ad impenetrabilitatem; non, inquam, hoc dicas, siquidem locabilitas in ordine ad locum circumscriptum est radix impenetrabilitatis, non ipsa impenetrabilitas; ergo localitas supponitur ad impenetrabilitatem. Probatur antecedens. Actualis locatio quoad locum circumscriptivum non est ipsa formalis impenetratio; sed radix impenetrationis; ergo à pari locabilitas erit radix impenetrabilitatis, & non ipsa impenetrabilitas; ergo impenetrabilitas non est primarius quantitatis effectus, sed secundarius, cum alterum supponat.

Præterea etiam dato, quod impenetrabilitas sit idem, ac locabilitas, adhuc probo, quod esse nequear effectus primarius quantitatis, & eodem modo impugno illorum sententiam, qui in hac locabilitate, seu aptitudinali extensione reponunt primarium quantitatis conceptum, siquidem nulla essentia entis absoluti consistere potest in ratione potentiæ; sed quantitas est accidens absolutum, & hæc aptitudo est aliqua potentia; ergo quantitatis essentia in hoc consistere nequit. Probatur minor, quia omnis potentia, sive aptitudo fundatur in aliquo prædicato entitatis, in quo oritur; ergo per hanc aptitudinem constitui nequit entitas absoluta.

Nec dicas prædicatum illud, à quo oritur hæc aptitudo esse commune, adeoque constituere non posse peculiare accidens quantitatis; nam contra est, quia implicat, quod sit commune, & quod ab ipso oriatur hæc determinata aptitudo; aliàs si esset commune aliis, etiam in aliis oriretur hæc impenetrabilitas; ergo debet esse prædicatum proprium quantitatis; ergo illud erit constitutivum quantitatis.

Hinc etiam corruit illorum sententia, qui reponunt essentiam quantitatis in actuali extensione locali, siquidem in Sacramento Altaris datur verum Christi corpus affectum sua quantitate; & tamen non habet localem extensionem; sed est ibi modo sacramentali, & inextenso; ergo in hac extensione locali consistere nequit quantitatis essentia, quia absque essentia nulla res inveniri potest.

## CAPUT SECUNDUM.

*Probatur Henrici sententia.*

Dicendum est essentialem rationem quantitatis esse extensionem partium substantiæ inter se, seu in ordine ad totum, ita ut formalis ejus effectus sit reddere partes substantiæ extensas in ordine ad se, sive unam constituere extra aliam, tollendo earum confusionem. Conclusio est Doctoris *quodl. 15. quæst 7 littera X*, ubi hæc habet *Essentia quantitatis continuæ consistit nonnisi in ratione dimensionali, & divisibili. Ratio autem divisibilis dimensionalis est, quod habeat partem extra partem.* Est etiam D Thomæ, ut superius dixi. Probatur autem sic clarissimè. Extensio, sive partium extraneitas inter se est id, quod primò quantitati convenit, tamquam radix aliorum effectuum ejusdem quantitatis; ergo est illius constitutivum. Consequentia patet, nam constitutivum est primum per modum radicis in qualibet re. Antecedens verò probatur. Impenetrabilitas, extensio localis, & alii effectus sæpè ennumerari nequeunt quantitati convenire non supposita extensione seu partium extraneitate in ordine ad se, à qua intelligatur oriri; ergò hæc est primum conveniens quantitati per modum radicis cæterorum. Antecedens probatur. Ex eo quantitas, aut res illi subjecta est localiter extensa, vel impenetrabilis in loco, & sic de aliis, quia habet partes ordinatas, vel extensivè se habentes. Ex hoc enim, quod dentur plures partes in ordine ad se non confusæ, sed certo ordine dispositæ exigunt, si locari debent, poni in loco non in confuso, sed cum quodam ordine, & en extensio localis actualis. Ulterius ex hac partium extensione sequitur impenetrabilitas in loco quia unaquæque propter hanc extensionem exigit esse in loco diverso ab alia; ergò ennumerati effectus proveniunt ab extraneitate partium inter se, tamquam à radice; ergò hæc est primum prædicatum quantitatis constitutivum.

Explicatur magis hæc ratio, quod nempe partium extensio, vel extraneitas in ordine ad se prior sit omnibus aliis prædicatis quantitati convenientibus; siquidem prius est habere partes extensas, quam illas locum implere, expellere alias ab eodem loco, dividi posse, & mensurari: ideo enim substantia implet locum, quia partes habet, quibus illum occupat; ideo alias ab hoc loco expellit, quia per suas hunc implet; ideo divisibilis est in partes, quia illas habet, ideo mensurabilis, quia in plura extenditur, ergò patet, quod extensio, & partium extraneitas in ordine ad se est prima radix cæterorum, quæ, à quantitate procedunt, ergò ipsa, est quantitatis essentia. Confirmatur tandem hæc sententia ex ipsa aliarum rejectione hoc unico ratiocinio. Illud non est constitutivum essentiale

quam

quantitatis, fine quo esse, & intelligi potest quantitas; sed absque impenetrabilitate, sine mensurabilitate, sine loci occupatione, sine divisibilitate intelligi potest quantitas; ergò. Probatur minor; nam Christi Corpus in Sacramento Altaris habet suam quantitatem, & tamen nec occupat, locum, nec est divisibile, nec mensurabile, nec impenetrabile.

Neque dicas ibi Corpus Christi habere hæc omnia radicaliter, quamvis non habeat formaliter, quia statim nobiscum venis, siquidem impenetrabilitas mensurabilitas, divisibilitas, extensio localis, radicaliter acceptæ nihil aliud sunt, quàm ipsa partium extensio in ordine ad se, cum in hac, ut vidimus, ista omnia radicentur.

## CAPUT TERTIUM.

*Proponuntur quædam argumenta præcipua Atomistarum volentium quantitatem indistinctam esse à substantiam.*

IN hoc conspirat Cartesius 2. *parte principiorum Philosophiæ* simul cum Atomistis, quod velint omnia accidentia à substantia esse indistincta. Nos hic breviter tamen, quid præcipuè doceant loquendo de quantitate contra nostram sententiam referremus.

Arguunt itaque primò aliqui. Si habeantur, independenter à quantitate partes entitativè dimensivæ, & impenetrabiles, jam hæc quantitas ad istos præstandos effectus erit superflua; sed revera res ita evenit; ergò. Minor ostenditur, & quidem per partes, & à prima incipiendo, res certior est, quàm probari possit. Siquidem materia habet partes distinctas, non per aliquod accidens quantitatis; sed vi propriarum entitatum. Per id enim Pes non est caput, per quod Pes est Pes. Sed hoc Secundum non est aliquod distinctum à pede; ergò nec primum.

Secunda pars autem ostenditur; quia potest haberi hæc extensio etiam ablata quantitate superaddita, ut si verbi gratia poneremus Hastam longissimam, si visusque ad Celum stellatum, & unico instanti Deus suspendendo suum concursum conservativum quantitatis, sinat huiusmodi accidens perire, conseruata nihilominus, & salua tota Hastæ materia. In hac hypothesi materia non posset aliter in punctum reduci, quàm, vel æquali extremitatum hinc inde cum omnibus intermediis partibus confluxu ad centrum commune; vel unius extremitatis, & cæterarum partium accessu ad aliam extremitatem; at quocumque modo hoc fiat, impossibile est, ut hoc fiat sine motu locali; ergò cum hic non possit esse instantaneus, fiet necessariò in tempore; ergò duæ extremitates Hastæ toto saltem Tempore, quo confluerent, & accederent ad se inuicem, essent adhuc extra se inuicem; Sed aliunde hoc non euenirer virtute quantitatis accidentalis, ut patet ex hypothesi facta; ergo

Nec responderi potest omnes partes Hastæ uno instanti confluxuras esse ad Punctum; siquidem pars extrema saltem nequit locum deserere, quem habebat, alium aquirendo, quem non habebat, nisi vel transeundo per medium ex suo loco, quem deserit in eum, quem aquirit, vel per saltum, idest relinquendo suum priorem locum, & nouũ aquirendo in eo puncto remoto, nullũ occupando in punctis intermediis, idest absque transitu per medium; sed si primum dicatur, iam conceditur motus localis, qui negatur in solutione, sicque remanet vis argumenti. Secundum verò affirmari nequit, cum sit naturaliter impossibile: nec etiam divinitus poterit, quia dum Deus ex hypothesi destruit hic quantitatem, non cogitur necessariò destruere hic subiectum eius, & idem reproducere alibi; ergò. Tertia tandem pars probatur; siquidem materia prima per seipsã habet appetitum innatum ad formas; ergo etiã ex se ipsa postulat esse extensa; sed non, stat per se ipsam, seu vi corpulentæ suæ entitatis naturaliter exigere extensionem, & non esse vi sua naturaliter impenetrabilem; ergò. Probatur prima consequentia, agentia naturalia agere nequeunt in materia inextensa; ergò si materia ex se habet appetitum ad formas, habebit etiam vi eiusdem entitatis appetitum ad extensionem; sed naturaliter ex se exigere dimensiones, est esse naturaliter ex se impenetrabilem; ergò.

Secundum argumentum verò sic procedit. Si quantitas actualis panis, remaneret, quia remanent eiusdem effectus formalis, idest Hostia consecrata quanta, & extensa in suo loco, remanere deberet etiam tota Panis substantia; sed hoc alienum est à fide; ergò. Ostenditur sequela: non minus impenetrabilitas, & extensio sunt effectus quantitatis, quã actus nutriendi substãtiæ; sed nihilominus remanente nutritione, non remanet substantia Panis, Christo supplente defectum substantie Panis in nutritione; ergò etiam manente extensione, & impenetrabilitate, non remanebit quantitas Christo supplente illius defectum in effectibus quantitatis.

Tertium argumentum est, quia si quantitas esset ens à materia realiter distinctum, aliquam entitatem supperadderet substantiali entitati materiæ. At quæ hæc erit? Vel superaddet materiæ partes, vel distinctionem partium, vel divisibilitatem, vel extensionem; sed nihil horum præstat. Non quidem materiæ partes superaddit; quia materia per se, seu per suam entitatem suas habet partes, non aliunde emendicatas, alioquin essentialiter esset ens simplex partium expers. Amplius: partes, quas in posteriori naturæ instanti haberet à quantitate, extra ipsius essentiam essent, adeoque per accidens. Vrgeo; partes ipsæ quantitatis supponunt in instanti naturæ partes materiæ, supponunt enim suum subiectum; subiectum autem partium extensionis sunt partes materiæ; ergò materia partes suas non potest habere à quantitate. Præterea: partes materiæ sunt aliquid substantiale, sunt enim partes materiæ, quæ est substantia: atqui quantitas non potest tribuere materiæ aliquid substantiale; quantitas enim est merum accidens; accidens autem nihil substantiale tribuere potest, utpote ignobilius, & improportionatum.

Sed nec quantitas dat materiæ distinctionem partium. Cum enim qualibet pars materiæ per se ipsam sit ens, ita per se ipsam est hoc ens, & unum ens, adeoque per se ipsam est indiuisa in se, & diuisa, aut saltem distincta à qualibet alia parte materiæ. Aliter quid est, esse res distinctas? nihil aliud, quàm hanc esse hanc, & illam esse illam: at partes materiæ per se ipsas habent, ut hæc sit hæc, & illa sit illa, atque adeo, hæc non sit illa; ergò partes materiæ per se ipsas distinguuntur, & non per quantitatem realiter ab iis distinctam sed nec quantitas addit materiæ divisibilitatem, cum enim materia per se habeat partes distinctas, est in eas divisibilis per se sublato etiam quocunque aliò.

Sed neque quãtitas materiæ largitur extensionem, cum ex eo, quod materia per se habeat partes, easquè ab inuicem distinctas, necessariò habeat ex se ex-

extensionem physicam, quæ nihil aliud est, quàm plures materiæ partes extra se invicem positæ.

Ex his argumentis primum est Patris Maignan, secundum Patris Casimiri, tertium verò est Joannis Schuleri in schola auritaca, quæ Brede est Philosophiæ Lectoris. Ad primum dico nihil in ipso solidi esse præter secundam partem, non quidem quod primo loco affertur, quia libenter concedo partium distinctionem à quantitate non desumi, adeoque hac exclusa adhuc unam partem ab altera distingui, loquendo tamen de distinctione, prout præcisè hæc dicit unum non esse aliud, vel prout opponitur identitati: non tertium, quia, ut verum sit agens agere in materiam extensam, opus non est materiam sibi identificare extensionem, sed sufficiens est, quod sit extensa, quamvis per accidens superadditum, nec ex ejusdem appetitu innato video, quomodo sibi suadet Maignan, quod intendit.

Minor itaque quoad secundam partem difficultatem non mediocrem præsefert, cui, ut occurrerent nonnulli dilectissimi Alumni in Collegio S. Joseph Bononiæ, numquam satis à me dilecti, me arguente, dixerunt unam Hastæ extremitatem fore extra aliam in dicta hypothesi solùm transeunter, non verò permanenter; sed hanc solutionem, ut solidam, non recepi, quamvis mitarus sim illorum subterfugium. Aliter itaque existimo, occurrendum esse, atque dicendum hypothesim ex falso procedere supposito. Supponit enim omni dempta quantitate in Hasta adhuc remanere partes, istiusque extrema, itaut in ipsa Hasta adhuc sit invenibilis pars versus Cœlum protensa, quod penitus falsum est. Quantitatem enim demere ab ipsa Hasta formalissimè idem est, ac ab eadem omnem demere partem. Partium enim extraneitas effectus formalis est quantitatis: nisi dicere velimus cum aliis Peripateticis, quod quantitate dempta partes materiæ remanentes haberent extensionem solùm internam, vel entitativam, & aptitudinalem, non verò externam, & actualem; quæ duplicis extensionis consideratio vana non est, & ficta, ut aliqui recentiores Atomistæ opinati sunt, sicuti apud Cartesianos ficta non est divisio figuræ in internam, & externam cum qualibet à natura data sit, ut suum præbeat effectum.

Ad secundum disparitas obvia est, quia extensio effectus est solius quantitatis, unde ex hujus perseverantia optimè infertur etiam ejusdem existentia; at verò materia nutritionis non est sola panis substantia, ut patet. Plures autem Hostiæ estò consecratæ, nutritioni inservire possunt post specierum corruptionem, quia nova substituitur à Deo materia, ut alibi diximus, quæ optimè inservire potest nutritioni, estò ipsa panis substantia amplius non adsit.

Tertium verò argumentum, quod Cartesianus quidam non infimi nominis mihi objecerat, quibusdam in Thesibus Bononiæ expositis, eodem tempore, quo labente nostro Collegio Sancti Joseph, ad Sacræ Theologiæ Cathedram in insigni Cœnobio Regiensi Reverendissimi, & sapientissimi Patris M. Antonii Mariæ Castelli mox insigni clementia promoti fuimus, facilis est solutionis, si dicamus quantitatem tribuere materiæ partium extraneitatem quoad se, quam materiam ex se non habere propugnamus; estò in priori ad ipsam partes distinctas, prout distinctio opponitur identitati, habere intelligamus. Unde in hoc opinor vim totam argumenti residere, quod arguens confundat hoc, quod est habere partes distinctas, & partes distributas, inferendo ex priori posterius eo modo, quo prius materiæ convenit.

## CAPUT QUARTUM.

*Diluuntur præcipua argumenta adversus præcipuum assertum.*

Arguunt primò Scotistæ. Substantia quantitativa nedum habet partes distinctas ratione quantitatis, sed etiam distinctas substantialiter, itaut una pars substantiæ non sit alia; atqui etiam dempta quantitate partes substantiæ distinguuntur; ergò partium distinctio non habetur a quantitate. Probatur minor. Distinctio sequitur ad esse rei; sed quælibet substantia habet esse talem à se ipsa, non à quantitate, cum ab ipsa nullatenus haberi possit esse substantiale, cum aliquod substantiale non sit, ergò partes substantiæ etiam præcisa quantitate distinguuntur.

Hoc argumentum Ioannes à S. Thoma loco superius allegato refert, & soluit, concedendo partes substantiales substantialiter distingui in priori ad quantitatem, negando tamen hoc actu contingere nisi accedente quantitate, à qua tamquam à conditione actualem distinctionem desumit, itaut partes substantiales præcisa quantitate solùm radicaliter, & aptitudinaliter distinguantur. Sed huic solutioni non adhæreo, nisi deregamus æquiuocationem, quæ in ipsa esse potest. Dum itaque dicimus partes substantiales non distingui actu substantialiter, nisi per quantitatem, nomine distinctionis, vel intelligitur partium explicatio, & extraneitas quoad se, vel intelligitur mutua negatio unius partis substantialis de altera. Si primum intelligamus, recensiti Thomistæ solutio solida est, siquidem in priori ad quantitatem actu partes non sunt distributæ, hoc etiam Scoto insinuante *in 2. dist. 3. quæst. 4.* Si verò secundum dicamus, falsa est solutio, quia partium substantialium distinctio non desumitur à quantitate, sed fundamentaliter ab ipsa partium entitate, & formaliter à negatione.

Arguit secundò Suarez. Si una pars substantialis per se ipsam sit ab altera entitativè distincta, jam hæc distinctio non habebitur à quantitate; atqui qualibet est ab alia per se ipsam entitatiuè distincta; ergò. Probatur minor multipliciter primò. Illa res per se ipsam est ab altera entitatiuè distincta, quæ per se ipsam est ens, & una transcendentaliter; sed qualibet res per se ipsam est ens, & una transcendentaliter; ergò per se ipsam est ab altera entitatiuè distincta. Secundò, quia res esse distinctas nil aliud est, quàm hanc esse hanc, illam verò esse illam: in his enim positiuis præciso quocumque alio fundatur sufficienter hæc negatio: *hæc res non est illa*, in qua distinctio formaliter consistit. Tertiò, quia si una res distincta esset ab alia per nouam entitatem, etiam hæc distingui deberet ab alia per alteram entitatem, ex quo sequeretur processus in infinitum; ergò res qualibet ab alia per se ipsam distinguitur, non verò media quantitate. Quartò, quia materia prius natura creatur, & habet esse, quàm recipiat quantitatem; ergò prius etiam natura intelligitur, ut habens totam suam entitatem, in qua recipiat totam quantitatem, & diuersas partes suæ substantiæ, in quibus diuersas quantitatis partes recipiat; ergò non

habet

habet à quantitate partium distinctionem.

Hæc argumentum idem est cum superiori, quapropter eadem occurrere possumus solutione, & maximè si procedat de partium distinctione, prout distinctio est entis passio. Hoc enim modo una pars substantialis ab altera non distinguitur media quantitate, sed per se ipsam, sicuti ratione sui est una unitate transcendentali; at si nomine distinctionis partium intelligantur partes, ut distributæ, & ordinatim positæ juxta substantiæ exigentiam, hæc distinctio non habetur prævia quantitate, sed ipsa mediante. Unde patet in forma. Sed

Instabis primò cum Pontio adversus superiorem solutionem. Ipsa substantia, in qua immediatè subjectatur quantitas (sive hæc sit materia prima, sive totum compositum) habet partes, extra partes, tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, actualiter semper, & aptitudinaliter ita necessariò, ut exigat connaturaliter ex natura sua habere talem extensionem actualem partium in ordine ad se, & ad locum, sic ut miraculum sit, si eam non habeat; ergò partium extensio non est propria ratio essentialis quantitatis secundùm quod distinguitur ab omnibus aliis. Consequentia est evidens. Probatur antecedens. Primò, quia substantia hominis v. g. ex se includit partem substantialem manus, & pedis, & illæ duæ partes sunt extra se invicem semper, nisi fiat miraculum, & substantia exigit connaturaliter, quod sint extra se invicem, cum hoc solo discrimine, quod partes quantitatis non possint naturaliter esse simul; partes verò substantiæ absque quantitate fortassis opera Angeli possint esse simul, quod discrimen non facit ad rem.

Instabis secundò, quia substantia hominis connaturaliter loquendo exigit manum non esse immediatè unitam pedi, nec oculum auri; ergò exigit habere partes extra partes in ordine ad se. Rursus eo ipso, quo exigit manum non esse unitam pedi, immediatè exigit etiam connaturaliter, quod si ponatur in loco, manus ponatur correspondens uni parti loci, & Pes alteri; nam si non exigeret hoc, frustra exigeret manum non esse unitam immediatè pedi; ergò exigit connaturaliter partes suas esse extra se invicem in ordine ad locum.

Instabis tertiò cum eodem. Prius competit rei habere partes substantiales extra partes tali, vel tali modo, & ipsas sic exigere, quam habere quantitatem. Ideo enim exigit habere quantitatem, quia habet hujusmodi partes; ergò substantia habet partes extensas in priori ad quantitatem. Probatur antecedens. In conceptu substantiæ corporeæ completæ ut sic, ut distinguitur à spirituali, & id importatur, quod corporea constant partibus integrantibus, spiritualis verò non; sed absurdum est, quod talis conceptus dependeat à quantitate, itaut non possit in ipsa substantia corporea intelligi sine quantitate; ergò prius habet partes substantiales, quàm exigat quantitatem.

Instabis quartò ex eodem. Substantia Elefantis exigit majorem quantitatem connaturaliter, quàm substantia hominis, & substantia hominis exigit majorem quantitatem, quàm substantia muscæ; sed hujus nequit assignari alia ratio, nisi quod exigat connaturaliter substantia Elefantis plures partes substantiales, quàm exigat substantia hominis; ergò prius est substantiam habere plures partes, quàm exigere quantitatem talem, vel talem.

Instat ultimò Dupasquier, quia si Deus annihilaret totam quantitatem corporis humani in instanti, ut potest, omnes partes substantiales totius corporis non confluerent à suis locis ad punctum; ergò ad huc vigeret extraneitas; ergò partium distinctio etiam prout opponitur confusioni habetur præcisivè à quantitate. Probatur antecedens primò, quia non posset assignari hoc punctum, ad quod confluerent, an nimirum esset caput ad pedes, aut pedes ad caput. Secundò, quia, & si confluerent, illarum partium motus non posset esse in instanti: supponitur enim impossibilis motus localis instantaneus, propter cujus implicantiam docent communiter Philosophi motum localem in vacuo non forè instantaneum; ergò motus ille esset successivus; ergò pro toto tempore motus adesset extraneitas; sed aliunde non adesset quantitas; ergò.

Respondeo ad singulas instantias, & ad primam non dubito, quod verum sit substantiam ipsam habere partes extra partes, tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, itaut exigat in natura sua habere talem extensionem; sed hoc illi non convenit in priori ad quantitatem, sed in posteriori ad ipsam, cum quantitas sit ratio extraneizandi partes. In priori enim ad quantitatem partes substantiæ naturaliter possunt esse simul, ut nobiscum etiam fatetur arguens, dum censet, quod opera Angeli possint esse simul. Partes autem per quantitatem taliter extraneizantur, ut esse simul non possint naturaliter. Per quod patet ad secundam instantiam.

Ad Tertiam verò dicendum in primis est ejus solutionem pendere à solutione alterius difficultatis, videlicèt per quid primò res corporea distinguatur à re spirituali, in cujus resolutione non unicam esse omnium mentem in Animastica dicam. Interim sunt, qui dicunt substantiam corpoream distingui à spirituali per partium extensionem itaut substantiam corpoream definiant in ordine ad quantitatem. Inter hos invenio Suarezium *disp. 36. ubi de substantia materiali sect.* 1. Sunt alii, qui docent substantiam corpoream distingui à spirituali, quia afficitur accidentibus sensibilibus, quorum affectionem non importat substantia ipsa spiritualis. Alii verò per diversam abeuntes viam sustinent substantiam corpoream distingui à spirituali per hoc, quod importet partes integrantes, quæ partes à substantia corporea præcisa quantitate solùm importentur in confuso, non verò, ut distributæ, itaut conceptus primus substantiæ corporeæ sit plures partes habere præscindendo, an sint distributæ, nec ne. Ex his diversis dicendi modis tertius solidior videtur, & tutior, cui insistendo facilis est ad tertiam instantiam solutio, & quidem in forma, negando antecedens, ad cujus probationem distinguo majorem. In conceptu substantiæ corporeæ, & completæ, ut distinguitur à spirituali, involuitur pluralitas partium integralium, vel ordinatim distributarum, vel non, concedo majorem, distributarum subdistinguo ratione quantitatis, concedo maiorem, aliter, nego maiorem, & distinguo minorem, absurdum est quod talis conceptus substantiæ corporeæ dependeat à quantitate pro eo signo, pro quo intelligitur conceptus substantiæ corporeæ concedo minorem, alter, nego minorem, & consequentiam. Distinctio patet.

Ad quartam verò instantiam concessis præmissis negatur consequentia. Fit enim transitus ab actu primo ad actum secundùm, nimirum ab exigentia partium, ad earumdem actualem extensionem. Vel aliter sic distingui potest minor; Sed huius nequit assignari alia ratio, nisi quod exigat connaturaliter substantia Elefantis plures partes substantiales distribuendas media quantitate, concedo minorem, distri-

distributas in priori ad quantitatem nego minorem & consequentiam. Distinctio patet, sicuti solutio ad ultimum ex superius dictis.

Arguit tertiò Martinez in suis manuscriptis propugnando quantitatis essentiam consistere in impenetrabilitate. Omnes effectus formales quantitatis, qui assignantur, sunt proprietates consequentes ad hunc conceptum impenetrabilitatis. Ideo enim est diuisibilis quantitas diuisione physica, quia partes sunt inter se impenetrabiles. Si enim penetrarentur non posent dividi physico modo. Ideo quantitas est mensura, sive actiua, siue passiua, quia partes sunt extensæ; ideo autem sunt extensæ, quia sunt inter se impenetrabiles; ergo à primo ad ultimum impenetrabilitas est prima radix, ex qua omnes aliæ proprietates quantitatis dimanant

Confirmatur, & simul explicatur à me hujus doctissimi Patris Societatis argumentum. Ideo Theologi Thomistæ communiter cum Illustrissimo Petro de Godoy reponunt Dei esseniam in substantia immateriali à se radicaliter intellectiua, & compræhensiua diuini esse, quia omnia attributa Deo conueniunt ratione substantiæ omnino immaterialis, tamquam primæ radicis: Deus enim intellectiuus est, quia immaterialis, & eternus, quia immutabilis est; immutabilis verò, quia est actus purissimus; actus verò purissimus, quia est omninò immaterialis; ergo à pari, quia omnes proprietates quantitatis in impenetrabilitate primò refunduntur, hæc erit quantitatis constitutiuum.

Confirmat secundò argumentum etiam ex causa finali quantitatis, quæ in dicta impenetrabilitate maximè salvatùr. Cum enim corpora debeant constituere pulchritudinem sensibilem, & se defendere à contrariis, quantum possunt, eisque resistere, ne citius destruantur, conveniens est, ut detur in substantiis corporeis quoddam vallum, per quod exigant non penetrari cum aliis, & per hoc constituunt ordinem corpora, & se à contrariis defendunt, ne penetrentur cum aliis. Hoc vallum est quantitas; ergo quantitas constituit substantias corporeas impenetrabiles.

Respondeo, quod ad hoc, ut essentia quantitatis reponatur in impenetrabilitate, non sufficit, ut ad ipsam consequantur effectus formales convenientes quantitati; sed ulterius exigitur, quod ipsa non consequatur ad alium effectum priorem proprium quantitatis. Consequetur autem in casu, siquidem quamvis omitterem, quod divisibilitas, ratio, mensura, & extensio conveniat quantitati ratione impenetrabilitatis, quam plures Scotistæ primam quantitatis proprietatem inter cæteras affirmant, eo quia sicuti, prius est, quod quantitas sit actu extensa in ordine ad locum, quàm quod actualiter dividatur, seu mensuretur, ita prius convenit quantitati naturaliter exigentia extensionis in ordine ad locum, vel impenetrabilitas, quàm conveniant mensurabilitas, & divisibilitas; attamen impenetrabilitas etiam consequitur ad aliud prædicatum, nimirum, vel ad locabilitatem circumscriptivam, vel ad ipsam extraneitatem partium quoad se; sicuti esto omitteremus gradum intellectivi radicare proprietates spectantes ad lineam operandi, omittere tamen non possumus, quod radicer, vel prior sit comparatione facta ad proprietates spectantes ad lineam essendi, uti sunt immensitas, æternitas. Hæc enim cum sint perfectiones spectantes ad lineam essendi, debent præcedere gradum intellectivum, qui ut optimè advertit Illustrissimus noster Lodigerius, vel pertinet ad lineam operandi, vel ad illam proximior accedit. Quod totum contingit etiam in casu, siquidem valet, & quidem à priori: ideò res est impenetrabilis, quia habet partes quoad se extraneas.

Næc primi argumenti confirmatio ad rem facit, nedum quia procedit in Thomistica sententia, quam in materia de Deo uno nostri sapientissimi, & Illustrissimi Magistri Georgius Soggia, & Calistus Lodigerio reprobant *tom 1. lib. 1. disp. 2. quæst. 3. cap 2.* verum etiam quia falsum est, quod omnia prædicata divina ultimò debita sint Deo titulo substantiæ immaterialis, tamquam primæ radicis, cum potius omnia sint debita ratione ipsius esse purissimi, quod radix prima, & fons est omnis divinæ perfectionis. Sed de hoc alibi adversus Thomistas constitutivum Dei in ratione substantiæ omninò immaterialis ferè communiter reponentes, uti inter cæteros legere potestis Illustriss Petrum de Godoy *quæst 2. de Deo Uno tract. 1. disp 4. §. 52.*

Ultima tandem confirmatio sua est destituta veritate, siquidem etiam concesso, quod detur quantitas corporibus, ut magis resistant contrariis, quod facit corpus, constituendo impenetrabile localiter cum alio corpore, & consequenter cum sibi noxio adhuc remanet arguentem doctissimo probandum, quod hic finis primarius sit, & quantitati intrinsecus, non verò præcisè secundarius, ut aliquid Pater Martinez obtineat adversus nostrum assertum.

Arguit quartò eximius Doctor Suarez, ut suam firmet sententiam constituentem essentiam quantitatis in aptitudinali extensione. In eo consistit quantitatis essentia, quod nec intelligitur in priori ad ipsam, nec ab ipsa est separabile; atqui extensio aptitudinalis, seu quod res nata sit habere localem extensionem, non intelligitur in priori ad quantitatem, & est effectus inseparabilis à quantitate; ergò in hac extensiune aptitudinali debet consistere. Probat minorem idem Auctor his verbis: *unde si partes materiæ sine quantitate essent, indifferenter esse possent, vel in eodem ubi, vel in diversis. Quod ergo sint ita disposita, ut necessariò requirant ex natura res situs diversus id provenit à quantitate.*

Respondeo argumentum hoc, nec probabilem reddere Suarezii sententiam, siquidem, vel vis argumenti consistit in hoc, quod extensio localis aptitudinalis sit quantitatis essentia, quia hæc in substantia non intelligitur in priori ad quantitatem, vel quia inseparabilis est ab ipsa quantitate. Si primum; ergò dicam ego, cum etiam in priori ad quantitatem res non intelligatur mensurabilis, sed mensurabilitas rei conveniat, quia quanta est, profectò eodem jure affirmari poterit quantitatis essentiam consistere etiam in mensurabilitate. Si verò secundum affirmet; ergò quia pariter impenetrabilitas inseparabilis est ab ipsa quantitate, in ipsa reponi poterit constitutivum quantitatis, quod etiam pro libito dici posset, loquendo de mensurabilitate. Pro omnibus itaque solutio est quod id, quod non intelligitur in priori ad quantitatem, nedum est ipsius quantitatis essentia, verum etiam sunt ipsius proprietates, quæ pariter inseparabiles sunt ab ipsa, si accipiantur in actu primo, unde non tenet modus hic arguendi: *extensio localis aptitudinalis non intelligitur in re in priori ad quantitatem, & ab ipsa est inseparabilis; ergò hæc est ejus essentia, seù primus conceptus.*

Arguit ultimò Mastrius, ut suam firmat sententiam, quæ reponit quantitatis essentiam in exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad eumdem locum. Quando à priori ratio formalis rei dignosci

non

non poteſt, tunc inveſtigari debet à poſteriori, recurrendo ad aliquem effectum ita proprium illius rei, ut non ab alia re oriatur; ſed videmus de facto ſubſtantias corporeas eſſe impenetrabiles; ergo videndum eſt, quodnam ſit principium iſtius effectus, ſed hoc nequit eſſe ipſa ſubſtantia, quia quamvis ſubſtantia in ſua conſtitutione petat extenſionem localem, hæc tamen exigentia non eſt talis, ut penetrationem prorſus excludat. Nec hoc principium eſſe poſſunt materia, & forma, quia iſta ſe compenetrant in compoſito; ergo erit ſola quantitas, ratione cujus ſubſtantiæ convenit impenetrabilitas; ergo in hac reponenda erit quantitatis eſſentia.

Confirmatur. Eſſentia rei illa dicitur, à qua manant proprietates, quæ illi tribuuntur, ſed omnes quantitatis proprietates fluunt ab iſta forma exigitiva extenſionis localis per partes ſuaptè natura incompoſſibiles in eodem loco; ergo in ea conſiſtit ratio quantitatis. Major patet. Minor probatur, nam impenetrabilitas, quæ eſt prima paſſio, fluvit à tali forma, ut Scotus docet *in 4. diſt. 49 quæſt.* 16. diviſibilitas phyſica per inſtrumentum corporeum, quæ eſt paſſio quantitatis à tali quoque exigentia diverſorum locorum originatur, ut idem Scotus declarat *in 4. diſt. 1. quæſt. 5. litter. F.* Provenit etiam ratio menſuræ tam activæ, quàm paſſivæ, quia enim quantitas habet partes extenſas impenetrabiles, poteſt una applicari alteri, & eam menſurare, vel menſurari.

Hoc argumentum, quod potiſſimum eſſe ad firmandam Scoti ſententiam affirmat Maſtrius, & ex Scoto deſumitur *in 4. diſt. 49. quæſt.* 16. quidquid alii dicant, mihi ſemper inefficax viſum eſt, quamvis ipſo quamplures doctiſſimè ejuſdem ſcholæ auctores ſæpè ſæpius utantur. Ratio autem hoc ſuſpicandi eſt quia per ipſum nihil aliud demonſtratur, quàm quod impenetrabilitas, ejuſque exigentia ſubſtantiæ corporeæ ratione quantitatis conveniant. An autem conveniant per modum effectus primi, vel primi prædicati ejuſdem quantitatis (quod tamen hic in dubium revocamus) nec verbum quidem eſt in argumento, adeoque eandem pariter inefficaciam, quam in ſe includere vidimus ſuperius Nicolai Martinez argumentum, quod in ſuis manuſcriptis in Phyſica *diſp.* 4 *quæſt.* 19. *cap.* 1. refert & ſuperius examinavimus. Quod ſi dicas etiam hoc Scotum fortiter ſuadere ſubſequenti confirmatione, dico à nobis non videri. Ratio autem hoc afferendi non unica eſt. Prima in ordine eſt, quod à nullo Scotiſta hucuſque non aſſignatum eſt, quid ſit hoc prædicatum exigitivum impenetrabilitatis, quod quantitatis proprium ſit, cum tamen hoc hic inquiramus. Secundò quia hæc exigentia impenetrabilitatis aliud prædicatum ſupponit ejuſdem quantitatis proprium ratione cujus ſubſtantia corporea hanc exigit impenetrabilitatem. Supponit enim partium extraneitatem quoad ſe, vi cujus ſit, quod ſubſtantia corporea exigat partium impenetrationem. Valet enim. *Ideò ſubſtantia corporea exigit non penetrari cum alia, quia habet partes, quarum una eſt extra aliam.*

## QUÆSTIO QUINTA.

*De compoſitione continui, vel de partibus continui.*

Controverſiam ſub hoc titulo propoſitam non mediocrem præcontinere difficultatem omnibus notum eſt. Pro viribus ipſam dirimere conabor, quod ut clarius fiat; aduertere libet in hac re triplicem præcipuam adeſſe ſententiam. Prima ſuſtinet partes continui eſſe puncta mathematica, ita indiuiſibilia, ut careant longitudine, latitudine, atque profunditate. Secunda ſententia defendit puncta phyſica indiviſibilia, & extenſa quoad ſe, quæ partim conveniant cum rebus ſpiritualibus, quatenus ſimplicia ſunt, partim verò differant, quia aſtringuntur dimenſionibus ſuæ propriæ mollis, ita ut non poſint ſub maioribus, vel minoribus poni dimenſionibus. Huic ſententiæ adhærent omnes Atomiſtæ.

Tertia eſt peripatetica, quæ propugnat continuum componi ex partibus ſemper diuiſibilibus. Huic adhærent etiam omnes Carteſiani, qui nolentes phraſim hanc *diviſibile in infinitum*, aliam aſſumunt, videlicet diuiſibile in indefinitum, in quo à vero non parum diſtant, cum rem eſſe *diviſibilem in indefinitum*, idem ſit, ac eſſe diviſibilem in infinitum nec obſtat quod obiter aſſerit quidam nouiſſimus Carteſii Alumnus, vocabula videlicet peripatetica aſſumi non poſſe, quia hæc præſeferunt in materia partes actu infinitas; non officit, inquam, quia ſi infinitas partium actualis non exigitur, ut indemnis ſaluetur diviſibilitas in indefinitum, nec quoque neceſſaria erit, ut intelligatur diviſibilitas in infinitum, ut clarius oſtendam in progreſſu controverſiæ, quæ ut dirimatur ſit.

## CAPUT PRIMUM.

*Continuum non componitur ex indiviſibilibus.*

Ne in communem incidamus errorem, hoc unum aduerto me hic non velle oſtendere continuum non componi ex punctis, nedum diviſione, ſed etiam extenſione carentibus. Hæc enim à modernis, quod ſciam non propugnantur; ſed impugnare conabor continui compoſitionem ex illis corpuſculis indiviſibilibus, & extenſis diverſas figuras, vel facies habentibus eiuſdem, vel inæqualis activitatis determinatum ſpatium occupantibus. Quod antequam fiat ulterius monere placet, me non percipere robur, quod deſumitur ex auctoritate Concilii Conſtantienſis contra compoſitionem continui ex punctis, ut olim putabat Ioannes Hus, non quidem quia anxius ſim de huius Sacri Concilii auctoritate (conciliatiter enim reprobatas fuiſſe propoſitiones Ioannis Hus edocet Martinus Quintus in Bulla de eiuſdem, & aliorum erroribus, illis verbis: *Condemnationes Ioannis Wicleſi, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga de perſonis eorum, libris, & documentis per Sacrum Generale Conſtantienſe Concilium factas ritè, & iuſtè facta, & à quolibet Catholico pro talibus tenenda, & firmiter aſſerenda)* ſed quia mihi perſpectum non eſt quænam puncta tanquam continui conſtitutiua fuerint reprobata à Concilio, niſi prius innoteſcat quænam approbaret Ioannes Hus, nimirum an Zenoniſtica, an quæ communiter circumferri ſolent à modernis. Quod totum, cum omnino incertum ſit, dubia quoque eſt proſcriptio ſententiæ, quam impugnamus, ut videre poteſtis magis difuſè apud de Quiros ſocietatis Ieſu.

Alia ergo via arguendum eſt, & prima ſit, quæ communiter affertur in eo reſidens, quod datis his corpuſculis extenſio non haberetur, quamuis corpuſculum quodlibet ſua ſit inſignitum extenſione, quod ſic oſtendo. Puncta hæc, vel ſe tangunt vel non. Si ſecundùm dicatur, jam non habetur continuum, ut patet, & ut aduerſa pars concedit. Si

verò primum affirmetur: denuò inquiro, vel tactus hic est secundùm se totum, vel secundùm aliquid; non primum affirmari potest, quia in hoc quod est unum aliud tangere secundùm se totum importatur mutua compenetratio; ea autem est natura unius extremi cum altero compenetrati, ut cum illo majorem extensionem non efficiat. Nec secundùm affirmari potest, quia in indivisibili non est aliquid, & aliquid.

Contrà rationem hanc ferè infinitæ sunt Aduersariorum evasiones. Præcipua tamen est atomos, quamvis indivisibiles aptas esse ad extensionem efformandam propter peculiarem extensionem qua quælibet gaudet. Atomus autem una, aliam tangeret atomum, nec secundùm se totam, neque secundùm partem, sed secundùm latera, aut secundum sui extremitates, quemadmodum etiam alia corpora se mutuò tangunt. Aliud enim est tangere aliud penetrare: Una pars aliam tangit, sed non penetrat, & ita etiam atomus, seu minima pars, atomum tangit, sed non penetrat, neque in eodem cum ipsa est loco. Quod enim de magnis partibus, id proportionaliter etiam de minimis statuendum est. Argumentum itaque superius positum non urget, & si urget, solum urget contra creditam Stoicorum sententiam, in qua atomi censentur, ne dum indivisibiles, verum etiam inextensæ. Sed

Contrà est; diversitas enim facierum non tollit ipsarum indivisibilitatem, ergò non tollit quin dum se tangunt, tactus sit secundùm totum suum esse entitativum; ergò non tollit, quin idem sortiantur spatium; ergò etiam quin compenetrentur, & consequenter ineptæ erunt ad extensionem efformandam, non quia ipsa careant, sed ob mutuam penetrationem futuram in continui compositione. Ulterius diversitas facierum, vel facit quod una atomus progrediatur ultra alteram, vel non, si primum; ergò jam erit aliquid, & aliquid, nempe aliquid tangens primum punctum, aliud verò non tangens, sed ad ipsum consecutum. Si verò secundùm dicas; ergò jam est compenetratio, & consequenter non major extensio extensione prioris atomi habebitur. Ultimò tandem, quia implicantiam invenio in structura talium corpusculorum, ut monui initio physicæ. Mihi enim valdè difficile est sustinere atomum quamlibet diversas habere facies, spatium divisibile, seu correspondentiam diversis partibus loci sortiri, atque simul secundùm se extensam esse, & deinde divisibilitate carere. Quamvis enim res aliqua indivisibilis occupare possit spatium divisibile, tamen nulla res esse potest, quoad se extensa, & simul indivisibilis, quidquid deinde sit, an res materialis differat à re spirituali, vel per determinatam dimensionem suæ propriæ mollis, vel penes impenetrabilitatem, uti quamplures recentiores docent, & præcipuè Maygnan, vel penes divisibilitatem, vel extraneitatem partium, quoad se, uti nonnulli Peripatetici sustinent.

Respondent secundò alii primum indivisibile tangere secundùm se totum aliud, quin sequatur utriusque penetratio, quia ad hoc, ut unum punctum aliud tangat, sufficit unum alteri esse unitum, vel continuum. Quod ex motu sphæræ supra planum liquet: Sicuti enim una superficies, licèt aliam totam tangat, non penetrat illam (alioquin non gemina superficies, aut quantitas foret, sed una) ita unum punctum, licèt immediatè alterum tangat, non tamen illud penetrat. Sed

Contra est quia tactus unius secundùm se totum est formalissime quod sit in eodem loco cum illo, alias non esset tactus secundùm se totum, si unum spatium diversum occuparet ab alio; sed quoties unum est in eodem loco cum altero, est cum illo penetratum, ut omnibus notum est; ergò tactus unius atomi cum altera imprescindibilis est à penetratione. Exempla autem adducta non urgent, quia nec sphæræ planum, nec una superficies aliam tangit in puncto indivisibili.

Dices extensum esse potest modo inextenso, ut patet in ipso Eucharistiæ Sacramento, in quo quantitas Corporis Christi est modo indivisibili quoad locum; ergò etiam inextensum facere poterit extensionem, seu esse modo extenso. Secundò quia simplex potest facere compositionem, si cum altero conjungatur, ut patet in ipsa anima rationali simul cum corpore; ergò etiam indivisibile inextensum facere poterit extensionem. Consequentia hæc liquet paritate rationis. Tertiò quia hæc corpuscula, quamvis formaliter sint inextensa, sunt tamen virtualiter extensa, adeoquè apta ad extensionem efficiendam.

Sed contra est; sic enim arguentes potius videntur defendere Zenonis, quam Gasendi, Maignan, aliorum que sententiam. Nihilominus omnibus occurro, & ad primum disparitas est, quod extensum esse modo inextenso quoad locū, est extensū suo privari effectu secundario, primario supposito, nimirū partiū extraneitate quoad se, in quo nullam video repugnantiam; at verò omnino inextensum facere extensum est formalissime, quod res habeat effectum secundarium non habito primario, vel quod tribuat effectum, quem non præcontinet, quod repugnat. Ad secundùm verò dico, quod sicuti summè simplex non valet cum altero facere compositionem, ita omnino inextensum, uti puncta Zenonis facere non poterunt extensionem. Anima autem rationalis non est summè simplex, quia etsi excludat compositionem ex his, videlicèt ex partibus physicis, non excludit tamen compositionem cum his, quinimò hanc admittit, cum constituat cum corpore totum physicum substantiale. Tertium verò & ultimum quod affertur, nullius est roboris; effectus enim formaliter talis prouenire nequit, nisi à forma formaliter tali; sed in continuò invenitur formalis extensio; ergò forma tribuens hanc extensionem esse debet formaliter extensa. Maior certa est ex discrimine intercedente inter causas formales, & efficientes in ordine ad suos effectus, quarum primæ formaliter effectum continere debent, quapropter dixi initio physicæ, quod anima rationalis, ut dare posset esse corporeum deberet esse formaliter talis; secundæ verò sufficienter per virtualem continentiam, aut eminentialem saluantur.

Secundò ostenditur conclusio. Quælibet linea debet posse secari in duas partes æquales; sed si componeretur ex punctis hoc esset falsum, ergò. Minor explicatur. Da enim lineam septem habentem puncta; hæc ad hoc ut secaretur in medio, deberet secatis sex, septimum pro medietate secari; atqui hoc fieri nequit, cum indivisibile sit; ergò quia in indivisibili non datur medium, & linea dividi non poterit in duas partes æquales.

Huic rationi plausibilis Atomistarum solutio est lineam physicam ex punctis imparibus constantem in duas æquales partes non esse divisibilem; nec obstate docent axioma mathematicom, quo omnis linea statuitur divisibilis in duas æquales partes, siquidem non aliu sensu admitti potest, quam lineas longiores in tam equales posse dividi partes, ut illarum differentia, vel inæqualitas oculis non pateat, nec instru-

instrumento aliquo deprehendi queat. Ecquis enim inæqualitatem ex unica atomo exurgentem aduertat? aut quis propter unius atomi differentiam lineas inæquales dixerit? & cum Peripaterici lineas in infinitum divisibiles esse putent, unde id olfaciant audire velim, in una parte lineæ non esse plures particulas, quam in alia, vel omnem lineam constare partibus numero paribus: nisi enim lineæ partes numero pares sint, in equales partes dividi non poterit.

Sed contrà est, & primo nescio, quo privilegio Atomistæ sic respondentes, axioma relatum coarctare velint ad solam non apparentiam inequalitatis, cum aliundè quamplures mathematici sustineant verè quamlibet lineam in se divisibilem esse in partes perfectè equales Videantur Taquet, Dechales & nouissimè Michael Angelus Fardella in Patavino liceo Astronomiæ, & mereototum Professor. Peripatetici autem hoc optimè sustinent, quamuis lineas in infinitum divisibiles esse defendant, quia æqualitas, vel inequalitas partium lineæ diversarum non desumuntur à partibus minoribus, & minoribus, sed ab equalibus, in quibus facilè est invenire equalitatem.

Probatur tertio conclusio ratione efficaci. Inter motus locales successiuos non interruptos unus est altero velocior, ut v. g si simul moveantur toto conatu Ceruus, & Testudo, certè velocius movetur Ceruus, quam testudo, sed si continuum permanens constitueretur ex punctis indivisibilibus, hoc esset impossibile; ergo &c. Ostenditur minor, quia impossibile est quod unum moveatur velocius alio, quin eodem tempore excurrat plures partes spatii, quam excurrat aliud, sed Ceruus non posset excurrere plures partes spatii, quam Testudo, ergò. Probatur minor, & claritatis gratia dividamus horam in centum instantia. curr ant per totam illam horam Ceruus velocissime, & Testudo tardissimè, & accipiatur unum indivisibile Cerui, & aliud indivisibile Testudinis, iam sic. Indivisibile Cerui in primo instanti aquirere nequit, nisi unum punctum spatii, quia alioquin illud indivisibile pro eodem instanti esset in duplici puncto spatii, adeoque in duplici loco adæquato. Pariter nequit aquirere minus, quàm unum punctum spatii, quia primum est omnino indiuisibile, sed non datur quid minus indiuisibili; ergò, sed totum hoc verificati debet etiam de indiuisibili testudinis se mouentis, quia pro illo primo instanti propter easdem rationes non posset aquirere nec majus, nec minus spatium, idemque valet de reliquis instantibus totius horæ, ergò in tota hora æquales partes spatii conficerent Ceruus, ac Testudo, ergò æqualiter se mouerent.

Huic argumento non unica est solutio apud recentiores. Præcipuas de more reffero, & primò nonnulli respondent adhuc assignabilem esse motum cellerem, & tardum. Cum enim, dicunt, ad transitum unius atomi necessariò requiratur motus instantaneus, & neque plus, neque minus temporis, quam momentum in eo consumi possit, etiam patet illum motum esse cellerimum, quo singulis momentis atomi unius spatium absolvitur, siqui dem plures uno momento transiri non possunt propter superius dicta. Tardior autem motus est, quando ad atomi unius transitum duo, vel plura momenta impenduntur. Exempli gratia si ad transitum lineæ 100. atomorum impenduntur 100. momenta, motus erit velocissimus, quia minori spatio absolvi non potest; si verò impendantur momenta 200. ad ejusdem lineæ transitum, vel 300. motus erit duplo, vel triplo tardior, ut patet.

Unde jam facilè intelligitur cum pro numero atomorum requirantur momenta, & solùm centum atomi in linea ponantur, reliquis momentis, non fieri motum, sed quietes esse, seu cessationes, à motu. Itaut motus tardus nihil aliud sit, quàm motus, inter cujus particulas quietes variæ sunt interjectæ; unde etiam quo plures in motu quietes interveniant, & etiam motum magis tardum esse apparet. Motus itaque velocissimus concipi potest tanquam linea constans punctis inter se continuis, cujus partes separatæ non sunt. |—|—|—| |—|—|— —|—|—|—| Motus verò tardus tanquam linea constans partibus separatis — — — — — — — — — Itaut interstitia concipiantur tanquam quietes; unde etiam ad oculum appaеret eo tardiorem esse motum, quo plura, vel majora interstitia intericiuntur.

Sed hæc solutio adeò falsa est, ut à quàplurimis Atomistis impugnetur, & inter istos à Docto Viro Emanuel Maignan docente tarditatem motus globi exploси à Bombarda respectu Solis à morulis desumi non posse; & hoc quia globus ipse quiescere nequit, cum nec careat vi impulsiva, nec aer virtutem habeat totaliter sustinendi ejus impetum pro aliquo instanti, nec aliundè, quia ut supponitur deficit spatium, in quo moveatur. Ratio autem, cur motus Testudinis sit tardior, est, quia estò continuus sit, est tamen minus concitatus, ut optimè advertit hic idem Maignan in sua Philosophia naturæ *cap.* 10. *proposit.* 3.

Respondent secundò alii superiorem rationem vim solummodò habere contrà Zenonistas, corpus componentes ex atomis, nedum indivisibilibus, verum etiam extensione carentibus, non verò adversus Gasendistas, cuilibet suam tribuentes atomo extensionem; cujus ratio obvia est, quia si atomi essent extensæ, fieri optimè poterit, ut mobile tardius mediam solum partem atomi percurrat, dum mobile velocissimum integram peragrabit. Sed

Contra est, firmiter enim censeo superius argumentum mirificè urgere etiam recentiores Atomistas, quia esto isti atomos ponant extensas, quod primi non faciunt, nihillominus cum atomum fateantur indivisibilem, jam in ipsa non erit medietas, quam percurrere possit mobile tardum; ergo in unico instanti indivisibile spatii totum percurrendum erit cum impotentia ad insumendum, vel minus, vel majus spatium propter dicta, sed hoc idem valet etiam de mobili velocissimo; ergo argumentum relatum suam vim habet etiam contra recentiores Atomistas.

*Resp.* tertiò alii, tempus, motum, & spatium esse composita ex pluribus partibus Mathematicis, quæ tamen cum non sint entitates aliquæ reales, & physicæ periculum non est; quod sequatur numerus actu infinitus ex ipsis. Hæc autem omnia si mathematicè inspiciantur, optimè explicare possunt tarditatem, vel velocitatem motus, cum in hac acceptione suas habeant partes.

Contrà est; motus enim Testudinis nedum mathematicè, sed etiam phisicè inspectus tardior est motu Cerui; ergò physicè loquendo assignari debet ratio, quomodò contingat illius tarditas, & hujus velocitas, quæ cum aliundè afferri nequeat propter dicta in argumento, iam argumenti robur non vitamus, per hoc quod spatium, & cætera mathematicè inspiciantur.

Probant alii quartò, & ultimò contrà Atomistas assertum, & quia si linea fieret ex punctis, linea

linea quatuor punctorum longior esset, quam trium, sed non esset longior, nisi propter unum punctum; ergò punctum illud habebet in se aliquam longitudinem. Patet hæc consequentia, quia per id quod longitudinem non habet nequit aliquid dici longius. Sed

Huic rationi Benedicti Peteire non assentior, concedo enim lineam quatuor punctorum longiorem esse linea trium, nego tamen inde sequi punctum habere suam longitudinem. Licet enim punctum longitudinem non habeat in se, eam tamen causare potest sicuti unitas, licet numerus non sit, numerum tamen causare potest si unitati addatur; similiter etiam anima rationalis licet homo non sit, cum corpore tamen hominem constituit, & pars quæ totum non est, cum parte totum componit, ut notum est.

## CAPUT SECUNDUM.

*Sententia peripatetica ratione comprobatur.*

PRopemodum infinitæ sunt rationes, quibus Peripatetici suam firmant sententiam, quæ omnes videri possunt apud Auuersam, aliosque, qui quibusdam inhærentes principiis mathematicis superius impugnatam opinionem solent denuo improbare. Nos his omnibus omissis vnica ratione directè peripateticam sententiam ostendimus, illaque est, quam communiter circumferre solent Auctores, si excipiatur Pereira, ipsam non referens in suis viginti rationibus. Hæc autem sic procedit de ratione rei quantæ, ut quantæ, est quod eius divisio fiat in partes semper divisibiles; ergo partes in continuo sunt divisibiles, non vero indivisibiles. Probatur antecedens de ratione rei quantæ, ut quantæ est, quod divisio fiat in partes quantas, ut quantas. Hæc propositio liquet, quia omnis res, quæ dividitur in eas partes dividitur, ex quibus componitur. Cum autem corpus quantum componatur ex partibus quantis, iam in ipsas dividi opus erit; sed de ratione partis, quantæ qua talis, est, quod sit divisibilis quoad se: divisibilitas enim quoad se, vel est essentia ipsius quantitatis secundum aliquos, vel saltem ipsius proprietas inseparabilis; ergò. Hæc est præcipua ratio, quam exhibeo lectori, cui semper adhæsi, & quæ variis in Thesibus ab Atomistis conantibus ipsam reprobare, suo robore nunquam fuit destituta.

Hac autem stante sententia Peripatetici vitant superius recensita absurda, in quæ tamen se præcipitant Atomistæ. Vitant primum, quia cum faciant partes continui extensas, & divisibiles, istæ optimè poterunt se tangere, quin faciant compenetrationem, videlicet se tangendo secundum unam partem, quin se tangant secundum alteram, undè immeritò quamplures Atomistæ asserere ausi sunt superiora argumenta etiam contra nos vrgere. Vitant secundum, quia cum v. g. septima pars pariter sit diuisibilis, & extensa poterit etiam ipsa seccari, sicque lineæ in medio habebitur divisio. Vitant tertium, quia cum ponant motum, spatium, mobile habere partes phisicè divisibiles, & extensas, optimè intelligere possunt Peripatetici unum motum alio velociorem esse; Sed

Dices cum Maygnan de ratione rei corporeæ non est diuisibilitas, sed solùm quod ipsa astringatur dimensionibus suæ propriæ molis, habeatque necessario dimensiones formales, cum impenetrabilitate, quæ omnia non conueniunt rei spirituali, cum omnibus notum sit res spirituales non adstringi determinatis dimensionibus, atque penetrabiles esse. Sed

Contrà est; Doctrinam hanc enim in Animastica reprobabo, dū differentiā primā inter res materiales, & spirituales exposuī: nunc addo imperceptibilē mihi esse rem aliquam habere posse dimensionem hanc formalem, & non præcise virtualem, simulque impenetrabilem esse, quin partes habeat distributas, sit quæ divisibilis. Undè hic valdè miror Atomistas omnes, qui inepti sunt ad eductionem formarum percipiendam, quomodo deinde nimia facilitate intelligant rem aliquam indiuisibilem esse, vel partibus carentem, simulue impenetrabilem cum formali dimensione, diuersis angulis, & faciebus donatam; Sed videantur alibi dicta, & tota Patris Emanuel Maygnan euasio, falsa apparebit.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

PRimum argumentum contrà potissimam rationem primo loco adductam, sic procedit. Si tertium punctum distet à primo, iam tertium, & primum facere valent lineam, cum facerent localem extensionem; atqui reuera tertium distaret à primo ergò.

Minor probatur; Si Inter primum, & tertium punctum sit aliquod spatium intermedium, jam tertium punctum, vel tertia atomus à prima distaret; atqui reuera est aliquod spatium intercedens, videlicet spatium occupatum à secundo puncto, quod ratione suæ formalis extensionis spatium occuparet, ergò

Confirmatur numerus crescit ex solis unitatibus Indiuisibilibus; ergò similiter ex additione atomorum crescere poterit longitudo.

Respondeo spatium secundi puncti, vel secundæ atomi non inueniri, cum mihi sit impossibile secundam atomum juxta sui structuram spatium diuisibile occupare. Atomus enim quæ indiuisibilis est, & simul quoad se extensa repugnat. Secundò quia spatium hoc intermedium solùm à secundo puncto occupatum addesse nequit propter compenetrationem, quam prætendimus infallibiliter futuram inter secundam Atomorum cum prima.

Ad confirmationem dupliciter respondeo primò quia longitudo ex additione punctorum, mathematicè, & geometricè solùm augeri potest, non verò extensione physica, de qua solùm est difficultas. Secundò disparitas est, quia numerus non est aliud, quam nuda collectio multarum unitatum, undè fit, quod numerus crescat secundum multitudinem per hoc præcisè quod unitates plures colligantur: at verò longitudo non est collectio, vel præcisa juxta positio punctorum, ut plurium, sed tal ium ut singulorum additione major fiat unius extremi ab altero distantia localis, quam haberi non posse per atomos diximus.

Arguit secundò Maignan. Si per impossibile subjecta ipsa relinquerentur in priori naturæ sine unionibus illa essent vere indivisibilia. & puncta, quia sine unione non est compositio; ergo etiam de facto sunt in se indivisibilia, licet ex adventu unionis superadditæ fiant accidentaliter divisibilia. Probatur hæc consequentia, quia anima rationalis ex se ante unionem est indivisibilis, etiam post unionem eandem retinet indivisibilitatem; ergò si subjecta, vel partes continui pro priori naturæ ad omnes uniones sunt indivisibiles, sic etiam erunt

post

post unionem. Et ratio totius à priori est, quia indivisibilitas rei non tollitur per unionem. Hæc enim solùm directè opponitur separationi, seu sejunctioni.

Respondeo impossibile esse quod à continuo separentur omnes uniones, siquidem cum continuum involvat essentialiter plures partes, & istæ essentialiter includant alias partes, semper divisibiles in potentia, de consequenti includunt essentialiter etiam plures uniones. Quod si dicas, supponamus omnes uniones auferri à continuo, dico quod in tali hypothesi non esset resolutio continui, quia non esset resolutio in partes quantas, vel ulterius divisibiles, sed penitus indivisibiles.

Contra priorem solutionem instabis primò. Ea, quæ uniuntur, distinguuntur realiter ab unione; sed inter ea, inter quæ cadit distinctio realis, poterit dari corruptio unius sine altero; ergo poterit optimè Deus destruere omnes uniones repertas in continuo, relinquendo partes continui, vel saltem intentionaliter præscindere omnes uniones à partibus quantitatis.

Instabis secundò divisibilitas est solùm propietas per nos rei quantæ; ergo erit ab ipsa separabilis; ergo poterit deveniri ad ultimam divisionem, assignando partem, quæ non sit ulterius divisibilis.

Instabis tertiò, quia unio non est de essentia materiæ, & animæ, benè possunt hæc separari; ergo quia puncta unitiva, & terminativa, non sunt de essentia partium, poterint omnia separari ab his partibus: sed separando omnes uniones dabitur ultima divisio, & ultima resolutio; ergò est possibilis ultima divisio; sed hac concessa jam partes erunt indivisibiles; ergò.

Instabis quartò subjectum unionis debet saltem pro priori naturæ ipsam præcedere; sed pro illo priori subjectum intelligi nequit compositum, cum ante unionem non sit compositio; ergo pro illo priori subjectum erit indivisibile; sed hoc subjectum sunt partes continui; ergo istæ sunt indivisibiles.

Instabis quintò. Divisio unius partis non repugnat cum divisione alterius, nec ulla est prorsus divisio, quæ alteri repugnet; ergo omnes divisiones poterunt simul fieri.

Instabis sextò Deus taliter hodiè videt omnes divisiones, quæ simul, & successivè fieri possunt, ut præter divisiones, quas hodie cognoscit, nulla amplius sit possibilis, alioquin aliquod possibile non cognosceretur hodie à Deo; ergo Deus cognoscit tale continuum, redactum ad indivisibilia. Probatur hæc consequentia, quia si non cognosceretur continuum redactum ad indivisibilia, jam remanerent aliæ divisiones cognoscendæ à Deo præter illas, quas de facto cognoscit.

Instabis septimò, quia potest aliqua unio separari à continuo; ergo poterit omnis. Consequentia hæc liquet: ideò enim potest aliqua, quia hæc non ingreditur essentiam partis; sed etiam nulla ingreditur, cum omnis distinguatur; ergo.

Instabis ultimò. *Si* datetur actu una qualitas infinitè intensa, deberet Deus posse dissolvere unica vice omnes illos gradus reddentes qualitatem infinitè intensam; ergo similiter Deus poterit omnem divisionem possibilem facere.

Respondeo ad singulas, & incipiendo à prima instantia dicendum est, quod quamvis uniones realiter distinguantur à partibus, adeoque esse possint ab ipsis separabiles, non distinguuntur tamen à partibus ipsis, prout istæ sunt partes continui, quia in hoc sensu essentialiter constituuntur per ipsas uniones, cum essentialiter involvant plures partes, quæ non stant absque unionibus. Quod autem additur intellectum posse præscindere omnes uniones à partibus quantitatis, puto hoc verum esse loquendo de præcisione imperfecta, seu tamquam implicito ad explicitum, ut dici solet de ente, & suis differentiis. Secunda verò instantia non urget, quia quamvis divisibilitas, quoad locum, sit separabilis à re quanta, non est tamen separabilis divisibilitas, quoad se, maximè loquendo de divisibilitate radicali, seu prout hæc importat capacitatem rei quantæ ad dividi. Hæc enim radicatur in ipsa re ut quanta, & est quantitatis proprietas metaphysica, adeoque inseparabilis.

Ad tertiam instantiam dico puncta unitiva, estò non sint de essentia partium, si specificativè inspiciantur, esse tamen de ipsorum essentia, quatenus sunt partes continui constitutivæ, seu prout quantæ.

Ad quartam censeo partes constituentes continuum, accipi non posse in priori naturæ ad omnes uniones, sicuti accipi nequeunt in priori ad se ipsas, cum prioritas, & posterioritas sint termini relativi ad aliud. Ratio autem, ob quam ita accipi nequeant, est, quia partes continui ex genere suo sunt divisibiles, cum sint partes rei quantæ. Partes autem qua divisibiles, seu in priori ad divisionem important unionem inter se, quapropter accipere partes continui in priori ad omnem unionem, est ipsas accipere in priori ad ipsas.

Ad quintam dico ultimam divisionem repugnare, non ratione prioris divisionis, cum nulla determinata divisio alteri repugnet, sed ratione partium, in quas semper facienda est quælibet divisio. Cum enim quælibet divisio fiat in partes quantas, opus est quod quælibet pars secundùm se sit ulterius divisibilis, nunquam deveniendo ad ultimam divisionem. Sexta verò instantia parum urget, quia verum quidem est Deum videre continui divisionem, quæ fieri possit, tum simul, tum successivè; at cum divisio solùm fieri possit, remanendo in partibus divisis potentiam ad ulteriorem divisionem, ita etiam sic solùm videt. Septima verò instantia nullius roboris est; ideò enim aliqua unio separari potest à partibus, quia ex hoc solùm sequitur quantum esse divisibile. Ex separatione autem omnis unionis sequeretur quantum non posse amplius dividi, quod tamen eidem dissonum est, quemadmodum primum conveniens est.

Ad ultimam instantiam, vel negandum est antecedens, quia impossibile est quod Deus dissoluat omnes gradus deveniendo ad ultimum, cum ultimus non sit reperibilis, vel concesso antecedenti afferenda est disparitas, quæ in eo consistit, quod tales gradus essent actu infiniti, adeoque in potentia proxima dissolui. Partes verò in continuo non sunt actu infinitæ, sed solùm in potentia, & quidem inconsumabili, adeoque absque capacitate ad ultimam omnium diuisionem.

Arguunt tertiò alii Atomistæ infinitum Categorematicum numero est omnino impossibile, sed admissis partibus actu distinctis semper in infinitum diuisibilibus sequeretur dari in qualibet minima quantitate infinitum Categorematicum in numero, ergo. Probatur minor. Infinitum Categorematicum in numero est infinita collectio rerum distinctarum tota simul existens à parte rei, sed si omnes partes proportionales continui essent actu distinctæ, jam collectio ipsarum partium esset collectio rerum distinctarum simul existentium à parte rei, ergo.

Confirmat hoc argumentum Illustrissimus Spi-

oula, præoccupaodo folutionem, quam adhibere foleot Peripatetici ftantes pro diuifibilitate continui io infinitum. Ideò tales partes non effent actu infinitæ, quia funt proportionales, & communicantes; fed hæc ratio oon tollit ab ipfis infinitatem in actu, femel conceffa, quod actu fiot diftinctæ; ergò

Probatur minor, quia ex hoc quod fint partes proportionales folùm tollitur, quod conftituere valeant extenfionem fimpliciter infinitam, non verò quod ipfe partes fint actu infinitæ; ergò. Probatur aotecedens. Ex hoc quod partes fint proportionales non tollitur, quin partes fint actu diftinctæ. Vnio enim non tollit diftinctionem à partibus, ergo licèt tollant infinitam extenfionem, non tamen tollunt infinitatem in actu.

Confirmatur fecundò. Si darentur infiniti Angeli actu, quorum quilibet effet actu perfectior, ifti conftituerent numerum actu infinitum, licet minoris, & minoris perfectionis; ergò etiam in cootinuo majoritas, & minoritas partium tollere non debent infinitum io actu, quoties partes funt actu diftinctæ.

Confirmatur tertiò. Si effent affignabiles partes infinitæ in numero actu diftinctæ, nullo pacto communicantes, jam infinitum actu indifpenfabiliter fequeretur, fed de facto tales partes, etiam non communicantes funt affignabiles infinitæ io continuo; ergò. Probatur minor. Diuidatur quantitas bipalmaris in palmum *A*, & *B*, deinde palmus *A*, computetur, palmus vero *B*, non computetur. Deinde palmus *B*, non computatus diuidatur in duos femipalmos, quorum primus fit femipalmus. *A*, fecundus verò femipalmus *B* Semipalmus verò *A*, computetur cum priori palmo *A*: non computetur verò femipalmus *B*, qui femipalmus *B*, non computatus rurfus fubdividatur in duos quadrantes; quorum primus fit quadrans *A*, & hic computetur pariter cum palmo *A*, quadrans verò *B*, non computetur cum palmo. *A*, & femipalmo *B*, & cum illis faciat numerum ternarium. Quadrans verò *B*, non computetur, fed fimiliter diuidatur in duos femiquadrantes, quorum primus folus computetur, & fic conftituet quaternarium; fed iftæ partes quamuis minores, & minores, tameo effent non communicantes, & infinitæ.

Adeo nonnulla ex his argumentis exiftimat *Ermundus Purchotius* noviffimus fcriptor, ut animum obrui afferat. Sed ineptæ hoc ab ipfo affirmari authumo. Ut itaque foluantur, advertenda eft Doctrina, quam communiter tradere folent defenfores diuifibilitatis continui in infinitum, docentes partes proportionales, eftò actu diftinctas, & non finitas, non effe tamen actu infinitas, quia inter fe noo funt difcretè, & diuifæ, fed continuæ, & indiuifæ, cum impotentia ad effe fub unica collectione diuifas, & difcretas, vel ut alii loquuntur cum Schola Diui Thomæ, quia tales partes non habent diuerfa principia exiftendi, cum non habeant propriam exiftentiam, licèt poffint illam habere.

Hac autem breui Doctrina præfuppofita, & maxime prima, occurro unico ictu argumento, & confirmationibus, ultima excepta, afferendo partes in continuo, quamuis actu diftinctas, non effe actu infinitas, quia oulla ex illis eft, ab altera diuifa, & difcreta, atque importans peculiarem unitatem in actu, quæ iodiuifio, & continuatio tollunt multitudinem actu infinitam.

Dices quælibet pars haberet etiam fuam propriam unitatem, haberet enim determinatam effentiam, cujus unitas, eft propria paffio infeparabilis; ergò cum aliundè effent partes inter fe diftinctæ, jam infinitas partium effet actualis.

Contra eft. Utique quælibet pars fua gaudet unitate tranfcendentali, non tamen illa, de qua hic eft fermo, nimirum unitate quantitatem difcretam componente.

Ad ultimam confirmationem refpondeo nullatenus fequi infinitum in actu: non quidem ex parte palmi *A*, ex parte cujus fieret additio partium io infinitum, cum qualibet additione pofita, alia femper facienda remaneret in potentia, & quidem ioconfumabili: nec ex parte palmi, femipalmi, quadrantis, & femiquadrantis, cum femper effent partes diuifæ finitæ, diuideodæ verò infinitè, nunquam tamen deveniendo ad ultimam diuifionem.

Quæres hic, utrum partes in continuo fint actu diftinctæ. Refpondeo affirmativè, ut fuperius infinuaui. Sic fentiunt Diuus Thomas *Lection.* 15. ut advertunt Complutenfes, Scotus, Suarez, Arriaga, & alii, & ex noftris folemnis Doctor *art.* 66. *quæft.* 2. *in fumma*, ubi ftatuit actualem diftinctionem partium continui, & quamuis hanc Doctor loco relato reprobare videatur illis verbis: *Continuum eft femper parte exiftente extrà partem in fingulari continuo, licet non diftincta ab alia aut diuifione aut fignatione*; tamen revera ipfam noo reprobat, cum accipiat hic diftinctionem, prout confunditur cum diuifione, io quo fenfu verum eft partes actu non diftingui, quemadmodum actu non funt diuifæ. Rationes autem hujus afferri magis folidas referro, & quidem breui calamo, quarum prima defumitur ex feparabilitate, quæ ex genere fuo infert diftinctioem realem actualem, quamuis noo econtra; fed nulla eft pars io continuo, quæ non fit feparabilis per varias diuifiones, ab altera, ergò nulla eft pars, quæ actu ab alia non diftinguatur. Maior eft certa, ficut enim affirmabilitas ex genere fuo importat identitatem actu in eo genere, in quo ipfa eft, ita etiam ipfa feparabilitas, cum pari iure fe habeant affirmabilitas comparatiuè ad identitatem, ac feparabilitas in ordine ad inferendam diftinctionem realem inter extrema, io nullo tertio identitatem admitentia. Non enim exiguntur actualis affirmatio, & negatio ad identitatem, & diftinctionem, alias nulla daretur identitas actualis, vel diftinctio in rerum natura, cum hæc omnia fint opus intellectus.

Secunda ratio eft, quia quod per fe primò requiritur, & fufficit ad diftinctionem actualem eruendam eft ipfa negatio, prout dicitur ad conuertentiam cum negabilitate, feu meritò, quod habet una res, ut negetur de alia, fed inter partes continui verum eft unam partem non effe aliam, ergò etiam eft verum unam actu diftingui ab alia.

Tertia defumitur ex hoc, quod indivifio unius partis ab alia, non tollit diftinctionem actualem; ergò partes continui quamuis indivifæ optimè poterunt actu diftingui. Probatur antecedens, quia indivifio opponitur formaliter folum divifioni, fed diftinctio non eft divifio, ergò. Oftenditur minor, oam quamuis divifa fint femper aliqua diftinctione inter fe diftincta, non tamen ipfa diftinctio dicit de formali, vel de confequenti divifionem proprio nomine accepta diuifione, videlicet pro negatione unionis, fiquidem partes unitæ diftinguntur aliquo modo inter fe; Unio enim femper eft nexus aliqualiter diftinctorum, cum tamen tales partes ooo fint divifæ, fed ad fummum divifibiles.

Quarta, & vltima ratio eft, quia partes in priori ad unionem erant diftinctæ, & quidem actu; ergò etiam poft vnionem. Probatur hæc confequentia, eo quia per unioοem partes oon variant fuam effentiam

fentiam fuafque proprietates; fed diftinctio fundatur in effentia, quinimò fundamentaliter eft ipfa rei effentia, & eft ipfius proprietas formaliter fumpta juxta illud, *diftinctio, & identitas funt proprietates entis*; ergò etiam prout unitæ debent perfeverare diftinctæ.

## CAPUT QUARTUM.

*Diluuntur quædam alia argumenta præcipua contra continui Compofitionem.*

Cum alia argumenta Atomiftæ referant, ut continui divifibilitatem in infinitum negent, hæc exponere volui, ut nihil deficiat ad perfectam continui notitiam. Inter hos audire præftat Adrianum Herrebord Virum mediocris doctrinæ, fic primo arguentem. Datis partibus divifibilibus finitæ in infinitum in continuo, nulla magnitudo pertranfiri poffet per motum localem: nam antequam tranfeatur totum, debet tranfiri dimidium, & ante illud dimidii dimidium, & fic confequenter in infinitum: Infinitum autem pertranfiri nequit, imo vero nulla ratione per creationem, aut generationem produci poteft.

Secundo fi partes componentes continuum effent infinitæ, aut unum infinitum effet maius altero, aut pars toti erit æqualis; Totum autem eft maius dimidio: & cum utrumque in fe partes contineat infinitas. Unum infinitum, fcilicet totum, erit maius altero infinito, fcilicet dimidio; aut eidem erit æquale, & fic parti totum æquabitur.

Tertiò etiam in quantitate, nec parvum, nec magnum, nec maius, aut minus dabitur: Nam magnum dicitur, quod multas, vel plures partes habet, paucum vero, quod paucas, vel minores; at fi omne continuum habet infinitas partes, unum non haberet plures partes, quam alterum; ergò.

Quartò, quia de ratione totius, eft quod duplo plures in fe partes habeat, quam dimidium, & quod ob id una etiam vice fepius, aut amplius fubdivifionem admitat, quam dimidium, ex natura proportionalis divifionis, vel quod totum duplo plures vices fubdivifionum admittat, quam dimidium, cum in fe duo dimidia contineat, quorum utrumque in tot partes dividi poteft, in quot unum dimidium feorfim fumptum. Quod ut evidentius cognofcatur, ad numeros revocetur. Ponamus duo corpufcula inequalia unum duplum, alterum dimidium; Duplum partium indivifibilium 8192. dimidium. 4096. Hoc pofito deprehendes, quod totus numerus dimidium unica vice fubdivifionum fuperat. Hoc eft quod dimidio maior fit fuo dimidio: Nam in utroque numero totum admitit quatuordecim vices fubdivifionum proportionalium duplarum. Dimidium verò folum nedecim, quod comperies, fi utriufque fubdivifiones proportionales inftitueris; fed fi tam totum, quam pars haberent partes infinitas, hoc non poffet contingere, cum unum infinitum non fit altero maius; ergò non faluatur idea partis, & totius.

Quintò facta divifione continui in partes fub hac proportione, propter quam dicuntur proportionales in fine horæ unius manebunt infinitæ divife, & æquales cum illa parte, quæ divideretur poft infinitas diuifiones. Quis hinc non videt exiturum Infinitum fimpliciter, quo nihil eft abfurdius. Et licet ille partes continui divifæ non facerent infinitum fimpliciter in magnitudine, facerent tamen in multitudine, quod equè eft abfurdum, nam cuilibet illarum partium proportionalium correfpondere poteft unus numerus realis, funt enim illæ partes reales: non enim continuum componitur ex pluribus partibus rationis, cum itaque illæ partes proportionales fint infinitæ, & infiniti numeri illi refpondebunt: adeoque dabitur numerus fimpliciter infinitus, quod eft abfurdum.

Hæc argumenta, ex quibus aliqua etiam refert Maignan, nullius funt roboris, undè nefcio quo jure hic Auctor affirmaverit veritatem in materia de continuo, non ex turbidis Ariftotelicorum, aut impuris Scholafticorum lacunis, fed ex limpido Democriti puteo & clariffimis Atomiftarum fontibus hauriendam effe. Perpendamus quæfo argumentorum robur ipfis fatisfaciendo, & calumnias omittamus, cum iftæ Thefim improbabilem non reddant, fed unicè arguentem reddant nimiæ temeritatis virum.

Ad primum itaque dico, adhuc per motum localem fpatium quodlibet pertranfiri pofse. Primò quia in continuo partes actu finitæ funt, non verò infinitæ, nifi in potentia: finitum autem pertranfiri per finitum motum, nulla eft implicatio. Vel etiam dicere pofsem, adhuc fpatium illud pertranfiri pofse fimpliciter, & abfolutè, quia motus non cadit fupra partes proportionales, quæ nimirum certa proportione decrefcunt, fed fupra aliquotas, feu æquales unicetæ, vel determinatæ magnitudinis. Hæc autem cum finitæ fint, optimè poterunt per motum localem pertranfiri.

Ad fecundùm dico nullum ex his, quæ vellet arguens fequi: non primum, quia quoad partes proportionales totum non excedit partes, adeoque unum infinitum fincategorematicum non eft altero maius. Non fecundùm, quia totum, tale dicitur per refpectum ad partes aliquotas, in quo fenfu certè pars minor eft toto, & totum maius eft fua parte, undè ineptæ, & nimia infcitia ducitur nugiperus Adrianus Hærerbort, dum exiftimat peripateticos tollere à quantitate rationem parui, & magni, vel rationem incrementi, & decrementi.

Ad quartum verò jam patet folutio dicendo veram effe totam doctrinam loquendo de partibus aliquotis, falfum verò de partibus minoribus. Hypothefis autem, quam facit arguens eft omnino impoffibilis, quia cujuslibet corpufculi nequit fupponi numerus determinatus partium proportionalium, ultra quem non fit affignabilis alter per novam divifionem, quæ fieri poffit, alias idem effet, ac hic fupponere fententiam Atomifticam, quæ tamen fimul cum peripatetica controvertitur, inquirendo quænam verior fit.

Quintum verò cæteris falfiffimum eft. Falfum quidem partes proportionales divifas per horam integram fore infinitas, falfum fore æquales parti, quæ divideretur, falfa tandem omnia, ficuti mendax eft arguens, folùm in calumniis dives.

Secundò arguunt alii. Eos fucceffivum, ut tempus neceffariò connectitur ex pluribus indivifibilibus, itaut poft unum indivifibile fequatur allud; ergo hoc idem evenier in continuo permanente. Probatur antecedens, quia fi in tempore poft inftans indivifibile, non fequeretur aliud indivifibile, fed pars aliqua temporis divifibilis, pars illa haberet in fe differentias præteriti, præfentis, atque futuri, fed poft inftans iftæ temporis differentiæ non poffunt immediatè fequi; ergo.

Confirmatur data divifione entis fucceffivi in infinita inftantia fequitur meritum elicitum per horam integram fore infinitum; fed pura creatura

nequit

nequit habere meritum infinitum; ergo. Probatur sequela, quia in quolibet instanti horæ, creatura quælibet mereri potest; sed instantia sunt infinita; ergo & meritum esse potest infinitum.

Huic argumento, quod magni fit ab Urtado, & Compronio, respondeo, non urgere, quia pars illa temporis succedens non importat partes pro portionales, quas præcontineat simul simultatè temporis, sed successivè. Illa enim pars, quæ prius erat futura, redditur postea præsens, deinde præterita.

Ad confirmationem omissa solutione illorum, qui ab hoc argumento se expediunt asserendo meritum illud fore solum infinitum secundùm partes proportionales, & secundùm quid, non verò simpliciter, & secundùm partes determinatas, quemadmodum partes temporis infinitæ, sunt solum proportionales, & inæquales, aliam amplector viam communiorem; & magis conformem superius dictis secundùm quam judico tale meritum futurum esse infinitum solùm extensive, vel duratione, eo modo quo esset infinita visio beatifica attingens in Deo omnia possibilia.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum in continuo sint puncta unitiva, & terminativa.*

IN hac difficultate duplicem invenio sententiam. Prima negat existentiam hujusmodi punctorum, cui adhærent Durandus, Gregorius, Ochamus, Pererius, Arriaga, Aversa, Fonseca, Pontius; cum hoc tamen discrimine quod Fonseca negat solùm continuativa, non verò terminativa, Pontius verò docet in hac difficultate incertum esse, quid sit dicendum. Secundam verò ex diametro oppositam sustinent Henricus *quodlib. 2. quæst.* 11. D. Thomas, Scotus, Gaetanus, Soncinas, Suarez, Joannes à S Thoma, Capreolus, Soto, Conimbricenses; Ruvius, & alii, qui omnes videri possunt apud Aversam, & Suarezium hic.

Antequam autem hæc secunda sententia rationibus confirmetur, advertendum est dissidium esse in explicanda istorum punctorum natura. Nonnulli enim recentiores Scotistæ volunt, quod sint entitates imperfectæ, & incompleræ non constituentes per se formaliter genus, vel speciem; sed sint puræ modificationes partium continui. Alii verò hæc puncta explicant dicendo non esse puram negationem ulterioris extensionis, neque partes ipsas, prout constituentes talem negationem, sed esse realitates per se reductivæ pertinentes ad quantitatem. Alii verò sustinent non esse modos partium, sed nova quædam entia media inter partes. Ex nostris autem Magister Ventura sustinet esse accidentia propria, & inseparabilia partium copulativa, quæ explicatio domestica illegitima est quia extendi nequit ad indivisibilia substantialia. Primam ergo recipio, ut veriorem. Hoc autem supposito sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Dantur puncta terminativa, & copulativa in continuo.*

NOn ignoto communiter assertum hoc probari ex contactu interveniente inter corpus perfectè sphericum, & perfectè planum, quatenus hic esse nequit, nisi in puncto. Si enim globus perfectè sphericus in aliqua parte extensa tangeret planum, iam non esset perfectè sphericus, cum necessariò in se haberet planam extensionem, quæ omninò incompossibilis est cum figura perfectè spherica. Nihilominus nos ab hac communi ratione præscindentes, cuius vim effugere conatur Auersa pluribus solutionibus, quarum præcipua est, quod globus ille, vel in aliqua sui parte compenetraretur cum plano, vel à plano perfectè aliquantulum distaret, cum pars curua, qua curua adæquari non possit cum recta, qua recta, alias amplector rationes, & prima sit in ordine ad puncta copulatiua. Quæcumque sunt indifferentia ad uniri, vel non uniri, uniri debent per aliquod superadditum. Hæc propositio liquet. Est enim indifferentia præcipua ratio adstruendi in schola peripaterica modo supperadditos; sed partes continui sunt indifferentes ad uniri, vel non vniri, ut clarius constat in non communicantibus. Palmus enim *A*, indifferens est ad hoc, ut uniatur Palmo *B*, ergò per aliquot vniri debent; Hoc aliquid esse nequit aliquod divisibile, quia divisibile & ipsum continuum est; ergò.

Secundò probatur loquendo de terminatiuis, siquidem continuum reale est actu positivè terminatum, & finitum; sed nequit terminari per aliquod divisibile; ergò per aliquod indivisibile. Probatur minor: si linea terminaretur per aliquod diuisibile, illud haberet partes, essetque continuum, & non continui terminus; ergò debet esse indivisibile.

Tertiò alii existimant puncta copulatiua in continuo permanenti ostendere, quia existimant hæc esse in continuo successiuo, & hoc ad copulandam partem præteritam cum præsenti; sed inepte sic procedunt, & discurrit Ruuius hic, cum pars præterita copulari non possit cum præsenti; cum præterita, quando præsens est non amplius sit, quomodo enim copulari possunt aliqua duo, si simul coexistere non valent, nisi nomine copulationis intelligamus unum esse post aliud.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes dubitandi.*

DEtur vnicuique suum. Valida sunt argumenta aduersus positam Thesim; quorum præcipua videamus. Arguunt itaque primò aliqui; Modi isti vnitiui si darentur, tantum abest, ut ponerent continui extensionem, ut potius illam tollerent; ergò. Probatur antecedens, quia modi isti si darentur, importarent partium continui compenetrationem, sed hoc ipso tollereor eiusdem continui extensionem; ergò. Probatur antecedens, modi isti inhærere deberent, vel saltem adherere partibus continui, quas modificant; ergò importarent partium continui compenetrationem. Probatur hæc consequentia, quia ad inhesionem non sufficit simplex contactus, sed opus est, ut unio afficiat partes in ipsa profunditate; ergò unio habet partes unire, quatenus istæ profundæ sunt, sed quæ uniuntur, secundum profunditates, penetrantur; ergo qualibet unio continui efficeret penetrationem duarum partium continui.

Secundo assignari nequit, quid immediatè sequatur post indiuisibile; vel enim sequitur aliquod diuisibile, vel indiuisibile. Non secundùm, ut Aduersarii concedunt, non primum quia quælibet pars est potentialiter diuisibilis in plures, & plures partes, quarum aliquæ non sunt immediatè, & sic nunquam poterit assignari id, quod immediatè sequitur adæquatè distinctum ab eo, quod non sequitur immediatè

mediatè; sed debet hoc assignari, alioquin de eodem verificarentur contradictoria, scilicet immediatè sequi, & non immediatè sequi; ergò.

Efficax est primum Patris Maygnan argumentum, suam tamen efficaciam deperdit, si advertamus, quo sensu verum sit unionem partes unire secundùm profundiratem. Sensus enim duplex esse potest. Primus, est partes continui uniri intrinsecè, quod verum est, loquendo de unione intercedente inter materiam, & formam. Secundus verò est, quod partes uniantur per compenetrationem, quod falsum esse judico, tum quia obstat natura corporis quanti ita exigentis ipsam impenetrationem, ut nonnulli recentiores, ut suo loco monuimus, in hac sola rei corporeæ essentiam reponant: tum quia non haberetur lineæ extensio, propter quam habendam reprobauimus atomos quocumque modo explicentur ab Atomistis.

Secundùm verò argumentum habet totam vim etiam aduersus sui Auctorem Patrem Nicolaum Martinez propugnantem minima physica, siquidem non esset assignabilis aliqua pars continui, cui minimum physicum immediatè unitetur, cum qualibet pars continui potentialiter sit diuisibilis in plures partes, quarum aliquæ non sunt immediatè, & sic nunquam poterit assignari id, quod immediatè sequitur adæquatè distinctum ab eo, quod immediatè non sequitur. Eandem itaque solutionem; quam dabit Auctor suo argumento, & nos dabimus.

Arguunt secundò alii fortius. Hæc puncta sunt inutilia, tum ad copulandam lineam, tum ad eam terminandam; ergò eorum existentia est irrationabilis; Probatur antecedens, & incipiendo à primæ partis ostensione sic arguo. Si essent necessaria ad copulandas partes; vel essent in ordine ad copulandas illas, continui permanentis, vel successivi; sed ad nullam copulationem exiguntur hæc puncta; ergò. Probatur minor, & in primis necessaria non sunt ad copulandas partes continui permanentis, quia hæc copulatio fieri potest per unionem diuisibilem indiuisibiliter afficientem duo minima, nec ad continui successivi partes copulandas. Siquidem unio nequit sine extremis unitis, sed quando aliquid temporis aduenit, jam pars alia temporis ante istam antecessit; ergò non potest instans indiuisibile copulare continui successiui partes. Et pariter inutilia sunt ad lineam terminandam, cum ad hoc sufficiat negatio ulterioris extensionis quam certè concipies in continuo, & si in ipsu ad talia puncta non attendas. Indiuisibile enim nequit terminare intrinsecè, cum sit quid extrinsecum.

Secundò dicunt, & benè. Hæc indivisibilia, quæ admittuntur, vel occupant illud spatium, quod occupat minimum divisibile virtualiter, vel diversum; sed neutrum affirmari potest; ergo non dantur formaliter invisibilia. Minor probatur. Si dicas quod occupet spatium diversum; ergo indivisibile additum minimò virtualiter divisibili facit spatium majus, & consequenter extensionem, quod indivisibili repugnare videtur. Si dicas, quod occupet idem spatium; ergo indivisibile penetratur cum aliqua parte virtuali minimi, quo admisso sic arguo. Debet distingui pars virtualis, virtualiter divisibilis, quæ occupatur à punctò, ab ea parte, quæ non occupatur à puncto, ne verificentur de eodem contradictoria occupari scilicet, & non occupari; sed nulla pars est assignabilis, quæ occupatur contradictoria realiter alteri, quæ non occupatur; ergo non potest indivisibile penetrari cum parte indivisibili. Minor probatur, quia quæcumque pars assignetur, quæ occupetur à puncto est divisibilis in plures partes, quarum una occupatur, alia non occupatur; ergo nunquam assignari poterit pars occupata à puncto contradistincta realiter à parte non occupata.

Respondeo puncta hæc utilia, & necessaria esse ad copulandum continuum permanens; nec officit quod dictum est in argumento siquidem quælibet res se ipsa finita est solùm negativè, quæ finitas negativa, vel consistit in capacitate rei ad terminationem positivam, vel in carentia ulterioris extensionis, non verò positivè, ideſt per intrinsecam, & positivam terminationem, nisi adveniant hæc puncta. Hæc est communis solutio inefficax, & parvi ponderis, veriorem non habeo, nec existimo adesse propter nimiam probabilitatem oppositæ sententiæ.

Ad secundam dico talia indivisibilia, nec idem, nec diversum spatium propriè loquendo occupare, cum careant dimensione sintque puncta mathematica, vel si spatium occupent diversum occupant adinstar indivisibilium.

Arguunt ultimò alii promiscuè, & primò ad hoc ut partes qualitatis uniantur, non exiguntur indivisibilia; ergo nec etiam in quantitate. Secundò quia talia puncta, cum realiter distinguantur à partibus continui, deberet Deus posse ipsas separare ab omnibus continui partibus, cum non repugnet rem realiter ab alia distinctam ab ipsa separari; sed hoc est impossibile, quia sequeretur infinita multitudo actu, tum punctorum, tum partium ipsius continui; ergo. Tertiò illa puncta essent actu in continuo, & actu distincta, & cum ex alia parte essent infinita, datetur actu multitudo infinita. Quartò, quia si darentur talia puncta continuativa, vel inter punctum, & punctum esset pars divisibilis, vel indivisibilis. Si secundum; ergo in continuo non erunt, nisi indivisibilia Zenonis. Si primum ergo illa pars erit continua sine punctò; ergo etiam cætere partes poterunt sine punctis continuari. Quintò quia hæc puncta, vel sunt intra omnes partes, vel extra. Si intra; ergo superflua sunt ista puncta, quia nec unitent partes inter se, quia nec essent intra partem, & partem, nec terminatent, quia non essent post partem. Si verò dicatur esse extra; ergo, vel habet supponere partes divisibiles, & hoc non, quia aliàs partes ut divisibiles non penderent essentialiter ab unione, cum essent tales independenter ab ipsa, quod affirmari nequit inhærendo superius dictis, vel indivisibiles, & hoc, non, quia esset incidere in Zenonis sententiam.

Respondeo ad singula, & ad primum dico me admittere indiuisibilia etiam in qualitatibus, in quibus etiam non admissis plures assignabiles sunt disparitates, quæ videri possunt apud Conimbricenses hic, & nostrum Venturam. Ad secundum dico Deum non posse omnia puncta concertiuè separare à continuo, quia cum hoc sit essentialiter diuisibile in plura, essentialiter habet ab indivisibilibus dependere, quibus partes continui habent inter se continuari, vel aliter satisfieri potest dicendo ipsa indiuisibilia à continuo non posse separari saltem continuando ipsa in existentia quia modi (uti sunt in nostra sententia indiuisibilia hæc) existere nequeunt, quin actualiter rem ipsam modificent.

Ut ad tertium fiat satis, sciendum est difficultatem esse in modo, quo existunt hæc indiuisibilia in continuo. Sunt qui dicunt existere actu, & in potentia, [illegible] quoad entitatem, & quatenus actualiter

litet omnia existunt, in potentia verò, quia sunt in potentia ad realem diuisionem, ut diuisibilia continuantia lineam aliquam dicuntur esse in potentia ad esse duo puncta terminatiua ejusdem lineæ, quæ potentia tunc reduceretur ad actum, quoties linea secaretur in aliqua parte. Sunt verò alii, qui animaduertentes indiuisibilia in continuo esse in triplici differentia scilicèt primò quæ actu terminant continuum. Secundò, quæ actu continuant partes continui. Tertiò quæ neque continuant, nec determinant actu, sed solùm sunt in potentia ad terminandum, & continuandum.

Ex his autem docent prima, & secunda Indiuisibilia esse actu in continuo, alia verò in potentia, alii tandem, quibus adhæreo, concedunt omnia esse actu. Iuxta hanc autem triplicem sententiam triplex esse potest respondendi modus. Primæ enim sententiæ Auctores respondent talia puncta non esse actu infinita, tum quia infinitas punct. rum clauditur inter duo puncta, tum quia signato quolibet puncto nequit aliud immediate signari in continuo, quod tamen fieri deberet in quantitate discreta actu infinita. Secundæ verò sententiæ desensores dicere solent talia indiuisibilia non importare infinitatem in actu quamuis infinita, quia sunt entitates incompletæ constituentes entitatem finitam continui. Tertiæ tandem sententiæ inhærentes docent talia puncta, esto actu in continuo, adhuc non esse actu infinita, quia non sunt realiter separata, seu diuisa à partibus ipsius continui, adeoque inepta ad obtinendam actu infinitatem discretam, quæ consurgere solum potest ex partibus discretis, seu diuisis.

Ad quartum dico inter unum punctum determinatum, & aliud punctum pariter determinatum in medio residere partem aliquam diuisibilem, quæ cum essentialiter includat plura puncta unitiua, sicuti includit plures partes unitas, ita etiam pars illa non poterit esse continua absque punctis. Quapropter egregiè aliqui Scotistæ recenciores docent quod post determinatum indiuisibile alia, & alia pars immediator, aliud & aliud indiuisibile immediatius sequitur usque in infinitum.

Ad ultimum verò affirmo hæc puncta non esse formaliter extra partem, sed ad ipsam sequi immediatè, & intercedere inter ipsam, & aliam partem, vel ut alii loquuntur puncta unire partes non per contactum, sed intimè assistendo utrique parti, & intrinsecè se uniendo illis.

# DISPUTATIO SEXTA.

## De loco, vacuo, & tempore.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quid veniat nomine loci.*

Loci naturam, & proprietates hic inquirere debemus, & ut à primo exordium ducam, sciendum est non unicam esse omnium mentem, in hac re. Peripatetici plures asserunt esse *spatium aliquod verum, & reale occupatum à corpore contento, & incluso inter latera corporis continentis*, Hic dicendi modus tribui solet quibusdam Philosophis antiquis nomine *spatii* intelligentibus ens reale positiuum, corpus videlicet, vel de genere substantiæ, vel quantitatis; Alii vero asserunt locum *esse situm illum, quem quælibet res occupat in hoc Vniverso*, qui designari, & explicari solet per comparationem ad puncta fixa universi, quæ sunt *Poli, & centrum Mundi*. Tertius tandem explicandi modus, quem communiter defendunt Scotistæ, ut videre est apud Mastrium, & Pontium, & Thomistæ sustinent, ut optimè docent Complutenses, Ioannes à Sancto Thoma, Cavino, Goudin, & alii, vult esse ipsam superficiem primò, & immediatè ambientem locatum. Huic subscribo, quaproptet locus est *ipsa superficies ambiens primò, & immediatè ipsum corpus* quæ prout habet rationem loci, à Philosopho definitur *terminus primus continentis immobilis*. At quia definitio primo intuitu non videtur clarè explicatiua superficiei prout habet rationem loci placet ipsam ulterius promovere. Dicitur itaque primò *terminus primus*, quia hic non est sermo de loco in communi, ut est Cœlum respectu inferiorum, sed de loco proximo, & immediato. De cuius ratione est, quod sit *terminus primus*, videlicet immediatè, & proximè ambiens ipsum locatum. Dicitur *continentis*, quia locus circumscriptiuus debet continere, & quidem circumscriptivè locatum, seu rem, quæ in loco dicitur, saltem aptitudinaliter, ut advertit quidam Thomista asserens in hoc distingui circumscriptiuum à definitiuo, quod hic secundus magis contineatur, quam contineat locatum. Dicitur *immobilis*, quia immobilitas est de essentia loci. Superficies enim habet rationem loci secundum quod immobilis est, quam immobilitatem habere docent Philosophi, vel quatenus importat determinatam distantiam à punctis fixis universi, quæ sunt *Poli*, & *centrum mundi*, vel, ut ait quidam Thomista, prout exercet munus termini, à quo deserendi, & ad quem aquirendi secundum se enim mobilis est ut experientia notum est.

Locus autem extrinsecus sic explicatus sua habet attributa, vel proprietates, quas quatuor esse tenent aliqui, alii quinque, nonnulli verò septem esse propugnant, sed quidquid sit de numero, cum omnes istæ sententiæ sua probabilitate gaudeant, dico præcipuas proprietates quinque enumerari, quas curtenti calamo refero. Prima est quod locus contineat locatum, ipsumque circumscribat, quod intelligendum est de loco circumscriptiuo, quia censeo probabilem esse sententiam quorundam Tomistarum docentium locum definitiuum non præcontinere rem ipsam existentē in loco, sed potius, econtra. Secunda est quod locus sit æqualis locato, quod pariter intelligendū est de æqualitate secundùm extensionem, non autem de æqualitate dimensionis. Tertia est quod res existens in loco sit separabilis à quocumque loco distributivè solùm, non collectivè naturaliter loquendo. Quarta quod locus sit terminus motus localis, quia locus est terminus, ad quem tendit motus localis. Quinta est immobilitas omnino opposita motui locali. Undè autem desumatur hæc immobilitas vide Mastrium qui in hac materia copiosè, & subtiliter locutus est.

Hæc est loci Idea, quam Peripatetici sequuntur. Moderni enim, & maximè Cartesiani diuersa procedunt via, sicuti diversam, ubi de motu aggressi sunt; distinguunt enim isti cum Peripateticis locum in extrinsecum, & intrinsecum. Priorem tamen nolunt esse cum eisdem, aut corpus, aut ambientis corporis superficiem; *sed solùm corporis inter vicina, quæque tanquam quiescentia spectantur corpora situm.* Iuxta cujus loci extrinseci descriptionem Turrim v.g.

v.g. dicunt eodem in loco remanere cenſendum eſt, erſi aer ambiens continuo mutetur, quia eundem ſitum retinet cum collibus, arboribus, & ceteris terræ partibus vicinis.

Ex hac loci externi Idea plura facilè explicari poſſe authumant, quæ non æquali facilitate in Peripateticorum ſententia explicantur. Primò enim explicatur, quare unum corpus in duobus locis adæquatis eſſe nequeat, quia videlicèt ad id requireretur, ut corpus eodem tempore haberet plures extenſiones adæquatas, & plures vicinias corporum ambientium quod implicat. Secundò elucet cur duo corpora in eodem tempore eſſe nequeant in uno loco, ſiquidem opus eſſet, ut duo illa corpora unam eandemque extenſionem, atque eundem etiam ſitum inter vicina corpora, eodē tēpore obtinerent: quod pariter impoſſibile eſt. Tertiò facilitet intelligitur quomodo poſſit corpus aliquod in alterius locum ſubrogari, etiamſi idem ſpatium cum illo non occupet. Sic v.g. ſi ubi antea ingens aliquod ſaxum fuerat, exiguus lapillus ſubſtituatur, hic in locum illius ſuccedere dicetur; quia nempe eundem ſitum, quem ſaxum habebat, inter vicina corpora obtinebit; non verò idem ſpatium occupat, quod occupabat ſaxum, quia lapillus diuerſam à ſaxo magnitudinem, atque figuram habet.

Locum intrinſecum verò volunt eſſe *ipſiſſimam extenſionem corporum, quæ in eo continentur*, unde in Carteſianorum ſententia eadem eſt ratio corporis, atque ſpatii, videlicèt extenſio in longum, latum, atque profundum, unde conſequenter dicunt, quod ſpatium, & corpus intrinſecè inter ſe identificentur. Non eatamen eſt apud iſtos identitas, ut etiam extrinſecam excludant differentiam, ſiquidem extenſio in corpore à Carteſianis, ut ſingularis, & concreta conſpicitur, in ſpatio verò, ut uniuerſalis, & abſtracta, quæ ſolum cenſetur eadem, quando eadem magnitudo, figura, atque idem ſitus ſervatur inter vicina corporea, unde dicunt, quod hoc ſpatium Cubiculi v.g. idem remanet, quandiu magnitudinem, figuram, & ſitum eundem retinet. Si verò vel unum ex iſtis commutatur, v.g. ſi latius fiat, vel anguſtius, vel ſi loco quadratæ figuræ aliam ſuſcipiat; vel ſi denique aliò transferatur, tunc ſpatium ſuum immutaſſe dicendum eſt.

Etiam ex hac loci interni idea quamplura facilè concipi poſſe docent, & primò facile explicatur, quo modo corpus ſit in loco, quin, ipsū penetret: quia, cū hæc duo non aliter inter ſe differant, quàm ut uniuerſale, & ſingulare & gradus eſſentiales metaphyſici intrinſecè non diſtinguantur, evidens eſt, quod cum corpus eſt in ſpatio ſpatium tunc fiat ipſiſſima corporis in eo contenti extenſio; prorſus quemadmodum natura humana, in qua Petrus eſt, ipſiſſima eſt natura humana Petri. Iam verò penetratio nonniſi inter duo realiter diſtincta locum habere poteſt.

Secundò facile intelligimus, quomodo erſi locus internus, & corpus realiter non differunt, ille tamen, tanquam immobilis, hoc verò, tanquam mobile concipiendum ſit: quia ſcilicet, cum ſpatii extenſio ſit generica, & abſtracta, nec ex ſingulari corporum, à quibus nunc occupatur extenſione, ſed ex certa magnitudine, figura, atque ſitu dependeat, idemque cenſeatur, quandiù hæc tria immutata maneat; extenſio verò corporis ſit ſingularis, & concreta: certè evidens illis eſt, corpus immoto ſpatio moveri poſſe. Nam ſublato v. g. lapide ex ſpatio, in quo erat, ejus etiam extenſio, utpote quam ut ſingularem, & ab ipſo inſeparabilem ſpectamus, utique tolli, mouerique debet, dum interim locus internus, in quo erat lapis, immotus remanet, quia ſcilicèt eadem magnitudo; figura, & ſitus remanet.

Hæc eſt utriuſque loci, videlicet interni, & externi deſcriptio juxta Carteſiana principia, quam hic referunt quamplures Carteſium ſequentes, & præcipuè Le Grand, Malebranchius, Purchotius, Siluanus Regis, aliique plures, quibus omiſſis quid aduerſus noſtram ſuperiorem deſcriptionem dicant, audiamus.

## CAPUT VNICUM

*Quædam argumenta contra dicta referuntur:*

CVm dictum ſit locum eſſe eſſentialiter immobilem, contra ſic argui poteſt. Locus eſt ipſa aeris ſuperficies; ſed talis ſuperficies mobilis eſt ad motum corporis, quinimo etiam ſine corporis motu; ergò verum non eſt locum eſſe eſſentialiter immobilem.

Reſpondeo aeris ſuperficiem habere rationem loci non ſimpliciter, & abſolutè inſpectam, nimirum materialiter ſed formaliter, prout ſcilicet importat determinatam diſtantiam à punctis fixis, & quidem diſtantiam per tot determinatos gradus, ut optimè aduertunt Complutenſes. ſecundùm autem hanc rationem omninò immobilis eſt ipſa aeris ſuperficies, cum moueri non poſſit retinendo talem formalem determinatam diſtantiam. Vnde in forma diſtinguo maiorem: eſt ipſa ſuperficies materialiter inſpecta, nego maiorem, formaliter, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, talis ſuperficies mobilis eſt materialiter ſumpta, concedo minorem, formaliter, nego minorem, & conſequentiam. Sed

Arguunt primò Recentiores nonnulli. Si ſuperficies, quæ proximè, & immediatè locatum ambit, eſſet locus externus, corpus quod verè quieſcit, & ab omnibus quieſcere aſſeritur, indeſinenter mutaret locum, ſicuti rupes in mari fixa, quam alia ſubinde aqua proluit, locum mutaſſe dicendum eſſet: ſicuti Turris, quæ in medio camporum æquore immobilis ſtat, vel ad minimum ventorum flatum, patet hoc, quia in priore exemplo omnis ambiens aqua procul à rupe movetur, ac præter fluit, in poſteriori verò non modo aeris ſuperficies, ſed totus etiam aer turrim ambiens, procul à turri movetur; atqui nec turris, nec rupes moventur in aqua; ergo.

Mihi omninò notum eſt, ex Ariſtotelis ſententia hoc abſurdum ſequi clamitare pleroſque, at etiam mihi innoteſcit omnem movere lapidem Peripatericos, ut hanc loci externi immobilitatem tueantur. Scotiſtæ enim ajunt locum hunc immobilem eſſe per æquivalentiam: quatenus flante Borea, v.gr. circa turrim, recedit quidem, quæ ambiebat turrim aeris ſuperficies, nova autem ſimilis accedit, & æquivalens. Thomiſtæ verò dicunt immobilitatem loci externi ex eadem ſemper diſtantia à centro, & punctis cardinalibus mundi, ac verticalibus repetunt, & nominales à correſpondentia cum certis partibus virtualibus immenſitatis divinæ. Alii verò, quibus hæc effugia minus tuta videntur ſuſtinent (quos nos ſequimur) ſuperficiem habere rationem loci ſolùm ſi formaliter accipiatur, videlicet prout explicat determinationem à punctis fixis, in quo ſenſu certè moveri nequit manente re immota.

Inſtabis cum Scoto ſuperficies eſt ſubiectum diſtantiæ

distantiæ; ergò si talis superficies non manet eadem, nec etiam distantia. Probatur consequentia, quia accidens transire nequit de subiecto in subiectum.

Respondeo distinguendo antecedens, superficies materialiter sumpta est subiectum distantiæ materialiter sumptæ, concedo antecedens, superficies materialiter accepta est subiectum distantiæ formaliter acceptæ, nego antecedens, & consequentiam. Distantia utique est veluti accidens à superficie dependens tanquam à sui subiecto; at diversimode importat hanc dependentiā distantia, siquidem si formaliter accipiatur dependet à superficie formaliter intellecta, si verò materialiter à superficie materialiter tenta, & ita hanc dependentiam explicat, vel includit, ut impossibile sit superficiem mutari, quin mutetur ipsa distantia. Modo autem dum re immota mutatur superficies, non variatur, nisi materialiter, sicuti solùm materialiter variatur ipsa distantia; At formaliter superficies non mutatur, cum tes eandem determinatam distantiam secundùm gradus retineat, unde nec mutabitur ipsa distantia formalis prædictæ superficiei correspondens.

Instat secundo Mastrius; ergò iam non superficies, neque continentia, sed illa distantia per tot gradus habebit rationem loci. Sed

Contrà est; nam illam distantiam habere rationem loci est formalissimè superficiem illam formaliter acceptam habere rationem loci, cum hæc formaliter inspecta non dicat, nisi distantiam determinatam. Quapropter superficies materialiter sumpta utique est aliud ab ipsa distantia, non verò si formaliter consideretur; undè in forma distinguo consequens; ergò non est superficies, prout hæc intelligitur distincta ab ipsa distantia, concedo, pro ut est ipsa distantia, nego consequentiam.

Arguit tertiò Mastrius probans rem non constitui in tali loco per talem determinatam distantiam, & consequenter nec per superficiem formaliter inspectam. Res non constituitur in tali determinato loco extrinseco per superficiem materialiter sumptam; ergò nec etiam per eandem formaliter acceptam. Antecedens iam concessum est. Consequentia verò ostenditur ideò primum quia talis superficies variari potest re perseverante in eodem loco; sed etiam talis determinata distantia variari potest perseverante eadem re in eodem in variato loco; ergo. Probatur minor, quia terra seruata immota potest Deus versus antipodes, Cœlum præmendo, variare distātiam ad Polos, in quo res quælibet supra terram immota existens maneret in eodem loco, quamuis esset mutata distantia.

Huic argumento respondent Complutentes in tali hypothesi nec terram, nec quamlibet rem creatam immotam existere, supra terram, quamuis eodem aere foret circumscripta in eodem loco, sed potius in diverso loco formaliter. Adderem ego in diverso loco formali, quia variata esset ipsa distantia, à qua habetur formaliter esse in tali loco extrinseco potius, quam in alio.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An præter locum extrinsecum admittendus sit etiam intrinsecus, qui sit quædam forma modalis superaddita.*

Hucusque de loco extrinseco, modo de intrinseco sermo esse debet, inquirendo an detur locus intrinsecus distinctus à re; & loco, quod idem est, ac quærere, utrum detur ubicatio intrinseca superaddita, per quam res formaliter sit in loco. In qua difficultate sententia est recentiorum, rem non esse in loco per ubicationem superadditam, contra quos stant omnes veri Peripatetici, stat etiam Doctor *quodl. 2. quæst 9.* ut optimè advertunt ex nostris illustrís. Soggia, & Magister Ventura. Cum his itaque sit.

### CAPUT PRIMUM.

*Veritas conclusionis duplici ratiocinio promovetur.*

Prima in ordine ratio sub hac forma proponitur, quæ sunt indifferentia ne dum seorsim, sed etiam simul ad aliquam determinatam denominationem physicam, istam habere nequeunt nisi media forma superaddita, vel modali, si sit denominatio modalis, vel absoluta, si sit denominatio absoluta, sed res quælibet & locus esse posunt simul in rerum natura, quin res sit in tali loco, ipsique sit æqualis; ergo ut à toto loco præcontinearur, opus est ponere formam determinantem, & contrahentem, quæ ubicatio nuncupatur. Nihil est in hoc syllogismo, quod probationem expectet non quidem major siquidem non alia ratione ponitur unio superaddita in plausibili sententia, & ponuntur in rerum natura cæteri modi, nisi ad tollendam indifferentiam, quæ intelligitur in extremis, etiam simul acceptis, vel ad uniri, vel ad habendam actualem dependentiam unius ab alio, vel ad perseverandum in esse. Minor verò clara est. Quis enim non videt me nunc Mergillinæ scribentem existere, & simul mecum coexistere multa loca Mediolani, in quibus tamen non sum, nisi affectu, & desiderio.

Huic rationi potissimè adversæ partis Auctores multipliciter occurrere solent, solidius tamen occurrit Eminentiss Cardinalis Joannes Baptista Ptolemeus societatis Jesu *dissert. 5. in sua Physica, Metaphysica de modis*, docens ad hoc, ut res sit in loco determinato tollaturque omnis indifferentia in ipsa re relucens, sufficere rem ipsam connotantem actum primum expeditum, qui per Modalistas exigitur, ad hoc ut producatur ubicatio, ita quod locus sit corpus non distans à tali loco, sed potius in ipso. Si enim in alio esset, non haberet omnia requisita, ut in eodem instanti produceret ubicationem hic. Per hæc autem omnia optimè res est in loco absque ulla necessitate ubicationis superadditæ productæ per actum primum proximum, maximè quod res, ut locabilis, respicit locum, tamquam fundamentum suum terminum. Relatio autem in modo superaddito non consistit, & maximè transcendentalis, uti est ordo rei locabilis, qua talis ad locum. Sed

Contra est. Modus enim hic respondendi hujus Auctoris nec est noviter excogitatus, cum hac utantur solutione omnes non modalistæ, nec vim omnem enervat argumenti; siquidem si res est in loco absque ubicatione, vel est præcisè per entitatem rei, & loci, vel per decretum divinæ voluntatis, quæ vult, te esse in hoc loco, vel per indistantiam, vel quia tandem inter rem, ut locabilem, & locum intervenit relatio, quæ in nostra sententia in modo superaddito non consistit. Nullum autem ex his ubicationem hanc includit, immò ut ratione firmavimus indifferentiam retinent. Non quidem primum ut concedit hic Doctiss. Auctor. Sum enim ego & sunt nunc plura loca Mediolani, & tamen in illis non existo nisi affectu, & desiderio. Non

tertium

tertium quia Decretum non est ratio formalis constituens rem in loco, sed causalis: sicuti ettò sit futuritio causalis rei, tamen formalis non est, quia hæc est eidem intrinseca. Nec indistantia, siquidem hæccum sit positivum. Sicuti quid negativum est distantia, inquito ansit quid positivum distinctum à re, & loco, vel indistinctum secundum certè non affirmavit respondens. Plura enim sunt loca, & corpora, quæ tamen hanc indistantiam non dicunt; ergo primum dicendum erit, quod certè non est nisi ipsa ubicatio, ut consideranti patebit. Quod si dicas indistantiam esse aliquid indistinctum à re, & loco, dicam hoc verum esse, sed tunc intervenit modus, cum interveniat simulras localis; sicuti dum dicimus subsistentiam esse indistinctam à natura qua tali, intervenit modus ipse subsistentiæ realiter modaliter distinctus à natura. Non tandem ultimum ad rem facit, quia quamvis verum sit & maximè in Henrici schola esse in loco consistere in respectu quodam, verum tamen est etiam relationem consistere in ratione fundandi, quinimò quamplures Patres societatis in hac sola totam relationem essentialiter, vel formaliter acceptam reponunt. Ubicatio autem, quam hic defendimus, est veluti ratio fundandi.

Secunda ratio, quæ mirificè conclusionem firmat ex eo procedit, quod dum dicitur aliquod corpus esse hic, vel illic, importatur aliquod reale eidem corpori, sed hoc nequit esse quid extrinsecum, ergo intrinsecum erit, sed hoc intrinsecum est ipsa ubicatio superaddita, quæ modus intrinsecus dicitur, quia intrinsecè afficit ipsam rem prout ubicatam; ergò datur verum ubi superadditum. Omnes propositiones indigere videntur probatione, quapropter primò ostendo majorem. Tunc corpus esse in loco, esset aliquod reale corpori conveniens, quando esse hic, vel alibi, rei conveniret citrà ullam intellectus fictionem, sed de facto sic convenit, ergò. Secundò id est aliquod reale rei conveniens, quod aquiri, vel amitti potest per motum localem, sed per istum aquiritur, & amittitur esse hic, vel ibi, ergò esse hic, vel ibi, est aliquod reale conveniens corpori. Probatur itaque minor, quia potest variari superficies circumdans corpus corpore omnino inuariato, quoad locum, & corpus aliquid constitui etiam eadem superficie saltem materiali donatum; ergò hæc superficies nequit esse hoc aliquid reale corpori conveniens, dum dicitur esse hic, vel ibi; ergò erit modus intrinsecus corpori alicubi existenti in ipsa re existens, & rem ipsam modificans.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Arguere possunt primò aliqui hoc medio contra statutam veritatem. Prius natura, quam ponatur ubicatio, res quælibet intelligitur in loco; ergò in loco intrinsecè formaliter non est per ubicationem. Probatur antecedens. Prius natura res est in loco, quàm in eodem operetur, cum prius sit esse hic, quàm operari hic, sed res quælibet est causa suæ ubicationis; ergò prius natura, quàm sit ubicatio, res quælibet intelligitur esse in loco.

Huic argumento non una est solutio. Sunt qui dicunt verùm esse loquendo de operationibus externis, falsum tamen de internis, seu, quæ exercentur in ipsa re, quæ operatur: Sed ab hac solutione abstinendo, quàm Comptonius suadere conatur exemplo subsistentiæ, quæ ettò sit conditio prærequisita ad alias operationes, non est tamen in ordine ad sui productionem; dico rem in illo priori non esse in loco, sed unicè esse in potentia proxima ad essendum in loco, quemadmodum substantia in priori ad quantitatem non est extensa, sed potius in potentia ad extendi: Nec officit quod prius sit esse hic, quàm operari hic, quia quemadmodum prius est esse hic, quàm operari hic, ita prius est rem esse mensurabilem, quàm actu metiri, sed nihilominus fieri potest quod forma rem ipsam mensurans constituat quoque mensurabilem, ut evenit in mensura intrinseca, ut in quantitate substantiæ inhærente: Hæc enim constituit substantiam mensurabilem, simulque mensurat mensura intrinseca, ergò etiam fieri poterit, quod esto videatur, quod prius sit esse hic, quàm producere ubicationem, ubicatio autem constituat rem hic.

Arguunt secundò alii. Ubicatio superaddita, quemadmodum, & quilibet alter modus derogat perfectissimo Dei dominio, quod sic ostendunt Duratio indivisibiles exigens per horam integram perseverare in esse Chimerica est; ergo etiam ubicatio exigens ad sui productionem, ut producatur res altera creata, cui sit essentialiter affixa repugnat. Antecedens communiter ab Authoribus admittitur. Consequentia ostenditur. Non minus est de ratione perfectissimi dominii Dei posse rem quamlibet pro suo libito destruere, quàm posse unam rem producere absque altera, sed ne tale dominium lædatur, nequit unica duratio, quamvis modus, dicere hanc exigentiam intrinsecam perseverandi in esse per horam integram; ergò nec dari poterit ubicatio, ne idem dominium lædatur.

Confirmatur, quia talis ubicatio subterfugeret etiam virtutem creatiuam; à Deo enim solo creari non posset, cum essentialem diceret dependentiam à subiecto.

Respondeo durationem cum exigentia in argumento relata non implicare ratione oppositionis cum Dei dominio. Ratio est, quia quoties vult Deus illam durationem producere non obstante, quod videat ipsam exigere pro statuto tempore durare, vult quoque virtualiter eam per horam conservare, adeoque necessitas conservationis non solùm consurgeret ex talis durationis natura, quam ex ipsa diuina voluntate.

Confirmatio verò argumenti tangit difficultatem illam, utrum videlicet modi possint creari, in qua dissidium esse inter Authores Scholæ societatis advertit Comptonius, cum quo assentior creari posse, quia modi subjecto dicunt solam intimam affectionem, & modificationem subjecti, non verò essentialem dependentiam ab ipso tamquam à causa materiali, quæ sola dependentia impedire valet creationem.

Arguit tertiò Maignan. Rem esse in loco est rem contineri ab extremo immobili primo ambientis; sed in hoc nulla est particula importans formam aliquam intrinsecam inhærentem rei locatæ, ergò rem esse in loco est sola extrinseca denominatio. Major est certa, probatur itaque minor quia extremum primum continentis, nec immobilitas esse possunt intrinseca contento.

Confirmatur primò. Differentiæ loci, uti sunt sursum, deorsum, proximum, remotum, dextrum, sinistrum important, solam denominationem extrinsecam; ergò etiam esse in loco simpliciter importabit solam extrinsecam denominationem. Antecedens est certum; siquidem tum loco, tum re locata intrinsecè invariatis, res quælibet fieri potest

 dextra,

dextra, vel sinistra sola facta mutatione extrinseca alterius rei locatæ; ergò esse destrorsum, & sinistrorsum ut sic, est denominatio solùm extrinseca. Probatur itaque consequentia: non stat, quod esse locatum in specie sit simplex denominatio extrinseca, & etiam talis non sit esse locatum in genere; ergò si primum, & secundum. Probatur antecedens. Non stat esse visum in specie esse solam denominationem extrinsecam; ut v. gr. esse visum ab homine, esse visum à Ferra, & non esse denominationem extrinsecam, esse visum simpliciter, seu in genere; ergò etiam in casu nostro non stabit esse denominationem extrinsecam esse in tali loco in specie, & talem non esse, esse formalissimè in loco; idest in genere.

Urgetur hoc. Non minus de novo res est destra, vel sursum, invariato loco, quam sit de novo in loco; atqui per solam mutationem alicujus extrinseci potest res de novo esse dextra; ergò etiam per solam mutationem alicujus extrinseci poterit de novo res esse in loco.

Confirmatur secundò. Cogiter quis Deum invariato loco abstinere ab omni productione, vel conservatione cujuscumque formæ intrinsecæ, qua per modalistas res est formaliter in loco. Quod certè fieri potest, quoties forma hæc realiter distinguitur à re, & à loco; sed hoc non obstante res perseuerabit in loco: sicuti non desineret contineri extremo immobili primò continentis; ergò.

Respondeo utique locum extrinsecum, de quo solùm procedit argumentum hujus Auctoris, non præscferre aliquod intrinsecum rei locatæ, falsum tamen, si de intrinseco procedat argumentum. Hic enim ut ex terminis patet intrinsecum est rei locatæ.

Ad primam confirmationem dico etiam ipsam indifferentiam ad esse in loco, vel destrorsum, vel sinistrorsum tolli per aliquod intrinsecum superadditum, non quidem contradistinctum ab ipsa ubicatione per quam res est in loco; sed per ipsam, ut optimè etiam aduertit Martinus Esparza *lib 9. Mysterio Incarnationis quæst.* 20 Et ratio totius est, quia ipsa ubicatio, ne dum est ubicatio, sed etiam est ubicatio, vel destrorsum, vel sinistrorsum, adeoque vim habens ad duplicem tollendam indifferentiam, quod tanquam difficile apparere non debet; siquidem de facto eadem actio, qua Deus agit ad extra, duplicem tollit indifferentiam, nimirum illam, quam haber Deus ad agendum, & alteram, quam habet ad liberè volendum, maximè loquendo in plausibili sententia docente decretum Dei liberum, in ratione liberi constitui per actionem, extrinsecam. Ad secundam verò confirmationem dico ex desitione ubicationis rem non esse amplius futuram in loco intrinseco, cum hæc sit unica ratio, qua res est in ipso loco; Unde quemadmodum cessante unione, extrema non esset amplius unita, sed unicè unibilia, ita cessante ubicatione res non esset locata, sed unicè locabilis.

Arguit quartò idem Maygnan. Si daretur hæc ubicatio superaddita, dari deberet, ut forma modalis, vel ut alii loquuntur, ut modus præsentiæ localis; atqui nequit sic dari; ergò. Minor ostenditur si daretur, ut forma modalis, deberet esse impossibilis ejus existentia sine ipsa re modificata, seu absque ipsa re, ut intrinsecè locata; sed ejus existentia non est impossibilis sine re modificata; ergò ut forma modalis non datur; ergò simpliciter non datur. Probatur minor: Id quod importat propriam essentiam, quæ vera sit, bona sit, & una sit, & per actionem peculiarem ab aliis distinctam producitur, potest sine quocumque alio produci, & permanenter existere; atqui ubicatio importat propriam essentiam, quæ vera est bona est, & una est, atque peculiari actione producitur, ergò existentia ubicationis non est impossibilis sine re modificata. Quod si dicas talem ubicationem per nullam potentiam produci posse sine re modificata, propter sui naturam exigentem esse alteri essentialiter affixam, jam solutio erit principii petitio, quia hoc est quod quæritur, & quod de facto contenditur nullum esse posse ens, quod talis sit naturæ.

Respondeo dando libenter formam illam, quam modalem uocant Peripatetici propriam habere essentiam, quæ per actionem distinctam producatur: at nego ex hoc sequi ipsam producibilem esse sine re modificata. Stat enim hæc omnia convenire ubicationi, quin hæc se sola produci valeat. Quod totum patet clarissimo exemplo ipsius existentiæ, quæ quamuis peculiarem habeat conceptum quidditatiuum, tameo produci nequit, quin sit essentialiter affixa. Ratio autem totius est, quia quamuis ubicatio propriam dicat essentiam; tamen quia hanc præsefert essentialiter alteri affixam, ideò, & ipsa esse non poterit, quin sit alteri essentialiter affixa. Hoc autem esse alteri essentialiter alligatum non supponitur, sed superius ostensum fuit, dum dictum est ipsam ubicationem necessariò modificare, & determinare rem indifferentem ad esse hic, vel alibi; modificare autem non posset, nisi esset modus.

Arguunt ultimò aliqui. Res quælibet benè intelligi, potest esse in aliquo, determinato loco absque hac ubicatione superaddita; ergò non datur in rerum natura. Consequentia liquet. Antecedens suadetur, quia res quælibet rectè intelligitur esse in illo loco, à quo est pœnitus indistans, sed optimè intelligi potest indistans absque ubicatione superaddita; ergò. Probatur minor, nam per hoc præcisè quod intelligatur negatio distantiæ, intelligitur indistantia, sed intelligi potest negatio distantiæ absque ulla ubicatione; ergò rectè intelligi potest indistans absque ubicatione superaddita.

Respondeo intelligibilem non esse negationem distantiæ, quin intelligatur ubicatio superaddita, & hoc quia hæc est forma, à qua formaliter, seu ex qua consequitur talis negatio; ex hoc enim quod ego habeam ubicationem hic, sequitur negatio distantiæ ab hoc loco, undè patet in forma.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum duo corpora quanta supernaturaliter penetrari possint.*

IN hac difficultate triplicem invenio sententiam. Prima sustinet possibilitatem naturalem penetrationis. Huius auctores mediocres nedum numero verum etiam doctrina referunt hic *Mastrius*, & *Auersa*. Secunda, quæ plausibilior est, docet possibilitatem vi agentis supernaturalis, impossibilitatem verò vi agentis naturalis. Tertia vero sustinet impossibilitatem in utroque statu. Hanc nedum propugnavit Durandus *lib 4. dist. 44. quæst 6.* illis verbis. *nulla virtute fieri potest, quod partes quantitatis permanentis sint simul positione, & per consequens, nec duæ quantitates duorum corporum, cum utrobique sit idem ubditum;* verum etiam continuò amplectuntur Recentiores nonnulli egrè deinde sacræ scripturæ oracula explicantes, quæ multoties penetrationem suadere infra videbimus. Præcipue tamen *Cartesiani* Durando adhærent, satis solidum, referentes argumen-

mentum ex ipsa corporis natura acceptum, quam ipsi exhibent, & quam alibi reprobauimus. Dicunt enim, quod cum ratio corporis tota posita sit in extensione actuali, vel in positione partium extra partes, aut extra se invicem, necessario sequitur impossibilem esse corporum penetrationem, quia sic ratio corporis periret, cum non amplius partes extra se invicem futura essent. Huic adhærent nedum Cartesiani, sed etiam quamplures ex Atomistis, & præcipuè Philosophi omnes in *Nemausensi Academia* Professores, & alii in *Schola Auriaca*, quæ *Bredæ est*, aduersus quos omnes sit.

## CAPUT UNICUM.

*Communis sententia defenditur.*

NOn una est via, qua suaderi solet possibilitas penetrationis. Aliqui enim ipsam probant, quia cum impenetratio non sit de essentia quantitatis, sed potius impenetrabilitas, dari poterit duorum corporum penetratio, cum hac supposita non tollatur ipsa impenetrabilitas, seu exigentia ad non penetrari, sed solum actus secundus, extra rei essentiam constitutus. Alii verò suadent distinguendo in ipsa quantitate duplicem aptitudinem, quarum prima est occupandi locum divisibiliter; secunda verò est potentia expelendi aliam quantitatem ab eodem spatio. Huic autem secundæ aptitudini docent duplicem actum correspondere, videlicet actualem loci receptionem, & actualem expulsionem alterius corporis quanti ab eodem spatio, quos actus omnes volunt esse separabiles divinitus à quantitate. Alii verò breuius, & solidius rationem exhibent, cur divinitus hoc fieri possit, asserendo hoc prouenire, quia impenetratio effectus est secundarius quantitatis, adeoque à Deo impedibilis, sicuti est ipsa extensio localis. Hæc est ratio à priori communissima in omnibus Scholis, quæ sufficienter firmat assertum, eo vel maximè quod corporis natura in trina actuali extensione non residet, ut alibi monuimus.

Obiicies primò in favorem primæ sententiæ. Ignis cum ferro, aliisque metallis penetratur, dum incandescunt. Lumen item corporeum penetratur cum vitro, dum illud pervadit. Rursus hoc manifestè constat in binis vulgaribus experimentis, quæ fieri solent. Primum videlicet in vase aqua pleno, cui si magna dexteritate immittas plures aureos, aut argenteos nummos, non proinde aqua ex vase redundat. Secundum verò in vase cineribus pleno, cui si aquam infundas, tantum ejusdem aquæ copiam continebit, quantum continet vas cineribus vacuum.

Respondeo ad singula, & à primò incipiendo censeo aliquas ignis particulas spatim solùm disseminari in porris ferri, aut similium corporum excludendo ab ipsis porris aerem, imò etiam porros ipsos dilatando. Idem dici potest de luce supposito, quod hæc substantia sit corporea Ad tertium experimentum, dico vas illud quodcumque ante iniectionem nummorum, numquam esse adeò plenum aqua, ut novam aquæ notabilem quantitatem capere nequeat; neque enim facile est vas aqua omninò, & cumulatim implere, idque ob imperum, ac motum ipsius aquæ, dum infunditur. Hinc est, quod deinde, si dexterimè nummi sigillatim iniiciantur, itaut aqua minimum concipiat motum, aqua intra vas sensim assurgit, & supra orificium ipsum elevatur circumquaque ob difficilem ejus adherentiam ad superficiem vitri, vel ut alii volunt ob majorem aeris pressionem circa labrum vasis; ut propterea nummos plures admittat. præcipuè si vasis labrum patulum, & amplum extiterit. Quoad ultimum verò experimentum falsum est tantundem aquæ contineri posse in vase pleno cineribus, quantum in eodem vacuo, dummodo aquæ mensura æquè conferta, & cumulata accipiatur in utroque casu. Verum quidem est differentiam aquarum esse modicam, si præcipuè cineres tenuissimi sint, & nulla arena, aut simili corporum genere permixti. Hujusmodi enim cineres optimè combusti, utpotè maximè leves, maximum numerum pororum, seu vacuitatum interspersum habent, ex quibus manifestè cernitur ægreoli aer, dum superinfunditur aqua.

Obiicies primò. Possibilitas penetrationis corporum non est necessaria ad sacrarum litterarum veritatem; ergo ineptè nonnulli Peripatetici ex sacris litteris ipsam ostendere conantur. Antecedens suadetur enumerando præcipua, quæ asserri solent, & in primis ista possibilitas non est necessaria ad salvandum Christum illeso Virginis Utero natum esse. Falsum enim est Christum clauso Virginis Utero in mundum prodiisse; contrarium enim non obscurè innuitur Lucæ 11. & 23., cum de eo dicatur. *Omnis masculus uterum sanctus erit domino*; nec tamen Maria desiit esse Virgo, quatenus Virgo sumitur pro ea, quæ non coiuit cum viro. Secundò falsum quoque est, Christum clauso sepulcro resurrexisse. Docetur enim expresse in Textu Angelum è Cœlo descendisse, & lapidem ab hostio sepulchri devoluisse. Matth. 28. 2. quorsum! nisi ut Christus aperto sepulcro commodè egrederetur. Tertiò falsum quod ad Discipulos obseratis januis ingressus sit; non enim dicitur quod Christus per fores clausas ingressus sit, sed quod eo tempore quo fores clausæ erant, ad suos Discipulos venerit; itaut verba denotent tempus introitus, non verò modum introitus, scillcer per penetrationem. Nocturnos enim habebant cetus Discipuli, & clausis januis scilicèt διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων ——————, idest propter metum judeorum, ne si cætus de die, & palam haberent, Iudæorum odia, & pænas publicas, aut seditionem in se commouerent. Vel etiam dici potest cum Durando, quod euenerit, quia Christus figuram mutaverit in angustam & sic intrare per rixam januarum, ipsis remanentibus clausis, quod Christus facere poterat in quantum Deus. Denique falsum est, quòd Christus ascendens ad Patrem Cœlos penetrauerit. *Heb.* 4. 14. nihil aliud significat, quam ipsum in Cœlum ingressum esse, ut docetur *Heb.* 9. 24 Vox enim διελθεῖν, idest pertransire, non significat corporum penetrationem, ut constat collatione locorum *Iob* 8. 59. 1. *Cor.* 16. 5. Nec officit ineffabile Eucharistiæ mysterium, siquidem Christus Sacramento Altaris non est quantitatiuè, adeoque hoc fidei mysterium non est contra hoc assertum procedens solùm de duabus quantitatibus quantitatiuis duorum corporum sibi inuicem comparatis. Prærerquamquod in Sacramento Cœnæ Dominicæ Corpus Christi verè, & realiter existere sensu Catholicorum in uno, aut etiam multis locis negatur. Signa enim solùm ibi exhibentur Corporis Christi jam olim pro nobis crucifixi, & sanguinis effusi.

Sed quàm falsò hoc asserant Eterodoxi, & præcipuè, si attendere velimus Christi ingressum ad discipulos, quem refert Ioannes, indè patet quod juxta originale Grecum *cap.* 20 *num.* 19 hæc legimus καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ...... ἔστη εἰς τὸ μέσον, idest

cum

cum fores essent clausæ: Stetit in medio, & *versu* 26. eiusdem capitis ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, idest venit Jesus januis clausis, ad quæ Sacræ Scripturæ oracula respiciens ex ipsis Eterodoxis Ugo Grotius hæc protulit: *subitò inter ipsos adstitit, nam qua venisset non appareret*. Quam penetrationem agnovit etiam Augustinus *Sermone* 159. & 160 hæc habens *ille quipe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris Inuiolata permansit, hic si ratio quæritur non erit mirabile, si exemplum poscitur non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur intelligere non posse.*

Quod autem asseritur de Eucharistiæ Sacramento; falsum est verè, & realiter Christi corpus ibi non existere, sed solùm figuratè, ut optimè ostendit Bellarminus *lib* 1. de Sacramento Eucharistiæ *cap.* 9. Non est enim probabile quod Christus figuratè fuerit locutus in Cœna Dominica. Primò ratione materiæ, de qua erat termo. Locutio enim erat de Sacramentis, hæc autem propriis verbis instituit Christus, ut patet in Sacramentis veteris, & novæ Legis, uti de Circumcisione, de Agno Paschali, aliisque Sacrificiis.

Secundò, quia loquebatur Apostolis, qui cum essent rudes, & simplices, & instituerentur Magistri totius humani generis, omnia clarissimè proponere debebat. Tertiò tandem, quia ut optimè advertit idem Bellarminus ex Patribus in Sacramento Eucharistiæ opus est fide, ut credatur res, quæ absurdissima sensibus esse videtur. Si autem tantùm tropicè verba omnia spectantia ad idem Sacramentum essent intelligenda, non essent, unde desumeretur hæc fidei difficultas. Quæ enim est difficultas, si unicè credere deberem pane significari Christi Corpus.

Arguens secundò ex Durando. Sicut partes quantitatis successivè habent inter se ordinem durationis, sic partes quantitatis permanentis servant inter se ordinem positionis, sed nulla virtute fieri potest, quod partes quantitatis successivæ sint simul duratione; ergò similiter nulla virtute fieri poterit, quod partes quantitatis permanentis sint simul positione.

Respondeo disparitatem esse, quia successivitas est de essentia entis successivi qua talis, unde nil mirum si ipsius partes nec divinitus duratione simul esse possint: at impenetratio non est de primario conceptu, & differentia essentiali quantitatis permanentis, adeoque optimè poterit una quantitas cum altera penetrari.

Obiiciunt tertiò Recentiores. Data possibilitate penetrationis tota replicatio fieri posset supra minimam partem; sed hoc videtur impossibile, quia tunc maximum corpus posset contineri localiter in minimo loco, videlicet à solo loco illius partis, supra quam esset facta explicatio, & sic maximus mons transire posset per foramen acus, & totum Cœlum esse posset in minima bursa, indemni quantitate utriusque mundi scilicet, & Cœli, sicuti & Gigas immensæ magnitudinis, mediante penetratione partium redigi posset ad pigmeam staturam, non modo palmarem, verum etiam minorem formicæ, aut pulicis magnitudine, retentis scilicet ejdem organizationibus, & consequenter eadem forma humana, quod non videtur istis possibile; ergò.

Huic argumento variæ sunt solutiones, quas omitto videndas apud Mastrium Ego illis adhæreo, qui concedunt, nedum partes corporis penetrari posse cum aliis partibus, verum etiam totum compenetrari posse cum qualibet minima parte, nec in hoc ulla est repugnantia. Mons enim, & Cœlum per foramen acus transire, & in bursa ioculatori nequeunt, suam retinendo extensionem localem, qua si priventur, ut de facto privarentur suppositæ partium penetratione, nulla remaneret repugnantia.

Ultimò arguit Durandus. Non minus est opus duo corpora distingui ad invicem situ, & positione, quam duas partes ejusdem corporis; sed partes quantitativæ ejusdem corporis ita distinguuntur situ, & positione, ut impossibile sit eas esse simul simultatè opposita illi distinctioni; ergo à pari duo corpora quantitativa. Major liquet, probatur minor. De intrinseca, & essentiali ratione quantitatis est habere partem extra partem; ergò nequit esse quantitas sine hac extraneitate; sed hoc ipso esse nequeunt, quin distinguantur situ, & positione; ergo. Minor subsumpta est certa. Distinctio enim positione, & situ est ordo ipsarum partium in toto. O dini autem repugnat simultas partis in parte.

Respondeo concessa majori negando minorem; ad cujus probationem distinguo antecedens de intrinseca, & essentiali ratione quantitatis est habere partem extra partem, quoad se concedo antecedens; quoad locum nego antecedens, & pariter distincto consequenti nego minorem subsumptam; ad cujus probationem distinguo: distinctio positione, & situ est ordo ipsarum partium in toto, ordo partium quoad se, & quoad locum concedo, solùm quoad se nego. Ad ultimum verò pariter distinguo ordini repugnat simultas partis in parte, quoad se concedo, quoad locum nego. Itaque dico quod quantitas essentialiter solùm dicit ordinem partium quoad se, non verò quoad locum. Huic autem ordini non video, quomodo obstare possit simultas positione, & situ, sicuti obstare nequit eidem ordini partium quoad se negatio distinctionis secundum situm.

## QUÆSTIO QUARTA.

*An sit possibilis replicatio circumscriptiua.*

### CAPUT PRIMUM.

*Sustinetur sententia negativa.*

ANgelicus, & Subtilis in hujus difficultatis solutione ex diametro se se opponunt, cum propugnet primus repugnantiam corporis ad esse in duplici loco circumscriptiuo, pluribus in locis, sed præcipue *quodl* 3 *art.* 2. illis verbis: *quod corpus esse in duplici loco circumscriptiuè est ponere duo contradictoria*, quem sequuntur Durandus *in* 4. *dist.* 10 *quæst.* 4 *num* 8. Ioannes à Sancto Thoma *quæst.* 16 *art.* 5 *in Physica*, pro hac sententia referens Diuum Bonaventuram *in* 4. *dist.* 54 *art* de dote Agilitatis, Illustrissimus Petrus de Godoy *in tract. de Mysterio Incarnationis disp.* 16. § 4. & novissimè ex iisdem Thomistis Magister Paulus Cavino *Tract.* 3 *ad* 3. & 4. *lib. Physic* §. 2. Secundus verò sustineat possibilitatem *in* 4. *dist* 10 *quæst.* 1. *art.* 2 cui adhærent Mastrius *disp* 12 *quæst* 8 *num.* 125 Pontius *lib.* 4 *disp.* 15. *quæst.* 5 *concl* 1. Dupasquier *in Physica disp.* 1. *quæst* 4 *concl.* 3. Petrus à Sancta Catharina *lib* 4 *Pysic. disp.* 1 *quæst.* 4. & ex Societate Suarez *Tomo* 3 *in* 3 *part. disp.* 48. *sect.* 4 Hurtad. *disp.* 14 *sect.* 5. Quitos *tract.* 3. *Physic disp.* 65. *sect* 2. Comptonius *disp.* 35 *sect.* 3. Conimbricenses 4. *Physic. cap.* 5 *art.* 2. Tellez 2. *part. in Physic. disp.* 32. *tract*,

*tract.* 4. Rubius, Oviedo, Arriaga, & extra istorum Scholam, Aversa *quæst.* 27 *de loco sect.* 6. Serbell *disp.* 5. *quæst.* 1 *de loco art.* 4. Spinula *disp.* 10. *sect.* 5. Morandus *in* 4. *Physic. tract.* 1. *quæst.* 3 Guatinus *disp.* 10. *in Physic. cap.* 6. omnes authumantes, priorem sententiam esse minus consonam fidei, quo tamen non obstante ipsam propugnamus cum Henrico *in quodl.* 9 *quæst.* 32., juxta cujus mentem eamdem sustinent omnes domestici, & ipsam me docuit doctissimus M. Cavalli, & dulcissimus Præceptor, sub cujus disciplina Peripateticæ Phylosophiæ per plures annos incubui, sæpius etiam publicè disputando, etsi quid unquam profeci in hac re, id tamquam humanissimo Præceptori debere me fateor.

Primum autem sententiæ negativæ fundamentum sit illud, quo utitur doctor, utuntur etiam doctissimi Patres Complutenses, quod hoc medio procedit. Si unum, & idem corpus posset per proprias dimensiones esse in duobus locis circumscriptivè, eadem ratione posset esse in omnibus; ergò etiam posset esse ubique, adeoque immensum, sed hoc proprium est solius Dei; ergò nequit esse in duobus locis circumscriptivè. Sequela antecedentis patet, quia non est potior ratio, cur possit esse in duplici, & non in triplici, & si in triplici, cur non ubique: sicuti v.g (& est exemplum) Doctoris ibidem, quia Corpus Christi Domini indifferenter poni potest sub his, & illis speciebus panis, ubicunque dantur istæ species, poni potest corpus, adeoque si ubique darentur species, ubique poneretur Christi Corpus.

Quod autem si ubiquè existeret, immensum esset, ostenditur, quia si aliqua adesset ratio, cur illud Corpus non esset immensum, & suppositione quod esset ubique, maximè quia hoc non esset ex vi suæ essentiæ, & independenter ab alio, ut à prima causa, quod exigitur ad immensitatem; sed hæc ratio nulla est; ergo. Maior est potissima adversariorum ratio; minor vero probatur, quia stat optime illud esse ubique, & habere vim repletiuam omnium locorum dependenter ab alio, & adhuc esse immensum; ergo ratio illa nulla. Probatur antecedens. Creatura potens rem ex nihilo producere esset omnipotens, quamuis posse haberet per participationem; ergò corpus potens esse ubique, quamuis per participationem, est immensum.

Huic rationi respondent primo aduersarii illud corpus non futurũ esse in illis infinitis locis, si daretur, sicuti Deus habet esse. Hic enim intelligitur existens in illis essentialiter, & à se. Creatura vero esset solum contingenter, maximè cum esset per ubicationem distinctam, in quo differet à Deo. Sic euadunt argumentum Pontius, Vrtado, Arriaga. Secundo respondent alii superius inconveniens non sequi, quia loci infiniti non sunt possibiles, sem per enim loci, qui sunt à parte rei, finiti sunt, & sic solum illa quantitas esse posset in loco maiori, & maiori in infinitum. Sic respondent Illustrissimus Spinula. Alii vero dicunt non inde sequi, quod esse posset in infinitis locis, quia illud corpus astringi posset ad aliquem determinatum numerum locorum propter corporis limitationem, & finitatem, quam solutionem explicant per analogiam ad intellectum, qui quamuis possit plura simul intelligere, non tamen infinita propter sui limitationem, ut patet etiam in ipsa humanitate, quæ quamuis possit simul assumi à tribus Divinis personis, non per hoc sequitur, quod assumi possit ab infinitis. Sic denuo Pontius. Alii vero occurunt per instantiam docentes idem obiici posse etiam de Corpore Christi sub pluribus Hostiis, unde hoc censeri non debet inconveniens in uno casu magis, quam in altero. Alii tandem dicunt, & verius tale corpus non futurum esse immensum, quia non esset in omnibus locis ex sua fæcunditate, sicuti est Divina natura in tribus; sed ex sola potentia obedientiali.

Contra est. Nulla siquidem ex his solutionibus bona pace argumentum eneruat: non prima, quia id quod constituit immensum ut sic, est esse ubique, esse enim ubique neccessariò, & à se, non constituit immensum, ut sic, sed immensum imensitate imparticipata, & à se. Præterea creaturæ, cui communicaretur virtus productiua infinita ad effectus perfectiores, & perfectiores, esset omnipotens, quamuis non necessariò, & à se virtus illa eidem conveniret; ergò hoc idem dicendum est de creatura ubique existente. Ad illud vero de ubicatione superaddita eadem est solutio, quam hac paritate confirmo. Si mundus durasset per omne tempus à parte ante, quamuis per plures durationes, uti non durat Deus, fuisset eternus, ergò etiam quamuis talis creatura in illis locis esset per uarias ubicationes superadditas, nihilominus foret immensa ex conceptu quidditatiuo immensitatis ut sic. Ad secundum dico vim rationis superius allatæ in hoc residere, quod illud corpus posset esse in infinitis locis, quantum est de se, quod optimè evincitur, & si hoc actu non sequeretur, proveniret illi ex defectu eorundem locorum. Deus enim immensus est, licet non sit in locis positivis actu infinitis.

Tertia solutio non valet: non enim adest unde desumatur hæc limitatio, non quidem ex tali quantitate, cum hæc capax sit habendi plures præsentias in sententia opposita; non ex modo essendi circumscriptivæ, cum enim non repugnaret esse circumscriptiui in duobus, nec quoque repugnatet esse in infinitis, si adessent; non ex defectu locorum, qui actu infiniti non sunt, quia absurdum, quod infertur in sententia contraria, non est quod tale corpus esset actu in infinitis locis, sed solum quod quantum est de se esse posset. Ad illud verò de intellectiua potentia, non una est disparitas; volunt aliqui disparitatem esse, quia potentia cognoscitiva comparativæ ad veritates cognoscendas se habet ut causa efficiens, unde nequit per eandem virtutem, qua præstat plures cognitiones, præstare simul infinitas; at vero quantitas in ordine ad replendum locum, gerit munus causæ formalis, quæ per eandem potentiam, qua præstat unum effectum, potest etiam præstare plures, ut patet in ipsa forma substantiali, quæ per eandem virtutem, qua unam informat materiam, potest plures. Sed huic solutioni non assentior, & verius iudico disparitatem in hoc residere, quod in potentia intellectiua in ordine ad veritates naturales cognoscendas attenditur eiusdem virtus naturalis, quæ cum finita sit, hinc cognoscere nequit infinita; at vero corpus potens esse in duobus, posset esse etiam in infinitis, quia ut possit esse in duobus attenditur potentia obedientialis, secundum quam non est potior ratio, cur esse possit in duobus, & esse nequeat in infinitis. Paritas autem, quæ desumitur ex natura divina, ad rem non facit, quinimo ex ipsa roborari potest superior ratio statuta hoc medio. Natura quæ quantum est de se à tribus assumi potuit, potuit quoque, & potest assumi ab infinitis personis, si adessent; ergo etiam si Corpus esse posset divinitus in duobus locis, posset etiam esse in infinitis locis, si adessent.

Eeee Vltima

Ultima hic solùm reiicienda remanet evasio, quam fateor peculiarem veritatem iocludere, & maximè in Henrici sententia volentis naturam divinam non ideò infinitam esse, quia quomodocumque ipsa est in tribus personis, sed quia in illis est ex sua fæcunditate, & per identitatem. Sed nihilominus pro viribus dico, quod quamvis illud corpus non esset in infinitis locis in actu secundo ex sua fæcunditate, sed unice Deo volente, esset tameo in actu primo, quia esset ex sua intrioseca capacitate.

Probatur secundò conclusio. Corpus esse in duobus locis circumscriptivè est esse, & non esse io illis; ergò coottradictionem involuit. Secunda pars antecedeotis, io qua resídet difficultas ostenditur. Esse circumscriptivè in loco est comprehendere, vel esse æquale loco; sed implicat idem corpus simul esse æquale duobus locis; ergo non esset in illis. Major est certa: esse enim circumscriptive in loco est circumscribi, vel mensurari à loco; minor verò probatur. Corpus, quod est æquale duplici loco, nequit esse æquale cuilibet illorum seorsim, cum æquale toti nequeat esse æquale parti, sed si existeret circumscriptivè in duplici loco, esset æquale utrique simul; ergò non posset esse æquale cuilibet illorum seorsim; ergó io neutro illorum existeret circumscriptive.

Huic rationi variæ occurrere solet adversa pars, Aliqui enim dicunt ipsum corpus adhuc fore circumscriptivè in quolibet illorum locorum, quia esse circumscriptivè in loco, est formalissimè, quod locus circumscribat, & comprehendat totum locatum, quoad omnes suas partes, quas intra se continet; atque quod superficies locati proportionem habeat cum superficie concava corporis locaotis, non verò in quantum ad hoc, quod nihil locati sit extra. Corpus enim Christi continetur in suo loco in Cœlo, tamquam in termino circumscribeote, & tamen reperitur in alio ioco, idest in hostia. Et subsistentia est terminus naturæ, quamvis hæc affecta una subsistentia, alia possit supernaturaliter in probabili sententia terminari. Sic respondent Pootius, Spinula, & Ariaga.

Alii verò docent ubi circumscriptivum noo negare corpus esse alibi, nisi ad summum ratione ejus ubi, idest illud corpus non per unicum, sed per duo ubi in eis locis existere. Dixi ad summum quia nec per unicùm ubi volunt repugnare corpus illud pooi io duobus locis, sicuti oon repugnat creaturam aliquam fieri præsentem omoibus spatiis immaginariis per uoicam ubicationem, & Angeli de facto per unicum iodivisibile, ubi v. gr. sunt præsentes toti scholæ.

Nonnulli taodem respondeot locum circumscriptivum habere solùm taliter circumscribere locatum, ut naturaliter extra illum esse non possit, noo verò supernaturaliter; vel hoc verum esse, dicunt, absolutè, & simpliciter; loqueodo tamen de corpore non replicato, noo verò de replicato. Sic discurrunt Conimbricenses, sed

Contra est, nulla siquidem ex his solutionibus tollit vim, quæ inest argumento; oon prima, quia ad hoc ut res sit circumscriptivè in loco, nedum exigitur, quod nihil sit extra circumscriptivè, quod non sit intra, sed etiam quod nihil sit extra circumscriptivè, quia locus circumscriptivus, qua circumscriptivus est termious exhauriens totam vim locabilem quantitatis, adeoque implicat esse extra illum locum circumscriptivè, cum in linea locabilitatis circumscriptivè sit adæquatè corpus terminatum. Corpus autem Christi in Eucharistia non est io eodem genere circumscriptivo, seu sub duplici terminatione sibi adæquata io eodem genere circumscriptionis. Dum autem dicitur, quod dum corpus existit in uno loco circumscriptiuè, oihil talis corporis debeat esse extra, sermo est in eodem genere locabilitatis, in quo genere, ut dixi, locus exhaurit totam vim locabilem quantitatis. Ideò autem natura terminata verbi subsistentia potest simul terminari alia, quia quælibet ex subsistentiis diuinis solùm terminat naturam adæquatè intensivæ, non verò extensiuæ: at verò locus circumscriptiuus virtutem locabilem corporis etiam extensivè terminat. Cur autem locus circumscriptiuus virtutem locabilem corporis expleat etiam extensiuam; noo verò unica subsistentia capacitatem naturæ etiam extensivam, ratio esse potest, quam assignat Illustrissimus Petrus Godoii *tract. 3. de Incarnatione disp. 16 quæst. 3 §. 4 num. 87*, quia nimirum extensio localis prouenit à quantitate, tamquam ejus effectus secundarius, non secundùm potentiam obedientialem, sed naturalem; at verò subsisteotia diuina, nec est effectus secundarius naturæ subsistentis, nec ipsam respicit per potentiam naturalem, sed solùm per obedientialem, secundùm quàm est in potentia ad plures.

Ad Arriagæ verò evasionem dico implicare, quod unum corpus sit in pluribus locis etiam per duplicem ubicationem. Et ratio est quia repugnantia stat in hoc, quod quilibet illorum locorum circumscribat adæquatè, & totaliter, tam intensivè, quàm extensivè tale corpus, quod tam bene sequitur, sive esset in duplici loco per unicam ubicationem, siue per duplicem. Difficultas autem est, utrum creatura (quæ difficultas oritur etiam de Deo) possit esse in omnibus spatiis immaginariis, in quo dissidio partem negatiuam docent aliqui cum Vasquezio *prima parte disp. 29. cap 2. 3. 4.* & hoc, quia nulla creatura, esse habet in chimera, uti est spatium immaginarium, quidquid dicant Urtado, Medina, & Suarez. Ad illud verò de ubicatione angelica dicendum est quod in hypotesi tota schola in ordine ad Aogelum se haberet tantum ad instar unius loci.

Solutio tandem Conimbricensium nimis friuola est Rationes enim superius relatæ, si attentè considerentur, osteodunt, nec etiam supernaturaliter corpus posse esse extrà illum locum, cum nec Deus dispensare valeat ab iotrinseca repugnantia, quæ intervenit in circumscriptiua corporis replicatione. Quod autem addunt de replicatione, dico nec post ipsam corpus esse æquale duplici loco, cum per ipsam non addatur noua quantitas.

Probatur tertiò conclusio. Eadem numero forma habere nequit duos effectus formales adæquatos; ergò repugnat replicatio circumscriptiua eiusdem numero quantitatis. Antecedens liquet in communi sententia, & quamuis euidens sit loqueado de effectu formali primario, cum hic sit ipsa forma, evidens etiam est loqueodo de effectu secundario. Probatur itaque consequentia; non stat replicatio circumscriptiua eiusdem oumero quaotitatis, quin hæc aquirat duplicem localem extensionem, sed hæc est effectus secundarius quantitatis; ergò si repugnat unam numero formam habere plures effectus formales, repugnabit quoque replicatio circumscriptiua eiusdem oumero quantitatis.

Huic tertiæ rationi multipliciter pariter occurrere solent aduersarii. Dicunt aliqui primò quantitatem non esse causam formalem actualis localis exteosionis; si eoim ità esset, implicaret ipsam esse in loco

modo

modo inextenso, cum tamen ita sit in Sacramento Altaris. Est autem solùm causa radicalis, seu radix exigitiua actualis extensionis. Causa enim formalis actualis extensionis est ubi circumscriptiuum, undè ut habeatur duplex extensio actualis, sufficiens erit duplex ubi circumscriptiuum. Sic respondet Arriaga, & ex ipso Illustrissimus Spinula.

Secundò alii occurrere solent dicendo optimè posse distinctos effectus formales multiplicari forma immultiplicata, cum prouenire possint ab eadem forma indiuisibili. De factò enint eadem numero anima rationalis constituit caput formaliter animatum & pedem, & eadem quantitas facit materiam, & formam substantialem quanta in genere causæ formalis, quamuis non sit idem realiter effectus, quem tribuit materiæ, & formæ. Quinimò ulterius addunt præsentiam illam quantitatiuam non esse effectum formalem quantitatis, sed potius formam ipsi aduenientem per actionem causæ effectiuæ.

Contra est. Nulla siquidem ex his solutionibus eneruat tertium hoc fundamentum: Non prima, dum enim dicitur, quod actualis extensio localis proveniat à quantitate, tamquam à causa formali, sensus est quod proueniat per modum effectus secundarii, adeoque nil mirum, quod esse possit quantitas cum eiusdem carentia. Non enim valet modus hic arguendi: potest esse quantitas sine extensione locali actuali; ergò hæc non est ejus effectus formalis; sed hęc solùm valet; ergo signum est quod extensio localis non est effectus primarius quantitatis, quod ultrò ab omnibus conceditur. Ubicatio autem circumscriptiva nequit esse causa formalis extensionis actualis, cum nihil sit causa sui ipsius; habere etenim ubicationem circumscriptiuam, & habere extensionem localem unum, & idem sunt.

Ad secundam solutionem dico plures effectus formales, si totales sint, prouenire non posse ab unica forma. Relati enim in hac euasione sunt partiales. Totalis enim est totum corpus, ut animatum; quapropter nequeunt duo corpora animari per unicam formam rationalem, quia forma habet corpus animare per communicationem suæ entitatis, eadem autem numero forma nequit se communicare pluribus subiectis realiter distinctis, ut certum est. Præterea aliud est quod eadem forma possit communicare suum effectum formalem pluribus, quin ipsa multiplicetur, aliud verò quod ipse effectus formalis, prout est in se geminari possit, quin ipsa geminetur. Primum ommittitur, & evincitur per superiorem Scotistæ Pontii solutionem. Secundum falsum est, nec ut verum ostenditur. Quod autem ulterius edocer hìc Scotista, extensionem actualem non esse effectum formalem quantitatis, dico ipsum aliquod asserere ultra communem omnium expectationem. Hoc nihilominus dissimulato, sic ex suis principiis arguo contra ipsum. Extensio actualis localis pro eo signo, pro quo est effectus formalis quantitatis, geminari nequit, quin forma ipsa multiplicetur. Hoc conceditur à Pontio; sed extensio localis est effectus formalis quantitatis, quatenus impenetrabilis est ex eodem, ergò ut sic geminari non poterit ingeminata quantitate; atqui res in duplici loco circumscriptiuo, est res cum duplici locali extensione impenetrabili; ergò sic esse non poterit immultiplicata quantitate. Quod si quantitas multiplicaretur, jam extra controuersiam essemus.

CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Difficili controuersiæ difficilia correspondent argumenta, quibus possibilem ostendunt aduersarii replicationem circumscriptiuam. Ego præcipua afferam ex Schola Scoti deprompta, postea, si tempus aderit, alia proponam.

Arguunt itaque primò ex pluribus apparitionibus, & primò Christus Dominus apparuit corporaliter Paulo Damascum proficiscenti; sed nequit saluari talis apparitio sine replicatione circumscriptiua; ergò &c Probatur minor, siquidem affirmare non possumus hanc apparitionem fuisse imaginariam; fuit enim hæc confirmativa veritatis Resurrectionis Christi, si autem fuisset purè immaginaria, non potuisset esse talis: nec etiam dici potest pro toto illo parvo tempore Cælum dereliquisse, cum hoc sit unicè futurum in die Judicii; ergo dicendum est apparitionem Christi sic factam Paulo præseferre indispensabiliter replicationem circumscriptivam.

Confirmatur. Plures apparitiones Sanctorum factæ quamplurimis viris variis in locis, ab Ecclesia tribuuntur ad miraculum; atqui si istæ apparitiones non dicerent replicationem realem corporis illius Sancti; sed solùm visionem phantasticam ab Angelis causatam, vel corpus aereum, vel solam speciem distinctam ejusdem Sancti, sed communiter affirmatur à negantibus circumscriptivam replicationem, apparitiones illæ imputari non possent ad miraculum; ergo res evenit eo sensu, quo negatur.

Argumentum hoc variè solvitur à Scolasticis nostram propugnantibus sententiam, quorum solutionibus omissis, ut clariori procedam methodo, sciendum est circa Christi appatitionem Paulo factam non unicam esse sententiam. Opinantur enim nonnulli ex Patribus de Cœlo fuisse factam, inter quos referri potest Isidorus Pelusiota *lib. 1. Epist. 400.* illis verbis. *Vox de Cælo Saulo allata est, ut ostenderetur prædicationem, quæ ipsi committebatur esse cœlestem.* Censent verò alii Christum verè descendisse de Cœlo eo tamen non relicto, ad aerem Paulo vicinum, itaut tunc Christus in duobus esset locis circumscriptivè, puta in Cælo, & in aere. Sic Ambrosius *lib. de Benedict. Patriarcha cap.* 9. D. Thomas 3. *part. quæst.* 57. *art.* 6 *ad* 3 Utraque hæc sententia sua gaudet probabilitate, suosque habet propugnatores. Priorem enim recipit Hugo Cardinalis *in expositione cap.* 9 *Act. Apostolorum*. Secundæ verò subscribit Cornelius à Lapide, ulterius addens apparitionem hanc optimum esse locum ad ostendendum adversus Calvinum, & Sacramentarios in Christo potentiam ad esse simul in Cœlo, & in Eucharistiæ Sacramento. Ego tamen priori pro nunc adhereo sententiæ, in qua optimè intelligitur, & quod ipsa apparitio esse possit confirmativa Resurrectionis, & quod non fuerit Corpus Christi circumscriptivè replicatum. Nec altera solutio assignari solita à Complutensibus improbabilis est in eo consistens, quod Cœlum deseruerit per breve tempus, dum Paulo corporaliter apparuit; dum autem instatur, quod sursum stare debeat Dominus usque ad Judicii diem, affirmari potest, hoc verum esse loquendo, quantum ad habitationem sibi debitam, non verò quantum ad alligationem localem.

Confirmatio verò nullius est roboris, adhuc enim

ad

ad miraculũ tales apparitiones tribuendæ sunt; nam certè miraculosa est impressio speciei illius Sancti facta cum tam vehementi penetratione, ut Sanctum veluti præsentem immediatè per se ipsum ostendat.

Arguunt secundò alii communiter cum Scoto. Potest constitui Corpus pluribus in locis modo inextenso, & indivisibili; ergò tantò magis poterit constitui in pluribus locis modo extenso corpori connaturali. Antecedens est certum, est enim de fide, & patet in ipsa replicatione definitiva.

Hoc argumentum illud idem est, quod sibi proposuit Illustrissimus Spinula ad idem firmandum assertum, quod hic impugnamus, quod cum exibeat sub clariori forma, placet hoc denuo sic exponere. Quotiescumque non sequitur ex aliqua forma essentialiter negatio formæ oppositæ, multò minus sequitur negatio formæ assimilaris, cum sint magis incompatibiles formæ oppositæ, quàm similares; hæ enim incompossibiles sunt solùm, quia duæ sunt, oppositæ verò, quia duæ sunt, & dissimiles; ergò si ex vi *ubi* circumscriptivi non sequitur essentialiter negatio ubicationis definitivæ, multo minus sequetur negatio *ubi* circumscriptivi, cum multò magis opponantur *ubi* circumscriptivum cum definitivo, quia dissimilia sunt, quàm duo *ubi* circumscriptiva, quæ similia sunt.

Respondeo disparem esse rationem, siquidem repugnantia, quam dicit corpus ad esse in loco modo indivisibili, & inextenso est solum naturalis proveniens ab extensione locali, quam exigit ipsum corpus. Cum autem nulla sit repugnantia, quod corpus quantum priveur sua locali extensione, cum sit effectus secundarius quantitatis, hinc potest esse modo inextenso, & indivisibili; at repugnantia, quæ oritur ex replicatione circumscriptiua eiusdem numero corporis, est repugnantia absoluta sita in hoc, quod tale corpus esset circumscriptivè in loco, & non esset. Per quod patet ad argumentum sub alia forma propositum dicendo ipsum veram præcontinere doctrinam, si non adsit specialis repugnantia, uti adest in præsenti. Siquidem negatio alterius vbi circumscriptivi, adeoque negatio formæ assimilaris, essentialiter sequitur, quia sequitur ex intrinseca repugnantia superius adducta; at verò negatio formæ dissimilaris, nimirum negatio ubi definitivi, non sequitur essentialiter, quia sequitur vnicè ex impenetratione, quam dicit quodlibet corpus quantum; hæc autem cum sit effectus secundarius quantitatis, & absolubilis.

Arguit tertio Suarez. Non est contrà rationem quantitatis, quod unum corpus existat in duplici loco circumscriptivè, nec pariter est contra rationem modi essendi circumscriptive; ergò supernaturaliter erit possibilis replicatio circumscriptiua. Antecedens quo ad primam partem ostendit primò, quia salua tota essentia quantitatis potest impediri extensio localis; ergò etiam salua tota essentia eiusdem quantitatis, poterit multiplicari ipsius localis extensio. Patet hæc consequentia primò, quia minus repugnat habere duplicatas proprietates, quam illis priuari. Secundò quia essentia quantitatis non consistit in extensione locali; ergò sive multiplicetur extensio localis, sivè tollatur, semper remanebit salua tota ipsius essentia.

Aliqui Recentiores. Thomistæ huic argumento Suarezii respondere solent distinguendo hoc ultimum consequens; ergò salua essentia quantitatis poterit multiplicari localis extensio, si quælibet non sit illi adæquata concedunt, si adæquata, sit negant consequentiam, quia alias esset adæquata, ut supponitur, & non esset, quatenus se haberet, ut pars illius duplicis extensionis. Sed hac omissa solutione, placet aliter satisfacere insistendo superiori nostræ doctrinæ, iuxta quam ad primum, quod in argumento affertur in ostensione primi antecedentis negandi, disparitas ea est, quam suprà diximus, quantitatem scilicet esse sine sua extensione locali, esse formalissimè rem esse sine suo effectu secundario, in quo nulla est repugnantia, at verò ipsam esse cum duplici extensione locali est multiplicari effectum formalem, estò secundarium, causa formali immultiplicata. Quis autem non videat magis hoc secundùm implicare, quàm primum. Ad secundùm censeo essentiam quantitatis non saluari in hoc sensu, quatenus hæc radicaret quamlibet extensionem localem, vel præsentiam quantitatiuam, tanquam suum effectum adæquatum, & non radicaret qua talem, cum altera præsentia ipsi competeret.

Arguunt quartò alii, & esse potest instantia contra hanc datam solutionem. Præsentia substantialis multiplicari potest non multiplicata substantia; ergò etiam præsentia quantitatiua poterit multiplicari quantitate non multiplicata. Consequentia patet ex paritate rationis, siquidem sicuti secunda est effectus quantitatis, ita prior est substantiæ.

Hoc argumentum est Achiles Scholæ Scotisticæ, sed facilè à nobis soluitur asserendo substantiam non esse in loco per se ipsam, sed vel per quantitatem, vel per conversionem panis in Christi Corpus, unde nil mirum, quod ipsa substantia immultiplicata, præsentiæ substantiales possint multiplicari, per hoc præcisè, quod quantitas, vel conuersio ipsa multiplicetur; at verò cum quantitas sit ipsa ratio implendi locum, duplicem implere non poterit, nisi per sui multiplicationem. Sed contra hanc solutionem afferri solent plures instantiæ, quas omnes adducere placet, unam, vel alteram ex nostris addendo.

Instatur itaque primò. Quamuis conversio sit ratio formalis, qua Christi Corpus est in pluribus locis secundùm præsentiam realem, adhuc tamen Christi substantia est res locata sacramentaliter in pluribus locis, quin ipsa substantia multiplicetur; ergò à pari poterit multiplicari præsentia quantitatiua immultiplicata quantitate.

Instatur secundò clarius ad idem per puram conuersionem substantiæ Panis in Christi Corpus, multiplicantur præsentiæ substantiales, non multiplicata substantia; ergò à pari multiplicabitur præsentia quantitatiua per puram conuersionem unius quantitatis in aliam immultiplicata quantitate.

Tertiò. Corpus sic replicatum ideò implicat, quia esset cum duplici præsentia quantitativa, seu extensione locali, ipsa quantitate immultiplicata; sed hoc est falsum; corpus enim illud, sic replicatum non haberet duplicem præsentiam quantitatiuam, & extensionem localem, sed tantum unam sic replicatam; ergò

Quartò, quia licèt substantia Corporis Christi sit in Hostia media conversione, tamen revera ibi est Christi Corpus cum propria quantitate, non inquam, ex vi conuersionis, sed concomitanter; ergò si substantia Corporis Christi potest recipere *ubi* inextensum præter *ubi* extensum, quod habet in Cœlo, tanto magis potuisset recipere *ubi* extensum, & diuisibile, quod est connaturalius.

Instatur quintò. Conuersio unius in aliud, non est ipsi ratio formalis essendi hic, ergò sine aliqua con-

contradictione poterit multiplicari præsentia substantialis sine conuersione substantiæ Panis in Christi Corpus.

Instatur sextò, & ultimò, vel instare possent Scotistæ. Ipsa conversio substantiæ panis in Christi Corpus non est ratio formalis, sed tantùm causalis, cur Christus sit præsens substantialiter in qualibet Hostia; nam ratio formalis, cur substantialiter sit præsens in Hostia est ipsa Christi substantia; ergo si potest multiplicari effectus formalis substantiæ; scilicet præsentia substantialis, non multiplicata substantia, poterit multiplicari extensio localis, sive præsentia quantitativa immultiplicata quantitate.

Respondeo ad singulas has instantias, & ad primam disparitas est, quod substantia non est locata sacramentaliter per se ipsam, sed per conversionem, adeoque ut Christi substantia sit sacramentaliter in pluribus locis, sufficit conversionis multiplicatio, quamvis non multiplicetur ipsa substantia; at quantitas est ratio implendi locum per se ipsam, adeoque multiplicari nequit præsentia quantitativa, quin ipsa multiplicetur. Imò instantia hæc retorquetur in suum Auctorem Mastrium. Quia multiplicatio præsentiæ substantialis sacramentalis habetur per conversionem, non possunt multiplicari præsentiæ substantiales, quin multiplicentur conversiones, ergo quia præsentia quantitativa habetur per quantitatem, non poterit præsentia quantitativa multiplicari, quin multiplicetur ipsa quantitas.

Ad secundam, quæ prioris est explicatio, respondeo, vel negando consequentiam, & suppositum: supponitur enim quod præsentia quantitativa multiplicetur per conversionem unius quantitatis in aliam, cum præsentia quantitativa tantùm multiplicetur per ipsam quantitatem; vel concedendo illam, sed nihil contra nos, cum hic loquamur de corpore secundùm eandem numero quantitatem.

Ad tertiam concessa majori, quæ tamen non est causalis adæquata, nego minorem, & ad ejus probationem antecedens assumptum, nam tale corpus sic replicatum esset in duplici loco modo circumscriptivo; ergo deberet habere duplicatam præsentiam quantitativam, cum à præsentia quantitatativa desumatur ratio essendi circumscriptivè, quod totum fatetur arguens in sua instantia, dum dicit, quod corpus existens circumscriptivè in duplici loco deberet habere unicam præsentiam circumscriptivam replicatam; quid autem est quæso præsentia circumscriptiva replicata nisi duplex præsentia quantitativa.

Ad quartam disparitas est, quia substantia Corporis Christi recipere ubi inextensum est substantiam esse in loco sine sua extensione locali: Substantiam autem esse sine extensione actuali, nihil est aliud, quàm substantiam esse sine suo effectu secundario, in quo nulla est repugnantia; at verò substantiam Corporis Christi habere duplex ubi extensum est esse, & non esse in illis, est habere duplicem extensionem actualem quantitate immultiplicata, quod repugnare documus. Ad id, quod additur recipere scilicet *ubi* extensum esse connaturale substantiæ Corporis Christi. Respondeo hoc verum esse de uno *ubi* extenso, falsum de duplici; hoc etenim potius repugnans est, quàm connaturale.

Ad quintam concesso antecedenti, nimirum conversionem non esse rationem formalem essendi in Hostia præsentiam Christi realem sed unicè ipsam esse causalem, distinguo consequens; ergo poterit multiplicari præsentia substantialis Corporis Christi sine conversione, secundùm præsentem providentiam, nego, secundùm aliam, subdistinguo idem consequens, potest multiplicari præsentia substantialis, quin multiplicetur, vel conversio, vel quantitas, nego consequentiam, sola conversio concedo consequentiam. Quamvis enim verum sit, quod conversio non sit ratio formalis, cur multiplicetur præsentia substantialis Corporis Christi in pluribus Hostiis, sed tantùm causalis (ratio enim formalis, cur Corpus Christi sit præsens in Hostia substantialiter, est ipsa substantia) tamen juxta præsentem providentiam, præsentia substantialis Corporis Christi in pluribus Hostiis non habetur, nisi media conversione substantiæ panis in Christi Corpus, quæ conversio fit per consecrationis verba. Secundùm aliam providentiam verum est, quod poterit multiplicari præsentia substantialis absque eo quod intervenire talis conversio, & consequenter absque eo quod desineret panis substantia. Sexta verò instantia ex dictis facilis est solutionis.

Arguunt quintò alii. Corpus per quantitatem non constituitur determinatè extensum in uno loco, sed confusè, quia scilicet potest hanc vel illam extensionem, vel in hoc, vel in illo, aut quolibet alio spatio recipere; ergo sicuti naturaliter est capax plurium divisivè, erit etiam supernaturaliter plurium copulativè. Probatur consequentia, quia cum capacitate naturali potest esse coniuncta obedientialis, ad simul habendum supernaturaliter, ut apparet evidenter in ipsa materia relatè ad formas, quatum, cum capax sit naturaliter successivè, capax etiam est supernaturaliter copulativè.

Respondeo indifferentiam rei corporeæ ad esse in pluribus locis successivè, vel disiunctivè innegabilem esse, ad quam tollendam solent Physici adstruere modum intrinsecum superadditum, quem & nos posuimus; indifferentiam tamen adesse in pluribus locis simul non omnes ponunt, sed quamplures etiam extra D.Thom. scholam negare solent. A capacitate autem plurium divisivè non tenet semper capacitas ad plura simul, sicuti à capacitate, quam habet effectus, ut producatur à pluribus causis successivè, non valet, quod divinitus possit produci à pluribus causis totalibus simul, & hoc quia in ipsa simultate est repugnantia specialis, quam nobiscum Scotistæ assignant, quapropter ad eandem simultatem nolunt dari in effectu potentiam obedientialem. Hoc autem idem ego affirmo, loquendo de uno corpore relatè ad duo replenda loca simul, dicendo divinitus talem non posse haberi repletionem propter supra relatas repugnantias, quæ potentiam omnem obedientialem ad ipsam simultatem impediunt.

Arguunt sextò. ideò corpus in duplici existens loco circumscriptivo non esset in quolibet illorum quia non esset ita inquolibet illorum locorum, ut nihil esset extra, sed potius aliquid corporis, quinimo totum corpus secundum aliam præsentiam esset extra; sed hæc ratio non vrget, vel si urget, adhuc hoc totum optimè saluatur non obstante replicatione circumscriptiva; ergò. Maior superiora examinanti fit evidens. Probatur itaque minor, & in primis prior pars euidens est, siquidem si ad existentiam corporis modo circumscriptivò requireretur, quod nihil esset extra, iam modus essendi circumscriptiuus opponeretur modo essendi definitiuo, cum etiam per replicationem desfinitiuam ponatur aliquid extra, nimirum præsentia realis ipsius rei, & ipsa rei substantia. secunda verò pars ex se innotescit,

potescit, quia corpus, ita est in uno loco circumscriptivè, ut nihil ipsius posit esse extrà, secundùm illam præsentiam, secundùm quam in uno loco existit; sed de facto secundùm eandem præsentiam nequit esse extra, quamuis possit secundùm aliam præsentiam quantitatiuam; ergò quamuis omitteretur opus esse, ut res sit in loco circumscriptivo, quod nihil rei esse possit extra, adhuc posita replicatione circumscriptiua saluaretur, quod intenditur.

Argumentum hoc iam superius remanet solutum occurrendo euasionibus prioris fundamenti, ibi etenim explicavimus in quo sensu intelligendum sit corpus taliter circumscribi à loco, ut nihil corporis esse possit extra, & diximus sensum propositionis intelligendum esse in linea locabilitatis circumscriptivæ, cum tantum in hac linea corpus æquale sit, & adæquatum loco, non verò in linea præsentiæ realis utcumque, quia secundùm hanc rationem corpus non adæquat locum, & viceversa.

Ad secundum verò respondeo negando suppositum; supponitur enim, quod idem corpus habere possit duplicem præsentiam, dum dicitur, quod nihil corporis foret extra unum locum secundùm unam præsentiam, secundùm quam est in tali loco, esset tamen in alio secundùm aliam. Ratio autem repugnantiæ ea est, quam plures alibi tetigimus, quia videlicet præsentia quantitatiua, seu præsentia cum locali extensione est effectus quantitatis, adæquatus, quamuis secundarius unde, ut corpus sit in uno loco circumscriptivo, opus est, ut nihil sit extra in linea locabilitatis circumscriptiuæ, quia in hac linea habetur æqualitas;

Refugium verò ad nouam præsentiam non est validum Scotistis, sicuti non esset validum, si adversus ipsos dicerem posse effectum eodem Instanti, quo producitur ab una causa totali, produci ab alia secundum nouam dependentiam, & naturam terminatam unica diuina subsistentia posse terminari ab alia, quia pariter terminaretur per nouam terminationem. Quod si iuxta Scotistarum principia repugnat, quod idem effectus producatur à duplici causa etiam secundùm diversam terminationem, repugnabit quoque, quod corpus sit in duplici loco etiam per duplicem præsentiam.

Arguunt septimò alii. Sicuti Deus in Sacramento Eucaristiæ convertit substantiam panis in Christi corpus, ita etiam potest convertere quantitatem panis in quantitatem corporis Christi; sed tunc quantitativè Christus esset in pluribus locis, nimirum in Cælo, & in hostia; ergò. Minor est euidens, nam quemadmodum per verba consecrationis nunc sit Corpus Christi presens secundùm substantiam sub speciebus panis, & tunc fieret secundùm quantitatem. Maior verò etiam admittitur ab Henrico *Quodlibet* 9. *quæst.* 32. illis verbis: *si ergo totum, cum dimensionibus, & aliis accidentibus convertatur*.

Solutionem aliam non dabimus huic argumento, quàm illam, quæ habetur in Doctore loco relato; nimirum Christum Dominum In tali hypothesi fieri cum sui mutatione præsentem uni tantum loco. Desceoderet enim de Cælis, atque deseret locum circumscriptiuum, & nouum aquireret In Hostia: *Nullo enim modo, inquit Doctor, absque sui mutatione secundum locum posset Corpus Christi esse alibi extra locum, in quo est in Cœlo, absque eo quod aliqua conuersio facta sit in ipsum, nisi sui ipsius secundum locum mutationem, quin necesse haberet dimittere locum, quem tenet in Cœlo.*

Vel aliter secundò respondere possum ex eodem Doctore dicendo in illa hypothesi Christum Dominum non fieri præsentem Sacramentaliter in illa Hostia, quia non amplius esset sub speciebus visibilibus, quod tamen requiritur ad rationem Sacramenti, quia conversæ & ipsæ essent.

Vltimò tandem arguunt alii contra secundam rationem superius statutam. Ideò unum Corpus circumscriptivè replicari nequit, quia ex tali replicatione sequeretur quod tale Corpus esset, & non esset circumscriptivè in quolibet illorum locorum; sed hoc non sequitur; ergò.

Probatur minor, ideò tale corpus esset circumscriptivè, & non esset in quolibet illorũ locorũ, quia tale corpus æquale duplici loco esse nõ posset æquale cuilibet illorum; Atqui optimè potest tale Corpus esse æquale duplici, & cuilibet illorum, quemadmodum locus continens duo corpora penetrata æqualis est duplici corpori, & cuilibet illorum, & substantia Christi Domini æqualis duplici loco definitiuo, æqualis etiam est cuilibet illorum locorum seorsim; ergò Corpus æquale duplici loco posset esse æquale cuilibet illorum, sicque simpliciter tantum esset in quolibet illorum.

Resp. Argumentũ hoc non dirimere rationem secundo loco positam; ad primum siquidem, quod affertur in contrarium, disparitas est, quia duo corpora, ut compenetrata habent veluti rationem unius corporis, & unius determinatæ extensionis, cum corpus, cum alio compenetratum majorem cum illo non faciat extensionem; Undè locus æqualis duplici, optimè esse potest æqualis uni corpori: at verò in nostro casu duo loca non se habent per modum unius, si enim sic se haberent, jam nulla esset controuersia, cum nedum supernaturaliter, verum etiam naturaliter, res quælibet sit in uno loco. Secundùm verò non urget, impropriè enim Adversarii assumunt terminos istos *æqualis, vel inæqualis* in replicatione definitiua. Æquale enim, vel inæquale in rebus materialibus connotant rem quantitatiuam; Undè substantia Christi optimè dicitur existere sub pluribus speciebus, & sub qualibet specie impropriè tamen æqualis loco, sed quia in argumento addita est illa particula definitiuo, aliter placet occurrere, disparitatem afferendo in eo consistentem, quod substantia, dum est æqualis loco in linea locabilitatis definitiuæ, est æqualis in ratione indiuisibili, etiã ex parte ipsius substantiæ, quia est æqalis in linea substantiæ consistentis in indiuisibili. Quod autem est alteri æquale secundum aliquam rationẽ indiuisibilẽ, non est mirum, quod æquale duplici, sit etiam æquale parti; at verò Corpus quantum, quod est æquale duplici loco circumscriptiuo, est æquale in linea diuisibili, tum ex parte ipsius rei, quia est æqualis in linea præsentiæ quantitatiuæ, secundùm quam est diuisibilis, tum ex parte ipsius loci, quia locus circumscriptiuus habet partes, & partes. Undè communiter dicitur modum essendi circumscriptiuè esse modum essendi diuisibiliter.

## QUÆSTIO QUINTA.

*An res possit esse, quin sit in aliquo loco intrinsecè, & sine aliqua duratione.*

### CAPUT PRIMUM.

*Exponitur Henrici conclusio.*

IN hac præsenti difficultate sub hoc titulo exposita duplicem inuenio sententiam ex diametro oppositam, quarum prima illorum est, qui

sustinent

sustinentrem esse posse diuinitus quin sit in aliquo loco intrinseco, sic communiter Scotus *in 2. dist 2. quest 6. num. 6.* cui adhærent Pontius *lib. 4. disp. 15. quæst. 2. conf. 1. num. 22* Mastrius *disp. 11 quest. 4. art. 1. num 36.* Dupasquier *in Physica disp. 19 quest. 2. concl. 1.* & omnes Scotistæ, quibus etiam addi possunt in Societate Iesu Vasquez *Tomo 2 in 1. part. disp. 195* Oviedo, *cont. 15. Punct. 7.* Moncæus, *disp. 1 cap 2 & 6.* Richardus Lynceus. Moneo tamen ex his auctoribus Oviedo velle rem esse, non posse quin aliquã habeat duratione, quia vult indistinctã ab ipsa entitate. In Scola verò Diui Thomæ ferè omnes Thomistæ, qui cum doceant Angelos esse in loco per operationem, & ex alia parte esse possint, quin operentur, profectò asserere debent, quod existere possint, quin sint in loco. Ex quibus tamen aliqui inter se diuisi sunt, volunt enim nonnulli unicè possibilem nulibizationem, & præcipuè loquendo de spiritibus, uti Vasquez, Oviedo. Alii verò etiam nullisquisationem, uti relatus Lynceus. Secunda verò sententia illa est, quæ sustinet rem quamlibet nec diuinitus esse posse, quin sit in aliquo loco, & tempore, pro qua referri possunt Suarez *lib. 4.* de Angelis *cap. 3* Ariaga *disp. 14 phys. sect 15.* Spinula *disp 10 ulti. dict.* in Physica; Dequiros *tract. 3. Physicorum disp. 64* de loco; Arubal *prima parte disp. 123.* Molina *quest. 52. art. 1. dist 1.* Rubal *quest. 2 differentia ultima* Comptonius *disp 33. Physicæ sect. 5.* & alii magis communiter extra scolam subtilis, & Angelici. Huic secundæ arideo, quæ à me triplici ratione ostenditur, &

Prima fit, cui conuenit necessariò formaliter distare, vel formaliter non distare ab alia, conuenit necessario esse in aliquo loco, sed cuilibet rei conuenit necessario formaliter distare à mundo v. g. vel non formaliter distare ab eodem mundo; ergò necessario, & indispensabiliter conuenit esse in loco. Minor est mihi certa, formaliter etenim distare, & formaliter non distare, sunt contradictoria maximè si proferantur de re sumpta in statu reali, sic enim nullum est excogitabile medium; Maior autem ostenditur; siquidem si res distat ab alio; ergò jam est in diuerso spatio ab illo, ergò in diuerso loco; ergò in loco, est enim intelligibile esse in diuerso loco, & non esse in loco, quod enim nullatenus in loco est, in diuerso esse non potest. Si autem dicatur rem formaliter non distare, inferam ego; ergò est in loco. Probo hoc, quia formaliter non distare, est formalissimè habere, vel eundem locum, vel saltem alteri proximum, quamuis ab illo diuersum; ergò cui conuenit formaliter non distare conuenit quoque esse in loco.

Hæc est prima ratio à me adhibita, cui se opponentes aliqui dicunt formaliter non distare, & formaliter distare non esse contradictoria, adeoque rem esse possibilem, quæ sine utraque sit, ot de facto euenit in ipsa chimera, cui nec formaliter, distare nec non distare ab hoc mundo conuenit, & in qualibet re, quæ nec habet distare localiter à chimera, nec non distare ab ipsa; Alii verò duplicem distinguentes indistantiam, unam videlicet negatiuam, contradictoriè oppositam distantiæ, aliam verò contrariam, vel positiuam consistentem in positiua, & intima præsentia rei ad spatium aliquod loci, seu temporis, dicunt verum esse rem quamlibet à Deo productam esse debere, vel distantem, vel indistantem Indistantia negatiua; falsum tamen, si sermo sit de indistantia positiua. Creatura siquidem, quam Deus absoluerer ab omni loco, & tempore, nec foret distans ab hoc loco, & instanti, nec indistans positiuè, & contrariè, sed tantùm contradictoriè, & negatiuè; negatiua autem indistantia respectu temporis, & loci non tam esse quidpiam in tempore, aut loco, quàm in his non esse importat.

Sed contra est. Utraque enim solutio insufficiens est ad reprobandam statutam rationem, siquidem dictum est necessario cuilibet rei debere conuenire vel formalem distantiam, vel non formalem distantiam, si subjectum sit capax, & intelligatur in esse reali, in hoc autem sensu legitima est propositio allata Chimera autem non est capax distantiæ, vel indistantiæ; Undè mirum non est si ipsi neutrum conueniat, sicuti res quælibet realis, quamuis sit capax distantiæ, vel indistantiæ, non est tamen in ordine ad chimeram. Relatio enim distantiæ cum realis sit, petit terminum realem, qui pariter capax sit ad sustinendam talem denominationem realis distantiæ, vel indistantiæ ab alia re.

Secunda verò solutio parui roboris est, siquidem rei existenti debet necessariò conuenire unum ex contradictoriis; ambo enim, vel nulla conuenire simul nequeunt; non ambo, quia aliàs propositiones contradictoriæ simul verificari possent, non nulla, quia aliàs non essent contradictoria, quia esset reperibile mediũ, atqui positiua distantia, & positiua indistantia, vel rẽ existentẽ positiuè distare ab hoc loco & positiuè non distare contradictoria sunt; ergo unũ, vel alterum rei conuenire debet pro statu reali, sed quodcunque ex illis conueniat, semper est in loco; ergò. Quod si dicas dabilem esse rem existentem præscindentem tum à positiua distantia, tum à positiua indistantia, dico hoc pænitus esse falsum, sicuti falsum est rem posse existere præscindendo à positiua existentia, & animal esse quin sit realiter positiuè, vel rationale, vel irrationale.

Secundùm fundamentum illud est, quod in hac re, ut inneluctabile refferunt aliqui, sic procedens. Repugnat diuinitus, & ex terminis rem aliquam produci extra causas, & eam absolui ab omni duratione; ergò & ab omni ubicatione; Consequentia videtur legitima, quia sicuti duratio se habet ad diuersa tempora, siue vera, siue immaginaria, ita ubicatio ad diuersa loca, siue vera, siue immaginaria, & sicuti res potest durare & non in hoc tempore, sed in alio, ita potest existere, & non in hoc loco, sed in alio. Probatur itaque antecedens, quia implicat concipere aliquid extra suas causas esse, de quo non sit verum dicere unum ex tribus, vel fuit, vel est, vel erit, quod existimo evidens; ergo res absolvi nequit ab omni duratione.

Tertia tandem ratio, quam communiter sequuntur nostræ sententiæ Auctores est, quod quælibet creatura existens debet necessariò correspondere diuinæ immensitati, & æternitati; atqui hoc non verificarerur de creatura existente, & absoluta ab omni duratione, & loco, ergo abslovi nequit ab omni ubicatione, & duratione. Major est certa, tum quia nihil est, cui Deus non sit præsens, non potest autem esse præsens, & simul rem nullibi esse, & nusquam esse, tum quia, quemadmodum repugnat creaturam esse, & non esse diuinæ scientiæ præsentem, repugnat quoque eandem non esse æternitati præsentem, cum non minus infinita sit in sua linea scientia, quàm æternitas, & res existens etiam, qua talis, non minus sit scibilis, quam ab æternitate mensurabilis, quinimò aliqui volunt esse rem quamlibet mensurabilem, etiam quando ipsa non est in propria mensura, & duratione, nimirum in ipsa æternitate tanquam in mensura

super-

supetexcedente. Sed

Dices. Disparem esse rationem scientiæ divinæ, & æternitatis, siquidem ideò res ignorari nequit à Divina scientia, quia ex intrinsecis suam habet veritatem transcendentalem, qua spoliari certè non potest, & objectivam, ratione cujus à Deo cognosci potest; at verò creatura spoliari quit omni duratione, cum ab ipsa realiter distinguatur, idcircò benè potest creatura divinitus non esse præsens divinæ æternitati non obstante hujus perfectione; sed

Contra est, siquidem estò creatura possit non esse præsens divinæ æternitati simpliciter, & absolutè, nimirum casu quo spoliaretur sua existentia, nequit tamen in sensu composito ipsius existentiæ, vi cujus capax est ut mensuretur ab ipsa æternitate mensura infinita; ergo creatura quaexistens coexistit divinæ æternitati, & quidem necessariò; sed hoc ipso non est absoluta ab omni duratione, nec potest esse; cum quod non est, sub aliqua duratione durationi infinitæ coexistere nequat; ergo existere non potest simulque absolutam esse ab omni duratione.

Urgeo, quia esse nequit res, quin dicat veritatem, nequit esse, quin coexistat divinæ scientiæ; ergo quia nequit esse res, quin coexistat divinæ æternitati, non poterit esse, quin duret. Probatur hæc consequentia. Existentia rei magis conducit ad hoc, ut ipsa possit coexistere divinæ æternitati, quàm ad hoc, ut ipsa cognoscatur, cum ipsa cognosci possit etiam seclusa existentia, coexistere verò nequeat æternitati, si non existat; ergo si existere nequit, quin cognoscatur, existere non poterit, quin coexistat æternitati; sed quod ipsi coexistit, debet habere propriam durationem, quemadmodum quod cognoscitur propriam veritatem; ergo res existens absolvi nequit ab omni duratione.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit objectionibus.*

Arguunt primò adversæ partis Auctores. Omne prius, quod sit aliquod determinatum, singulare, realiter distinctum à posteriori, & producibile per actionem distinctam ab actione, qua producitur posterius, benè esse potest, & conservari sine suo posteriori; sed quælibet ubicatio, sive forma absoluta sit, sive respectiva posterior est re ubicata, & producibilis est per actionem realiter distinctam ab actione, per quam producitur res ipsa, quæ ubicatur; ergo res quælibet poterit divinitus esse sine sua ubicatione intrinseca. Minor est certa; ubicatio enim est forma intrinsecus adveniens rei existenti, adeoque rei habenti erga ipsam prioritatem. Probatur itaque major. Si prius realiter distinctum à posteriori, & producibile per actionem distinctam ab actione, per quam posterius producitur, non valeret existere sine suo posteriori, prius dependeret in suo esse reali à posteriori, cum habere non posset suum esse absque aliquo posteriori, sed in suo esse non potest dependere à posteriori, semel supposito, quod sit prius in esse reali, ergo.

Hoc argumentum totum fundatur supra celebre Axioma Scoti, quod tradit *in 3. dist. 2. quæst. 1.* nimirum, *prius ex ratione prioris potest esse sine posteriori absque contradictione, & hoc quando nulla est necessaria connexio, quæ esse potest, vel propter identitatem realem, sicuti subjectum, & propria passio, vel propter naturæ simultatem, ut in corelativis:* quapropter asserit naturam posse assumi à verbo quin Deo fruatur, non nisi quia naturam personari est quid prius quàm Deum videre, cum operari sit suppositi præexistentis. Sed ex eadem doctrina Scoti solutio colligitur. Docet enim Doctor per relata verba tunc prius posse existere sine posteriori, quando inter prius, & posterius nulla intervenit connexio essentialis, & metaphysica. Modo autem in casu inter rem esse, & esse in aliquo loco intercedit connexio, & quidem metaphysica, cum meta; hysicè necessarium sit rem quamlibet existentem, vel formaliter à mundo, vel ab eodem formaliter non distare, atque divinæ immensitati, & æternitati, dum existit, coexistere.

Ad id verò, quod ultimò additur, nempe quod si res esse non posset, & conservari absque ubicatione posteriori, jam non esset prior ipsa ubicatione, quia dependeret in suo esse reali ab ipsa; Respondeo adhuc totum hoc salvari, sicuti optimè salvatur, quod essentia non possit esse sine suis proprietatibus, omnipotentia absque possibilibus, veritas principiorum absque veritate conclusionis cum prioritate essentiæ omnipotentiæ, & principiorum comparativè ad proprietates, possibilia, & conclusionem.

Quod si dicas hoc contingere in exemplis adductis, quia impotentia existendi v. gr. Omnipotentia absque possibilibus, non oritur à dependentia, quam habeat omnipotentia à possibilibus, cum potius possibilia dependeant ab omnipotentia, tanquam à causa eminentialiter ipsa continente, sed à simplici connexione intercedente inter omnipotentiam, & possibilia, tanquam terminum ejusdem virtutis infinitæ. Dicam & ego rem esse impotentem ad existendum absque aliqua ubicatione, non quia dependeat ab ipsa, ad hoc ut intelligatur existens cum addito, nempe in loco, adeoque ad hoc ut intelligatur in esse posteriori ad esse non verò ut præcisè intelligatur in esse.

Quod autem addit Scotus omnem connexionem inter prius, & posterius oriri, vel ex identitate, vel ex similitudine naturæ à vero distat, sicuti distare ostendimus ab eadem veritate asserere, quod omnis connexio importat dependentiam, siquidem Omnipotentia connectitur cum possibilibus, & modi cum extremis modificatis, cum tamen hæc connexio non oriatur ex identitate, & similitudine naturæ, ut de Omnipotentia optimè advertit noster Lodgerius *tom. 1 lib. 2. disp. 3. quæst. 4 cap. 3. nu. 14.*

Arguunt secundò alii promiscuè. Et primò potest res creata divinitus non esse quanta, nec qualis, nec intrinsecè, & accidentariè relata ad aliud, nec agens, nec patiens, quinimò situ, & habitu quolibet privari potest; ergo & duratione, & ubicatione, sicuti reliquis accidentibus prædicamentalibus miraculosè denudari potest. Secundò, quia nulla est implicantia rei existentiam dari sine duratione, non titulo identitatis, hæc enim non adest in illorum sententia ponentium durationem super additam: non ratione dependentiæ quia major est dependentia durationis à re durante, quam rei durantis à duratione, cum hæc sit à posteriori, illa verò à priori; sed duratio divinitus conservari potest absque re durante; ergo & vice versa. Minor perspicua est, quia duratio est res absoluta, sicuti ubi, quod tamen si negetur, vel in ipso ubi, vel quovis alio accidenti absoluto, idem confici potest argumentum.

Tertiò carentia rei datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus, & tamen non

datur

datur in aliqua differentia temporis, nec alicubi est, non enim est potius in uno loco, quam in alio; ergo etiam res positiua divinitus poterit existere, quin in aliqua differentia temporis existat.

Quartò quia esse simpliciter, & non esse in loco, non sunt contradictoria, sicuti non sunt esse simpliciter, & non esse cum addito; sed ad omne id, quod contradictionem non inuoluit potest Deus se extendere; ergò.

Quintò quia simpliciter existere in solo instanti naturæ; & non simpliciter existere in instanti reali non sunt contradictoria; sed talis creatura pro priori ad omnem suam durationem simpliciter existeret in solo instanti naturæ, & non existeret in instanti reali; ergo talis creatura nusquizata in modo existendi non implicat.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico non rarò accidere rem aliqam non posse esse absque suo posteriori, ut patere potest in ipsa relatione, quæ esse nequit sine termino, actione transeunti absque suo effectu, & anima absque suis potentiis: & secundum quamplures Teologos ipsa humanitatis assumptio esse non poterat sine eiusdem intellectivæ potentiæ ellevatione, & visione. Ideò autem res privari potest omni qualitate, & quantitate, quia hæc sunt accidentia physica naturaliter solum connexa cum re physicè existente; at verò connexio in casu metaphysica est fundata in ipsa necessitate distantiæ, vel indistantiæ, quam res quælibet importare debet in ordine ad aliud, vel in ipsa correspondentia cuiuslibet rei existentis, quam necessariò dicit divinæ eternitati, & immensitati. Quod autem additur rem quamlibet spoliari posse omni relatione quamuis ei intrinseca sit, vel transcendentalis, negatur, quis enim dicere audeat cognitionem esse posse quin aliquod respiciat obiectum, materiam, quin ad formas dicat ordinem, creaturam quin ad suam primam causam refferatur, potentias, actus quin ad sua obiecta formalia ordinentur, quamuis per tales respectus non constituantur, in plausibili Scotistarum sententia.

Dices loquendo de materia hoc esse possibile maximè in Hyporesi; quod formæ omnes imposibilitarentur: circa formas enim imposibiles apetitus innatus esse nequit. Sed

Contra est, siquidem tunc etiam materia deficeret, quia in ipsa non perseveraret amplius ratio potentiæ passivæ, quam esse essentiam materiæ volunt ferè unanimiter Patres societatis, & Thomistæ, vel adminus proprietatem quarto modo ut propugnant Scotistæ, quibus in hac re adhærere voluimus propter quædam, quæ nobis occurerrunt, dum difficultatem illam dissoluere conabamur.

Secundum verò non urget: repugnantia enim nō est titulo identitatis; sed titulo connexionis per dependentiam tanquam à forma constitutiua; durațio siquidem, & ubicatio sunt formæ constituentes rem durantem, & vbicantem; nec verum est durationem divinitus possibilem esse sine re durante: hoc enim opponitur eius naturæ modali, ut omnes Philosophi firmiter tenent, undè mirum hic est Lynceum argumenti Auctorem in hunc lapsum esse errorem, ut existimaret durationem rem esse absolutam.

Ad tertium optimè de Quiros satisfacit existimans ipsam rei carentiam ubique esse itaut constituatur ubique per carentiam omnium Petri ubicationum, cui adhæreodo dico ipsam suo modo esse in loco, & tempore, quia reuera in hoc instanti, in quo scribo in hoc loco durat, & est carentia Antichristi, & vera in hoc loco est ipsa Antichristi carentia. Sed

Instabis: esse in tempore, & loco sunt proprietates rei positiuæ & absque necessitate carentiæ tribui non debent, aliàs etiam fingi posset carentiam aliquam re ipsa, & independenter ab omni intellectus operatione constare materia, & forma negatiuis, sibique proportionatis. Esse negatiuè qualem, & quantam, nec non actione, & passione negativè præditam. Rursus si numini placet carentiam aliquam cognoscere, & velle cognitione, & volitione, quæ sint ejusdem rationis. Sed

Contrà est, & in primis, & si concedamus priuationes, & negationes nullibi esse & nusquā esse non valeret tamen illatio consimilis possibilitatis in rebuspositiuis: quemadmodum, ex possibilitate assumptionis naturæ irrationalis, quin hæc per diuinitatē, vel subsistentiā, sanctificetur, non valet ad possibilitatē assumptionis humanitatis absq; tali sanctificatione, & propter hujus, & non illius capacitatem ad sanctificationem, & operationes diuinas statui supernaturali, quem aquirit per assumptiones debitas. Ita in casu carentia rei incapax est, ut in loco, & tempore sit; capax autem est res quælibet positiua capacitate conjuncta cum necessitate sic essendi. Quod si priori inhærere velimus solutioni, dici potest dupliciter rem posse esse in loco, & tempore; primò videlicet ubicatione positiua, & positiua duratione; secundò verò modo sibi possibili, & suæ naturæ correspondenti. Primo modo verum est esse in loco, & tempore, nonnisi rei positiuè conuenire posse, secus secundò, siquidem verùm est hoc: *in isto instanti temporis utque tota hodierna die, in qua ego in Bibliotheca huius Almi Cænobii Regii Mutinæ scribo, durat Antichristi carentia, & ubique est carentia ejusdem.* Velle autem, & intelligere carentiæ tribui nequeunt, quia ex se rem positiuam indicant, & inferunt.

Quartum verò non urget, quia estò existere simpliciter, & non esse in locu formalem, & directam non dicant contradictionem, dicunt tamen indirectè, & de consequenti quatenus non esse in loco importat non esse simpliciter ejusdem rei. Quod enim in nullo loco est, non est. Ultimum tandem soluitur, aduertendo, quod hic difficultas est, utrum res aliqua possit in aliquo instanti temporis existere, quin sit in aliquo loco, & tempore, in quo sensu non procedit instantia.

Arguunt tertiò alii: est possibilis, unica tantùm creatio, v g solius Angeli Michaelis; ergò erat possibilis res existens sine omni ubicatione intrinseca superaddita. Antecedens est omninò certùm, libertas enim Deo conueniens in creando ne dum consistebat in hoc, quod ità creaverit Angelum Michaelem, ut ipsum potuisset non creare, sed etiam in hoc quod ita cum aliis rebus creauerit, ut posset ipsū solū creare. Probatur itaque consequentia. Angelus sic creatus existeret, cum existentia sit terminus cujuslibet actionis productiuæ; sed talis Angelus non esset in loco, ergò. Probatur minor. Res formaliter habet constitui in loco penes, vel distantiam ab alia re, vel indistantiam, sed talis Angelus non esset in loco nec priori, nec posteriori modo cum non esset distans, nec indistans ab ulla alia re magis, quam corpora jam existentia possunt dici esse distantia aut indistantia ab Antichristo non existente; ergò. Nec responderi potest talem Angelum fore in illo casu indistantem ab ipso Deo, & sic esse in loco per indistantiam. Nam contra, siquidem res, quæ est in loco per indistantiam debet taliter dicere indistantiam ab alia re, ut ab ipsa possit res localiter discedere, vel accedere magis, aut minus; sed hoc non

posset convenire tali Angelo in ordine ad Deum, quia Deus ob sui immensitatem debet necessariò esse indistans ab omni creatura existente; unde nulla creatura potest ab illo recedere, aut ad illum accedere, ergò.

Confirmatur primò. Si Angelus solus crearetur à Deo, non esset immaginabile ad quid ipsi deserviret aliqua ubicatio, aut præsentia, nec explicari posset effectus formalis, quem ubicatio, & ipsa præsentia haberent tali Angelo tribuere. Atqui quoties non inuenimus formam aliquam ad aliquid deservire, & ipsius effectus formals explicari non potest, talis forma non est ponenda; ergò.

Confirmatur ulterius, vel talis ubicatio, quæ tali Angelo conueniret esset quid absolutum, vel quid respectiuum, neutrum affirmari potest: ergò. Probatur minor per sui partes, & In primis affirmari nequit esse quid absolutum, nam si esset quid absolutum, conferre quoque deberet effectum absolutum, sed talis effectus assignari nequit, qui sit necessariò conjunctus cum Angelo, qui solus crearetur; ergò nec affirmari potest esse quid respectiuum, quia si esset tale, deberet habere aliquem terminum realem; sed nullus est terminus realis, quem diceret Angelus; ergò affirmari nequit ipsam ubicationem fore vel formam absolutam, vel relatiuam; ergò simpliciter, & absolutè non daretur, cum id, quod datur in rerum natura opus sit dari, vel per modum rei absolutæ, vel relatiuæ.

Respondeo Angelum illum, qui unicè crearetur, nihilominus futurum esse in loco intrinseco, & consequenter cum aliqua ubicatione, cujus ratio ea est, quia quamuis nullam diceret distantiam, vel indistantiam ab aliis creaturis existentibus, cum in hypothesi solus unicus Angelus existeret, diceret tamen in ordine ad alias creaturas, quæ à Deo fieri possunt, vel secundùm alios esset adhuc in loco intrinseco ratione correspondentiæ cum punctis immaginariè fixis. Et hæc est solutio, quam huic argumento pro nunc exhiberem, aduertendo tamen solutionem hanc quasdam solidas pati instantias, ut speculanti patebit.

Ad primam confirmationem dico adhuc assignari id, ad quod talis deseruiret ubicatio, & quemnam effectum formalem tribueret, deseruiret enim ad rem ipsam in suo ponendam loco, quem habere debet res existens ob superius dicta. Secunda confirmatio verò de facili soluitur, si dicamus ubicationem hanc esse formam respectiuam dicentem respectum ad locantē, quod docuit Henricus *art. 3. quæst. 5.* in summa illis verbis: *& sic patet quod prædicamentum, ubi nonnisi in respectu quoddam ex relatione ad locans perficitur &c.*

Arguit ultimò Oviedo, præsentia est accidens quoddam superadditum productum per actionem distinctam ab ipsa creatura; ergò poterit Deus posita actione productiua creaturę superaddere actionem, qua producenda erat præsentia. Probatur hæc consequentia. Actio, vi cujus producitur creatura prior est actione, qua producitur præsentia illi inhærens; ergò prior actio à priori non dependet ab actione posteriori, ergò tantùm habebit actio productiva creaturæ, quæ intelligitur prior in ordine ad actionem productiuam presentiæ dependere à posteriori; sed dependentia à posteriori suppleri potest à Deo; ergò potest dari actio productiua creaturæ, quin detur actio productiua ipsius præsentiæ.

Negari nequit quod quemadmodum prius est esse creaturæ, quàm quod creatura ipsa duret, ita prior sit actio productiua creaturæ, quàm actio productiua præsentiæ, at falsum postea est creaturam esse posse in rerum natura sine aliqua præsentia, atque dabilem esse actionem ipsius productiuam, quin concomitetur altera durationis productiua propter connexionem, quæ datur inter hoc prius, nempe creaturam esse, & produci, & hoc posterius, creaturam aliquam habere præsentiam, qua stante Deus supplere nequit faciendo unum esse sine alio, ut omnibus notum est.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Vtrum sit possibile vacuum.*

Vacuum tribus modis dicitur primò quidem vacuum est, inquo non est conspicuum corpus, sic Genesis *primo terra erat inanis, & vacua* eo quia tunc in ea nihil erat adspectabile, unde additum legimus, *& tenebræ erant super faciem abyssi*. Secundò vacuum dicitur, in quo non est solitum corpus. Sic locus Davidis eodem absente vocatur vacuus 1 *Regum* 20. & Præsepe *Proverb.* 14. ubi non sunt Boves vacuum est. Tertiò verò intelligimus locum, in quo nullum omninò sit corpus. Hic modò sermo est de vacuo in hac tertia acceptione, in qua celebris est eiusdem divisio in disseminatum, & coacervatum. Primum sunt *spatiola quædam dispersa per corpus*; vel ut loquitur Gassendus in *Physica sect. 1 lib. 2. est multiplex spaciolum per quodlibet corpus varie interceptum*. Secundum verò, quod etiam nuncupari solet vacuum simpliciter, vel separatum, *est notabile spatium omnis omnino corporis expers*.

Hoc breviter præmisso sententia Cartesii est vacuum quodlibet implicare; quam tamen prius docuerunt Digheus, & Tomas Anglus *decimo quarto seculo*, & ante istos *Thales, Empedocles, Melisses*, & ex Laertio *Zeno Elaten*, aliique, quos tester Gassendus *lib. 2. physica sect. 1.* Atomistarum verò ex opposito oppinio est dari vacuum disseminatum, coacervatum verò esse possibile. Huic secundæ adhærere placet, & loquendo de vacuo disseminato eiusdem existentia, primò suadetur hoc medio. In quolibet corpore sunt porri; sed aliqui nullo repleti suo corpore; ergò. Maior est certa, cuius certitudinem suader hic felici inductione Maygnan, & precipuè in auro imbibente hydraugirum quod evenire non posset, nisi essent porri. Probatur itaque minor, si porri cuiuslibet corporis, essent repleti corporibus subtilioribus, in rebus, admitendus esset processus in infinitum categorematicum; cum, enim quodlibet corpus porrosum sit, consequenter impleri deberet materia tenuiori, quæ materia tenuior, cum & ipsa porrosa sit, rarior enim esset, adeoque magis porrosa, iam per aliam materiam tenuiorem impleri deberet, & sic infinitum,, atqui infinitum categorematicum in rebus admitendum non est, ut dicam; ergo.

Dices cum Le Grand tandem nos devenire ad aliqua, quæ carent porris undè aliorum receptui non pateat, & hæ sunt subtilissimæ atomi; Sed

Contrà est primò, quia nullum corpus est ex iis, quæ hucusque hominibus innotuerunt, quod poris omnino careat. Constat hoc primo in Metallis, & lapidibus etiam durissimis, quæ corpora censeri solent minimè porosa, & maximè solida, penetrari nihilominus à spiritibus, seù tenuissimis aliorum corporum, Talidarum præcipue particulis. Aqua fortis v.g. ex Alumine, & nitro facta, omnia corrodit metalla præter aurum, aqua verò Regia, seu stygia

gia, hoc eſt, aqua fortis, cui additur ſal ammoniacum ipſum aurum penetrat, & diſſoluit, & oleum Vitrioli, penetratione per porros ferri, vel æris, eorum ſubſtantiam ita immutat, ut appareat ſub forma tranſparentis ſalis, vel Cryſtalli viridis. Eſt quidem vitrum prædictis particulis ſalinis impermeabile, ut plurimum ſaltem; at etiam hujus poroſitas ſufficienter deducitur ex ejus duritate, & condenſatione lo quamplurium ſententia docentium quod lucitas non ſit, niſi in poris ſubſtantia aerea, vel ignea admiſceatur, neque condenſatio, niſi partes corporis maſis ad ſe ſe inuicem accedunt; quod ut fiat citra penetrationem (quam concedunt omnes impoſſibilem ſaltem via naturali) admitti debent pori, ſeù interualla, quibus ejuſdem continui puta Vitri, partes ad inuicem diſtent.

Contrà eſt ſecundò, quia ſemper recurrit argumentum relatum Res enim ipſa, quo magis rarior eſt, & etiam magis poroſa eſt; ut etiam fatentur accuratiores Carteſiani, qui à maiori poroſitate deſumunt maiorem illam promptitudinem, quam fluida leuiora, & leuiora ſodila habent ad rareſieri. Quo enim plures ſunt pori in quopiam corpore raritatis capaci, etiam plura corpuſcula poſſunt in illud mixtum ſe ſe inſinuare, quorum beneficio fit ex Carteſio rareſactiones motus; unde eſt quod Carteſiani ideo volunt aerem maxime leuem ad maximum pariter ſpatium extendi calore procurante rareſa ctionem, ſicuti Vitrum Calore, ad maius ſpatium dilatari, quam metalla, quia maiori poroſitate gaudeat ſupra alia corpora, ut ſupra Ferrum, & Argentum, aurum, & ſtannum; ergò cum Pori repleri debeant materia tenuiori, hæc erit magis poroſa, itaut incrementum in eo teouitate, & varietate ſit incrementum in poris, qui vel ſunt vacui, vel pleni. Si primum dicatur, habemus intentum, ſi ſecundùm recurrit proceſſus.

Probatur ſecundo eadem pars aſſerti nimirum vacui diſſeminati exiſtentia Porri vacui, ſeu quædam vacuolæ ſunt omnino neceſſariæ, ad hoc ut ſublunaria recipiant influxus corporum ſubfluna rium; ſed aliundè influxus iſti communiter conceduntur, & experientia comprobantur; ergo. Oſtenditur maior, quam phiſici peripaterici, & Carteſiani negabunt influxus uti ſunt qualitates materiales, ſecundum Atomiſtas verò renuiſſima corpuſcula, quantitatem affecta; atqui ſi nullæ eſſent vacuolæ in corporibus recipi non poſſent hæ qualitates, niſi intervenieote compenetratione: Diviſio enim non eueniret; ergo.

Confirmatur primo aer intruſus per vim in Phialam vitream, vel occupat totum ſpatium in Phiala, ut ſint in ipſo aliquæ vacuolæ, vel non, atqui ſecundum affirmari nequit, ſi enim aer occuparet totum ſpatium abſque quibuſdam vacuolis, ſequeretur, quod novus aer, noua vi introductus cum primo, primum compenetraret, ſed hoc connaturaliter evenire nequit; ergò affirmandum eſt noo occupare totum ſpatium ſed aliquas remanere vacuolas.

Confirmatur ſecundò, quia ex vacui diſſeminati exiſtentia habetur facilis, & perceptibilis modus, quomodo corpora fluvida, molia, & flexibilia, fluere, cedere, & flecti poſſint, quomodo item ſeccari, dividi, condenſari, & rareſieri queant, ſine quibus hæ omnes rationes nulla ratione percipi, & explicari commodè poſſunt.

Probatur tertiò concluſio, & præcipuè oſtendendo vacui coacervati poſſibilitatem. Ideò naturaliter introduci nequit vacuum, quia natura obſiſtit vacuo totis ſuis viribus; ſed hoc falſum eſt, vel quia effectus, qui inſpiciuntur, præcipuè aſſenſus liquorum, non horrori vacui, ſed aeris ponderi, & elaterio tribui poſſunt, ut infra videbimus, vel ſi verum eſt, non tollitur, quin natura poſſit vacuum introducere; ergo. Minor, cum duplicem contineat partem, quoad primam ſuadetur, & quidem primò *experientia* 19. quam refert doctiſſimus Robertus Boyle. Adhibuit enim vir clariſſimus tubum vitreum una extremitate Hermeticè ſigillatum, longum quatuor circiter pedes, quam implevit aqua communi, deinde obturavit, atque inverſo tubo, illum aperuit intra ſuperficiem aquæ conſimilis in vaſe aliquantulum profundo, tenui tamen, contentæ. Hoc vas verò ſimul cum tubo ei immiſſo dimiſit io recipiens inferius explicandum, & recipiente obturato Antliam exercuit. Hoc facto eventus hic fuit, quod, cum bona pars aeris exugeretur è recipiente, tubus plenus adhuc aqua, ſicuti primum erat, permanſit. Poſt hoc facta omni excutione aeris, aqua inferius pauldò deſcendit. Poſt hæc aer externus denuò immiſſus fuit, & tunc aerem aſcendere vidit in ſuperiorem vitri tubi, regionem. Hoc autem experimento ſuppoſito, quod refert Boyleus ſimul cum altero per d. *Paſcbalium* facto; ſic arguo. Si aqua aſcenderet ad vacuum vitandum, aſcenſus hic contingere potius deberet, dum in recipiente aer abeſt, quam dum denuò accedit. Patet hoc, quia vacui timor ſolùm adeſt, dum aer à recipiente obripitur, quam dum infunditur; ſed in experimento facto contrarium evenit; ergo liquorum aſcenſus ad vitandum vacuum non provenit.

Secundò hoc idem conſtat in experiment. 32. in quo refert idem Boyle aerem, qui eo tempore, quo emiri videbatur in recipiens evacuatum ſe intrudere, ſui ingreſſum Impediebat, quia valvam impellendo, occludebat unicum orificium, per quod aer ingredi poterat. Ex quo etiam manifeſtè eruitur, quod ſi aer ingreſſum inquireret ad vacuum vitandum, inconſultè, & irrationabiliter hoc fieret continuò valvæ impulſu; ergo dicendum eſt hoc non evenire ob vacui metum vitandum. Minor autem quoad ſecundam partem inde conſtat, quia virtus, qua natura reſiſtit vacuo, finita eſt; ſed eſt poſſibilis virtus major qualibet virtute finita; ergo dari poterit major virtus, quæ vacuum introducere valeat. Hoc argumentum ſubtiliter, & dilucidè promovet Emanuel Maignan io ſua Philoſophia naturæ *cap.* 9.

## CAPUT SECUNDUM.

*Oſtenditur aeris gravitatio, cui tribui poteſt aſſenſus gravium.*

QUocumque nos vertimus, aeris gravitationem inſpicimus. Adeò enim plures ſunt experientiæ, quæ aſſerri ſolent ab Auctoribus (quamvis non deſint aliqui, qui nec gravem, nec levem eſſe defendant) ut res difficilis ſit ſingulas referre. Præcipuas afferam, quibus ſuadere conabor, & aeris gravitationem, vel ejus elaterium, & prima ſit in ipſo hidraigiro, quem conſpicimus ſurſum tendere ad altitudinem viginti ſeptem unciarum, uti omnibus comprobatum eſt, & diligenter noviſſimè fuit obſervatum in Accademia Florentina, ut in prima figura (*ut in fine*) exhibenda pro majori claritate declarat.

Secunda verò experientia in ſecunda figura (*ut in fine*

*in fine*) exprimitur, in qua clarè haberetur vis aeris elastica, & aeris pondus. Prima quidem, quia utriculus aere semiplenus, qui inspicitur expressus sub figura *C.* omninò distensus apparet, quod ideò evenit, quia aer inclusus se explicat ob carentiam aeris præmentis, qui si denuò adveniat per foramen, quod fiat in puncto *D.* ad pristinum redit statum ob aeris pressionem denuò accedentem. Secundum verò pariter clarescit, cum pariter hydragirum ad eandem sustenteтur mensuram superius insinuatam.

Tertia experientia desumitur ex machina Pneumatica in tertia figura (*uti in fine*) expressa composita ex recipiente insinuato per litteram *A B.* & Antlia expressa litteris *E F. L. C. G.* & foramine *E* quod valvula occludit, cum Embolus *F.* ope manubrii *G* dentati, & Cylindro *S.* crenis excavato circumacti deprimitur. In hac autem conspicimus, quod tracto embolo aer ex vase vitreo per caniculum *B. C.* descendit Epistomio *D.* non clauso. In recipiente autem, si destituatur omni aere crassiori, quamplures inspiciuntur effectus ad rem nostram evincendam satis utiles. Primus quidem est, quod vas vitreum recipiens, si quadratum fuerit, crassiori licet ex vitro fuerit concretum, brevi confringitur, educto aere incluso: si verò rotundum, tenui quamvis rima fissum, non modo non frangitur, sed externi aeris additum intercludit: quod nempè ubi externus aer majori suo pondere vas illum præmit, partes illius omnes sese mutuo sustinent, quemadmodum fit in concameratis fornicibus, adeout neutra harum cedat, imò nequidem cedere possit: secus autem est in vase quadrilatero, unde huic minor resistendi virtus, adeout externi aeris impetum, & pondus sustinere non valeat. Secundus est, quia utriculus statim intumescit, & si aqua sit in eodem recipiente in vase posita bullas quasdam emittit, quæ Phenomena non inspiciuntur, non remoto aere, & hoc non nisi, quia aer ipse gravitate impediendo utrumque effectum; ergo jam habetur, & aeris explicatio, & vis se explicandi, & gravitandi. Quamplures aliæ sunt experientiæ, quæ afferri solent, & referunt Maignan *in sua philosophia naturæ*, Auctor Burgundiæ, Franciscus Bayle *in sua physica generali disp. 5. cap. 2.* Sic autem optimè redditur ratio, cur liquores nonnulli ascendant ad determinatam altitudinem, v. gr. aqua ad 32 pedes, non verò majorem, quæ reddi nequit, si assensus esset ob vacui metum; siquidem si ob istum assensus eveniret, vel nullatenus ascendere deberent liquores, & præcipuè hydrargirum, cum in parte superiori cujuslibet tubi à mercurio derelicta nullum adsit vacuum, vel propter materiam subtilissimam pervadentem corporis meatus, vel propter quasdam particulas spiritosas demissas à mercurio sursum evolantes, quod experientia comprobarunt Actores Accademiæ Florentinæ, vel etiamsi ascendant ob vacui horrorem, non esset potior ratio cur ascenderent ad tantam altitudinem, & non majorem, quæ ratio aliundè egregiè affertur in sententia volente liquorum assensus provenire ab aeris Ellaterio. Sed

Dices primò: liquores non semper ad æqualem altitudinem attolluntur. Constat enim plus attolli in radice montis, quam supra culmen experientia non semel docente, secundò quia etiam aere ambiente dempto per tunicam vitream circumductam signatam figura quarta (*uti in fine*) idem assensus liquorum inspicitur in cubiculo clauso, ac in loco aperto. Tertiò, quia Cœlo nimboso aer gravior est, & tamen minus hydrargirum in tubo ellevatur, magis verò aere sereno, cum tamen tunc aer sit minus gravis; ergo assensus liquorum tribui nequit aeris ponderi.

Respondeo ad singula, & ad primum dico ideò inæqualiter ascendere hydrargirum, quia aer inæqualem habet gravitatem in radice, ac in culmine vel jugo montis, quapropter nilmirum quod sit inæqualis descensus. Ad secundam respondet Auctor Philosophiæ Burgundiæ eandem esse vim aeris inclusi ad sustinendum hydrargirum, quæ est externi aeris, quod vasis parietibus innixus eandem præmendi vim habeat: non quod idem sit illius pondus, sed eadem manet vis à pondere impressa, aut, si malis, eadem manet vis elastica, quemadmodum in Horologii portatilis Tympano eadem est vis convoluti Chalybis, qua præsens antea fuit.

Tertium verò ut solvatur ad rem facere videntur quædam observationes Henrici Oldemburgis, quas refert in actis philosophicis societatis Reggiæ in Anglia à se factas. Refert hic primò tempestate spissè nebulosa invenisse mercurium suum elevari ad altitudinem 30. digitorum, quod tribuit gravitati vaporum in aere. Tempestate verò serena Sole lucente etiam elevari, quod existimat imputandum esse partim vaporibus à Sole exhalatis, & redentibus aerem graviorem; partim calori augenti vim elasticam aeris, hoc, quia reffert se quandoque observasse cum tempestate serena obducta Cœlo nubes horam unam, duasve condidere Solem, Mercurium subsidisse; mox resolutis nubibus reddito fulgore Solis ascendisse, ut ante. Tempestate verò pluviosa solet subsidere, cuius rei rationem obviam refert, in eo stantem, quod quando pluvia effunditur, tanto aer levetur, & hoc etiam Cœlo nivoso, sed non tantùm, quantùm pluvio. Tempestate tandem ventosa invenit subsidere, & quidem universalius, ac distinctius, quàm tempestate pluviosa, quod adscribit ventibus moventibus aerem collateraliter, & eo ipso prohibentibus nimiam directam depressionem, unde asserit se nunquam deprehendisse mercurium depressiorem, quàm vento vehementiore, ex qua parte deinde spirent venti, qui mercurium deprimant, non determinat. Hoc autem stante nego aerem Cælo nimboso graviorem esse, quàm sereno, quinimò tempestate serena, Sole lucente, aerem graviorem volumus, tum propter vapores à sole exhalatos, tum propter calorem vim elasticam aeris augentem. Unde etiam fit, quod magis mercurius in tubo elevetur Cælo sereno. Sed de hac re dicta sufficiant, qui enim plura cupit, adeat Franciscum tertium de Lanis Societatis Iesu *tom 2. Magisterii naturæ, & artis*, & præcipuè *lib. 6. cap. 1.* ubi quamplura experimenta, & observationes refert de compressorum dilatatione, & vi elastica, & inter cæteros legendus est Robertus Boyle in suis Physicis mechanicis experimentis.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur quædam argumenta adversæ partis contra præcipuam Conclusionem.*

Remanet his prælibatis promouendum *Cartesii* argumentum præcipuum, quo crediderat vacuum simpliciter, & absolutè implicare. Hoc autem placet nobis sub hac forma proponere. Vacuum est spatium destitutum omni corpore; atqui non est possibile hoc spatium; ergò. De majori non est dubium.

Figura prima pag. 307.

Figura seconda pag. 308.




*Foglio primo.*

Figura terza pag. 308.






Figura quarta pag. 308.



bium. Minorem autem probat Cartesius, quia non est possibile spatium absque extensione; sed hoc ipso est possibile spatium omni corpore destitutum; ergò. Major iterum liquet: Minor ostenditur primò, quia natura corporis stat in trina extensione. Secundò, quia hęc trina extensio est proprietas positiua: proprietas autem positiua nequit esse talis respectu puri nihili: ergò erit proprietas corporis; ergò si non est possibile spatium absque trina extensione, non erit possibile absque corpore.

Argumentum hoc plures habet solutiones apud Recentiores. Nus breuitati consulentes pro solutione aduertimus proprietates duplicis generis esse, alias positiuas, negatiuas alias. Primæ utique puri nihili esse nequeunt proprietates, benè verò secundæ. Patet enim de puro nihilo nos cum veritate asserere, quod sit incorruptibile, immobile, necnon immutabile, & hoc, quia hæc omnia sunt proprietates negatiuæ: aliquod enim esse incorruptibile, & immutabile est habere negationem materialitatis, & corruptionis. Modo, dum alicui spatio vacuo tribuitur extensio, hæc non est positiua, cum hæc nequeat conuenire vacuo, seù nihilo, sed negatiua in hoc sensu, quod, dum dicimus v. g. spatium vacuum habet pedalem extensionem, sit idem, ac dicere, adesse negationem corporis in spatio pedali. Circa id autem, quod asseritur, videlicèt corporis naturam residere in trina extensione, jam alibi statuimus, & diximus hanc non esse primam, & communem corporis ideam.

Secundò arguit idem Cartesius. Si vacuum esset hoc Cubiculum, prorsusquè corpore priuaretur, parietes oppositi, & discreti concipiendi essent contigui, ea quippè dicuntur se se tangere, inter quæ nihil mediat, at falsum est, imò impossibile, ut parietes oppositi, & discreti, sint contigui; ergò pariter falsum est, & impossibile, Cubiculum hoc, vel esse, vel posse fieri vacuum. Sed

Hoc argumentum parui roboris est. Esto enim nullum corpus physicum inter utrumque parietem mediaret, vel intelligeremus, Intercederet tamen corpus Mathematicum, quo fit, ut parietes discreti, contigui concipi non debeant.

Tertium argumentum illud est, quod proponunt quamplures Thomistæ, hoc, vel consimili arguentes metodo. Dato vacuo in terum natura, vel coaceruati naturali possibilitate, agentia cœlestia impedirentur ab influxu in sublunaria, & consequenter sublunaria non reciperent amplius influxus sibi utiles: atqui incredibile est, quod in natura sit virtus ad id, quod toti naturæ obnoxium est, cujusmodi certè est carentia influxuum corporum cœlestium; ergò in natura hæc virtus non erit admittenda.

Respondeo argumentum hoc parum continere roboris pro aduersæ partis asserto firmando, quin quamuis evinceret (quod non affirmo) in sublunaribus impossibile esse vacuum ob indigentiam influxuum, possibile tamen erit, vel in ipso sole, vel in terræ Centro, cum nec sol indigeat influxu sublunarium, nec Centrum terræ impedire possit influxus corporum Cœlestium, ut benè ante me aduerterat doctus Maygnan. Sed ceuera nullatenus probat impossibilitatem naturalem vacui, etiam in aliis, saltem pro paruo tempore durantis, cum influxus cœlorum actuales non videantur necessarii pro quolibet instanti, qui etsi essent, adhuc per lineam obliquam, vel quamcumque alteram à directa emitti possent tales influxus, nec obstat, quod affertur in contrarium, nimirum naturam semper agere per lineam breviorem, consequenterquè per rectam, qua cum non possent corpora Cœlestia agere stante vacuo intermedio, nullatenus agerent, siquidem hoc, vel verum est solùm, quando nullum adest inpedimentum, quod adesset in casu, vel uniuersaliter loquendo hoc est falsum; Constat enim quamplura agere per lineam refractam, uti in rarefactione lucis; atque spirituum magneticorum, in ipsa emissione specierum ligni in aqua existentis, uti volunt etiam quamplures Peripatetici.

Arguit quartò Arriaga: dato vacuo vi agentis naturalis non esset amplius negabilis naturalis penetratio, quia corpus, quod tale spatium relinqueret, occupare deberet locum occupatum ab alio corpore & sic cum eo penetrari; Deus enim ab initio mundum hunc in tanto spatio produxit una simul cum corporibus, quæ tantum spatium occupent.

Respondeo tantum abesse, ut ex vacui possibilitate, vel existentia sequatur, & illa penetrationis, ut potius ostensum iri hanc sequi semel suppolita ipsius carentia. Perpende Lector in ordine superius relatam rationem cum sua confirmatione, & me verum dicere videbis. Corpus autem unum relinquendo spatium, alterius spatium assumeret, vel ipso recedente, vel se condensando. Condensatio autem non idem est cum penetratione, & clarius ab ipsa intelligitur distincta per positionem vacuitatum in corporibus, quibus seclusis videtur locus dubitandi reductionem partium corporis ad minus spatium, partium penetrationem præseferre, sed de hoc alibi.

Arguunt quartò Peripatetici. Pleraque corpora contra propriam, & naturalem inclinationem non tarò mouentur ad vitandum vacuum; ergò natura abhorret à vacuo, atque adeo in Philosophia admittendum non est. Antecedens patet primò in Antliis, & Machinis Etesibianis, quæ vulgo Trombe spiritales vocantur, in quibus attracto Embolo simul aqua subiecta sublevatur. Secundo in Clepsidria irrigatoria aqua oppleta, & obturato superno orificio, tunc enim non defluit aqua per infima aperta foraminula ob vacui timorem, quod intra Cauitatem vasis remanere deberet. Tertiò patet in Cucurbitula medica. Si enim flama, vel alio modo aer excludatur, carnibusque applicetur caro ipsa, & sanguis accurret ad replendum illud spatium. Quartò è dolcio vinum non egreditur, nisi in parte superiori foramen fiat. Quintò Lamina ferrea plano subiecto immobili, si perfectè congruat, non potest attolli, nisi ex altera parte prius eleuetur. Sexta Folles occlusis omnibus foraminibus aperiri nequeunt, quæ omnia certè non eueniunt, nisi ob vacuui merum.

Hoc argumentum, quod valdè extollunt Peripatetici, nullum est. Primò quia, esto omitteremus in natura adesse vim vacui expulsivam, nihilominus adhuc vacuum coacervatum naturaliter introduci posse contendo, siquidem vis naturæ non est, nisi vis agentium actualium, quæ fortius agunt, quoties applicant ad agendum maiori numero; cum autem dari possit maior multitudo agentium fere in oppositum applicantium, poterit etiam haberi vacuum in terum natura.

Quæres hìc, an experientia facta in machina Pneumatica comprobet dari vacuum coacervatum.

Respondeo in hac re divisos esse Auctores. Aliqui enim volunt ex ipsis experimentis in ipsa Machina factis non comprobari existentiam vacui, sed solum aeris pressionem, & vim elasticam. Ratio illorum est, quia videmus quod in recipiente res quæcumque ibi locatæ videntur, quod contin-

gere non posset, nisi radiis luminaribus pervium esset; ergò iam luminis radii existunt, quidquid sit, an radii sint corporea effluia, an non. Alii verò volunt vacuum innegabile esse, quia & si in recipiente inclusi sint radii luminosi, & etiam, secundùm aliquos, magnetica è Tellure effluia, nihilominus si hæc omnia simul in unum locum absque interspersis intervallis congregarentur, exiguam solùm totius recipientis partem complerent, quo indicatur vacuum non omnino impediri.

## QVÆSTIO SEPTIMA.

*Vtrum motus, qui fieret in vacuo esset instantaneus, vel successiuus.*

### CAPVT VNICVM.

*Motus, qui fieret in vacuo esset successiuus.*

Supponit, ut vides, Controversia hæc, quod in vacuo fieri possit motus; cuius possibilitas mihi videtur innegabilis (quidquid in oppositum nonnulli Peripatetici dicant) absurdum enim est hominem in vacuo constitutum immobilem fore, aut etiam machinam bellicam non posse in parietem vicinum æneum globum explodere. Hoc autem supposito quæritur, an talis motus esset successiuus, vel instantaneus, pro cuius resolutione iudico futurum esse successiuum. Sic Communiter Peripatetici, & Athomistæ ferè omnes, & hoc ostendo primò, quia ideo motus ipse in vacuo esset instantaneus, quia in ipso vacuo nulla esset resistentia medii causans tarditatem motus; atqui quamvis nulla esset talis resistentia, adhuc motus non esset instantaneus; ergò. Probatur minor. Estò nulla esset resistentia medii, esset tamen virtus finita, & limitata rei se moventis, per quam fieret, ut solùm usque ad determinatam intensionem motus pervenire posset. Secundò, quia res mobilis, si motu instantaneo moveretur in triplici loco simul esset, videlicet in termino, à quo, ad quem, & in medio, ut optimè hic aduertit Maygnan; ergò etiam si nulla esset resistentia medii, non ideo evinceretur motus localis instantaneus.

Obiicies primò. Vbi nulla est resistentia, & nulla est reperibilis distantia, opus est, ut motus sit instantaneus; sed in vacuo nulla est resistentia, cum nullus sit aer, & nullum corpus; nec est distantia, hæc enim fundatur in magnitudine, quæ in vacuo nulla est, sicuti nullum est corpus quantum; ergo.

Respondeo, ut dixi accelerationem motus non desumi à sola resistentia medii, sed etiam remotè à maiori, vel minori gravitate corporis se moventis, & proximè à maiori, vel minori impulsu per motum aquisito, si enim unicè à resistentia medii proveniret successivitas motus, in eodem medio motus deorsum pilæ ligneæ, & ferreæ esse debebat æqualis, quæ tamen æqualitas experientia non comprobatur. Extensionem autem in vacuo supra attulimus, & si non positiuam, negatiuam tamen, quod sufficit, ut motus instantaneus esse nequeat, maximè quod vacuum suas habet partes mathematicas, vi quarum motus successio optimè saluari potest.

Argues secundò. Non est unde implicet motus localis instantaneus, vel per medium non transiens, ergò in vacuo motus esse potest instantaneus. Probatur antecedens. Potest Deus corpus, quod est in uno loco, in vnico instanti ponere illud idem in alio, & quidem distanti; sed tunc non esset motus localis per medium factus; ergò.

Confirmatur. Ponatur linea Constans decem punctis, fiat per eam lineam motus puncto aliquo, vel corpore pyramidali; quæro, vtrum punctum illud primò motus momento partem aliquam istius lineæ transierit, nec ne, si nihil transierit, motus non esset factus; si ergò aliquid, vel aliquam lineæ partem transierit, habeo intentum, adeoque datur motus instantaneus.

Confirmatur secundò. diffusio lucis facta à sole est motus localis; sed aliunde hæc diffusio est instantanea; ergò est possibilis motus localis instantaneus.

Respondeo ad argumentum, prebendo eandem penitus solutionem, quam hic exhibet recentior quidam affirmans, & quidem solidè, tunc tale corpus à Deo non poni per motum illius corporis, sed potius per reproductionem.

Ad primam confirmationem, dico in instanti unico unum Corpus transire solùm unum indiuisibile, neque plus, neque minus: hoc autem solùm transeundo non esset motus localis. Secunda autem confirmatio non urget. Videbimus enim lucis diffusionem esse successiuam, quamuis maxima velocitate ipsa contingat.

Argues tertiò. In machina pneumatica corpora, vel leuissima, celerimè moventur, & æqualiter. Imò vix plumbum celerius decidit, quam pluma; ergò omnis inæqualitas, & acceleratio descensus ex medii resistentia unicè oriri videtur; ergò ubi nulla erit resistentia, sicuti in vacuo, nulla erit summa velocitas.

Hoc argumentum innititur Gallilei Principiis authumantis, quod si totius medii obsistentia auferretur, omnia grauia æquali velocitate motum deorsum insumerent. Quod si eveniat, non parum inesse diuersitatem in quorundam descensu, ut inter Pilam plumbeam, & paleam, hoc unicè euenit, quia aer non parum resistit paleæ, quam resistentiam non prebet plumbeæ, quod adeo, verum esse iudicat, ut omni sublata resistentia affirmet, quod æqualiter ruerent; sed quam falsò hoc afferat, infra magis apparebit, ubi de acceleratione motus grauium descendentium. Interea dico adhuc motum fore inæqualem, & successiuum, inæqualem, inquam, propter inæqualem grauitatem persequentantem, quæ copulata cum motu, ad maioris duceret impulsus aquisitionem. Successiuum verò propter finitatem corporis se mouentis, & distantiam, quæ adesset. Quod autem affertur de machina pneumatica, videbimus infra.

Dices accelleratio motus grauium provenire nequit, nec à grauitate absoluta, nec à specifica, siquidem si duo corpora sint eiusdem materiæ, atque figuræ, quorum unum v. g. sit librarum decem, alterum unius tantumodo libræ, atque simul deorsum decidant, corpus grauius non citius descendit, quàm levius, quod tamen evenire deberet, si motus acceleratio grauitati absolutæ proportionari deberet, quod verum est etiam loquendo de specifica grauitate; si enim accipiamus duas pilas eiusdem magnitudinis, ex quibus una plumbea sit, lignea altera, si simul permittantur deorsum ire, plumbea in motus acceleratione excedere nequit ligneam iuxta proportionem specificæ grauitatis plumbeæ supra ligneam; ergò inæqualitas motus ab inæqualitate grauitatis provenire nequit, sed unicè à resistentia medii, quæ cum nulla esset, nec etiam ulla esset successiuitas.

Respondeo Instantiam hanc ad rem non facere;

Siqui-

Siquidem etiam concesso quod duo corpora inæquali grauitate donata æquè moueantur deorsum, adhuc remanet inquirendum anille motus duorum corporum verbi gratia corporis librarum decem, & alterius unius, qui in utroque æqualis esset, successiuus, vel instantaneus esset, in cuius inquisitione videtur nobis potius dicendum esse, quod foret successiuus propter spatium insumendum, & virtutem motricem finitam, sed hac solutione omissa, quam tamen existimo solidam, dico, vel talia corpora in instantia relata inæqualiter deorsum moveri, quamuis inæqualitas vix sensibilis esset, ut novissimè etiam aduertit *Edmundus Purebotius*, vel si æqualiter, hoc prouenire tab æqualitate figuræ, qua donata supponuntur, per quàm solùm æqualiter resistentia medii vinceretur, ceterum maior grauitas de se est causa remota, & radix majoris velocitatis.

## QVÆSTIO OCTAVA.

*De temporis natura.*

Temporis naturam aggredimur hic explicandam illius nimirum, de quo Seneca ad Lucillum scribens *Epistola* 9. *ajebat*: *Fac ergò mi Lucilli, quod facere te scribis omnes horas complectere: sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris: dum differtur, vita transcurrit. Omnia Lucilli aliena sunt, tempus tantùm nostrum est, in hujus rei unius fugacis, ac lubricæ possessionem natura nos misit*: Quod diuersimodè mortales homines percurrere aduertens *libro de tranquillitate animi cap.* 3. scripsit: *alii parcè illo utimur, alii prodigè: alii sic impendimus, ut possimus rationem reddere: alii, ut nullas habeamus reliquias. Quare nihil turpius est, quàm grandis natu Senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse præter ætatem*: de hoc nunc sermo habendus est, an autem felici exitu nescio. Illud enim Augustini oraculum ad mentis oculos habeo, qui de tempore differens asseruit se magis intelligere quid tempus sit, quam alios docere aptum esse: *Quid autem familiarius* (verba sunt Sancti Patris *lib.* 11. *confes num.* 17.) *& notius in loquendo commemoramus, quam tempus, & intelligimus utique, cum id loquimur intelligimus etiam, cum alio loquente id audimus. Quid est ergò tempus. Si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim, nescio: fidenter tamen dico Scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum Tempus; & si nihil adueniret non esset futurum, & si nihil esset, non esset præsens tempus*. Nihilominus nonnulla proferre libet, & primò tempus descripsit Phylosophus, quod *sit numerus motus secundùm prius, & posterius*. Intelligitur hic numerus non numerans, sed numeratus, qui penitus idem est, ac res numerata, seu mensurata. Refertur verò secundùm prius, & posterius, idest secundùm partes priores, & posteriores motus.

Mirum est, quot moderni proferant calumnias contra hanc descriptionem ab ipsis reprobatam, di versamque, ut loquuntur, atque clariorem, & veriorem assumentes. *Cartesius* vult tempus esse durationem rei creatæ cui adhæret nouissimus ejus Alumnus *Edmundus Purebotius*, qui aliquantulum prolixius ipsum definiens, docet, quod sit successiva rei cuiusque duratio, quæ initium habuit, finemque habere potest: Nonnulli verò Atomistæ sustinent, quod sit quantitas durationis successivæ, in motu residens, uti Clarissimus vir *Adrianus Heerebord*. Alii verò distinguentes prius tempus in commune, & proprium, primum censent esse durationem motus primi mobilis, vel Solis, unde dicunt Deum lomioaria in expanso Cœlorum creasse, ad distinguendum inter diem, & noctem, atque ut sint signa Temporum, annorum, & dierum, proprium verò volunt esse ipsam uniuscuisque rei durationem, quatenus coexistit cum motu Solis. Doctus verò Pater *Maygnan* inuertens aristotelicam definitionem in *sua Philosophia naturæ propositione prima cap. XI*. docuit numerum motus secundùm prius, & posterius esse tempus. Nos tamen primam recipimus definitionem ipsamque hic sustinemus, contra quam cum quædam urgere videantur placet ipsa referre.

Arguunt itaque primò per tempus nos tam benè meriri quietem, quam motum; ergo definitio Philosophi non videtur sufficiens. Secundò numerus juxta Peripateticos est quantitas discreta, tempus verò est quantitas continua; ergò impropriè tempus definitur per numerum. Tertiò tempus minus rectè dicitur mensura motus, si motus sit potius mensura temporis, quam vice versa; atqui motus est potius mensura temporis; nam ad tempus dimetiendum adhiberi solet motus, ut in omnibus horologiorum generibus puta in horologiis solaribus, Clepsydris, aliisque clarum est; ergò. Quartò possibilis est duratio indivisibilis, essentialiter affixa uni horæ v. gr., ea autem duratio esset tempus, nec enim Ævum, aut æternitas esset; sed nihilominus partes numerabiles, actuque distinctas, & successivas non haberet; ergo explicatio temporis Aristotelica tribuens ei numerum, & successionem partium non convenit omni tempori etiam possibili, sicuti natura definitionis exigit, sed dumtaxat tempori existenti. Quintò numerus est formaliter quantitas discreta, si à rebus abstractus sit, ut cum binarium, vel ternarium, ut sic concipio; vel numerus formaliter est quantitas continua, si rebus non quibuscumque, sed unitis concretus sit, ut numerus binarius, vel ternarius partium continui; sed tempus formaliter, & ratione nostra ad neutram quantitatem attinet, sed potius ad prædicamentum quando; ergo per numerum tempus veluti per rationem formalem explicari, & propriè definiri nequit. Ultimò tandem motus localis successivus, quatenus talis pertinet ad prædicamentum actionis; sed tempus non est ratione nostra actio; ergo nec motus, ac proinde de primo ad ultimum per eum definiri nequit.

Hæ sunt instantiæ non parvi roboris, quas afferunt reprobantes temporis naturam à Peripatecis receptam. ex quibus tamen nonnulli adsunt in hoc Cartesii, Gassendi, aliorumque sequentes vestigia, præcipuè verò Richardus, Lynceus *lib.* 7. *Phys. tract.* 2. *cap.* 1. doctissimus Caramuel, aliique non rudis Minervæ, nihilominus ad singula respondeo, & ad primum respondet Angelicus Præceptor *lect.* 21. cujus verba sunt. *Tempus mensurat id, quod movetur, & quiescit, non in quantum est lapis, vel homo, sed in quantum est motum, & quiescens: Mensuratio enim propriè debetur quantitati. Cujus ergo quantitas tempore mensuratur, illud propriè tempore mensuratur. Ex mensuratione autem temporis cognoscitur quantus sit motus, & quanta sit quies; non autem quantum sit illud, quod movetur. Unde quod movetur simpliciter, non mensuratur tempore secundùm propriam quantitatem, sed secundùm quantitatem sui motus. Ex quo patet, quod propriè tempus sit mensura, motus, & quietis; sed per se motus, quietis autem per accidens*. Ex quibus habes ideò solùm motum reponi in definitione aristotelica, quia solùm istius per se est mensura

cui solutioni adderem ego in ipsa Philosophi descriptione comprehendi, & ipsam quietem, mutabilem tamen, & hoc, quia per ly motus, nedum intelligitur motus in actu secundo partes successivas habens, sed etiam totum id, quod est mutabile, quod revera mensuratur tempore, licet actu non moveatur, sed quiescat, ut optime advertit Doctor in summa *art* 31 *quaest.* 1. his verbis. *Creatura spiritualis movetur per tempus, eo quod per durationem omnimodè fixam, & permanentem non habet in suo esse, sed quodammodo variabilem, & succedentem, eo quod qualibet creatura, quantum est de se continuè tendit in non esse, quia de nihilo est, ut declarari nequit loquendo de creaturis, quae quidem duratio tempus appellatur; unde tempus dicitur mensura motus secundum prius, & posterius.* Hæc est solutio, quam exhibeo, nisi dicere velim cum Scoto *in* 2. *dist.* 2 *quaest.* 2. aliisque quietem ipsam mensurari ab Ævo lato modo accepto, nimirum pro mensura non solùm rei incorruptibilis, sed cujuslibet rei permanentis.

Ad secundùm dico numerum utique formaliter inspectum esse quantitatem discretam, nimirum, ut est à rebus abstractus, est tamen quantitas continua, si in rebus unitis inueniatur, ut patet in ipso numero plurium partium continui inter se unitarum. Tempus autem est numerus non *aggregatione partium*, sed *continuatione*, ut asserit doctor *art.* 66. *quaest.* 2. his verbis *Tempus est quantitas continua non permanens, cui ad modum lineæ accidunt longum, & breue*: Ad Tertiam dico motum esse mensuram temporis extrinsecam, & per designationem, atque particularem, vel signum, unde dignoscitur tempus. Hoc verò est mensura intrinseca per se, & uniuersalis.

Quartum verò parum urget, quidquid enim sit de possibilitate talis durationis, quam nonnulli negant, vel quatenus Deus non amplius liber esset ad ipsius destructionem pro toto Tempore, cui affixa supponitur, vel quia habere partes priores, & posteriores, sit de Temporis natura, dico ipsam durationem habituram in se partes successiuas virtuales, quatenus æquiualeret pluribus durationibus successiuis, estò partes formaliter successiuas non haberet.

Ad quintum, & sextum dico tempus hicà Philosopho definiri, nō prout est duratio, sed prout mensura cæterorum, ut optimè aduertit Ioannes à Sancto Thoma *in Physica quaest.* 18, *de tempore art.* 2. sic autem spectat ad prædicamentum quantitatis, quamuis sub altera durationis inspectione spectet ad prædicamentum *quando*

Ad tempus autem hæc omnia spectant; Epocha nimirum, estque punctum fixum, vel tempus determinatum, quo Cronologi utuntur ad annos ennumerandos. Epocharum numerus, juxta diuersos auctores, diuersus est. Volunt enim aliqui Epochas duas esse, alii tres, nonnulli quatuor, quidam septem, alii verò tredecim, vel quatuordecim. Congruentius tamen existimo Epochas, vel duas esse, itaut prima compræhendat totum tempus, quod intercessit inter mundi creationem, & Christi ortum, quod fuit annorum 4000 juxta *Tirini Thomæ Lidiat* Angli sententiā, quam nouissimè dominus de Vallemont recipit, cum existimet spatium 40. seculorum aptum esse ad explicandum omnes successiones Patriarcharum Iudicum, Regum, omnemque Historiam Populi electi. Secunda verò Epocha amplectitur totum tempus, quod præteriit à Christi ortu usque ad hæc nostra tempora. Vel sufficienter diuidi in septem ætates, ex quibus prima initium habuit à creatione Mundi terminum verò diluuii tempore, & hæc ennumerat annos 1656. Secunda exordium duxit à fine diluvii, idest anno 1657. & terminū habuit Abrami tempore, nimirum anno à mundo condito 2083. atque compræhendit annos 426 Tertia initium habuit ab Abrahamo, & finem habuit in exitu Israel de Ægipto, idest annó à Mundo condito 2513 atque annos compræhendit 430.

Quarta exordium sumpsit ab eodem exitu, & finem habuit tempore Salomonis, idest anno 3000. & compræhendit annos 487 Quinta primordia habuit à Templo Solomonis jam completo, finem verò, quando finem habuit Iudæorum captiuitas extra Babilonem, quod contigit anno Mundi 3468 & compræhendit annos 468. Sexta initium habuit à libertate collata à Ciro Iudeis, & finem habuit anno Mundi 4000 & comprehendit annos 532. Septima etas exordium duxit à Christi natiuitate, & nunc comprehendit annos 1715.

Secundò ad tempus spectant Periodus Iulianus, vel spatium annorum 7 980. quem Cronologi orbe condito antiquiorem esse credunt annos 710. Æuum, vel spatium mille annorum. Seculum, & est Periodus centum annorum, quo describebantur sacrificia, quæ centesimo quoque anno fiebant Circulus Solaris, vel reuolutio annorum 28. quibus elapsis redeunt eædem littere dominicales. Lunaris verò annorum 19 quibus elapsis, redeunt eadem nouillunia, & plenilunia, & eædem Epactæ Indictio, vel spatium 15. annorum, quæ nomen sortitur ab indictione Ludorum Panegyricorum, aut largitione inter Principes usitata in quinquenalibus, Enceniis; aut aliàs, dum remittebantur tributa, aut Carcerum Custodiæ relaxabantur. Lustrum, quod omnes censent spatium esse annorum quinque. Sic autem dicitur, vel à quodam sacrificii genere, quod quolibet quinto anno Romæ immolabatur, vel à tempore, quo censorum Magistratus durabat. Olimpiades, vel spatium quatuor annorum, quod inter Olimpiadem unam, & alteram intercedebat. Hæ à Grecis tanquam Epochæ habebantur. Olimpiades aurem dicuntur à ludis Olimpicis, qui in Olimpia urbe in Peleponesi fiebant die 19. Iulii

Annus verò, vel solarius, vel Lunaris est. Annus Solaris vel Tropicus, vel Iulianus: Annus Tropicus est spatium temporis, quo sol ab uno Zodiaci puncto pura Æquinoctii, aut Solsticii, ad idem reuertitur; estque dierum 365. horarum 5. minutorum 49. secundorum 12. Annus Iulianus, quem Iulius Cesar introduxit in usum Populi Romani, est precisè dierum 365. horarum sex, quæ sex horæ non numerantur, nisi in fine quarti anni, faciuntque unum diem, qui additur mensi Februario, qui tunc est 29. dierum, cum præcedentibus annis fuerit tantùm 28. dierum. Romani interserebant illum diem inter 23. & 24. mensis Februarii, qui erat sextus ante Calendas Martias, & quia talis dies bis numerabatur, dictus est bissextus, & annus bissextilis Inde patet annum Tropicum esse minorem Iuliano minutis undecim, atque adeo nimium esse, quod additur quolibet anno bissextili, ac posse idcirco. Æquinoctia, & solstitia non fieri eodem die anni, atque exinde euenisse, ut cum tempore Concilii Niceni Æquinoctium verum contingeret circa diem vigesimum primum Martii, deprehensum fuerit seculo præcedenti contingere circa undecimum diem Martii; unde factum est, ut anno Christi 1582. suppressi fuerint decem dies, ut æquinoctium vernum rediret ad vigessimum primum Martii, & quia post 133. annos, aut circiter, annus Iulianus uno die superat Tropicum, cautum est, ut in posterum singulis centum

tum annis non numeraretur dies biſextilis, niſi quarto centenario.

Annus verò lunaris conſtat 12. Menſibus lunaribus Synodicis, ſeu diebus 354. horis octo, minutis 48 ſicque minor eſt anno ſolari diebus ferè undecim, quos,quia quotannis adiicimus, ut lunarem curſum ad ſolarem accomodemus, ideo epactales, vel epactas vocamus; quare id, quod vulgò dicitur epacta creſcit ſingulis annis undecim diebus, & quando ſuperat triginta, id quod ſupereſt dicitur epacta, quod ſi jungatur epacta cum numero menſium incipiendo à Martio, & cum numero dierum menſis præſentis, quod reſultabit erit numerus dierum Lunæ, & ſi numerus reſultans ſuperet triginta, ſupprimendi ſunt dies illi triginta, & quod ſuperetit, notabit numerum dierum Lunæ.

Menſis verò, vel luaris eſt, vel ſolaris: Menſis lunaris, vel periodicus, vel Synodicus, vel illuminationis. Menſis periodicus eſt ſpatium temporis, quo Luna digreſſa ab uno Zodiaci puncto ad idemmet redit, eſtque dierum 27 horarum 7. & minutorum 44. Menſis Synodicus eſt ſpatium temporis, quo Luna ab una conjunctione cum Sole ad aliam conjunctionem redit, eſtque dierum 29. horarum 12. minutorum 44. Eſt autem hic menſis Synodicus, major periodico, quia Luna, poſtquam redierit ad punctum, in quo fuerat Soli conjuncta, duos, & amplius dies adhuc progredi debet, ut Solem, qui interea motum non intermiſit, aſſequatur: menſis illuminatioois eſt tempus illud, quod fluit, ex quo primum Luna apparet recens veſperi quouſque jam vetus mane occultetur, eſtque dierum 26 aut circiter. Menſis Solaris, ſi aſſumatur medius inter exceſſum, defectumque, eſt dierum 30 & horarum 10. proximè cum ſemiſſe. Menſis etiam diſtingui ſolet in Aſtronomicum, & Ciuilem: Menſis Aſtronomicus eſt propriè lunaris, ſed Synodicus præſertim. Menſis ciuilis eſt, quo ciuitates, nationeſque variè pro inſtitutis ſuis utuntur, Lunaribus Synodicis uſi ſunt olim Iudæi. Græci, Romani, & hodie Mahumetani, quorum unus erat 30. dierum, & dicebatur plenus, alter verò 29. & dicebatur cauus. Solaribus Menſibus uſi ſunt Egiptii, & Romani poſt Iulium Ceſarem, & nos Chriſtiani, quorum quidam ſunt dierum 31. alii 30. & Februarius 28. aut 29.

Poſt menſem ſeptimana, ſeu hebdomadas explicanda eſt. Hæc autem eſt collectio ſeptem dierum, qua uſi ſunt Orientales ſemper, Occidentales verò duntaxat à Chriſtiana Fide recepta, nam Græci, quidem decadæ, Romani verò Enneadæ potius utebantur. Ethnici ſingulos Hebdomadis dies donarunt nominibus Planetarum, eamque retinent adhuc appellationem apud nos: niſi quod loco diei ſolis diem dominicam dicimus, ob reuerentiam eius diei, qua Chriſtus Dominus ſurrexit à mortuis, & loco diei Saturni diem Sabbati, quaſi diem quietis vocamus, ob memoriam ejusdiei, qua Deus, initio dicitur quieuiſſe ab omni opere. At cur poſt diem Solis ſequitur dies Lunæ, & poſt hunc dies Martis. Id oritur ex dominio illo, quod tribuitur Planetis ſingulis in ſingulas horas: Cum enim velint prima diei hora, incipiendo à Meridie, dominari Planetam, qui diei nomen dat, & hora ſequenti Planetam ſequentem juxta ordinem, quem deſcendendo habent in Cœlo, & ſic deinceps, etiam redeundo ad ſupremum, cum ventum fuerit ad infimum, eueniet, ut attribuendo ſingulos planetas horis ſingulis, poſtquam ventum eſt ad vigeſimam quartam, ſequatur pro hora vigeſſima quinta, hoc eſt prima diei ſequentis planeta ille, qui diei illi nuncupationem tribuit.

Hebdomas autem cum ex pluribus componatur diebus de die aliquid dicendum eſt. Dies itaque vel naturalis eſt, vel artificialis. Primus eſt ſpatium 24. horarũ æqualium, quo Tempore ſol unam circulationem abſoluit circa terram, & continet diem, & noctem artificialem. Dies verò artificialis eſt mora Solis ſupra horizontem: nox verò artificialis eſt mora ſolis infra horizontem. Hora autem diem cõſtituens, vel æqualis eſt, vel inæqualis: Hora æqualis eſt vigeſſima quarta pars diei naturalis, quæ diuiditur in ſexaginta ſcrupula, ſeu minuta prima, & quodlibet minutum in ſexaginta ſecunda, quodlibet ſecundùm in 60 tertia. Hora inæqualis verò eſt duodecima pars diei, aut noctis artificialis, quæ dicitur inæqualis, non comparata ad alias horas ejuſdem diei, ſed ad horas aliorum dierum. Sed qui plura optat in hac re, adeat doctiſſimum Dionyſium Petauium in ſuo inſigni opere de Doctrina Temporum, & precipuè Libros quatuor Tomi primi, ubi diffuſè de veteribus annis ſermonem inſtituens, nonnulla exhibet, quæ ad rem facere videntur, & quæ brevi calamo deſcribere optabam, ſed alia majoris ponderis Tempus inſumentia non permiſerunt.

Hoc ſolùm aduertere ſufficiat, ut temporis naturam facilius percipiamus, ipſum concipiendum eſſe, tanquam meram longitudinem, ſeù lineam à principio Mundi in hoc uſque momentum protracta, cujus lineæ partes ſint anni, menſes, ſeptimanæ, dies, horæ, momenta. Quemadmodum enim linea conſtat ex partibus diuiſibilibus tantùm, ita etiam tempus ex momentis, & quemadmodum linea pro ratione partium major, vel minor eſt, ita etiam tempus, vel longius, vel breuius dicitur, prout ex pluribus, vel paucioribus momentis eſt conſtatum. Momenta tamen indiuiſibilia eſſe nequeunt, inhærendo Peripateticis, & Carteſianis principiis, uti etiam in materia de continuo diximus. Quodlibet enim Tempus ex partibus componitur, & in alia momenta eſt indeffinitè partibile.

Quæres hic an tempus ſit reale. Reſpondeo affirmatiuè, ſiquidem nemine cogitante res ſublunares ſucceſſiuè durant; ſed duratio ſucceſſiua eſt tempus; ergò nemine cogitante datur tempus; ergò tempus eſt quid reale. Inſuper tempus eſt menſura motus: adeoque tempus ſequitur ad motum; ſed motus eſt quid reale; ergò etiam tempus erit quid reale.

Dices; ſi tempus eſſet quid reale exiſtens in tempore exiſteret, adeoque tempus exiſteret in tempore, de quo tunc idem quæri poſſet, idque in infinitum; ergò tempus non exiſtit. Secundò ſi tempus exiſteret illud eſſet, vel preteritum, vel præſens, vel futurum, neque enim aliud tempus cogitari poteſt; ſed præteritum non exiſtit, quia non eſt amplius, ſed fuit, ſimiliter & futurum non exiſtere evidens eſt, quia nondum eſt, ſed erit. Preſens denique non exiſtere ex eo Conſtat, quod eſt tantùm indiviſibile, ſeù momentum, quod ſtatim, ac eſt, continuo evaneſcit, & non eſt amplius. Tertiò, quia Tempus eſt pura denominatio extrinſeca, ſeù relatio coexiſtentiæ rei Phyſicæ cum motu, qui cõcipitur in primo mobili, vel Sole. Hinc Lucretius.

*Tempus item per ſe non eſt, ſed rebus ab ipſis*
*Conſequitur Senſus, tranſactum quid ſit in Æuo*
*Tum quæ res inſtet, quid porrò deinde ſequatur*
*Nec per ſe quemquam tempus ſentire fatendum*
*Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.*

Sed nulla eſt hæc Inſtantia, ſiquidem tempus eſtò exiſtens, non in alio Tempore tamen exiſtit. Sicuti enim unio eſtò uniatur extremis, non tamen vnitur media altera vnione, ſed per ſe extremis

mis unitur, sic quoque tempus per se ipsum existit, non in alio Tempore. Falsum est autem tempus præsens esse momentum indivisibile; negauimus enim Tempus ex instantibus indivisibilibus componi. Tertium autem, quod affertur, ad rem non facit, quia verum non est tempus intrinsecum, de quo hic est sermo esse ipsam coexistentiam rei physicè cum motu solis, siquidem etiam cessante omni Solis motu, adhuc esset tempus, ut optime Augustinus admonet 11. *Confess. cap. 13* his verbis *nemo ergò mihi dicat cœlestium corporum motum esse tempora, quia cum cuiusdam voce dum sol stetisset ut victor Josue prælium peragerct, Sol stabat, sed tempus ibat*.

Quæres quotuplex sit duratio.

Respondeo triplicem esse. Prima æternitas nuncupatur, quam disertè descripsit Boetius *l. 5 prop. 6.* dum voluit quod *sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. Quamplures sunt, qui hanc definitionem recipiunt, & explicant, ut Illustrissimus noster Lodigerius *Tomo 1. lib. 1. disp. 4. quæst. 2.* His omnibus omissis opinor optimè explicari posse dicendo quod prior particula *possessio* indicat æternitatem propriam esse Dei perfectionem. Dicitur secundò *vitæ*, quia cum æternitas sit veluti quidam modus, alicuius dici debet: nullius autem melius æternitas dici potest, quàm *vitæ*, quippè qua non solùm animata corpora ab inanimatis, sed etiam mentes à corporibus, imò, & ab aliis mentibus differunt. Vita autem cuius æternitas veluti modus est, nihil aliud esse videtur, quam cogitatio, quod æternitas non possit esse, nisi mentis, cuius vivere est cogitare. Hinc Aristoteles *lib 12. Metaph. cap. 7. mentis cogitatio vita est*. Dicitur tertiò tota simul, quia vita illa cuius æternitas dicitur modus, nihil successionis habet in quo differt à Tempore, quod dicitur diuturnitas rei, quæ ut incepit, sic desinet esse. Dicitur 4. interminabilis: quia æternitas illius est vitæ, quæ neque principio, neque fine circunscribitur: in quo etiam differt ab ævo, quod dicitur diuturnitas rei, quæ habuit quidem principium, sed numquam est habitura finem; cuiusmodi est anima mea. Dicitur quintò perfecta, quia cum æternitas sit mentis, adeoque vitæ perfectæ modus hæc etiam perfecta sit, necesse est; quamobrem hæc nullam agnoscere debet sui causam: in quo æternitas differet adhuc à mundo, si hic, ut somniavit Aristoteles, ex æterno existisset dicitur tandem *tota simul*, quia cæteras diuturnitates, videlicet Æuua, & tempus comprehendit.

Hæc tamen definitio etiam sic explicata quibusdam minus apta videtur, vel quia per terminum negatiuum traditur, cuiusmodi est *to interminabilis*, vel per metaphoricas voces, uti est vox *possessio* du rationis loco, vel tandem quia tò *tota simul* occasionem præbet in æternitate cogitandi quasi contradictionem momentorum infinitorum. Vnde quamplures Cartesiani, & Atomistæ alias excogitarunt definitiones. Nonnulli enim volunt, quod sit duratio, quæ *tota, & perfecta sit simul*, ut etiam innuere videtur Augustinus in *Psalm* 101. illis verbis *in æternitate nihil est præter eum, quasi iam non sit nihil futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi est*. Alii verò quodsit *nuum perpetuum nunc vel nunc semper stans*, in quo sensu nedum ipsam explicare aggressus est Tertullianus *aduersus Marcionem lib 1* illis verbis: *non habet Tempus æternitas. Omne enim Tempus ipsa est*, verum etiam Petrus Damianus Opusculo 38. *cap 8.* aureis illis verbis: *Omnipotenti itaque Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternum; cui nihil deest,*

*nihil accidit, cui nihil est varium, nihil à se diversum Illud hodie æternitas est incommutabilis, indefectiua, inaccessibilis; cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui. Et omnia, quæ apud nos, elabendo discurrunt, aut per Temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie stant, & immobiliter perseverant*. Sed opinor firmiter superiorem Boetii, quam viri docti permulti approbant, veritati consonam esse, si legitima accedat explicatio. Nec mirum esse debet, quod Recentiores aliqui ipsam respuant, cum aliunde, ut vidimus, ad eam insaniam devenerunt, ut decantatissimam hominis diffinitionem videlicet quod *animal rationale* sit, reprobent, impugnent, & inter Aristotelis deliria reponant.

Æternitati æuum succedit, estque duratio *permanes, & ob intrinsecè incorruptibilis*, vel ut aliqui ex Cartesiana familia, est *in terminanda vitæ precaria duratio*; v. g Angeli, animæ rationales, aut alius cuiuscumque creaturæ incorruptibilis, si quæ alia sit duratio perpetua. In æuuo nulla est successio actualis, nec ullas omnino habet partes sibi succedentes, & hoc, ut habeamus æuum à tempore differre. Prius enim, & posterius sunt passiones temporis, & ad temporis essentiam spectantes. Quod etiam sentit Doctor *quodl. 5. quæst. 13.* hæc habens: *dico simpliciter, & absolute, quod Æuum partes in se non habet, nec in eo est aliqua successio, sicuti, nec in esse substantiali Æviterni nec in fieri conservationis eius*, in quo, quamplures exteri auctores non dissentiunt, quos inter ex Societate Bernardus de Quiros *tract. 3 Physic disp.* 66. de tempore, & ex Thomistis Ioannes à Sancto Thoma *in Physica quæst. 16. art. 1.* & Magister Paulus Cavino *tract. 3. disp. 4. ad 3., & 4 Physic. quæst. 1.* tribuentis solùm æuuo successionem virtualem, & extrinsecã, vel quatenus simul non coexistit omnibus partibus temporis succedentis propter suam limitationem, & partium Temporis mutationem, licèt habeat esse permanens, quod de æternitate non verificatur. Oppositam tamen sententiam sequitur Scotus, quem, quid opponat, audire præstat.

Instant itaque primò. Si Deus unum Angelum crearet, & deinde annihilaret, & postea recrearet, in ejus esse mensura esset successio; ergò in æuuo est successio. Antecedens probatur, siquidem realiter incideret non entitas Angeli inter primum esse, & secundùm. Secundò omne finitum potest recipere additionem; sed duratio Angeli est finita; ergò potest recipere additionẽ. Tertiò, si in æuuo non est ipsa aliqualis successio, imo esse æuiterni habet in se, quidquid est habiturum in posterum, sequitur, quod idem sit æuiterno esse fuisse, & fore, & sic sicuti, Deus non potest facere Angelum non fuisse, ita non posset facere ipsum non esse futurum. Quartò, quia duratio Angeli à parte post erit infinita; ergo si sit tota simul, erit actu infinita. Quintò Deus potest annihilare Angelum, & non in illo instanti, in quo Angelus est, quia tunc simul esset, & non esset; ergò in alio instanti; ergò est ibi successio duorum Instantium Æuui. Ultimò tandem Angelus potest deficere ab esse per diuinam potentiam; ergò non habet totum esse, quod habere potuit, & per consequens ejus esse non erit totum simul unitiuè. Patet hæc consequentia; quia potuit plus esse, quàm fuit.

Respondeo ad singula, & ad primum dico falsum supponi. Si enim crearet Deus Angelum, & ipsum annihilaret, profectò crearet Deus Angelum annihilandum; sed Angelus annihilandus, non est æviternus, quia de facto æviternum non anni-

annihilatur; sed ideò mensuraretur, ac consequenter in eo mensura esset, quia concluderetur à tempore, in quo licet Deus non subiiciatur tempori, tamen in tempore creater, & annihilaret.

Ad secundum verò duratio Angeli finita non est, & si probetur, quia à parte rei ante habuit initium; ergo finita, negamus quod à tali parte fieri possit additio. Ad illud verò, quod omni finito potest fieri additio, respondeo concedendo in finitis imperfectis, negando in perfectis. Æviternitas verò Angeli ponitur perfecta, quia sicuti Angeli perfectissimi sunt, ita ejus duratio erit perfecta. Prærerquamquod, si à parte ante fieri potest additio, hoc erit secundùm protensionem ad tempus, & secundùm imaginationem, non autem secundùm rem.

Ad tettium supponitur falsum, scilicet, quod in Ævvo sit, suisse, fore, & esse; hæ enim differentiæ temporis sunt, non autem Ævvi, quare ex supposito falso nihil sequitur, nisi falsum. Quod si concedantur hæc in Ævvo, concedantur secundùm comparationem, & protensionem ad tempus, quo fit, ut sint secundùm imaginationem, & intellectionem, non quod realiter sint in re ipsa.

Ad quartum gratis concedimus, sicuti concederemus, quod æternitas sit actu infinita infinito conveniens Deo, ita æviternitas actu infinita Angelo competens, cum hoc solùm discrimine, quod Deus ab utraque parte est infinitus duratione, Angelus autem ab una tantùm, scilicet à parte post. Infinitas Dei à nullo dependet, sicuti nec æternitas Dei, infinitas verò Angeli, & æternitas dependet ab infinitate, & æternitate Dei, & alia demum non est defectibilis ullo pacto, hæc verò suapte natura defectibilis est.

Ad quintum dico, quod si Deus creasset Angelum annihilandum, non creasset Angelum æviternum, & sic suppositio falsa esset, similiter cum ponit instans in ævvo, aut intendit per instans aliquod reale, aut quid immaginarium: si primum, cum instans dicatur initium temporis, erit etiam initium ævvi, & sic ab eodem principio erunt ævum, & tempus, quod stare non potest, & maximè quidem, quoniam instans continuat totum tempus; ergo continuaret totum ævum. Suppositio igitur ex hoc falsa est.

Ad ultimum verò neganda est consequentia, quia & si possit deficere, habet tamen totum esse, quod habere potuit, aut enim esse, quod non habet, est infinitum, aut finitum; si primum, dicimus, quod illud habere non potest, quia repugnat creaturæ habere esse infinitum, nisi in duratione ab una parte, ut dictum est, ergo est quid imperfectum, quod enim caret esse, quod habere potest, & non habet, deficit à perfectione sua.

## QUÆSTIO NONA.

*Per quid res formaliter duret.*

HÆc controversia, quam aggredior ditlmendam adeò ardua est, ut libenter ab ipsius discussione abstinerem, sed, cum necessaria penitus sit ejus decisio, in hac aliquantulum immorandum est, & ut cum ordine procedam, primò adverto formaliter idem esse rem durare, ac perseveranter existere, seu continuare in existentia, quapropter non immeritò Suarez docuit rem in primo instanti sui esse propriè non durare, quia per primum instans non importatur permanentia rei in esse, sed potius primum sui esse. Quærere ergo per quid formaliter res duret, idem est, ac quærere per quod formaliter perseveret in esse. Dixi formaliter, ut insinuem difficultatem non procedere de causa efficienti, vel finali, vel materiali, siquidem pro certo suppono efficientem conservationem in esse à Deo haberi.

Secundò præmitto, quod pluribus in locis affirmavimus, scilicet entia, alia esse permanentia, successiva alia. Primi generis sunt omnes Angeli, omnes formæ, omnia composita substantialia. Secundi verò generis, actiones omnes, & etiam secundùm Scotum ipsum ævum.

Tertiò advertendum est plures esse sententias circa hanc difficultatem. Quatuor enim recenset Mastrius Tres quidam junior Thomista. Duas referunt Complutenses, quarum prima negat omnem durationem superadditam. Huic adhæret Scotus *in 4. dist. 46 quæst. 2. § ad quæstionem*, ubi hæc habet: *non est necessarium ponere aliquid mensurans existentiam, vel durationem existentiæ Angeli realiter aliud ab ipsa existentia, quia illud aliud esset posterius ipsa actuali existentia Angeli, & per consequens posset esse ejus existentia absque contradictione sine illo*; unde jure merito ex Scotistis Mastrius *disp. 3. quæst 3. num. 5.* Pontius *lib. 4 disp. 17. concl 3. num* 10 Sebastianus Dupasquier *in Physica disp. 22. quæst 2. concl.* 1 Petrus à S. Catharina *lib. 4 Physic. disp. 1. quæst. 5.* adhærent. Hanc etiam amplexi sunt quamplures alii extra scholam Scoti. Ex Thomisticis quidem Joannes à S. Thoma *quæst. 13 art 1. in Physica*, Paulus Cavino *tract. 3. ad 3 4. lib Physic.* & alii Thomistæ Recentiores hoc existimantes colligere ex D. Thoma *in 1 dist. 19 quæst. 1. art. 1.* Ex societate Jesu Suarez *disp. 50. sect 5. num.* 29 Hurtado *in metaph. disp. 17 sect. 3. subsect* 4 Vasquez 1 *part. disp.* 33. *cap* 3. Molina 1 *part. quæst.* 3. Valentia *tom* 1. *disp.* 1. *quæst* 10 *part.* 3. Pereira *lib. 1. cap. 2. & 5.* Oviedo *cont. 16 punct. 2. §. 1. num* 5. cum tamen accidentali diversitate, quod Mastrius vult, quod duratio formaliter sit existentia rei durantis, prout tamen hæc importat respectum coexistentiæ, vel realem, vel rationis, vel aptitudinalem alicui durationi extrinsecæ saltem immaginariæ, quam sententiam existimat clarissimè in Scoti littera haberi. Suarez verò vult, quod duratio solùm connoter præexistentiam ejusdem existentiæ, quam connotationem non importat hujusmodi coexistentia. Joannes verò à S. Thoma sustinet, quod in rebus permanentibus duratio non addat supra existentiam aliquid intrinsecum, sed unicè sit idem cum existentia. & solùm addat extrinsecam connotationem, & dependentiam ab actione continuatè, & influente ipsum esse. In rebus verò successivis vult, quod duratio fiat per novarum partium effluxum, & consequenter per solam superadditionem existentiæ ad existentiam, qui dicendi modus est omninò idem cum illo Suarezii.

Secunda sententia propugnat hanc durationem superadditam, itaut duratio à re durante sit distincta. Sic ex Thomistis Soto hic *quæst.* 4 Complutenses *quæst. 3. §. 2. & 3.* Bannez *1. part. quæst 3. art 4.* ex societate verò Arriaga *disp. 15. Physicè subsect. 1.* Vasquezius *1. part. quæst. 3. art. 40. dub. 3.* aliique plures etiam ex domesticis.

CA-

## CAPUT PRIMUM.

*Secunda sententia defenditur.*

REm quamlibet creatam formaliter durare media superaddita duratione Henrici sententia est expressa *art.* 31. *quæst.* 2 unde non parum miror Richardum Lynceum hic pro contraria sententia Doctorem nostrum referre, & quidem ex *quodlib.* 3. *quæst.* 11. Attentè enim Doctorem hoc loco vidi, nihilque quod faveat Lynceo legere potui, sed solum ibi Doctor tempus esse aliquod extra animam firmat, atque diversimodè accipi posse insinuat. Sed, quidquid sit de hoc, ego de more præcipuas affero rationes assertum positum suadentes, quidem brevi calamo, ut locus supersit audiendi adversæ partis argumenta.

Primò itaque suadetur conclusio: in Deo ejus duratio intrinseca (nempe æternitas) distinguitur ab essentia divina distinctione rationis; ergo à creatura ejusdem duratio distingui debet realiter. Antecedens certum est: in divinis enim absolutis nullam agnosco distinctionem, quæ sit plusquam rationis, uti in logica ostensum est. Probatur itaque consequentia. Quæ in Deo ratione distinguuntur; in creatura realiter sunt distincta; ergo si in Deo sola ratione, in creaturis ipsa duratio ab ipsa existentia creaturæ realiter distinguetur.

Dices potius ex hac ratione oppositum inferri, siquidem si Deus durat in qualibet differentia temporis absque ulla penitus duratione superaddita, cur non poterit, & creatura.

Sed hoc inferri non video, bene verò oppositum illatum inspicio superiori rationi inhærendo, nimirum, quod ea, quæ in Deo ratione distinguuntur, in creaturis realiter distingui debeant. Et sanè, si ex hoc, quod aliqua prædicata divina in Deo non distinguantur, licet inferre, quod hoc idem eveniat in creaturis, jam in his, nec subsistentiã, nec existentiã, nec intellectionẽ, nec sanctitatẽ, nec rationẽ habitus distinguere opus erit, cum in Deo hæc omnia non inveniantur realiter distincta. Præterquamquod obvia est disparitas, si hanc exigant adversarii in eo stantem, quod æternitas divina non est indifferens ad existendum determinatè temporis differentiæ, sed summè determinata, quinimò sententia est apud Thomistas plausibilis, rem quamlibet coexistere physicæ æternitati ab æterno, quamvis ab æterno physicè non sit, & hoc tamquam in mensura aliena, & superexcedente: at verò creatura existens non habet hanc necessitatem coexistendi tali determinatæ temporis differentiæ, cum possit intelligi existens, quin coexistens intelligatur tali differentiæ temporis:

Dices secundò. Estò creatura existens non sit determinata ad coexistendum in tali temporis differentia, est tamen determinata, si accipiatur complexivè complexione temporis, idest, ut existens in tali differentia temporis.

Sed contra est siquidem præterquamquod in hac solutione involvitur modus, ut consideranti parebit: quæro ly *complexivè complexione temporis*, vel addit aliquid supra simplicem existentiam temporis, & tel, vel non? si hoc secundum dicitur; ergo malè distinguunt adversarii differentiam temporis, & rei existentiam seorsim, & complexivè; si verò addit aliquid. Pero, an hoc aliquid sit aliquid absolutum, vel modale. Si primum erit etiam de ipso eadem difficultas, quia eadem indifferentia. Si secundum erit ipsa duratio in eodem sensu, quo ego ipsam firmare intendo in præsenti.

Probatur secundò ratione illa, qua deduximus existentiam aliorum modorum, & qua unionem ipsam hypostaticam, tamquam entitatem superadditam firmabimus inter verbum, & humanitatem cum omnibus Scotistis, & nonnullis Thomistis. Quæ sunt separabilia inter se, distinguuntur realiter absolutè si separabilitas sit mutua, realiter modaliter, si non mutua. Propositio hæc est certissima; nihil enim separari potest à se ipso, sicuti nihil distingui potest à se ipso, vel referri ad se ipsum; sed potest esse existens, potest esse determinata differentia temporis, quin res duret, vel coexistat tali differentiæ temporis; ergo duratio est quid distinctum à re existente, & tali temporis differentia.

Dices cum Suarezio rem durare nihil aliud esse quam existere, excludendo carentiam sui, Quoties enim præcisè res ita existit, ut excludat sui carentiam, habemus ipsam rem durare, ut consideranti patebit; sed

Contra est. Optimè enim hic urget quidam Auctor societatis ostendens redire argumentum eum suo robore, siquidem est possibilis rei existentia, quin hæc excludat sui carentiam; ergo hoc, quod est excludere, nunc, vel postea, sui carentiam est aliquod distinctum ab ipsa. Dixi nunc, vel postea, quia hoc, quod est excludere simpliciter carentiam, do libenter esse indistinctum ab ipsa existentia, cum quælibet forma per se ipsam sit exclusio sui non esse.

Dices secundò indifferentiam hanc relucentem in qualibet re creata ad coexistendum cuilibet determinatæ temporis differentiæ tolli per decretum Dei, quo decernit rem existere potius in hac, vel in illa temporis differentia; sed

Contra est. Decretum enim hoc est quid extrinsecum; indifferentia verò est intrinseca; ergò auferri nequit per decretum. Secundò, quia quoties ponitur decretum, ponitur ipsa duratio, quæ intenditur. Patet hoc, quia quoties ponitur decretum, ponitur etiam terminus decreti, terminus autem decreti est ipsa duratio, sicuti terminus decreti, quo vult rem esse futuram est ipsa futuritio formalis, & quo vult Petrum cognoscere est ipsa cognitio in Petro. Addo, quod si argumentum aliquid evinceret, probaret quoque materiam actuari posse, ejusque indifferentiam tolli absque ulla forma recurrendo ad decretum aliquod in divina voluntate existens. Quod si dicas hoc non sequi, quia decretum esset de actuatione media forma; hoc idem dicam ego, loquendo de coexistentia rei in tali temporis differentia, nimirum tale decretum esse de coexistentia media duratione.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

ARguit primò Mastrius contra statutum assertum. Si duratio esset aliquid distinctum ab ipsa existentia rei, vel distingueretur, ut res à re, vel ut modus ab ipsa re modificata; neutrum affirmari potest; ergo. Probatur minor, & primò quoad primam sui partem. Si distingueretur, ut res à re posset existentia rei conservari sine ejus duratione; sed falsum est, quod existentia conservari possit absque ejus duratione; ergo. Sequela probatur. Quæ

Quæ distinguuntur realiter strictè per modum prioris, & posterioris, taliter se habere debent, ut quod prius est, possit esse, & conservari sine posteriori, ut patet in ipsa materia, & forma physica; sed existentia prior est ipsa duratione, hæc verò posterior; ergò. Et ratio totius est, quia hoc ipso, quod existentia est prior duratione, est independens ab ipsa; ex alia parte ab ipsa distinguitur realiter; ergò existentia sicuti potest esse sine duratione superaddita, ita & conseruari sine ipsa. Minor itaque quoad primum certa est. Quoad secundum autem patet, & hoc, quia adhuc infallibiliter sequeretur existentiam perseuerare posse in esse absque modo superaddito; Siquidem quamuis modus nequeat existere absque re modificata, res tamen, quæ modificatur, potest existere sine modo; ergo quamuis duratio nequeat separari ab existentia, hæc tamen separari potest ab ipsa duratione.

Respondeo concessa majori, negando minorem, ad cujus secundæ partis probationem (de prima enim nihil curamus, cum contra nos non faciat) distinguo antecedens, quamuis modus nequeat existere sine re modificata, res tamen modificata potest existere sine modo, prout modificata, nego antecedens, aliter, concedo antecedens, & distinguo consequens, poterit res, ut existens, separari à duratione, res inquam, ut perseveranter existens, nego consequentiam, non ut perseveranter existens, concedo consequentiam. Dupliciter accipi potest rei existentia; primò prout importat solam actualitatem metaphysicam, præscindendo à toto illo tempore, quo ipsam dicit. Secundò verò prout importat rei conseruationem, & perseuerantiam sub tali actualitate. Primò modo existentia utique separari potest ab ipsa duratione, secus vero secundò, siquidem repugnat omninò rem perseuerantem existere, & non durare.

Arguit secundò idem Auctor. Si res quælibet existens duraret per durationem superadditam, etiam ipsa duratio superaddita duratione distincta durare deberet; sed hoc falsum est, aliàs admitteretur processus in infinitum in ipsis durationibus; ergò. Probatur major, quælibet res existens propriam habet durationem; sed ipsa duratio superaddita esset res propriam habens existentiam; esset enim forma physica, de cujus ratione est importare propriam existentiam, ergò ipsa duratio deberet existere alia duratione.

Confirmatur. Ideo Petrus durat hodie per durationem superadditam, quia potest dari hodie, quin detur Petrus, sed etiam potest dari hodie, quin detur modus durationis, potest enim à Deo non produci modus; ergò.

Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem distinguo maiorem. Quælibet res existens perseuerantér debet habere propriam durationem, si existat per modum formæ, qua res formaliter durant, nego majorem, secus, concedo majorem & distinguo minorem, duratio est res existens modalis, seu per modum formæ, qua cætera formaliter durant concedo minorem, aliter, nego minorem, & consequentiam. Formæ enim modales non solùm sunt rationes alterius determinatiuæ, sed etiam sui ipsius, ut patet in ipsa intrinseca ubicatione, quæ non solùm est ratio essendi alicujus rei in loco, sed etiam essendi sui ipsius in tali loco, cum autem ipsæ durationes, estò juxta rei veritatem sint res gaudentes propria existentia, tamen sint formæ modales, hinc est, quod, ut ipse durent, alias durationes addere non est necesse.

Ad Confirmationem dico quod estò dari possit hodie, quin detur Petri duratio, nequit tamen dari talis duratio, quin detur hodie.

Arguunt tertiò alii. Esse est terminus creationis & perseverantiæ in esse conseruationis, sed actio creatiua, & conseruatiua sunt una, & eadem actio ergò etiam existentia, & duratio erunt unum, & idem realiter. Probatur consequentia, quia non videtur major ratio, cur eadem actio realiter communicans existentiam sit etiam sufficiens ad ipsam existentiam continuandam, & quod eadem existentia formaliter tribuens existere, non possit tribuere existere cum perseuerantia, si non interrumpatur.

Hoc argumentum si urget, urget etiam suos auctores, cum enim isti doceant, & maximè Mastrius, durationem supra rei existentiam importare nouum respectum coexistentiæ alicui durationi extrinsecæ saltem imaginariæ, jam & ipse non videtur saluare identitatem termini actionis creatiuæ, & conseruatiuæ, cum actionis creatiuæ sit ipsius rei existentia, seu res ipsa, ut existens, conseruatiuæ verò sit res ipsa, sed cum addito illius respectus ad durationem imaginariam. Sicuti, ergò stat optimè eandem esse actionem creatiuam, & conseruatiuam, quamuis conseruatiua ulterius terminetur ad illum respectum, ita in casu nostro stabit identitas utriusque actionis (si verùm est, quod detur hæc identitas) quamuis conseruatiua terminetur ad rei perseuerantiam, seu durationem in esse, & ratio totius est, quia conservatio terminatur ad eandem rem conseruandam, ad quam terminabatur sub ratione productionis ipsa creatio. Dixi, si verum est, quod detur hæc identitas, quia sunt, qui existimant actionem productiuam, & conseruatiuam duas esse actiones reales separabiles, cum res produci possit, quin conseruetur; alii verò volunt duas esse actiones ratione nostra distinctas, quatenus productiua facit, ut res absolutè existat, conseruatiua verò, ut continuet in esse.

Arguunt quartò alii, & præcipuè. Durare nihil aliud est, quàm perseveranter existere, ut docet Diuus Thomas *in primum dist. 19. quæst 1.* sed existere perseveranter habetur precisè per ipsam existentiam non interruptam; ergò & durare; sed in hoc conceptu nulla venit forma modalis superaddita nomine durationis nuncupata; siquidem ex eo precisè, quod intelligatur existentia Angeli v. g. non destrui à Deo per unicam horam, verè intelligimus ipsam durare per talem horam; ergò.

Confirmatur primò per puram, & solam coexistentiam duarum albedinum intelligitur nedum fundamentalis, verum etiam formalis relatio prædicamentalis similitudinis; ergò à pari per puram, & solam præsentiam existentiæ rei nō interruptam, sed continuatam, nedum fundamentaliter, sed etiam formaliter erit res durans, seù perseverans. De antecedenti nulli dubium in Henrici Schola. Consequentia autem probatur, siquidem ideo primum, quia esse formaliter simile est formalissimè duorum unicam esse qualitatem; sed etiam durare formalissimè est existere existentia non interrupta ergo.

Confirmatur secundò. Ideo Theologi communiter cum Thomistis volunt superfluum esse omnem modum superadditum ad valoranda infinitè merita Christi, quia per hoc præcise, quod operationes procedant à divina Persona sunt valoris infiniti. Ideo vero in Henrici schola superflua communiter censetur causalitas scientiæ visionis ad causanda futura, quia futura adæquatè intelliguntur

causata per scientiam simplicis intelligentiæ accedente decreto. Et tandem ideo superfluæ sunt plures uniones in composito in plausibili sententia extra scholam Scoti, quia vi unius unionis extrema sunt perfectè unita; ergo etiam, quia per hoc præcisè, quod intelligatur existentia rei non interrupta (so quo conceptu certè non venit modus superadditus, sed solum existentia ipsa cum negatione prioris corruptionis) intelligimus rem durare, res non erit durans per modum superadditum. Quod si dixetis per existentiam connotantem negationem prioris corruptionis rem intelligi solum fundamentaliter durantem, memineris quod pertinaciter hoc idem pro libito dici posset, loquendo de relatione prædicamentali videlicet, per præcisam coexistentiam duplicis albedinis haberi respectum fundamentalem, non verò formalem. Præterquamquod quid plus conferret duratio superaddita ad constituendam rem formaliter durantem, quàm ipsam constituere existentem existentia non interrupta.

Confirmat tertiò argumentum Spinula. Duret Petrus per horam 17., & dum transit ultimum instans horæ decimæ septimæ, destruat Deus omnem modum durationis in Petro inexistentem, & solum conseruet substantiam Petri. Fluat deinde hora decima octaua, inquiro, an Petrus coexistens sine ullo modo superaddito horæ decimæ octavæ diceretur durare per ipsam horam 18. an non, si primum habemus intentum; si secundum, contra est, quia verè remanet in esse per totam horam decimam octauam; ergo durat.

Confirmatur quartò. Carentia existentiæ in Antichristo durat; sed nequit durare per durationes distinctas; ergo, & res positiva per durationes superadditas positiuas non durabit. Maior certa est. Consequentia liquet, siquidem quemadmodum res existens indifferens est, ut existat in hoc vel in illo instanti, ita carentia rei possibilis. Minor quoque probatur; primò quia videtur irrationabile, quod nihil, cuiusmodi est carentia, duratione positiua duret. Secundò, quia alias sequeretur existentia entis successivi ab eterno à parte ante, cum enim in tota æternitate à parte ante fuerit semper Carentia Antichristi, & hæc duret per durationes successiuas, iam istæ fuissent ab æterno. Præcipuo argumento satisfacere solent Complutenses, asserendo per perseverantiam rei in esse, vel sub existentia intelligi rem solùm fundamentaliter durantem, non verò formaliter, quemadmodum per duas albedines secundum se præcisè inspectas intelligitur relatio similitudinis tantùm fundamentaliter non verò formaliter, & hoc, quia ad formalem similitudinem ulterius exigitur quædam minima realitas, quæ est forma modalis; sed huic solutioni non aquiesco, quatenus in ipsa supponitur relationem prædicamentalem formaliter consistere in modo superaddito. Ab hoc itaque præscindendo, dico verum esse quod durare formaliter est perseveranter existere, sumpto tamen ly *existere* prout consignificat tempus, & quidem præsens, non verò prout præcisè importat ipsam rationem physicam essendi; prout autem consignificat tempus, & quidem præsens, præsefert ipsam durationem superadditam.

Primæ, & secundæ confirmationis solutio, quæ valida sit, difficilis est, ut speculanti patebit, nihilominus affirmare possumus, quod in existentia non interrupta includatur necessariò ipsa duratio superaddita. Rei enim existentiam non esse interruptam, est rem ipsam continuare in duratione.

Ad tertiam Confirmationem dico hypothesim factam in ipsa esse simpliciter, & absolutè impossibilem, cum supponatur rem durare in esse absque duratione, quod impossibile est, sicuti impossibile est rem supponere in suo loco absque ubicatione, & sicuti ubicatione dempta, res demitur ab esse in loco, & hoc, quia ubicatio est forma essendi in loco; ita pariter ipsa duratione dempta, demitur ipsa formalis rei perseverantia.

Ad quartam confirmationem disparitas, est, quia utpotè purum nihil, incapax est existendi duratione superaddita. Esse enim in tempore, & loco, ut optimè advertit quidam Auctor, sunt proprietates rei positivæ; res autem positivæ talium denominationum non sunt incapaces. sed

Instabis ex Mastrio. Etiam res positiva optimè intelligi potest formalissimè durare seclusa qualibet duratione realiter modaliter distincta; ergo ut res quælibet duret, non est necessaria duratio superaddita. Probatur antecedens, per hoc præcisè, quod intelligam rem existere, & simul dicere relationem coexistentiæ alicui durationi imaginariæ, itaut existentia importetur formaliter, & relatio per modum connotati, res formaliter intelligitur existere; ergo res potest optimè intelligi formalissimè durare etiam seclusa qualibet duratione realiter modaliter distincta.

Respondeo tam impossibile esse absque duratione realiter distincta superaddita intelligi posse rem formaliter durare duratione intrinseca, quam impossibile sit rem in loco intelligere absque ubicatione distincta, & quemadmodum in loco intrinseco res nō constituitur per determinatam distantiam à punctis imaginariè fixis; sed per formam realem modalem, quæ ubicatio dicitur, sic non habebit formaliter durare per relationem coexistentiæ per durationem imaginariam; sed per formam realem modalem. Ulterius addo me non negare rem durantem dicere relationem coexistentiæ pluribus durationibus imaginariis, sed solùm nego, quod per hanc relationem constituatur. Res enim quælibet in primo instanti temporis hanc relationem coexistentiæ importat, & tamen in primo instanti durare propriè non dicitur, ut optimè advertit Suarez, notat Mastrius *disp. 12. quæst. 1. num. 8. de rerum duratione*, ubi docet, quod si duratio, secundùm vim vocabuli attendatur, res in primo, & unico instanti durare non dicitur.

Arguunt alii tandem promiscuè, & primò. Res supponitur durans in priori ad ipsam durationem. Patet hoc, forma enim, quæ educitur ex re permanenti, supponitur permanenter existere; sed duratio hæc distincta educeretur ex re permanenti; ergo res esset in priori permanenter existens. Secundò, quia admisso hoc ente successivo superaddito minueretur potentia Dei. Patet hoc, quia nunc non posset producere omne ens reale; non posset enim, nec durationem hesternam, nec crastinam: nec obstat, quod dicas hoc non esse absurdum, quia tales durationes hodie implicant, siquidem hæc est implicantia, quod implicet contradictionem ens aliàs reale. Tertiò, quia hæc duratio, non esset quid relativum, quia omnis respectus realis debet habere terminum realem; potest autem res durare absque eo, quod sit aliquid reale aliud, ad quod diceret respectum, ut sic Deus solùm unum Angelum produceret; nec esse potest quid absolutum, quia omne absolutum prius altero produci potest absque posteriori, maximè, quando non est assignabilis necessaria connexio inter prius, & posterius, ut eveniret in casu; ergo tandem

tandem existentia est inseparabilis à parte rei à duratione, & vice versa duratio est inseparabilis ab existentia; ergo à parte rei non distinguuntur. Consequentia est certa. Antecedens probatur, quia impossibile est rem durare, nisi dum existit, & vice versa, quod res permanenter existat, quin duret.

Respondeo ad singula, & primum, quod affert Oviedo, solvitur, si advertamus totam æquivocationem latere in hac propositione. *Duratio educitur ex re permanenti*. Sensus enim ejus multiplex esse potest. Præcipuus tamen duplex est, quorum primus est, quod duratio educatur ex re perseverante, seu permanenter existente; secundus verò, quod oriatur ex re, quæ & in priori supponatur existens in aliquo instanti temporis. Si in primo sensu propositio intelligatur, falsa est, cum implicet, quod supponatur res perseverans in esse in priori ad formam, per quam constituitur; si verò in secundo sensu intelligatur, propositio vera est; sed ejus veritas ad rem non facit.

Ad secundum, quod affert de Quiros, censeo omnes durationes non esse ens reale in ordine ad physicé coexistendum in hoc instanti; sed ens rationis; unde impotentia Dei ad producendum nunc omnes durationes, non est impotentia ad producendum omne ens reale; sed impotentia ad producendum ens rationis.

Ad tertium dico durationem hanc respectum dicere ad extremum, cujus est modus.

Ultimum tandem, quod affert Suarez parvi roboris est, primò, quia hæc inseparabilitas existentiæ à duratione, & viceversa inhærendo principiis hujus Auctoris, non datur; in primo enim instanti, juxtà ejusdem Suarez Doctrinam, res existit, cum tamen non duret. Secundò, quia nescio, quo jure inferat identitatem inter duo ex inseparabilitate, quando hæc inveniri potest etiam inter distincta ob simplicem connexionem.



LIBER

# LIBER TERTIUS
## DE COELO, ET MUNDO


Revi Calamo de Cœlo, & Mundo materia discutienda est; res enim majoris momentis nos expectant, quæ prolixius exigunt examen. Nihilominus nonnulla dicam, quæ veritati magis accedere judico. Sit itaque.

# DISPUTATIO
## UNICA.

*De Cœlo.*

COEli nomen multipliciter summi potest. Secundùm enim Damascenum *lib. 2. cap. 6. est continentia visibilium, & invisibilium Creaturarum*: ex Augustino verò mysticè *est ipsa natura Angelica*: ex Sacris litteris tamen est *locus beatorum, ubi Deus gloriam suam Sanctis suis manifestat & ea bona illis communicat, quæ diligentibus se præparavit*, de quo Deus: *Cœlum mihi sedes est, Terra scabellum pedum meorum*, & nos quotidie oramus *Pater, qui es in Cœlis*. Secundùm has acceptiones nobis hîc non est sermo; sed solùm prout est *pars mundi superior, & rarior substantia, quæ stellas continet, de quo* Ouidius *lib. primo Metamorph.*

*Est via sublimis cœlo manifesta sereno*
*Lactea nomen habet, candore notabilis ipso*
*Hàc iter est superis ad magni tecta Tonantis*
*Regalemque domum: dextra lævaque Deorum*
*Atria nobilium valuis celebrantur apertis*
*Hic locus est, quem si verbis audacia detur*
*Haud timeam magni dixisse palatia Cœli.*

Sit itaque.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An Cœlum sit Corpus simplex, vel Compositum.*

DIfficultas non est, utrum Cœlum compositum sit ex partibus metaphysicis, ex genere scilicèt, & differentia, vel ex partibus integralibus; certum est enim, Cœlum & suum habere genus, & suam differentiam, cum definiatur corpus corruptibile quintæ cujusdam essentiæ simplicis aptum moveri circulariter. Difficultas est ergò, utrum constet ex materia, & forma, quæ partes physicæ appellantur.

### CAPUT UNICUM.

*Defendimus hic sententiam Aristotelicam.*

DIcendum est, Cœlum esse Corpus compositum ex materia, & forma substantiali: Sic communiter tenent Phylosophi quamplures, quos inter Conimbricenses *lib 1. de Cœlo cap. 2 quæst. 4.* iterque Suarez, Senior quidem *disp. 13. Metaph sect. 10. num. 8.* Iunior verò *disp. 1. num. 1.* uterque Martinez: Thomista nimirum, & nouissimus Societatis in suis manuscriptis. Ruuius hic *quæst. 5.* Murcia *disp 2. quæst. 5* Oviedo *puncto 2. num. 8* Hurtado *disp. 1. sect. 1.* aliique.

Probatur autem primò ratione. Cœlum est substantia corporea, & completa: ergò non est simplex, sed compositum ex materia, & forma: consequentia liquet, quia si ex materia, & forma non constaret, esset quid incompletum, sicuti quid incompletum est materia, & forma. Antecedens autem probatur, & primò quidem, quod sit substantia corporea; nam substantia affecta accidentibus corporeis, videlicèt quantitate, siue sensibili, & motu locali, est substantia corporea, & non spiritualis; Sed Cœlum est substantia affecta similibus accidentibus; ergò est substantia corporea: quod verò sit substantia completa, patet, quia si esset substantia incompleta eo modo, quo est, vel materia, vel forma, ordinaretur ad componendum aliquod tertium; sed non est assignabile hoc aliquid, ad cujus compositionem ordinetur; ergò est substantia completa.

Probatur secundò: Si compositio ex materia, & forma corporibus cœlestibus nil detoget, & aliunde ad eam ponendam necessitas nos cogat, hæc non est deneganda, atqui res ità se habet; ergò &c. Mi. ostenditur quoad utramque partem, & primò si talis compositio derogaret in aliquo, maximè incorruptibilitati Cœlorum; huic autem officere nequit: cum hæcà nobis corporibus cœlestibus denegetur: aliunde verò, est necessitas ponendi materiam in corporibus cœlestibus: cum enim prædita sint, ut superius dixi, extensione quo ad se, & figura, jam prædita quoque esse debent materia, quam extensionis, vel quantitatis subjectum esse censent omnes Peripatetici. Sed

Argues primò. Non repugnat corpus simplex, omni materia expers; ergò tale esse cœlum affirmandum est. Probatur antecedens multipliciter. Primò, quia materia non est necessaria ad rationem Corporis, ut à Spiritu distinguitur. 2. quia primus conceptus corporis est sensibilitas, & conceptus iste nihil habet connexionis cum compositione ex materia. Tertiò existentia corporum per se nota est: existentia autem materiæ primæ facile non probatur. Quartò quia reverà Phylo *lib. 1.* & *12.* Metaph. negat, Cœlum constare ex materia, & forma. Quintò, quia possibilis est substantia spiritualis, quæ constet materia, & forma; ergò etiam substantia corporea, quæ ipsis sit expers.

Hoc argumentum, quod unicè objectat Bernardus de Quiros, parum facit ad intentum ejusdem auctoris. Primò quidem, quia si antecedens omittatur, nulla adhuc est consequentia, & hoc quia non omne quod possibile est, de facto est. Secundò, quia antecedens

tecedens non validè probat hic auctor. Primum enim in oppoſitum nil urget, quia eſto materia non ſit neceſſaria, ad rem conſtituendam materialem, & corpoream, ut à ſpiritu contradiſtinctam, neceſſaria tamen eſt in eo, in quo accidentia ſenſibilia reperiuntur, ut in corporibus cœleſtibus adeſſe ſupra diximus. Secundum nil urget: ſenſibilitas enim connectitur illativè cum mareria: quod enim ſenſibile eſt, affectum eſt accidentibus: quod autem affectum eſt accidentibus materia conſtat, tanquam ipſorum ſubjecto. Tertium aliquantisper probat intentum, ſed non ſufficienter: ſiquidem ſic inſtari poſſet: exiſtentia rei quantæ eſt per ſe nota, ſed unicè via rationis; ergò res quanta non erit ab ipſa quantitate Ad quartum dico in hac materia Philoſophum nullam nobis facere auctoritarem: errauit enim hic multiplicirer, & maximè dum aſſeruit cœlos animatos anima rationali *lib. 2. Metaph. tex.* 35. quamuis Diuus Thomas de morè ipſum defendere conetur. Ad quintum nego antecedens, loquendo de materia, & forma phyſica.

Arguit ſecundò Comptonius. In Cœlo nullum eſt veſtigium materiæ, ergò eſto non implicet in eo mareria, non propterea aſſerendum eſt, de facto adeſſe. Probatur antecedens. Tota ratio, unde colligunt philoſophi eſſe in rebus ſublunaribus materiam, & ſubſtantias has conſtare ex materia, & forma eſt ob perpetuam viciſſitudinem tranſmutationum, ac generarionum ſubſtantialium, unde colligunt, debere eſſe aliquod commune ſubiectum ſubſtantiale, in quo fiat hæc tranſmutatio, ſed hæc argumentatio ceſſat in cœlo, ubi nulla cernitur hujuſmodi tranſmutatio ſubſtantialis, ergò

Hoc argumentum nullius roboris eſt, eiuſque imbecillitas, ſequenti difficultatis diſcuſſione apparebit.

Arguunt. Tertio alli. In ordine rerum ſpiritualium, præter animam rationalem, quæ per phyſicam compoſitionem facit unum cum corpore dantur etiam Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ completæ ſimplices; ergò etiam in ordine rerum ſenſibilium præter corpora compoſita debet dari etiam corpus ſimplex, quod etit cælum Probatur conſequentia, quia ex hac æquali utriuſque ordinis correſpondentia reſultat maior perfectio, & proportio univerſi; ergò.

Reſpondeo opus non eſſe, quod rerum univerſitas habeat omnem poſſibilem perfectionem, ideoque nec quod habeat omnimodam correſpodentiam ordini rerum materialium, cum ordine ſpirituali: at præſertim repugnat corpus ſenſibile ſimplex: ſiquidem, ſi eſt corpus ſenſibile; ergo eſt affectum accidentibus, quibus redditur ſenſibile; ſi autem tale eſt, iam conſtat ex materia; cum hæc ſit ſubiectum inhæſionis omnium omninò accidentium, hoc ipſo autem quod conſtat ex materia, habet etiam ſuam formam, alioquin eſſet quid incompletum: quod eſſe falſum ſupra demonſtraui.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An Cœli ſint corruptibiles, & generabiles.*

SEntentiam affirmatiuam ſecuti ſunt plures ex Sanctis Patribus: nimirum Baſilius, Ambroſius, & Griſoſtomus, aliique, quos videre poteſtis apud Cornelium à Lapide in commentariis ſupra Geneſim cap. 1. oppoſitum tamen tenent Diuus *Thomas*, referens *Dionyſium*, *Auguſtinum*, *Albertum Magnum*, alioſque. Antequam quid nobis ſentiendum ſit, aperiamus, adverto dubium non eſſe, utrū Cœli ſint ſimpliciter deſtruibiles, vel producibiles: Fuerunt enim in principio à Deo ſimpliciter producti, & creati, & annihilari poſſunt. Cōtroverſia ergò eſt, utrum pati poſſint naturaliter aliquam corruptionem, quam reſoluere placet affirmativè maculæ enim in Sole nouiter deprehenſæ Teleſcopii beneficio hoc ſuadent, uti aduertunt quamplures præſtantiſſimi Philoſophi, & nouiſſime *Ioannes Clericus in ſua Phyſica de univerſo in genere cap. 3.* Amſtelodami edita ex ſedula obſeruatione *Gallilei*, qui volumen inſcripſit in hac materia, cui titulus *demonſtratio macularum ſolarium* quinimmo etiam in Iovis planeta novas maculas adeſſe aduerterat quidam *magiſter Hoob* uti refert ſocietas Anglicana, qui duodecim pedum Teleſcopio obſeruavit 9. *Maii* 1664. ſub horam nonam noctis paruam maculam in maxime trium obſcurorum ſtriarum Iovis, eamque intra duarum horarum ſparium continua obſervatione comperiſſe motam ab oriente occidentem uerſus interuallo circiter dimidium diametrum Iovis longo, quas etiam in Marte, aliiſque planetis fuiſſe obſervatas ab Aſtronomis, refert idem *Ioannes Clericus*.

His adde novas ſyderum apparitiones inſpectas, atque mutationes, ut optime hic ſcribit relatus auctor, & cum ipſo *Ioannes Schuleri lib. 7 phyſicæ*, *Godartius*, aliique non nulli, & hic maxime ad rem facit obſeruatio quædam, quam *anno* 1670. Gedeani fecit Dominus *Ioannes Hevelius*: detexit enim hic nouam ſtellam in pectore Cygni, ut refert *Henricus Oldenburgius* in actis philoſophicis ſocietatis regiæ in *Anglia*, & obiter tangit idem Ioannes Schuleti; ſed quid plura. Celebris eſt apparitio novæ ſtellæ, & quidem maximæ facta *anno* 1572. in conſtellatione Caſſiopeæ.

Dices ortum hunc, vel occaſum, eſse ſolum aſtronomicum, conſiſtentē in ſyderum ſola aſcenſione, vel deſcenſione recta, vel obliqua, vel nouiter otiri ſydera, ortu tamen, vel copnico; nimirum, quando ſydus tempore matutino atollitur ſupra horizontem, & eodem tempore infra eundem deſcendit, vel oriri Chronicè, ideſt quando initio noctis aſcendit ſupra horizontem, vel infra ipſum eodem dilabitur tempore; vel tandem ortu heliaco, ut evenit quando ſydus ita ſe ſubducit à Sole, cui erat vicinius, ut iam incipiat videri, occidit verò heliacè cum radiis ſolis ità imergitur, ut ex oculis noſtris eripiatur. Sed

Contra ortus hic, & ocaſus ſtellarum recenſitus tantum eſſe nequit: ſiquidem ſtella, quæ apparuit in conſtellatione Cygni anno 1660. ſexaginta poſtea annis deſiit conſpici, deinde anno 1666. iterum videndam ſe præbuit eodem penitus in loco, & altera in conſtellatione Caſſiopeæ, quæ paulatim obſcurata, poſt biennium evanuit quis autem non videt ortum hunc, & occaſum, nullum ex relatis eſse poſse præterquamquod in occaſu Chronico, & copnico ſydus adhuc inſpicitur: ſydera autem, de quibus eſt ſermo, non amplius viſa ſunt. Sed

Dices Secundo. Maculas illas non in ſole adeſse, ſed unice vel in aere, vel ad Teleſcopii vitrum referendas eſse; Sed

Contra. Plures enim Aſtronomi, diverſis inſtrumentis utentes, diuerſisque in locis eaſdem maculas invenerunt, quamuis in diverſa magnitudine repertæ ſint pro diverſis temporibus, uti in Martis planeta. Referunt enim acta philoſophica societatis Anglicanæ per Teleſcopium Euſtachianum fuiſ-

se deprehensas paruas inter se, non parum dissitas à medio disci remotas, & orientalem maculam minorem occidentali; cum tamen eodem tempore Dominicus Cassinus, eadem die, & hora Bononiæ obseruaverit, maculas fuisse valde magnas, propinquas in disci medio, & orientalem maculam occidentali maiorem.

Dices tertiò sydus illud Cassiopeæ à Deo noviter fuisse productum, atque fuisse prodromum insignis illius cladis, qua *Sebastianus Lusitaniæ Rex* apud Africanos Mahumetanos sub id tempus cum suis fusus, atque interfectus est. Secundò sydus hoc, quod in constellatione Cassiopeæ apparuit, nil aliud fuisse, quam pars aliqua Cœli, ibi solitò plus condensata, & magis compacta, prout ad lucem eximiam reddendam oportet, condensatio autem partium incorruptibilitati Cœlorum non obstat.

Sed hæc euasio quoque nullius roboris est, quamvis ipsamque approbet hic Ricardus Lynceus: non enim constat, vel de hujus creatione, vel ipsam esse cœli partem magis condensatam, sed omnia sunt liberè excogitata, ad firmandam cœlorum incorruptibilitatem: Nihilominus consulo Lectorem, ut relatus auctor Societatis videatur *lib.* 9 *phy. tract.* 2. *cap.*6. plura enim habet circa hanc Stellam Cassiopeam.

Argues cum Peripateticis primò ex Sacris Litteris, habetur Cœlorum incorruptibilitas: Cœlum enim, Sol, Luna assumuntur in symbolum æterni regni Christi illis verbis: *Ponam Thronum meum, sicut dies Cæli*, & alibi. *Semen ejus in æternum manebit, & Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum*, sed ineptè Peripatetici ex scripturis sic arguunt. Primò quia ex eisdem etiam corruptibilitas desumitur. In Psalmo enim 102. *ipsi peribunt, tu autem permanes, & in Epistola* 2. Petri *cap.* 3. *Cœli magno impetu transient*. Pro omnibus ita que censeo dicendum esse, corpora cœlestia in symbolum assumi propter eorum longitudinē durationis suprà cæteras res creatas. Mos enim est, aliquā do æternum vocare, quod longiori duratione donatur: est enim hic loquendi modus in scriptura usitatissimus: Sic *Genesis* 12. *versu* 49. *Ioseph* congessisse dicitur commentum multum valde, instar arenæ Maris, & Judit 12. dicitur, quod multitudo Nudianitarum, & Amalecitarum tanta fuerit, ut eorum non fuerit numerus, quia erat sicuti arena, quæ est in littore Maris, præ multitudine. Sicuti ergò Scripturæ mos est insignem numerum instar arenæ maris explicare, ità æternitatem, & Dei Thronum rei longiori tempore duranti comparare.

Cur autem quandoque Sol, Solium, & Symbolum diuinitatis allegoricè dicatur, & præcipuè ab Augustino *in Psal.* 20. evenire referunt, Theophilus Rainaudus *Thom.* 1 *lib* 3. *sect.* 3. *cap* 7. ex Petro Damiano *Sermone de Epiphania*, & clarissimus *Godartius*, quia Sol lucis plenitudinem continet, splendorem omnibus conciliat, & ardorem, nullamque suarum diuitiarum jacturam patitur, sed omnibus Thesauros suos distribuit, atque diffundit. Hinc fortasse à Paganis *Iupiter* dictus est *Deispiter*, seu diei Pater, & Deispiter dictus est Iupiter, seu juuans Pater; unde à Scitis olim tanquam Deus colebatur, nisi tandem dicere velimus solem unigenitum diei aliquando vocari, quatenus cum sol non habeat lucem ab alio, sed à se, ita *Dei Filius* lucem à se habet, quemadmodum juxta *Augustini* explicationem Ecclesia comparatur Lunæ, non attenta hujus corruptibilitate, sed quatenus, quemadmodum hæc lucem suam non habet à se, sed à Sole, ita Ecclesia suum lumen non habet à se, sed ab unigenito Dei Filio.

Argues secundò: quod ex natura sua influit perpetuitatem, & conseruat inuariabilem ordinem uniuersi, nequit ex natura sua esse corruptibile; Sed corpora cœlestia per sui motum influunt perpetuitatem in hæc inferiora, ad perseuerandum saltem in sui specie: ergò sunt incorruptibilia.

Argumentum hoc aliud Aristotelicum puerile est; quis enim non videt, corpora cœlestia non influere perpetuitatem in sublunaribus per suos influxus: hic enim certè non est, nisi in individua: cum tamen hæc quotidiè corruptioni obnoxia sint, quin, immò Peripatetici vacui naturalem possibilitatem denegant, quia huius existentia semel posita v. gr. inter Cœlum, & Terram, non possent amplius cœlestes influxus propagari, ad novam rerum corruptionem, & generationem exigitos. Specierum autem incorruptibilitas, vel à corporibus cœlestibus non desumitur, sed unicè à Deo volente semper speciei perseverantiam, vel si desumitur tantùm, ex hoc infertur corpora cœlestia esse magis incorruptibilia quoad modum, idest difficilius corrumpi, ac dilabi, quàm hæc inferiora, uti respondet Lynceus.

Argues tertiò. Cœlum interstellare diaphanum est, & stellæ noctibus serenis eædem numero, & facie cernuntur; ergo signum est, corruptioni cœlestia corpora non esse obnoxia; sed.

Et hic arguendi modus parvi roboris est, ut *Baceo Verulamius* in descriptione sua *Globi intellectualis* advertit, simulque respondet his verbis: *neque ex eo quod Cœlum interstellare diaphanum fit, & stellæ noctibus serenis eædem numero, & facie cernuntur, quis facilè pronuntiet universum corpus ætheris limpidum, purum, & immutabile esse; nam & aer innumeras varietates suscipit æstus, frigoris, odorum, & omnigenæ misturæ cum vaporibus subtilioribus: neque propterea exuit diaphanum, similiter nec imagini, nec faciei illi Cœli creaendum est.*

Ultimum argumentum est: quidquid corrumpitur, vel corrumpitur à contrario, vel ex defectū causæ conservativæ; sed quamvis corpora cœlestia corrumpi possint, si Deus subtrahat suum concursum, tamen corrumpi nequeunt à contrario; cum non habeant contrarium, sicuti eorum motus naturalis non habet contrarium: est enim motus circularis, qui est ab eodem in idem, non à contrario in contrarium; ergo.

Respondeo, motus contrarius generationis, & corruptionis in cœlestibus corporibus perspectos fuisse, uti in Sole, Jove, Marte, aliisque Planetis superius advertimus. Quidam enim tubo optico Solem veluti quoddam ebullitionis motu agitatum conspexerunt, non aliter, quàm aurum in fornace liquefactum. Cui solutioni, addo improbabilem non esse Cartesii, aliorùmve sententiam, cœlorum motum non esse perfectè circularem.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An corpora cœlestia moveantur ab intrinseco.*

### CAPUT UNICUM.

*Ponitur sententia affirmativa.*

Duplex in hac re versatur sententia. Prima est peripatetica, quam olim sequebar, & docet corpora cœlestia moveri ab intelligentiis

gentiis. Hanc sequitur D Thomas, sequuntur communiter omnes Peripatetici. Secunda verior, sustinet moveri ab intrinseco; hanc hodie sequor, quam suadeo hac communi quidem, sed efficaci ratione. Deus dum cuncta sublunaria creavit, natutam mobilem ipsis contulit, uti gravibus ad motum deorsum, levibus sursum; ergo hoc idem affirmari poterit de corporibus cœlestibus.

Confirmatur ex eo, quod videmus aliqua agentia agere mediis qualitatibus emissis, ut Solem agere media sua lucis diffusione, arguunt Peripatetici omnia agentia sic agere: nimirum aliquod operando prius in medio; ergo ex eo quod videamus quamplura agentia naturalia ab intrinseco moveri existimandum est hoc in omnibus contingere.

Probatur secundò. Si non repugnat corpora cœlestia moveri ab intrinseco, & aliunde motus ipse cœlorum exigat esse ab intrinseco, jam affirmare debemus corpora cœlestia moveri ab intrinseco; atqui revera non repugnat moveri ab intrinseco motu circulari, & aliunde exigit esse ab intrinseco principio; cum motus circularis naturalis sit; ergo &c.

His addo dissidia, atque litigia quamplurima de cœlorum motu per intelligentias primam sententiam reddere improbabilem; dissident enim inter se in Peripato phylosophi, an nimirum Angeli moveant per solum intellectum, an per voluntatem, an per impulsum: quinimmo addo, quod ante me adverterat nobilis phylosophus Casimirus Tolosates Capucinus: nimirum incredibile esse Angelum beatum continuo affixum esse suo Cœlo, nec vel brevissimi temporis spatio posse, vel ascendere in Cœlum, vel ad terras descendere; proinde libertati Angelicæ derogare videtur sententia peripatetica.

Obiiciunt Peripatetici: ex sacris litteris, non semel habemus corpora cœlestia moveri ab intelligentiis. Job enim *cap.* 4. legimus: *Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub qua curvantur, qui portant orbem*, & Matth. 24.; *virtutes cœlorum contremiscent*: & ne nomine eorum, qui portant orbem, dicas intelligendos esse Principes, & Reges audire præstat Gregorium suprà priorem textum sic loquentem: *Intelligendi sunt autem cœlestes spiritus, quorum ministerio tota corporalis creatura divinitus procuratur*.

Respondeo ex sacris litteris, nec semel Peripateticam sententiam, colligi non quidem ex priori textu, quia si hic litteraliter intelligatur, ad rem non facit, & maximè si utamur explicatione, quam tradit D Gregorius 9. *moralium cap.* 13 intelligens homine eorum, qui portant orbem, Principes, & Reges sæculares, ut ex his, quæ loco allegato leguntur, manifestissimè colligitur: *ipsi orbem portant, qui curam præsentis sæculi tolerant. Tantorum quippè pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Quo enim subjectorum suorum onera tolleret, eo quasi superpositam columnam Basis portat*. Cui explicationi non obstant, quæ referuntur in argumento, cum ibi solùm moralis insinuet Angelos sanctos à Deo hominum custodiæ fuisse demandatos, quod etiam affirmant quamplures Patres, uti Grisostomus *tract.* 3 *de Ascensione Dominica* Dionysius *cap.* 9. *de cœlorum Hierarchia*, aliique Patres, uti refert Suarez *lib* 6. *de Angelis cap* 17. Verba autem Matthæi ad rem non faciunt, cum eorum sensus legitimus sit solùm Angelos etiam in Cœlis existentes ad præsentiam futuram Dei judicis timore concutiendos esse.

Arguunt secundò. Si moventur ab intrinseco, vel moventur à gravitate, vel à levitate, vel ab anima; atqui nullum ex his affirmari potest; non quidem ab anima moveri possunt, uti inferius dicam, nõ à prioribus qualitatibus, quia hæc per se inclinant.

Hoc argumentũ facilis est solutionis: omissa enim illa quam tradit Legrand *part.* 5. de mundo, & cœlo, affirmans cœlum inclinare ad motum rectum, censeo congruentius esse dicendum, moveri ab intrinseco, à principio contradistincto à relatis inclinante ad motum circularem per se: non enim quælibet motio ab intrinseco esse debet ex relatis, ut patet in projectis, quæ cum moventur, ab intrinseco impulsu moventur, & tamen certè non sursum, nec deorsum moventur, & corpora naturalia dum suas deperditas qualitates recuperant, ab intrinseco principio moventur, cum tamen à principiis relatis non moveantur.

# QUÆSTIO QUARTA.

*Quot sint Cœli.*

## CAPUT UNICUM.

*Aliorum referuntur opiniones.*

COElorum numerum suscipimus hic investigandum. In quorum numero assignando difficilium esse, certum omnibus est: volunt enim aliqui esse tres, quos Godartius, vult esse Empireum, Firmamentum, & Planeticum. Casimirus verò recenset, Empireum, Æthereum, & Aereum Numerum hunc amplectuntur Thyconici, Copernicani, Cartesiani, ut novissimè advertit Edmundus Purchotius *part.* 2. *physices sect.* 1. *cap* 4. affirmans cum Cartesio verticem nostrum esse primum cœlum, regionem stellarum fixarum secundum, tertium verò Empireum: Hunc autem cœlorum numerum se deducere exprèsse affirmant ipsi ex D. Paulo ad Corinth. scribente *in Epistola* 2. *cap.* 12. *vers.* 2. qui se raptum fuisse usque ad tertium cœ'um affirmat.

Alii verò duodecim esse volunt: hi sunt omnes defensores systematis Ptolemaici; vocanturque, Empireum, primum mobile, cristallinum, secundum, & primum Cœ'um stellarum, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Cut autem alii cœli supra cœ'um stellatum ponantur; cum octo solùm cœli videantur, referunt nonnulli provenire, quia visi sunt motus oppositi in firmamento præternaturales; unde necessarium esse judicant superiores cœlos admittere, à quibus motus illi imprimerentur.

Utramque sententiam ego sustineo, ut probabilem circa cœlorum numerum. Verior tamen mihi est secunda; cum quilibet Planeta suum cœlum diversum constituat, quemadmodum tempore diverso suam infumit circumvolutionem: nec obstat D. Pauli textus; siquidem etiam tres tantùm esse cœlos dicere possumus, dummodò primum cœlum statuatur totum spatium usque ad globum Lunæ. Secundum sint omnes sphæræ mobiles. Tertium verò Empireum. Secundum autem hanc cœlorum acceptionem salvatur veritas textus D. Pauli, simulque quod Ptolemaici sustinent, sed qui plura cupit circa hoc Conimbricenses adeat *lib.* 2. *de Cœlo quæst.* 1. *art.* 1. 2. 3. & 4.

QUÆST.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Quot sint Stellæ.*

NEgari nequit, veteres Astronomos numeraſſe Stellas mille, & viginti duas, quas in quadraginta octo conſtellationes, vel aſteriſmos diſtinxerunt. An hic certus ſit numerus, determinare non audeo; affirmatiuè enim reſpondent aliqui, negativè alii, & præcipuè idem *Ioannes Clericus*, referens vigeſies, plures Teloſcopii ope cerni, uti fatentur hic *Schuleri*, *Purchotius*, *Tycho*, *Brubeus*, Inueniens in Orizonte Danico nonnullas aliàs ſtellas in partæ Cœli vicina porto Auſtrino, & reverà aliæ fuerunt detectæ à *Friderico Houtmanno* in Inſula *Sumatra* degente his inſignitæ nominibus, *Phœnix*, *Columba*, *Muſca*, *Piſcis volans*, *Camaleon*, *Triangulum auſtrale*, *Apis indica*, *Pavo*, *Indii Grus*, *Joucan*, *ſeu Pica indica*, *Hydrus*, *Piſcis*: quinimmo à Pallieio in Gallaxia (ideſt congerie innumerabilium ſtellarum) quamplures aliæ ſtellæ obſeruatæ ſunt.

I. Urſa Minor, hæc habet tres Stellas, nautis notiſſimas, una in extremitate caudæ, polaris dicta, quia polo artico omnium proxima, duas in anterioti parte, quas Batavi nominaot de Wachtersin univerſum habet ſtellas ſeptem.

II. Urſa major, quæ habet ſeptem lucidas ſtellas Plauſtrum dictas, habet in uniuerſum ſtellas 27. & informes 8.

III. Draco continet ſtellas 31.

IV. Cæpheus ſine ſtellis notabilibus habet ſtellas 22 & informes 2.

V. Bootes Bubuleus, aut vociferator habet ſtellas 22 & informem 1. inter hujus crura conſiſtit ingens, & bene nota ſtella.

VI Corona Borealis lucidam habet ejuſdem nominis, in uniuerſum 8.

VII. Hercules cum nota ſtella in capite, habet ſtellas 28 & informem 1.

VIII. Lyra vultur eadens cognomen habet ſtellam magnæ lucis, & claritatis, habet ſtellas 10.

IX. Cygnus notabilem oſtendit in cauda, in universum habet ſtellas 17. & informes 2.

X. Caſſiopea quinque fulget pulchrè diſpoſitis ſtellis, habetque in uniuerſum 13.

XI. Perſeus cum lucida in latere dextro, & capite Meduſæ, habet ſtellas 26. & informes 3 quarum quæ in ſiniſtra manu ſunt Gorgonium, ſiue caut Gorgonis conſtituunt.

XII. Erichtonius, ſeu Auriga in ſiniſtro humero habet fulgentiſſimam ſtellam, quæ Hircus, aut Capella dicitur, in uniuerſum 14.

XIII Ophincus ſeu Scopentarius habet ſtellas 24.

XIV. Serpens Ophinchi habet ſtellas 18. & informes 5.

XV. Telum, ſeu ſagitta habet ſtellas 5.

XVI. Aquilà, vultus volans, claram habet in humero, in uniuerſum 9. & informes 6.

XVII. Delphinus forma Rhombi, habet ſtellas 10.

XVIII. Equiculus Sectio equi, habet ſtellas 4.

XIX. Pegaſus claras habet in alis, & pectore, in uniuerſum 20.

XX. Andromeda claram habet in capite, quæ cum tribus iſtis Pegaſi, ingens efformat quadrangulum, in uniuerſum habet ſtellas 23.

XXI. Triangulum habet ſtellas 4.

I. His accedunt duodecim ſigna, ſiue coſtellationes Zodiaci, & Aries claram habet notam in fronte, in uniuerſum 13. & informes 5.

II. Taurus habet Pleiades, & claram in oculo auſtrino, dictam Palilicium apud Romanos, apud Arabes Aldebaram, quæ & excellentiam, vocatur oculus tauri, habet in uniuerſum ſtellas 32. & informes 12.

III. Gemini duas claras oſtendunt io capitibus, habentque in uniuerſum 18. & informes 7.

IV. Cancer paruulis ſtellis conſtat, & in medio pectore nebuloſam perſæpe dictam, in uniuerſum 9. & informes 4

V. Leo variis, & fulgentibus in collo, & lumibus ornatur ſtellis, duæ inter reliquas eminent, una in pectore, quæ cor Leonis, Regulus, & Baſiliſcus appellatur, altera in cauda, quæ cauda Leonis, in uniuerſum habet ſtellas 27. & octo informes, inter quas Corna Berenices, inter Leonis, & Urſæ majoris extrema collocata.

VI. Virgo manu ſiniſtra habet fulgentem notiſſimam, quæ ſpica virginis dicitur, in uniuerſum 26. & informes 6

VII. Libra duabus conſtat claris præ cæteris, quæ larves appellantur, habetque in uniuerſum ſtellas 8. & informes 9.

VIII. Scorpius, In quo variæ ſunt, & fulgidæ ſtellæ, una eminet io medio, dicta cor Scorpis, haberque in uniuerſum ſtellas 21 & informes 3.

IX. Sagittarius, emioenies non habet, niſi forcè in arcu, & ſagitta in univerſum 31.

X. Capricornus, in cujus cauda duæ ſunt cæteris fulgidiores, habet in uniuerſum ſtellas 28.

XI. Aquarius in termino aquæ oſtendit claram, quæ fomahant dicitur, habetque in uniuerſum 24. & informes 3.

XII. Piſces conſtant multis paruis ſtellis, & lino eos connectente habent in uniuerſum 34.

I. Tandem ſigna quindecim Hemiſpherii auſtralis accedunt, ex quibus eſt Cetus, ſeu Balena mediocriter lucidam habet in cauda, & in vniverſum 22.

II. Orion ſydus multis præclaris Inſignitus ſtellis, præcipuæ earum ſunt duæ in humeris, tres in cingulo, quas vocant tres Reges, una in genu dextro, & clariſſima in pede ſiniſtro Rigel dicta in univerſum habet 38.

III. Eridamus Fluuius, alis nilus, in eius extremo eſt fulgida Arabibus Acarnar dicta, nobis inconſpicua, habetque in vniverſum 34.

IV. Lepus quatuor patuulas contioet in auribus, io univerſum 12.

V. Caris maior cum fulgentiſſima ſtella, quæ ſirius dicitur, eſtque omnium, quæ in Cœlo ſunt clariſſima, & maxima, in univerſum habet 18., & informes 2.

VI. Canicula Canis minor habet claram, quæ Prouyoo, ſive Antecanis dicitur, & in uniuerſum 2.

VII Argonavis, in cuius gubernaculo eſt fulgens Canopus dicta, habetque ſtellas 54.

VIII Hydra cum clara in pectore, quæ dicitur cor Hydræ, habetque in univerſum 25. & ioformes 2.

IX, Crater impoſitus Hydræ, habet ſtellas 7.

X. Coruus item Hydræ impoſitus, duas habet mediocriter claras in recta linea cum ſpica virginis, in univerſum 7.

XI. Centaurus inter varias pulcras quatuor habet ſtellas in poſterioribus pedibus crucem formantes, & in univerſum 37.

XII. Lupus, ſeù fera quam configit Centaurus habet 19.

XIII.

XIII Ara, ſeù Turibulum habet 7.
XIV Corona auſtralis, ſeu noticia habet 13.
XV Piſcis auſtrinus, ſeu notius, in cuius ore eſt Fomahant habet 12., & informes 6.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum aſtra Cœli influant in corpora ſublunaria.*

### CAPUT UNICUM.

*Ponitur ſententia affirmativa.*

PLura ſub hac difficultate propoſita nos quærimus. Primum eſt, an Cœli influant in ſublunaria. Secundo per quam virtutem influant. Tertiò, utrum influant in animam hominis. Circa primum communiſſima eſt ſententia, vere aſtra influere in corpora ſublunaria. Auctores pro hac ſententia ſtantes non vacat referre: experientia enim conſtat, per maiorem ſolis acceſſum ſublunaria hæc magis calefieri, nonnulla exſiccari, alia liquefcere. Ad Lunæ augumentum, & decrementum diverſos effectus conſpici, ut per tranſcenam optime aduertit Ioannes Schuleri in ſua philoſophia: an autem hoc ſtellis conueniat diſſidium eſt inter Philoſophos *Pecuerus lib. de Aſtrologia. Spanhemius* affirmatiuam proponunt, & ſequuntur ſententiam: negat tamen idem *Schuleri*, negat *Legrand* negant *Conimbricenſes*, aliique nonnulli, quibus cum ego diſſentiam, referre hic libet, quæ in oppoſitum hic oblectant.

Dicunt itaque primò fixarum diſtantiam à terra eſſe remotiſſimam: ſiquidem iuxta Arabum opinionem ex principiis *Ptolomei* diſtantia mediocris qua terra à fixis abeſt, eſt terrenarum ſemidiametrorum 19000., & iuxta Copernici hypotheſim ac definitionem Lansbergii ſemidiametrorum magni orbis ut uocat 28000. ſeu ſemidiametrorum 42000000.

Secundò, quia fixarum motus, ſitus, & aſpectus ſtabiles ſunt, & conſtantiſſimi, itaut diverſitas vix ſenſibilis in his obſervari queat non eſt autem probabile, tam diverſos effectus, torque mutationes ab iiſdem cauſis eodem modo ſe habentibus naturaliter produci poſſe.

Tertiò quia nullam in ipſis aliam agnoſcimus uirtutem, qua in hæc inferiora agant, præter earum lucem, quam ad nos tranſmittunt: unde nulli ipſis imputandi ſunt effectus.

Sed hæ rationes ſolidæ mihi non ſunt. Prima quidem, quia per ipſam probatur unice localis diſtantia ſenſibilis, non verò diſtantia virtutis, quæ ſolam impedit cauſam in ordine ad agendum: non eſt autem notum in philoſophia cum priori diſtantia adeſſe catentiam ſecundæ. Non ſecunda: Deo enim nihil eſt imutabilius, & magis ſtabile, quinimmo ipſe ſui ſummam immutabilitatem expreſſit, dum *Exodi* 3. Moyſi dixit, *ego ſum qui ſum*, & tamen quot diverſos effectus cauſat: omnia enim in pondere, & menſura fecit.

Tertium verò cæteris minus urget: multæ enim ſunt influentiæ nobis occultæ, nec natura in omnibus nobis innoteſcit.

Circa Planetas omnes diſſidium pariter eſt: negat Carteſius, in ſublunaria agere, & ipſe *le Grand* in ſua inſtitutione philoſophiæ ſecundum principia *D. Renati Deſcartes par. 5 de Cœlo, & mundo*: affirmant tamen quamplures, inter quos clariſſimus *Adrianus Hecrebord* his ſecundis adhæremus, nec obſtat quod à Saturno frigus, vel calorem non ſentiamus, à Marte calorem, nec alias qualirates à cæteris planetis: ſiquidem hoc oritur, quia ſolis calor, non parum excellit *Martis, Iovis, Veneris, Saturni* calorem. Refert enim *Ioannes Clericus* ex Huygenianis obſeruationibus Saturni calorem octuplo minorem eſſe noſtro; unde oritur ipſorum planetarum effectus nos non experiri: quemadmodum lux ſolis, impedit nos deprehendere illuminationem, quam lucerna, etiam meridiano tempore præbet, ſi in aliqua aula conſtituatur.

Secundum verò, quod hic inquirere ſtatuimus maiorem paritur difficultatem: Vult clariſſimus *Hecrebord*, corpora cæleſtia agere media luce, volunt alii, agendi virtutem eſſe ipſumet corporum cæleſtium motum: nonnulli verò influentias cæleſtes eſſe effluvia ſpirituum cuiuslibet aſtri, emiſſa à corporibus cæleſtibus per motum. *Peripatetici* verò exiſtimant, agere per qualitates nobis occultas. His ſubſcribo.

Primus enim dicendi modus à vero recedit, variiſque impugnatur rationibus à Sculerio, Caſimiro, Complutenſibus, aliiſque phyloſophis: plura enim abſque lumine generari innoteſcit, uti in iis, quæ in ſubterraneis natura emittit. Secundus verò à quamplurimis reprobatur, & curſim à Caſimiro, quem ſimul cum relatis Auctoribus videre poteſtis.

Agere tamen in viventia rationalia, vel clarius in animā rationalē hominis negandū eſt: ſi enim Deus quamvis noſtræ libertatis ſupremus ſit dominius, nos nihilominus liberè agere vult: quapropter, dum decrevit, ut Iſraelitæ ſe ſubderent Sauli, hoc non voluiſſe, niſi per ipſorum hominum voluntates, legimus in Auguſtino *lib. de correptione, & gratia cap.* 14. quantò magis cœleſtia corpora noſtrum liberum operandi modum relinquere dicendum erit, proinde Hieremias 10 nos hortatur, ut à ſignis cœli non metuamus: non tamen negandum eſt indirectè, vel mediatè influere, influendo nimirum in hominis corpus, atque noſtram phantaſiam, qua cum anima in ſtatu corporis dependeat in ſuo operandi modo, ut alibi ſæpe ſtatulmus, ſequitur indirectè, & ipſam pendere ab influentiis cœleſtibus.

Et hic dicenda nonnulla ſunt circa Aſtrologiam: nimirum artem illam, quæ ex variis diſpoſitionibus ſyderum futura contingentia deducit; ſed cum plura ſolidè dicant Petrus Gaſendus *ſect. 2. phyſicè lib.* 6. Schuleri, Purchotius, Herebord, Legrand, Caſimirus, Godartius, Savini, aliique videri ipſi poterunt, præcipuè tamen tres primò relati. Interim pro certo teneo, Aſtrologiam ſcientiam non eſſe, atque omnes induſtrias ex ea petitas, vel falſas, vel falsò proximas. Effectus enim prædici nequeunt prudenter, niſi omnibus cauſis proximis perſpectis, adeout ex pura cauſarum univerſalium notione, prudenter effectus futurus affirmari nequit, ut clàrè evenit in taxillorum jactu, quorum ut numerus futurus certò cuilibet innoteſceret, opus eſſet cauſas omnes immediaras, omneſque circumſtantias proximè dignoſcere, quæ cum ignorentur, ideò non niſi judicium incertum ferri poteſt. Cum autem Aſtrologi unicè innitantur cauſis univerſalibus, proximis ſublunaribus relictis, ſequitur ſolùm divinare poſſe more illius Arenienſis, qui interrogatus ab habente Paſſerem in manibus clauſis, utrum Paſſer viveret, nec ne, reſpondiſſe ſettur habenti pro libito interrogantis futuram fore.

Quæ res adeò mihi evidens eſt, ut etiam omiſſo

 cau-

causas ipsas universales inclinare rationales creaturas ad certas operationes sub quibusdam circumstantiis, adhuc divinatores hos ulterius interrogem, vel circumstantiæ illæ, atque operationes futuræ à libero arbitrio impediri possunt, stante illa propensione, vel non: si primum; ergo jam Astrologia fallibilis est: cum effectus sortiri non possit una, vel altera deficiente circumstantia. Si verò secundum dicant; ergo jam fatum adstruunt tam subtiliter, & acriter reprobatum à pluribus, & præcipuè ab Augustino, atque sic Stoicorum, & Priscillianistarum dementiam innovant.

Pro cujus doctrinæ soliditate, non parum juvat advertere, quod alii ante nos quamplurimi judicaverunt, videlicet quosdam eodem momento natos, ut de Esau, & Jacob refertur, & sub eodem climate tamen sortem disparem habuerunt, uti in Tebanis ipsis, & Atheniensibus res luce clarior est. Primi enim magna parte stupidi fuerunt; secundi verò ingenio prædicti, ut rerum ab ipsis gestarum narrat historia: quinimmò Cardanus, & Gauricus astrologiæ dediti, in diversa cæli positione duobus horoscopis eadem fata invenerunt; unde oll mirum, quod non semel, vel bis, sed multoties errasse deprehendimus, præcipuè dum Augusto Crasso, Pompeo, atque Constantino Irene filio victorias, obitumve in pacis sinu retulerunt: hæc enim neutiquam evenisse omnibus compertum est: Primus enim miserè obiit, Cassio, & Bruto turpiter agentibus, cæterique verò infelici janè exitu mortem oppetiere.

Figura postea cœlestis ortus uniuscujusque difficilis est in praxi, & veritati dissona conspicitur: difficilis inquam, cum ortus verum instans nonnisi difficulter haberi possit, quod tamen ab ipsis exigitur, ut astrologia veritatem eruat, quamuis revera, ut hic aduertit *Geminianus Montanari* Mutinensis in suo opere inscripto *l'Astrologia conuinta di falso* natiuitatis momentum non continuo exigatur: cum enim planeta quilibet de una in alteram pertransire nequeat domum, nisi saltem curriculo plurium horarum, consequens est, non esse admodum necessarium natiuitatis momentum, cum in unico instanti motus planetæ in plures domos cœlestes fieri nequeat: quod verum esse suadet plausibiliter idem auctor, & si planeta in natiuitate resideret supra domus extremi tatem: & tandem in praxi dissona est, quia experientia comprobatum est, quosdam evectas ad dignitatis fastigia, etiam dum planetæ in nulla residerent dignitate.

Nulla itaque sit fides Astrologiæ, & unicè irrideantur ipsius omnes diuinationes, vel ex litterarum ipsius nominis combinatione, vel per somnia, nisi diuinitus impressa, vel ex inspectione linearum in manu exaratarum, vel tandem per fortuitum linearum ductum, quæ sæpe sæpius fiunt ex pacto inito cum Demone, uti fuit judicata mors Cæsaris Augusti Spurinæ ope, & *Henrici quarti à Brossæo mathematico* una simul cum tempore, modo, & loco, quo scelus perpetrandum erat.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*De Planetarum numero, ipsorum magnitudine, distantia inter se, & à Terra.*

Plura quæruntur hic, ut vides, quæ distinctè dirimere placet à primò itaque incipiendo, Planetæ septem enumerantur: nimirum Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus, non omnes tamen Solem planetam constituunt, ut superius dixi, sed ejus loco tellurem adstruunt. Ex his planetæ benigni sunt *Iupiter*, & *Venus*, maligni vero *Saturnus*, & *Mars* indifferentes vero, *Sol*, *Luna*, *Mercurius*, quæ omnia his communiter exprimi solent versiculis.

*Jupiter atquè Venus benè sunt, sat Marsque maligni*
*Sol, & Mercurius cum Luna sunt mediocres.*

Stellæ autem in sex varias magnitudines diuidi solent, ut cursim tangit Ioannes Clericus, magis ex professo alii. Primus ordo magnitudinis amplectitur quindecim maximas, & splendore sensibili coruscantes. Quælibet ex his continet magnitudinem terræ 107. Secundus ordo continet minus lucidas 45. quas vocant secundæ magnitudinis, & istarum quælibet continet magnitudinem terræ 90. Tertius ordo magnitudinis continet Stellas 208. & quævis magnitudinem terræ continet 72. Quartus continet stellas 474. & quælibet istarum contiet magnitudinem terræ 54 Quintus continet stellas 217. & quævis istarum continet magnitudinem terræ 36. Sextus denique continet stellas 49. & quævis istarum continet magnitudinem terræ 18.

Planetæ autem, cum non servent eandem distantiam inter se (compertum enim est, so[illegible] aliquando Lunæ, aliquando cæteris astris vici[illegible]rem esse, modo remotiorem) consequens est inter ipsos distantiam determinatam assignari non posse.

Quod si de distantia singulorum Planetarum à terra sit sermo, usque adhuc, nec hæc certò est juventa, qua verè paralaxes Solis, & Lunæ non habentur: nihilominus non desunt plures philosophi, qui plura de his distantiis scripserunt ex observatione *Philippi Lansbergii*, inter quos clarissimi Viri *Joannes Clericus*, *Ioannes Schuleri*, *P. Godartius*, *Christianus Huygenius*, & nouissimè nonnulla tetigit *Edmundus Purchotius*, ex quibus aliqui ejusdem *Philippi Lansbergii* observationibus inhærentes, dant Saturno pro media à tellure distantia 14880. semidiametros terræ Iovi 8091. Marti 2275. Soli 1498. Veneri, & Mercurio totidem, ac Soli, & tandem Lunæ apogæ in nouiluniis, & pleniluniis 64.

Distantiam tamen Solis à terra assignatam, non omnes recipiunt, ut eruditè aduertit idem Clericus. Isaac enim Heuutonus Solem à terra distare 5000. terræ diametris edocet Dominicus Cassinus 10000. aut 12000. Clarissimus Huygenius 12000. sed quidquid de hoc sit, certum esset dimidium pariter esse de stellarum, fixarum à Sole distantia, quem idem Christianus Huygenius esse, ut 27684. refert computatione facta ex distantia telluris à sole, cui arrident quamplures philosophi.

## QUÆSTIO OCTAVA.

*De Eclypsi Lunæ, & Solis.*

Eclypsis nomine, nil aliud communiter intelligimus, quàm luminis defectum in sydere aliquo. Eclypsis autem Lunæ est privatio luminis Solis in Lunam propter terram intermediam: cum enim terra sit corpus opacum, nequit Luna habere ipsam sibi, & Soli diametraliter interiectam, quin careat lumine corporis solaris: Si autem quæratur quando contingat hæc interpositio, dico euenire circa plenilunium (non tamen in unoquoque plenilunio) nimirum, dum Luna occurrit in capite, vel cauda Draconis, tum enim *Conus umbræ* terræ lumen tegit; unde lumen à Sole habere nequit.

Eclipsis

Prima Figura pag. 327.






Figura terza pag. 327.



Seconda Figura pag. 327.




Figura quarta pag. 327.






Figura decima pag. 339.



*Foglio secondo.*

Eclypsis autem Lunæ, alia est totalis, estquæ dum Luna est directè in capite, vel cauda Draconis, quia tunc Luna patitur totalem lucis defectum, & alia est particularis, & est si fuerit prope caput, vel caudam Draconis, & intra metas eclypsi destinatas. *Eclypsis totalis* verò alia est centralis, & alia nō centralis, centralis est quando Luna est in ipso umbræ centro. Non centralis quando in ipso umbræ centro non adest. Cujuslibet Eclypsis figuram refert *Ioannes Schuleri*, quem in hujus materiæ descriptione post doctissimum *Gasendum*, nulli secundum censeo, ob maximam claritatem, qua nonnullas eclypsis species refert, distribuit, & explicat, ex quodo in primis eclypsis totalis, & centralis figuram; secundò totalis, sed non centralis, Tertiò partialis, Lectorem prius monendo in triplici figura, umbram majorem illam esse terræ, minorem verò corporis Lunæ *A, B*, in prima figura (*ut in fine*) signare lineam eclypticam *C, D*, O bitam Lunæ *E*, Lunam primum ingredientem in umbram terræ *F*, Lunam ultimò egredientem *G*, Lunam in ipso umbræ centro præseferre, adeoque centralem.

Secunda Eclypsis, quæ per secundam figuram (*ut in fine*) repræsentatur, centralis non est, quia revera Luna in ipso umbræ centro non transit.

Tertia verò in ultima figura (*ut in fine*) expressa est, quando pars tantùm Lunæ per umbram transcurrit, quod tunc contingit, ut dixi quando Luna est propè caput, vel *Caudam* Draconis.

Post lunæ eclypsim, solis altera explicanda est: hæc communiter esse censetur interpositionem lunæ inter terram, & solem & *Eclypsis solis* dicitur, nō quia sol sua luce privetur, sed solùm dum nos ipsa caremus. Deficit autem solis lux, nonnisi in noviluniis, seu cum luna ipsi est coniuncta, non tamen in omni novilunio, & hoc ob latitudinem terræ, ob quam luna, aut supra ad *Boream*, aut infra ad austrum præterit, neque directè inter nos, & ipsum solem transeat; Transit autem solùm, cum est in eodem signo, vel proximè in quo Sol, & sic eclypsis solis tunc solum contingit, cum ambo luminaria sunt simul, aut in capite, aut cauda Draconis, vel proximè.

Si autem quæras, quamobrem longè plures lunæ, quam solis eclypses appareant, respondeo cum eodem auctore causam esse, quia globus lunæ, quo nobis sol eripitur, est longè minor globo terræ, quo sol præripitur ipsi lunæ, ut proindè longè facilius luna incurrat in umbram terræ, quam vilus noller in umbram lunæ.

Id autem recipiendum esse rectè monet Gasendus de loco terræ determinato, ut hoc, in quo nos degimus; nam spectato alioquin toto terræ disco (dimidiove superficiei quasi plano habito), nihilo sunt solis eclypses, lunaribus infrequentiores: siquidem per senos, ut plurimùm menses aliquæ, aut hic, aut illic terrarum contingunt: cum enim luna longè minor sit, quam terra, non potest tori terræ disco ad solem converso eripere solem, sed umbram dumtaxat in aliquam illius partem transmittere, nunc quidem in hanc, nunc verò in illam; undè, & solet fieri, ut alicubi terrarum eclypsis totalis tunc sit, cum alibi partialis solùm, alibi verò nulla sit, quæ omnia ex vulgari præfato schemate facillimè percipiuntur.

In hoc autem *A.* Sol est *B.* Luna *C.* Terra, jam verò manifestum est, solem tamen eripi à luna interposita iis, qui habitant in puncto terræ *D.* Diametrum habitantibus in puncto *E* nihil denique habitantibus in puncto *F.* vel etiam plus, aut minus habitantibus in cæteris locis.

## QUÆSTIO NONA.

*In quo consistat lucis natura, physicè inspecta.*

Hic intellectus humani imbecillitas deprehenditur, ex eo quod dum studet difficiliora dignoscere, obvia intelligere non valet, quod verum esse nunc deprehendimus in ipsa solis luce, aliorumque corporum luciderum, quæ quamvis semper nobis prestò sit, ejus naturam hucusque assequi non est naturæ cultoribus concessum: aliqui itaque in effluvio continuo spirituum à corpore luminoso reponunt: hanc sustinent Athomistæ quamplures, quos inter Emanuel Maygnan, Casimirus, aliique, ut alibi diximus: alii verò sustinent motum esse, vel actionem, qua corpora luminosa materiam subtilem secundum lineas rectas à se propellunt: quod potissimum fieri edocet Legrand ex Cartesio cum materia primi elementi, quæ in solis, aut cuiusque alterius corporis lucidi centro continetur ab eo recedere conatur. Peripatetici verò qualitatem esse defendunt. Ex his tribus sententiis secunda in ordine pro viribus proscriptam vide in animastica pariter, ubi de luce. Prima solùm hic reicienda est; cum ibi tantùm descripta fuerit, & quidem ipsam proscribere non placet, vel ob corporis solaris imminutionem vitandam, vel ob lucis penetrationem fugiendam cum aere, vel ob tuendam illuminationem instantaneam: siquidem hæc nullatenus sequi existimo inhærendo primæ sententiæ: non primum, quia spirituum effluvia ad solem reverti per reflexionem variis modis affirmare possunt ipsius sententiæ defensores, sicut experientia de terræ vaporibus ad terram ipsam redeuntibus, non secundum, vel ob existentiam vacui disseminati, quod in physica posuimus, impedientis omnem corporum penetrationem, vel etiam quia, ut optimè advertit hic quidam celebris Philosophus atomista, aer cum sit maximè divisibilis absque ulla resistentia tantùm loci cedit, quantùm luci recipiendæ sit satis. Nec tertium tandem, quia revera lucis diffusio non est instantanea, quamvis ejus motus sit velocissimus omnium, quem in tota natura habemus, maximè in Cartesii, aliorumque sententia, volentium solis substantiam igneam, esse quietis, & morulæ impatientem. Ratio autem mihi evidens est, quia illa diffusio est motus localis: motus autem localis instantaneus non est possibilis, quia aliàs idem esset simul in termino *à quo*, *ad quem*, & in toto medio.

Dices. Si lumen propagaretur cum tempore, agnoscere deberet quis diversitatem velocitatis in lumine; cum luminosa sint inæqualis activitatis; sed hæc diversitas non conspicitur: lumen enim sive à sole, sive à lucerna absque successione temporis cognoscitur diffusum; ergo.

℞. negando sequelam: siquidem lumen flammæ, quamvis minus validum lumine solis, spargit tamen absque successione per determinatam partis extensionem; unde in propagatione nulla est diversitas: censeo itaque, lucem corpus simplex, vel atomum non esse, & hoc quia si corpus esset, vel opacum, vel diaphanum: non primum, quia corpora opaca sunt crassa, & tenebrosa, quæ lumine afficiuntur à corpore luminoso, adeoque ipsum lumen esse nequeunt. Non secundum, quia diaphanum dicitur corpus, non ipsa lux, sed id, per quod lumen transire creditur,

Ter.

Tertiam itaque sententiam recipio, & quamvis revera per ipsam parum datum sit lucis naturam assequi, quod diffiteri nequeo, attamen, quia adversus ipsam, quæ opponunt Cartesius, Gasendus, istorumve alumni omnes mediocris sunt roboris sinunt tertiam hanc in ordine sententiam defendere, quod ut melius fiat, præstat audire nonnulla præcipua adversæ partis argumenta.

Arguunt itaque, & primò. Data peripatetica sententia, lux esset substantia, & non esset, non esset ut supponitur, esset verò, quia propria esset donata existentia. Secundò cum lux sit qualitas non habens contrarium, oporteret aliam æqualis extensionis absque ulla suarum virium diminutione toties produci, quoties in subjectum ad id idoneum, quale est aer incideret. Tertio proprietates substantiæ corporeæ conveniunt luci; nam reflectitur, refrangitur, speculis colligitur, ac dissipatur quaquaversus ad moventis arbitrium. Quartò essentia hæc lucis, qua accidens est, est tantùm possibilitas inhærendi; ergo accidens semper erit in statu possibilitatis, & numquam actu inhærebit subjecto: si enim natura accidentis non esset actualis, sed aptitudinalis, possibili inhærentia sublata, & actuali posita, sequeretur illud accidens non amplius esse: siquidem naturam accidentis per actualem inhærentiam jam amisit. Quintò, quia lumen tantùm est in extrema corporis opaci superficie, adeoque tantum adhæret: accidentia autem inhærent corpori, omnesque illius partes penetrant; sed

Hæc argumenta parvi roboris sunt: Priora quidem Casimiri, aliorumve atomistarum, posteriora verò quorumdam Hollandiæ, & Galliæ philosophorum. Primum quidem ex ignorantia scholæ peripateticæ procedit: non enim omne, quod propriam habet existentiam per se existere habet; cum inexistere possit. Non secundum; distantia enim lucis à causa sua præcipua sufficiens est pro hujus diminutione. Non tertium, quia proprietates recensitæ convenire optimè possunt qualitatibus Non quartum, quia ridiculum est: est enim simile huic: de hominis essentia non est actu discurrere, sed tantùm posse discurrere; ergo homo erit semper in statu possibilitatis, & numquam actu erit existens; pudet, quod ex schola Bredensi hæc exeant argumenta: natura enim accidentis non stat in inhærentia aptitudinali actuali seclusa. Ultimum tandem parum urget, quia quod probandum esset non ostenditur, dicere autem, & non afferre rationem, est gratis dicere.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *Quid sint maculæ Solis, & Lunæ, aliorumque Planetarum.*

MAculas adesse in quibusdam planetis, innegabile pænitus est. In Martis enim planeta anno 1666. Februarii 6. summo mane has observavit Dominicus Cassinus, opere Teloscopii 24 palmorum, cum hoc tamen discrimine, quod maculæ duæ in una facie Martis majores in alia minores apparent, quod idem inveniri Teloscopiis fabricatis ab Eustachio divino 25. & 45. palmorum refert societas Anglicana in actis suis philosophicis mensis Julii 1666. hic itaque quod quærimus est, quid sint hæ maculæ Solis, & Lunæ. Circa quam difficultatem Cartesius celebrem fecit sententiam suam, docentem maculas componi ex particulis, figuram habentibus triangularem adeptam à spatiis, inter quæ pertranseunt, quæ cum parum ad motum pronæ sint, facilè uniuntur, & efficiunt densa corpora, quæ Solis maculæ dicuntur, vel ut notissimus quidam Cartesii alumnus scribit, esse nimirum maculas Solis, crassiores tertii elementi particulas, quas Sol à centro ad superficiem propellit, quæ tenacius inter se adherescentes in molem opacam concrescant, ac in Solis superficie tandiù permanent, donec vel ab ipso Sole absorbeantur, vel materia primi elementi motu dissolvantur. Emanuel verò Maygnan, vult esse exalationes à corpore solari egredientes, quæ cū ipsa agitatione fervoris congerantur in unum, & foras extrudantur, propter mollē suā opacā, solem ex ea parte nobis eripiunt, quibus ejectis Solis lux vegetior apparet. Alii verò maculas has ad naturam ipsius materiæ solaris referendam esse existimant: cum enim hæc sit maximè mobilis, & fluida agitatione, & motu varias apparentias eam aspicientibus exhibet; Ioannes Clericus verò quid sint hæ maculæ non determinat: hæc enim habet libro 1 *physicæ de Universo in genere cap 9. quæ sint hæ maculæ nemo definierit, nisi qui artem inuisendi illius planetæ invenerit*. Nihilominus ego existimo, asserendum esse sordes, quas Sol evomit, dum lux depuratur ab iis fecibus, quas ipsa secum tulit è terra.

Figura Macularum irregularis plerumque apparet, & valde inconstans, itaut nulla ferè postridiè talis appareat, qualis postridiè visa sit. Circa limbos etiam contrahuntur, & oblongæ fiunt; at circa medium Solis ampliores, sed minus longæ apparent, cæteris paribus. Rursum, propè limbos plures maculæ, quæ in medio Solis disco disgregatæ, ac invicem distantes apparuerunt, in unam ferè maculam coire videantur.

Numerus macularum varius est, & incertus. Aliquando tamen 50. aliquando 33. distinctè numeratæ sunt eodem tempore, aliquando una: & tunc calidior sicciorque, cæteris paribus, tempestas extitit; uti è contra frigus, quando magna fuit earum copia.

Magnitudo Solis macularum apparens varia est, & inconstans. Quidam enim ponunt maximam Veneri æqualem. Alii ajunt, quandam occupasse quintam partem diametri Solis, ideoque toti terræ æqualem fuisse. Alii verò nullam deprehenderunt majorem decima parte Diametri Solis apparentis. Sunt, qui maculas æquiparant Asiæ, & Africæ simul cum Mediteraneo Mari. Scribunt alii aliquas esse ad Diametrum Solis, ut 10 ad 50 aut 100. ad 200. & aliquas Africa majores, non paucas Lunæ, & quasdam compositas toti terræ æquales.

Macularum duratio minus constans videtur, quam areolarum quarundam, & faculiarum. Quædam enim subitò in medio Solis disco, quædam durant ad dies 1. 2. 4 10 15. 20. 30. per paucæ ad 40. nonnullæ redeunt eædem post periodum dierum circiter 27. sub Sole autem hæ longiusà Centro distant. Ortum etiam, & interitum non solùm apparentem, sed etiam realem habere à multis asseritur.

Mons macularum apparens talis est, qualis Mercurii, & Veneris circa Solem, qui quidem planetæ in superiori parte Epicycli, & directi motus arcu mouentur ab occasu orientem versus, & inferiori parte occidentem versus Hinc, vir doctissimus, dum Neapolim in Collegio Mergellini hæc scripta dictabam Alumnis dilectissimis, absolutè mihi retulit, maculas, quæ ita mouentur, ut periodum absoluant diebus 27. aut 28. & redeunt, moueri

Orien-

Orientem versus, cum vir alius celebris attendens motum nobis conspicuum dicat, eas moueri occidentem versus, quippè tunc Sole inferiores. Mane enim Oriente Sole maculæ ascendunt ab inferioribus illis partibus, & vespere descendunt ad inferiores.

Locus macularum in Cœlo, sui distantia à terra communiter censetur supra Mercurium perigæom; & nemo jam est, qui non concedat, eas aut in Solis superficie esse, aut illi quasi contiguas; eo quod nulla à Sole parallaxis in iis obseruata sit, nedum Mercuriali maior, sed eodem die eædem maculæ obseruatæ fuerint in eadem Solis parte, cum motu ad motum Solis æqualiter proportionali, & longe tardiori, quàm & motus Mercurii, quantumuis in dissitis terræ locis fuerint obseruatæ.

Quid autem sint Lunæ maculæ, non minor est difficultas. Quæ antequam resoluatur habendum est Lunam esse corpus variis maculis infuscatum: innumeræ enim maculæ in Luna Telescopio fiunt conspicuæ; in quibus collectivè sumptis quatuor valdè notanda observarunt viri docti. Primum est, quod minimæ quædam maculæ confertim in oblongo quodam tractu ita sibi proximè succedant, ut vel imperfectiori Telescopio, vel longè à termino uniuersalis illuminationis spectatæ videantur, veluti radiorum quorundam fulci; at si in confinio illuminationis spectatur perfectioribus tubis, videntur maculæ inuicem distinctæ, non secus, ac in via lactea stellarum congeries.

Alterum est, quod maculis quibusdam aliæ minores sic adhæreant, vel innexæ sint, ut gemmæ annulis; vel sic infectæ sint, ut portio unius portionem alterius sibi ferè æqualis obtegat; vel sic circumobsessæ, & quasi coronatæ monticulis, ut juxta vicissitudinem illuminationum aliquandò veluti Rosam, aliquandò lucem præseferant.

Propterea obseruatum est, quod maculis quibusdam veluti in uteris, aut sinubus insit una, vel plures minores, quæ ombrulam suam versus eandem partem proiiciunt, ad quàm vergit umbra macularum eas includentium. Postremum est, quod aliquæ in majoribus item sic includantur, ut umbram suam in partem oppositam umbræ includentium proiiciant.

Specialius obseruarunt alii duo macularum genera; quarum aliæ grandiores, nudo oculo patentes, hæque perennes, latè regnantes, aliæ minores, solo Telescopio obseruabiles, hæque extemporaneæ, & fugaces.

Maculæ istæ extemporaneæ ita se habere referunt, ut cum Sol illis oriri incipit, nigerrimæ sint, ac latissimæ ad instar fouearum, ac voraginum, cum verò lux ulterius promouetur, ac sic Sol illis exaltatur, tum decrescere paulatim sentiuntur, & apparere incipit aliquid laterum, & fundi ejusmodi fouearum, imò in plerisque videri incipit culmen Monticuli è medio foueæ assurgentis, donec magis, ac magis exaltato Sole fundus tandem totius appareat, & integer Monticulus; adeo ut Sole illis verticali facto, ut in plenilunio, nihil penitus maculæ supersit, sed omnia clara, & conspicua, nisi quod oculus adhuc deprehendit fundum aliquem, sed totum perinde illustrem, nempe quale videretur.

Vestigium sphæræ altius niui impressæ, si verticali sibi Sole illostraretor. Ac decrescente Luna, Sole inclinato redit paulatim macula, & grandescit, prout magis, ac magis inclinatur illi Sol, sed in oppositam partem; ac in Luna crescente, nempe semper in aduersam soli regionem.

Etsi autem maculæ illæ tam variabiles sint, attamen Luna ad eundem situm, & aspectum Solis redeunte, eædem prorsus redeunt; ut certò constet, nihil in illis mutari, sed totam vicissitudinem esse meram alternationem lucis, & umbræ, quatenus vario aspectu Solis illustratæ variam lucem excipiunt, ac umbram creant. His autem constitutis dicendum est primò perennes illas, & subnigras maculas, oculis nudis obseruabiles, nullo modo esse maria, aut liquidas alias partes; cum nulli vapores, aut nebulæ è Luna attollantur, quæ insignis alicuius partis conspectum oculis subducant, aut radios luminis infringant. Est autem maximè probabile illas esse, vel partes Lunæ non adeo asperas, & inæquales, quæque lumen non tam validè regerunt; vel esse eiusdem Lunæ partes tenuiores, aut rariores minus valentes lumen reflectere.

Dicendum secundò maculas fugaces, & ad varium Solis aspectum variantes esse umbras creatas à prominentioribus partibus in depressiores. Neque potest hæc conclusio negari, cum constet has maculas omnes umbræ leges exactè obseruare, crescere scilicet inclinato Sole, minui illo exaltato, expungi eo verticali facto, proiici semper in aduersam Soli regionem.

## QVÆSTIO VNDECIMA.

*An Cœli sint Animati.*

### CAPUT VNICUM.

*Ponitur Sententia Catholica.*

AFfirmatiuam illam sententiam circà præsentem difficultatem plurimos habuisse Defensores certum omninò est. Ipsam enim nedum *Philo* more suo Platonizans *libro primo de Opificio sex dierum*, *Pythagorii*, *Stoici*, *Aristotelici*, *Origenes*, Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, & Plinius *lib. 2. nat. hist. cap. 9.* sustinent, verum etiam Hieronymus, & Augustinus, quamuis de hoc ultimores incerta sit, ut optimè in suis vindicis Augustinianis advertit *Eminentissimus Henricus Noris*, qui quamuis Augustinum dubitasse concedat circà præsentem Controversiam *lib. de Gen. ad litt.*, ex *lib. tamen 13. de Civit. Dei cap. 16.* colligit Platonicorum sententiam Augustino displicuisse, & *lib. Retract. cap 7* apertè ipsam Doctorem rettactasse refert. Sed quidquid sit de Augustini mente, certum est *Pererium* hic firmiter existimare *Scotum*, *Diuum Thomam*, atquè horum præcipuos Sectatores in eandem incidisse superiorem sententiam. Opposita tamen nunc verior est, quam sequendam esse iubet *Concilium Constantinapolitanum 2. anno 549.*, & Secundùm Bail, & Norisium *anno 553.* celebratum contrà Eutichianos, Nestorianos, & Origenistas Præside *Euticbio Patriarca Constantinapolitano*, in quo, cum aliqui proscripti sint errores eiusdem Origenis, ut aduertit Ioverius in Summa Conciliorum, & sustinet idem Eminentissimus Cardinalis contra *Garnerium* existimantem Origenem non in hac Synodo, sed in Constantinapolitana sub menna fuisse proscriptum, reprobatum quoque legimus *Cœlum Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ super Cœlos sunt esse animatas.*

Quod si dicas cum Norisio, & Fromondo *lib. 1. de Anima cap. 2* à Concilio solum exclodi à cœlestibus corporibus rationalem formam, non verò sensitiuam, cum hanc præcipuè Origenes propugnabat in ipsis, ut *ex Epistola 61.* Hieronymi contrà Ioannem

Hyerosolimitanum colligitur, aduertè hoc legitimè affirmari non posse. Concilium enim omnem formam viventem negavit corporibus Cælestibus, quod patet legenti ipsam Concilii definitionem. Habet enim *Siquis dicit, Cœlum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Aquas, quæ suprà Cœlos sunt animatas quasdam esse, & materiales virtutes, Anathema sit.*

Sententiam autem hanc catholicam multipliciter suadere solent Philosophi. Nos brevitati studentes, ipsius veritatem ostendimus primò quia anima non datur, nisi ubi corpus est perfectè organizatum; atqui hæc organizatio reverà non reperitur in Cœlis, nec hucusque deprehensa est per Telescopia, per quæ tamen nonnulla alia cognovimus; ergò.

Secundò quia nulla est necessitas adstruendi in ipsis formam aliquam viventem; motus enim cum tanta regularitate ab ipsis proveniens oriri potest à principio intrinseco, non tamen vivendi, sicuti provenit motus gravium descendentium.

Dices Isaiæ primo legimus, Cœlum audire, *audi Cœlum*, & Psal. 103. solem cognoscere *sol cognovit occasum suum*, & alibi Cœli dicuntur *Facti in Intellectu* Audire autem, & cognoscere pertinet ad res animatas.

Respondeo hæc in scripturis eodem modo intelligenda esse, quo intelligimus alia, suadentia, Deum irasci, pœnitere: hæc autem certè non propriè accipienda esse docet Augustinus 17 *de Ciuitate Dei cap.* 7. hæc habens *non est* (Deus) *sicuti homo, ut pæniteat eum ipse minatur, & non permanet, idest homo minatur, & non permanet, non autem Deus..... Ubi enim legitur, quod pæniteat eum mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente divina*, vel ut ait Saluianus lib. de gubernatione Dei: *ira est autem divinitatis pœna peccatis*: quinimmo Augustinus verba Psaltes relata misticè explicans, nomine solis Dei vnigenitum intelligit, occasus verò passionem, & mortem suam; loco enim attacto hæc habet: *Christus Dominus cognovit passionem, & mortem suam.*

Ad id verò, quod dicitur Cœlos factos esse in Intellectu, respondeo tò *in Intellectu* referri ad causam efficientem, scilicet ad Deum, cuius Intelligentia, & sapientia elucet in productione Cœlorum, non verò referri ad ipsos Cœlos, ut optime explicat verba Psaltes Augustinus *lib* 5. *de Genesi & litteram cap.* 15. *manet itaque ista sententia, ut id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur. In qua vita vidit omnia, quando fecit, & sicuti vidit, ità fecit. non preter se ipsum videns, sed in se ipso ita enumeravit omnia, quæ fecit.*

Dices corpora cælestia agunt in sublunaribus viventibus, iuxta superius statuta; atqui si anima carerent, agere amplius non possent propter inferioritatem ordinis, & imperfectionis, quam obstare documus in materia, de ortu, & interitu; quapropter virtutem proximè operatiuam negavimus accidentibus contra Thomistas relate ad substantiam; ergò.

Respondeo brevissime cum Adriano Heerebord *in collegio physico Thesi* 58. corpora cælestia, dispositivè Solum agere; in quantum Cœlum suo influxu dispositiones varias in semen, ex quo gignitur vivens introducit; disponere autem convenit etiam imperfectioribus, nisi dicere velimus cum Frasſen, corpora cælestia agere activè, non tamen ad tribuendum esse effectui, secundùm illam partem, secundùm quam excedit, sed solùm secundùm quam commensuratur, vel clarius secundum gradum corporis, non secundùm gradum viventis.

Essent hic alia proponenda, & discutienda; sed ob temporis penuriam, hoc permissum non est, videantur sæpe sæpius relati auctores, aliàs proponentes difficultates, vel de Solis natura, an nimirum sit flamma quædam, vel ignis cælestis, ut olim tuebantur Egypptii, *Heraclitus*, *Pitagoras*, & nunc sustinet *Cartesius*, vel de Cœlorum Fluuiditate, quam firmiter teneo.

Primò, quia si solidius hoc Cœli corpus esset, sidera ad minimum superiora, lumen suum sine reflexione, ac refractione dimittere haud possent; sola siquidem ætheris diaphaneitas huic Phænomeno vix sufficiens est, quatenus per profunditatem, & soliditatem corporum annihilatur, vel ad minimum turbatur: sic vitrum tenue radios æquidem sine sensibili reflexione transmittit, crassius verò hos notabiliter refringit, & reflectit. Secundò eandem Cœli fluiditatem suadet macularum solarium, & aliarum in Cœlo nubecularum ortus, ac motus. Tertiò quia quotidiana ferè est experientia non solùm Cometas, sed & Planetas nonnullos, v.g Martem, Mercurium, Venerem supra Solis sphæram modo ascendere, modo descendere.

# DISPUTATIO SECUNDA.

## *De Mundo.*

## CAPUT UNICUM.

### *De Mundi creatione.*

Mundi creatio sex dierum curriculo facta *in libro* 1. *Genesi* per bellè describitur Primæ etenim diei opus suisse recenset, Cœlum Empireum, terram, lucem, eiusdemque divisionem à tenebris. Secundæ firmamentum, atque aquarum diuisionem. Tertiæ verò aquarum congregationem, & terræ germen; quartæ productionem Solis, lucis, stellarumue, quintæ verò volucres, & pisces; Sextæ tandem cætera viventia, quæ omnia his versiculis continentur.

*Prima dies Cælum, & Terram, lucemque creauit*
*Altera distendit spatium, discrimen aquarum*
*Tertia secernens undas dat gramina terris*
*Quarta creat Solem, & Lunam, cælestiaque astra*
*Quinta dedit pisces eadem genus omne volantum*
*Sexta dedit pecudes, hominem quoq; quem Deus ipse*
*Condidit*; *unde operis requies lux septima fulsit.*

An autem dies isti, in quibus censetur creatus Mundus, veri fuerint, an solùm figurati, res non est omninò certa. Augustinus inclinasse videtur in negatiuam sententiam lib. nimirum undecimo *de Ciuitate Dei cap.* 7. non parum innixus supra Ecclesiastici oraculum, quod cap 18. legitur, videlicet *Deum omnia simul creasse*; sed in hac re, cum plures stent Patres pro contraria sententia, primam amplectimur, quam ejusdem Augustini auctoritate, & ratione firmat *Gaspar Iuvenin in sua institutione Theologica, part* 3 *dissert.* 11. de uniuersi productione, explicans Ecclesiastici verba de simultate rerum (omnia enim à Deo creata sunt) non verò temporis.

Et revera falsum est, quod nomine sex dierum solum veniant cognitiones angelicæ rerum, quæ à Deo productæ sint uno, & eodem die, itaut dies prima sit cognitio Angelica lucis, dies secunda cognitio

gnitio angelica firmamenti, dies vespera sit cognitio creaturæ in se ipsa, mane sit cognitio creaturæ in verbo: siquidem scriptura figuratè sumini non debet, cum nulla necessitas ad id cogit, ut ait Augustinus, *lib* 8. *de Civitate Dei cap.* 7. illis verbis: *cum primitus propriè res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius auctoritatem scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res verò gestas prius intelligentes, tum demum quidquid aliud significeant perscrutantes*; sed de facto nulla necessitas cogit accipiendi scripturam figuratè in iis locis, in quibus loquitur de diebus, quos Deus ad mundi productionem impendit; ergo.

Quo autem anno mundus sit creatus, & qua tempestate divisi Auctores, juxta Cronologorū diversitatem. Pereirus, Belarminus, & Baronius de mundo condito, usque ad Christi nativitatem numerant annos 4022. & hi omnes ex codice hæbraico, ab orbe condito ad diluvium, numerant annos 1656. clarissimus Vosius ex supputatione Josephi collata cum versione 70 Interpretum, ante diluvium colligit, elapsos fuisse annos 1656. & inde ad Christum natum supputat annos 2939. itaut ab orbe condito, ad Natalem Christi elapsi sint anni 5595. notat quoque Morinus *in sua Astrol. Gall. lib.* 2. *cap.* 3. secundum orientales Ecclesias Grecas à mundo condito, ad natalem Christi numerandos esse annos 5508. & juxta occidentales latinas 5299.

Qua autem anni parte conditus sit, non parum est dissidium. Nicolaus de Lyra, Alfonsus Tostati, Hispanus Episcopus Abulensis, Oleaster, Arias Montanus, Picus Mirandalanus, aliique plurimi, & doctissimi, autumnali tempore fuisse conditum existimant, quibus propitium esse Hieronymum in *Comment. supr cap.* 1 Ezechielis testatur hic Laudatus Pereirus: hoc tamen sustinent isti, cum aliquali dissidio: Hieronymus enim putat hoc evenisse mense Octobris, quatenus hic proximior est æquinoctio autumnali. Tostatus verò creatum existimat die 25. Septembris; nonnulli verò 1. die Octobris, à qua annum sumpsisse exordium credunt. Hanc tamquam veriorem, & consonantiorem scripturæ sententiam recipio, quam etiam sustinent Ugo de S. Charo in *lib Geneseos cap.* 1. Pereirus locis superius relatis diversa solidaque recensentes fundamenta, ex quibus mihi semper solidum illud visum est, quod in exordio mundi arbores maturos habebant fructus, ad commedendum idoneos; unde Genesis 1. legimus: *vidit igitur Mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, comedit*; sed fructuum maturatio, non vere fit, sed in Autumno; ergo &c. rationem hanc promovet, & ulterius firmat doctissimus Pereira loco laudato, occurrens quamplurimis solutionibus, quas omittere decrevimus, videndas tamen apud eundem; ne actum agamus.

Plausibilis nihilominus est sententia *Cornelii à lapide*, docentis creatum fuisse in æquinoctio verno, *VIII. Kalendas Aprilis*: nimirum 25. *Martii*, quo die Christus in Virgine incarnatus est, suam probabilitatem tamen hæc sententia non habet, propter ea, quæ affert hic idem auctor, & diffusè expendit *Pereirus*: Sed quia Patres quamplures huic subscribunt positioni, uti *Athanasius* ad *quæst* 17. Antiochi, *Cirillus Hyerosolimitanus Cathechesi* 14. *Leo Pap sermone* 9. *de Passione Domini, Gregorius in oratione in novam dominicam Isidorus lib.* 5 *Etimologiarum, cap. de temporibus Damascenus lib.* 2. *de Fide Ortodoxa cap.* 7. quinimmò Magister historiæ Scholasticæ, in historia libri Geneseos, affirmat dogma esse Ecclesiæ, Mundum fuisse ex nihilo extractum in Martio.

## QUÆSTIO PRIMA,

*Quid, & quotuplex, & an perfectus sit Mundus Corporeus.*

Tria hic quæruntur. Primum est, quid sit Mundus, secundum, quotuplex, an nimirum unus sit, vel multiplex. Tertium, an perfectus sit. Per partes respondendum est ergo.

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur Quæstio.*

Dicendum est primò, Mundi corporei nomine, nil aliud nos intelligere, nisi rerum omnium præsentium corporearum, quæ inter se quemdam ordinem, & subordinationem habent universalitatem; unde deffiniri potest, *quod sit perfecta rerum, sive naturarum, quæ inter Cælum, & Terram continentur sub uno Supremo prædominante in vitam subordinata ordinatio*, deffinitio clara est, adeoque ulteriori explicatione non indiget.

Dicendum est secundò unicum esse Mundum est contra Metroderum, Anaxiverdum, Archelaum, Aristarum, Origenem, quem plures Mundos posuisse refert Baronius ad annum Christi 538.

Probatur autem, quia non debet concedi aliquarum rerum existentialium de facto absque sufficienti ratione, aut auctoritate; sed nulla est assignab lis ratio, experientia, aut auctoritas alicujus momenti, ob quam teneamur concedere alterius Mundi præter hunc existentiam; ergò non debet concedi, dari de facto plures Mundos.

Probatur secundò sacræ scripturæ semper de mundo in singulari loquuntur, præsertim Ioannis primo, *& mundus factus est, Mat., & Marci ultimo* dum Apostoli ad propagandam fidem mittuntur, dictum est eis *Euntes in Mundum universum, prædicate.* hinc Diuus Augustinus in libro de Heresi, & Diuus Isidorus Pelusiota libro 2. cap. 5. inter errores contra fidem enumerat positionem de pluralitate mundorum. Fateor quidem nulla ratione probari posse nostram mundi unitatem, item nec illius pluralitatem, quia tamen pro nobis, & pro unitate stant sacræ scripturæ, & sancti Patres, tenendum est, unicum tantùm esse Mundum.

Dicendum est tertiò Mundum perfectum esse conclusio patet ex sacra *Genesi cap.* 2 ubi Deus omnes à se formatas Creaturas perfectas invenit iuxta illud: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona* Vbi sensus est, quod non solum bonæ sint res singulæ per se sumptæ, sed etiam quod tota rerum universitas bona sit: unde Augustinus in Enhiridion inquit *bona sunt singula, simul verò universa valde bona*, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo.

Neque certè plurimis verbis opus est ad hanc veritatem confirmandam: id enim satis superque demonstrant hæc pulcherrima universitatis ornamenta, nempe tanta rerum copia, & varietas, mirus rerum ordo, & conexio, divina administratio, & ordinatio.

Dices contra hoc tertium assertum. Pleræque Mundi partes sunt imperfectæ ut monstra, alia noxia, ut venena, alia inutilia, ut deserta, alia inimica,

mica, ut calor, & frigus; ergò Mundus perfectus non est.

Contra est, quia tantum abest, ut hæc deformitatem, ut potius pulchritudinem conferant universo. Enarrant siquidem varietatem, armoniam, ac temperiem: Pugna namque elementorum, ualde commendat Creatoris sapientiam, qui ex elementorum discordia, concordem mixtorum unionem eruit. Cur autem bestias, & reptilia quædam creaverit noxia, quamplures sunt Patrum rationes, quas videndas remittimus apud Lactantium, Basilium, Gregorium Nissenum, aliosque Patres: hic tantum illam referre liber, quam Teodoretus *quæst.* 18. *in Gen.* attulit, hæc omnia nimirum Deum condidisse, *veluti lora quædam, & terriculamenta, ut per ea nos terrens, ad se traheret, atque eius auxilium imploraremus*: quapropter de Pharaone legimus solùm tunc de probitate morum ipsius Moysis excogitasse, eiusque orationes petiisse, cum ranæ, & locustæ omnia in eius ditione posita ingenti agmine inuaderent.

Dices secundò. Illud perfectum est, cui nihil deest; Sed Mundo plura desunt: nimirum plures creaturæ possibiles, quæ nunquam à Deo creabuntur; ergo.

Confirmatur quia in Mundo datur ultimum malum nempe peccatum, & Dei offensa; ergò potius dicendum est esse summè imperfectum.

Respondeo, quod licet possibiles sint plures, & plures creaturæ in infinitum, ut alibi dictum est, tamen creaturæ illæ possibiles non sunt huic mundo debitæ, nec necessariæ, quia ad finem, cuius gratia conditus est, & ad effectus, pro quibus præstandis creatus est, sufficiunt ei species, & iodividua, quæ habet; cum per ea omnes gradus essendi manifestentur.

Ad Confirmationem dico valde probabilem esse Teologorum sententiam: nimirum quod Mundus bono quodam infinito careret, si peccato caruisset, nempè Christi incarnatione, per quam Deum verum hominem habemus, & veram universi partem, à qua plus decoris accipit, quam à cæteris omnibus speciebus, & individuis: unde fit, maiorem longè perfectionem habere post peccatum ea, quæ habuisset, si status innocentiæ durasset: sed quidquid sit de hoc, nos hic disputamus de perfectione Vniversi in esse phisico, & naturali, non in esse morali, adeoque nulla est confirmatio.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Absolvitur proposita Quæstio.*

Dicendum est quartò, quod quamuis de facto unus tantum detur Muodus, alii tamen sunt possibiles.

Hæc Thesis est contra Cartesium, impiè defendentem 2. *parte principiorum philosophiæ* impossibilitatem plurium orbium: hæc enim habet: *Hincque etiam facile colligi potest, non aliam esse materiam Cœli, quam terræ, atquè omnino, si Mundi essent infiniti, non posse non illos omnes ex vna, & eadem materia constare, nec proinde plures, sed unum tantum non esse posse.*

Primò autem ostenditur hoc assertum, haccommuni quidem, sed efficaci ratione. Nulla inuoluitur contradictio in hoc, quod plures alii Mundi sint possibiles; ergò talis possibilitas non est denegenda. Antecedens patebitur, in responsione ad obiectiones.

Probatur secundò, sive potius exemplificatur ratio adducta plures alios mundos produci non repugnat, nec ex parte diuinæ omnipotentiæ, neque ex parte rei faciendæ; ergò possibile est fieri plures mundos. Antecedens quantum ad diuinam omnipotentiam patet; cum ipsa se extendat ad omne id, quod non involuit contradictionem. Probatur autem, quod non implicet ex parte rei faciendæ. Mundus nihil aliud est, quam rerum universitas inter se, & ad Deum ordinatarum, sed hæc revera universitas non est ita singularis, ut negationem alterius possibilis ex se importet; ergò non implicat ex parte rei faciendæ plures alios mundos produci. Quis unquam dicat, elementum ignis naturæ talis esse, ut ei aliud omninò simile in specie produci non possit? idem dic de omnibus aliis rebus; ergò poterit alia rerum uniuersitas huic similis à Deo produci; ergò alius Mundus. Item quis dicet, Deum non posse creaturas aliàs perfectiores producere, quæ nullum dicant ordinem ad Creaturas hujus Mundi? certè in hoc nulla est implicantia, imò summa conuenientia: siquidem Deus potest se magis, ac magis ad extra communicare: hoc ipso autem, quod illæ Creaturæ nullum dicerent ordinem ad creaturas hujus Mundi, hoc est non essent cum his per se ordinatæ constituerent alium Mundum; ergò.

Dicendum est quintò, mundum hunc non ita perfectum esse, ut alius perfectior ipso à Deo creari non possit, sed posse Deum perfectiorem, & perfectiorem mundum semper creare. Ista conclusio pariter consonat iis, quæ diximus, ubi de Creatura perfectissima: dictum est enim ibi, quod posita quacumque rerum universitate, poni potest à Deo alia, & alia perfectior in infinitum.

Probatur nullus est effectus à Deo volitus, quo meliorem velle non possit; ergò nullus est Mundus productus, quo perfectiorem producere non possit. Ultima consequentia patet, antecedens autem tenet, nisi velimus Deum non posse producere, quod potest velle, contra illud Psalmi: *omnia quæcumque voluit fecit*, probatur autem idem antecedens: nullus est effectus volitus, qui possit Deo adæquari; ergò nullus est volitus, quo perfectiorem velle non possit, antecedens est certum; nam quicumque effectus à Deo volitus, est finitæ bonitatis; ergò nullus ipsi adæquari potest. Consequentia tenet, quia voluntas non adæquata cum uno effectu, potest alium velle; ergò si Dei voluntas est infinitè perfecta, poterit alium perfectiorem, & perfectiorem velle ergò.

Obiicies primò cum quodam recentiore contra quartam conclusionem. Implicat produci plures creaturas, & creaturarum collectiones, quæ non sint ad Deum ordinatæ; Sed hoc ipso unum mundum solùm creaturæ constituent; ergò implicat plures mundos creari; ergò falsum est, esse possibiles plures muodos.

Respondeo, mundum unum esse, quia omnia uno ordine sunt ordinata ad Deum, qui unus est, hoc est unitas mundi desumitur ex ordinatione creaturarum ab uno principio ad unum finem; cum autem possint esse ordinationes diversæ: nihil enim obstat, quo minus diuersæ numero, aut species creaturæ, & collectiones creaturarum producantur, & inter se, & ad finem diuerso modo, & ordine ordinentur; poterunt quoque constituere diuersos mundos.

Obiicies secundò, contra quinimum assertum. Si Deus potuisset creare mundum perfectiorem, & illum non creasset, posset argui invidia, quod patet paritate, qua utitur D. Augustinus lib. 83. quæstione

30.

to dicens: *Si Deus Pater potuisset meliorem Filium gignere, & non genuisset, esset invidus, si voluisset, & non potuisset, esset infimus*; ergò idem de mundi creatione.

Respondeo negando paritatem. Disparitas est, quia si Pater non produceret Filium perfectissimum, cum sic illum producere posset, id non posset alteri attribui, quam inuidiæ, aut alicui bonitatis defectui: Siquidem bonitas infinita, cuius Filius est capax allicit Patrem ad perfectissimam Filii productionem. Quod autem mundum perfectissimum Deus non producat, tali defectui attribui nequit, eo quod Mundus non est capax infinitæ bonitatis, quæ Deum allicere posset, ad perfectissimam talis mundi productionem. Deus ergò potest quidem mundum perfectiorem creare, at non perfectissimum; quia alias tandem exhauriretur ejus omnipotentia. Ex hoc autem, quod sit potens producere mundum perfectiorem, & illum non producat, non benè infertur, quod sit invidus. Et ratio est, quia opera ad extra sunt illi libera, & potest quodlibet opus elicere pro libito, itaut oon productio sit potius effectus libertatis divinæ, quam inuidiæ signum.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Utrum Mundus potuerit creari ab æterno.*

ANtequam nostram, aliorumque sententiam aperiamus circa propositam difficultatem, pro certo primo tenendū judico esse mundū in tempore fuisse conditum: ab æterno enim extitisse olim erat insania nonnullorum Phylosophorum, qui diuersimodè errorem hunc propugnantes, asseruerunt, vel hunc fuisse ingenitum, uti Straton, Lampsaceni, Caldeorum gens, atque Aristoteles *primo Topicorum libro*, vel ex materia ingenita fuisse antea compositum, uti Hermogenes, & Eugubinus. Quam falsò autem hoc affirmaverint, ad euidentiam desumi pofse arbitramur ex consensu omnium firmum nobis exhibente argumentum. Unde idem Phylosophus initio *primi libri Topicorum* asseruit, id *quod omnibus videtur, aut plurimis, & sapientibus probabile censendum esse*.

Nec obstant verba, quæ primò Genesis habemus: nimirum io principio creasse Deum, Cœlum, & Terram: siquidem τὸ *principio* oullatenus designat æternitatem creationis, sed divinam celeritatem in agendo, uti explicasse D. Ambrosium *cap. 3. lib. 1. exam.* contendimus his verbis: *in principio creavit, ut sic intelligerent homines, quam incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus brevi, exiguoque momento suæ operationis absolveret, ut voluntatis effectus sensum temporis præveniret. Nemo operantem vidit, sed agnovit operantem, tam velociter, ut neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati*. Nisi dicere velimus cum Nisseno τὸ *in principio*, idem esse, ac in summa, itaut sensus sit, Deum simul omnia fecisse: principium enim, & summa æque declarant simul; sed circa horum dementiam perpende Lector quæ habet Benedictus Pererius *in comment. supra Genesim lib. 1 cap. 2. vers. 2.* quæ scripsit Benedictus Fernandius Borbensis Lusitanus *tom. 1. cap. & sect. 1.* quæ ibidem docuit Cornelius à Lapide ex eadem societate, sed supra omnes, videantur Zacharias Mitilensis Episcopus, *tom. 5 Biblipp.* Tertullianus adversus Hermogenem Ereticum, Lactantius *lib 2. divinarum instit. cap. 8.* Eusebius *in lib. 7. de preparatione Evangelica cap. 8.* aliique.

Secundò advertendum est mundum ex duobus rerum generibus constare, primò ex successivis, uti censentur, motus, & ea, quæ per motum successivum producuntur. Secundò ex rebus permanentibus, quæ habent esse permanens, quamvis aliquæ amissibiliter, ut lignum, ferrum, igois.

Sciendum est tertiò, triplicem esse sententiam, quarum quælibet habet pro se graves propugnatores. Prima docet, mundum, & quamcumque aliam creaturam potuisse absolutè à Deo poni in æternitate à parte ante. Secunda procedit cum distinctione: affirmat enim de entibus permanentibus, negat de successivis, & hæc communiter est Scotistarum, & Thomistarum. Tertia verò negat absolutè absque ulla distinctione, & pro hac stat Henricus *quodlib. 1. quæst. 7.* illis verbis: *dicendum igitur absolutè, quod mundus non solùm incepit ex tempore, sed etiam quod non potuit fuisse ab æterno, & quod repugnat naturæ ejus*. Cum Henrico igitur sit prima conclusio.

### CAPUT PRIMUM.

*Ens successivum non poterat à Deo ab æterno produci.*

COmmunis ratio huius conclusionis ostensiva, & satis solida, sic procedit. Ens successivum de sua essentia dicit compositionem ex partibus prioribus, & posterioribus, itaut nulla illius pars assignari possit, quæ priores, & posteriores, in quas semper sit divisibilis non importet; sed omninò repugnat, quod pars posterior, ab æterno existat; ergò & quod ens successivum sit ab æterno. Major est certa ex discrimine, inter ens successivum, & permanens. Minor verò probatur: pars posterior, qua talis præsupponit priorem; sed omninò repugnat existere ab æterno id, quod præsupponit aliud ante se; ergò implicat omninò, partem posteriorē existere ab æterno. Totus syllogismus liquidus est.

Dices rationem hanc evincere solùm, partem posteriorem non posse esse ab æterno; cum ante se aliam præsupponat, noo verò excludere partem priorem, quæ optimè poterit esse ab æterno; sed

Contra est; siquidem hæc solutio innititur falso supposito: supponit enim dari aliquam partem entis successivi, ita primam, ut nullam aliam antea præsupponat, quod esse falsum constat ex iis, quæ diximus, ubi de continuo: Docuimus enim de ratione entis continui, sive successivi, sive permanentis esse, includere partes, io quas possit semper, & semper dividi io infinitum, adeoque quælibet pars assignata in continuo successivo talis erit, ut dividi possit in alias partes priores, & posteriores in infinitum.

Secundò etiam dato, quod possit assignari hæc pars ita prior, quæ nullam aliam antecedentem præsupponat, adhuc ostenditur, ipsam ab æterno esse non potuisse: siquidem si talis pars prior, esset ab æterno, duraret tempore infinito, sed hoc repugnat; cum pro toto illo tempore infinito una pars non succederet alteri, adeoque non amplius daretur ens successivum; ergò nec talis pars prior potuit esse ab æterno. Probatur major; nam si illa pars prior duraret tantum tempore finito, alia pars, quæ immediatè illam subsequitur etiam ab æterno existeret; sed repugnat, talem partem subsequentem existere ab æterno: siquidem tempore esset prior prima, & id, quod præsupponit tempore aliud ante se, nequit esse ab æterno; ergò talis

pars prior durarer tempore infinito: sed hoc implicat; ergo &c. Probatur sequela majoris: quod non est æternum, infinitè distat ab eo, quod æternum est; unde duratio temporanea, & æterna infinitè inter se distant: sed si illa pars prior duraret tantùm tempore finito, pars posterior immediatè subsequens ab ea distaret solùm finitè, nempè solùm illo tempore, pro quo duraret prior; ergo esset ab æterno. Itaque pars illa prior durare non posset ab æterno, nec tempore finito, nec tempore infinito; ergo esse non potuit ab æterno.

Probatur secundò, & præcipuè quoad generationes substantiales, quæ successivè fiunt per propagationem. Impossibilis est multitudo actu infinita; sed si mundus potuisset esse ab æterno quoad generationes, fuissent jam infinitæ res sibi succedentes infinitæ generationes, infinitæ corruptiones, & alterationes; ergò impossibile est, quod mundus potuerit esse ab æterno quoad generationes. Major patet, ubi de infinito, minor etiam liquet; nam si dari fuissent homines, leones, ab æterno, ab hoc ultimo leone, & homine retrocedendo per æternitatem, verum esset dicere, dati sunt infiniti homines, leones, adeoque multitudo infinita hominum, & leonum, neque obstat, quod isti homines, & leones nunc simul non existerent: sufficit enim, quod sibi successerint: siquidem infinitum categorematicum non requirit omnes suas partes simul, sed sufficit, quod verificari possit, aliquando esse totum positum.

Dices si Deus ab æterno produxisset ignem stuppæ applicatum, ignis pro illo tunc combureret stuppam; ergo pro illo tunc daretur vera generatio; sed hæc esset successiva; ergo potest dari aliquod successivum existens ab æterno.

Contra est, & in primis, quia hoc opus, hic labor est, ostendere, quod Deus potuisset producere ignem ab æterno: cum nulla creatura permanens possit esse ab æterno. Secundò etiam dato, quod Deus produxisset ignem ab æterno, falsum deindè est, quod potuisset pro illo, & eodem tunc comburrere stuppam, & ratio est quia repugnat, quod aliquod simul existat, & non existat pro eodem instanti reali; ergo repugnat, quod pro illo tunc ab æterno ignis comburrat stuppam; nam stuppa pro illo eodem instanti, & in illo tunc simul existeret, & non existeret; existeret, quia crearetur in eo instanti a Deo, non existeret, quia combureretur ab igne.

Confirmatur nostra conclusio ad hominem contra Thomistas, qui docent dari potuisse ab æterno generationes successivas unica excepta humana propagatione. Ideo per Thomistas dari non potuisset ab æterno propagatio speciei humanæ, quia nunc daretur infinita multitudo animarum: siquidem præcessissent infiniti homines, quorum animæ sunt immortales; Sed hoc etiam probat, dari non potuisse ab æterno quamlibet aliam generationem v. g. speciei equinæ, Leoninæ; ergò &c. major est Thomistarum, ut videre est apud Complutenses *disp. 2. de æternitate Mundi quæst. 2. paragrapho 2.* minor probatur; nam quamvis verum non esset, dari nunc infinitam animarum multitudinem, tum Leonum, tum Equorum, si ab æterno datæ fuissent hujusmodi generationes, tamen verum esset dicere, datæ sunt infinitæ animæ, tum Equorum, tum Leonum; quod non minus implicat, quàm primum: siquidem importat, & hoc infinitum categorematicum, quod à Thomistis negatur; ergò.

## CAPUT SECUNDUM.

*Res permanentes non potuerunt ab æterno à Deo produci.*

Conclusionem hanc, nedum existimo Henrico conformem verum etiam Patribus, præcipue Basilio *lib. 2. contra Eunomicam* Ambrosio *lib. 1. exameron cap 1.* August. *lib 12. de Civit. Dei cap. 15.* atque divo Athanasio *oratione 2 contra Arianos*, contra quos arguens hic novissimus, ostendit verbum divinum verum Deum esse, quia æternum est. Modo si æternitas prædicatum esset de possibili, potens competere puræ creaturæ, ineptum esset Sancti Patris contra Arianos argumentum, cum affirmare quilibet ex Arianis posset non optimè inferri ex Verbi æternitate ejusdem divinitatem, quia æternitas etiam puræ creaturæ convenire potest; Sed

Dices primò etiam in sententia adstruente possibilem esse creaturam ab æterno, argumentum Athanasii contra Arianos efficax adhuc esse, suumque robur habere: siquidem argumentum Athanasii, & aliorum procedebat de æternitate actuali, non verò de possibili, quæ cum de facto puræ creaturæ non conveniat, hinc bene Patres inferebant, quod si hæc actu convenit verbo, iam Verbum non erit pura Creatura; unde argumentum à Patribus factum contra Arianos, vel hoc, vel consimile erat. Nulla creatura, teste scriptura, fuit producta ab æterno, sed solum incepit in tempore; sed Filius est coæternus Patri; ergò Filius non est creatura; quis ergò non videt, argumentum Sanctorum Patrum vim suam habere, etiam in sententia asserente possibilitatem creaturæ ab æterno; cum tota vis argumenti innitatur, non supra possibilitatem puræ creaturæ ab æterno, sed supra non actualem existentiam? Sed

Contra est: siquidem non nego, aliquale robur esse in argumento Patrum, etiam, in sententia quam oppugno; sed id, quod aduerto est, non inexistere eam vim, quæ aliunde inest in mea sententia, quod ad verum sit patet, quia semel dato, quod creatura, nedum non fuerit ab æterno producta, sed etiam quod ab æterno produci non posset, solidius redditur argumentum Patrum adversus Arianos: hoc enim esset: pura creatura, nec est, nec potuit esse ab æterno; ergò si Verbum esset æternum, iam neque esset, neque posset esse pura creatura: hanc autem vim non habiturum Patrum argumentum in sententia opposita, quis non videat; cum doceant æternitatem puræ creaturæ convenire posse.

Dices secundo Patres probavisse Verbum esse Deum ex æternitate, non utcumque, sed ex æternitate imparticipata, soli Deo conveniente.

Contra est: si enim hoc verum esset; ergò iam Patrum argumentum contra Arianos erat implicitè hoc. Verbum divinum est Deus; ergò est Deus: patet hoc siquidem esse æternum æternitate imparticipata, est Deum esse; ergò si Verbum divinum esset Deus, quia æternum, æternitate imparticipata, esset Deus, quia esset Deus.

Probatur secundò Conclusio. Creatura Deum necessitans metaphysicè ad illam conseruandam tempore infinito, est omninò impossibilis; sed creatura, quæ fuisset ab æterno necessitaret Deum ad sui conseruationem pro tempore infinito; ergò implicat omninò creatura ab æterno. Major est certa; nam creatura destructiva dominii Dei, non est possibilis: hujusmodi autem esset creatura necessitans

sitans Deum metaphysicè ad sui conseruationem: siquidem non posset illam destruere, quando vellet, sed solùm præterito tempore infinito; ergo &c. Minor etiam probatur, quia si illa creatura facta ab æterno destrueretur, postquam durasset tempore finito, jam non esset æterna; Ergò si esset æterna, necessitaret Deum ad illam conseruandam tempore infinito; antecedens probatur, quod durat solùm tempore finito non est æternum, nec à parte ante; nam si æternum esset à parte ante, infinitum distaret à finito per aliquod finitum siquidem ab eo signo, in quo destruitur ascendendo inueniretur terminus; cum esset finita duratio: quod si non Inueniretur, jam durasset tempus infinitum. Sed

Dices quamuis repugnet creaturam simpliciter, & absolutè necessitare sui creatorem, ad sui conseruationem pro tempore infinito, non repugnat tamen, necessitare ipsam ex suppositione orta ex libera Dei voluntate, decernente mundum conseruare tempore infinito: cum hæc necessitas esset pura necessitas ex suppositione orta ex libera Dei voluntate: quod totum explicari potest in Henrici sententia, lo qua quamuis repugnet intellectui creato necessitare simpliciter, & absolutè essentiam diuinam ad mouendum ipsum ad sui visionem non repugnat tamen talem essentiam necessitare, prout est intellectus naturæ à Verbo assumptæ; cum ut sic exigat Dei visionem, & hoc nonnisi, quia hæc necessitas oritur ex plenissima Dei libertate, cum oriatur ex assumptione naturæ humanæ, quæ à Verbo fuit liberè assumpta. Sed

Contra est: siquidem semel dato, quòd ab æterno creatura producta necessitaret Deum ad sui conseruationem pro tempore infinito, hæc necessitas oriri non posset ex libera Dei voluntate, & hoc quia in tali hypothesi talis creatura, non fuisset liberè producta, ut infra dicam; ex creatura autem, non liberè producta, si aliqua necessitas oritur, jam hæc non poterit oriri ex libera productione, quę nunquam fuisset: Si autem quæratur, cur non esset liberè producta, dico rationem esse, quia in nullo signo reali cum veritate intelligi posset omnipotentia, & voluntas diuina cum indifferentia ad productionem, vel non productionem; cum semper fuisset productio lesiua talis indifferentiæ: natura autem, creata à Deo, & in tempore assumpta, fuit liberè assumpta; unde quælibet necessitas, quæ ex hac naturæ assumptione oritur in natura, non ineptè dicitur, quod oriatur ex Dei assumptione.

Probatur tertiò conclusio, & præcipuè ad hominem contra Thomistas: semel admissa possibilitate entis creati, permanentis ab æterno, non adest postea locus negandi possibilitatem successiui pariter ab æterno; ergò si repugnat hoc secundum, repugnat, & primum, vel si hoc primum non repugnat, fateri debent, nullam dicere repugnantiam, & secundum. Probatur antecedens. Tunc semel admissa possibilitate entis permanentis ab æterno, sequeretur & illa entis successiui, quando ens ab æterno permanens importaret necessariò etiam possibilitatem entis successiui; sed ens creatum permanens ab æterno à parte ante possibile importat necessariò possibilitatem entis successiui; ergò &c. Probatur minor: ens creatum per Thomistas non habet durare, nisi per durationem superadditam; ergò pro eo tempore, pro quo habet durare, & existere debet esse possibilis duratio hæc superaddita; atqui ab æterno creatura permanens potest per hanc sententiam existere; ergò etiam ab æterno poterit esse duratio; sed duratio creaturæ est ens successiuum; ergò ens creatum permanens ab æterno possibile, importat necessariò possibilitatem entis successiui ab æterno: antecedens præcontinet veram Thomistarum sententiam; consequentia liquet: implicat enim, creaturam durare absque formà, seu ratione formali, qua durat, sicuti implicat, quod res possit existere in aliquo signo, quin pro eodem possit habere existentiam, qua formaliter existat; ultima minor subsumpta pariter est certissima, nempe durationem creaturę successiuam esse: non enim creatura durat duratione indiuisibili, æquiualenti pluribus durationibus successiuis, ut euenit, loquendo de causa prima.

Dixi præcipuè contra Thomistas, quia in sententia Scoti non videtur habere totum illud robur, quod revera habet contra priores; cum Scotistæ negent durationem esse ens successiuum realiter à re durante distinctum, per quod formaliter res durer, aliundè tamen argumentum, etiam in istorum sententia urgere posset; cum isti doceant causas creatas ab æterno existentes habere quoque ab æterno posse producere effectus suos: generationes autem sunt entia successiva.

Probatur ultimò ratione Henrici, deducta ex modo libero Dei operantis ad extra. Si Deus produxisset mundum ab æterno, non habuisset potentiam expeditam ad utrumque libertatis extremum; ergo exercitium productionis non fuisset liberum; probatur antecedens: potentia expedita ad utrumlibet, debet esse in aliquo instanti durationis diuisa ab utroque libertatis extremo, sed si Deus mundum produxisset ab æterno, ejus potentia in aliquo instanti durationis non fuisset diuisa ab utroque libertatis extremo; sed semper fuisset coniuncta cum productione mundi; ergo non habuisset potentiam expeditam; probatur major: potentia coniuncta cum uno ex extremis oppositis libertatis, est potentia impedita ad alterum; ergò potentia expedita ad utrumlibet, debet esse diuisa ab utroque: probatur antecedens quandiù potentia est cum exclusiuo alterius, tamdiù est cum impedimento ad alterum; sed potentia coniuncta cum uno ex extremis libertatis v. gr. cum productione, est cum alterius exclusiuo, nempe non productionis; ergo est potentia impedita ad alterum: hæc ratio deducta ex libertate causæ primæ in operando ad extra, potissima est in schola nostra, propter quam doceo in materia locarnationis diuinæ, Christum in primo instanti physico suæ conceptionis mæreri non potuisse.

Huic rationi validissimæ respondent primò Patres Complutenses, dicendo ex suppositione non offici libertati, & ideò, si Angelus productus ab æterno non posset non esse productus in sensu composito creationis, adhuc tamen simpliciter, & absolutè loquendo liberè produceretur à Deo, quia illa necessitas fundaretur supra volitionem liberam Dei, qua vellet Angelum ab æterno producere, & quantum ad hoc eadem difficultas militat in creatione Angeli exercita in nunc nostri temporis: siquidem ex suppositione quod Angelus fiat, nequit non fieri, & tamen liberè fit, & hoc quia illa necessitas innititur suppositioni simpliciter liberæ. Porrò ad libertatem agentis, minimè requiritur, quod præcedat duratione suum effectum, sed sufficit, quod præcedat natura, & quantum est de se, ut videre est primò in actu, quo Deus ab æterno voluit producere mundum in tempore: Deus enim liberè se habuit in tali actu, quem tamen non præcessisset duratione; secundò, quia ob-

latio

latin facta à Christo Domino sui ipsius Patri, fuit meritoria, & consequenter libera; cum tamen facta fuerit in primo instanti suæ conceptionis, ut insinuat D. Paulus *in Epistola sua ad Hebreos cap. 10.* illis verbis: *ecce venio, ut faciam, Deus voluntatem meam.*

Contra est, quia quamvis necessitas ex suppositione, supponens in aliquo priori potentiam expeditam ad utrumlibet libertatis extremum, non lædat libertatem, tamen si necessitas talis sit, ut non supponat potentiam expeditam, lædit omninò libertatem, ut de facto esse illam, quæ oriretur ex æterna alicuius rei productione, arbitramur. Talis autem esset hæc, quæ consurgeret ex æterna productione: non enim supponeret potentiam expeditam; cum semper esset coniuncta cum uno ex extremis: nimirum cum ipsa productione, ad differentiam illius necessitatis, quæ resultat ex productione Angeli in tempore, cujus productio, ideò libera est, quamvis ex suppositione quod fit, nequeat non esse, quia supponit potentiam in priori expeditam, & indifferentem ad agendum, vel non agendum. Ad ultimum verò dico, Christum exercuisse actum meritorium in primo instanti, non physico, sed morali; quod instans morale constituitur ex pluribus instantibus physicis.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

PRimum argumentum contrarium, quod se se offert solvendum contra positum assertum, illud est, quo arguunt docti Patres Complutenses, sic ab ipsis propositum. Creaturam permanentem produci ab æterno non repugnat, neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, neque ex parte modi, quo fit: nimirum per creationem, nempe ex nihilo; ergò non repugnat, quod creatura permanens fuerit producta ab æterno: consequentia liquet. Antecedens ostenditur quoad omnes sui partes, & primò quoad primam, quia Deus ab æterno habuit potentiam, ad producendam creaturam, liberumq; illi fuit eam tunc produci, vel in tempore; tum etiam quia causa agens per actionem instantaneam, qualiter Deus agit erga creaturas, non præcedit necessariò suum effectum in duratione, qua ratione sol in primo instanti, in quo fit, potest illuminare; ergò non repugnat quantum est ex parte Dei, quod creatura permanens fiat ab æterno: quoad secundam verò patet, quia de ratione creaturæ solùm est, quod habeat principium efficiens in suo esse, non verò initium in duratione: siquidem per primam dependentiam sufficienter salvatur, quod sit ens ab alio; ergò nec etiam repugnat ex parte creaturæ permanentis fieri ab æterno; maximè cum ex eo, quod fuerit creatura ab æterno, non sequatur, quod illi communicetur attributum æternitatis, sed solùm, quod habeat infinitam durationem à parte ante, sicuti Angelus de facto illam habet à parte post. Tertia tandem pars antecedentis ostenditur, quia ad creationem non requiritur, quod res creata prius sit sub non esse, & postea transeat ad esse, sed sufficit, quod fiat ex non præsupposito subjecto, ut docet Anselmus in Monologio *cap. 8.* illis verbis: *dicitur aliquod esse factum, ex nihilo cum intelligimus esse quidem factum, sed non esse aliquid, unde sit factum*; sed etiam si creatura fieret ab æterno ex nullo subjecto fieret; ergo nec ex parte modi productionis repugnat creaturam fieri ab æterno,

Respondeo repugnare productionem craturæ ab æterno, tum ex parte ipsius creaturæ, tum ex parte modi producendi: ex parte siquidem creaturæ, quia, quamvis omittamus, ipsam totum suum esse habituram esse à Deo (quod tamen mihi videtur aliquantulum inintelligibile; cum nullum esset assignabile determinatum instans, in quo tale esse recepisset) tamen quia ad huius totius esse conservationem talis creatura necessitatet Deum pro tempore infinito, ut supra ostensum est, ideò ex parte creaturæ est implicantia: tam enim repugnat, creaturam Deum necessitare ad sui conservationem pro tempore determinato, ac repugnet creatura non habens esse à Deo. Communicatur autem tali creaturæ æternitas quoad substantiam, quia illi esset communicata infinita duratio actualis: Ulterius repugnaret etiam ex parte modi producendi creaturam ipsam, quia modus, quo Deus ipsam producit, est per actionem creativam instantaneam, non utcumque, sed liberam: non esset autem sic producta, si ab æterno foret producta, quia non fuisset producta ab aliqua potentia pro aliquo instanti durationis expedita ad utrumlibet libertatis extremum, sed à potentia semper conjuncta cum ipsa productione: causa autem necessaria, ut est Sol respectu lucis, ideò non tenetur præcedere duratione suum effectum, quia ipsum non producit per modum agentis liberi, & est à natura determinata ad agendum, quoties ipsa est cum omnibus suis requisitis.

Arguunt secundò: Alii sicuti ex perfecta causa naturaliter agente infertur necessariò coexistentia sui effectus in eadem duratione, sic ex perfecta causa voluntariè agente, valet inferre possibilem saltem coexistentiam sui effectus cum ipsa in durando; ergò sicuti ex causa necessaria æterna infertur necessariò effectus æternus, ita ex causa libera perfecta, & æterna, ut Deus est, infertur æternitas possibili. Antecedens patet, & consequentia probatur, quia nullum est discrimen inter agens naturale, & liberum, nisi naturaliter, vel contingenter agere: non enim est differentia inter posse, & non posse agere, quia quidquid potest naturale, potest, & agens liberum tota diversitate solùm se tenente ex parte modi causandi, nempe vel cum libero dominio, vel absque illo; ergò sicuti infertur ex causa necessaria effectus coexistentia, ita ex libera possibilitas talis coexistentiæ.

Confirmatur hoc argumentum, quia nulla perfectio est assignabilis in creatura, quæ non conveniat Creatori modo sibi debito; Sed est perfectio in creatura, posse habere effectum sibi coæuum, ita quod si illa esset æterna, ejus effectus etiam esset æternus, ut patet exemplo ignis, ergò non implicat creaturas ab æterno posse produci à causa prima liberè agente.

Respondeo, concedendo libenter præcipuum, discrimen inter agens naturale, & liberum, desumi penes hoc, quod necessarium, necessariò agat, libetum liberè operetur, seu ita operetur, ut possit non operari: Sed id, quod aduerto, est, ex hoc discrimine ab arguente allato sequi causam liberam ab æterno non posse reduci ad actum, sicuti potest causa necessaria, & hoc quia de ratione causæ liberæ operantis est, quod de ipsa in aliquo signo verificari possit, quod fuerit expedita, ad operandum, & non operandum: si enim semper fuisset conjuncta, vel cum productione, vel cum non productione, jam nunquam fuisset libera; cum nunquam fuisset expedita. Ex libero itaque operandi modo causæ liberæ, oritur impo-

impotentia habendi effectum sibi coæuum, itaut formalitas libertatis exigat effectum in signo posteriori ad sui causam: per quod patet in forma.

Ad Confirmationem concessa majori, distinguo minorem, est perfectio propria, & alligata causis necessariis concedo minorem, non alligata, & communicabilis causis liberis nego minorem, & consequentiam. Posse habere effectum coæuum, est utique perfectio debita causis necessariis: siquidem cum causæ necessariæ sint determinatæ, ad actualiter agendum, positis omnibus requisitis. jam esset ipsis imperfectio, si statim agere non possent, maximè, cum nulla sit ratio, ob quam teneantur suum effectum præcedere; non est tamen perfectio communicabilis causis liberis, salua libertate ipsius causæ, ob superiorem Henrici rationem relatam, & nondum solutam.

Obiiciunt tertiò. Est innegabilis effectus illi causæ pro eo signo, quo causa habet virtutem adæquatissimam ad agendum; sed Deus qui causa est omnium creaturarum ab æterno habuit virtutem adæquatissimam, in ordine ad creaturarum productionem, ergò ab eterno est illi innegabilis potentia ad producendum effectum.

Confirmatur primò, non stat virtus productiua adæquatè collata rei in tempore, in ordine ad aliquem determinatum effectum, quin effectus in tali tempore, quæ confertur talis virtus, possit produci, ergò non stat virtus adæquata ab æterno, quin ab æterno effectus produci possit.

Confirmatur secundò pro eo instanti, pro quo non est virtus adæquata ad effectum, nequit produci effectus; ergò pro eo instanti, quo est virtus adæquata ad effectum, debet posse produci talis effectus, ergò si hæc sit ab æterno, pariter ab æterno erit reducibilis ad actum: Probatur prima consequentia, ideo primum, quia est defectus virtutis requisitæ ad actum, ergò quia in secunda hypothesi non est defectus talis virtutis, cum supponatur virtus adæquata, poterit reduci ad actum ab æterno.

Respondeo in forma ad omnia, & quidem in primis ad argumentum distinguo majorem, est innegabilis effectus illi causæ pro omni eo signo, quo habet virtutem adæquatissimam ad agendum, si sit causa necessaria concedo majorem, si libera sit, nego majorem, & pariter distincta minori, dico quod utique effectus proueniens à causa necessaria innegabilis est causæ pro eo signo, pro quo habet actum primum proximum adæquatum ad effectum: at falsum est, loquendo de causa libera; ad operandum enim causam liberam pro omni signo impedit ipsa libertas causæ, quæ exigit, ad hoc, ut liberè operetur, quod duratione suum effectum præcedat, ob superius allatum fundamentum.

Ad Confirmationem concesso antecedenti, distinguo consequens, ergò pro eo instanti debet posse produci talis effectus, si causa libera sit, nego consequentiam, si necessaria concedo. Impotentia enim, ad effectum producendum ab æterno, in Deo non oritur ex defectu virtutis adæquatæ, cum in Deo ab æterno inexistat virtus categorematicè infinita, sed oritur ex capite libertatis, quæ tolli videretur per æternam productionem: per quod patet ad secundam confirmationem.

Dices Deus ad intra operans, ità operatur, ut non sit necesse, quod in aliquo instanti temporis præcedat ipsum operari; ergò etiam ad extra operans, non erit necesse, quod in aliquo instanti temporis præcedat ipsum operari.

Respondeo disparitatem clarissimam esse, in eo consistentem, quod Deus operando ad intra non operatur, ut agens liberum, sed necessarium; unde mirum non est, si non teneatur præcedere operationem; at verò operando ad extra agit liberè, unde tenetur in aliquo instanti durationis præcedere ipsam operationem.

Obiiciunt quartò. Virtuti categorematicè infinitæ æternæ, debet posse correspondere effectus, vel quo ad substantiam, vel quo ad modum tali virtuti proportionatus, nempe, vel ponendo effectum, qui importet in se perfectionem infinitam: quod est, effectum correspondere virtuti, quo ad substantiam, vel ponendo effectum infinitum, in durando; quod est correspondere quo ad modum; sed repugnat effectum ad extra diuinæ virtuti posse correspondere quo ad substantiam, ut diximus agendo de infinito categorematico; ergò debet saltem posse effectus correspondere, & adæquare suam causam saltem quo ad modum, nempe in durando: maior, in qua solùm posset inesse aliqualis difficultas ostenditur; nam virtus, quæ non potest se reducere ad actum sibi proportionatum, est virtus imperfecta, quia non posset se reducere ad actum iuxta meritum suæ virtutis, quæ in Deo est infinita; ergò ne virtus Dei infinita categorematicè imperfecta dicatur, affirmandum est reducibilem esse ad actum sibi correspondentem, & proportionatum.

Respondeo, verum est, quod virtuti categorematicè infinitæ correspondere debet effectus infinitus, vel quo ad substantiam, vel quo ad modum in præsenti autem effectus, qui correspondet tali virtuti infinitæ, est effectus infinitus quoad modum, quæ infinitas non consistit in hoc, quod effectus dicat durationem infinitam, sed in hoc, quod à Deo producatur per actionem creatiuam, quem producendi modum, solum convenire virtuti actu infinitæ asserunt quamplures in Henrici Schola.

Arguunt ultimo alii. Ideo talis creatura nequit esse æterna æternitate à parte ante, quia nulla creatura esse potest æqualis Deo in ullo genere perfectionis, & sic nec in durando; sed posita creatura æterna à parte ante, adhuc Deo nun æquipararetur talis creatura in durando; ergò. Probatur minor, quia æternitas creaturæ esset æternitas tantum à parte ante: æternitas vero ipsius Dei est æternitas indivisibilis, tum à parte ante, tum à parte post: quapropter asservit Severinus Boetius, quod sit tota simul, atque perfecta possessio: secundò æternitas conveniens Deo, est æternitas per essentiam, conueniens verò creaturæ accidentalis, hoc est non ab ipso exigita, sed à Deo proveniens, cui liberè placuit ipsam creare in æternitate; ergò adhuc posita æternitate creaturæ nihilominus non sequeretur ipsam æquari Deo in ipso attributo æternitatis.

Respondeo, innegabile omnino esse, talem creaturam in duratione futuram, esse Deo æqualem, maximè secundum illam extensionem durationis, quam importat æternitas increata à parte ante: siquidem, ut optimè docet meus amatissimus præceptor Magister Sosteneus Caualli duratio æterna à parte ante secundum suum conceptum formalem est extensibilis in infinitum; ergò si creatura esset æterna à parte ante, eius duratio esset extensibilis in infinitum; sed duratio ipsius Dei à parte ante, quatenus æterna est, extensibilis est in infinitum à parte ante; ergò iam talis creatura coæquaretur Deo in prædicato æternitatis, maximè prout æternitas Dei præsefert durationem extensibilem in in-

finitum à parte ante; ad secundum vero dico, quod creatura esset æqualis æternitati Dei quoad substantiam æternitatis, quia æternitas, ut æternitas quoad substantiam importat infinitam durationem, & quidem iam habitam, loquendo de æternitate à parte ante, de qua in præsenti est disputatio. In æternitate autem sic accepta talis creatura certè esset æqualis Deo, cum ab æterno producta durationem infinitam importaret, quamuis non esset æqualis quoad modum quia in Deo ipsa æternitas est per essentiam, & modo imparticipato, in creatura verò per accidens, & per participationem; repugnat autem quod aliqua creatura sit æqualis Deo in aliquo prædicato quo ad substantiam, ut optimè aduertit Diuus Thomas propugnans, Deum vincere debere creaturam, non solùm quia, quæ in ipsa existunt, sunt modo participato, in Deo verò imparticipato modo, & per essentiam; sed etiam quia nulla perfectio, quæ est in creatura coæquari potest quoad substantiam perfectioni diuinæ. Explanatis omnibus ad Cœlorum naturam spectantibus, opere modò pretium erit prælibare auribus, opiniones circa eorundem situm, compositionemque, Tractatum itaque instituimus de Mundi Systemate.

## QUÆSTIO TERTIA.

*De Uniuersi Systemate.*

Ante Systematis explanationem nonnulla scitu digna, quæ ad Cosmographiam attinent expoonere hic statuimus, quæ non parum deseruiunt, ut perfecta de hac re cognitio eruatur. Itaque ut nominis erhimologia non lateat, sciendum est vocabulum hoc Cosmographia ortum ducere à verbo græco Cosmo, quod apud Latinos Orbis sonat, nihilque aliud indicat, quam Mundi descriptionem, Cœlum, Terramque amplectentem. Porrò Cosmographia dividitur in Astronomiam, quæ scientia est nos docens figuram, & motum corporum cœlestium, atque in Geographiā, quæ nobis tribuit omnium corporum terrestrium cognitionem, quam ope sphæræ aquirimus. Agendum ergò erit, primò in limine de sphæra.

### CAPUT PRIMUM.

*De Sphæra, & ejus partibus.*

Nomine sphæræ intelligi debet corpus quodlibet rotundum uti pila, quam mathematici ferè omnes definiunt, dicendo, quod: *Sphæra sit figura solida, unica superficie contenta, ad quam ab uno puncto eorum, quæ intra figuram sunt posita cadentes rectæ lineæ inter se sunt æquales*, quæ definitio præcipuam sphæræ proprietatem explicat; idcircò in sphæra quædam consideranda sunt, videlicet superficies Centrum, Axis, atque Poli. Superficies sphæræ est illa intra quam comprehenditur ipsius sphæræ soliditas. Sphæræ centrum est illud punctum in quo sphera positū, à quo omnes lineæ ductæ ad superficiem sunt æquales. Axis sphæræ linea est transiens intra sphæram, quæ terminos suos habet ad superficiem, circa quam tota revolvitur sphera. Poli tandem sphæræ sunt illa duo puncta, ad quæ Axis terminatur, quæ omnia in figura 9 (*ut in fine*) cernere licet; dum *A. B. C. D.* est sphæræ superficies; *E* sphæræ centrum; *B. E. D.* Axis, & *B D.* sunt Poli sphæræ.

### CAPUT SECUNDUM.

*De Sphæra Diuisione.*

Spheram multifariè dividunt Astronomi, præcipua ejus divisio est in sphæram Armillarem, Terrestrem, nec non cœlestem. Armillaris sphæra est, quæ ex circulis ligno, vel metallo efformatis, construitur, taliterque disponuntur, ut ex ipsorum positione, ea omnia quæ in Cœlo reperiuntur, explanari solent. Terrestris sphæra est Globus, in quo omnia, quæ in Telluris superficie videntur, clarè, distinctèque intelliguntur, quia in huius Globi superficie, quæ in Tellure conspiciuntur, signata sunt. Sphæra demum Cœlestis, est Globus ille, in cuius superficie plures repræsentantur imagines significantes stellas in Firmamento positas.

Ulterius sphæra dividitur in naturalem, nec non artificialem. Sphæra naturalis est, quam efformavit natura, ut sphæra cœlestis, terrestris &c. Artificialis verò, quæ ab arte constructa, ex multis circulis coalescit, & hæc armillaris nuncupatur.

Tandem sphæra naturalis in alias partitur sphæras, puta terrestrem, elementarem &c. quæ cum differant tantummodo accidentaliter, apud Astronomos videri possunt, adeoque agemus dumtaxat de armillari, terrestre, atque cœlesti sphæra, quia inseruiunt ad systematum cognitionem acquirendam. Itaque primo in loco de armilari sphæra aliqua dicenda sunt.

### CAPUT TERTIUM.

*Armillaris Sphæra explicatur.*

Armillaris sphæra ab Archimede in luce edita dividitur potissimum in decem circulos, quorum sex majores dicuntur; reliqui quatuor minores vocantur; primi sex majores seu maximi nuncupari solent, quia sphæram secant bifariam, ad diferentiam minorum, qui eam in duas partes inæquales dividunt; ex his, alii mobiles sunt, alii autem immobiles. Mobiles duo sunt, videlicet Horizon, & Meridianus, reliqui octo immobiles conspiciuntur; quinam autem sint circuli majores, & quinam minores, insinuare opere pretium erit; circuli itaque majores sunt Æquator, sive Æquinoctialis, Zodiacus, Meridianus, Horizon, & duo Coluri; quatuor verò minores duo Tropici, atque duo Circuli Polares.

Æquator est circulus maximus affixus, & immutabilis, qui spheram secat bifariam, quarum pars una nuncupatur Meridionalis, altera Septentrionalis, vel Borealis, & circulus iste æqualiter à Polis distat, dicitur insuper æquinoctialis, quia dum in eo Sol insistit, dies, noctesque sunt æquales.

Zodiacus circulus pariter immutabilis latitudinem habens, qui obliquè viget inter Polos mundi, secatque æquinoctialem bifariam in initio Arietis, & Libræ, cingit etiam sphæram ad instar fasciæ, cujus latitudo apud nonnullos Astronomos est sexdecim gradus, apud alios duodecim, & juxta quorumdam mentem est viginti. Circulus iste in duodecim partitur partes, quarum quælibet suum habet signum, quæ Zodiaci signa appellantur, quorum quædam sunt Meridionalia, aliaque Septentrionalia, sive Borealia, quæ his duobus carminibus comprehenduntur.

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
*Libraque, Scorpius, Arcitenes, Caper, Amphora,*
*Pisces.*

In

Figura nona pag. 338.





Figura undecima pag. 341.





Figura duodecima pag. 341.





Figura decimaterza pag. 341.




Figura decimaquarta pag. 342.






Figura decimaquinta pag. 342.



In huiusce Zodiaci medio adest linea, quæ circulum maximum constituit nuncupatum *Ecliptica* quia Solis, ac Lunæ Eclipses in ea cernuntur; deflectit ab æquatoris plano gradus 23. *cum dimidio*, & ob eius declinationem, tempestatum varietates inducit.

Meridianus est circulus mutabilis transitum suum habens per Polos Mundi; ac per *Zenith*, nec non *Nadir* loci illius, cuius est meridianus, secat insuper sphæram bifariam, cuius pars una est Orientalis, alia Occidentalis.

Horizon circulus mutabilis secans Tellurem bifariam, cuius pars una nuncupatur hemisphærium superius, altera autem hemisphærium inferius, siue Antipodum: per suos Polos puncta habet verticalia nempe *Zenith atque Nadir*.

Coluri sunt duo Circuli secantes sphæram in quatuor æquales partes, quæ quatuor tempestates anni significant; hæ autem transeunt per Mundi Polos, quorum unus dicitur Colurus *Solstitiorum*, alius autem *Equinoctiorum*.

Tropici sunt duo Circuli minores, quorum unus dicitur Cancri alter Tropicus Capricorni: diuidunt autem isti Zonas, ideoque sunt Æquatori paraleli.

Polares Circuli minores sic dicti, quia à Polis mundi describantur, unus nuncupatur Circulus polaris *Arcticus*, alius autem *Antarticus*, etiam isti æquatori sunt paraleli, & Tellurem in duas inæquales partes diuidunt.

Quia supra diximus Tropicos, atque Polares circulos Zonas diuidere, aliquam de Zonis cognitionem afferre operæ pretium est; ideò per hoc nomen *Zona* concipitur spatium aliquod Terræ comprehensum inter duos circulos, & huiusmodi quinque sunt, scilicèt Zona Torrida, quæ est spatium illud Terraquei Globi quod inter Tropicos extat. Duæ temperatæ, & sunt illæ quæ à Tropicis, Circulisque Polaribus includuntur; reliquæ duæ Frigidæ vocantur, quæ inter Polos, & Polares Circulos includuntur.

*Zenith*, atque *Nadir* scire oportet esse duo puncta illa verticalia, quæ iuxta situs mutationum variantur, unum videlicèt *Zenith* erectum est, supra caput ex. gr. Petri, aliud ex opposito supra caput antipodum ipsiusmet Petri, quæ omnia in Figura 10. (ut in fine) cernere licet.

Alii Circuli Sphæræ usitati sunt apud Astronomos, ac Geographos, ut sunt Circuli *Almucantaris*, Circuli *altitudinum*, seu *Verticales*, Circuli *Azimuthales* Circoli *declinationis*, aliique plurimi, qui, cum non sint ad nostram rem, breuitatis gratia eos omitto.

## CAPUT QUARTUM.

*Terrestris sphæra exponitur.*

Relictis diuisionibus in Globo Terraqueo adductis, nouam, & præcipuam diuisionem affero; idcircò Tellus in quatuor partes, videlicet Asiam Africam, Americam, atque Europam diuiditur. Asia una ex quatuor partibus Orbis Terræ superans reliquas simul acceptas, sic dicitur ab Asia Femina, quæ in ea diù imperauit. Hanc orbis partem aliqui in sex diuidunt portiones, Ptolomeus in 47. Regiones. Moderni autem eam diuidunt in septem amplissimas partes, quæ correspondent Imperiis, quibus subeunt, videlicet in Turciæ ditionis Asiam, Arabiam, Persiam, Tartariam, Chinam, Indiam, atque Insulas.

Asia ditionis Turcicæ comprehendit minorem Asiam, siuè Natoliam, quæ à Septentrione Ponto Euxino terminatur, à meridie Mediterraneo Mari, ab Oriente Armeniæ regione, & ab Occidente Mari Ægeo, nec non Propontide. Insuper ad Syriam extenditur, quæ à Septentrione Ciliciam habet, à Meridie Phæniciam, ab Ortu Arabiam desertam atque Assiriam, & ab Occasu Mediterraneum Mare, siue Syriacum, sic ab ea nuncupatum. Vlterius Armenia maior eiusdem est rationis, quæ Iberiam habet ad Boream: ab Austro diuiditur à Mesopotamia, ad Ortum Caspium montem, & ad Occasum Eufratem habet. Præterea Mesopotamia ad Asiam Turcicæ ditionis spectat, quæ ab Occasu, & meridie Eufrate terminatur, ad septentrionem maiorem habet Armeniam, & ab Ortu à Tigri fluu. comprehenditur.

Secunda Asiæ pars Arabia vocatur, quæ à Septentrione diuiditur à Syria, & Eufrate, à Meridie terminatur Mare Arabico, ab Oriente Sinu Persico, & ab Occasu Sinu Arabico. Triplex est Arabia, scilicèt Petræa in Arabiam felicem, atque Syriam positam. Arabia Deserta inter Eufratem, & Arabiam felicem; atque Arabia Felix, quæ suos habet terminos cum tota Arabia.

Pars Tertia Asiæ Persia dicitur, quæ terminatur Mari Caspio, nec non regione Zagataia à Septentrione, à Meridie Sinu Persico, & Indico Oceano, ab Ortu Imperio Magni Mogolis, atque ab Occasu Arabia deserta, atque Turcarum ditione.

Tartaria quarta pars Asiæ amplissima, quæ à Septentrione, & Oriente Mari Scythico terminatur, ad Meridiem Imperia habet Synarum, Indiæ, ac Persiæ, & ad Occasum Moscouiæ unitur. Diuidi solet Tartaria in quinque Regna scilicèt in Tartariam veram, quæ versus Septentrionem in Catajam, quæ ad Occidentem: in Tartariam desertam, quæ ad Occasum, in Zagataiam, quæ versus Persiam, & in Turchestaniam, quæ ad Austrum.

Quinta Asiæ pars est Synarum Imperium, vulgò *la China*, quæ suos habet limites à Septentrione Tangutum, & Niulhanum Regna in Tartaria Magna, ab Occidente Indiam extra Gangem, ab Oriente, & Meridie terminatur Mari Indico, vel Synico, per quod discernitur à Taponia; si quis de hac regione fusius scire cupit videat Atlantem Synicum Martinis, qui eam clarè descripsit.

India Sexta amplissima Asiæ Regio ad Septentrionem Tartariam tenet, ad Meridiem Oceanum Indicum; ad Ortum Synarum Regionem, atque ad Occasum Persiam habet in tres partes nunc diuiditur scilicèt in Indiam Septentrionalem, quæ est magni Mogolis Imperium; in Indiam Orientalem, extra Gangem, & in Occidentalem, seu Indiæ Peninsulam intra Gangem.

Septima demum Asiæ pars sunt Insulæ, quæ in ea plures conspiciuntur, videlicèt Insulæ Iaponiæ, Maldiuæ, Moluccæ, Philippinæ, Insula, Sinde comprehendens Insulam Iavæ, Bornei, & Ceylam aliasque pauci momenti. Iaponæ Insulæ in Synico Mari tres sunt, nempè Niphonium, Ximum, & Xicocum in quibus plura sunt Regna. Maldivæ Insulæ, sunt multitudo Insularum, quæ Mari Indico expositæ sunt, omnesque propemodùm paruæ, subeuntque suo Regi, cujus sedes est in Male insula. Moluccæ Insulæ in Mari Indico etiam conspiciuntur, quæ in Magnas, & paruas Insulas diuiduntur. Philippinæ Insulæ sic à Philippo Secundo Hispaniarum Rege nuncupatæ, sunt in Occeano Eoo inter Synas, & Moluccas; Maior earum est Mavilla, ubi præfectus Hispa-

Hispanus commoratur. Insula Iaua una ex tribus Sindæ Insulis in Indico Mari est exposita, ad Austrum Oceanum habet Australem, ad Boream, Bornei Insulam, ad Ortum aliquas paruas Insulas, & ad Occasum Insulam habet Sumatram. Insula Sumatra altera ex Sindæ Insulis in Oceano Indico, quæ plurima habet Regna; Bornei Tertia Sindæ Insula exponitur in Mari Indico inter Sumatram, Iauam, & Philippinas Insulas sub linea Æquinoctiali, quæ nonnulla habet Regna. Ceylam Insula, quæ ab antiquis Trapobana dicta fuit, videtur in citeriori India, & plura in ea sunt Regna. Aliæ sunt in Asia Insulæ, quæ, cum pauci sint momenti, non vacat eas referre, idcirco ad Africæ breuissimam descriptionem procedamus.

Secunda Orbis pars Africa nuncupatur sic dicta ab Afro Filio Abrahæ, quem ex Cethura, mortua Sara genuit, & hunc nomen Africæ Urbi, & genti dedisse docet Ioseph. Lusitani detexerunt Meridionalem ultimam ejus partem nunquam nobis notam; sterilis est, & pene deserta multis in locis, abundat malefico animalium genere. Romani eam diuidebant in sex Prouincias, Ptolomeus verò eam diuidit in duodecim Regiones. Eam tamen Ferrarius noster diuidit in nouem, ex quibus prima est Ægiptus Africæ Regio celeberrima, Hic Nilo fluuio decoratur, primaria ejus Urbs *Cayrus* nuncupatur, Sultanorum Regia; ab Oriente habet deserta Arabiæ, ab Occidente Lybiam, à Meridie Ethiopiam, & à Septentrione Mare Mediterraneum.

Secunda est Etiopia inferior, quæ est Meridionalior tota Africę parte antiquis incognita, à Lusitanis inuenta & illustrata. Complectitur littoralem Africę partem ultra ipsum æquatorem. Continet regna Monomotapæ, Monecungi, & Giringbombæ, & Congi, Oram Cafrorum, & Regionem Gallarum.

Tertia est Ethiopia Superior, quæ solum continet Abissinorum Imperium.

Quarta est Congi Regnum, quod olim non parum protensum erat, nunc angustum. Rex Christianus in hoc imperat; Urbs primaria Banza dicitur Lusitanis verò Urbs Sancti Saluatoris; Regnum hoc diuiditur in sex prouincias.

Quinta est Guinea, quæ est Regio Africæ ampla abundans, & fertilis ab Ortu in Occasum valdè extensa, & ab Europeis admodùm frequentata, detecta fuit primo à Gallis anno 1365.

Sexta Nigritia dicitur, regio perampla, quæ in 14. partes diuiditur, vix Europeis nomine nota.

Septima est Nubia pariter Regio ampla Africæ versus Nilum, & Nubiam fluuios, & undique Montibus valata. Extenditur ferè ad 400. Leucas Gallicas. Ejus primaria Urbs est Dancala.

Septima Barbaria juxta Mare Mediterraneum extensa, & oblunga, sed non æquè lata, antiquitus ibi erant Mauritania, Africa propria, & Libia exterior, nunc continet Regna Marocanum, Fezanum, Algerianum, Tunetanum, & Tripolitanum, atque Regionem Barcanam.

Octaua Biledulgerit dicitur, pariter ampla est, in longum porrigitur ab Oceano usque in Ægyptum, sed non lata, habet à Septentrione Barbariam, & à Meridie Desertum.

Ultima tandem est Ora Cafrorum; hæc sita est in Etiopia inferiori, & juxta Oram littoralem Oceani.

Tertia Orbis pars America dicitur anno quadringentesimo nonagesimo septimo supra millesimum detecta à Cristoforo Columbo Genuensi. Ab Americo Vespuccio Florentino nomen sortitur, qui anno 1497. primus eam explorauit. Inuentionem hanc prævidisse Senecam, nonnulli affirmant ex illis versiculis.

*Venient annis*
*Secula seris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxat, & ingens*
*Pateat Tellus, Tiphysque nouos*
*detegat orbes.*

Diuiditur in Septentrionalem, & Meridionalem, utriusque regiones refert clarissimus noster Ferrarius, Septentrionales fines adhuc incogniti sunt, quos tamen Holandi etiam ceperunt illustrare; Præcipua pars Regi Hispaniarum subiecta est, ut Peruuia, Noua Hispania, & aliæ regiones, aliæ verò subiectæ sunt Francis, Anglis, Batauis, Lusitanis, & Suecis, & præcipuè loca versus oram maritimam.

Ultima tandem magnitudine pars est Europa, præcipua tamen ob præstantiam insularum, habet à Septentrione, & ab Occidente Oceanum, à Meridie Mare Mediterraneū, & ab Oriente Asiam. Olim diuidebatur in varias gentes, & regiones, hodiè verò in quamplura Regna, & Principatus. Noster Ferrarius huius Regiones Regna præcipua, omnesque eius partes accuratè refert, proindè superfluum est denuò hæc omnia repetere, cum apud eundem dilucidè omnia habeantur. In hac totius orbis parte Mediolanensis Prouincia fertilissima, est insignis, cujus Urbs primaria Mediolanum nuncupatur, cæteras Italiæ Urbes excellens ob populi frequentiam, Templum Augustissimum, Arcem firmissimam, & Bibliothecam Ambrosianam à Federico Borromeo Cardinali, & Archiepiscopo de suo extructam condita fuit Urbs à Gallis anno 395. subest nunc cum aliis undecim Urbibus Dominio (Deo fauente) Caroli sexti Romanorum Imperatoris Pietate Austriaca, & justitia suauiter regnantis.

Orbis Terrarum partibus descriptis circa ea, quæ ad Regiones attinent, quænam Maria, nec non fluuia, quæ in iisdem reperiuntur describere libet, & primò Mare est aquarum congregatio, quod potissimum in quinque Maria diuiditur; ex quibus primum est Oceanus, vel Mare exterius vastitate, & magnitudine reliqua vincens: In quatuor partes diuidi solet, nimirum in partem Orientalem, quæ spectat Ortum, Occidentalem, quæ Occasum, Septentrionalem ad Boream, Australem verò ad Meridiem.

Secundum est Mediterraneum, vel interius inter Europam, Asiam, & Africam extenditur. Hujus coniunctio cum Oceano per Alveum, sæpè proposita fuit Regnantibus Henrico IV., & Ludovico XIII., sed executioni mandata fuit solùm sub Ludovico XIV. industria D. Requeri, cujus coniunctionis modum clare referunt acta Philosophica societatis Regiæ in Anglia mense Februarii 1669. Mediteranei partes præcipuè sunt Mare Ægeum, Mare Tyrenum, Jonium, Sinus Leoninus, Sinus Attalicus, Mare Africum, & Mare Adriaticum, cujus dominium Venetos habuisse ab ejusdem Reipublicæ ortu contendit ex nostris Magister Paulus Sarpi Venetus Theologus, maximè loquendo de tractu inter Ravennam, & Aquileiam a Justiniano Imperatore in Barbarorum expulsione relicto, & temporis progressu extensum.

Tertium Mare Rubrum est. Cur sic appelletur varia scripserunt Auctores. Græci existimant Rubrum nuncupari à Rege Erythra, idest Rubro, qui ex suo nomine Mare appellavit; alii verò diversimodè,

verſimodè, exiſtimo tamen ego ſic appellari, quia aquæ rubrum colorem referunt, ex arenis rubeis, ſeu corallis, quibus Maris illius fundus ſcatet?, noſter Alexander Ferrarius refert ſe extendere intus Africam, & Aſiam per 1200. mill. paſſ. habet verò longitudinis 350 leucas juxta Ioannem Barium præclarū Indiarum rerum Hyſtoriographum.

Quarrum eſt Mare Perſicum, vel etiam Sinus Perſicus. Extenditur inter Perſiam, & Arabiam, habet longirudinis circirer 260. leucas.

Quintum eſt Mare Caſpium, vel Hyrcanum à Carpis, & Hircanis montibus dictus, non tam mare eſt, quàm palus multorum fluminum in curſu ſtagnans, uti de Mari Mortuo nonnulli dicunt. Univerſus ejus ambitus non amplius duodecim diebus expletur, nec mirum in longitudinem enim ſolùm 800 mille paſſuum extenditur, in latitudinem verò vix 650 In hoc ſe exonerant plurima flumina, ut; Rha, Jaxartes, Oxus, Cyrus, Araxes. Plures alias maris ſpecies, vel ſubdiviſiones refert hic idem noſter Ferrarius in ſuo Lexicon Geographicon, quem conſulere poteſtis.

Mari flumina præcipua accedunt, quæ referre non eſt animus. In noſtra Italia Padus eſt fluvius maximus, cujus meminit Virgilius *lib.* 9. *Æneidos*.

*Sive Padi Ripis, Athesim, seu propter Amenum*
*Consurgunt gemine quercus.*

In Germania Danubius eſt, de quo Auſonius *in Epigram.* 3.

*Illiricis regnator aquis tibi Nile secundus*
*Danubius letum profero fonte caput.*

In Polonia Viſtula eſt, Cracoviam aliaſque Urbes irrigans, de quo quidam cecinit.

*Usque tuus veniens sub Casimiria portas*
*Transgressus ripas Vistula magna tuas*
*Vidi Peonis, ubi Vistula montibus exit*
*Vistula par fluvio, maximè Rhene tuo.*

In Hiſpania verò Tagus fluvius eſt, qui oritur in Caſtella nova, de quo Martialis *lib.* 10 *Epigr.* 96.

*Auriferumque Tagum sitiam patriumque Salonem*

Tandem in Galia Sequana fluvius eſt, de quo & aliis Sidonius Appolinaris:

*Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.*

## CAPUT QUINTUM.

### *Nonnulla ad Naturalem Spheram ordinata aperiuntur.*

Quamplura ſcripſere Auctores in ordine ad naturalem Spheram, nos ſolummodò quædam ſcitu digna aperiemus cognitionem exhibendo de Apogæo nec non Perigæo, Eclipſi de Phaſe, ſeu aſpectuum diverſitate, de Paralaxi &c. idcircò.

Apogæum, & Perigæum ſunt circuli excentrici, quibus redditur ratio majoris, vel minoris diſtantiæ Planetarum à Terra, & admittenda ſunt in omnibus, ſinguliſque Planetis, quia hoc duplici eruitur ratione; primò ex apparenti diametro eorum, ſecundò ex tempore longiori quod conſumant in conficiendam Apogæi partem, quam in oppoſita Perigæi; Apogæum itaque eſt illud punctum, in quo dum ſiſtit Planeta eo magis abeſt à Terra, quo abeſſe poteſt, & è contra Perigæum eſt illud punctum, in quo dum adeſt ibi Planera magis propinquus Telluri eſt, quo eſſe poteſt, & appoſita figura 11 *(ut in fine)* clarius manifeſtatur. Sit Terra *T.* poſita in Zodiaci medio *C. D. E. F.*; item ſit *A. G. I. H. K.* orbis cujuſlibet Planetæ, centrum ſit punctum *B.* cum Orbis ſit excentricus Terræ habens ſuum centrum poſitum alio in loco ab illo Terræ, dum Orbis eum percurrit, liquet Planetam, modò magis, & modò minus à Tellure diſtare, idcircò dum reperitur Planeta in puncto *K.* tunc in Apogæo ſiſtit, quia magis abeſt à Terra quo abeſſe poteſt. Porrò dum conſpicitur in oppoſita parte, ſcilicet in puncto *I.* tunc eſt in Perigæo, quia minus à Terra diſtat, quo diſtare poteſt.

Vt rectè explicetur Lunæ Eclipſis, cognitum eſſe debet Orbem Lunæ Eclipticam ſecaſſe in duobus punctis, ſicut Ecliptica Æquatorem ſecar, cum hoc tamen diſcrimine, quod Ecliptica ab Æquatore recedit gradus 23 cum dimidio, Luna autem gradus 5. ab Ecliptica elongatur; Illa puncta in qoibus Orbis Lunaris Ecclipticam ſecar nuncupantur nodi, videlicet nodus aſcendens unus, alter nodus deſcendens, vel alio modo caput draconis, & cauda draconis. Manifeſtum eſt obſeruationibus nodos iſtos moveri, quia Eclipſes non contingunt ſemper in eadem Eclipticæ ſecatione. Igitur Eclipſis, quæ idem ſonat, ac defectio lucis, duplici modo habetur, vel per interpoſitionem Terræ inter Lunam, & Solem, & appellatur Lunæ Eclipſis, & hoc contingit, quando Luna in Solis oppoſitione conſpicitur, vel per interpoſitionem Lunæ inter Terram, & Solem, nempè quando reperiuntur in coniunctione, & tunc vocatur Eclipſis Solis. Porrò hic obſeruandum, quod Eclipſes tam Solis, quàm Lunæ contingunt, dum Luna eſt in nodis, ſivè prope nodos, quia ſolummodo illo in loco Luna poteſt ſubiacere Telluris umbræ, ex quo colligitur non in quolibet menſe contingere Eclipſes, eſto in quolibet menſe Sol, atque Luna opponantur, & coniunguntur, quæ omnia in figura 12. explanabimus. *(ut in fine)*

Sit itaque Ecliptica *CDFE.* Terra ſit in *T*, & Orbis Lunæ ſit *HDGE*, hoc poſito liquet Orbem Lunæ *HDGE*, Eclipticam ſecare in punctis *D* & *E*, quæ nodi nuncupari ſolent. Dum igitur Luna eſt in nodis, ſiuè propè nodos *D*, & *E*, & Sol in Oppoſitione, vel in Coniunctione, tunc apparent Eclipſes, quia ambò Luminaria ſunt in Ecliptica, vel ſaltem Luna tangit aliquam partem eiuſdem, dum autem non ſunt ambo Luminaria in nodis, neque propè nodos, etſi opponantur, & coniunguntur, ſi v. g. Sol ſit in *A*, & Luna oppoſita in *B*, non contingunt Eclipſes, quia Vmbra Terræ non cadit ſupra Lunam, quæ tunc extra Eclipticam adeſt.

Per Planetarum aſpectum intelligitur ſitus variatio eorundem, & ſunt quinque, videlicet Coniunctio, quæ tali caractere O— ſignatur. Trinum quod notatur hoc ſigno △ Quadratum, quod hoc marca gaudet □ Sextile, quod ſic ſcribitur ✶ atq; oppoſitio, quæ hac O—O notatur figura Coniunctio accidit, quando Planetæ ſunt in eodem Zodiaci ſigno. Trinum intelligitur, quando Planetæ inter ſe tertiam Zodiaci partem diſtant; videlicet quatuor ſigna ipſiuſmet Zodiaci. Quadratum habetur, dum inter unum, & alium Planetam mediat quarta Zodiaci pars, ſcilicet tria ſigna. Sextile apparet, quando Planeta ab altero diſtat per ſextam Zodiaci partem; Oppoſitio demum tunc intelligitur, quando Planetæ ſunt inter ſe ex diametro oppoſiti, ità ut inter unum & alium mediet dimidia Zodiaci pars, quæ omnia maiori claritate in Figura 13. *(ut in fine)*, cernere licet.

Parallaxis est differentia illa, quæ cedit inter locum verum corporis cælestis aspecti ex terræ centro, & locum apparentem eiusdem corporis detecti ex terræ superficie. Hoc explicatur, nam astrum aliquod in Centro Terræ obseruatum, & postmodum spectatum in ipsiusmet Terræ superficie, correspondebit pluribus diuersis Firmamenti locis, undè hæc locorum distantia Parallaxis ab Astronomis nuncupatur; porrò mediante Parallaxi astrorum distantia à Tellure cognoscitur, atque cernitur, an sint in Firmamento, nec ne, & ut dilucidè manifestetur sit in hac Figura Æmisphærium superius Terraquei Globi *B C D*, Firmamentum sit *E G I*, quod transeat per verticem alicuius spectatoris in puncto *C*, à quo puncto ducatur recta linea usque ad Centrum Terræ *A*, & ad verticem *G*. Vlterius sit Horizon rationalis *E A I*, & Horizon Phisicus *F C H*. Sit etiam Orbis Lunæ *M P Y*, & orbis Solis remotiori loco *L O X*. Igitur his supp. sitis spectator existens in *B*, videbit Lunam in Horizonte in puncto *Y*, ex quo ducatur linea usque ad Centrum, & protrahatur in Firmamento, erit linea *A Y T*, quæ in Firmamento suum habebit terminum in puncto *T* supra Horizontem, ex quo colligitur Lunam non esse in Firmamento, nam si esset in Firmamento, spectata è qualibet Terræ parte, semper in eodem Firmamenti puncto appareret, si autem ab eodem spectatore in puncto *C* obseruaretur, in eodem Horizonte Sol positus in puncto X, & posteà à puncto X usque ad Centrum *A* ducatur linea, quæ terminet in puncto Firmamenti *V* supra Horizontem, liquet etiam solem non esse in Firmamento, quod autem sit supra Lunam dignoscitur ex angulis, quia quo maior est angulus, eo vicinius est Astrum Telluri. Porrò cum Angulus *C Y A*, qui habetur per Lunæ Paralaxim, maior sit Angulo *C X A*, qui per solis Paralaxim spectatur, hinc sequitur Solem magis à Terra distare, quàm Lunam.

His cognitis, antequam progrediamur ad Systematum cognitionem optimum erit Excentricitatem, nec non Concentricitatem circulorum insinuare. Itaque excentricus circulus ille est, qui positus in alio circulo suum habet centrum extra centrum circuli superioris, concentricus verò circulus ille dicitur, qui comprehensus à superiori circulo unum idemque centrum habent: ex his venit etiam Epicyclus, qui est circulus suum habens centrum in peripheria alterius circuli, quæ omnia conspiciuntur in Figura 15. in qua Circulus *A B C D*, est excentricus circulo maiori *E F G*, qui suum Centrum *I*, est extra Centrum *L*, superioris circuli; Circulus autem *B K D H*, est concentricus superiori circulo *E F G*, quia idem est centrum, unius quam alterius, nempè punctum *L*, Epicyclus verò est circulus *M N*, quia suum centrum habet in circumferentia circuli *G E F*. Modò relictis theoriis, phænomenis, & aliis videndis apud Anctores ad Systemata examinanda procedamus. Sit

## CAPUT SEXTUM.

*Quid sit Systema.*

Nomine Systematis nil aliud significatur, quam ordinatio, nec non compositi magnarum uniuersi partium, in qua assignanda variè nonnulli tam veteres, quam recentiores scripsere: ast tantummodo tria sunt magis vulgata, videlicèt Tholomei, Copernici, atque Ticonis Brahei Systemata, quæ explicare conabimur. Quamuis enim plura Systemata antiquitus ædita fuissent, cum tamen pauci ea secuti sint, ideò solùm de tribus propositis disseremus. Ut autem optimum elligere possimus. Sit

## CAPUT SEPTIMUM.

*Exponitur Ptolomæi Systema una cum Fundamentis ejus.*

Systema, quod Ptolomæi dicitur, omnium antiquissimum est, quia id sequti sunt Chaldæi, & quamplures alii, ut Pictagora, Aristoteles, Ptolomeus &c. Hoc Systema in Centro Uniuersi Terram ponit immobilem, supra Terram aeris Sphæram, posteà ignis Sphæram, deindè Lunæ Orbem, cui succedit illa Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Iouis, atque Saturni, supra quæ omnia tota stellarum fixarum machina deuoluitur, cui superest Primo Chrystallinum; secundùm Christallinum, demum primum Mobile, quod sua reuolutione diurna omnibus Planetis motum tribuit.

Et hic plura notanda sunt, primò quòd septem sunt Planetæ, videlicèt Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iuppiter, ac Saturnus. In Copernici verò Systemate quidam adstruunt Terraqueum Globum, propugnandoeum esse Planetam, tollendo ab illis Solem. Ulterius quilibet planeta duplici gaudet motu, videlicèt motu diurno, & motu Eclipticæ. Diurnus motus habetur interuallo viginti quatuor horarum ab Ortu in Occasum. Eclipticæ autem motus ab Occasu in Ortum, quibusdam statuts temporibus juxta spatium, quod Planetæ conficiunt, cognoscitur, ut Saturnus triginta ferè annis; Iupiter duodecim circiter annis; Mars duobus annis; Sol motu annuo sub plano Eclipticæ. Venus motu semestri, Mercurius trimestri, & Luna motu menstruo viginti octo dierum; motum ipsum insumant, ut in sua Figura constat in fine.

Modo Argumenta Aristotelis, Ptolomæi, & aliorum propugnantium hoc Systema de Terræ Immobilitate in Mundi centro statura audienda sunt una cum Copernicanorum responsione.

Primum Aristotelis argumentum sic procedit. Si Terra moveretur in Centrum, vel extra Centrum Uniuersi, esset in statu violento; sed Terra non est in statu violento; ergò Terra non mouetur in Centrum, vel extra Mundi Centrum. Prob. seq. mai. Si motus Terræ in Centrum, vel extra, esset ipsiusmet Terræ naturalis, etiam cuilibet ejus partis sic esset; sed hoc est contra experientiam, nam motus Terræ supponitur circularis; partes enim eius non mouentur circulariter; ergò &c. Prob. mai. eadem est ratio totius, & partium; ergò si motus naturalis est toti Globo terraqueo, etiam cuilibet parti eius.

Respondent Copernici sectatores neg seq ad prob. .n. mai. ad prob dist. ant. eadem est ratio totius, & partium essentialiter conc. contingenter negant ant. & conf. explicant sic distinctionem. Hoc axioma tenet, quando dicitur de rebus, quæ essentialiter toti conveniunt, ut puta, quia Grauitas est essentialiter connexa Terræ, ut non possit Terra reperiri, quin sit grauis, ideò id quod dicitur de tota Terra dici potest etiam de partibus, econtra, dum hoc axioma intelligitur de rebus, quæ possunt non convenire toti, tunc non valet, quia si dicatur quod Terraqueus Globus sit sphericus, etiam dici deber, quod quelibet pars eius sit spherica, maximum profertur absurdum, ita in casu sicuti dari potest Terra quæ sit, & non sit spherica, ita potest Terra motu gaudere

Ptolomei Siftema pag. 342.






Figura decimasesta pag. 343.




*Foglio terzo.*

gaudere circulari, & esse cum immobilitate, adeoque mobilitas, cum possit ipsi Terraqueo Globo non convenire, hinc contingenter accidit, & per consequens axioma illud Eadem &c. non tenet.

Probat Aristoteles ulterius Terram immobilem in centro Universi. Gravia ad centrum Universi feruntur; atqui gravia tendunt ad centrum Terræ; ergò Terra est in centro Universi.

Hoc argumentum Copernicani evertunt, & præcipuè Galileus in Dialogo primo Systematis Cosmici, ostendens ejus fallaciam, nam, inquit, Argumentum præfatum est petitio principii, cum major propositio sit Id, quod quæritur, siquidem idem est inquirere, utrum terraqueus Globus sit extra Universi centrum, ac an gravia ad centrum Universi tendant, adeoque omninò falsa videtur major propositio. Præterea, si quodlibet corpus grave ad centrum Mundi urgeret, Planetæ hanc haberent inclinationem, cum apud quosdam Luna, simulque reliqui gravitate gaudeant.

Probat Ptolomeus immobilitatem terraquei Globi sic. Si Terra circulariter moveretur exciderent, versus Cœlum, sive extra suum centrum Ædes, Arbores, aliave in ejus superficie posita, hoc non evenit; ergò. Probatur maj. seq. Quidquid in girum movetur, omnia in superficie ejus expellit, ut constat experientia; ergò.

Copernicani respondent hoc argumentum falso niti supposito, supponit enim, quod illi, qui terram mobilem adstruunt, eandem credidissent per spatium aliquod tempus immobilem (quod nullus eorum talem protulit errorem) & hoc liquet, supponendo Terram semel in tali fuisse statu, ut in ea potuissent construi ædificia, & alia, cum demolitio hominum, ædium &c fieri nequeat, nisi prius per immobilitatem ipsiusmet Terræ poni potuissent; idcircò si Ptolomeus propugnare cupiebat immobilitatem Terræ, affirmare opuserat, quod nunquam in eadem constitui potuissent ædificia; itaque falsitas argumenti patet, & in forma seq. maj. negatur, cum Telluris partes constructæ sint ut totum terraqueum Globum constituent, hinc necessariò uniri inter se debent. Demum rationes omnes systematis huius corruunt, eo quia contra penitùs experientiam conspicitur, nam juxta systema hoc, Mars nunquam sub Sole locum habere posset, neque Venus supra; Penitus itaque rejiciendum est Ptolomei systema, & ad alterius explicationem procedendum est.

## CAPUT OCTAVUM.

*Copernici systema declaratur, & ejus fundamenta præcipua exponuntur.*

SYstema hoc Copernicanum, inventum fuit à Pictagora, idemque amplexi sunt nonnulli antiquiores Philosophi, videlicet Aristarchus, Samius, Philolaus, Heraclides, & alii, quod postea à Nicolao Copernico Canonico Turronensi denuò in lucem editum fuit, quod ferè omnes recentiores Astronomi sequuti sunt, nempe Joachimus, Rethicus, Christoforus Rothmanus, Mæstlinus, Erasmus, Rainoldus, Gilbertus, Keplerus, Cartesius, nec non Galileus è Florentia. Statuit hoc Systema Solem immobilem motu locali in universi centro, postea proximè Soli Mercurium, qui cursum suum peragrat spatio trimestri, inde Venus, qui suum conficit cursum circiter intra menses octo, deinde Terraqueum Globum, qui suum perficit, cursum in Eclipticæ plano; circa autem ipsummet Globum girat ad instar Epycicli Luna motu menstruo: videtur ulterius Mars percurrens orbem suum duorum annorum spatio; supra Martem stat Jupiter itinerē suum perficiens intervallo duodecim annorum. Saturnus tandem volvitur triginta annorum tempore, circa quem quinque Satellites conspiciuntur, sicuti prope Jovem quatuor à Galileo detecti sunt. Insuper duplici gaudet motu tellus, motu scilicet annuo, & diurno: motus ille est, quo terraqueus Globus spatio unius anni Orbem magnum percurrit: motus diurnus vero ille est, quo terra spatio viginti quatuor ferè horarum integram conficit revolutionem circa proprium Axem, quæ omnia in 16. figura cernere licet; ad examinanda idcò Copernici fundamenta transeamus.

Quod igitur tota Mundi machina, spherica gaudeat figura, nulli penitus est ignotum: enim verò potest, & hoc iure non immeritò in dubium fortasse revocari, dum ex syderum apparitionibus, quæ aliquando nostris oculis adsuerunt, ut in Astro contigit Cassiopeo anno quingentesimo septuagesimo secundo supra Millesimum detecto, & aliis tempestatibus ad generationes, nec non corruptiones celestibus in corporibus excludendas aliquod aliud dari Centrum, quocirca talia sydera voluantur, est indubitanter interendum. Noster nihilominus Orbis Terrarum, qui à nobis conspicitur sphæræ figura insignitur, quæ suum neccessariò Centrum non potest non habere, de quo quæritur, utrum Globus sit ipse Terraqueus, seù potius, an princeps sit ipse Planetarum. Copernicus itaque in priori ad sui systematis fundationem, motuum, apparitionum & cælestium corporum positionum investigator, Theses istas: Globum scilicet Terraqueum in huius mundi dentro nequaquam esse constitutum, sed Solem, Planetas circa solem ipsum non circa Terram se voluere, sic arguendo deducebat. Si suum perficerent cursum circa Terraqueum Globum Mercurius, Mars, Jupiter Venus, & sic de reliquis discurrendum, eandem semper distantiam ab ipso Terraqueo globo deberent obseruare; atqui non semper est ita; Venus enim, dum longius abest à Terra, quam posset abesse, distat ab ipsa sex vicibus, relate ad id, quod distat, quando magis eidem appropinquatur, & mars quando vicinior est Terræ octoties ipsi proximior est, quam tunc, cum magis distare videtur. Hoc verò de aliis Planeris proportionaliter dictum. Patet ex his, non circa Terram, sed circa aliud aliquod Centrum Planetas reuolvi; quod verò Sol Centrum syderum esset, ex Marte, Iove, nec [non] Saturno concludebat, quandoquidem isti Planetæ in Solis oppositione sunt Terræ propinqui, ac in ipsiusmet Solis coniunctione, ab ipsa Terra sunt valde distantes, idcircò Terram haudquaquam esse Centrum huius Vniversi, sed solem Vt autem omnium saluaret phænomenum; & astrorum apparentiam, stationes scilicet, retrogradationes, aliasque Planetarum positiones, in Vniversi Centro, locali motu immobilem solem, vertiginis tamen motu laborantem, collocauit. Fuit istud Copernicani Systematis fundamentum, pluribus corroboratum rationibus, & validissimis argumentis instauratum. Sit opere pretium auribus prælibare, quæ fuerint dicta, tum ad ipsius fauorem, tum etiam ad reprobationem. Sic erit agnoscere, & quidem faciliter, an istud systema sit de jure, de ratione, pro veritate, pro fide ab omnibus amplectendum.

Copernici affeclæ primò eiusdem systema propugnant


gnant tali ratione. Si in Globo Terraqueo reperiretur signum aliquod euidens eundem moveri, sequitur eiusdem motus; atqui in Globo terraqueo reperitur hoc signum euidens eiusdem motus; ergò Globus Terraqueus reverà mouetur: min. probant. In Globo hoc Terraqueo reperitur, & late patet Estus Maris reciprocus; atqui estus reciprocus Maris est signum evidens motus Globi Terraquei; ergò &c. min probant. Si posita immobilitate Terraquei Globi, estus reciprocus Maris penitus conspici non posset, & è contra posita juxta Copernici mentem eiusdem mobilitate habeatur estus Maris reciprocus, jam hic estus Maris panditur esse signum evidens motus eiusdem: at ablata penitus à Terraqueo globo mobilitate, estus Maris reciprocus, naturaliter loquendo, in Globo eodem non reperiretur, at è contra insignitus globus ipse mobilitate, necessariò habetur; ergò &c. mai. ex terminis liquet. Min. quæ duas habet partes indiget probatione quoad omnem partem. Antequam igitur probent sectatores Copernici minorem illam, opere pretium est scire nonnulla ad hoc pertinentia, & primo in loco supponitur certum æstum hunc Maris reciprocum non prouenire ab ipsa Globi Terraquei immobilitate reduplicatiue accepta, sed ab alia aliqua causa ortum ducere. Ad hoc quidem ut verè cognoscatur quænam causa sit estus Maris huius, prius natura, motus, & proprietates æstus eiusdem nobis constare debent; cum verum illud assertum sit: *Effectuum cognitionem nos manuducere ad causarum cognitionem*. Porrò proprietates Maris motus ad hæc tria motuum genera reducuntur; primus motus nuncupatur motus diurnus, quo intervallo quarundam horarum aquæ Marium mouentur. Secundus vocatur motus menstruus, & hic videtur prouenire à Luna, non quia Luna in aquas Maris nouum motum diuersum introducat, sed quia certis statutis tempestatibus, primum auget motum. Tertius dicitur annuus, ex eo quia Sol in solstitiis, & æquinoctiis auget tantummodo diurnum motum; præcipua autem difficultas viget in diurno motu, potissimum quia tres diuersitates in eodem motu diurno inveniuntur. Prima est quod aquæ quorundam Marium excurrunt tum Oriens versus, tum Occidens versus, quin extollantur, & deprimantur. Secunda consistit in hoc, quod aquæ aliorum sinuum extolluntur, & simul deprimuntur, absque eo quod excurrant modò versus unam, modo versus aliam partem. Tertia demùm, quod aquæ extolluntur, simulque deprimuntur, una cum motu progressiuo ab una extremitate ad aliam, ut contingit in Mediterraneo. Alia etiam proprietas in motu diurno reperitur, supra quam Copernicani adstruunt suam difficultatem, & est, quod aquæ multùm in extremitatibus extolluntur, parùm, aut nihil in sinuum medio, & dum in una extremitate sinus, aquæ sursum feruntur, in opposita alia deprimuntur. His suppositis liquet maximum vigere discrimen in Marium aquis, quod causatur ratione motuum diuersorum, qui in se spectati, sunt uniformes, sed relatiuè comparati magnam afferunt diversitatem; ex hoc itaque Copernici sectatores assertum suum quoad primam partem propugnant, scilicèt, quod penitùs à globo Terraqueo ablata mobilitate, naturaliter loquendo, æstus Maris reciprocus in Globo eodem reperiri non debet. Tunc omninò ablata mobilitate à Terraqueo Globo, æstus Maris haberi non posset, quando posita eiusdem immobilitate, nulla esset causa eiusdem æstus; ast ablata penitus à Terraqueo Globo mobilitate, æstus Maris causa, est inassignabilis; ergò &c. Min probant. Si causa aliqua in suppositione Terræ immobilis esset assignabilis, maximè Luna; sed Luna nequaquam potest esse causa huius æstus Maris; ergò &c. Mai. est id, quod præcipuè tuentur aduersarii omnes, tam Peripatetici, quam asseclæ Tyconis, Ptolomei &c. Min. probant. Si Luna causaret hunc æstum, vel illum causaret per motum eiusdem Lunæ, vel per eiusdem occultas qualitates; sed neutro modo potest influere tam vehementer in Mare; ergò &c. Min. quoad primam partem sic probant Copernicani. Hoc ipso quod Luna per suum motum mouet aquas naturaliter, debet posse mouere etiam alia corpora leviora: sed liquet Lunam per suum motum non movere corpora alia leviora; ergò Luna per suum motum non potest causare æstum Maris Maj. per se patet, nam hoc ipso, quod aliquid habet vim mouendi corpus aliquod, debet necessariò habere vim mouendi corpus aliud leuius illo. Minor experientia constat, quia Luna non mouet tam alia corpora, quæ multum leuiora sunt ipsa acqua.

Probant modò minorem illam quoad secundam partem, multipliciter, & primò. Quando alicuius effectus causam agnoscere possumus naturalem, quin per qualitates occultas procedamus, sanè uti non debemus his qualitatibus occultis, neque causam eiusdem effectus qualitates occultas assignare; sed de Maris æstu reciproco habere possumus naturalem causam; ergò non erunt qualitates occultæ causa æstus Maris. Maj. per se nota est: min. infra patebit, ubi juxta Copernicanos demonstrabitur Globum Terraqueum esse causam æstus Maris.

Probant secundò min. illam tali medio. Si Luna habet vim movendi per qualitates occultas, marium aquas, debet semper, nec non eodem modo easdem movere; atqui Luna per suas qualitates occultas non semper eodemque modo aquas movet; ergo &c. min. ex supradictis constat; nam aquæ marium extolluntur, atque deprimuntur valde in extremitatibus, parum verò in eorumdem medio, ut experientia compertum est, quod in medio Adriatici, videlicet in Anconæ littore parum intumescunt aquæ. Hoc idem evenit in Mediterraneo, aliisve maribus, quæ fluunt, aque refluunt, itaque difficile videtur captu, quomodo possit movere aquas, easque intumescere solummodò in extremitatibus, non autem in sinus medio. Maj. probant paritate Magnetis. Quia Magnes insignitur his occultis qualitatibus ad ferrum trahendum semper, eodemque modo idem trahit, in debita positum distantia; ergo si Luna qualitatibus occultis insignitur ad extollendam, deprimendamque aquam, semper eundem ordinem servare debet. Conf. tenet paritate rationis usq; dum non afferatur potior ratio de una, quàm de alia. Tertiò sic probant. Si passum sit extra activitatis spheram agentis, agens in passum agere nequit; atqui marium aquæ sunt extra spheram activitatis Lunæ; ergo Luna agere nequit in aquas. Maj. certa est præcipuè in Aristotelis schola. Min. probant. Si inter passum & agens quoddam sit impedimentum, sanè hoc tollit agentis virtutem; atqui inter maris aquam, & Lunam quoddam datur impedimentum; ergo &c. maj. paritate Magnetis liquet, quia si marmor ponatur inter ferrum, & magnetem tollit sanè magnetis virtutem. Min. ostendunt. inter aquas maris, & Lunam terraqueus Globus interpositus est; at hic maximum videtur impedimentum; ergo &c. maj. constat. Luna etenim dum sub. Æmisphærio suum perficit cursum, aquæ adhuc



Figura decimaottava pag. 345.




Ticonis Siſtema Figura ultima pag. 347.

adhuc supra Æmispherium fluunt, atque refluunt.

Quidam instant contra hoc sic, Luna supra Æmispherium agit, dum in opposito reperitur, quia suam tribuit virtutem Zodiaci signo sibi opposito, adeoque esto immediatè non agat, tamen mediatè agit. Sed

Respondent Copernicani primò ex hac instantia sequi Lunam in Cœlo agere, sive in Firmamento, eo quia signa Zodiaci sunt stellæ in Firmamento positæ, hinc Lunam tribuere virtutem suam signis Zodiaci, est tribuere stellis Firmamenti, quod subsistere nequit, statuendo fluiditatem Cœlorum; secundò posita Luna in Arietis signo suam dat virtutem Libræ signo, porrò dum Luna pervenit in Libræ signo, vel Libra retinet adhuc virtutem Lunæ, vel non? si retinet; ergo non agit in marium aquis sola Luna; si autem non retinet illam virtutem, quomodo illam ammittit, qua ratione, sanè hoc subsistere non posse colligitur, siquidem idem penitus accidit in una, quàm in alia parte.

Dicunt secundò Cartesii asseclæ Lunam præmere ætherem interjacentem inter eandem, & Tellurem quando pervenit ad alicujus loci meridianum, quo æthere subjecta corpora præmente, aer, & maria cedunt utpotè fluida, eaque attollit versus litora. Sed

Contra respondent Copernicani in Cartesiana hypothesi sururum, ut aquæ intumescant, non in parte illa in qua Luna imminet, sed longius ab illo loco, quod experientiæ contrarium videtur, nam Luna æqualiter quotidie supra Mediterraneum puta excurrit, attamen aquæ intumescunt in meridiano, in quo Luna reperitur, Luna ulterius propter suam præssionem ubi æqualiter excurrit, pari passu aquas detumescere faceret, quod falsum viderur, eo quia vehementius in medio Sinum ac in extremitatibus detumescunt, & intumescunt marium aquæ.

Probare nunc conantur Copernicani minorem superius positam, nempe quod posita juxta Copernici Systema Telluris mobilitate, æstus maris habeatur. Aqua in vase quolibet existente, naturaliter moveri nequit, nisi vas in quo continetur moveatur; ergo aqua posita in continentibus terraquei Globi, nisi mobilitas in ipsomet terraqueo Globo adstruatur, moveri nequit, adeoque per ipsiusmet Globi motum maria intumescunt, & detumescunt. Ant. experientia certum est, aqua etenim ut vehementer moveatur in vase aliquo, vasis motus requiritur vel progressivus, vel sursum ex una deorsum ex altera parte, quod autem Telluris mobilitas, juxta Copernici mentem, causet maris æstum, sic ostendunt, motus etenim Telluri, juxta hoc systema, duplex est, ut insinuatum est Diurnus scilicet nec non annuus (relicto illo parallelismi, sive trepidationis, qui non censetur propriè motus. Primus motus, nempe diurnus ille est, quo Globus ipse terraqueus unam perficit revolutionem intervallo viginti quatuor circùm horarum; Secundus annuus, scilicet ille est, quo unius anni tempore per magnum Orbem Tellus excurrit, ex quibus colligi potest terraqueum Globum duobus semper motibus moveri, qui in marium aquas diversitatem maximam introducunt; ut autem hoc explicetur, sit in sequenti figura *ut in fine* O Sol in Universi centro collocatus, *E.* autem, & *F.* magnus Orbis circa quod terraqueus Globus *A.B.C.D.* excurrat ex Occidente versus Oriens nempè ex *E.* in *F*; ulterius Globus terraqueus moveatur intervallo viginti quatuor horarum ex Occidente versus Oriens videlicet ex *A.* in *B.* ex *B.* in *C. D. A*; præterea dum Globus aliquis circa proprium Axem revolvitur, partes ejus motibus subjacent contrariis, ut cernere licet in figura 18. (*ut in fine*), nam quando partes, quæ v. gr sunt inter *A* & *B.* ex *A.* in *B.* moventur, partes oppositæ alio subjacent motu, partes enim inter *A.* & *B* ex dextera ad lævam feruntur, partes autem inter *C.* & *D.* ex læva ad dexteram moventur, proinde in Globo terraqueo partes, quæ ex *A.* in *B.* feruntur, duplici ex dextera ad sinistram gaudent motu, diurnus scilicet ex *A* in *B.* annuusque simul ex *E.* in *F.* videlicet in eandem dexteram partem; verum è contra partes inter *C.* & *D.* dum ex diurno motu de dextera ad lævam, moventur, ex annuo motu ex dextera ad lævam feruntur, ac proinde à duobus contrariis motibus agitantur, ex hoc infertur, quod aquæ sinum dum in una parte velocius moventur, in altera verò tardius, quod postea aquæ attollantur in sinuum extremitatibus, parum autem in medio clarè innotescit, siquidem aquæ in extremitate *A.* dum à motu terræ ad extremitatem *B.* ferri debent, Globus terraqueus cum moveatur ut dictum est per duplicem motum versus eandem partem velociter excurrit, hinc aquæ sequi nequeunt Telluris motum, quia sunt contiguæ non autem continuæ, idcircò maxima aquæ pars remanet in extremitate *A.*, & parvam in *B.* extremitate, in qua deprimuntur, postea dum sunt in extremitate *B.* refluunt, & excurrunt velociter versus *C.* extremitatem ut æquilibrium acquirant; dum sunt in *C.* & à Tellure in *D* ferri debent, aquæ magnam partem remanere in *C.* extremitate evincitur, eo quia magnum aquæ pondus nequit velociter in *D.* sursum tolli, & sic etiam evenit in partibus inter *D.* & *A*; totum hoc confirmat ulterius experientia, sinus enim, qui ex Oriente in Occidente secundùm longitudinem extenduntur, ut est Mediterraneus, valde fluunt, & refluunt, illi autem ex Septentrione in meridie se extendunt, ut Mare rubrum parum fluunt, & refluunt propter vibrationum frequentiam, quæ etiam est ratio cur quædam maria prope Polos, & etiam lacus non fluant & refluant, quia statim ac in una extremitate attolluntur, recedunt propter parvitatem continentis relatè ad globum terraqueum, & en breviter æstus maris in Copernicana Hypothesi quoad diurnum motum explicatus, quoad annuum autem, & menstruum brevitatis gratia omittimus, qui fusè videri possunt in Almagesto Patris Clavii, aliàs igitur sectatorum Copernici rationes audiamus.

Probant secundò. Systema illud verius aliis omnibus est, quod facilius astrorum apparentias, nec non phenomena explicat; Tale est Copernici Systema; ergo verius est omnibus aliis. Minorem probant. Systema illud facilius apparentias astrorum omnes explanat, quod minus utitur in iisdem explicandis epiciclis, excentricis, motibus, &c. ita est Copernicanum Systema; ergo &c. Maiorem certam tenent etiam in Peripatetica Scola, nam ex Arist. Non sunt multiplicanda entia absque necessitate; ulterius frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Min. Ab iis, qui huic Systemati aduersantur, fatetur, siquidem ut explicetur phænomenon aliquod, in via huius Systematis facilius habetur.

Probant tertio de Diurno motu. Motus circularis tribuendus est Cœlo, vel Terræ; atqui motus Diurnus, qui est circularis, tribui nequit Cœlo; ergò

tribui debet Terræ; min. Probant. Ei tribuendus est circularis motus, cui competit; sed Cœlo non competit; ergò &c. Min. probant. Circularis motus competit Soli sphericæ figuræ; atqui Cœlum, sphérica non gaudet figura, vel saltem dubitatur; de Terra autem ferme agnoscitur; ergò potius Tellus, quam Cœlum movetur.

Probant quartò. Si per totius motum habeatur id, quod per motum alicuius partis eius habetur, iam ab simplicitatem, nec non facilitatem tribuendus est motus potius parti, quam toto; ast per motum Telluris, quæ est Vniversi pars id habetur, quod haberi potest per Cœlum, quod tamquam totum se habet; ergò motus tribuendus videtur Globo Terraqueo potius, quam Cœlo. Reliqua argumenta, quæ huic fauent Systemati conspici possunt apud P. Clavium in suo Almagesto De Systemate Terræ motæ. Audiamus itaque solutiones quas præstant Copernicani ad Argumenta, quæ huic Systemati aduersantur. Sit.

## CAPUT NONUM.

*Obiectione contra hoc Systema exponuntur una cum Copernicanorum solutione.*

OB. primò Pluribus in locis Sacræ Scripturæ affirmatur Terram esse immobilem, & Solem moveri; ergò Terra non movetur sed Sol. Ant. adducendo Sacræ Scripturæ textus probatur Iosue etenim *cap.* 10. inquit *Sol ne movearis contra Gabaon &c. steteruntque Sol & Luna*. Ecclesiastes 5. *Terra autem in æternum stat, oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Ps.* 103. *Qui fundauit Terram super stabilitatem suam non inclinabitur in sæculum sæculi*; ergò ex his colligitur Terram immobilem esse, solemque moveri.

Respondent multipliciter Copernicani, & primo Loca illa Sacræ Scripturæ de Terræ immobilitate, & Solis mobilitate intelligenda esse secundum apparentiam, non autem in litterali sensu; siquidem (aiunt) Scriptura multis in locis accipi nequit in litterali sensu, uti constat in illo *Genesis cap. primo Fecitque Deus duo Luminaria magna* Solem scilicet, ac Lunam, cum tamen Luna non sit Luminare magnum, nisi apparenter, quatenus nostris oculis sit. Insuper à Deo Sol, atq; Luna Luminaria Magna nuncupantur, cum tantummodò Sol sit Luminare, non verò Luna, quæ Solis lumine indiget, hinc li Luminare sumi debet apparenter, non vero de reali lumine ab ipsa Luna emanante. Vlterius in Ecclesiastico *cap.* 27: legitur: *Homo Sanctus in sapientia manet sicut Sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Quod intelligitur de apparenti mutatione, non autem de vera, & reali, cum in se ipsa non mutetur realiter, & intrinsece, adeoque concludunt etiam illa in argumento relata accipi apparenter, non autem phisicæ & realiter. Secundò Respondent, Copernicanum Systema non aduersari Sacræ Scripturæ, cum ex ipsis Sacræ Scripturæ textibus propugnari possit in libro siquidem primò Regum legitur: *Domini enim sunt Cardines Terræ & posuit super eos orbem.* Per ly *Cardines* Poli intelliguntur, qui, & cardines nuncupari solent, si Terræ igitur à Deo tribuuntur, sequitur supereos eandem moveri, secus impropriè Deus Terræ tribuere Polos, & super eos orbem eiusdem posuisset si supra eos volui non posset, proprius itaque erat Domini enim sunt Cardines Mundi, sive Vniversi. Itidem hoc in lib. Prou c. 8 legitur. *Nec dum flumina fecerat, nec Cardines Orbis Terræ.* Præterea in Iob 9. hæc habentur: *Qui commouet Terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*, ex quo Copernicani Terræ motum inferunt, & hinc non Sacris litteris contrarium.

Tertiò respondent Scripturam ad vulgi captum se accomodare, adeoque insinuat quid vulgo videatur, non autem quid sit. Porrò uulgus credit solem moveri, ideò sic illis loquitur Scriptura Sacra, cum intentio eius sit non docere Doctrinam ad Fidem, & bonos mores spectantem, non autem Astronomiæ, aliarumue scientiarum regulas tradere.

Quartò tandem respondent singillatim ad textus relatos, & primo ad illa verba: *Sol contra Gabaon ne movearis* asserunt textum in litterali sensu explicatum fauere potius Terræ motæ Systemati, quam Terræ immotæ, dum in Copernicæa Hypothesi Terræ motæ, sol etiam moveatur circa proprium Axem, tribuitque motum aliis corporibus cælestibus, & ideò Telluri etiam, immoto autem movente, immotum etiam mobile remanet: cum autem Iosue immotam optabat Terram, Solem moventem iussit non moveri; & vlterius quod stetisset Sol in medio Cœli explicant in præsenti Systemate, quia in medio Cœli, idest in Vniversi medio, Sol in Copernicæa Hypotesi collocatur, adeoque hoc ipso quod steterit verificatur eum in Cœli medio stetisse, quod in alio Systemate explicari nequit. Ad illud Eccl. cap. primum afferunt verba illa *Terra autem in æternum stat* esse verborum præcedentium illationem scilicet: Generatio præterit, & generatio advenit; ergò Tota terra stat, idest secundum se totam neque corrumpitur, neque generatur; ad illud: *Oritur Sol & occidit &c.* explicant apparenter contingere, quia Sol impropriè oritur & occidit in qualibet Hypotesi. Illud verò Regii Prophetæ Ps. 103, *Qui fundauit terram super stabilitatem*, intelligitur super firmitatem, & soliditatem suam; En ergò quod Copernici sectatores contendunt solutos esse sacrarum litterarum textus.

Ob secundò. Si Terra motu diurno moueretur primò sequeretur, quod Aues neutiquam possent ad suos nidos reuertere, ex quibus recesserunt. Secundò quod Aues, & nubes, utpotè à Tellure distantes motum eiusdem Terræ sequi non possent. Tertiò quod Fumus ex combustione aliqua ortus iret semper versus Occidens; sed experientia contrarium euincit; ergò Terra immobilis statuenda est.

Negant Copernicani sequelam majoris, quoad omnem partem, & rationem negationis adducunt dicendo quod Aer una cum Terra diurna insignitur reuolutione, eo quia Globus Terraqueus montuosus in superficie, secum rapit ipsummet propinquum Aerem, ac consequenter Nubes, & fumum, quia vigent in aere ipso; supposito autem piano in superficie ipso Globo Terraqueo non raperet aerem, & hoc experientia euincitur, siquidem illi qui sub Zona Torrida in magno Oceano nauigant, vel sub Equinoctiali ex Occidente in Orientem sentiunt ventum spirare prouenientem ab Oriente, argumentum validissimum de Terræ motu, quia illo in loco Globi superficies plana est, ideoque secum aerem ducere nequit. Aues etiam sequi possunt Terræ motum, quia in eorum à Terra recessione motum retinent jam acquisitum, dum in ipso Tellure sistunt, adeoque sequi possunt eundem Terræ motum, & à proiectis differunt in hoc quod projecta à principio extrinseco mouentur, Aues autem ab intrinseco. Superfluum videtur alias adducere rationes contra Copernici Systema, quæ, vel physicas, vel Mathematicas sint,

ſint, quandoquidem eas ſanè dirimunt Copernicani, & potiſſimum apparentias aſtrorum omnes explicant egregiè. Verùm Argumentum de Decreto ſub Paulo Quinto emanato, atque de ſenteotia in Galilæum, & eius abjuratione ſub Urbano Octauo nequeunt effugere, nec euitare poterunt, niſi fallibilitatem in Sacra Congregatione introducant, quod abſit.

## CAPUT DECIMUM.

*Aperitur Tyconis Syſtema.*

TIco Braheus Syſtemata prænotata perſcrutando nullum eorum illi placuit; non illud Ptolomæi, quia cum phænomenis, & obſeruationibus nequaquam congruit, adeoque putauit eſſe contra Aſtronomiæ, nec non phyſicæ regulas. Neque ei arriſit illud Copernici, eo quia Sacris litteris aduerſatur, & à S. Congregatione rejectum fuit, idcircò mediam amplexus eſt viam in Uniuerſo diſponendo, Tellurem collocando immotam in Uniuerſi Centro, & ab illo Centro ſupremam poſuit Fixarum ſphæram, intra quam Eclipticam, per quam Sol motu annuo percurrit, poſtea Lunam Terram pro Centro aſſignando, Solem autem inſtituit pro omnium planetarum centro eos diſponendo ſic. Primò propè Solem Mercurium collocauit, ſupra quem Venus videtur, poſtea Mars Iupiter, atque Saturnus, Orbis verò Martis (ut in Figura ultima conſpicitur *ut in fine*) Eclipticam ſecat, eo quia aliquoties (ut jam inſinuavimus) ſupra, aliquoties ſub Sole conſpicitur, & ſic omnes Phænomenum apparentias jure merito ſaluat, eſtò aliquas patiatur difficultates: nihilominus ab omnibus fere Philoſophis propugnatur, & defenditur, adeoque ſat eſt eum expoſuiſſe, juxta ejus mentem, ſi quis fuſius ſcire optat, Authores legere poteſt.



LIBER

# LIBER QUARTUS

## De Generatione, & Corruptione, seu de Ortu, & Interitu.

# DISPUTATIO PRIMA.

### De Generatione substantiali, & corruptione.

### CAPUT PRIMUM.

*Assertur utriusque conceptus quidditatiuus.*



Eneratio secundùm conceptum suũ formalem, prout contradistinguitur à mutatione, & conuersione, sic optimè definiri potest: *actio productiua termini substantialis dependenter à subjecto, tamquam à causa passiua.* Descriptio hæc clara est; dicitur in primis actio productiua, per quas particulas genericè conuenit, nedum cum generatione accidentali, verùm etiam cum creatione, & differt à mutatione; hæc enim propriè importat transitum subjecti communis ab uno in aliud omninò præscindendo à causa efficienti, & ab effectu producto; nam mutatio solùm respicit tamquam terminum per se formam ipsam. Dicitur *termini substantialis*, ut generatio secernatur ab omni accidentali productione, ac proinde à prævia alteratione: nec enim esse potest eadem actio, qua per se fiant accidens, & substantia, cum actiones à terminis suam specificationem desumant; dicitur tandem dependenter à subjecto, tamquam à causa passiua, ut generatio distinguatur à creatione. Hæc enim est actio independens à subjecto, per quam terminus totaliter extrahitur ex nihilo, atque propria solius Dei; generatio verò dependenter à subiecto, tamquam à causa passiua, necessariò fit. Patet ergò hanc optimam esse definitionem.

Dices. Potest melius definiri generatio ex Philosopho, si dicamus, vel quod sit *mutatio de non ente ad ens*, id est de priuatione formæ substantialis ad formam substantialem, *vel mutatio à substantia in potentia, hoc est à materia prima, ad formam*, vel tandem quod sit *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut subiecto eodem*; Ergò

Respondeo non omnes definitiones, quas refert Philosophus, legitimas esse juxta regulas exactæ definitionis, uti censemus esse superius relatas; nec enim mutatio simpliciter, nec totius in totum, uti est conuersio, sunt de essentia generationis. Non prima, quia si in eodem instanti reali crearetur materia, & ex ipsa educeretur forma, ut de facto contigit in prima rerum productione, daretur generatio absque mutatione.

Secundò, quia essentiæ rerum in primo instanti suæ existentiæ producunt in seipsis suas proprietates, quæ tamen productio est vera, & Physica generatio, licèt accidentalis; Ergò mutatio non est de essentia generationis. Nec etiam esse potest conuersio ipsa, quia juxta sententiam probabilem asserentem posse esse duas formas totales supernaturaliter in eadem numero materia, haberi potest vera generatio absque conuersione. Tandem descriptiones Philosophi videntur conuenire etiam creationi, quia si Deus destructa forma Ligni, in materia crearet formam ignis, & hanc materiæ uniret, in tali casu daretur mutatio totius in totum, & tamen non daretur generatio, sed creatio; Ergò dari potest saltem supernaturaliter generatio absque conuersione, adeoque conuersio non est primus generationis conceptus.

Post generationem, corruptio substantialis, explicanda remanet, estque *mutatio ex ente simpliciter in actu, ad non ens simpliciter in actu*, quod idem est, ac dicere est *mutatio materiæ primæ à forma substantiali simul cum ipsa constituente totum substantiale, ad hujusmodi priuationē*, proindeque ad non esse compositi, quod ex ipsa, & forma intrinsecè constabat. Hæc vox *mutatio* stat loco generis, quamuis enim per istam corruptio differat ab annihilatione, quæ mutatio non est, quia non datur subiectum commune, quod recipiat in se transitum ab esse ad non esse, sicuti in creatione non datur commune subiectum, quod in se recipiat transitum ab esse ad non esse, qui transitus aliundè indispensabiliter requiritur ad mutationem, per illam tamen particulam, conuenit cum corruptione accidentali, quæ verè mutatio est. Per reliquas verò partes differt ab accidentalibus corruptionibus; hæ enim non sunt mutationes ex esse simpliciter, hoc est ex forma substantiali in materia, sed ex esse secundùm quid, vel ex forma accidentali. Per hanc verò vocem *mutatio* conuenit pariter cum generatione, ut mutatio est, ut patebit consideranti: mutatio enim nihil aliud dicit, quam transitum ab uno in aliud, quamuis postea transitus, quem dicit corruptio fit ab esse, ad non esse, ille verò, quem importat generatio, fit à non esse ad esse.

### CAPUT SECUNDUM.

*Exponitur, in quo Sensu verum sit corruptionem unius esse alterius generationem.*

Quo sensu verum sit hoc principium à Philosophis communiter receptum, placet hic investigare, quod ut fæliciter fiat, non incongruum esse existimo aduertere, multipliciter ipsum accipi posse. Primò quidem concomitanter, quatenus generatio unius compositi naturaliter facta, semper concomitatur alterius corruptionem, sic tale proloquium intelligunt Patres Complutenses. Secundò alii Sustinent intelligendum esse formaliter, eo quia tam generatiu, quàm corruptio important unitatem actionis. Corruptio enim non est actio distincta à generatione, sed est eadem actio formaliter generatiua, quæ virtualiter est corruptiua ratione termini generati, & incompossibilis cum forma opposita, sic Joannes à S. Thoma. Tertiò sustinent alii verùm esse in sensu causali, quatenus

ideò

ideò prior expellitur forma, quia noua introducitur. Sic communiter Scotistæ. In primo, & secundo sensu generationem esse corruptionem alterius affirmo, siquidem corruptio non est actio distincta ab actione generatiua, cum non detur actio peculiaris terminans ad non esse, cum enim corruptio per se, & ratione sui sit purum malum, nequit intendit per se à natura, intenderetur autem, si ipsius esset peculiaris actio à generatiua distincta; Ergò talè principium verum est in sensu formali. Quod autem verum etiam sit in sensu concomitanti, experientia constat, siquidem in qualibet generatione substantiali facta ordine naturali intervenit semper alterius corruptio, siue hæc deinde proueniat ex repugnantia naturali residente in ipsa materia ad recipiendum simul duas formas, ut volunt Complutenses, siuè ex incompossibilitate duarum formarum in eadem materia, ut communiter Scotistæ.

Dixi in prima, & secunda explicatione propositionem illam esse veram, quia tertiæ explicationi non arridet Henricus, affirmans falsum esse, ideò priorem formam expelli, quia noua introducitur ly *quia* appellante causalitatem, itaut forma noua sit vera causa expulsionis, & veteris formæ corruptionis, siquidem (sunt verba Doctoris) *quamuis in eodem instanti temporis fiat corruptio unius, & alterius generatio, naturaliter tamen est prior corruptio & posterior generatio, itaquod secundùm Philosophum octauo Phisicorum, si quum illud, siuè instans idem secundùm rem, in quo fit generatio, & corruptio, debet distingui in prius, & posterius, secundùm rationem, itaut in priori fiat corruptio, generatio verò in posteriori, undè non dicitur propriè materiam esse in potentia propinqua* (nempè proxima) *ad generationem, nisi pro posteriori signo, in quo jam est denudata à forma priori per corruptionem. Quo posito licèt materia existens in potentia propinqua in eodem instanti temporis, simul transmutetur, & transmutata est existens actu sub forma geniti, tamen hic similiter opportet unum instans secundùm rem, & secundùm unam rationem generalem diuidere in duo secundùm rationes speciales, & generaliter in priori transmutatur, & est in potentia ad formam, & in posteriori transmutata est, & est in actu sub forma. Et est materia in illo priori propriè medium interens, & non ens, nec est pro illo signo potentia generandi in corrupto, nec in generato, sed in ipsa materia sola, & sic media est, & subiectum transmutationis, quæ est via ad generationem, & sic unum instans secundum rem distinguimus, secundùm tria signa, differentia sola ratione, quorum primum est, in quo fit corruptio. Tertium in quo fit generatio. Medium, in quo fit transmutatio ad generationem.*

Hæc sunt precisa verba Henrici, ex Summa desumpta *art.* 59., & *quæst.* 11., ex quibus quamuis propemodum infinita desumi possint argumenta ad ostendendum formam nouam non causare veteris expulsionem, sed potius hanc præire formæ nouæ introductioni, hoc unico tamen sum contentus.. Nequit produci forma noua in materia ordine naturali, quin materia intelligatur in priori in potentia propinqua, seù proxima ad ipsam formam nouam; sed in tali potentia intelligi nunquam poterit, quin prius ratione intelligatur denudata forma veteri; nec enim hæc intelligitur, quoties in materia perseverer forma vetus; Ergò prius est veteris expulsio novæ formæ introductione; sed si prior est veteris expulsio novæ formæ introductione, iam forma nequit causare ipsius expulsionem. Ergò explicatio superioris proloquii, quam assignat Mastrius, illegitima est.

Dices. In genere causæ finalis generationem esse priorem corruptione, quia generatio per se intenditur à natura, corruptio verò non. Secundò generationem esse priorem corruptione in genere causæ formalis, quia expulsio formæ præcedentis est effectus secundarius formæ novæ, atque adeò supponit formæ novæ introductionem in materia. Tertiò tandem esse priorem in genere causæ efficientis, quia efficiens non corrumpit, ac depellit à materia formam veterem, nisi introducendo nouam incompossibilem cum illa, qua ratione actio generativa formæ novæ dicitur virtualiter corruptiva antiquæ formæ; sed

Contrà est, siquidem quamuis verum sit, quod expulsio formæ veteris, non præcedat formæ novæ introductionem in genere causæ formalis, efficientis, vel finalis, quinimò potius præcedatur, præcedit tamen in genere causæ materialis, de qua præcedentia sermo est apud Henricum, ut patet his verbis: *Itaquod non dicitur propriè materia esse in potentia propinqua ad generationem, nisi in posteriori signo, in quo iam est denudata à forma priori per corruptionem, & sic in potentia propinqua existens*: Prioritas autem hæc causæ materialis formæ nouæ relatæ ad veterem, non reprobatur à Mastrio per superiorem instantiam, nec pariter per nonnullas alias, quas referre, hic, & refellere placet. &

Primo, repugnat expulsionem esse dispositiunem præuiam ad formæ dispositionem, à qua ipsa procedit; sed expulsio procedit ab ipsa forma noua; Ergò nequit esse dispositio præuia, à qua procedat.

Secundò, introductio actiua ex parte agentis præcedit expulsionem actiuam per aduersarios; Ergò etiam ex parte materiæ introductio passiua, seù receptio præcedit expulsionem passivam. Probatur consequentia. Effectus oppositi sunt simul natura, sed introductio actiua, & passiua sunt respectus oppositi inter se; sicuti etiam expulsio actiua, & passiua; Ergò si introductio actiua præcedit actiuam expulsionem, etiam passiua introductio præcedet passiuam expulsionem, cum passiua introductio sit simul natura cum actiua, & passiua expulsio cum actiua, undè sic argui potest. Ideò agens expellit formam veterem a materia, quia nouam introducit; Ergò è contra, hæc erit vera ex parte materiæ, ideò forma vetus expellitur, quia noua recipitur, & introducitur.

Tertiò, quia repugnat mutua causalitas etiam in diverso genere causæ; ergò repugnat, quod expulsio formæ veteris, sit causa materialis formæ novæ, quæ tamen aliundè est causa efficiens expulsionis ipsius formæ veteris; ergò.

Hæ instantiæ revera sunt difficilis solutionis, & maximè tertia, nihilominus singulis occurendum est, & à prima incipiendo authumo, illam formæ veteris expulsionem non præcedere formam nnvam, prout effectus est formæ novæ, sed præcedere secundum aliam inspectionem, prout nimirum habet constituere materiam in linea potentiæ proximæ, cum esse non possit in potentia propinqua ad novam generationem, nisi prius denudetur forma priori per corruptionem. Non est autem mirum, quod una res secundum diversam inspectionem, sit simul in priori, & posteriori respectu alterius, ut patet in ipsa Divina essentia, quæ prout habet exercere rationem formalem objecti motivi est in priori ad cognitionem, cum sit ipsius comprincipium, prout verò exercet rationem objecti purè terminativi divinæ cognitionis non in priori; sed quodammodo in posteriori ad ipsam est.

Ad secundam verò instantiam disparitas est, ideò enim introductio activa formæ novæ præcedit expulsionem activam formæ veteris ex parte agentis, quia introductio activa, & expulsio activa se habent ut causa, & effectus; quæ autem sic se habent, se habere quoque debent necessariò, ut prius & posterius; at verò ex parte materiæ introductio passiva novæ formæ non se habet, ut causa respectu expulsionis passivæ formæ veteris, sed potius, ipsius effectus, cum forma nova non recipiatur in materia, nisi hæc in priori signo denudetur forma veteri per corruptionem, & intelligi possit in potentia proxima ad formam novam. Ad paritatis verò probationem verum est effectus oppositos esse simul natura, dummodò nil aliud obstet in contrarium, quod si aliquod in contrarium sit, axioma non habet suam veritatem. Modò autem intercedit impedimentum, illudque est superius allatum, nimirum quia forma nova nequit recipi in materia, quin in priori signo saltem rationis, intelligatur saltem in potentia proxima ad ipsam formam novam, in tali autem potentia proxima intelligi nequit, nisi in priori ad ipsius introductionem passivam, intelligatur passiva formæ expulsio.

Tertia tandem instantia difficilioris est solutionis, & adeò difficilis est, ut usque nunc solida non occurrat solutio. Cum enim in Henrici Schola repugnet mutua causalitas etiam in diverso genere causæ, nequit argumentum solvi, ut solvere existimant Thomistæ, volentes formam novam causare expulsionem formæ veteris in genere causæ formalis, formam verò veterem causare novam in genere quodammodo causæ materialis, nihilominus ut aliqualiter argumento occurram, judico expulsionem formæ veteris propriè non causare in genere causæ materialis formam novam quamvis prærequiratur in materia ad hoc, ut habeatur in ipsa potentia proxima, & hoc quia expulsio formæ veteris nihil est, cum sit pura carentia ipsius formæ in materia; quod autem nihil est, exercere nequit munus causæ materialis propriè loquendo.

## CAPUT TERTIUM.

*Solvuntur Objectiones.*

Veritatem principii superius expositi aliqui bus argumentis contendunt nonnulli dirimere, & quidem primò. Si detur vera generatio facta ordine naturali, quin concomitetur alterius corruptio, falsum est tale principium philosophicum etiam in sensu concomitanti; atqui revera assignabilis est vera generatio, quin concomitetur alterius corruptio; ergo: probatur minor, quia in corruptione animalis intervenit corruptio, & tamen nil generatur, non quidem forma cadaverica; incertum enim est ipsam dari, & in productione hominis intervenit vera generatio, in qua non intervenit alterius corruptio; si enim aliquid eorum periret maximæ forma embrionis, quæ tamen non corrumpitur, quia antecedente anima remanet. Secundò lux, & species visuales generantur in subjecto, in qua tamen generatione nullius sequitur corruptio, & tandem in anima, novi actus producuntur quotidiè, quin alterius sint corruptivi.

Respondeo, hoc argumentum nullam scholam urgere, non quidem subtilis, siquidem respondere solent aliqui, vel etiam in animatis generationem semper concomitari alterius corruptionem, & vice versa; etenim dum producitur vivens, forma embrionis esse desinit, dum verò idem corrumpitur, quamvis immediatè nil generetur (non enim ponunt formam cadavericam) generatur rameo aliquid mediatè, quia cadaver resolvitur in vermes, & cineres, vel principium verum esse dicunt unicè loquendo de corruptione adæquata, & ultimata, quæ non intervenit in morte hominis, cum remaneat forma corporis, dum viventia corrumpuntur; vel tandem alii Scotistæ docent etiam in generatione hominis intervenire corruptionem embrionis, non quidem in ratione embrionis, cum remaneat adveniente anima, sed in ratione totius, siquidem in priori ad generationem viventis erat totum, post generationem verò non est amplius totum, sed pars totius.

Sed nec Thomistas urget, docent enim in corruptione viventium intervenire alterius generationem, & hanc esse existimant ipsam formam cadavericam, atque etiam in ipsa generatione formæ embrionis corruptionem inveniri, nisi dicere velimus cum quibusdam antiquis Thomistis animas successivè introduci, & taliter (si verum est, quod aliqui Thomistæ hoc asseverint) ut adventu perfectioris imperfectior corrumpatur, in quorum sententia generatio viventis rationalis erit alterius corruptio, quatenus dum anima rationalis advenit, & materiæ communicatur, sensitiva præcedens corrumpatur.

His tamen solutionibus omisis quatenus innituntur, vel supra falsum suppositũ, cum supponatur formam embrionis remanere accedente forma viventis, & in viventium corruptione formam mixti, seu corporis non corrumpi, cum in Henrici sententia ad animæ recessum, & ipsa recedat per corruptionem, atque in altera solutione supponatur successio ipsarum animarum, quam impugnabo acriter in materia de anima, ubi statuam primam formam viventem advenientem materiæ esse rationalem, dico relatum proloquium veritatem suam retinere etiam in generatione humana, nedum quia, cum generatur homo, corrumpitur ipsa forma embrionis incompossibilis cum forma viventis adveniente, sed etiam quia, cum ante productionem hominis intelligebatur ipsa privatio viventis rationalis, affirmari poterit, quod hæc sit, quæ corrumpatur per ipsam viventis generationem, quia vivente generato non remanet amplius carentia, seu vitæ privatio.

Quod autem additur in argumento de luce, speciebus vitualibus, & actibus vitalibus, nil facit contra nos principium illud præcipuè sustinentes in solis generationibus substantialibus, cujusmodi certè non sunt productiones lucis, specierum visualium, aut quoque vitalium.

Arguunt secundò alii. Generatio unius formæ, & corruptio alterius non sunt in eodem instanti; ergo non verificatur quod generatio unius sit corruptio alterius concomitanter, probatur antecedens primò, quia forma præexistens corrumpitur statim, ac ponitur ultima dispositio ad formam generandam, sed illa ponitur in tempore immediatè antecedenti ad instar generationis; ergo generatio, & corruptio non coexistunt in eodem instanti, secundò quia materia nequit simul habere duas formas; ergò prius ammittit unam, quàm assequatur aliam; ergo generatio unius præsupponit corruptionem alterius, & consequenter non eruot simul.

Respondeo distinguendo antecedens, generatio, &

& corruptio non sunt in eodem instanti temporis, nego antecedens, naturæ, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quamvis enim verum sit corruptionem, & generationem non coexistere in eodem instanti naturæ, ob plures rationes, inter quas infimæ non sunt, quæ in argumento referuntur, sunt tamen simul coexistentia temporis, quatenùs corruptio datur in eodem instanti temporis, quo ponitur alterius generatio.

Arguunt ultimò alii. In nutritione Hominis corrumpitur forma alimenti, atqui non generatur alia forma, sed præcisè anima rationalis se extendit ad informandam materiam ejusdem alimenti; ergò corruptio unius non est generatio alterius.

Respondetur etiam in casu intervenire alterius generationem, in sententia quidem Scoti, & Henrici, quatenùs ità forma alimenti corrumpitur, ut ejus materia acquirat partialem formam corporis, quæ de novo producitur per nutritionem. Vel etiam dici potest aliquid generari, quia materia alimenti acquirit de novo quasdam qualitates, æterogeneas, vel quia materia per nutritionem transit de privatione formæ viventis ad formam viventem.

Quæres tandem pro ulteriori cognitione superioris principii, an hoc etiam sub conceptu mutationis verum sit.

Respondeo negativè cum Diuo Thoma quæstione 28. de veritate art. Primo, ubi hæc habet ad rem: *Generatio est mutatio de non subiecto in subiectum, corruptio verò est mutatio de subiecto in non subiectum, & ideò in abiectione unius affirmati, & adeptione alterius, oportet duas mutationes intelligere, quarum una sit generatio, & altera corruptio*: Et ratio à priori est quia generatio, & corruptio prout tales mutationes sunt respiciunt diversos terminos primarios, & adæquatè distinctos; Ergò prout tales mutationes sunt, esse nequeunt unum, & idem. Patet antecedens. Generatio enim prout mutatio est, terminatur ad esse, tamquam ad suum terminum primarium, corruptio verò è contra ad non esse, esse autem, & non esse sunt termini adæquatè distincti. Hæc ratio adeo solida est, ut ipsi, nedum Thomistæ adhæreant, sed etiam extra Schoiam Mastrius disp. 5. de Ortu, & interitu quæst. 4., & quod magis interest, adhæreat noster Henricus.

Quod si dicas mutationes, & actiones non multiplicandas esse penes terminos secundarios, ideoque cum non esse formæ præexistentis sit terminus secundarius generationis, jam in ordine ad ipsum non esse formæ, non erit ponenda mutatio distincta; moneo facilem adesse solutionem, siquidem non esse formæ, esto sit terminus secundarius respectu generationis, non est tamen respectu corruptionis, quæ primò terminatur ad non esse ipsius formæ, hoc ipso autem, quod generatio primò terminatur ad esse, & corruptio ad non esse, iam sequitur terminos primarios esse diversos, & consequenter, & corruptionem ipsam, atque generationem in ratione mutationis inter se diversificari.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quinam sit terminus ad quem generationis substantialis.*

De terminoà quo generationis substantialis, satis diximus in primo Physicorum, vbi statuimus cum Communi Sententia esse privationem.

Difficultas ergo hic procedit de termino ad quem. Antequam hæc dirimatur, aduertere volumus primò, tria esse præcipuè, de quibus dubitari potest, primum est forma substantialis, quæ simul cum materia intrinsecè, & essentialiter totum constituit, quæ aliquando de potentia materiæ educitur, aliquando non, ut evenit in Hominis generatione. Secundum est unio, qua forma unitur materiæ. Tertium est totum, seù compositum substantiale, quod ex materia, & forma unitis resultat, seù habetur.

Sciendum est secundò, hoc totum dupliciter accipi posse. Primò prout tantum dicit quamdam entitatem Physicam ex partibus constitutam, qua ratione dicitur natura individua actualiter existens, estque principium elicitiuum suarum operationum. Secundò prout ultrà hoc importat subsistentiam, à qua habet quod suppositum, vel Persona sit, hoc est, quod incomunicabiliter existat modo in Physicis explicato.

Præmittendum est Tertiò Generationem plures, & diversos terminos habere posse. Primus est terminus à quo, estque privatio, ut iam dictum est, alius *ex quo*; & hic est materia, ex qua educitur forma; alius *quod* qui etiam *qui* appellatur; alius denique, *quo*, seù formalis, & quo specificatur actio generatiua.

Aduertendum est quartò, & recolendum id, quod diximus in Physica, nimirum per unam, & eamdem actionem generatiuam educi formam de potentia materiæ, nec non unionem, & produci compositum, saltem in generatione rerum naturalium, quæ constant forma materiali, & educibili. Hinc cum per generationem hæc omnia præstantur, quæritur undè nam ipsa actio sortiatur nomen generativæ, an videlicet, quia producit formam substantialem, vel unionem, vel totum substantiale. Circa quam difficultatem.

Prima sententia, quæ est quorumdam recentiorum affirmat, actionem, per quam prædicta omnia fiunt, formaliter rationem generationis habere, non ratione eductionis formæ de potentia subjecti, nec quatenus productio est totius compositi, sed quæ unitio formæ cum materia, adeoque ponit pro termino formali generationis unionem materiæ cum forma.

Secunda sententia docet compositum, siue totum esse terminum totalem, siue *qui* generationis, formam verò esse terminum formalem, siuè *quo*, unionem verò esse tantùm conditionem extrinsecam ejusdem termini, sic Ruvius *lib.* 1. de generatione, & corruptione *cap.* 4. *tract.* 1. *quæst.* 3. *num.* 46. aliique in Schola Scoti.

## CAPUT PRIMUM.

*Duplici conclusione resoluitur quæstio.*

Dicendum est primò terminum *qui*, sivè totalem generationis esse compositum substantiale ex materia, & forma unitis. Conclusio communis est, quo circa auctores pro ea non recenseo. Probatur autem sic breuiter. Terminus, *qui* sivè totalis alicuius productionis ille est, quem agens simpliciter, & per se intendit, & ad quem, actio ultimò tendit, sed agens per se, & simpliciter intendit productionem compositi, cætera verò tamquam media in ordine ad illud, & actio generantis ultimò ad totum producendum refertur, istoque producto quiescit; Ergò totum, siuè compositum est terminus, *qui*, siuè totalis generationis substantialis

Dicen-

Dicendum est secundò terminum, *quo*, siuè formalem generationis substantialis esse formam sub stantialem, unionem verò esse solam conditionem intrinsecam, sine qua non. Est Henrici pluribus in locis, & præcipuè *Quodlib.4.quæst 3 cap.4. & 11.* ubi probat dari in Homine solam formam corporeitatis, quia generatio, siuè actio generatiua debet habere pro termino aliquam formam substantialem; cum autem hæc esse non possit anima rationalis, quæ non generatur, sed creatur, ideò necessariam adstruit formam corporeitatis.

Probatur autem primò sic. Ille est terminus formalis, *quo* alicuius productionis per ordinem ad quem una generatio distinguitur ab alia; sed hæc distinctio est per ordinem ad formam, & non per ordinem ad unionem: Ergò sola forma est terminus formalis *quo* generationis. Major ex ipsis terminis patet. Probatur minor. Non possumus cognoscere, quod unica unio ab alia distinguatur, nisi cognoscendo, quod terminus unius unionis sit à termino alterius distinctus, & diuersus. Est enim unio modus relatiuus, & hujus totum esse est ad aliud se habere; Ergò per ordinem ad formam, non per ordinem ad unionem; una generatio distinguitur ab alia, & consequenter forma erit terminus formalis, quo generationis substantialis.

Probatur secundò paulò aliter sic. Ille est terminus formalis, quo generationis substantialis, qua substantialis est, quo ipsa specificatur ab accidentali, & una substantialis ab alia substantiali, sed per ordinem ad formam generatio substantialis specificatur ab accidentali, & una substantialis ab alia; Ergo. Major est certa ex dictis. Minor quoad secundam partem patet ex prima probatione, quoad primam, verò sui explicatione probatur. Ideò generatio ignis dicitur substantialis, generatio calidi accidentalis; quia per primam producitur forma substantialis, per secundam verò forma accidentalis, non verò quia per primam producatur unio substantialis, per secundam verò accidentalis.

Confirmatur ille est terminus formalis generationis, qui per generationem formaliter de nouo ponitur; sed forma de nouo ponitur; Ergò.

Aduerte tamen hìc ad rationem termini formalis requiri, & quod de nouo ponatur, & quod sit actionis specificatiuum.

Habes hìc unionem non esse terminum formalem generationis substantialis, sed solam formam. Quod autem unio se habeat, ut conditio sine qua non generationis, patet apertè; Siquidem haberi nequit totum compositum ex materia, & forma absque media unione, sed generatio intendit producere totum compositum; ergò generatio haberi nequit sine unione; Ergo unio requiritur, tamquam conditio.

## CAPUT SECUNDUM.

*Soluuntur rationes dubitandi.*

Arguunt primò aliqui, sicuti terminus, *qui*, generationis, debet generari, ut *quod*, ita terminus *quo* debet generari ut *quo*, sed forma substantialis non semper generatur, ut patet in generatione Humana; siquidem Anima rationalis, est ingenerabilis, ergò forma non habet rationem termini *quo*, ergò sola unio erit terminus *quo*, cum hæc semper producatur.

Huic Argumento Hurtadi relato disp. 11 Physicæ, sect. 6. respondent communiter Thomistæ cohærenter ad ea, quæ docet Diuus Thomas prima parte *quæst.* 39. *art.* 1. non esse de ratione termini *quo* fieri per generationem, sed solùm communicari alteri, quapropter vult Diuus Thomas, ut optimè aduertunt Patres Complutenses, naturam Diuinam esse terminum *quo* in generatione Verbi Diuini, licèt ipsa natura non generetur: sed quidquid sit de hujus solutionis robore, dico formam, ut producendam ex subiecto, esse ipsius terminum formalem; Nec officit exemplum allatum de generatione humana siquidem etiam in hac producitur ab agente generante noua forma substantialis, quamuis subordinata, quam censeo esse ejusdem terminum formalem. Quapropter non video quanam necessitate affirmauerit Pontius in generatione Hominis, unionem exercere rationem termini *quo* cum forma corporis ab ipso admissa rationem termini sustinere possit.

Arguunt secundò. Omnis actio specificatur à suo termino formali, quemadmodum quælibet scientia specificatur ab obiecto suo formali motiuo; Sed generatio, & Resurrectio eiusdem numero compositi sunt actiones diuersæ; Ergò debent importare diuersos terminos formales, sed non important diuersas formas, sed potius eamdem numero formam, cum enim Resurrectio sit productio eiusdem numero compositi, debet eamdem formam recipere, alias ægrè saluari posset, esse productionem eiusdem numero compositi: Ergò important tantum diuersas uniones: Ergo hæ erunt termini formales, Sed

Thomistæ docentes formam esse terminum *quo* partialem actionis generatiuæ, prout hæc communicatur materiæ, occurrunt asserendo generationem, & resurrectionem ejusdem numero compositi specificari inter se, non per diuersas uniones, sed per eamdem formam, quatenus generatio, & resurrectio ad ipsam formam, terminantur sub diuersa ratione formali. Generatio enim terminatur ad formam secundùm ordinem naturalem, quem dicit ad materiam, & ad dispositiones antecedentes, mediis quibus se communicat, resurrectio verò ad eamdem animam rationalem secundùm potentiam obedientialem, quam habet, ut reuniatur materiæ.

Sed huic rationi non acquiesco, quia semel concesso, quod eadem forma possit esse terminus generationis, prout dicit ordinem naturalem ad materiam, resurrectionis verò prout dicit potentiam obedientialem negari, posteà non poterit, quod pariter eadem forma, quæ ut producta, est terminus creationis, sub ratione communicabilis deinde sit terminus actionis generatiuæ, quod tamen à me negatur hìc, negatum fuit in Physica, & negabitur in Metaphysica. Undè hæc doctrina omissa censeo generationem, & resurrectionem ejusdem numero hominis dupliciter considerari posse; Primò materialiter, idest pro ipsa re, quæ producitur, dum est in fieri, quo pacto hìc agimus de generatione; & tunc falsum est generationem, & resurrectionem ejusdem numero hominis esse diuersas in specie productiones; sunt enim, eædem specificè, cum habeant eumdem terminum, nedum specie, verùm, & numero, tam totalem, quàm partialem. Secundò considerari possunt formaliter, prout quædam motus, seu mutationes sunt, & in hoc sensu concedimus generationem, & resurrectionem ejusdem Hominis esse specificè diuersas; in esse enim mutationum formaliter specificari possunt etiam à principiis, & à mediis earum, ut dixi in Physica, ubi de motu, nam juxta Diuum Augustinum 3. de Trinitate cap. 9.

cap. 9. idem secundùm speciem potest generari univocè, & æquiuocè v.g. Calor genitus ab igne, & calor genitus à Sole, quæ generationes formaliter in quantum mutationes sunt specie diuersæ non quidem ob aliam rationem, nisi quia principia eorum Sol nempè, & ignis specie diuersificantur; Undè generatio, & resurrectio eiusdem Hominis formaliter, ut mutationes considerataæ sunt specie diuersæ, eo quod, etsi terminus ad quem sit idem, principia tamen eorum, nempè agens supernaturale, quod operatur resurrectionem, & agens naturale, quod operatur generationem specie, vel quasi specie differunt. Deinde falsum est uniones, quibus in resurrectione materia, & forma uniuntur, esse specie diuersas ab iis, quibus in generatione unitæ fuere, sicuti enim materia, & forma specie diuersa non fuoe, ita nec pariter uniones, cum istæ specificentur ab extremis unitis; Sed

Instabis ex Suarez contra nostram solutionem. Primò actiones nequeunt esse specie diuersæ ob solam diuersitatem principiorum, ergò si concedimus specie diuersas esse generationem, & resurrectionem, debent quoque importare diuersos terminos, sed aliundè non important nisi diuersam unionem; ergò. Probatur antecedens multipliciter, & primò, ideò actiones specie diuersæ esse possunt ob solam diuersitatem principiorum, quia de facto videmus creationem, & generationē eiusdē numero hominis esse actiones diuersas, & tamen non diuersificari nisi penes diuersitatem principii, sed falsum est in generatione, & creatione eiusdem numero hominis, non interuenire nisi principiorum diuersitatem; ergò. Probatur minor, nam creatio terminatur ad productionem materiæ, & formæ ex nihilo; generatio verò non terminatur ad formam producendam ex nihilo sed ad ipsorum unitionem; ergò actio creatiua, & generatiua eiusdem numero hominis non diuersificatur penes diuersitatem principii, sed penes diuersitatem terminorum.

Secundò si Deus annihilaret aliquem Angelum, & eumdem postea iterum crearet, quamuis illa creatio dici posset, quasi quædam resurrectio, nempè iterata productio Rei, quæ jam prius fuerat, & esse desiderat, adhuc esset ejusdem rationis, cum prima actione, qua primò creatus fuit Angelus, non obstante illa interruptione durationis; sed hoc non habet prouenire, nisi quia non terminatur ad terminum diuersum, cum terminetur ad reproductionem eiusdem numero Angeli; Ergo actiones non sunt diuersæ, ubi diuersitas non est terminorum.

Tertiò, si posset dari diuersitas actionum sine diversitate terminorum, & per puram principiorum diuersitatem, maximè in casu, quo Deus in primo instanti crearet quantitatem absque subiecto, in secundo verò instanti agens naturale reproduceret illam quantitatem ipsam educendo ex subiecto, in quo casu, actio creatiua Dei, & generatiua creaturæ videntur esse diuersæ actiones specie, cum tamen diuersum terminum non habeant, sed eumdem, nempè eamdem quantitatem; sed hoc est falsum; Siquidem etiam in hac hypothesi haberentur diuersi termini formales, à quibus tales actiones specificarentur, per creationem enim fieret ipsa quantitas præcisè, per eductionem verò fieret, ut unita subjecto. Ergò

Quartò diversa principia eiusdem termini, vel sunt causæ Vnivocæ, vel æquiuocæ, vel una uniuoca, & æquivoca altera; si primum; Ergo erunt eiusdem rationis cum effectu, & consequenter etiam inter se si secundum, etiam actio erit eiusdem rationis, quia causa æquivoca solùm agit, ut eminenter continens effectum, atque actionem causæ uniuocæ; si verò tertium dicatur, contrà est, nam etiam si sint inter se diversarum naturarum, si tamen efficiant effectum eiusdem rationis, facient etiam media actione eiusdem rationis, quià facient, quatenus eminenter continent idem; ergò actio sì ad terminum omnino similem tendit, non potest esse diversa essentialiter ex parte agentium.

Quintò; quando principia diversa producunt eundem terminum, non producunt, ut diversa; sed quatenus talem effectum præcontinent; ergò ex præcisa diuersitate principiorum nequeunt esse diversæ actiones. Sextò virtus eminenter continens aliam, sicuti eminenter continet formam eius, ità & iam eius actionem; ergò virtus eminens non solùm potest facere eamdem formam in specie, quàm virtus inferior, sed etiam eamdem actionem in specie. Sic enim Deus non solùm se solo potest facere eumdem specie calorem, quem facit ignis, sed etiam eamdem specie calefactionem; ergò calefactio, quæ fit à solo Deo, & quæ fit ab igne cum concursu Dei, ex parte principii non possent differre specie.

Septimò. Est per se incredibile actionem movendi Cœlum, v. g. esse diversam specie eo quia ab Angelis specie diversis, aut à Deo immediatè, vel ab Angelo; ergò eodem modo de aliis similibus actionibus loquendum est, quoties termini sunt omninò eiusdem rationis.

Octauò, & vltimò, quià principium agendi, vel est vnivocum, & sic ex sua specie determinatum est ad talem actionem tendentem ad talem terminum, vel est æquivocum, & tunc cum principium sit universale, & indifferens, ab illo non potest sumi determinata species; ergo semper species actionis vltimatæ attendi debet ex parte termini.

Responden ad omnia, & quidem incipiendo à primo nego antecedens, ad cuius primam probationem nego causalem, siquidem actiones generativæ, & creativæ eiusdem numero hominis non enumerantur inter illas actiones, quæ diversitatem summunt tantum ex parte principii, à quo proveniunt: Patet hoc in sententia arguentis, affirmantis actionem creatiuam terminari ad materiam, & formam ex nihilo producendam. Generatiuam verò ad unionem extremorum, & secundùm Scoti, & Henrici sententiam ad formam Corporis.

Ad secundum omitto Angeli reproductionem non fore diversam specie ab actione per, quam antecedenter ipse creatus fuerat, sed hoc non euenit, quia actio primo creatiua, & veluti resurectiua ad eumdem terminum terminantur, sed quià ab eodem agente, nempe ab eadem causa prima, tales actiones proueniant, dixi omitto, quia tales actiones esse possunt diversæ etiam ex partè termini, cum prima actio respiciat Angelum, ut primò producendum, cui primum esse tribuitur, Secunda verò ipsum, ut reproducendum, adeoque connotando primum esse, quod deperditum erat. Per quod patet etiam ad tertium; non enim istæ actiones enumerantur à nobis inter illas, quæ solùm differunt penes diversa principia, cum etiam in casu essent termini diuersi, quia generatiua respiceret quantitatem, ut educendam per modum sui termini formalis, quam sic non respiceret creatiua.

Ad quartum dico, duo principia ad hoc, ut inferre possint actiones diversas specie, opus esse, quod

quod unum univocum sit, aliud verò æquivocum; si enim principia ambo essent, vel univoca, vel æquivoca, & eundem terminum formalem respicerent, agerent utique actionibus distinctis, sed non specie diversis; nec obstat, quod addit Suarez, nimirum hæc principia non producere eumdem terminum, quatenus diversa, sed quia ipsum præcontineret; siquidem estò hoc verum sit, tamen eum ipsa diverso modo effectum præcontinerent, hinc & diverso modo ipsum deberent producere, simulque actione diversa.

Ad sextum disparitas obvia est; ideò enim una causa æquivoca potest eundem effectum quoad speciem tribuere, quem dat causa univoca, quia effectus, quoad determinatam speciem, seu in linea specifica, non ponitur penes similitudinem, vel dissimilitudinem principiorum, qua ratione dixerat Augustinus 3. de Trinitate *cap.* 9. quod idem secundùm speciem potest generari univocè, & æquivocè; at verò actiones sunt essentialiter alligatæ suis principiis, ut actio causæ univocæ, est alligata causæ univocæ, æquivocæ verò, causæ æquivocæ; quapropter si varietur causa, variabitur & actio, cum impossibile sit actionem causæ univocæ provenire ab agente æquivoco.

Septimum verò non urget; quamvis enim sit incredibile actionem movendi Cœlum factam ab Angelo (si Angeli corpora cœlestia movent) esse specie diversam ab illa, quæ fieret, vel à Deo, vel ab Angelis diversæ speciei relatè ad terminum, quia omnes istæ actiones terminarentur ad Cœlum movendum, attamen incredibile non est, quinimmò summè consentaneum esse diversas si ex parte principiorum considerentur.

Octavum tandem dirimitur monendo diversitatem specificam duarum actionum ulterius posse desumi à duplici causa, quarum una univoca sit, æquivoca altera, quæ secunda, non obstante sua universalitate, & indiferentia, determinata tamen est, si operetur ad agendum actione sibi propria, & commensurata.

Arguitur tertiò. Illud est terminus formalis generationis, quod per se & necessariò habet denominare totum genitum, sed productio formæ etiam ex materia, non per se, & necessariò habet denominare totum genitum; ergo hæc non erit terminus formalis generationis. Ostenditur minor; tunc productio formæ ex materia necessariò, & per se non habet denominare totum genitum, quoties possibilis esset productio formæ ex materia, quin haberetur generatio totius; atqui possibilis est productio formæ ex materia quin habeatur generatio totius; ergò &c. probatur minor, siquidem si forma genita educta ex materia non uniretur materiæ in hoc casu haberetur forma producta per eductionem absque generatione totius, quia hæc haberetur cum carentia unionis ad materiam.

Respondetur omissa majori, cujus veritas mihi non constat; distinguo minorem, productio formæ ex materia non habet denominare primò, & per se totum genitum, si sit pura productio ex materia, concedo minorem; si fit ex materia, & in materia, ut naturaliter evenit, nego minorem, & consequentiam. Itaque dico verum esse puram productionem formæ ex materia haberi posse absque generatione totius, cum haberi possit sine unione formæ eductæ, maximè in mea sententia, in qua affirmo unionem cum materia non esse ipsam eductionem (quidquid doceat Illustrissimus Spinula) at nequit haberi forma educta ex materia, & in materia introducta sine nova totius generatione, cujus ratio est, quia formam esse in materia, tamquam in subjecto informationis, est formalissimè actuare, & perficere materiam; stare autem nequit informatio, quin compositum habeatur.

Arguitur quartò. Tunc forma termini totalis non esset terminus formalis, quando esset assignabilis aliquis terminus formalis alicujus actionis, qui procul dubio non esset forma termini totalis; atqui de facto datur terminus formalis alicujus actionis, qui non se habet, ut forma termini totalis; ergo. Probatur minor in transubstantiatione Eucharistiæ terminus formalis ad quem est Christi Corpus, quod de novo ponitur sub speciebus panis, sed Corpus Christi non est forma termini totalis, scilicet illius concreti, quod resultat ex unione corporis Christi cum accidentibus panis, quinimmò potius, si liceat affirmare, Corpus Christi se habet, ut materia accidentium, quia succedit loco substantiæ panis, quæ erat illorum materia, & accidentia panis se habent instar formæ illius concreti, quæ accidentia certè nequeunt esse terminus formalis conversionis Eucharisticæ; ergò.

Hoc Arg. Cardinalis de Lugo tetigerat olim Illustrissimus Spinula, unde probabile credam ipsum Cardinalē vidisse illud apud hunc Auctorē, qui respondet Christi Corpus se habere instar formæ, quatenus sicuti forma est illa, quæ in aliquod tertium commune rei præcedenti succedit, sic Corpus succedit sub quodam termino communi, nempe sub accidentibus, quæ prius erant in substantia panis, sed quidquid sit, de hac solutione, aliam propugno, illaque sit, quæ deducitur ex titulo afferti superius positi in eo posita, quod quando supra affirmavimus terminum formalem generationis esse formam, hoc affirmavimus de generatione, prout productio est, non verò prout præcisè habet rationem conversionis, ut est illa, quæ accidit in Eucharistiæ mysterio.

Arguit quintò pluribus paritatibus Oviedo, & primò; quamvis Incarnatio, prout assumptio, habeat respicere naturam humanam, tamquam terminum formalem, & prout est personatio naturæ humanæ, habeat respicere Verbi subsistentiam, pariter ut ejus terminum formalem, tamen prout est productio respicit tantùm unionem hypostaticam, quæ sola producitur; ergò à pari; quamvis generatio, prout est inductio, habeat respicere per modum termini ipsam formā, quæ educitur, non verò unionem, tamen prout est productio habebit respicere unionem.

Secundò quamvis Conversio Eucharistica, ut conversio respiciat Christi Corpus per modū termini formalis, tamen ut productio est, respicit unionem Corporis Christi cum accidentibus panis; ergo à pari actio generativa, quamvis habeat respicere formam, prout inductio est, tamen prout productio solùm terminabitur ad unionem.

Respondeo dissidium esse inter Auctores, an terminus formalis Incarnationis sit natura humana assumibilis, an verò unio hypostatica, inter hos affirmat Vasquez naturam humanam esse terminum formalem Incarnationis, hac unica fretus ratione, quia id quod intendebatur per Incarnationem erat Deum fieri hominem. Oviedo verò, ac Cardinalis de Lugo tuentur esse unionem hypostaticam, itaut incarnatio prout est productio terminetur ad ipsam tamquam ad ejus terminum formalem, afferentes nullatenus officere contra ipsos superiorem Vasquezii rationem, eo quia hæc solùm pro-

probant naturam humanam esse terminum formalem Incarnationis, prout ipsa est naturæ assumptio, quod ultra concedunt; sed quidquid sit de his solutionibus, censeo etiam in casu terminum formalem Incarnationis, prout productio est esse formam, nimirum formam corporeitatis, qua materia organizatur cooperante peculiariter Spiritu Sancto.

## QVÆSTIO SECUNDA.

*Vtrum Generatio sit actio distincta ab alteratione.*

Difficultatem hanc præfixo titulo positam in gratiam quorumdam Thomistarum proponere, ac dirimere placuit. Sunt enim aliqui in Schola Divi Thomæ, qui docent generationem substantialem non esse propriè actionem ab alteratione distinctam. Hi autem sunt Caietanus prima parte quæst. 54. art. 3. Zanardus 7. metaph. quæst. 6. Soto 3. Physicorum quæst. 1 concl 3. & Complutenses firmiter credentes hanc esse mentem Divi Thomæ. Attamen non ita sentiunt alii Thomistæ, & quidem non mediocris doctrinæ, uti Ioannes à Sancto Thoma, qui solidè ostendit actionem generativam esse distinctam realiter ab alterativa, simulque hanc esse Divi Thomæ veram Sententiam, in quo asserto authumo ipsum non alienum esse à veritate, ut inferius ostendam. Interim mihi certum est mentem Henrici actionem generatiuam esse realiter distinctam ab alteratione, uti colligi potest, ex Summa art. 54. quæst. 8 ibi enim docet unam numero actionem non posse terminare ad plures terminos singulares, sed solum ad unicum, quapropter vult impossibile esse per unam actionem generativam singularem haberi duas personas. Doctoris verba sunt: *Quod enim secundum unum modum procedendi, sive emanandi singularem, puta, Secundum unam singularem actionem generandi, emanarent duæ Personæ, & duo Filii, hoc clarum est impossibile, quia una actio numero, & singularis, non est nisi ad unum terminum numero singularem, ut hæc de Albatio non est nisi ad hanc albedinem secundum Philosophum 5. Physicorum*: Secundo colligitur hoc idem etiam ex Quodlib 9 quæst. 4. vbi hæc alia legimus: *mihi visum est, quod generatio non sit motus sed mutatio in fine motus alterationis, præparantis subiectum Secundum accidentia, ut sit materiæ necessitas ad generationem formæ, quæ tota secundum substantiam, & omne esse suum educitur de potentia materiæ*: ex quibus clarè constat Thesis ponenda, cum doceat primò, quod generatio non sit motus, benè verò ipsa alteratio; doceat secundo in fine motus alterationis, nimirum postquam subiectum est ultimatè dispositum ad formam, necessariò subsequi generationem formæ; hoc autem certè indicat aliam esse actionem generatiuam ab alteratione, alias idem subsequeretur ad se ipsum. Sit; ergò.

### CAPUT PRIMUM.

*Iuxta mentem Henrici, & Angelici Præceptoris defendimus Generationem esse actionem distinctam ab alteratione.*

Huius asserti primum fundamentum sit illud, quod exhibet Henricus ex prioribus verbis supra relatis, quod sub hoc forma sternere placet. Si actio generatiua non esset actio distincta ab alteratione, sed esset ipsa actio alterativa, una, & eadem numero actio terminare posset, quinimmò terminaretur ad duplicem rem singularem; sed iuxta Doctoris documenta relata, impossibile est unam numero actionem posse sic terminari; ergò etiam impossibile erit, quod generatio, & alteratio sint una numero actio, & non plures actiones. Minor liquet, tum ex Textu Henrici superius adducto, tum ratione, quia sicuti actiones terminantur ad rem singularem, ita videtur etiam, quod terminari debeant ad unã rem singularem. Prob. itaque maior, nam si generatio non esset actio distincta ab alteratione, terminaretur simul, & ad ultimam dispositionem, & ad formam substantialem: sed tam dispositiones, quam forma substantialis sunt plures formæ, quarum qualibet singularis est in se; Ergò eadem actio, terminaretur ad duplicem terminum singularem.

Dices. Si una actio nequit terminare in Henrici Sententia, nisi ad unum terminum singularem, quo iure deindè affirmauimus in Physica actionem generatiuam terminari simul ad formam, atque unionem? Secundò dices. Doctorem ibi loqui de termino *qui*, seu totali, ut patet, cum loquatur de productione duarum Personarum, adeoque ad rem non facit Henrici Testimonium, cum etiam dato, quod eadem actio termineтur, & ad formam, & ad accidentia ultimò disponentia, non terminaretur tamen actio alteratiua ad duplicem terminum totalem, sed ad unicum, cum forma accidentalis ultimò disponens ordinetur ad unicam naturam completam integrandam; Sed

Contra est, siquidem cum Doctor negat eamdem numero actionem terminari posse ad duos terminos singulares, loquitur de duobus terminis, quorum quilibet habeat actionem primò specificare; unio autem, & forma, quæ in nostra sententia per eamdem actionem producuntur, non ita se habent, ut qualibet habeat actionem specificare, cum formæ modales non sint specificatiuum formale generationis substantialis; ergò optimè cohærent hæc duo, & quod singularis actio non possit terminare ad duplicem rem singularem, & quod simul termineтur ad formam, & unionem. At si eadem actio alteratiua terminaretur ad accidentia, & ad formam substantialem ab utroque termino specificari deberet; Specificaretur enim ab accidentibus disponentibus, ut alteratiua, & à forma substantiali, ut generatiua.

Nec pariter iuuat, quod secundo loco affertur, siquidem Solemnis Doctor nedum loquitur de termino *qui*, sed etiam de termino *quo* loquitur enim de actione dealbatiua, quam affirmat terminari ad unam numero albedinem; Albedo autem non est terminus *qui*, seu totalis, sed est terminos *quo*, seu partialis.

Probatur secundò ratione ex Angelico Præceptore desumpta ex 3. contra Gentes cap 69. illis verbis; *quod si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem, non est autem huiusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales; Ergò forma generans est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum*; Ex his autem sic arguo; Formæ accidentales disponentes materiam ad formæ nouæ receptionem peculiari actione producuntur; Ergò etiam propria produci habent formæ substantiales omnes, quæ virtute agentis naturalis sunt producibiles. Probatur hæc consequentia. Magis est intenta à natura forma substantialis, quam accidentalis; Ergò si hoc non obstante peculiari

liari actione producuntur qualitates alterantes, à fortiori propria actione producentur formæ substantiales.

Huic rationi respondent Patres Complutenses dupliciter, & primò auctoritati Diui Thomæ se satisfacere existimant dicendo, mentem eius tantum esse, quod causæ secundæ concurrant efficienter per suas formas substantiales principaliter, & per propriam actionem ad generationem substantialem, ità quod hæc unicè non sit in Deum revocanda, tamquam in causam principalem; ad hoc autem habendum non requiritur, quod generatio sit actio distincta ab alteratione, cum una numero sit actio productiua caloris, & formæ ignis, quæ quatenus subordinatur calori, dicitur actio caloris, quatenus verò subordinatur formæ substantiali, ut principio radicali, est actio propria eiusdem formæ substantialis. Secundò verò rationi adductæ occurrunt monendo, aliquod tripliciter intendi posse; primò intentione operantis, & operis. Secundò intentione operis, sed non operantis. Tertiò intentione operantis, sed non operis. Primò modò intenduntur illa, quæ taliter primò ponuntur in rerum natura, ut id, quod primo ponitur, sit etiam primo intentum. Secundò modo intenduntur accidentia disponentia, quæ primo intenduntur intentione operis, sed non operantis, quatenus nempe primo producuntur in esse, sed non primò, & per se intenduntur.

Tertiò modo intenditur forma, quæ primo intenditur intentione operantis, quamuis primariò in opere non ponatur, sed secundariò. Modo autem id, quod est tantùm de primaria intentione operantis, sed deinde de secundaria intentione operis, non debet produci peculiari actione, quia non attingitur immediatè, & primariò per actionem; Sed

Contrà est, & in primis, quantum est de mente Diui Thomæ, non dubito Patres Complutenses hanc non assequi superiori explicatione, nam Sanctus Doctor, nedum vult per relata verba causas efficientes concurrere ad productionem formarum, sed etiam sustinet has influere per actionem distinctam ab actione alteratiua. Patet hoc, nam purificata conditione, purificari debet, & conditionatum, cum autem sermo Diui Thomæ conditionalis sit, est enim, quod formæ substantiales producantur peculiari actione, si accidentia propria actione ponantur in esse, jam si hæc propria producuntur actione, etiam peculiari actione produci debebit forma substantialis.

Contrà est secundò aduersus secundam solutionē, siquidem concesso quod multiplici modo res aliqua intendi possit, adhuc non satisfit superiori ratiocinio, sed potius hoc roboratur tali medio. Id quod primo intenditur ab operante quamuis primo non ponatur in executione, quod idem est ac dicere, primariò non intendatur intentione operis, debet produci peculiari actione; ergò nulla doctrina. Probatur antecedens id, quod primò intenditur intentione operantis, quamuis non sit de primaria intentione operis, seu non ponatur in executione, est id, quod primò, & per se intenditur à natura, sed id quod primò, & per se intenditur à natura propria actione produci debet; ergò. Probatur antecedens. Accidentia ultimò disponentia, quamuis primò, & per se non intendantur à natura, nihilominus peculiari actione producuntur; ergò à fortiori forma substantialis, quæ magis à natura intenditur, propria actione erit producenda. Præterea forma substantialis, nedum est de primaria intentione operantis per actionem generatiuam, sed etiam de primaria intentione operis, quia terminus immediatè correspondens actioni generatiuæ substantiali est ipsa forma substantialis, cum ab ipsa specificetur, & constituatur in ratione generationis substantialis; ergò erit ipsius peculiaris actio.

Probatur tertiò conclusio. Actio productiva formæ substantialis est momentanea, actio verò productiva accidentium ultimò disponentium est successiva; ergò prima est distincta, & diversa à secunda. Probatur antecedens quoad primam partem. Quoad secundam enim patet. Tunc actio est momentanea, quando ejus terminus introducitur in subjectum totus simul; actio enim non durat plusquam ejus terminus, qui si unico momento producatur, unico momento pariter durat ejus actio; sed forma substantialis unico momento tota producitur; ergò momentanea est ejus actio productiva. Minor probatur, quia forma substantialis non habet partes intensivas; sed omne quod fit successivè debet esse capax intensionis; ergò. Probatur minor, quia successio est inter diversas partes, seu gradus ejusdem termini, si illa diversitas sit in diversis ejusdem subjecti partibus dicitur extensio, si in eadem parte subiecti dicitur intensio; ergò omne quod fit successivè debet esse capax intensionis, vel extensionis. Probatur itaque major secundi syllogismi. Forma substantialis non suscipit magis, & minus; ergò forma substantialis non habet partes intensivas.

Probatur ultimò. Producto calore secundùm ultimum gradum accidentalem ad generationem, adeoque posita omni alteratione in ligno v. gr. potest non esse generatio ignis; ergò alteratio, sive productio caloris non est productio ignis. Consequentia patet. Antecedens probatur primò, quia Deus producto calore potest non producere ignem, cum calor productus non habeat essentialem connexionem cum existentia ignis. Secundò, quia Deus de facto conservat accidentia sine panis substantia; quare ergò non poterit producere calorem igne non producto.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes oppositæ.*

Arguunt primò Adversarii. Ad productionem formæ substantialis ignis in materia ligni, non requiritur nova actio distincta ab alteratione præcedenti, idest à calefactione, per quam materia ligni disponitur ad formam ignis; ergò generatio substantialis non est actio diversa ab alteratione præcedenti. Consequentia est evidens. Antecedens suadetur. Id habet calefactio in actu secundo, quod habet calor in actu primo; sed in productione formæ ignis, non requiritur aliqua virtus proxima distincta à calore, sed sufficit calor, ut subordinatus ipsi agenti, tamquam principio radicali, & principali; ergò in productione ejusdem formæ non requiritur actio distincta à calefactione.

Respondeo adesse omninò necessitatem novæ actionis contradistinctæ ab alteratione, ut substantia producatur ob rationes superius adductas, nemo est, qui diffiteri possit, nec ipsis efficit argumentum, siquidem falsum est, quod virtus proximè productiva formæ ignis resideat apud calorem ob rationes inferius afferendas, dum erit sermo de virtute proximè productiva substantiæ. Si autem calor in actu primo non habet producere formam substantialem, nec quoque calefactio in actu secundo

cundò erit productiva formæ ignis, cum per argumentum id habeat calefactio præstare in actu secundo, quod præstat calor in actu primo.

Arguunt secundò. Alteratio præcedens potest attingere effectivè formam substantialem denuò genitam; ergo non requiritur nova actio, in qua consistat generatio substantialis. Consequentia liquet. Antecedens probatur primò ex D. Thoma *quæst. unica de anima art.* 12. illis verbis. *Agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam, quod quidem fit secundùm quod materia primò disponitur ad formam, & tandem consequitur formam secundùm quod generatio est terminus alterationis*. Secundò ratione: qui ponit ultimam dispositionem ad formam aliquam, attingit ex vi ejusdem actionis ipsam formam, cum inter ultimam dispositionem, & ipsam formam detur physica connexio.

Argumentum hoc nec urget ratione, nec auctoritate; non ratione, nam physica connexione non obstante ultima dispositio, & forma accidentalis non cadunt sub eadem ratione producibilis, cum forma substantialis petat produci per actionem instantaneam, secus verò formæ accidentales, sive ultimò, sive non ultimò disponentes. Non enim valet hic arguendi modus. *Ultima dispositio connectitur naturaliter cum forma; ergò per illam actionem, per quam producitur ultima dispositio producitur & forma*; cujus ratio est, quia connexio inter ultimam dispositionem, & formam substantialem est inter se, non verò relatè ad identitatem actionis. Quemadmodum, si quis sic argueret: essentia divina sub ratione ideæ, & Omnipotentiæ connectitur cum qualibet creatura possibili in particulari; ergo attingens intuitivè ideam necessariò debet attingere, etiam creaturas in particulari, ineptè argueret, quia possibilia cognita in particulari non connectuntur cum intuitione, sed solùm cum comprehensione, sic ineptè arguitur superiori argumento.

Nec etiam probat argumentum ex auctoritate, cum S. Doctor tantùm loquatur de alteratione non strictè sumpta, sed latè accepta, nimirum prout est productio formæ in materia, quæcumque deinde sit hæc forma. Quod verò de hac sic accepta loquatur patet, quia ibi sermo solùm est de actione, per quam materia transmutatur; hæc autem non est propriè actio alterativa, sed generativa substantiæ: nisi velimus explicare textum ipsum dicendo formam substantialem esse terminum agentis alterantis, non ut productam, sed ut intentam ab agente alterante, quod ideò alterat, ut formam introducat substantialem.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An ultima dispositio ad formam producatur ab ipsa forma subsequenti.*

### CAPUT PRIMUM.

*Aliquibus prænotatis mens nostra aperitur, & plurium rationum pondere demonstratur.*

Manifestum omnino est Angelicum præceptorem docuisse ultimam dispositionem ad formam effectivè ab ipsa procedere, ita ut interveniat mutua causalitas in diverso genere causæ, quatenus ultima dispositio habet causare ipsam formam in genere causæ materialis, forma verò ipsam dispositionem in genere causæ efficientis. Hoc autem colligitur ex Diuo Thoma pluribus in locis præcipuè tamen *in.* 3. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæst.* 3. vbi hæc lego *dispositio ultima est effectus formæ in genere causæ formalis, & tamen præcedit ipsa in genere causæ materialis*. An autem sicuti ex Diuo Thoma constat quid asserere teneantur sui discipuli, ità constet etiam quid affirmandum sit iuxta rei veritatem, resoluere non audeo, quià potius conformiorem semper iudicaui sententiam negatiuam, quam etiam in Schola Diui Thomæ aliqui defendunt. Hanc autem antequam ostendam.

Aduertendum est Thomistas omnes dispositiones distinguere in duplicem ordinem; aliæ enim sunt antecedentes, & hæ ad formæ nouæ aduentum corrumpuntur, aliæ verò sunt concomitantes, seu simultaneæ De his secundis tota procedit præsens controversia, an videlicet producantur ab ipsa forma noua, nec ne. Circa quod contra Scholam Divi Thomæ multipliciter arguo, & quidem.

Primò. Dispositiones antecedentes nullatenus effectivè procedere possunt ab ipsa forma noua, vel per realem productionem, vel per emanationem, ergò nec ipsa ultima dispositio. Antecedens est aduersæ partis. Consequentia ostenditur. Ideo primæ à forma nova produci nequeunt, quia ipsam formam habent antecedere in existendo; sed etiam ultimæ dispositiones, si veræ sint dispositiones ad formam, debent ipsam præcedere in existendo, ergò. Probatur minor, quod habet rationem actus primi in ordine ad aliud, habere debet prioritatem relatè ad ipsum, sed dispositiones, quamuis ultimæ habent rationem actus primi comparatiuè ad ipsam formam nouam, accepta ratione actus primi, pro ut præcisè importat prioritatem executiuis. quæ prioritas in præsenti sufficientissima est ad evincendam impossibilitatem proveniendi ultimam dispositionem ab ipsa forma noua; ergò.

Vrgetur hoc, quia ratio sub ordinationis in forma substantiali corporeitatis supposito, quod hæc detur, non tollit ab ipsa forma rationem substantiæ, ideo volunt Thomistæ, quod non tollat, quia habeat conferre materiæ esse simpliciter, & ultimatè in linea physica; ergò quià ratio ultimi in ultima dispositione non habet tollere rationem dispositionis, non tollet, quin præcedat ipsam formam in existendo, saltem prioritate naturæ, sed hoc ipso nequit produci ab ipsa forma; ergò.

Secundò. Si ultima dispositio produceretur ab ipsa forma, ad quam disponit, sequeretur, vel disponere formam pro eo signo, pro quo non existit, vel pro eo signo, in quo intelligitur existere ante sui existentiam; utrumque repugnat; ergò. Probatur sequela quoad secundam partem Pro eo signo, pro quo disponit ad formam, non intelligitur forma noua in facto esse, sed solum in fieri, adeoque nec ipsa dispositio potest intelligi existens, cum à forma noua habeat existere, cum hæc sit causa efficiens ultimæ dispositionis, & res non habeat existere, nisi per sui causam efficientem, sed pro illo signo, pro quo nondum intelligitur forma noua in facto esse, intelligitur, quod ultima dispositio ad ipsam formam nouam disponat; ergò intelligeretur disponere ad formam pro eo signo, pro quo non existit, vel saltem intelligeretur in eo signo existere ante sui existentiam, quæ erat secunda pars probanda; nam rem existere ante sui causam efficientem est existere, antequam existat; existeret autem in casu ante formam nouam; ergò existeret antequam existeret.

 Tertiò

Tertiò ideò non repugnat ultimam dispositionem à forma noua produci, quià mutua causalitas, quæ sequeretur esset solum in diverso genere causæ; sed hoc nil obest repugnantiæ; ergò. Probatur minor primo ex dictis. Docuimus enim repugnantiam intervenire etiam in diverso genere causæ. Secundo mutua causalitas in diverso genere causæ non tollit rem esse simpliciter, & absolutæ antequam sit simpliciter, & absolutè; ergò non tollit repugnantiam. Probatur antecedens. Rem verè existere, vel ante sui causam efficientem, vel ante sui causam materialem, est rem esse simpliciter, & absolutè, antequam sit simpliciter, & absolutæ. Patet hoc, nam res habet simpliciter, & absolutè existere efficienter à sua causa effectiva; sed data mutua causalitate inter ultimam dispositionem, & formam nouam, dispositio vltima intelligeretur in priori ad ipsam formam, & sic ad sui causam efficientem, & forma ad ipsam dispositionem, & sic ad sui causam materialem constituentem actum primum proximum adæquatum ad ipsam; ergò intelligeretur simpliciter, & absolutè esse, antequam esset.

Quartò. Quemadmodum calor ut octo habet disponere ab formam naturalem, & quidem ultimò; sic actus contritionis perfectè habet disponere proximè, & ultimò ad ipsam gratiam sanctificantem, sed hic taliter disponit ad gratiam, ut impotens sit provenire ab ipsa gratia sanctificante, ergò à pari. Minor patebit in materia de gratia, quam suo tempore typis mandabo, Deo misericorditer adiuuante.

Quintò. Arguo contra Thomistas ex incoherentia suæ doctrinæ. Docent enim Thomistæ communiter intensionem fieri per majorem radicationem eiusdem numerò qualitatis indiuisibilis (quidquid deindè sit hæc maior radicatio inferius explicanda) & ita sic fieri, ut aliter fieri non possit. Hoc posito sic arguo. Ultima dispositio, qua talis ad formam ignis est calor ut octo, non ultima verò sunt alii primi gradus precedentes, ergò si octauus gradus caloris producitur à forma noua, hæc omnia sequi necessarium erit. Primò non eandem numero qualitatem indiuisibilem intendi, nam prima qualitas, utpotè antecedens corrupta fuit, alia producta. Secundò intensionem haberi per nouam productionem qualitatis, siquidem ultima dispositio, quæ est qualitas intensa de nouo intelligitur produci in sententia Thomistarum ab ipsa forma noua.

Urgeo sextò. Quamuis dispositiones ultimæ affirmentur concomitantes, & simultaneæ, cum ipsa forma, non ita tamen simultaneæ esse possunt, quin respectu formæ novæ importent aliquam prioritatem saltem naturæ respectu eiusdem. Patet hoc, quia se tenent ex parte actus primi relatè ad ipsam formam. Rogo autem, vel in illo priori existunt, vel non? si non; ergò non disponunt. Qualitates enim non existentes, sed purè possibiles ad introductionem, & productionem formæ physicè non possunt disponere: Si autem dicatur, quod existant, ergò erit affirmandum (si sententia Thomistica vera est) rem existere in priori ad sui causam.

Urgetur ultimò. Mutua causalitas in eodem genere causæ repugnat, sed semel posito, quod forma producat, & recipiat ultimas dispositiones, iam reperiretur mutua causalitas in eodem genere causæ; ergò affirmari nequit formam nouam producere, & recipere ipsas ultimas dispositiones. Probatur minor, cum maior concedatur etiam ab ipsis Thomistis. Ultimæ dispositiones relatè ad formam nouam habent rationem causæ materialis, hoc affirmante Diuo Thoma verbis superius relatis. Forma noua pariter esset causa materialis, cum dicatur in Schola Diui Thomæ subiectum talium dispositionum; esse autem subiectum, proprium est causæ materialis, quapropter nolunt Thomistæ formam corporis, si daretur, posse vocari subiectum relatè ad animam rationalem, quia dicunt esse subiectum, proprium esse solius materiæ, ergò jam daretur mutua causalitas, nedum in diverso, sed in eodem genere causæ.

Hæc sunt argumenta, ex quibus reiicitur hæc sententia Thomistica, vel saltem reiici potest, quorum aliqua videri possunt apud Suarezium. Quid ad hæc respondeant Thomistæ videamus.

Respondent primo Complutenses formam dupliciter posse intelligi receptam in materia. Primò quantum ad esentialia receptionis, & hoc modo non pendet ab accidentibus; posset enim absque illis absolutè uniri materiæ. Secundò quoad naturalia receptionis, & hic ordo dependet ab accidentibus concomitantibus. Modo autem esentialia in qualibet re præcedunt ea, quæ solùm connaturaliter requiruntur, quamobrem forma, ut esentialiter, ac substantialiter unita materiæ est prior seipsa simpliciter, ut connaturaliter illi communicata. Secundò accidentia consecuta ad formam possunt accipi dupliciter, nimirum, ut effectus formæ, atque ut dispositiones ad illam. Primò modo exprimunt dependentiam ab ea. Secundo modo à prædicta dependentia prescindunt, quamuis illam implicitè, & transcendentaliter imbibant. Sed contra est; & in primis libenter data duplici ipsorum accidentium inspectione, adhuc judico non eneruari robur, quod inest in superioribus àrgumentis. Siquidem hìc nobis sermo est de formæ substantialis productione, & receptione modo connaturali, sed de hac loquendo conceditur, quod formæ substantialis productio verè dependeat ab accidentibus, itaut ipsis non præsupositis non introducatur, ergò conceditur, quantum sufficit, ut verificetur, quod ipsa accidentia ultimò disponentia connaturaliter non producantur ab ipsa forma, cum sic ipsam præcedat.

Contrà est secundò, siquidem hoc est, quod quæritur hìc, utrum nempè tales ultimæ dispositiones accipi possint, ut effectus formæ, cum ipsam in existendo præcedant, utpotè constituentes actum primum proximum comparatiuè ad ipsam. Quod autem in priori ad aliud existit esse nequit illius effectus, cum nulius effectus in priori ad suam causam existat.

Respondent secundo alii Thomistæ duplicem esse prioritatem, aliam scilicet temporis, aliam naturæ. Prima est prioritas simpliciter. Secunda vero est puta prioritas secundùm quid, vel intelligentiæ. Hæc secunda nullatenus impedit emanationem, vel effluxum eius à forma, cum autem prioritas conveniens ultimis dispositionibus, sit prioritas secundi generis, poterunt simul præcedere formam, & ab ipsa forma emanare. Sed

Contrà est & libenter admissa prioritate temporis & naturæ, adhuc ostendo solutionis insubsistentiam. Primò, quia tunc talis prioritas naturæ impediret emanationem, quando impediret dependentiam ab ipsa forma, tanquam à causa efficienti, atqui de facto impedit talem dependentiam; ergo. Probatur minor. Dependentia, quam dicit effectus relatè ad formam, tanquam à causa efficienti, est dependentia adhoc, ut sit, sed prioritas naturæ conueniens ultimis dispositionibus in ordine ad formam impedit ipsorum dependentiam à forma, ad hoc ut sint, ergò.

Pro-

Probatur minor. Id impedit dependentiam ab alio, ad hoc ut absolutè, & simpliciter sit, quod importat suum esse in priori ad illud, sed prioritas naturæ in accidentibus ultimò disponentibus relatè ad formam facit hoc, quod accidentia ultimò disponentia intelligantur in priori naturæ ad ipsam formam; ergò impedit dependentiam. Secundò falsum est, quod pura prioritas naturæ, sit prioritas secundùm quid, & intelligentiæ; nam prioritas naturæ est vera prioritas causalitatis, ut patet in sole, & materia prima habentibus puram prioritatem naturæ, quæ tamen propriam exercent physicam causalitatem, sed vera prioritas causalitatis non est tantùm prioritas secundùm quid; ergò nec prioritas naturæ.

## CAPUT SECUNDUM.

*Audiamus aduersæ partis argumenta.*

ARguunt primò Thomistæ nonnulli. Ultima dispositio ad formam substantialem v.g ignis, non est illa, quæ præuia dicitur, & recipitur in composito corrumpendo, sed est illa quæ formam consequitur, & dicitur dispositio concomitans; sed est posterior forma in genere causæ efficientis, & præcedit in genere causæ materialis, cum sit dispositio; ergò. Major constat, nam dispositio prævia, cum recipiatur in composito corrumpendo simul cum veteri forma, definit esse, ac proinde in instanti generationis de illa verum est dicere, *nunc non est, immediatè autem erit:* dispositio autem ultima debet esse in eodem instanti generationis, ut verum sit, quod forma introducatur in materia disposita, non quæ fuit disposita. Solùm autem dispositio concomitans manet, & est in eodem instanti generationis. Minor verò probatur, nam proprietates effectivæ dimanant ab essentia virtute generantis, cum sint de ejusdem complemento, & de integritate rei genitæ secundùm perfectionem illi debitam, qui autem dat formam, dat etiam consequentiam ad formam, sed proprietates sunt ipsæ dispositiones; ergò.

Respondeo ultimam dispositionem ad formam novam, tam præviam esse ad ipsam formam, quam non ultimam, cum hac sola diversitate, quod dispositio non ultima non connectitur, nec de necessitate infert novam formam, quam tamen inferre habet ultima dispositio. Impossibile enim est, quod ad illam formam consequatur, cum ex parte actus primi se habeat relatè ad ipsam, & prior sit saltem prioritate naturæ, materiam ultimò disponi ad formam, quam formam ipsam introduci, aliàs si ad ipsam consequeretur, jam prius esset formam ipsam esse in materia, postea materiam disponi ad ipsam recipiendam, quod alienum esse quilibet videre potest; nec verum est hinc sequi fore ultimam dispositionem corrumpendam ad adventum formæ novæ, seu in ipso instanti generationis, itaut cum veritate affirmari possit ipsam amplius non esse, nam cum accidentia disponentia, sivè ultima, sivè non ultima non in composito corrumpendo, sed in sola materia, tamquam in principali, & radicali subjecto recipiantur, necesse est ipsa remanere, nec corrumpi, non quidem ex defectu subiecti, quia remanet materia, quæ est subjectum, nec per adventum contrarii, cum forma nova non contraria, sed propria sit talibus accidentibus, ut patet, eo quia ad sui adventum in terum natura in materia petat talia accidentia, nec ex defectu causæ conservativæ, cum hæc deficere nequeat; nec tandem ex defectu causæ efficientis, quia effectus, qui ab una causa conservatur, ab alia homogenea conservari potest, si immediatè succedat; quapropter quælibet forma accidentalis, quæ disponit ad formam ipsam, sive ultimò, sive non ultimò, remanet forma nova succedente, & veteri desinente; unde in forma nego majorem; ad cujus probationem nego iterum majorem, & suppositum; supponitur enim, quod dispositiones præviæ recipiantur inhesivæ in toto composito, dum arguentes Thomistæ utuntur iis terminis, *nam dispositio prævia cum recipiatur in composito corrumpendo, simul cum forma veteri desinit esse.*

Arguunt secundò. Nulla est repugnantia in hoc, quod ultima dispositio disponat ad formam, & ab ipsa emaneat, quinimmò hoc favet ordini generationis substantialis; ergò ita est affirmandum. Consequentia hæc tenet, nam ideò negatur accidentia disponentia ad formam, simul cum ipsa forma produci ob repugnantiam, quæ sequeretur in argumento relatam. Probatur itaque antecedens & quidem quoad primam partem certum est; probatur itaque quoad secundam. Mutua causalitas in diverso genere causæ non repugnat; ergo non implicat, quod accidentia disponentia, adeoq; concurrentia ad formam, in genere causæ materialis ab ipsa effectivè procedant. Consequentia hæc liquet. Probatur antecedens primò ex Philosopho. secundò physicorum textu 31. illis verbis *Causæ sunt sibi invicem causæ in diverso genere causandi.*

Secundo exemplo D. Thomæ communiter adducto ab omnibus Thomistis aperitionis fenestræ; nam ingressus aeris causat effectivè eam aperitionem, & aperitio fenestræ disponit ad ingressum venti, ac proindè antecedit in genere causæ dispositivæ.

Tertiò, quia creatio, quæ per Aduersarios est actio transiens, subiectatur in termino, quem producit, & consequenter præcedit illum in genere causæ efficientis, licet sit posterior in genere causæ materialis.

Quartò, quià de facto ultima dispositio pendet à forma, ut à sui radice, cum non sit alia radix illius, ex alia parte iterum forma dependet ab ipsa dispositione ultima; ergò non repugnat mutua causalitas in diverso genere causæ.

Quod verò faveat ordini generationis substantialis, quod ultima dispositio ità disponat, ut à forma ipsa dimanet ad quam disponit, quæ erat tertia pars primi antecedentis probatur, nam ordo generationis petit, quod ultima dispositio sit terminus, aut consumatio præcedentis alterationis, & accidens connexum cum forma genita illi subordinatum, & dependens; ergo conveniens est ordini generationis, quod ultima dispositio, & antecedat, & sequatur. Consequentia hæc tenet, quia dispositio ultima in eo, quod est terminus, & consumatio alterationis antecedit, in eo vero quod subordinatur, & dependet, debet subsequi. Probatur itaque antecedens quoad duplicem partem, quam continet, & primo quoad primam, videlicet quod ultima dispositio sit consumatio præcedentis alterationis pater, nam calor ut octo est eiusdem rationis cum calore ut sex, vel ut septem; ergo cum calor ut sex, vel ut septem habeat disponere ad generationem, pariter ut octo. Secunda verò pars nimirum quod ultima dispositio subordinetur, & dependeat à forma pariter certa est, quia calor ut octo v. gr. est proprietas ignis, sed proprietas subordinatur, & dependet à forma, ergo etiam ultima dispositi-

spositio, quæ est ipse calor ut octo habebit dependere ab eadem forma.

Respondeo repugnantiam adesse, quod ultima dispositio effectivè procedat à forma, quam non vacat hic denuò repetere, à qua usque adhuc adversarii non se liberant, maximè per hoc eorum argumentum inefficaciter probans mutuam causalitatem in diverso genere causæ. Non enim urget primò Philosophi proloquium cum optimè intelligi possit de causalitatibus efficientibus & finalibus, quę se mutuo causare habent, non verò de causalitate materiali, aut efficienti, aut formali, nec exemplum aperitionis fenestræ vrget, siquidem quamuis ingressus venti sit causa aperitionis fenestræ, non tamen apertio fenestræ est causa ingressus venti, nec inter actionem creatiuam, & terminum productum mutua intercedit causalitas, ut in materia de mutua causalitate videri potest.

Quod autem affirmatur sententiam Thomisticam magis fauere ordini generationis substantialis, censeo potius contrarium euenire, nam ordo generationis substantialis exposcit necessariò, quod primò perfectè disponatur materia ad formam nouam, quàm hæc producatur, & sic quod in priori intelligatur existens ultima dispositio ad ipsam formam nouam; hoc autem melius intelligitur à negantibus ultimam dispositionem prouenire effectivè ab ipsa forma, ad quam disponit, quàm ab afferentibus.

Arguunt ultimo alii. Ordo causatum est, ut prior sit finis, postea efficiens, deinde materia, & postremò forma, ad quam sequuntur dispositiones concomitantes, quæ à forma, ut *quo* dimanant, & à composito ut *quod* pernaturalem quandam resultantiam in virtute agentis producentis formam iuxtà illud *qui dat formam dat consequentia ad formam*; ergò licet forma, & compositum efficienter sint priora simpliciter, & absolutè dispositionibus profluentibus, tamen in genere causæ materialis sunt posteriora.

Explicatur, & urgetur totum hoc. Ordo generationis petit, quod ultima dispositio, quasi continuet apparatum præcedentium; sed nisi antecedat, & sequatur ad formam genitam, nequit id præstare; ergò. Maior patet ex terminis. Minor verò probatur; nam in eo, quod est continuatio, vel terminus præcedentium debet antecedere, sicuti punctum, quod est terminus unius lineæ, antecedit initium alterius, vel se ipsum, ut est initium illius; quoad secundam verò partem probatur, quià si omninò antecederet, iam cessaret eius influxus, nec continuaretur cum forma genita, sicuti cessat influxus priorum; ergo dicendum est quod sequatur ad illam.

Respondeo ordinem inter causas à me nullatenus negari, negari tamen ordinem illum causarum, quem ponit Gabriel à Sancto Vincentio, cuius est argumentum, siquidem etiam omisso priorem esse causam finalem, postea efficientem, materialem deinde, & formalem; omitti tamen nequit ità formam esse posteriorem causam, ut ab ipsa, tanquam à principio, *quo* dimanent dispositiones, quæ ab ipsis Thomistis concomitantes vocantur, & à nouo composito per naturalem quandam resultantiam in virtute agentis producentis formam, quinimo cum prior sit materia, quàm forma, & ex alia parte dispositiones etiam ultimæ ad causam materialem reducantur, asserere potius debebit auctor argumenti priores esse dispositiones, quàm formam; non verò ad ipsam istas effectivè subsequi. Axioma autem relatum nil officit, primò, quià eius legitima explicatio traditur, ubi de ortu, & interitu. Secundò quià solummodo ostenditur quod producens formam det illa, quæ consequuntur ad ipsam, inter quæ profectò non videtur enumeranda ultima dispositio, quæ vel antecedit, vel saltem concomitatur, & simultaneè existit cum ipsa forma noua, ut docent Thomistæ.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quodnam sit subiectum radicale accidentium.*

### CAPUT PRIMUM.

*Scitu necessaria pro resolutione quæstionis præmittuntur.*

Hic nobis sermo non est de accidentibus vitalibus, hæc enim recipi in sola anima, si spiritualia sint, si verò materialia, in sola materia, ut in viuente rationali, vel in forma sensitiua, aut vegetatiua, ut in cæteris viuentibus irrationalibus, suo dicam loco. Difficultas, ergò procedit de omnibus accidentibus non vitalibus, & præcipuè de accidentibus communibus, uti censeo esse quatuor qualitates elementorum. In qua difficultate duæ præcipuæ sunt sententiæ, quarum prima docet materiam per se solam non esse subiectum inhæsionis accidentium materialium, sed ipsum compositum; ita ut ipsa materia sit pura ratio receptiua accidentium, tanquam subiectum *quo*, quatenus est id, quo compositum ipsa recipit, postquam receptam formam substantialem in materia. Et hic aduertendum est, quod, dum Thomistæ edocent compositum esse subiectum inhæsionis, non intelligunt, quod accidentia inhæreant materiæ, & formæ, sed solùm taliter compositum esse subiectum inhæsionis, ut materia sit principium *quo* recipiendi, non verò principium dans actualitatem, & esse, forma verò è contra sit principium subiecti inhæsionis, non per modum principii *quo*, sed per modum principii dantis actualitatem, atque esse simpliciter, & per se. Sic loquuntur Caietanus prima parte *quæst.* 76. *art.* 6. *Ferrara* 4. *contra agentes cap.* 81 *Flandria* 7. *Metaph. quæst.* 17 *art.* 10. Durandus, Ioannes à Sancto Thoma, Bannez, Canina, Goudin, Godoii in sua phylosophia manuscripta, aliique ex Diuo Thoma *prima parte quæst.* 66. *art.* 6 *& quæst* 77. *art.* 6. illis verbis: *quod quia forma substantialis facit esse simpliciter, eius subiectum est ens in potentia tantum. Forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale, aut tantum, aut aliquo modo se habens, subiectum enim eius est ens in actu.*

Secunda verò sententia sustinet solùm materiam esse subiectum adæquatum accidentium, sic communiter auctores, inter quos Suarez, Ariaga, Ouiedo, Hurtado, Spinula. Cuinam autem sententiæ in Henrici Schola adhærendum sit, sub iudice lis est. Asserunt enim aliqui Henricum velle compositum integrum esse subiectum accidentium, & hoc se colligere existimant ex *Quodlibeto*. 3. *quæst*. 14. *Littera R*, ubi hæc habentur: *Sicuti materia per essentiam suam est primum susceptiuum, & immediatum formarum substantialium; sic compositum substantiale ex materia, & forma ex se per essentiam suam est primum susceptiuum, & immediatum formarum accidentalium*: At ineptè ex hoc loco deducitur Doctorem sequi sententiam Thomistarum, cum hæc verba explicari possint, dicendo compositum dici ab Henrico subiectum susceptiuum accidentium ratione partis, vel mate-
tiæ,

tiæ, quemadmodum dicimus compoſitum operativum ratione formæ,

## CAPUT SECUNDUM.

*Statuitur vera ſententia.*

EX ipſa Henrici textus explicatione manifeſtè conſtat, quid nobis ſentiendum ſit, atque ſub hoc capite probandum, quod certè nihil aliud eſt, quàm quod accidentia non recipiantur in toto compoſito, ſed in ſola materia, quod totum, ut oſtendam præcipuas rationes refero, quibus communiter utuntur hujus ſententiæ doctiſſimi defenſores, quas cum ordine refero, & prima ſit. Pro eo ſigno, pro quo accidentia exiſtunt pro eodem intelliguntur eſſe in ſubjecto adæquato; ſed accidentia diſpoſitiva exiſtunt in priori ad formam, cum in illo priori actum primum proximum conſtituant; ergo in illo priori habent eſſe in ſubjecto adæquato; ſed in illo priori non intelligitur, niſi pura materia; ergo ſunt in materia tanquam in ſubjecto adæquato. Nihil eſt in hoc ſyllogiſmo, de quo dubitari poſſit; non quidem de majori, cum certum ſit accidentia naturaliter in nullo ſigno exiſtere, niſi in ſuo ſubjecto adæquato; non de minori, quis enim negare audeat prius materiam diſponi ad formam, quàm ipſam recipere, cum agens non agat, niſi in ſubjectum perfectè diſpoſitum.

Secundò illud eſt ſubjectum accidentium de cujus potentia ipſa accidentia educuntur, cum educi nil aliud ſit, quàm fieri dependenter à ſubjecto; ſed accidentia educuntur ex ſola materia, non verò ex forma; ergo. Major certa eſt. Idem enim eſt ſubjectum eductionis, ac receptionis, formas enim educi de potentia materiæ formaliter eſt ipſam materiam concurrere in genere cauſæ materialis paſſivæ, ſeu receptivæ.

Tertiò, quia ſi accidentia diſpoſitiva reciperentur in forma, jam inter ipſa & formam daretur mutua cauſalitas, & quidem in eodem genere cauſæ; ſed hoc repugnat, etiam in ſententia Thomiſtica; ergo. Probatur ſequela, ſiquidem accidentia diſpoſitiva concurrunt ad productionem formæ in genere cauſæ materialis, cum ſe teneant ex parte ipſius materiæ, ſicuti forma hoc genere cauſalitatis concurreret, cum hoc præſtaret recipiendo; concurrere autem recipiendo, eſt concurrere in genere cauſæ materialis; ergo ſi accidentia diſpoſitiva reciperentur, nedum in materia, ſed etiam in forma, jam inter ipſa, & formam daretur mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ.

Quarta ratio, & ultima eſt, quia ſi accidentia reciperentur inhæſivè in forma, tamquam in ſubjecto partiali, quando v. gr. lignum per calorem alteratur, & diſponitur ad ignem, deberet alterativ diſponens ad corruptionem ſubſtentari in forma ligni, & deinde adveniente forma ignis, deberent accidentia alterativa deſtrui, & alia ſimilia denuò produci; ſed utrumque eſt falſum; ergo. Major quoad utramque partem conceditur, & ſequitur data adverſariorum ſententia. Minor verò quoad primam partem eſt evidens, quia videtur valde improbabile, quod forma ligni habeat vim concurrendi, quinimmò de facto concurrat materialiter ad producendum in ſe ipſa calorem ſibi maximè contrarium, & tendentem ad ſui deſtructionem, conſequenter ad putum malum. Minor autem quoad ſecundam partem pariter clara eſt, quia pro eo Inſtanti, pro quo ponitur forma ignis, non eſt aſſignabile agens exigens deſtructionem caloris præexiſtentis, quia tunc non amplius exiſtit forma ligni, nec amplius exiſtunt ejus accidentia, cur ergo debet deſtrui? quod ſi dicas deſtruendum eſſe, non propter exigentiam agentis contrarii, ſed propter defectum ſubjecti, nempe formæ ligni, tunc pereuntis. Contra eſt; demonſtravimus enim ſupra formam ligni non poſſe eſſe ſubjectum caloris inhæſivum, de quo eſt controverſia.

Dices ſecundò contra probationem primæ partis formam utique recipere accidentia ſui deſtructiva, ſed recipere violenter non verò connaturaliter, nec mirum eſſe quod res aliqua naturalis violenter, ſeu contra propriam inclinationem immediatè recipiat aliquam qualitatem noxiam, cui non poteſt reſiſtere. Quamvis enim forma qualibet habeat repugnantiam activam relatè ad accidentia ſibi noxia, non habet tamen paſſivam, ſed

Contra eſt, quamvis enim verum ſit formam recepturam eſſe talia accidentia violenter, & contra ſui naturam, tamen id, quod adverto eſt quod eſſet ordinata à natura ad horum receptionem. Patet hoc, nam cauſa materialis, qua talis eſt à natura ordinata ad receptionem; ergò ipſa forma, utpotè cauſa materialis, eſset ordinata ad ipſa accidentia noxia recipienda. Quis autem eſt, qui aſſerere audeat naturam ordinare res ad recipiendum ſui deſtructivum?

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

ARguunt primò. Subjectum proprium inhæſionis, & non purè ſubjectum *quo* indiſpenſabiliter importat actualitatem perfectam, & potentialitatem; ſed materia prima ex ſe dicit puram potentialitatem, non verò actualitatem; ergò ex ſe non eſt proprium ſubjectum inhæſionis accidentium, ſed ſolum ſubjectum quo ſeu id quo materia ipſa accidentia recipit. Probatur major quoad primam partem. Quod eſt propriè ſubjectum debet ſimpliciter habere eſſe perfectum, maximè ſi ſit ſubjectum ſubſtentationis, ut aſſerit etiam Scotus; ſed id, quod exigit ſimpliciter habere eſſe perfectum, habere debet actualitatem perfectam; ergo. Prob. major, nam ſubjectum petit illud eſſe habere, quod accidens ex ſe non habet; ſed accidens eſt ſibi forma exiſtendi imperfecta, non verò perfecta; ergo ejus ſubjectum exigit ſimpliciter habere eſſe perfectum. Major pariter liquet, ſiquidem ideò accidens non ſiſtit in ſe, ſed ordinatur ad aliud tamquam ad ſubjectum, ut perfectè ſubſiſtat. Minor autem primi ſylogiſmi, maximè quoad ſecundam partem, certa eſt. Materia ſiquidem caret omni actualitate tam formali, quàm entitativa, hoc eſt omni forma phyſica, quæ vocatur actus formalis, abſque exiſtentia, quæ dicitur actus entitativus.

Argumentum hoc, ut ſolvatur, advertendum eſt exiſtentiam, quæ conceditur materiæ, & nuncupari ſoler nomine exiſtentiæ partialis, in alio ſenſu dici poſse exiſtentiam totalem, & perfectam, quatenus ipſam materiam adæquatè prout extra ſuas cauſas. Partialis enim ſolùm dicitur comparativè ad exiſtentiam totius, ad quam eſt ulterius ordinabilis; cæterum in ſe perfectè exiſtit, ideſt exiſtentia ipſam totaliter extrahente extra cauſas. Hoc autem ſuppoſito, facilis eſt ſolutio, dicendo materiam optimè ſe ſola eſse poſse ſubjectum re-

Xxx x cepti-

ceptivum accidentium, cum in linea existendi perfectè existat. Unde in forma concessa majori nego minorem, ad cujus ultimam probationem nego antecedens; falsum enim est, quod materia non habeat peculiarem actum entitativum, quamvis verum sit, quod actum formalem superius explicatum ex se non habeat.

Arguunt secundò subjectum accidentium debet esse substantia prima, ut docet Aristoteles capite de substantia, cum sit ejus proprietas substare accidentibus; sed sola materia prima non est substantia prima; hæc enim, teste philosopho, est hoc aliquid, uti non est materia prima ex eodem 7. *metaph.* & 5. *physicè* ubi probat materiam non esse subjectum motus, quia non est hoc aliquid; ergo sola materia prima non est subjectum accidentium.

Confirmatur. Subjectum immediatum generationis debet esse diversum à subjecto immediato alterationis; sed subjectum immediatum generationis est materia prima, quæ transit ab una forma substantiali ad aliam; ergo subjectum immediatum alterationis est compositum, quod transit ab una forma accidentali ad aliam. Consequentia liquet. Præmissæ autem certæ sunt, quarum veritas colligi potest etiam ex doctrina philosophi *quæst. 1. de generatione text.* 23 docentis subjectum generationis esse materiam primam, alterationis verò compositum

Respondeo facilem esse solutionem argumenti, quod Complutenses assumunt, ut Divi Thomæ firment sententiam. Subjectum enim accidentium est substantia prima, vel completa, vel incompleta. Nec obstat, quod affertur in contrarium, quia ratio singularitatis, vel individuationis, tam benè cadit supra substantiã completã, quã cadat supra incompletam, ut omnibus compertum est; quamvis non sit materia substantia singularis completa iy *singularis*, prout cadit supra ipsam substantiam completam, non verò prout cadit supra singularitatem.

Confirmatio verò vim non habet; affirmare enim possumus totum compositum esse subiectum alterationis, non quia alteratio recipiatur in toto composito, sed quia per ipsa accidentia alterativa totum compositum dicitur alterari, & præcipuè loquendo de forma; materia enim quantum est de se, neque corrumpitur, neque alteratur. Vel etiam aliter dicere possumus diversum esse subiectum formæ substantialis, & accidentium, & si omnia recipiantur in eadem materia, quatenus hæc relatè ad formas substantiales est subiectum inhæsionis, respectu verò accidentalium simul est substentationis.

Arguunt tertiò Complutenses. Si materia esset se sola subiectum proprium accidentium, reciperet ipsa immediatè; sed sic ipsa recipere nequit; ergò. Probatur minor. Tunc immediatè non reciperet, quando immediatius, vel prius reciperet formas substantiales, quàm accidentales; atqui de facto prius recipit formas substantiales, quàm accidentales, quia ex pluribus formis materia illam immediatius recipit, quæ est illi magis proportionata, & ad eius specificationem per se pertinet, formæ autem substantiales, sunt magis proportionatæ materiæ, quàm accidentia, à quibus formis substantialibus ipsa specificatur, quia, cum potentialitas materiæ sit substantialis, debet ab actu substantiali specificari; ergo

Confirmatur actiones immanentes subiectantur in eo principio, à quo eliciuntur, alioquin non essent immanentes, sed non eliciuntur à potentia subiectata in sola materia, cum à materia non habeant activitatem, & influxum, sed ab anima cuius instrumentum sunt ipsæ potentiæ, ergo respiciunt utrumque principium pro subiecto inhæsionis materiam, videlicet, & formam.

Negari nequit formas substantiales esse bonum magis proportionatum materiæ, quàm accidentales, cum materia ad ipsas ordinetur, tanquam ad sui præcipuum perfectivum, nihilominus ex hoc ineptè inferunt Thomistæ immediatius materiam ipsas formas substantiales recipere. Aliud enim est recipere, aliud respicere. Constat enim experientia, id quod primo intendimus, ultimum esse in executione, ut patet in ipsa felicitate æterna, quæ quamvis sit obiectum præcipuum desiderii, tamen ad ipsius consecutionem adultus præmitere debet opera salutaria, & in casu ipsa materia, quamuis primò feratur suo modo in formam substantialem, ad huius tamen possessionem pertingere nequit, nisi prius disponatur per accidentia formæ nouæ propitia. Undè patet in forma.

Per confirmationem autem non video, quomodo Complutenses, aliique Diui Thomæ sententiam sequentes, probent actus vitales recipi debere inhæsivè in toto composito, cum potius probetur, quod recipi debeant in sola forma, cum certè materia influxum activum non præstet erga actus vitales, etiam in consortio formæ viventis. Sed quidquid sit de hoc, de actibus vitalibus alibi erit sermo.

Arguunt quartò pluribus congiobatis rationibus, & primò accidentia tribuunt suas denominationes toti composito; ergò non subiectantur in sola materia; sed in toto composito. Secundò reddere debemus rationem, cur anima rationalis in homine non denominetur quanta, & denominentur quantæ formæ materiales in compositis materialibus. Hæc autem certè est, quia quantitas non recipitur inhæsivè in rationali, recipitur verò in cæteris formis. Tertiò forma substantialis est primus actus materiæ. Primus autem actus, ut patet in terminis, non recipitur in alio actu, quia eo ipso non esset primus; sed forma accidentalis est secundus actus, & secundus actus, ut constat ex suo proprio conceptu, recipitur in primò, ergò forma accidentalis in substantiali recipitur. Quartò accidens illud est, quod aduenit enti completo; sed ens completum complectitur materiam, & formam; ergò accidens subiectatur in utroquè. Quintò, & ultimò in eo recipitur terminus motus, videlicet calor, & frigus, in quo recipitur motus; sed motus non recipitur in sola materia, sed etiam in forma; ergò. Probatur minor, tum quia totum compositum dicitur moveri, tum quia, si motus reciperetur in sola materia, nullus motus esset violentus, cum nihil sit violentum materiæ.

Ad singula facilis est responsio ad. Primum quidem, quia ad hoc, ut aliqua denominatio conveniat toti, non est necessè, quod forma denominationem tribuens recipiatur inhæsivè in omnibus partibus totius, sed sufficit quod subiectetur in aliqua. De facto enim totus homo denominatur intelligens corruptibilis, quantus, & operativus, cum tamen intellectio non recipiatur, nisi in intellectu, corruptibilitas verò non sit nisi in unione, & forma corporeitatis, & quantitas in sola materia, & tandem activitas in sola forma. Secundùm verò non probat, quia ad hoc ut aliquod denominetur ab aliqua forma, non est opus, quod formam ipsam inhæsivè, vel etiam adhæsivè recipiat. Verbum enim Divinum denominatur unitum ab unione hypostatica non recepta in verbo, sed in sola natura humana; & pariter plura accidentia denominantur à quantitate, v.g. albedo dicitur quanta, palmaris, vel

vel bipalmaris, nectamen albedo recipit inhæsiuè quantitatem. Ad recipiendam enim denominationem ab aliqua forma, non sufficit inhæsiua talis formæ receptio, cum materia recipiat inhæsiue actionem agentis, & tamen non denominetur agens, sicuti in bruto recipit operationes sensitiuas, nec tamen denominatur videns aut audiens

Quod si à me quæras, cur formæ materiales denominentur quantæ, minimè verò anima rationalis, respondeo hoc prouenire à capacitate, atque aptitudine, vel utriusque carentia, quam capacitatem, cum habeant formæ omnes materiales, hinc dicuntur quantæ; Anima verò rationalis, cum non habeat proportionem specialem cum quantitate, quanta affirmari nequit.

Tertium vero, quod nostro asserto obstare existimat Schola Diui Thomæ, non vrget, siquidem iam in physicarum difficultatum dissolutione solutum est. Ne actum denuo agam, vide Lector, quæ dixi, ubi decreui possibilem esse introductionem simultaneam duplicis formæ substantialis non subordinatæ in eadem materia, iuxta veriorem Henrici, Scoti, atque quamplurium Scotistarum Sententiam.

Quartum verò solutionem habet facilimam, si aduertamus, quod dum dicimus accidens aduenire enti completo, hoc nos non affirmare penes receptionem in toto composito, sed quià est extra conceptum substantiæ.

Ad ultimum verò quod affert Scotus, dico motum quoque ipsum inhæsiue in sola materia recipi, nihilominus adhuc assignabilis est motus violentus. Diximus enim in physica, ubi egimus de natura motus, ut hic naturalis sit & non violentus non satis esse, quod non sit oppositus principio passiuo, & receptiuo, sed ulterius exigi, quod non sit oppositus formæ totius, seu non sit oppositus formæ, cum qua est unita materia receptiua ipsius motus, In quo sensu veritatem habere potest, quod ex nostris edocet Magister Ventura, nimirum subiectum alterationis materiam esse, prout hæc unita est formæ, ly *prout* non reduplicando supra subiectum inhæsionis, sed supra id supra quod præcipuè cadit alteratio.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Vtrum quantitas sit subiectum accidentium immediatum.*

Ludouico *Auersa* docere placuit quantitatem nullatenus esse immediatum accidentium subiectum, cui quamplures alii, tam ex recentioribus, quam ex antiquis adhæserunt, ut optimè aduertunt Patres Conimbricenses lib. 9. de ortu & interitu. Pro contraria tamen sententia stat Diuus Thomas, stat Henricus *Quodlib:* 8. *quæst.* 15. (non bene enim affertur à Ventura pro contraria sententia), stant Capreolus, Durandus, aliique relati ab iisdem Conimbricensibus, & Amico, qui tractatu de ortu, & interitu existimat sententiam affirmatiuam communiorem esse apud auctores ab ipso relatos. Sit ergò cum his.

### CAPUT PRIMUM.

*Quantitas est subiectum proximum accidentium receptiuum, non se habens mere dispositiue.*

Scotista Pontius assertum hoc ex ipsa non repugnantia firmat, sed Ineptè: pura etenim non repugnantia infert quidem possibilitatem rei intrinsecam, & absolutam, at non rei existentiam, quod verum esse iudico, etiam in rebus physicis, quinimmo, si hoc argumentum roboris esset, illud haberet etiam apud aduersæ partis auctores cum pariter nulla sit repugnantia in hoc, quod omnia accidentia immediatè recipiantur in sola materia. Nec pariter probat ratio, quam hic Mastrius affert, in eo consistens, quod accidentia ipsa materialia extendi debeant vi quantitatis, quod fieri nequit, nisi in ipsa recipiantur; siquidem, si hæc urget ratio, iam etiam in ipsa quælibet forma materialis recipi deberet, cum huius partes pariter extendi debeant, quod tamen est falsum.

Prima ergò ratio, quæ mihi, aliisque roboris videtur, illa est, quam proponere solent auctores, quamplures, ipsamque sub hac forma exhibeo. Illa sententia tueri debet, qua posita habemus, quod nouæ productiones accidentales quæ vi agentium naturalium fieri possunt in hostia, non habeant rationem creationis, vel anichilationis nouæ coruptiones atqui si nullum sit subiectum accidentium, quæ de nouo producerentur in Hostia sequetetur, quod crearentur ab agente naturali; creatio enim est rei productio nullo concurrente subjecto physico; ergò talis productio esset creatio, sed virtus creatiua, nec quoad determinatos effectus convenire potest creaturæ, ut suo dicam loco; ergo.

Dices primo cum Hurtado productionem illam accidentium esse creationem procedentem tantum à Deo ad præsentiam agentis naturalis, quia Deus ob meritum fidei, ne mysterium Eucharistiæ ratione naturali innotescat, producit supernaturaliter illa accidentia, quæ naturaliter produceret agens naturale, si ibi daretur substantia panis, quæ productio fit, vel à solo Deo, vel media creatura, tanquam instrumento obedientiali ad mysterium occultandum, sed

Contra est. Hæc enim solutio Vurtadi, nec Amico placere potuit, & si eandem cum ipso defendat sententiam, & quamuis dificilis impugnationis esse asserat Oviedo, impugnari tamen potest, & quidem solidè meo videri quia, gratis asseritur hæc noua creatio, nec ullum est fundamentum ipsam admittendi apud sui auctorem, nisi ut neget præexistentem quantitatem esse subiectum, quod tamen evinceretur negata hac excogitata creatione. Secundò, quia constat talia accidentia produci, nedum ad presentiam agentis naturalis, sed etiam ab ipso agente naturali, ità ut calor, & siccitas in Hostia producantur, nedum ad præsentiam ignis, verum etiam actiua virtute ignis. Tertiò, quia gratis recurimus ad causam primam, quoties in natura sunt causæ proportionatæ ad effectus aliquos producendos; atqui pro noua productione accidentium in Hostia dantur in rerum natura causæ proportionatæ, quæ sunt ipsa agentia naturalia, & quidem præsentia; ergò gratis asserimus denuò ipsa creari. Quartò, quià supponit hæc solutio creaturam esse posse principium instrumentale creandi, quod reprobamus, nedum inhærendo doctrinæ Henrici, sed etiam Divi Thomæ, ut optimè

timè aduertit Suarez in sua metaphisica,& nos docebimus suo loco. Quintò, quia ideo ponitur creari hæc accidentia, ut mysterium Divinum occultetur; sed mysterium Eucharistiæ independenter ab hac noua creatione, iam est occultatum, occultatur enim, cum sub illis speciebus substantiam panis indicantibus Christi Corpus, & divinitas lateant; ergo superfluum est ob hunc finem hæc noua accidentium creatio.

Dices secundò ad salvandas mutationes, quæ circa species Eucharisticas fiunt sufficere qualitatem, in qua quantitas subjectatur, sed

Contra est. Qualitas enim salvare nequit has mutationes, cujus ratio est, quia repugnat, quod illud sit subjectum commune mutationis, quo corrupto remanet ipsa mutatio; subjectum enim mutationis perseverare debet; sed tali qualitate corrupta aliam producendo, adhuc interveniret mutatio; ergo jam qualitas non potest esse subjectum mutationis. Præterea in eo ponenda est ratio subjecti inter plura, in quo reperitur prioritas saltem naturæ. Atqui hanc habet potius quantitas relatè ad qualitates, quàm vice versa; ergo non nisi irrationabiliter diximus qualitatem subjectum esse quantitatis, aliorumque accidentium.

Dices tertiò cum Arriaga, quod si ad vitandum miraculum novæ creationis accidentium deberet adstrui quantitas subjectum inhæsivum ipsorum accidentium, propter eandem rationem deberemus dicere quantitatem non dependere à substantia, ne pariter sequatur ipsam miraculosè conservari absque concursu substantiæ, à qua dependere debet, sed

Contra adhuc est. Miracula enim tunc solùm vitari debent, quando pro ipsis astruendis, nec ratio urget, nec fides ipsa proponit. Si enim unum, vel alterum, vel utrumque urgeat, miracula ponenda sunt. Miraculum autem hoc, quod nempè quantitas conserverur absque suo subjecto principali, vitari nequit, cum fides doceat miraculum esse ipsam existere absque substantia, quæ tamen conservatio miraculosa non esset, si ipsa accidentia connaturaliter conservari possent absque substantiæ concursu. At verò pro hac secundi miraculi positione, videlicet pro nova creatione accidentium, nihil ex dictis urget.

Probatur secundò. Videmus enim aliqua accidentia subjectare alia accidentia, ut figuram respectu quantitatis, habitum in potentiis operativis si hæc accidentia sint, & similia; ergo idem dicendum est de accidentibus corporeis respectu quantitatis, quia cum quantitas sit primum accidens materiæ conveniens, & careat virtute activa, ut caret materia, quæ carentia activitatis, & primitas indicant habere aliquam causalitatem subjectivam respectu aliorum accidentium.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes dubitandi.*

ARguunt primò Recentiores aliqui ex Concilio Constantiensi, quod reprobando Wiclefi propositiones, & hanc proscripsit: *accidentia panis non manent absque subjecto*; ergo jam statuit oppositam propositionem veram esse, nimirum accidentia panis manere absque subjecto; & cum aliundè Concilium absolutè, & indefinitè loquatur, excludendum erit subjectum quodcumque, tum immediatum, tum ultimatum.

Libenter concedo propositionem Concilii absolutam esse, simulque indefinitam, sed existimo Concilium exclusisse solùm subjectum quodcumq; quod radicale sit, & primarium. Ratio autem hoc asserendi mihi penitus solida est, quod Concilium illud subjectum excludit, sine quo Wiclefus existimabat impossibilem esse existentiam accidentium; atqui Wiclefus loquebatur de subjecto radicali. Asserebat enim substantiam Panis simul remanere cum Christi corpore, quæ subiectum est radicale; ergo ex propositione Concilii ineptè arguunt adversarii aliàs doctissimi.

Arguunt secundò alii. Nulla est ratio, cur accidentia debeant inhærere quantitati; ergo. Probatur antecedens. Omnia accidentia per se ordinantur ad perficiendum idem commune subjectum, & ita per se ordinantur ad ipsum omnes qualitates, sicuti quantitas, cum idem subjectum sit, quod fieri debet extensum, ac fieri debet calidum, vel album; ergo nulla est ratio, cur accidentia debeant inhærere quantitati, sed

Quam falsum sit non adesse rationes, ob quas accidentia debeant inhærere quantitati, patebit apertè legenti superiori capite expositam rationem, contra quam non efficit ordo, quem ipsa dicunt accidentia ad materiam, cum hic sit ad ipsam, tamquam ad subjectum principale, atque radicale, qui respectus certè non tollitur per hoc, quod recipiantur in ipsa quantitate, quæ solùm subiectum est immediatum. Unde patet quid in forma dicendum sit.

Arguit tertiò Aversa. Si accidentia deberent recipi in quantitate maximè, ut per ipsam extenderentur; sed hæc ratio non valet, ergò. Probatur minor multipliciter, & primò, ad hoc ut verificetur, quod accidentia extendantur media quantitate, sufficit coniunctio accidentium cum quantitate in uno, & eodem numero subiecto, ergo ad hanc extensionem accidentium habendam non requiritur, quod recipiantur in quantitate. Secundò si ad hoc ut accidentia extenderentur, esset opus, quod reciperentur in quantitate, potius quantitas deberet subiectari in ipsis accidentibus, quam accidentia in quantitate. Patet hoc, nam extensio est effectus formalis quantitatis in genere causæ formalis.

Confirmatur. Forma substantialis extenditur per quantitatem; sed nihilominus non est subiectum quantitatis; ergo stat formam extendi per quantitatem, quin debeat ipsam recipere.

Resp. ineptè arguentem ostendere minoris veritatē, cum falsa sit maior propositio: non enim asserimus accidentia ponenda esse in quantitate, ut ab ipsa eorum partes extendantur, sed potius, ut ea, quæ superiori capite diximus, sua non destituantur veritate, unde si argumentum urget, solùm urget inhærendo Mastrii principiis statuentis accidentium receptionem in quantitate, ut vi hujus extendantur.

Obiicies quartò contra rationem fundamentalem thesis positæ. Ideò ponimus accidentia subjectari in quantitate, ut verum sit omnia accidentia in Eucharistiæ Mysterio habere accidens primum, in quo subiectivè inhæreant: sed hæc ratio nulla est, ergo. Probatur minor illud esse nequit subiectum proximum accidentium, quod subesse potest mutationi, quin varientur ipsa accidentia, sed quantitas in Sacramento Altaris subesse potest mutationi manentibus speciebus ipsis Sacramentalibus, ut euenit in ipsa specierum rarefactione, & condensatione, quæ in plausibili sententia fieri solent per productionem, vel deperditionem quantitatis remanentibus ipsis speciebus, ergò

Respon-

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem denuo concessa maiori, nego iterum minorem. Euenire enim nequit, quod mutetur quantitas in Sacramento Altaris remanentibus speciebus, nec hoc sufficienter ostenditur, cum in Henrici sententia rarefactio, & condensatio non fiant per productionem, vel deperditionem quantitatis.

Obiicies ultimò. Connaturale instrumentum non tribuitur causæ principali, nisi ob ejus defectum; & improportionem, sed materia prima nullã habet improportionem ad recipiendas immediatè qualitates; ergò immediatè recipit, non media quantitate, tanquam connaturali instrumento. Maior patet inductione; non enim alia de causa volunt aliqui accidens esse connaturale instrumentum substantiæ, ad producendam substantiam, nisi ut possit accidens producere ubi, & quando non est substantia. Minor etiam patet. Materia enim proportionem habet, tum ad recipiendam formam substantialem immediatè, tum etiam ad recipiendam ipsam quantitatem; ergò non est cur materiæ denegetur proportio ad recipiendas alias qualitates.

Respondeo argumentum hoc urgere etiam suos auctores, siquidem si materia prima ex se nullam habet improportionem ad recipiendas immediatè qualitates, cur deinde edocent materiam ineptam esse ad formas recipiendas accidentales, & etiam substantiales, nisi prius disponatur per quantitatem? In forma itaque concedenda est minor, loquendo de remota improportione, negãda tamen est, loquendo de proxima.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum in generationibus substantialibus detur resolutio usque ad materiam primam.*

### CAPUT PRIMUM.

*Præmittuntur aliqua resolutionem quæstionis facilitantia.*

Antequam expositam difficultatem resoluamus, primò aduertendum est accidentia non posse transire de subiecto in subiectum, quapropter accidentia panis, & vini remanentia in Hostia Consecrata absque utriusque substantia, quamuis extra subiectum existant, tamen adueniente substantia Christi Domini, in aliud subiectum non migrant, sed sine subiecto perseuerant hoc insinuante Tridentino *sess 13 cap 4 & can 2.* unde patet hic falsum esse, quod olim docebat Ouiedo in sua philosophia *Controuersia prima de generatione*, nimirum semel concesso, quod subiectum accidentium sit totum compositum præexistens, adhuc accidentia corrumpere opus non esse, etsi ipsum totum corrumperetur, eo quia sicuti accidens idem numero perseuerare potest, etsi deficiat sui principium effectiuum dumodo aliud principium æqualis virtutis, ac prius est, substituatur, ita poterit perseuerare deficiente principio passiuo, alio tamen succedente æqualis virtutis, & potentiæ ad substentandum; cum autem de facto ad deficientiam unius compositi munus principii passiui gerentis in ordine ad accidentia, immediatè aliud compositum subsequatur, cum corruptio unius generatio alterius sit, profectò accidens transire poterit de subiecto in subiectum. Falsum, inquam, hoc est, cum nunquam hucusque in Scholis audiuerim, possibilem esse transitum accidentis de subiecto in subiectum. Semel enim hac doctrina Patris Ouiedi admissa, non video, quomodo negari deinde possit Pythagorica dementia de animarũ transmigratione (si verum est, quod Pythagoras cum Platone hoc asseruerit) si enim accidẽs physicum transire valet de subiecto in subiectum, cur hoc idem facere non poterit forma vitalis. Nec paritas alicuius roboris est, nam ideo accidens transire poterit de uno in aliud principium effectiuum, quia relatè ad sui principium effectiuum, non habet tantam connexionem, quantam habet cum passiuo. Accidens enim cum principio suo effectiuo non unitur intrinsecè, nec exigit uniri, benè verò cum passiuo. Quod totum clarius constat, eo quia effectus quilibet ad aliquod tempus perseuerare potest qualibet causa effectiua creata remota, cum tamen nullum accidens connaturaliter loquendo perseuerare valeat absque causa materiali.

Præsuponendum etiam est secundò accidentia multiplicis esse generis. Alia enim sunt accidentia modalia, ut sunt durationes, ubicationes, & uniones, quæ in variis compositis accidentalibus inueniuntur. Alia verò accidentia absoluta, sed particularia, quæ respiciunt quasdam determinatas formas substantiales, à quibus producuntur, & in esse conseruantur, ut qualitates mixtis conuenientes, quæ in gradu refracto conseruantur in mixto à forma mixti, & ab ipsa producuntur. Alia tandem sunt accidentia communia, quæ nullum dicunt respectum determinatarum ad entitates particulares, & non dicunt connexionem cum determinata forma.

Hanc diuisionem accidentium in communia, & particularia agnoscit etiam Henricus *in summa Aurea art.6.quæst.11.num 13* ubi accidens particulare illud vocat, quod producitur à principiis propriis subiecti; commune verò à principiis communibus illis verbis: *sicuti nomen accidentis simpliciter tenet omne accidens, quod à communibus principiis subiecti causatur. Quod verò causatur à principiis propriis subiecti, nomine apropriato dicitur proprium, licèt maneat de genere accidentium*: Hic autem difficultas non est de accidentibus primo, & secundo modo acceptis. Certum enim omnino est talia accidentia remanere non posse, ut v. g ubicatio formæ ignis, nequit remanere ipsa forma ignis corrupta, cum enim hæc sit forma mediis essentialiter affixa subiecto ipso corrupto, & ipsa destrui debet. Nec pariter difficultas est de accidentibus secundo modo inspectis, hæc enim concedimus tolli per ablationem formæ, cum ab ipsa forma producantur, & conseruentur. Quæstio ergò est de accidentibus communibus, circa quæ non parua est difficultas, & controuersia. Thomistæ enim volunt accidentia communia corrumpi ad corruptionem compositi, inter quos Ioannes à Sancto Thoma, Cauino, Goudin, Arnù, Contrariam tamen sententiam sustinet Doctor *Quodlib.8 quæst.37* ubi docet in corruptionibus substantialibus non interuenire resolutionem usque ad materiam primam his verbis: *materia nunquam denudatur à dimensionibus non terminatis, nec dimensiones simplices denudantur à materia prima, sicuti nec alia accidentia communia corporibus contrariis propter quod dicit philosophus in secundo de generatione, quod accidentia symbola, quæ erant in corrupto manent in generato*: Scotistæ verò quamuis in inanimatis admitant resolutionem usque ad materiam primam, tamen ipsam denegant in animatorum corruptione, ut docent Scotus, Mastrius, Pontius, Bartolomeus à Castro Vetro, Frasen, Petrus à Sancta Catharina,

rina, Dupasquier. Boyulo, aliique.

Tandem aduertendum est, id, quod aliis in locis nobiscum Thomistæ communiter defendunt, nimirum, quod dum elementa corrumpuntur, & in mixta abeunt, remanere ipsorum qualitates in mixto genito, quæ virtutes elementorum appellari solent, & hoc dicunt, quia cum nolint elementa formaliter remanere in mixto; sed tantum virtualiter, asserere tenentur, quod remaneant qualitates in gradu refracto, veluti elementorum virtutes.

## CAPUT SECUNDUM.

*Solidissima fundamenta afferuntur probantia non dari resolutionem usque ad materiam primam.*

PRima ratio innititur supra veram D. Thomæ doctrinam existentem in tractatu de *virtutibus quæst. 2. art. 11.* quam non parum adhibent Thomistæ, ut videre est apud Ioannem à S. Thoma ipsamque sic expendere placet. In corruptione substantiali dari resolutionem usque ad materiam primam est formalissime, dum forma corrumpitur substantialis, vel formaliter, vel concomitanter corrumpantur cum ipsa omnia accidentia; atqui non est necesse, quod ad corruptionem formæ substantialis, vel compositi accidentia corrumpantur, vel formaliter, vel consequenter, vel concomitanter; ergò. Probatur minor. Id quod corrumpitur opus est corrumpi, vel propter defectum causæ conseruantis, quo pacto lumen ad absentiam solis desinit, vel per destructionem subiecti, ut si corrumperetur organizatio auditus, corrumperetur etiam potentia auditiua adæquatè sumpta, vel per actionem contrarii, sicuti frigidum per actionem calidi, vel tandem per desitionem termini, ut in relatione, in qua si terminus deficiat, deficit relatio, vel formaliter, si sit prædicamentalis, vel consequenter, si transcendentalis, ut Henrici Schola docet; atqui accidentia communia nullis ex iis capitibus deficere debent, dum vetus corrumpitur compositum, nouo succedente; ergò gratis asserunt Thomistæ dari hanc resolutionem usque ad materiam primam. Maior est D. Thomæ doctrina loco relato quam libenter cum Schola Divi Thomæ recipio. Ostenditur itaque minor, in qua tota difficultas, & inprimis deficere non possunt accidentia ex defectu formæ substantialis. Primo quidem, quia hic difficultas non est de accidentibus particularibus, quæ solum conservantur ab ipsa forma, à qua producuntur, unde ipsa corrupta, & ipsa accidentia deficere opus erit, sed controversia est de accidentibus communibus, quæ, vel non conseruantur à forma, vel si conseruantur, ità ab una conseruantur, ut ab alia succedente conseruari possint, ut primæ qualitates, quæ quamvis conseruentur ab ipsis elementis, conseruari possunt à mixto, tum quia accidenta communia non sunt connexa cum aliqua determinata forma; ergò dicendum est, quod ipsa non deficiant ex defectu causæ creatæ suo modo conservantis. Tertiò, quia si Thomistæ cohærenter ad id, quod docent in physica loqui velint, defendere non possunt, quod accidentia corrumpantur nouo succedente composito, sicuti quamuis materia deperdat suam existentiam, dum unam formam substantialem ammittit alia immediatè succedente, tamen ipsam materiam corrumpi non dicunt Thomistæ, ità à pari, dum accidentia ammitunt priorem substantiam, alia succedente immediatè, dici non poterit talia accidentia corrumpi. Patet hoc, quia magis res dicitur corrumpi per ablationem existentiæ, quam per ablationem sui subiecti, cum per ablationem existentiæ, res formaliter corrumpatur, cum rem corrumpi sit formalissime ipsam ammittere esse, sicuti produci aquirere esse; per ablationem verò subiecti de consequenti solum corrumpitur, quatenus consequitur ex desitione subiecti desitio formæ; atqui dum corrumpitur una numero existentia, quia alia succedit, materia non corrumpitur; ergò neque erit dicendum ipsa accidentia corrumpi, sed potius ipsa transire de uno subiecto denominationis ad aliud.

Secundò nec corrumpi poterunt ex defectu subiecti: hoc enim, ut diximus supra, est sola materia, quæ ad compositi præexistentis desitionem non corrumpitur; ergò.

Tertiò, nec corrumpi possunt per actionem contrariam, nam quamvis verum sit accidentia communia habere contrarium, ut calor contrariatur frigori, humiditas siccitati; tamen cum sæpè sæpius generans producat aliud compositum exigens accidentia similia præexistentibus in materia, ut optimè advertit Joannes à S. Thoma, in tali casu priora accidentia non corrumperentur à contrario.

Quartò nec deficere debent ex defectu termini; primò quia hic sermo est de accidentibus absolutis, non verò relativis, unde non est cur deficiant ex defectu ejusdem; secundò quia terminus accidentium, ad quem dicunt ordinem, est ipsorum subjectum, à quo sustentantur, materia autem, quæ subjectum est non deficit.

Ostenditur. Secundò eadem conclusio. Dum ex elementis fit mixtum, elementum corrumpitur secundum suas formas substantiales per Thomistas, cum nolint remanere formaliter in mixto; sed per ipsos nō corrumpuntur qualitates elementorū, ergò in corruptione substantantiali non datur resolutio usque ad materiam primam. Minor ostenditur, nam mixtum virtualiter continet ipsum elementum, sed si corrumperentur ipsæ qualitates elementorum, virtualiter non contineret mixtum elementum; ergò. Probatur minor primò, quia mixtum virtualiter continere elementa, est quod retineat in se qualitates elementorum, quamvis in gradu refracto, qualitates enim sunt ipsorum virtutes, sed si corrumperentur ad elementorum corruptionem, ipsas retinere non posset; ergò non amplius mixtum præcontineret virtualiter elementa virtualitate accidentali.

Dices mixtum adhuc præcontinere virtualiter elementa, quamvis in se non habeat illas easdem qualitates, quæ erant in elementis, quia præcontinet alias qualitates similes in illis, quæ erant in elementis, similitudine tamen non omnimoda, sed

Contra est, quia si verum est, quod ipsæ qualitates elementorum corrumpantur, falsum est elementa virtualiter manere in mixto ratione suarum qualitatum; atqui schola Thomistica docet elementa manere virtualiter in mixto ratione suarum qualitatum, immò hanc continentiam virtualem communiter sic explicant; ergò remanent eædem numero qualitates. Probatur major, nam non stat, quod elementa formaliter maneant in mixto, vel secundùm propriam formam, formis substantialibus elementorum corruptis, quamvis succedat forma mixti perfectior; ergò etiam non stabit, quod elementa remaneant virtualiter in mixto ratione suarum qualitatum ipsis qualitatibus elementorum

cor-

corruptis, quamvis aliæ similes succedant produ ctæ à forma mixti. Secundò si elementa manerent virtualiter in mixto, quia in eodem essent qualitates similes elementorum, iam Thomistarum sententia affinis esset Scotistarum alteri, aliunde ab ipsis impugnatæ, in qua Scotistæ sustinent qualitates elementorum virtualiter manere in quadam qualitate resultante per actionem, & reactionem primarum qualitatum, uno verbo qualitates elementorum in mixto manere, non in se, sed in alio. Tertiò, quia estò in uno mixto sint qualitates similes existentibus in alio mixto, propriè tamen non dicitur unum mixtum aliud virtualiter continere; ergò à pari quamvis in mixto sint qualitates similes illis, quæ erant in elementis corruptis, impropriè diceremus elementa virtualiter in mixto præcontineri. Quartò tandem, quia constans sententia est D. Thomæ 1. part. quæst. 70. art. 4. *quod qualitates elementorum formaliter maneant, & secundum se in mixto.*

Dices Thomistas solùm asserere in corruptione substantiali completa, & perfecta dari resolutionem usque ad materiam primam; corruptio autem elementorum non est completa, & perfecta, sed imperfecta, cum accidentia remaneant, nimirum eorum qualitates in mixtis.

Contra est, & in primis falsum est, quod corruptio elementorum perfecta non sit; tunc enim talis est, quoties est corruptio totius compositi substantialis, quæ accidit per desitionem formæ substantialis determinantis ad hanc, vel ad illam speciem substantiæ; atqui elementa hoc modo corrumpuntur, dum mixtum efformatur; ergò erit corruptio perfecta, & completa. Secundò dum unum determinatum compositum ab agente naturali producitur per actionem generativam, ipsa actio est propria, perfecta, & completa generatio, & nihilominus productiva non est omnium accidentium, quæ inveniuntur in composito, uti illorum, quæ in materia præsupponuntur ad compositi generationem; cum enim hæc præsupponantur ante generationem, profectò per ipsam produci nequeunt; ergò à pari corruptio substantialis elementorum erit perfecta, quamvis remaneant aliqua accidentia compositi: & ratio à priori totius est, quia generatio, & corruptio substantialis desumuntur à productione, vel desitione formæ substantialis. Tertiò hæc solutio reiicitur, quia in ipsa supponitur, quod est in controversia. Vocamus enim in dubium in præsenti, an detur resolutio usque ad materiam primam; supponere autem, quod corruptio perfecta, & completa compositi substantialis sit corruptio secundùm omnia accidentia est supponere id, quod inquiritur.

Tertiò ostenditur conclusio alia ratione pariter ex materia de elementis deprompta, quam affert, Magister Ventura *lib. 3. disp. 1. de ortu, & interitu quæst.* 4. quæ si roboretur, non mediocris est roboris. Hæc autem sic procedit. Facilior est mutatio unius elementi symboli in aliud symbolum, quàm unius dissimboli in aliud dissimbolum: suadetur hoc primò doctrina Phylosophi tradita *textu* 4 illis verbis: *quæ enim symbola inter se habent horum cæteris est migratio, quæ verò non habent, tarda, cum facilius sit unum, quam multa mutari*. Secundò ratione suadetur, quia major est affinitas, & correspondentia inter symbola, quam inter dissimbola, atqui non stat hæc major facilitas, quæ reperitur in conversione unius symboli in aliud symbolum, quam dissimboli in dissimbolum, nisi remaneat aliquod accidens simboli corrupti in simbolo genito; ergò.

Probatur minor. Primò, quia ideò difficilior est transmutatio dissimboli in aliud dissimbolum, quia ut talis transmutatio fiat, opus est elementum dissimbolum transmutari secundū ambas suas qualitates: sic ut aer in terra, ignis in aqua transmutentur, opus est, quod aeris humiditas, & calor, & siccitas corrumpantur; ergò ideò facilior dicitur transmutatio simboli in aliud simbolum, quia illa qualitas, vi cujus convenit unum elementum cum alio, remanet in illo. Quod totum insinuat Philosophus illis verbis: *cum facilius sit unum, quam multa mutari*, quasi dicat, quod in dissimbolis plures qualitates mutentur, seu corrumpantur, in simbolis verò una solùm.

Dices utique faciliorem esse transmutationem unius elementi simboli in aliud simbolum; sed hæc major facilitas non habetur, quia qualitas unius elementi in alio remaneat elemento, ut superius diximus, sed quia elementa simbola habent inter se majorem affinitatem, cum exigant similes qualitates, in quibus aliqualem habent homogeneitatem, sed

Contra est. Hæc enim solutio, quam afferunt quidam Thomistæ, insufficienter solvit argumentum, & in primis non nego majorem præseferre affinitatem unum simbolum cum alio simbolo, quam duo dissimbola inter se, cum simbola exigant quasdam similes qualitates; sed id, quod adverto est, ideò faciliorem efformari à Philosopho transmutationem unius elementi simboli in aliud simbolum, quia illa qualitas, vi cuius habetur affinitas, in alio simbolo remanet, dum asserit Philosophus facilius esse unum, quam multa mutari. Unde exigentia ejusdem qualitatis, est ratio radicalis, cur facilior sit transmutatio; ratio verò formalis, cur in actu secundo facilior sit, & expeditior transmutatio, est ipsa perseverantia unius qualitatis; sicuti ipsa conversio substantiæ panis, est utiq; ratio causalis realis præsentiæ Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ, non tamen est ejusdem ratio formalis, cum hæc sit Christi Domini substantia.

Respondet secundò Mastrius maiorem facilitatem transmutationis salvari inter simbola relatè ad dissimbola, estò etiam in simbolis qualitates affines corrumpantur, quià in prioribus pugna est solum in una, in secundis verò in duplici qualitate. Ubi enim est contrarietas secundum duas qualitates, est quoquè major resistentia, adeoque major difficultas in ipsa mutatione, quæ contrarietatem importat, de qua unicè loquitur Aristoteles. Sed

Contra est. Gratis enim asserit hic Scotista Phylosophum solum esse locutum de mutatione, quæ fiat ex contrarium, illamque ab ipso dici faciliorem in qua solum una qualitas mutatur de contrario in contrarium. Asserit enim Philosophus *facilius esse unum mutari, quam plura*, quæ verba in generali prolata non videntur restringenda ad significandum solùm mutationem de contrario in contrarium. Secundò, quia quamuis verùm sit faciliorem esse transmutationem, dum pugna est solùm in unica, quam dum est duplici, tamen hic Phylosophus vult, simboli in simbolum transmutationem faciliorem esse respectiuè ad aliam, nedum quia pugna est solùm in una, verum etiam, quia qualitas in utroque elemento existens, in utroque perseuerat, ut legenti Phylosophi verba apparebit.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

ARguunt primò Patres Complutenses ex Philosopho, qui *textu 23* hæc habet *Quandò autem totum transmutatur non manente aliquo sensibili, ut subiecto eodem, sed quasi ex semine toto sanguis, aut ex aqua aer, generatio iam hoc tale, huius autem corruptio.* Insuper in prædicamentis capite de substantia: *Corruptis primis substantiis nihil aliud remanet*. Ex his autem sic arguunt compositum substantiale non habet rationem sensibilis ratione sui, sed solùm ratione accidentium, quod adeo verùm est, ut nec ipsa substantia corporea sensibilis dicatur, nisi meritò accidentium; ergò dum Philosophus dicit, quod nullum sensibile remanet, ut subiectum, planè insinuat nullum accidens remanere. Secundò materia ipsa affecta accidentibus est subiectum redditum sensibile per eadem accidentia, quæ recipit; sed in transmutatione, seu corruptione nullum subiectum sensibile remanet; ergò non perseuerat materia prima, prout affecta accidentibus. Tertiò illud prædicatum immediatius tollitur ab esse, & conseruari in corruptione, quod propriè habet rationem sensibilis, atqui magis propriè accidentia dicuntur sensibilia, quàm ipsa substantia, cum priora sint sensibilia merito sui; secunda verò sit merito alterius; ergò in corruptione substantiali iuxta Philosophum interuenit accidentium corruptio. Denique particula negatiua est malignantis naturæ, ita ut destruat totum id, quod post se inuenit in eodem genere, quo unum de alio negatur, sed dum dicitur nullum sensibile remanere interuenit particula negatiua qua negatur rei sensibilis perseuerantia, ergo non remanet id, quod habet rationem sensibilis; cum autem accidentia sensibilia sint, jam nullum accidens remanebit.

Hurtadus huic argumento ex Philosophi auctoritate deducto responder ipsum loqui de sensibili in concreto, seù quatenus ratio sensibilis dicit complexum ex subiecto, quod denominatur, & ipsa forma, qua subiectum hoc, vel illo modo denominatur, in quo sensu verum est, quod in corruptione substantiali nullum remaneat sensibile, cum non remaneat ipsa substantia, quæ erat subiectum denominatum. Remanere tamen docet aliquod sensibile in abstracto, quia remanent ipsæ formæ accidentales mediis quibus substantiæ redduntur sensibiles. Quod autem Philosophus loquatur de sensibili in concreto, colligit hìc Auctor ex his verbis ut *subiecto eodem*. Sensibilia enim accepta cum subiecto, sunt ipsa sensibilia in concreto.

Non repugno huic solutioni, sed solùm hanc ulterius firmo, aduertendo formas accidentales, quas remanere dicimus in nouo composito genito dupliciter considerari posse, videlicèt entitatiuè, & quatenus tribuunt denominationem huic, vel illi determinato composito. Priori modo remanere defendimus, secundo negamus, quia cum non remaneat subiectum denominationis, profectò eidem subiecto tribuere non poterunt denominationem.

Arguunt secundò Thomistæ, ratione. Compositum substantiale est prius natura composito accidentali; prius namquè est esse ignem, quam esse calidum, quia prius est esse simpliciter, quam esse secundum quid, prius est esse unum, & compositum per se, quam unum, & compositum per accidens. Tum quia accidens dicitur illud, quod aduenit enti in actu completo; ergò in generatione substantiali, v. g. ignis, prius est esse ignem, quam esse calidum; ergò in resolutione prius resoluitur esse calidum, esse quantum, esse quale, quam esse ignis.

Respondeo compositum substantiale prius esse natura composito accidentali, seu illis accidentibus, quæ profluunt, vel consequuntur ad formam substantialem, ut est calor in summo in ordine ad ignem. At salsa est propositio, si sermo sit de accidentibus ad ipsam formam substantialem disponentibus. Hæc enim tantum abest, ut subsequantur natura ad compositum substantiale, ut potius ipsum præcedant, cum de natura dispositionis sit præcedere id, ad quod disponit. Vnde patet in forma quid dicendum sit.

Arguunt tertiò promiscuè Thomistæ, & primò. Materia prius est in potentia ad formas substantiales, quam ad accidentales, ergò prius debet forma substantialis uniri materiæ, quam accidentalis. Secundò materia primò respicit formas substantiales prioritate intentionis, & etiam executionis, quià quod primo terminat habitudinem materiæ, etiam primò respicitur ordine executionis. Si autem corrupto composito remanerent in materia aliqua accidentia in genito, iam materia non primo respiceret ordine executionis ipsam formam substantialem. Tertiò forma substantialis est finis accidentium, sed desinente fine cessant quoquè media; ergò ad corruptionem formæ substantialis corrumpuntur etiam accidentia. Quartò accidentia dependent in suo esse, & conseruari à composito, & non à sola materia, habent enim rationem actus, quam certè habere nequeunt à materia nullam actualitatem habente; ergò dum corrumpitur compositum, etiam accidentia esse desinunt.

Respondeo nullum ex his validè urgere nostram sententiam, non primum, quod Complutenses obiectant, quià hæc propositio materia prius est in potentia ad actus substantiales, quam accidentales, triplicem sensum habere potest. Vel sensus est, quod materia prius intelligatur capax formæ substantialis, quam accidentalis, & in hoc sensu salsa est, cum per eamdem capacitatem capax sit utriusquè formæ, videlicet tum accidentalis, tum substantialis. Vel sensus est, quod prius recipiat actus substantiales, quam accidentales, & in hoc sensu etiam salsa est, vel tandem sensus est ipsam magis principaliter respicere formam substantialem, quam accidentalem, & in hoc sensu vera est. Hoc autem posito patet in forma solutio.

Ad secundum verum est prius à natura esse intentum compositum substantiale, quam accidentale, cum generatio primò, & per se ordinetur tanquam ad sui terminum totalem, & principalem ad ipsum compositum substantiale habendum; attamen hoc non ponitur actu, & à parte rei, nisi prius ponantur in materia dispositiones, quapropter hoc primum est in intentione, non verò in executione. Tertium parum urget, quià ut optimè aduertit meus nunquam satis laudatus Magister Sosteneus Cavalli unica forma substantialis non est finis adæquatus accidentium, sed inadæquatus, unde non est opus hæc deficere ad unius formæ substantialis defectum. Quartum verò, & ultimum nimis probat, quià urgere potest etiam celebrem Thomistam Ioannem à Sancto Thoma sic arguentem, siquidem si accidentia nequeunt dependere à sola materia, quià ipsam excedunt in actualitate,

nec

nec etiam substantia dependere poterit à solis accidentibus tamquam à causa effectiva proxima, quià substantia excedit in perfectione ipsum accidens. In forma itaquè pro omnibus dicendum est. Accidentia particularia utique dependere in suo esse, & conseruari à determinato composito, non verò communia, de quibus procedit Thesis.

## CAPUT QUARTUM

*In quo Scotistarum argumenta referuntur.*

QVamuis Schola subtilis consona sit cum Thomistica in hoc, quod velit in inanimatis resolutionem dari usquè ad materiam primam dissona est tamen in hoc, quod dicat in animatorum corruptione aliqua remanere accidentia compositi viventis, quod Thomistæ negant. Placet itaque Scotistas audire quo ad priorem partem, in qua nobis aduersantur.

Arguunt itaquè primò. Ideo in animatis non fit resolutio usquè ad materiam primam, sed aliqua remanent accidentia in corpore exanimato, quæ in vivente præfuerunt, quia ibi duo adsunt composita, quorum unum completum est, aliud vero incompletum, & cum unumquodquè proprià habeat accidentia, hinc sequitur, quod remanente ad aliquod tempus post mortem viventis composito incompleto (remanet enim forma corporeitatis), etiam accidentia huius compositi incompleti propria remanere debeant, sed in inanimatis non datur hoc duplex compositum, cum unica detur forma substantialis, tribuens esse complerum, & ultimatum; ergò ipsis intereuntibus omnia accidentia corrumpi opus erit.

Respondeo veram esse maiorem nimirum in animatis non dari resolutionem usquè ad materiam primam, falsam tamen eiusdem causalitatem, idest, quod ideo remaneant aliqua accidentia, quià perseuerat forma substantialis corporeitatis gerens munus subiecti. Hæc enim in hominis corruptione non remanet, ut in Physica diximus propter ipsius cum Anima connexionem. Ratio itaquè potissima, cur etiam in viuentium corruptione aliqua perseverent accidentia est, quià remanet materia subiectum, & etiam, quia talia accidentia, utpotè communia, non sunt necessariò connexa cum ulla determinata forma, à qua vel conseruentur, vel unicè producantur.

Arguit secundò Mastrius. Quod ab alio pendet in suo conseruari, illo deficiente deficere debet, sed accidentia, quamuis omittamus, quod non pendeant à forma antiqua, tanquam à subiecto, tamen pendent ab ipsa tanquam à causa, vel finali, vel efficiente, seu à conditione; ergò dum forma ve tus destruitur, etiam ipsa destrui debent.

Cõfirmatur, quia quamuis sola materia prima esset subiectum accidentium, tamen accidentia non conseruantur in ipsa materia, nisi dependenter ab unione cum forma; ergò unione ablata, etiam accidentia tolli debent; sed per corruptionem substantialem semper tollitur unio formæ cum materia, quamuis non semper forma principalis corrumpatur; ut patet in viuente vita rationali, ergò etiam accidentia corrumpi debent.

Respondeo accidentia, de quibus est difficultas in præsenti, non pendere à forma substantiali, vel si pendent, non statim, ac una forma substantialis tollitur, etiam ipsa tolli debent. Primò quia finis accidentium non est solùm unica forma substantialis, ut superius diximus loquendo de fine adæquato; undè unica forma substantiali deficiente, non illicò deficere debent accidentia ex defectu causæ finalis. Secundò quia accidentia communia non dimanant à determinata forma, quæ enim sic dimanant, sunt accidentia propria, & particularia; ergò perseuerare poterunt forma ipsa deficiente. Nec tandem pendent à forma, tanquam à conditione, sine qua non valeant existere, alias non intelligerentur in priori ad ipsam, cum tamen intelligantur saltem loquendo de accidentibus disponentibus.

---

# DISPUTATIO SECUNDA.

De causis extrinsecis generationis substantialis.

SUppositis iis, de quibus in disputatione de causis anno elapso disputauimus, multa hic ulterius examinanda sunt circa causas extrinsecas activè concurrentes ad generationem substantialem; nam quoad alias causas præsertim materialem, & formalem, nihil hic addendum occurrit iis, quæ in Physica diximus. Quare tota disputatio erit circa causas efficientes substantiæ. Sit ergò

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quænam sit causa proxima productiua substantiæ.*

CElebris est difficultas circa virtutem proximè productiuam substantiæ, cui nimirum hæc virtus conueniat, an scilicèt substantiæ per se ipsam, an mediis accidentibus. In qua Controversia, prima sententia Thomistarum est, talem tribuentium virtutem proximam operandi accidentibus, ut velint hanc implicare in ipsa substantia creata. Sic Cajetanus, Bannez, Zumel, Capreolus, Ioannes à Sancto Thoma, Cauino, Goudin, Arnù, & in suis manuscriptis, Illustrissimus Petrus de Godoy, Ferrara, Sanchez, Ortiz, Complutenses, & ex Exteris Toletus, Fonseca ex Diuo Thoma in 1 *dist.* 3. *quæst.* 4 *art.* 2. dicente: *Quod forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, quæ sunt, quasi virtutes, & potentiæ passivè ipsius.* Undè negant communiter Thomistæ formas substantiales influere in accidentales, sed solum proximum influxum accidentibus esse tribuendum.

Secunda sententia ea est, quam tradit, & sequitur Suarez in metaphysica *disp.* 18. *sect.* 2. aut humans accidentia concurrere effectiuè proximè ad productionem substantiæ, sed partialiter. Tertia verò valdè improbabilis tribuit accidentibus munus causæ principalis. Huic adhæret Benedictus Pereira, ut optimè aduertunt hic Complutenses.

Quarta tandem sententia est Scotistarum, & Henticistarum, qui unanimiter defendunt virtutem, nedum radicaliter productiuam, verum etiam proximè operatiuam residere in sola substantia, ut legenti Scotum in 1. *dist* 37 *quæst.* 2. apparebit, & Henricum *quodlib.* 3 *quæst.* 4. illis verbis: *Licèt enim forma accidentalis alterando ad generationem agat in virtute formæ substantialis, ut instrumenta, non tamen attingit actio formarum accidentalium ad substantiam formæ substan-*

*tialis producendam, ſed eam immediatè attingit actio formæ ſubſtantialis, ut ſubſtantia eſt. Cum iſtis itaque ſit,*

## CAPUT PRIMUM.

*Accidens non eſt virtus proximè productiua ſubſtantiæ.*

Loquor hìc de virtute proxima, quæ adæquata ſit, quam conuenire non poſſe accidentibus hic oſtendendum eſt. De inadæquata enim inferius erit ſermo. De priori itaque loquendo, arguere libet unica ratione, ſed mihi, & omnibus efficaci. Cujuslibet ſubſtantiæ productæ aſſignari debet cauſa productiua, ſed hæc nequit eſſe accidens; ergò erit ſubſtantia. Maior eſt euidens, minor probatur. Perfectius nequit immediatè produci ab imperfectiori, ſed ſubſtantia eſt perfectior accidente, ergò nequit ſubſtantia ab accidente produci. Major præterquamquod clara eſt probatur ſic. Sit effectus aliquis perfectior ſua cauſa, diuidatur talis effectus in duo, videlicet in eo, in quo eſt cauſæ æqualis, & in eo, in quo cauſam excedit. Tunc ſic arguo. Talis effectus ſecundum primam partem eſt adæquatus ſuæ cauſæ; quippè eſt æqualis perfectionis cum illa; ergò ſecundùm aliam partem non eſt productus ab illa cauſa, ſiquidem cauſa non habet illam perfectionem, & ſic nequit illam effectui communicare, ſed aliàs talis effectus ſecundùm totam ſuam perfectionem eſt productus, ergò nullatenus poteſt eſſe productus à cauſa imperfectiori, adeoque ſubſtantia non ab accidente, ſed ab alio produci debet. Effectus enim præcontineri debet in ſua cauſa, vel eminenter, vel formaliter, vel virtualiter, ſubſtantia autem nullo modò ex his præcontineri poteſt in accidente; non quidem eminenter, quia ad eminentialem continentiam requiritur exceſſus perfectionis in continente ſupra rem contentam, non formaliter, quia ad continentiam formalem exigitur perfecta ſimilitudo, & identitas ſpeciei; nec tandem virtualiter, quia ad virtualem continentiam requiritur ſaltem æqualitas perfectionis, quæ non adeſt inter accidens, & ſubſtantiam.

Confirmatur pluribus rationibus, & quidem primò. Calor *A*. eſt ſe ipſo ſufficiens ad producendum ut cauſam adæquatam immediatè calorem *B* ergò etiam ſubſtantia ignis *A* eſt ſe ipſa ſufficiens ad producendam adequatè, & immediatè ſubſtãtiam ignis *B*. Conſ. probatur, quia inter unam ſubſtantiam, & aliam non datur minor proportio, quam inter unum calorem, & alium. Secundò accidens imperfectius, & remiſſius nequit eſſe cauſa totalis accidentis perfectioris, & intenſioris v. gr. calor intenſus, ut quatuor, cauſare nequit calorem ut ſex; ergò pariter accidens nequit eſſe virtus adæquata productiva ſubſtantiæ, cum hac ſit imperfectius. Uno verbo imperfectius nequit attingere in genere virtutis adequatæ perfectius; accidens imperfectius eſt ſubſtantia; ergò non poterit ipſam effectivè proximè adequatè producere.

Huic rationi efficaci reſpondent Thomiſtæ communiter, & præcipuè Magiſter Cavino accidens eſſe inferius ſubſtantia in ratione entitatis, non verò in ratione operativi. Paritatem verò ſe enervare exiſtimat dicendo diſparitatem eſſe, quia calor ut quatuor eſt inferior, tum in ratione entis, tum in ratione operativi; non ſic autem accidens reſpectivè ad ſubſtantiam, in ordine ad quam eſt perfectius in linea operativa, cum ſit virtus inſtituta à natura tamquam cauſa ad ſuum effectum. Quod autem aliquod eſſe poſſit improportionatum in linea entitatis, & proportionatum in linea operativa, patere poteſt, nedum exemplo animæ rationalis relatè ad corpus, cui quamvis ſit entitativè improportionata, eſt tamen in ratione actus, ſeu formæ informantis, ſed etiam eiuſdem ſubſtantiæ, quæ quamvis improportionata ſit entitativè accidentibus internis, ipſis tamen proportionata eſt in ratione cauſæ effectivæ in plauſibili ſententia, ſed

Contra eſt, & in primis hæc ſolutio eſt petitio principii, ſiquidem quærere, utrum accidens ſit principium proximè operativum ſubſtantiæ, idem eſt, ac inquirere utrum accidens ſit inſtitutum à natura, tamquam cauſa ad ſuum effectum, unde reſpondere accidens eſſe principium proximè operativum, quia à natura inſtitutum eſt tamquam virtus ſubſtantiæ productiva, idem eſt ac dicere, quod ſit principium proximè operativum, quia eſt principium proximè operativum.

Contra eſt ſecundò inhærendo ſemper paritati allatæ. Calor ut quatuor relatè ad calorem, ut ſex eſt accidens imperfectius, nedum in linea entis, ſed etiam in linea operativi, ergò à pari accidens eſt imperfectius in utraque linea reſpectivè ad ſubſtantiam. Probatur hæc conſequentia. Magis excedit ſubſtantia in perfectione accidens, quam calor ut ſex calorem ut quatuor, ſed calor ut quatuor ita exceditur à calore ut ſex, ut ſit ipſo imperfectior in linea entis, & operativi; ergò à fortiori accidens ita excedetur à ſubſtantia, ut ſit ipſa imperfectius in utraque linea. Rurſus quæro, cur calor ut quatuor imperfectior ſit in linea operativa calore, ut ſex. Certè non niſi, quia non habet virtutem in ordine ad ipſum producendum. Rurſus quæro, quare non habet virtutem productiuam; profectò dices, quia calor ut ſex excedit in perfectione calorem ut quatuor; ergò dicam ego, cum etiam ſubſtantia excedat in perfectione ipſum accidens, hoc non poterit ſubſtantiæ proportionari genere virtutis proximè operativæ.

Contra eſt tertiò ſupponendo prius doctrinam aliquam Complutenſium, qui ut oſtendant contra Pereiram accidens non eſſe cauſam principalem productivam ſubſtantiæ, aſſumunt pro medio imperfectionem accidentis. Nec juvat, quod Pereira reſpondeat accidens utique eſſe imperfectius ſubſtantia entitativè, non verò in genere cauſæ, quia dicunt perfectius in linea operativi principalis præſefert etiam perfectionem in linea entitatis, cum dicat activitatem, quæ eſt entitatis perfectio; ergò ſi accidens imperfectius eſt in linea entitatis, erit quoque in linea operativa. Ex hac autem Complutenſium doctrina, vel ex hoc arguendi modo contra Pereiram adverſus ſuperiorem ipſorum ſolutionem ſic arguo. Nequit accidens, dum eſt imperfectius in ratione entis, eſſe perfectius in linea operativi principalis; ergò à pari nequit idem accidens imperfectius in ratione entis, eſſe perfectius in ratione proximè operativa. Probatur hæc conſequentia. Eſſe perfectius in ratione operativi immediati importat activitatem, & actualitatem immediatam, ſed actualitas etiam immediata eſt perfectio entis; ergò ſi eſt imperfectius in linea entis, erit etiam in linea operativi. Præterea eſſe operativi proximi eſt aliquod indiſtinctum ab ipſa entitate, quinimmò per Thomiſtas eſt ipſa entitas accidentium; ergò ſi accidens eſt imperfectius in linea entitatis, erit quoque in linea operativa.

Ad paritates autem allatas prima diſparitas obuia eſt, ſiquidem ideo Anima rationalis, quamuis im-

improportionata in linea entitatis adhuc esse potest proportionata in linea actus, quià improportio in linea entitatis impertinenter se habet, nec est per se exigita ad hoc, ut materiæ proportionetur in linea formæ: at vero improportio accidentis in ordine ad substantiam in linea perfectionis est improportio in eo, quod per se excludit rationem causæ. Si enim aliquid est alio imperfectius, iam non poterit illud præcontinere, & consequenter nec producere. Ad secundam vero disparitas ex eo desumitur, quod prior improportio est improportio non imperfecti ad perfectum, sed perfecti ad imperfectum, adeoquè est improportio non excludens rationem causæ efficientis à ratione substantiæ respectivè ad accidentia interna; sed potius includens. At vero improportio accidentis ad substantiam est improportio imperfecti ad perfectum, & consequenter in ea ratione, sub qua tollitur ratio causæ.

Respondent secundò alii causam utique ut *quod* debere esse perfectiorem suo effectu, non verò causam *ut quo*, uti est accidens. Hoc enim substantiam producit in virtute alterius substantiæ, cuius est instrumentum. Causa autem instrumentalis optimè potest esse imperfectior suo effectu, ut euidenter constat in Phantasmatæ, & Sacramentis nouæ legis, quæ effectivè physicæ instrumentaliter attingunt speciem impressam, & gratiam, estò Phantasma sit ordinis inferioris ad speciem, & Sacramenta, utpotè materialia ad ipsam gratiam. Ideo autem calor, ut quatuor calorem ut sex producere nequit, quia calor ut quatuor haberet agere in calore, ut sex ex propria sua virtute, ageret enim ut causa principalis. Quod autem propria virtute agit, non agit ultrà suam speciem. Sed

Contrà est Siquidem causa ut quo, seù instrumentalis, nihil aliud est quam virtus ad causandum sed implicat, quod virtus ad causandum sit suo effectu imperfectior; ergò pariter implicat quod causa, ut quo sit suo effectu imperfectior. Probatur minor. Virtus ad causandum debet esse sufficiens, ut causa actualiter causet, sed virtus imperfectior nequit esse sufficiens, cum effectum adæquatè non contineat; ergò.

Contra est secundò, quia accidens agere in virtute substantiæ, vel significat, quod accidens non actione propria, sed per modum substantiæ in se receptum operetur; & hoc affirmare nequit Thomista, quia sequeretur substantiam propria actione operari, quod ipsi negant; vel sensus est accidens operari per virtutem in illo emanatam à substantia distinctam à virtute propria ipsius accidentis, & hoc pariter affirmare nequeunt Thomistæ, quia rursus inquirere possumus, an hæc virtus sit substantia, vel accidens, & cum substantiam esse affirmare non possint remanet dicendum, quod sit accidens, & consequenter semper reddit ratio fundamentalis ex imperfectione accidentis desumpta.

Nec obstat exempla, quæ adducuntur in superiori solutione, vel quia Phantasma, nullatenus effectivè attingit speciem impressam, ut quamplures Patres societatis propugnant cum Suarezio, ut in animastica dicam, vel quia Phantasma secundum rationem illam, secundùm quam concurrit, inferioris ordinis non est. Concausat enim, quatenus objecti represenrativum, sub quo respectu æqualis ordinis est ad speciem impressam. Sacramenta autem novæ legis physicæ gratiam non attingunt in Henrici sententia, & si attingerent adhuc Thomistis prodesse nequit concursus effectivus physicus instrumentalis ad gratiam, sed potius obesse potest, quia hæc etsi instrumentaliter gratiam attingant, ipsis tamen hic concursus instrumentalis competere nequit, nisi per qualitatem spiritualem vialiter in Sacramentis receptam, qua eleventur à sua ordinis inferioritate, ut docent Thomistæ.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria, quibus Thomistæ ostendunt substantiam, nec esse posse proximè operativam.*

CUm duò Thomistæ defendere soleant; primò quidem substantiæ repugnare virtutem proximè operativam, secundò verò accidens proportionem necessariam habere ad producendam substantiam, quid dicant pro utriusque partis ostensione audire præstat sub duplici capite, & pro viribus simul occurrere.

Arguunt itaque primò Non minus substantia est prima radix in ordine naturali, quam gratia in ordine supernaturali, sed gratia non est in ordine supernaturali proximè operativa, ut patet in fideli peccatore habente virtutem proximam sufficientem credendi media fide; ergò nec substantia erit proximè operativa in ordine naturali.

Respondeo concessa majori, distinguo minorem, gratia non est in ordine supernaturali proximè operativa operationum, quæ sunt proportionatæ, & propriæ esse supernaturalis, quod dat gratia sanctificans, nego minorem, aliarum operationum, quæ non sunt proportionatæ concedo minorem, & nego consequentiam; & dico, quod operationes proportionatæ, & debitæ esse quod habetur per gratiam sanctificantem sunt operationes charitate formatæ, & vitæ æternæ meritoriæ, Dei Amici habentis jus proximum ad Regnum æternum, quarum in Henrici sententia gratia est proximè operativa, ut fateri debent etiam Thomistæ docentes, quod formæ, quæ sunt de linea accidentis, nedum dent esse accidentale, verum etiam sint principium proximum operandi.

Arguunt secundò alii Si substantia esset immediatè operatiua, esset substantia creata, & non esset, sed hoc repugnat, ergò etiam illud, undè hoc sequitur. Probatur sequela quoad secundam partem in qua stat difficultas. Si esset immediatè operatiua esset actus purus, & esset infinita; ergò non esset substantia creata Probatur antecedens, quia esset identicè potentia, vel principium proximum operatiuum; ergo pariter identicè, esset operatio, ergò actus purus. Hæc ultima consequentia tenet, nam sibi identificans ultimam actualitatem in aliquo genere est actus purus. Antecedens est etiam certum, & prima consequentia probatur, quia substantia specificari non potest ab aliquo extrinseco; ergò cum principium operatiuum ordinari debeat ad actum, iam non posset iste actus esse accidens, sed deberet esse substantia, & consequenter identificari cum substantia proxima operatiua, nam ubi actio est substantia, identificatur cum principio operatiuo.

Respondeo rationem principii proximi, & immediatè operatiui, ut identificatam cum entitate substantiæ, nullatenus inferre substantiam infinitam, aut actum purum, quod inde constat, quia estò in accidenti identificetur in Thomistarum sententia principium proximum operandi cum eiusdem entitate, tamen accidens, neque est actus purus, neque est infinitum. Et ratio totius illa est, quam alibi affert Gregorius de Valentia in eo consistens, quod

sub-

substantia sibi identificans principium essendi, & operandi, solùm debet præcontinere perfectionem accidentium, quæ ipsis convenit, ut sunt proximè operatiua. Cum autem perfectio, quæ resultat in accidentibus, ex quo sint immediatè operatiua, solùm sit perfectio finita, ita hæc finita erit in substantia. Secundò accidens de facto in Thomistica sententia sibi identificat potentiam proximam operandi, quin sibi identificet operationem, ut patet in habitu charitatis, qui proximè operatiuus est in ordine supernaturali quin sibi identificet operationem supernaturalem. Ergò etiam hoc idem poterit contingere in substantia. In forma itaque pro omnibus nego maiorem, ad cuius probationem nego antecedens, ad cuius iteratam probationem concesso antecedenti nego consequentiam, & dico verum quidem esse substantiam intrinsecè specificari non posse per aliquod extrinsecum, quia intrinsecè specificatur per suam essentiam, per quam constituitur in ratione substantiæ, & primò distinguitur ab omni alio, falsum tamen est, quod sic per operationem specificari deberet, cum prius quam respiciat operationem supponatur specificata, quia res quælibet prius in sua entitate considerari debet, quam quod aliud respiciat, in quo priori, cum res quælibet intelligatur constituta in suo esse, intelligitur etiam in eodem specificata.

Arguunt tertiò. Actio causæ efficientis in nobis est accidens, ergò repugnat principium proximum, & immediatum esse substantiam. Consequentia probatur, quià actus, & potentia esse debent in eodem genere, ergò si actus in creaturis est accidens, potentia proxima non poterit esse substantia. Consequentia tenet; Antecedens verò tradit expresse Philophus 9. *metaph: text:* 1. Sed

Falsum penitus est, quod potentia proximè operatiua esse debeat in eodem genere, ac est eius actus etiam in Thomistica sententia, in qua principium proximè operatiuum est accidens, effectus verò est substantia. Quod si dicas axioma intelligendum esse de actu correspondente potentiæ, non verò de effectu producto, ità ut sensus sit, quod principium immediatè operatiuum in eodem genere esse debeat cum actione productiua, adhuc contrà est. Primò, quià hoc absque ulla prorsus ratione dicitur. Secundò quià substantia in ratione potentiæ passiuæ esse non debet in eodem genere cum actu, quem immediatè recipit, ergò etiam in ratione potentiæ proximè actiuæ, non debet esse in eodem genere cum actu, quo est productiua.

Dices. Ideò substantiam in ratione causæ passiuæ non esse in eodem genere cum actu, quem recipit, quià in hac ratione non per se ordinatur ad illa recipienda, quapropter accidentia adueniunt substantiæ in ratione causæ passiuæ, ut iam constitutæ; at in ratione causæ actiuæ per se ordinatur à natura ad operationem, & sic ab ipsa deberet specificari. Sed

Contra est, & sic insto contra Magistrum Paulum Cauinam Thomistam egregium, huius solutionis Auctorem. Sicuti substantia, prout immediatè operatiua per se ordinatur ad operationem, ità eadem substantia in ratione causæ passiuè ordinatur ad accidentia, quæ recipit, sed hoc non obstante, non est necesse, quod substantia sit in eodem genere cum accidentibus, quæ recipit, neque quod ab illis specificationem capiat; ergò idem affirmari poterit etiam loquendo de substantia in ratione causæ actiuæ. Probatur maior, quià sicuti substantia, ut immediatè actiua instituta est à natura propter operationem, ità etiam in ratione causæ passiuæ ab eadem natura est instituta propter accidentium receptionem; ergo sicuti prout causa proximè actiua ordinatur ad operationem, etiam pro ut passiua ad eandem ordinabitur.

Arguunt ultimò Thomistæ omnes. In creaturis esse, & operari distinguuntur realiter; ergò etiam potentia, quæ ordinatur ad existentiam distinguitur realiter ab ea, quæ ordinatur ad operari, sed essentia substantiæ ordinatur ad esse substantiale, & potentia proximè operatiua est potentia ad operari; ergò substantia, & potentia proximè operatiua realiter distinguuntur; ergò substantia nequit per se ipsam esse principium proximum operandi. Prima Consequentia videtur certa, quià sicuti potentiæ per actus specificantur, sic etiam inter se per ipsas distinguuntur. Minor quoad primam partem videlicet, quod substantia sit principium essendi certa est, quià respicit esse primo, & per se. Quoad secundam verò satis liquet, quandoquidem potentia operatiua, prout talis, nihil aliud affert præter vim quamdam ad operandum; ergò est potentia ad operandum.

Confirmatur primo. Essentià substantiæ primò, & per se respicit esse, & ad esse primò, & per se ordinatur, non verò ad operationem. Rursus potentia immediatè operatiua primò, & per se respicit operationem, & primò, & per se ad illam tendit, ergò hi duo actus non possunt esse unus, & idem actus adæquatus respectu eiusdem potentiæ, sed quilibet eorum exiget propriam potentiam. Antecedens quoad secundam partem est certum, quod nempè potentia immediatè operatiua per se primò respiciat operationem; nam hæc potentia pro ut talis non est nisi instituta propter operationem. Antecedens verò quoad primam, pariter est certum, nam in hoc differunt ea, quæ in prædicamento substantiæ collocantur ab illis, quæ sunt in aliis prædicamentis quod accidentia per se primò respiciunt aliquod extrà proprium prædicamentum, ut substantiam; quæ vero sunt in prædicamento substantiæ, respicere nequeunt aliquod extrà, quià intrà proprium genus habent omne suum complementum. Consequentia verò primi entimematis ostenditur, nam solus actus adæquatus per se primò respicitur à potentia; ergò si aliquis ex his actibus per se primo respicitur, iam quilibet erit adæquatus potentiæ.

Confirmatur secundò. Actus inadæquati per se pertinent ad unum, & idem genus, sed esse substantiale, & operari pertinent ad diversa genera, scilicet ad genus substantiæ, & accidentis; ergò isti actus inadæquati esse nequeunt.

Confirmatur tertiò quia esse, & operari tunc ab eadem forma provenire possunt, quoties haberent rationem actus primi, & secundi, sed non habent; ergò. Probatur minor, nam substantia, qua immediatè operatiua specificatur ab operatione, ad quam primò, & per se est instituta à natura, sed hoc ipso operari non est actus secundarius, quià actus secundarius non specificat potentiam ergò.

Confirmatur quartò. Si esse, & operari se haberent, ut actus primarius, & secundarius, non respicerentur sub diuersa ratione formali, sed de facto respiciuntur, ergò. Maior probatur, nam terminus, qui diuersa ratione inspicitur, tribuit diuersam specificationem, ergò non est secundarius.

Respondeo ab actuum distinctione nonnisi egrè distinctionem inferri etiam inter principia. In accidentibus

dentibus enim esse, & operari distinguuntur, in quibus tamen non sunt distincta istorum actuum principia in Thomistica sententia. Et ratio à priori est, quia actus subordinati oriri possunt ab eodem principio, ut patet in ipsis actibus amoris Dei, & Proximi, qui ab eodem habitu Charitatis proueniunt. Modo esse, & operari sunt actus subordinati itaut primus actus sit esse, secundus operari.

Prima autem confirmatio in ordine nullius roboris est. Substantia enim dupliciter accipi potest. Primò specificatiuè, seù materialiter, secundò verò formaliter, vel reduplicatiuè, nimirum prout est principium proximè productiuum substantiæ. Priori modo verum est ipsam substantiam primò, & per se non ordinari ad operationem; secundo tamen falsum est; nec talis ordo naturæ substantiæ officit, cum sit ordo causæ ad effectum, seu ut verius loquar sit relatio ad operationem tamquam ad medium, quo se passo communicat, ad differentiam accidentium, quæ respiciunt aliquod extra per modum subiecti adhæsionis, & informationis. Undè patet in forma.

Ad secundã confirmationẽ dico verum esse actus inadæquatos pertinere ad unum, & idem genus entis. Sed non est opus, quod spectent ad unum, & idem genus substantiæ, vel accidentis. Per Thomistas enim adeo substanria primò respicit esse; ut etiam respiciat operari per modum principii radicalis, cum tamen esse, & operari non pertineant ad unum, & idem genus, vel substantiæ, vel accidentis.

Tertia verò confirmatio ex dictis soluta remanet. Substantia enim specificatiuè non specificatur ab operatione, sed ab ipso esse per se relatè ad quod est primò instituta; in ordine enim ad operationem non est instituta nisi propter actum secundùm. Quod si instes substantiam, prout est proximè operatiua primò respicere operationem, dico hoc verum esse, sed tunc non sumitur substantia specificatiuè, sed reduplicatiuè, in quo sensu mirum non est, quod ab aliquo extrinseco specificetur, non quidem in ratione substantiæ, sed in ratione operatiui. Cum autem infertur; ergo ipsa operatio non est actus secundarius respectiuè ad substantiam, distinguendum est consequens, ergo non est actus secundarius sub ratione substantiæ specificatiuè sumptæ, nego consequentiam, reduplicatiuè, concedo consequentiam. Distinctio omnibus patet.

Ad ultimam confirmationem respondeo prius per instantiam. Si esse, & operari in accidentibus se haberent veluti actus primatius, & secundarius, non respicerentur sub diuersa ratione formali: sed de facto respiciuntur sub diuersis rationibus formalibus, cum accidens operari respiciat in genere causæ proximæ efficientis, esse verò vel inesse in genere causæ formalis, ergò in accidentibus operari, & esse non se habent ut actus primarius, & secundarius, adeoque accidens respicere non poterit esse, & operari. In forma itaque pro omnibus respondeo falsam esse maiorem, quia de facto eadem anima rationalis dat esse, simulque operari in genere principii saltem radicalis, & quidem cum ordine primarii, & secundarii, cum esse conferat in genere causæ formalis, operari verò in genere causæ efficientis.

Inter tot solutiones allatas, quæ maximè displicere solet Thomistis, est prima retorsio in solutione argumenti descripta, cui, cum multipliciter conentur occurrere, ipsos audire præstat. Dicunt itaquè primò Complutenses. Ideò accidens, quod primò, & per se respicit operationem, posse etiam respicere suum esse, quatenus hoc respicit tanquam aliquod materiale, quia nempe deseruit ad operationem, quam formaliter respicit, at verò substantia, cum primò, & per se respiciat esse, cum esse substantiæ propter se intendatur, ut ultima eius actualitas; hinc nequit simul respicere operationem primò, & per se, quam tamen deberet respicere, si esset proximè operatiua.

Contrà est, siquidem ideò accidens simul respicere potest esse, & operationem, quia esse respicit materialiter, operari verò formaliter, non verò utrumque formaliter, siuè primario, ergò etiam, quia substantia non respicit esse, & operari formaliter, sed formaliter esse per se, operari verò materialiter accepta substantia specificatiuè, etiam ipsa poterit utrumque respicere.

Responder secundò Ioannes à Sancto Thoma, quod esse accidentis non est esse per se, sed esse in alio; unde licèt accidens respiciat proprium esse, non est tamen principium per se essendi, sed sola substantia, cui conuenit esse per se, & ideò non infertur dari principium per se respiciens esse, & operari; Sed

Contrà est. Siquidem hæc euasio non soluit retorsionem; nam licèt esse accidentis non sit esse per se sed in alio, hoc esse tamen in alio accidentia respiciunt tanquam proprium actum sibi immediatè correspondentem, ergò si hoc non obstante potest accidens simul respicere inesse, simulque operari, hoc quoque poterit etiam ipsa substantia.

Resp. tertiò, Cavino, quod accidens nõ respicit esse per se intentum à natura, quia esse per se à natura intentum est esse simpliciter, quod respicit substantia tanquam suum actum, qui respici nequit à substantia materialiter, idest ut ordinabilis ad operationem, adeoque substantia si etiam respiceret operationem, duo respiceret per se intenta à natura; scilicèt esse per se, & operari. At non sic accidens, quia cum non respiciat esse per se à natura intentum, optimè respicere poterit suum esse materialiter, & operari formaliter. Sed

Contra est, siquidem sicuti esse per se, est per se intentum à natura substantiæ, ita esse in alio est per se intentum à natura accidentis, sed accidens simul, & semel respicere potest, & esse in alio, & operationem; ergo etiam substantia poterit simul respicere, & esse per se à sua natura intentum, & operationem.

## CAPUT TERTIUM.

*Occurritur Argumentis, quibus Thomistæ ostendunt accidens nedum posse, sed etiam de facto producere substantiam.*

PRimum argumentum procedit ex impugnatione rationis fundamentalis Henrici, & Scoti superius descriptæ, contra quam adversa pars sic arguit. Ideò accidens nequit esse adæquata virtus proximè productiva substantiæ, quia est inferioris ordinis; sed ratio non obstat; ergò. Probatur minor. Estò intellectus sit inferioris ordinis relativè ad visionem supernaturalem, vel actum fidei divinæ, quo credimus divina mysteria propter infallibilem auctoritatem Dei revelantis, tamen ex subordinatione ad principium supernaturale potest adequatè proximè elicere actum supernaturalem; ergò à pari accidens, estò sit inferioris ordinis in ordine ad substantiam, poterit adequatè proximè attingere substantiam, per hoc pariter, quod huic se subordinet.

Confirmatur, quia ratio inferioritatis accidentis respectivè ad substantiam non impedit, quin accidens effectivè proximè attingat substantiam; ergò. Prob. antecedens primò, quia inferioritas ordinis non impedit, quin accidens sit adæquata virtus effectiva in actu secundo, ut patet in ipsa actione, quæ accidens est, & nihilominus est concursus adæquatus in actu secundo respectu effectus substantialis; ergò nec impediet, quin accidens sit in actu primo proximo influxivum. Secundò habitus naturales in Christo, quamvis ordinis naturalis, adeoque inferioris ad omne motivum supernaturale, exierunt tamen in actum ex motivo superiori & perfectiori, videlicet ex motivo supernaturali; ergò etiam in eodem ordine naturali una res esto sit inferioris ordinis comparativè ad aliam, poterit tamen ipsam producere. Patet hæc consequentia, quia major est distantia inter naturale, & supernaturale, quam inter unum ens naturale perfectius, & aliud imperfectius; cum supernaturale, qua tale excedat ordinem totius naturæ, quod non convenit cuilibet enti naturali, quapropter docent communiter Theologi, quod virtus naturalis intellectus, quantumvis augeatur, numquam erit potens elicere actum visionis beatificæ, nisi prius per comprincipium supernaturale elevetur. Tertiò quia Phantasma inferioris ordinis est ad speciem impressam, sicuti est materiale, & dependens à materia, comparativè ad spirituale, & tamen in nostra, & Thomistarum sententia effectivè proximè attingit speciem impressam saltem per modum causæ instrumentalis, ut inquit D. Thomas *quæst. 10. de veritate art. 6. ad 7.* Quartò, quia esto accidens sit imperfectius substantia in ratione entis, non est tamen in ratione operativi, in quo nulla est implicantia, sicuti nulla est in hoc, quod accidentia supernaturalia secundum gradum inhærentiæ sint imperfectiora substantia naturali, perfectiora verò secundum gradum specificum supernaturalitatis, sicuti quod species impressa creata alicuius substantiæ sit ordinis inferioris ad ipsam in linea entis, non sit verò in linea repræsentativa, cum in hac linea univocetur cum ipsa substantia. Et de facto in nostra, & Scotistarum sententia esto substantia in linea entis non sit proportionata cum accidentibus, est tamen in genere causæ, cum accidentia interna, vel sibi propria per se ipsum producat. Tandem, quia optimè potest effectus excedere præstantiam causæ; de facto enim remissio peccati superat in æstimatione morali præstantiam gratiæ, siquidem augumentum gratiæ mereri de condigno sibi quis potest, & alteri justo; nullus autem remissionem peccati sui, vel alieni mortalis mereri potest; sed remissio peccati effectus est gratiæ; ergò.

Respondeo ad primam disparitatem esse obviam, siquidem ideò intellectus lumine gloriæ subordinatus effectivè proximè attingit visionem intuitivam, quia ita subordinatur lumini, ut hoc concurrat effectivè proximè ad visionem secundum omnem illam formalitatem, secundum quam visio intuitiva excedit ipsum intellectum, videlicet secundum supernaturalitatem. At verò non sic accidens subordinatur substantiæ, ut etiam fatentur Thomistæ nolentes accidentia agere immediatè per influxum receptum à substantia, ut inter cæteros advertit Joannes à S. Thoma. Præterea si argumentum aliquid probat, urget etiam arguentes Thomistas. Patet hoc, quia in istorum sententia intellectus, etiam prout luminis subordinatus effectivè proximè non attingit visionem, cum totam virtutem proximam lumini concedant; ergò etiam accidens, quamvis intelligatur substantiæ subordinatum, nihilominus effectivè proximè non poterit attingere substantiam.

Confirmatio verò secundum nullam sui partem urget. Ad primum enim patet disparitas. Accidens enim habere rationem causæ in actu secundo, nihil est aliud, quàm esse id, quo causa causat, de cuius ratione non est præcontinere effectum. At verò accidens esse in actu primo causam, est habere rationem virtutis importando præcontinentiam, quàm accidens habere nequit, utpotè substantia imperfectius. Ad secundum verò facilis est solutio, quia, quod habitus naturales in Christo Domino exierint in actu ex motivo supernaturali; hoc non evenit ratione sui, sed quia fuerunt regulati ab habitu charitatis. Phantasma verò secundum rationem illam, secundum quam concurrit, non est inferioris ordinis ad speciem impressam spiritualem, sed ejusdem, cum concurrat quatenus repræsentativum materialitate per accidens se habente. Quartum verò, quod affertur à vero recedit. Ratio est, quia in accidente ratio operativi identificatur juxta Thomistas cum entitate accidentis, itaut summatur ab iisdem principiis, à quibus genus entis, adeoque si accidens improportionatum est in linea entis, erit quoque in linea operativi. Nec officiunt exempla in contrarium: non quidem primum, quia ratio inhærentiæ, & ratio supernaturalitatis distinguuntur. Sunt enim separabiles, cum nec omnia, quæ dicunt inhærentiam, supernaturalitatem præseferant, nec omnia entia supernaturalia dicant inhærentiam; unde optimè potest accidens supernaturale esse in una linea inferius, in alia verò non, maximè quod genus inhærentiæ, & genus supernaturalitatis à diversis summuntur principiis. At in accidentibus stante Thomistarum sententia virtus proximè operativa non distinguitur ab ipsorum accidentium entitate, adeoque si accidentia imperfectiora sunt in linea entitatis, erunt etiam in linea operativa. Secundum verò exemplum pariter Inefficaciter urget. Ratio est, quia species impressa creata, in linea repræsentativa non explicat esse accidentis, sed potius esse substantiæ, quam repræsentat. At verò accidens etiam in linea operativa præsefert imperfectionem comparativè ad substantiam, cum hæc virtus juxta Thomistas nil aliud sit, quam ipsa entitas accidentis. Tertium verò exemplum ad rem non facit, quia improportio substantiæ ad accidens, est improportio perfectioris ad imperfectius cujusmodi certè non est improportio accidentis ad substantiam.

Ad ultimum verò falsa est major in doctrina Henrici. Docet siquidem Illustriss. Magister Lodigerius cum Henrico in tractatu de Incarnatione 1. *part. art.* 3. posse puram creaturam mereri sibi, & alteri remissionem peccati lethalis; nihilominus omissa prorsus priori propositione, dicendum est causam adæquatam efficientem debere in se præcontinere totam effectus perfectionem, saltem per æquivalentiam perfectionis, atque adeò superari non potest perfectione ab effectu, quatenus nequit ipsa perficere, quatenus non est perfecta, aut dare effectui esse physicum, quatenus ipsa non habet esse physicum. Causa autem formalis esto non possit habere effectum formalem primarium perfectiorem, habere tamen potest effectum formalem secundarium: cujus disparitatis ratio est, quia effectus formalis primarius est ipsa forma, ut deno-

denominans subjectum capax: Forma autem, ut denominans, non est perfectior seipsa, ut potente denominare: Effectus verò secundarius est aliquod distinctum a forma exigitum ab ipsa, quemadmodum exclusio oppositæ frigiditatis petitur à calore: sic autem solet evenire, ut superius debeatur essentialiter inferiori; quemadmodum creaturæ debetur Deus, unioni totum. In hac ultima classe repooimus gratiam, & remissionem peccati, quæ ex suppositione peccati debetur essentialiter gratiæ sanctificanti subjectum, tamquam effectus secundarius.

Arguit secundò Suarez, ut suam firmet sententiam pluribus conglobatis rationibus, & primò. Communis sententia non est reücienda, ubi euidens ratio in contrarium non occurrit, sed communissima est Philosophorum sententia tribuentium formis accidentalibus virtutem immediatè attingendi eductionem formarum substantialium, quæ reiicienda non est, cum non sit ratio euidens, ob quam taxetur hæc sententia falsitatis; ergo. Secundo quia si accidentia immediatè non attingerent per se, & proximè productionem substantiæ, sæpe esset necessarium totam efficientiam substantiæ productæ tribuere, vel causis universalibus, vel primæ causæ, sed hoc erroneum est in Philosophia, quià recta universi dispositio postulat, ut per causas secundas fiat quidquid commodè, & connaturaliter fieri potest, ergo ne hoc dicatur, dicendum est accidentia habere rationem causæ proximæ immediatè operativæ per se in productionē substantiæ. Tertiò quia forma accidentalis non solùm datur à natura ad ornamentum, & substantiæ pulchritudinem, verum etiam ad operandum; ergo erit operatiua in productione substantiæ.

Respondeo ad singula, & ad primum censeo Suarezii sententiam communem non esse apud Philosophos, cum nec in Schola Divi Thomæ, nec subtilis, & solemnis, vel aliorum, recipiatur, stant enim ferè omnes vel pro substantia affirmantes ipsi competere virtutem pruximam adæquatè productiuam substantiæ, vel pro accidentibus, ut Thomistæ, & nullus hucusquè sententiam hanc secutus est, quam Suarez tanquam plausibilem refert. Ratio autem cur removeri debeat concursus partialis ab accidentibus, est, quià quando duæ causæ partiales effectivè concurrunt ad productionem alicuius effectus, assignari debent in tali effectu aliquæ formalitates exigentes earumdem concursum, ita ut una sit formalitas, ratione cuius attingatur ab una causa, altera verò ratione cuius producatur ab alia, ut patet in ipsa visione beatifica. In substantia autem producta nulla potest reperiri formalitas, ratione cuius exigatur concursus accidentis, cum nulla sit in substantia producta, quæ non ad sit etiam in substantia producente. Rursus quotiescunquè assignari potest pro aliquo effectu, vel causa univoca æquè perfecta, vel æquivoca magis, vel æquè perfecta, ad quid uocare in consortium aliam causam, sed in productione effectus substantialis assignari potest alia substantia univoca, vel æquivoca proportionata; ergò absquè fundamento ipsi denegetur causalitas adæquata.

Ad tertium dico aliquando opus esset totam substantiæ productæ efficientiam tribuere, vel causis vniversalibus, vel causæ primæ, quandò deficit causa particularis, ut in productione ignis ex ferro candenti si in porris ferri inclusæ non sint particulæ igneæ, cuius ignis productio communiter tribui solet Soli vel alteri corpori cælesti, nequè hoc mirum est cum etiam arguens aliquando ad causas universales recurrat deficientibus particularibus, siquidem assertione 4 sect. 2. in sua metaph: asserit accidentia disiuncta à sua forma substantiali agere interveniente concursu causæ universalis, & hoc quià destituta ope substantiæ, non sunt eiusdem sufficiens principium proximum ratione propriæ imperfectionis, quod totum de facto evenire docet in ipsa Animalium generatione medio semine, quod cum sit res valdè imperfecta, non apparet, quomodo possit se solo efficere rem longe perfectiorem per modum virtutis adæquatæ.

Ultimum verò non urget. Adhuc enim saluatur ipsa accidentia à natura non dari solùm propter ornamentum substantiæ etiamsi ipsis denegemus actiuum concursum respectivè ad substantiam, saluatur inquam, quia accidentia actiua esse defendimus in ordine ad alia accidentia producenda in externo subiecto, & etiam quià inserviunt materiæ, ipsam disponendo ad formam substantialem. Sed

Dices contrà solutionem ad tertium exhibitam. Corpora cœlestia, dum agunt in substantias sublunares, vel agunt per qualitates accidentales emissas, vel immediatè per suam formam substantialem: si primum ergò accidentia in generatione substantiæ attingunt immediatè substantiam genitam; si verò dicatur immediatè agere corpora cœlestia per formam suam substantialem, contrà est, quia obstat nimia distantia localis corporum cælestium à sublunaribus.

Hæc instantia parul est roboris, Ipsique occurrit Suarez existimans in similibus casibus, in quibus corpora cœlestia influunt in sublunaria, Deum, ut auctorem naturæ adhibere majorem concursum, quo suppleat defectum causæ proximæ, sed ego nullam video necessitatem huius intensioris concursus, cum optimè instantiæ in integrum satisfieri possit, insistendo supra distantiam suppositi, & distantiam virtutis.

Quæres hìc pro complemento quæstionis, quænam sit causa productiua accidentium.

Ut quæsito satisfaciam, opus est aduertere accidentia esse duplicis generis, aliqua enim sunt interna, quæ producuntur, & recipiuntur in eo, à quo sunt v. g. frigiditas recuperata ab aqua calida, alia sunt externa, vel quæ producuntur in alieno subiecto v. g calor productus ab igne in ligno. Modo priora accidentia à substantia immediatè causantur, alia verò ab aliis accidentibus. Utrumque patet, primum quidem in Aqua calida suam recuperante frigiditatem, cujus virtus recuperatiua, cum esse non possit agens, quod aquam produxit, quia hoc potest pro tunc non esse sufficienter applicatum, neque Deus, ut supplens defectum causæ secundæ, quia non est recurrendum ad causam primam, nisi secunda deficiente, quæ in præsenti non deficit, cum detur ipsa aqua sufficiens, & proportionata productioni frigiditatis, nec gradus frigiditatis præexistens in aqua, quia qualitas nequit se ipsam Intendere, neque aer, quia non est tantæ frigiditatis, quantæ est aqua, dicendum remanet esse ipsam aquæ substantiam. Secundùm verò pænitus certum est, calor enim v. g. quem producit ferrum candens esse non potest nisi à calore ressidente in ferro, ut consideranti patebit.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An Deus concurrat concursu immediato cum causis secundis ad earum operationes.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resoluitur difficultas affirmatiuè.*

Concursum immediatum causæ primæ in ordine ad omnes operationes creatas negasse nonnullos antiquos necnon Aureolum, & Durandum Meldensem Episcopum Illustrissimi Ordinis Prædicatorum res certa omnibus est, ut etiam accurratè aduertunt Vasquez *in 2. dist.* 129 *cap.* 2. & Suarez *in Metaph. disp.* 22 *sect.* 1. *num.* 2. Quinimmo istorum sententiam nonnulli secuti sunt, inter quos Nicolaus Taureilus *in libro de rerum æternitate*, *& Triumpho philosophiæ*, atque Pater Ludouicus à Dola Capucinus Burgundus, qui hanc magno molimine, & ingenti volumine adstruere conatus est, docens Durandi sententiam medium valdè utile esse, & idoneum tollendis litibus, quæ per tot jam annos inter Dominicanos, & Iesuitas agitantur in materia de *concursus Diuini natura, scientia media, & libertate*. Quod in dubium itaque vertitur in præsenti est, an hæc Durandi mens consona esse possit rationi, in qua re communiter negatiuè respondent Auctores. Quinimmo Durandi opinio grauissimis afficitor censuris relatis à Comptonio *disp.* 28 *sect.* 1 in Physica, ubi ex doctissimis viris ipsam ostendit suspectam in fide, atque erroneam; sed quidquid sit de hoc, interim mihi hoc certum est ab Auctoribus usque ad hæc tempora assignatam non fuisse solidam rationem, obquam censura affici debeat Durandi assertum. Gratis enim dicitur, quod repugnet, vel Scripturis, vel Patribus, ut Bellarminus existimat, vel sit proxima hæresi de duobus principiis, vel sit consona doctrinæ Pelagii, ut aliqui affirmant. Nec pariter erronea esse potest, quia ab omnibus Scholasticis proscribitur, ut perperam existimat Vasquez, siquidem, si propter hoc erronea est, ergò erit erronea altera Vasquezii tribuentis contritionis actui vim formaliter iostificandi, quia pariter reprobatur ab omnibus Theologis, erronea altera, qua asserit Patres quamplures negasse in Patria visionem beatificam. Propositio enim aliqua, ut erronea sit, exigitur, ut *neget veritatem, quam Ecclesia iudicat esse mediatè reuelatam, quamuis hoc nondum expressè definierit*. Certum est autem Ecclesiam usque ad hæc tempora non iudicasse de concursu immediato ad actus naturales tanquam de veritate mediatè reuelata, quapropter in rigore opposita sententia istum concursum immediatum negans erronea non est. Nec pariter est hæresi proxima, siquidem illa solùm propositio hanc censuram meretur, *quam maior, & sanior pars Doctorum iudicat esse hæreticam ex Scriptura, & traditione, licèt non audeat eam dicere simpliciter hæreticam*. Modò quamuis maior pars Theologorum proscribat Durandi sententiam, non constat tamen qua traditione, & scriptura hoc fiat. Nec temeraria esse potest, quia illa solùm terminaria est, *quæ est contra communem Ecclesiæ opinionem, aut Theologorum in materia graui absquè magna auctoritate*; Durandi autem sententia, esto sit contra communem Theologorum mentem, tamen non est in materia graui. Nec pariter seditiosa est, quia *dimissionem non inducit in Populo*, nec tandem scandalosa, ut aliqui somniarunt, qoia *non affert causam scandali circa aliquam doctrinam, & fidei veritatem*. Abstineo itaquè à censuris simul cum Emanuel Maignan *in sua Philosophia naturæ cap* 19. & unicè Durandi sententiam reiicio rationi innixus, quam breuiter sub hac forma propono. Deo tribui debet perfectissimum dominium in ordine ad Creaturas, & istis perfectissima dependentia; sed negato concursu immediato Dei ad effectus causæ creatæ, neutrum tribueretur Deo, & Creaturæ; ergò. Maior certa est. Minor Itaquè probanda remanet, & præcipuè qooad primam partem, cum secunda euidens sit, quia nullus est, qui non fateatur in linea dependentiæ perfectiùs dependere Creaturam à Deo, si etiam in linea operatiua indiga sit concursu immediato, quàm si eodem non indigeat. Probatur itaquè prima pars. Negata dependentia immediata effectus causæ secundæ à Deo, non posset Deus talem effectum destruere non destructa causa, aut posito aliquo impedimento, posita verò dependentia immediata effectus causæ secundæ à Deo, posset Deus totum effectum destruere non destructa causa, nec ullo impedimento posito, sed perfectius est hoc secundum dominium, quàm primum, ut patet; ergo Maior explicatur, quià nisi Deus cum causa secunda, puta Sole, immediatè concurreret, si vellet lucem destruere, non posset hoc obtinere, nisi vel destruendo Solem, quomodo nos destruimus, seù lucernam extinguimus, à qua lumen procedit, vel ponendo impedimentum aliquod Soli eo modo, quo nos si Solis lumen in cubiculo nolumus, fenestras claudimus. At verò si lumini à Sole producendo Deus immediatè concurrat, poterit non destructo Sole, nec posito ullo impedimento lucem destruere per hoc præcisè, quod non cooperetur Soli, vel subtrahat concursum, quo cum Sole cooperabatur ad lucem. Quod autem hoc secundum dominium perfectius sit primo, patet ex terminis.

Hæc est ratio apud omnes præcipua in hac materia. Aliqui tamen ista non contenti nonnullas alias addunt rationes, quas inter potior illa est, quod si Deus suspenderet concursum immediatum, effectus non esset. Patet hoc, quià si existere posset absquè isto cuncursu, iam annihilare non posset effectus creatos, cum hæc annihilatio fiat per concursus immediati suspensionem. Secundò quià Creatura non minus pendent à Deo in linea operatiua, quàm in linea essendi; sed in hac secunda linea pendet immediatè tanquam à causa immediatè conferente ipsi existentiam; ergo etiam in linea operatiua. Consequentia hæc liquet, sicuti enim creatura non est ens à se, ita non est à se operatiua. Sed

Probatur secundò Conclusio ex Scriptura, ex qua contendimus assertum nostrum sufficienter deduci, & primò ex verbis D. vi Pauli *ad Chorinthios* 12. ubi hæc iego, *Deus operatur omnia in omnibus*, vel ex Isaiæ aliis *omnia opera nostra operatus est in nobis*, vel ex illis *Ioannis.* 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Quæ verba, si absque partium studio explicentur, certè inferre videntur id, quod optamus, ut etiam optimè aduertunt Franciscus Macedo *Collat* 9 *differ*. 2. Telius 1. *part* 2. *d. Phys.* 27. *sect.* 1. *num.* 6. necnon Hurtado, & Pereira.

Dices ex Scripturæ verbis solùm colligi Deum operari per concursum mediatum, non immediatum. Per hoc enim præcisè, quod Deus causas secundas producat, ipsasque conseruet, optimè verificatur Deum omnia operari. Verba verò D. Pauli ad Chorinthios solùm procedere de gratia operante in nobis, ut cognoscamus, ac optemus bonum, quod colligitur ex his verbis antecedentibus: *nemo potest*

*dicere*

*dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto, divisiones verò gratiarum sunt.*

Sed contra est. Recensita enim Scripturæ verba non parum aduersus Durandum, aliosque, qui Durandi doctrinam in hac re profitentur, facit. Quod, ut magis omnibus huius meæ sententiæ sectatoribus innotescat, non absre erit aduertere, quo sensu Ioannes 5. docuit Deum omnia agere. Hoc autem nedum clarius, verum etiam, & verius fieri nequit, quam adeundo alia scripturæ oracula, quæ non mediocre lumen conferre possunt ad obtinendum immediatum concursum etiam solis scripturis inhærendo, quem reprobat Ludouicus a Dola, cuius est superior solutio. Omnia itaque Deum operari multipliciter contingit. Pimò quidem creando, ut Ecclesiast. 18. *Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* Secundò gubernando, ut Ieremiæ *cap* 1. *Vigilabo ego super gregem meum conseruandum*. Tertiò sustentando, ut Hæbr. *cap.* 6. *Portans omnia verbo virtutem voluntate indissolubilia*. Quartò inueterata re vocando ad esse, unde *Sap* 7. legimus *Et cum sit una omnia potest, & permanens in se omnia innovat.* Quintò propagando, & continuè producendo, qui modus operandi non obscurè innuitur ab Isaia *cap.* 66. *Qui aliis generationem tribuo & sterilis ero, dicit dominus*. Ultimò tandem iustificando, ut Roman. *Deus est qui iustificat*. Modo saluari debet ex diuinis eloquiis, quod dum Deus operatur ad extra, operetur, nedum creando, gubernando, vel conseruando, verum etiam propagando, & procreando; atqui si modus concurrendi cum causis secundis ad productionem suorum effectuum esset solùm conseruando ipsorum virtutem, non verò immediatè concurrendo, iam non operaretur creando, gubernando, vel conseruando, & propagando, sed solùm creando, & conseruando; ergò ex scripturis non mediocriter infertur à vero recedere Durandi assertum.

Secundò, quia mihi valde incongruum est Deum naturæ auctorem minus agere cum causis secundis sibi subordinatis, dum istæ operantur, ac agant corpora cœlestia in sublunaria. Patet hoc, quia alias maior esset indigentia, maiorque dependentia effectus cuiuslibet creati à causis uniuersalibus, quam à Deo naturæ auctore, cum à prioribus immediatè, à posteriori mediatè solùm dependeant; atqui lumen v. g. pendet à sole, tamquam à causa, quæ non solùm ipsum conseruat, sed etiam immediatè producit; ergò hoc idem dicendum est de prima causa. Undè non immeritò Cornelius à Lapide in Commentaria *in Ioannem cap.* 5. verba Geneseos 2. explicando aduersus Origenistas docuit *Deum in Sabatho solùm quieuisse à rerum speciebus producendis, nõn verò ab omni omnino opere, quia etiam per omnia Sabatha operatus est, & continuè operatur; scilicèt mundum, & omnia, quę in eo sunt gubernando, conseruando, Cœlos mouendo, unam rem ex alia producendo.*

Nec obstat explicatio, quam exhibet idem Dola verbis D. Pauli ad Corinthios. Ratio est, quia etsi verum sit in eadem Epistola sermonem esse de donis supernaturalibus, à vero tamen non recedere non mihi negabit Dola, quod verba illa, *qui operatur omnia*, à Patribus intelligi, explicarique etiam de operationibus naturalibus, ut non obscurè colligitur ex Chrysost. *homilia* 28 Quod adeo verum est, ut Theologi contra *Gabrielem Biel* concursum effectiuum primæ causæ cum secundis non ægre deduci arbitrentur ex eisdem Pauli verbis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit Argumentis adversæ partis.*

Arguit primò Durandus. Plures sunt actiones, quæ immediatè esse nequeunt à solo Deo; ergo Deus non concurrit immediatè ad omnes actiones. Probatur antecedens ipsas actiones referendo, & primò peccaminosæ certè immediatè esse nequeunt à Deo, alias Deus esset auctor peccati. Secundò actiones vitales, qua tales, quia essentialiter pendent à suo principio vitali. Tertiò actiones causæ materialis, formalis, & aliæ, quæ ex suo conceptu formali important imperfectionem; ergò.

Respondeo ad singula, & ad primum Thomistæ dicunt Deum concurrere immediatè, simulque prædefinire solum materiale peccati, non verò formale, vel deformitatem ipsam, ex quo fit Deum neutiquam esse peccati Auctorem, quam solutionem recipiunt quamplures Scotistæ, inter quos Bartolomæus de Barberiis, & novissimè Sebastianus Dupasquier *tom.* 3. *Physicæ disp.* 12. *conclus.* 1. ex Scoto, qui multis in locis hanc approbare videtur, præcipuè tamen *lib* 1. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 3. ubi hæc lego: *Actus scilicet positiuus, ut materiale, & privatio iustitiæ debitæ, ut formale. Respectu huius privationis nulla est causa efficiens, sed tantum deficiens. Voluntas enim humana, quæ est debitrix dandi rectitudinem suo actui, & non dat, deficiendo peccat.*

Sed hac solutione recepta, puto difficulter defensores præmotionis ad materiale peccati impugnari posse. Arbitror itaque dicendum esse Deum concurrere positivè per modum causæ physicæ, & uniuersalis, quem concursum præbere debet, supposito quod Deus velit creaturas liberè agere, non verò in genere causæ moralis, atque particularis. Sic enim creatura est, quæ pertinaciter operatur divinæ resistendo voluntati.

Ad secundum verò de actibus vitalibus duo sunt pro solutione distinguenda. Primum est, quod actus vitales à Deo solo produci non possint. Secundum verò, quod estò à solo Deo produci nequeant, producantur tamen Deo concurrente immediatè. Prius verum est in schola Henrici, & D Thomæ. Secundum falsum est, vel etiam respondere possem tales actus, à Deo produci tanquam à causa universali, & illimitata, à creaturis verò tanquam à causa proxima, & immediata; nisi dicere velimus, quod Scotistæ, & nonnulli ex societate dicere solent, videlicet actus vitales etiam à solo Deo produci posse, quia existimant opus non esse, quod actus intelligendi v. gr. producantur à potentia intellectiva, ad hoc, ut hæc denominetur intelligens, cum sufficiat pura tendentia; quam solutionem tamen absolutè recipere non possumus, quia subiacet quampluimis difficultatibus suo loco referendis, quarum aliquas tangit Lodigerius *in suo tractatu de scientia Dei*, ubi de intellectu divino intellectionis principio, & de lumine gloriæ supplebili.

Tertius solvit Scotus affirmans Deum concurrere, etiam dum materia, & forma suas exercent causalitates, non quidem in genere causæ materialis, & formalis, seu efficientis, quia existimat concursum divinum distinctum esse ab illo utriusq; causæ, sicuti Deus diversa actione agit, ac agat creatura. Cum enim actio recipiatur in agente, & una in duobus agentibus esse nequeat, profectò

sequitur duplici concursu, & actione agere utramque causam. Sed cum nos solutionem hanc recipere non possimus, quia supponit actiones transeuntes inhaesivè recipi in agente, alia via occurrendum est argumento, & dicendum Deum concurrerere simul cum creatura per eandem penitus actionem; nec huic solutioni inhaerendo argumentum insolubile redditur, ut asserere ausi sunt quibusdam in thesibus Bononiae à me propugnatis nonnulli Scoti discipuli. Sicuti enim si idem esset utriusque concursus, nihilominus hic, prout a Deo esset concursus causae primae, non secundae, ita nunc, estò idem sit, nihilominus prout a Deo erit concursus causae efficientis, prout verò a creatura causae materialis.

Arguit secundò Durandus. Causa principalis adaequata debet posse per se ipsam absque alterius concursu effectum producere, sed ex causis secundis aliquae sunt causae adaequatae per se ipsas absque alterius adminiculo; ergò poterunt per se ipsas effectus suos producere.

Respondeo, quod quemadmodum intellectus lumine gloriae informatus, quamvis sit completus in ratione principii in ordine ad visionem beatificam, nihilominus indiget simultaneo concursu Dei Auctoris supernaturalis, quia quamvis completus sit in ratione causae secundae, incompletus tamen est in ratione causae absolutè, ita hoc idem dicendum de causis naturalibus comparativè ad effectus naturales.

Arguit tertiò. Si prima causa concurrit immediatè ad omnes effectus causarum secundarum, vel hic concursus fit per diversas actiones, vel per eandem; neutrum affirmari potest; ergò. Probatur minor per partes, & primò non per eandem immediatè concurrere potest, quia impossibile est, quod eadem actio dimanet à duobus agentibus perfectis realiter distinctis. Quod enim plura agant per eandem actionem evenit, quia sunt causae partiales. Neque per diversam, quia non esset, unde tales actiones inter se specificarentur; tum quia utraq; illarum ponit terminum suum, & per consequens aliqua superflueret.

Huic argumento plausibilis est solutio causam primam concurrere per eamdem penitus actionem, nec ulla est difficultas, quod eadem actio dimanet à duobus principiis realiter distinctis, maximè quando intervenit subordinatio, ut in casu. De facto enim, ut quidam Auctor societatis doctissimè in hac re loquitur, eadem intellectio dependet effectivè ab intellectu, & specie impressa per eamdem indivisibilem actionem propter ipsam subordinationem, quae perfectior est in creaturis relatè ad creatorem in omni linea.

Arguit quartò. Si omnis causa secunda à Deo creabilis ità esset essentialiter imperfecta, ut operari non posset absquè concursu immediato alterius causae cooperantis, non parum videretur detrahi omnipotentiae diuinae, quae non posset producere nisi causas imperfectas, & semper indigas alieni concursus, sicuti esset summè imperfectus artifex, quo conderet orologium, quod non posset se ipso moveri, sed semper indigeret actuali artificis ministerio, & motione, ergò.

Respondeo negando antecedens. Sicut enim non est indignum Deo, immò est ipsi maximè conveniens, quod omnis eius creatura sit essentialiter quoad suum esse imperfecta, & indiga Dei conservatione immediata. Sic enim maximè commendat dignitatem causae primae, quod omnis causa secunda sit pariter imperfecta quoad vim operandi, adeoquè indiga concursus divini immediati, quià sic nulla datur causa secunda, quae non sit immediatè subordinata causae primae Ad paritarem dico verti in probrum artificis, quod non possit ponere in artefacto totam illam perfectionem, cuius est capax artefactum, sicuti Orologium capax est ità perfectè construi, ut non indigeat perpetua assistentia, & motione artificis creati. At verò eximi ab immediata subordinatione, & indigentia causae primae, est talis perfectio, cuius non est capax causa secunda, propterea nihil detrahitur excellentiae divini Artificis, quia non possit huiusmodi perfectionem ponere in suo effectu. Accedit, quod negatio indigentiae artificis creati, est perfectio necessariò requisita in artefactis, non sic autem in causis secundis negatio indigentiae causae primae, quià artifex creatus ex sua limitatione, suaquè impotentia non potest semper assistere artefacto suo, & causa prima, qua ratione suae immensitatis est ubiquè praesens & ubiquè potens, potest ubiquae cum causis secundis operari.

Dices, saltem poterit Deus creaturam ità perfectam producere, quae propria virtute absquè Dei concursu suas operationes eliciat; ergò non est simpliciter necessarius concursus Dei immediatus.

Non ignota nobis est sententia Petri Hurtado, quam sequitur Arriaga, asserentis nullam esse assignabilem evidentem rationem, cur implicet creaturà, prout refertur in antecedenti huius instantiae. Sed quam falso hoc affirment patere poterit speculanti nostram superiorem rationem. Deindè si Deus talem creaturam produceret illius effectus esset, & non esset creatura, esset, ut supponitur, non esset, quià esset ens, cui ex sua essentia repugnaret esse à Deo, adeoquè esset ens essentialiter à Deo independens, nam actio, qua talis creatura se sola absquae ullo Dei immediato concursu ageret, talis esset, ut illi repugnaret esse à Deo, siquidem utpotè modus esset essentialiter affixa soli creaturae. Quod omninò chimericum est. Sed

Instabis. Stat perfectissimum Dei dominium, quamvis non possit se solo omnia facere; ergò stabit etiam perfectissima dependentia creaturae à Deo quamuis haec possit aliquid se sola producere. Antecedens probatur, quia de facto Deus non potest se solo producere actionem illam vitalem, quam simul producit cum creatura.

Respondeo disparitatem esse, quia Deus decernit de iis tantum, quae possibilia sunt, non verò de impossibilibus. Impossibile autem est, quod actio vitalis producatur à solo Deo ob essentialem respectum, seu ordinem, quem dicit ad suum principium vitale. Concursus autem immediatus Dei ad actiones creaturarum possibilis est, & exigitus, ut saluetur indemnis perfectissima creaturae dependentia à Deo.

Vltimò arguunt communiter alii. Esto Deus per se ipsum concurrat cum intellectu Beati, potest tamen iuxta communiorem Theologorum sententiam concurrere per sui speciem; ergò à pari, quamuis de facto concurrat immediatè ad effectus causarum secundarum, poterit producere causam aliquam, quae vices Dei gerat, ipsa concurrente ad effectuum productionem.

Hoc argumentum tangit difficultatem illam, an sit possibilis operatio creaturae absque immediato concursu Dei, qua nos partem defendimus negativam, quia rationes allatae ex conceptu creaturae, Dei dominii egregiè probant etiam in ordine ad poten-

potentiam absolutam, ut optimè hic advertunt Puntius, & Arriaga. In forma itaque ad argumentum juxta D. Thomæ, & Henrici sententiam negandum est antecedens, cum repugnet species impressa Dei deserviens ad intuitivam cognitionem ob suo loco dicenda. Quod si disparitatem ulterius expostules, ultra eas, quas afferre conantur relati Auctores, dicerem provenire ex eo, quia talis species non est unde repugnat, non quidem ex parte Dei, qui cum virtutis sit infinitæ, hanc sui speciem producere potest, nec ex parte sui eum solùm finitæ repræsentaret, sicuti solùm ad cognitionem finitam deserviret. At talis modus operandi absque divino concursu ex parte utriusq; repugnat, nimirum ex parte dominii Dei, & perfectissimæ dependentiæ creaturæ à Deo etiam in linea operativa.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Quomodo Deus concurrat cum causis secundis ad istarum operationes.*

PRo resolutione difficultatis sciendum est, causas secundas esse in duplici specie, aliæ enim sunt causæ liberæ, necessariæ aliæ. Primæ illæ sunt, quæ positis omnibus requisitis ad agendum agere possunt, vel non agere, uti est voluntas humana. Secundæ verò, quæ positis omnibus requisitis ad agendum necessariò agunt, ut ignis, qui positis ligno, & approximatione ipsius ad illud lignum, illicò comburit.

Sciendum est secundò causam sive liberam, sive necessariam in duplici statu considerari posse, nempe & in actu primo, & in actu secundo. Considerata in actu primo est causa, prout potens operari; in actu verò secundo est causa prout actu operans, quia causa secunda creatura est, sive in actu primo, sive in actu secundo, subordinata esse debet Deo in utroque statu, ita ut nec se sola sit potens operari, nec se sola operetur. Quæritur hic, per quid Deo subordinetur causa secunda in utroque statu, præcipuè tamen in actu secundo. Hoc autem melius fieri nequit, quam præcipuas referendo sententias, & ex iisdem aliquas impugnando, alias verò propugnando. Sit itaque.

### CAPUT PRIMUM.

*Causæ secundæ non indigent concursu prævio divino, quo applicentur ad operandum, ut explicari solet in Schola D. Thomæ.*

PRima sententia in hac materia Thomistarum est, quam hic impugnare volumus, quod antequam fiat, nonnulla præmittere placet, & primò huius præmotionis naturam explicare necessarium esse judico, ut autem hæc fideliter afferatur, ipsam do explicationem, quam in hac materia exhibuit Joannes à S. Thoma inter Thomistas facilè Princeps, qui tribus propositionibus in Physica *art. 2. quæst 25.* totam præmotionem explicare conatus est, ex quibus.

Prima est, quod *prævius iste concursus realiter movens causam secundam, non sit qualitas aliqua per modum virtutis in actu primo, sed sit quædam Dei motio non dans activitatem* (quapropter non datur permanenter) *sed activitatis applicationem ad effectum, & si qualitas sit per modum motionis, & transeuntis.*

Secunda verò est *hanc applicationem, & prævium concursum aliquod physicum relinquere in causa, quam movet, ut non solum sit assistentia extrinseca, vel moralis motio, aut simpathia*, & hoc asserit hic Auctor, quia ex vi illius simpathiæ, aut voluntatis efficacis Dei ad extra, vel resultat aliqua mutatio in creaturis, vel non; si resultat; ergò non est sola assistentia extrinseca, & moralis simpathia; sed realis, & vera mutatio, tanquam effectus à Deo impressus ad extra: si non resultat aliqua mutatio; ergò totum intrinsecum huius causæ creatæ manet ita immutatum, sicuti antea, & cum antea erat ipsa causa in potentia, & indeterminata, etiam post hanc assistentiam indeterminata erit, & quidem intrinsecè; ergò non obstante tali extrinseca assistentia causa secunda non operabitur.

Tertia tandem propositio est, hanc physicam præmotionem *necessariò, & ab intrinseco connexi cum ipsa operatione, propter quam datur*, ita ut in sensu composito ipsius, causa secunda debeat agere. Sic explicant sapientissimi Thomistæ communiter præmotionem physicam, ex D Thoma pluribus in locis, sed præcipuè *2. Physicor. lect. 8. & 1. part. quæst. 19. art. 3. ad 5.* quamvis Suarez contrarium sentiat ex eodem D. Thoma, unde jure meritò in hoc conqueritur idem Joannes à S. Thoma, ad cuius mentem hanc physicam præmotionem Bononiæ propugnavimus ob solùm dimicandi studium quibusdam in thesibus Reverendissimo Patri Michaeli Angelo Tamburino Præposito Generali Doctissimæ societatis Jesu dicatis.

Advertendum ulterius hic est nos pro certo supponere ad libertatem exigi indifferentiam, seu potentiam ad operandum, & non operandum Cum eum enim libertas sit idem ac electio, & hæc versetur circa illa. quæ ita fiunt, ut omitti possint, consequens est etiam hoc convenire potentiæ liberæ, unde operatio facta necessariò, quamvis deliberatè, & præcedenti usu rationis, libera non est libertate perfectè accepta, quapropter actus, quibus Deum Beati diligunt, quamvis secundum quid liberi sint, quia immunes à coactione, tamen perfectè liberi non sunt, quia non datur vera indifferentia ad posse Deum non diligere, cum nec in objecto amoris, nec in ejusdem actuali exercitio appareat ratio mali, vi cuius possint, vel suspendere ipsum amorem, vel oppositum elicere. Sed de hoc erit sermo in materia de beatitudine, ubi quam plura statuere conabor contra *Thomasinum* libertum necessarium defendentem.

His autem breviter suppositis Phisica præmotio reprobanda est, quam ex pluribus Patribus aduersus Thomistas proscribere conatur hic eruditissimus Theophilus Raynaudus *Tomo 2 dist. 2. quæst 3. art. 2.* sed ne actum agere videar, ab his referendis supersedeo, eo vel maximè, quod Patrum auctoritates affines non parum videntur rationi potissimè, quæ ex capite libertatis procedit, quam prius in materia proponere placet, deinde in forma, ut eius robur sub utroque statu appareat, & primo certum est, quod causa secunda libera, ut iuxta sui meritum intelligatur agere, opus est ipsam nos intelligere expeditam in signo priori ad agendum, atque indifferentem ad utrumlibet libertatis extremum, sic exigente natura liberi, qua liberum est, siue inhærere velimus communissimæ Aristotelicæ definitioni pro legitima receptæ in omnibus Scholis, quæ est causam liberam illam esse, quæ positis omnibus præ requisitis ad agendum, agere potest, vel non agere, sive communi sensui Theologorum, & Philophorum affirmantium, quod liberè operari sit *transitus*

*tus de indifferenti ad duo, ad unum determinatè*, qui intelligibilis eſt, niſi in aliquo ſigno intelligatur agens liberum indifferens, cum autem hic tranſitus convenire nequeat agenti libero, niſi in priori ad agere (in ſenſu enim compoſito actus ſecundi non eſt indifferentia, ſed determinatio) iam conſtat hanc eſſe debere in priori ſigno; In hoc autem intelligi non poſſet juxta Thomiſticam ſententiam, quia in eo priori interueniret & phyſica præmotio, quæ eſt forma determinans, & voluntatem coarctans ad unum. Quod ſi dicas in priori ad præmotionem hoc evenire, videlicet attenta pura potentia, vel eiuſdem actiuitate, contra eſt, nam abſque iſta præmotione non intelliguntur omnia requiſita ad agendum, prout inter requiſita veniunt etiam illa, quæ exiguntur per modum applicationis; ergò jam potentia in illo priori non poterit eſſe indifferens indifferentia proxima, & expedita, qualis eſſe debet indifferentia ad libertatem requiſita.

Clarius, & breuius totam hanc doctrinam expono multipliciter, & primò. Liberè operari eſt operari abſquè omni præuio irreſiſtibili; ſed poſita Phyſica præmotione, iam cauſæ liberæ non agerent abſquè omni præuio irreſiſtibili, immò cum præuio irreſiſtibili, ergò. Probatur maior: liberæ operari eſt ita operari, ut operanti detur optio eligendi, quod vult, ſed operari cum præuio irreſiſtibili eſt, quod operanti non detur optio eligendi, quod vult, ſed potius quod detur neceſſitas eligendi etiam illud, quod non vellet agens; ergò.

Secundò cauſam liberam eſſe, eſt formaliſſimè tranſire de indifferenti ad duo, ad unum eorum determinatè; ſed poſito hoc præuio concurſu, quamuis ſe habente per modum applicationis non ſaluaretur hic tranſitus; ergò

Tertiò cauſam liberè operari eſt formaliſſimè poſitis omnibus requiſitis ad agendum poſſe agere, vel non agere. Patet hoc, quia ad liberæ operandum in creaturis requiritur potentia proxima ad agendum, vel non agendum. Potentiam enim remotam ſolùm in Chriſto ſufficere exiſtimant Schotiſtæ ex Maſtrio: ſed poſita phyſica præmotione hoc non ſaluaretur, ergò. Probatur minor, quia inter omnia requiſita exigeretur hæc phyſica præmotio, ſed hac admiſſa cauſa non eſſet in potentia ad agendum, vel non agendum, ſed eſſet in potentia ad agendum, & in impotentia ad non agendum; ergò

Quartò libertas cauſæ non ſolùm eſt ad actus oppoſitos, ſed etiam ad ſuſpenſionem actus; ſed ſuppoſita hac præuia applicatione non eſt undè videri poſſit in cauſa libera hæc libertas, cum undequaque cauſa eſset determinata per iſtam præuiam applicationem; ergò

Quintò, & ultimò. Viſio Beatifica non relinquit libertatem in dilectione beatifica; ergò etiam præmo[...] phyſica libertatem actus. Antecedens verum eſt, cuiuſque veritatem ſuadet idem Godoy Conſequentiam oſtendo. Ideo primum, quia ex parte actus primi concurrit ad amorem Beatificum; ſed etiam præmotio hæc ex parte actus primi per modum complementi concurrit ad operationem quam liber creaturæ teſte eodem Godoy; ergò utrobique par ratio.

Hæc argumenta quamuis realem vim præſeferant eludere tamen conantur aduerſarii pluribus ſolutionibus, ſed quia ex Thomiſtis à nobis primo loco relatus fuit Ioannes à Sancto Thoma, ipſum quæſo in primis audiamus.

Reſpondet itaquè præmotionem non pugnare cum indifferentia actiua libertatis, ſed ſolùm cum indifferentia ſuſpenſionis, & indeterminationis quam tollit illa determinatio ad unum tantum. A præmotione ſiquidem dimanat non ſolùm ſubſtantia actus, verum etiam modus eius, ideſt libertas actus. Ipſa enim præmotio eodem modo actum cauſat, quo anima ipſa, quæ radix eſt actus, ſicuti ergò ipſa cauſat actum liberum in ſingulari, quin talis determinatio opponatur intrinſecè indifferentiæ libertatis, quinimmò conducit ad ipſum actum liberum; cur etiam Deus illa præuia motione utrumque influere, & determinare, ideſt tam ſubſtantiam actus, quàm modum, non poterit. Quinimo voluntas per illam motionem potius participat libertatem, quia illa motio eſt participatio, & quidam influxus primæ radicis totius noſtræ libertatis, undè antecedentia illius motionis libertatem ipſam non deſtruit. Sed

Contra eſt, & primò ommiſſa hac duplici indifferentia actiua, ſcilicet, & paſſiua, vel aliter ſuſpenſionis & libertatis, falſum omnino eſt non pugnare eorum præmotionem cum prima indifferentia, quod ſic oſtendo. Indifferentia actiua illa eſt, qua virtus cauſæ intelligitur indifferens ad agendum, vel non aguendum; ſed poſita Phyſica præmotione amplius non ſic eſſet indifferens voluntas; ergò. Minor oſtenditur: quia hæc phyſica præmotio per illum Auctorem non relinquit potentiam liberam ſuſpenſam, & indeterminatam, tollit indifferentiam ſuſpenſionis, ergò quia non relinquit potentiam indifferentem ad agendum, vel non agendum, ſed determinat ad agendum, habebit etiam tollere indifferentiam actiuam. Uno verbo. Indifferentia actiua eſt indifferentia ad agendum, vel non agendum, ſed poſita phyſica præmotione non eſt ſic indifferens immò determinata eſt ad agendum; ergò phyſica præmotio etiam opponitur indifferentiæ actiuæ. Præterea cauſa libera, nedum dicitur libera ad actus oppoſitos, ſed etiam libera dicitur comparatiuè ad ſuſpenſionem actus; ſed juxta hanc ſolutionem cauſa libera non eſſet amplius indifferens ad ſuſpenſionem actus poſita præuia applicatione; ergò non eſset amplius libera, ut eſse debet.

Contra eſt ſecundò, quia Deus per phyſicam præmotionem nequit velle modum actus. Quomodo enim Deus vult actum liberum per præuium irreſiſtibile. Quomodo vult actum liberum, ut liberum, ſi non detur optio eligendi, ſed potius cauſa coarctetur ad id, ad quod à Deo determinatur, & quidem in priori ad actuale exercitium. Nec paritas urget ſiquidem ideò anima liberè operatur, quamuis radix ſit ſuæ determinationis, quia ſe determinat per aliquod, quod ſe habet ex parte actus ſecundi; non enim formaliter ſe determinat niſi per ipſum exercitium; at in caſu Deus eſſet radix determinationis per aliquod præuium actui ſecundo

Reſpondent ſecundò alii Thomiſtæ voluntatem præmotam non eſſe amplius indifferentem, ſed potius determinatam in ſenſu compoſito præmotionis, eſſe tamen indifferentem ſi ſeorſim à præmotione accipiatur. Senſus autem compoſitus, & diviſus non ſunt idem, quod poſito, vel ablato auxilio. Sed ipſo auxilio ſtante ſit compoſitio, & diviſio per diverſos reſpectus. Tunc enim accipitur in ſenſu compoſito, quando ſumitur præmotio, ut illatiua actus, vel operationis; tunc verò in ſenſu diuiſo ſumitur ab eadem, quando conſideratur potentia ſub præmotione conſervante modum libertatis in operando. Hanc autem potentiam in ſenſu diviſo eidem convenientem ſufficere, nullus negabit, ſiquidem certum eſt, quod voluntas pro ut· ſtat ſub decreto

de-

definitiuo liberè operatur, cum tamen solum in sensu diviso a decreto possit non operari, non verò in sensu composito eiusdem, aliàs decretum insuſtrabile non esset. Quæ solutio ulterius confirmari potest ex ipsa Christi morte, quæ libera fuit, & nihilominus stante præcepto moriendi non poterat Christus non mori; ergò à pari, quamuis voluntas præmota non possit non agere, adhuc erit libera.

Contrà est. Causa enim libera, ut libera, intelligi debet indifferens in sensu composito omnium eorum, quæ requiruntur ex parte actus primi, vel per modum virtutis, vel per modum conditionis, necessariò requisitæ ad agendum, ut constat ex superius dictis; atqui iuxtà hanc solutionem conceditur, quod causa libera non amplius sit indifferens in sensu composito physicæ præmotionis, quæ numeratur inter præuia requisita ad operandum; ergò conceditur, quod non esset libera.

Secundò falsum est, quod in sensu divisoà physica præmotione intelligatur indifferens per modum causæ adequatæ potentis se determinare ioxtà suum beneplacitum, siquidem indifferentia, quæ convenire debet causæ liberæ, pro ut liberæ, est indifferentia importans omnia requisita ad agendum, vel non agendum; sed in sensu divisoà præmotione non sunt omnia requisita ad agendum, vel non agendum, cum deficiat prævia applicatio, quæ ingreditur inter conditiones comparativè ad actum secundum; ergò in sensu divisoà physica præmotione, non intelligitur indifferens indifferentia fundante libertatem.

Ad illud verò de decreto prædefinitiuo, facilis est solutio, siquidem in sensu divisoà decreto, adhuc voluntas intelligitur in actu primo proximo ad agendum, cum decretum non sit præuium, sed per actum secundum, vel operationem constituatur in esse liberi, undè eius defectus non est defectus alicuius præuii cōcurrentis ad constituendū actū primum. Vltimum verò non vrget De præcepto enim Patris respectivè ad mortem Filii sui, non vnica est solutio, sunt qui negant adesse rigorosum preceptum, sed solum maiorem Dei approbationem, & eternam Dei præordinationem, non verò voluntatem obligandi in conscientia, quos sequitur Esparza, oppugnant vero alii cum Cardinali de Lugo, & meritò, ut suo videbimus loco. Censeo itaque dicendum esse præceptum hoc, non tollere libertatem, quia non maiorem ponit necessitatem, ac voluntas efficax Dei Patris, qua vult operationem præceptam à filio suo, quæ cum non deroget libertati, nec quoque detogabit ipsum preceptum.

Respondent tertiò alii causam fore adhuc liberè operaturam, quià de essentia liberè operantis solum est ut operetur absquè omni prævio irresistibili existente ex parte creaturæ, non verò ex parte Dei, & rationem assignant, quià absquè hoc prævio determinante, non saluatur causæ secundæ ad causam primam debita subordinatio. Sed

Contrà est, siquidem quamuis iuxtà rei veritatem, hæc præmotio non sit ex parte creaturæ effectiuæ, cum hoc modo sit à Deo, est tamen ex parte eiusdem terminatiuè, & constitutiuè, quatenus est conditio necessariò exigita, sine qua iuxtà Thomistas causa libera operari non ualet; ergò falsum est simpliciter, & absolutè, quod hæc premotio non se habeat ex parte creaturæ. Sed quidquid sit de hoc, ratio nostra non stat in hoc, quod ipsa præmotio esset ex parte creaturæ, sed in eo, quod prævia sit, & irresistibilis, quod non tollitur, esto hæc sit Dei effectus; undè sic arguo. Quod talis prævia motio sit ex parte Dei, non tollitur, quin sit prævia, & irresistibilis, sed formalitas destructiua libertatis est ratio prævii, & irresistibilis, ergò quod præmotio dimanet à Deo non iuuat ad hoc, ut saluetur libertas.

Secundò si hoc præuium irresistibile non esset læsiuum libertatis, quia est ex parte Dei, iam Deo, redderetur impossibilis modus necessitandi agens liberum, quià quolibet impedimento posito, eodem iure affirmare possem non lædere libertatem, quià hoc impedimentum à Deo esset. Quod si dicas tunc à Deo poni hoc impedimentum cum intentione auferendi libertatem, dicam ego hanc intentionem non efficere, cum pariter ipsa sit ex parte Dei.

Respondent quartò Thomistæ, & magis comuniter hanc physicam præmotionem non se tenere ex parte actus primi, adeoquè nullum periculum esse auferendi libertatem. Non enim asserunt quod sit quædam qualitas per modum virtutis in actu primo, sed quædam Dei motio non tribuens activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum. Sed

Contra est, siquidem quamuis hi Thomistæ non affirment præmotionem esse ex parte actus primi per modum virtutis, dicunt tamen esse quid prævium ad actum secundum necessariò exigitum per modum applicationis ad operandum, sed hoc prævium tollit indifferentiam pro illo signo priori, ergo operando voluntas non transiret de indifferenti ad duo ad unum determinatè, ergò non liberè ageret, cum libertas ex genere suo dicat hunc transitum.

Altera solutio illa est, quam affert Petrus de Godoy *tract. 12. de Morte Christi*, docens plura se tenere ex parte actus primi, quæ libertatem non lædunt, uti intentio efficax finis respectu electionis, imperium respectu actus voluntatis, auxilium efficax comparativè ad omnes nostras operationes, cum sit complementum actus primi: Non itaque totum id, quod se tenet ex parte actus primi necessitatem ponit antecedentem; sed solum id, quod neque formaliter, neque eminenter nostram voluntatem continet, unde non ideò visio necessitat ad amorem beatificum, quia ex parte actus primi concurrit, sed quia non connotat libertatem in dilectione prout ad Deum terminata, sed potius necessitatem, utpotè obiectum infinitum, ut in se visum proponens, ad quod voluntas non sub conceptu libere, sed naturæ comparatur. Sed

Hæc solutio valida non est. Quoties enim aliquid se tenet ex parte actus primi, ipsumque actum primum ad unum ex extremis determinat, toties necessitatem ponit antecedentem, libertatemque destruit; ut patet in ipso actu visionis, qui ideo libertatem dilectionis non relinquit, quia illa repræsentatio objecti infiniti, ut in se visi ex parte actus primi se tenet. Quod idem cum militet etiam loquendo de præmotione, non est cur hic sapientiss. Magister disparitatem afferre conetur. Paritates autem desumptæ vel ex imperio, vel gratia præveniente ab intrinseco efficaci, ad rem non faciunt, quia innituntur in Henrici schola falso supposito, ut quod imperium sit actus intellectus, vel quod gratia sit ab intrinseco efficax. Remanet itaque solum disparitas solvenda inhærendo efficaci intentioni finis, quæ electionem liberam non ledit, estò ipsam præcedat, quæ tamen facilis est solutionis, quæ in hoc consistit, quod intentio, quamvis efficax sit, resistibilis est. Sæpe enim contingit me aliquid efficaciter speculativè intendere, quin ad electionem rei

intentæ procedam, & hoc quia sæpe contingit electionem illam solùm efficacem esse speculativè, non verò practicè.

## CAPUT SECUNDUM.

*Ulterioribus rationibus impugnatur physica promotio.*

TOta societas Iesu, quæ physicæ præmotioni adversatur, etiam affert rationes, ut istam eliminet. Pro majori eruditione tres refero ex iis, quæ militare videntur contra præmoventes, quarum prima est, quia admissa prædeterminatione physica, ineptæ redderentur reprobationes illæ Christi: *Vè tibi Chorozain, vè tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, jam olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.*

Respondere enim potuissent, quid mirum, si in cinere sedissent, cum tu illos prædeterminasses? at nos prædeterminationem, nec habuimus, nec habere potuimus, nec sine illa potuimus facere. Nec juvare potest communis solutio in eo consistens, quod cum ista præmotio posse non tribuat, sed unicè sit unius potentiæ applicatio, videtur, quod adhuc fuerat justa redargutio, quia æquales erant in posse. Non juvat inquam, quia adhuc fuisset locus Chorozaitis se excusandi, quia ut optimè ex nostris advertit Illustrissimus Lodigerius, poterant Chorozaitæ respondere Christo; *Dedisti quidem æquales vires, æqualem operandi virtutem, sed nobis non dedisti applicationem, quam dedisses Gentilibus, cum quo defectu impossibilis est operatio.* Quæ ratio in nostra Henrici sententia vim non habet, ut optimè advertit idem Lodigerius, quia cum decretum constituatur per ipsum actum secundum, jam habetur, quod tam Tyri, quam Betsaitæ fuerint æquales in omni eo, quod præviæ se habebat ad operationem, & consequenter fuerint redarguti justa, & rationabili exprobatione.

Secunda ratio reprobans Thomisticam sententiam est, quia admissa hac physica prædeterminatione, inutiles essent omnes suasiones ad benè operandum; nam exhortari ad aliquid, vel necessarium, vel impossibile est omninò inutile; sed stante præmotione physica omnis actus bonus, vel esset necessarius, vel esset impossibilis; ergò ad idem bonum inutilis esset evasio. Probatur minor, nam Petrus, vel haberet prædeterminationem ad bonum vel non haberet; si haberet, jàm operatio erit salutaris, etiam non interveniente suasione, si verò non haberet, suasio esset ad aliquod impossibile, cum sit impossibilis absque præmotione.

Quod si dicas etiam stante carentia præmotionis, suasiones non esse inutiles, quia non esset defectus potentiæ, seu actus primi ad utrumque libertatis extremum, contra est, quia quamuis non esset hic defectus potentiæ, seu actus primi, ut ipsi dicunt, esset tamen defectus præuiæ applicationis necessariò requisitæ ad operandum. Tam autem redditur impossibilis operatio propter defectum virtutis, quam præuiæ applicationis, si utrumque necessariò requiratur ad actum, ut in casu.

Tertia ratio ex Tridentino desumitur. Hoc enim docet liberum hominis arbitrium posse Deo vocanti, & excitanti dissentire; sed Deo excitanti per prædeterminationem physicam dissentire nequit, ergò hominem non excitat per prædeterminationem physicam. Probatur minor. Dissentire Deo excitanti, est componere excitationem diuinam cum non actu, sed non potest homo componere non actum cum physica prædeterminatione ad actum, ergò Deus non excitat per illam prædeterminationem. Minor continet doctrinam contrariam. Maiorem autem sic ostendo. Ablato hoc, quod est componere simul non actum cum excitatione, tollitur hoc quod est dissentire, ut patet; Deo enim non excitanti non dissentio, dissentire igitur excitanti necessario supponit simul poni non actum, & excitationem.

Hæ sunt rationes, quibus, ut dixi utuntur nonnulli in Schola Societatis, quæ sufficienter impugnant præmouentium sententiam, quia tamen præcipuè impugnari debeat ex capite libertatis, ideo hæc extremis solùm labiis tetigimus. Non enim desunt rationes plures, quibus hæc Thomistica improbetur sententia, & præcipuè quoad actus supernaturales, quam difusè subtiliter, & eruditè proscripsit ex nostris Eximius Theologus Magister Ioannes Vincentius Terelli ingenti volumine, quod Typis Galliæ consignandum erat, sed oculto Dei judicio, lucem adhuc expectat.

## CAPUT TERTIUM.

*Referuntur argumenta contraria.*

ARguunt multipliciter Thomistæ, & primò auctoritate desumpta ex Catechismo Romano Pii V. auctoritate edito, atque à Gregorio XIII. confirmato, in quo adesse existimant physicam præmotionem. Verba Catechismi sunt: *Non solùm autem Deus uniuersa, quæ sunt prouidentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam quæ mouentur, & agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeueniat tamen, cum eius occultissima vis ad singula pertingat,* ex quibus Thomistæ sic arguunt. Deum intima virtute causas secundas movere ad agendum, est mouere per aliquod physicum inhærens in causa, quæ mouetur, ut agat; nisi enim moueret per aliquod physicum intrinsecè inhærens, sed solùm moraliter, iam non intima virtute moueret; atqui teste Catechismo mouet causas secundas intima virtute in ordine ad agendum; ergò mouet mediante aliquo physicè inhærente, & recepto in causa, quę mouetur; sed hæc intima virtus non est, nisi ipsa præmotio physica; hæc enim nihil aliud est, quam intima Dei motio, qua mouetur causa secunda ad agendum: ergò

Huic accedit Augustini Oraculum, quod legimus *in lib. de prædestinatione Sanctorum cap.* 8 ubi videtur Sanctus Doctor ponere gratiam ab intrinseco efficacem, & præuiam. Sic enim habet: *Hæc itaque gratia, quæ occulta humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur, quando ergò Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum;* ex quibus colligit Illustrissimus Petrus de Godoy, quod si gratia adeò efficax est ex Augustino, ut à nullo corde respuatur, jam erit intrinsecè efficax, si enim eius efficaciam exercitam expectaret, & penderet à consensu, ab aliquo respui posset per dissensum. Quod si dicas Augustini auctoritatem solùm ostendere existentiam gratiæ ab intrinseco efficacis præmouentis in ordine ad actus supernaturales, non verò in ordine ad actus naturales, memineris, quod semel concessa physica præmotione ad actus salutares, inegabilis redditur etiam in ordine ad naturales. Si enim præmotio physica actuum salutarium non tollit liber-

libertatem, cur tollet illam, quæ relucet in naturalibus?

Respondeo argumentum hoc ex Carhechismo desumprum urgere solùm illos, qui asserunt solùm moraliter causas liberas moueri ad agendum, cum veiba Catechismi importent motionem intrinsecam, at in sententia illorum, qui sustinent Deum mouere ad agendum per aliquod intrinsecum, nullatenus militat in contrarium Catechismus. Concedo itaque Thomistis Deum mouere causas secundas per aliquod Intrinsecum, sed nego, quod hoc intrinsecum sit ipsorum præmotio, ut ipsi explicanr. Quod si dicant Catechismum asserere motionem hanc intrinsecam esse, & præuenientem, contra est, quia esto verum sit, hoc Catechismum asserere non tamen asserit motionem hanc irresistibilem esse sed potius è contra, quod constat consideranti hæc verba: *Ut quamuis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen*; per quæ asserit Catechismus, quod talis motio ita præveniat, ut non impediat ipsas causas agere, ergo. Addo ego, nec etiam impediet ipsas agere modo connaturali naturæ ipsius causæ; ergo non impediet causas secundas liberè operari; ergò iam causæ secundæ intima virtute motæ poterunt non operari, ergò ipsa motio non est irresistibilis; ergò motio Insinuata à Catechismo non est præmotio Thomistica. Quod si quæras, quid sit hæc intrinseca motio? dicam esse aliquod intrinsecum, sed resistibile.

Ad auctoritatem vero Augustini facilis est solutio, si dicamus gratiam illam esse efficacem solùm moraliter, quæ moralis efficacia in hoc stat, quod quamuis sit possibilis talis gratiæ dissensus cum non lædat modum connaturalem operandi, ramen in actu secundo semper erit consensus, quia ob sui efficaciam quamlibet voluntatem inclinat fortiter, atque suauiter ad operandum omnem tollendo difficultatem, quæ esse possit in operatione.

Secundum argumentum illud est, quod promovet Godoy sub his terminis. Causæ secundæ essentialiter subordinantur Deo primo moventi; sed hæc essentialis subordinatio causarum secundarũ etiam dum agunt, salvari nequit nisi per physicam præmotionem, atque applicationem causæ secundæ; ergo. Probatur minor, quia ex duabus causis, quarum una non agit in aliam, nec illam ad agendum applicat, sed utraque simul ad effectum concurrit, neutra subordinatur alteri, licèt una ab alia in productione effectus dependeat, ut constat in duobus portantibus lapidem, aut trahentibus currum, at si decretum divinum non præparet prævium, sed solùm simultaneũ concursum, non ageret Deus in arbitrium creatum, sed simul cum illo ad actum concurreret; ergò.

Hoc argumentum parvi roboris est etiam in Thomistica schola. Docet enim ex Thomistis quamplures, & quidem doctissimi, dependentiam voluntaris creatæ à causa prima optimè salvari absque ulia prævia determinatione, ut constat in actibus ipsis ordinis naturalis, qui à Deo solùm dependeat tamquam ab universali motore, quia Deus efficaciter ad ipsos præmovear, ut non obscurè colligitur ex his D. Thomæ veibis, quæ habet 12. *quæst. 9 art. 6. ad 3. quod Deus movet voluntatem hominis; sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum*. Quinimmò volunt Deum etiam in ordine ad illos actus, quos specialiter mover, uti sunt Illi ordinis supernaturalis posse sibi perfectè subordinare creaturas per motionem purè activè indiferentem, si hæc sit possibilis, quantum est ex parte dependentiæ causæ secundæ à prima, uti inter alios advertit Laurentius à S. Teresia Carmelita excalceatus Hibernus *tom. 2. controv. ult. n.* 94. & revera doctrinam hanc verò consonam esse non diffiteor, eo vel maximè quod in Thomistica schola accidentia in agendo substantiæ subordinentur, cum tamen nihil physicum recipiant distinctum à sua entitate. Salvatur autem subordinatio per hoc, quod creatura agere nequear, nisi à Deo applicetur, & moveatur motione tamen suæ naturæ consentanea, quod non evenit in duobus trahentibus currum; neuter enim illorum movetur ab alio etsi uterque alio Indigeat. Ideò autem non subordinatur una causa partialis alteri, quia indigentia alterius concursus non est indigentia concursus causæ universalis, & omnium primæ cæteras sibi subordinantis, sed causæ partialis, nec subordinatis, nec alteri subordinatæ.

Arguunt tertiò Patres Complutenses. Deus est causa illius actionis, etiam prout hæc actio est à causa secunda; ergo Deus per suum concursum facit actu, quod causa secunda agat; sed hoc efficere nequit per concursum purè simultaneum; ergo exigitur prævius. Primum antecedens est certum, quia illa actio etiam prout est à causa secunda, est aliquod creatum in rerum natura existens; ergo Deus est causa illius actionis etiam prout hæc est à creatura. Probatur itaque minor subsumpta. Si Deus est causa illius actionis, etiam prout hæc est à causa secunda, opportet quod ponat actu aliquid, quo faciat, ut causa secunda operetur, sed hoc aliquid esse nequit concursus simultaneus; ergo. Minor patet sui explicatione, quia id, quo Deus facit, ut causa operetur, esse debet aliquid prævium, cum detur causæ, ut agat. Quid prævium autem certè non est simultaneus concursus.

Respondeo etiam exclusa physica præmotione adhuc salvari Deum causare actionem illam creaturæ, etiam prout hæc est ab ipsa causa secunda, quod contingit per exhibitionem omnipotentiæ indiferentis, sine qua creatura potens non est illam actionem causare. Quod enim est causa causæ, est etiam causa causati; quo concursu indifferenti indiget creatura etiam prout ejus operatio à se ipsa procedit, quapropter optimè salvatur, quod actio etiam prout est ab ipsa, à Deo sit.

Arguunt quartò omnes Thomistæ. Causa, quæ de se est indeterminata, & indifferens ad plures actiones, & effectus, sivè in Individuo, sivè in specie, & intelligitur in potentia ad plura operanda, indiget aliqua motione ad hoc, ut operetur; sed quælibet causa creata verè est indifferens ad plures effectus, vel numero, vel specie diversos, cum nulla virtus creata permanens detur solùm ad unam actionem, & unum numero effectum, alioquin illo producto euanesceret virtus, utpotè iam otiosa; ergò Indiget aliqua motione ad hoc, ut operetur, sed hæc motio, à qua determinatur esse nequit ipsa uoluntas creata, neque illa operatio, quam efficit, neque alia causa creata, neque concursus Dei simultaneus, quatenus dignitate, & perfectione prior est, neque sola motio moralis, aut simpathia; ergò erit præmotio physica Maior est certa, siquidem à causa existente in potentia, prout in potentia, & indeterminata qua tali nequit exire effectus determinatus, nisi aliunde determinetur. Probatur itaque minor quoad singulas partes, & primo

mò determinari nequit à se ipsa, quià à se indeterminata, & indifferens, neque determinari potest per ipsam operationem, quià ipsa, est id, ad quod causa indiget determinari, & applicari; ergò impliceat, quod per ipsam applicet, & moveat ad se ipsam. Tertiò determinari nequit ab alia causa creata, quià cum etiam ipsa creata sit, pariter erit in potentia, & indifferens ad operandum, unde etiam ipsa indigebit motione, & applicatione, & cum non sit processus in infinitum, oportet, quod tandem à Deo fiat ista motio. Quartò non potest moveri per concursum simultaneum, quatenus hic dignitate, & perfectione prior est, quia ista maior dignitas, & perfectio, vel reddit causam creatam reductam de potentia ad actum, vel non. Si non reddit, manet causa tam indisposita ad operandum. Sicuti antea, ut potè non sublata potentialitate, & indeterminatione, si vero reddit determinatam; ergò iam non est solus concursus simultaneus, sed etiam prævius, quia habet effectum prævium, uti est causam movere ante actionem effectum. Quare simultaneus concursus qua simultaneus, cum non influat, nisi in effectum, & identificetur cum actione causæ creatæ, non magis potest ipsam causam creatam actuare, & movere, quam ipsa actio causæ creatæ, tandem hæc motio nequit esse moralis, quià, vel ex vi illius motionis moralis resultat aliqua mutatio ad extra vel non, si resultat; ergò non est mera assistentia extrinseca, sed realis, & vera mutatio tanquam effectus impressus à Deo ad extra, si vero non resultat aliqua mutatio; ergò totum intrinsecum huius causæ manet ita immutatum, sicut antea, & consequenter indeterminata.

Hoc argumentum præcipuum est in hac materia relatum ab insignibus Thomistis, Joanne à Sancto Thoma, & Thoma de Lemos, ut suam gratiam ab intrinseco efficacem defendant, uti in materia de diuina gratia videbimus, illudque idem est, quo Complutenses asserunt necessarias esse formas intentionales. Ut itaque soluatur, adverto quod indeterminatio alia est priuatiua, seu per modum naturæ, atque potentiæ passiuæ; alia verò negatiua, & per modum agentis liberi, vel habenris virtutem adæquatam ad posse se determinare. Prima indeterminatio utique tolli nequit, nisi ab agente extrinseco. Secunda tamen non est opus, quod tollatur per aduentum alicujus formæ intrinsecæ, cum eadem causa, quæ intelligitur sic indeterminata, potens sit se determinare, & reducere ad actum per suam virtutem posito concursu indifferenti causæ primæ. Quapropter in forma distinguo majorem Causa indeterminata, & in potentia ad plures effectus indiget aliqua motione, si sit indifferens priuatiuè, & in potentia pure passiua concedo maiorem, si sit indifferens negatiuè & in potentia actiua importante virtutem adæquatam nego majorem, & pariter distincta minori nego consequentiam. Distinctio patet. Dices liberum arbitrium creatum, quamuis virtutem actiuam habeat ad operandum, & non operandum, illa tamen virtus actiua secundum se est in potentia, & indifferens ad operationem, sicuti ad suspensionem, ergò tam formaliter, quàm virtualiter est illa virtus indifferens, & in potentia ad operandum, & non operandum, ergò manente illa virtute sic indifferenti, & indeterminata, hæc non magis operabitur, quam non operabitur, ergò prius ratione oportet liberum arbitrium esse determinatum, seu inclinatum ad operandum, quam de facto operetur, sed liberum arbitrium se solo se determinare, seù inclinare non potest; Nec potest per actum determinatum se inclinare, quia de illo actu, quo se determinat erit eadem difficultas, cum etiam de illo inquiri possit per quid ad illum se determinabit; undè vel erit processus in infinitum, vel sistendum erit in omnium primo actu determinato, & ostendendum erit, per quid voluntas se ad illum determinet. Quod cum difficile, immo impossibile appareat, opus erit dicere, quod à primo ente determinetur, inclinetur, & præmoueatur.

Respondeo reuera virtutem illam actiuam indifferentem esse, at tamen hæc accedente concursu simultaneo pro libito potest se determinare ad operandum circà objectum eodem, vel diuerso modo, quo ipsi libertati proponitur à ratione. Undè in forma distinguo antecedens. Illa virtus est indifferens cum potentia ad se determinandum concedo, secus nego antecedens. Distinctio patet.

Arguunt quintò; Si Deus non præmoueret causam secundam ad operandum, concurreret ad operationem cæco, & imprudenti modo, sed hoc est absurdum ergò. Sequela ostenditur nam hoc ipso, quod non determinat efficaciter causam secundam ad operandum ignorat, quando illa incipiat operari, & an exhibendus sit concursus simultaneus necne, ergò ignorat, an hic concursus obtenturus sit finem, siuè effectum, pro quo exhibetur, vel non, & proinde concurrit simultaneè, vel præparat concursum simultaneum cæco, & imprudenti modo.

Urgetur hoc argumentum breuius. Negata physica præmotione penitus ignoraret Deus instans, in quo Creatura sit operatura; sed ignorans instans, ignorat etiam tempus concurrendi simultaneè, ergò ignoraret utrumque, sed concurrere utrumque ignorando, est concurrere cæco modo, ergò.

Confirmatur. Si Deus non concurreret concursu simultaneo cæco modo maximè, quia per scientiam simplicis intelligentiæ cognosceret quod causæ naturales necessariò operabuntur, quia ipsorum natura determinata est ad unum, & consequenter adhuc sapientissimè exhiberet suum concursum, quamuis præviæ non determinaret creaturam; sed falsum est quod per hanc scientiam perfectissima cognitione cognoscere possit causas naturales esse infallibiliter operaturas, ergò. Probatur minor, quia quamuis causæ naturales sint in suo ordine determinatæ ad operandum, adhuc tamen possunt impediri per alias causas liberas efficaciores, ergò semper stat, quod nisi Deus efficaciter applicet suas causas ad agendum, semper ignoret, an operaturæ sint, vel non, & sic cæco modo præparet suum concursum simultaneum.

Respondeo nullatenus sequi, quod cæco modo concurrat, quamuis causas secundas non prædeterminet, & ratio est, quià esto eas non præmoueat per præviam physicam motionem, tamen ab æterno decrevit ipsas in tempore esse operaturas, & quidem efficaciter volendo ipsas operari per eamdem actionem, vi cuius agunt; hoc ipso autem quod ab æterno decrevit, iam non causat cæco modo, cum in ipso decreto operationem futuram Deus videat per scientiam visionis, nisi dicere velimus cum scientiæ mediæ defensoribus Deum per eamdem videre sub concursu indifferenti, quid voluntas operatura sit, quamuis ipsa non præmoveatur.

Ad Confirmationem falsa est maior. Nullus enim est Theologus, qui asserere possit Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere causas secundas ut operaturas, cum hæc circa possibilia, non verò circà futura versetur, quæ sola scientia visionis attingit, unde ineptè probatur minor, cum fal-

sa

sa sit major. Quod si loqui velint de scientia visionis, tota confirmatio pariter decidit, cum in decreto suo perfectissimè Deus cognoscat omnia futura.

Arguunt sextò. Causa, quæ non præmovetur, & prædeterminatur ab alia, est primum movens, primum se determinans, & consequenter primum principium; sed repugnat, quod causa secunda sit primum movens, aut primum principium; ergò etiam quod operetur, quin prius moveatur, & determinetur à prima. Probatur sequela, quia causa, quæ non movetur ab alio ad operandum, est primum, & primum se determinans.

Confirmatur primò. Quando duæ causæ partiales in eundem effectum simul influunt, una non dicitur aliam movere ad agendum; ergò quando Deus simul concurrit cum creaturis ad operandum, per ipsum concursum illas non movet, nec applicat ad agendum, sed solùm simul cum illis in eandem actionem, & effectum influit.

Confirmatur secundò. Moveri est mutari, cum omnis motus essentialiter sit mutatio, sed per concursum simultaneum Deus non mutat causas secundas, quia non agit in illas, sed cum illis, nec illis aliquid communicat, sed solùm effectui ab illis producto; ergò per talem concursum illas non movet.

Respondeo, quod etiam negata physica præmotione, adhuc creatura non esset primum movens, & primum se determinans, nam primum movens tale dicitur per exclusionem indigentiæ cujuscumque motionis ab alio, sive præviæ, sive concomitantis. Creatura autem quamvis non præmoveatur motione intrinseca irresistibili prævia, movetur tamen per actionem, vi cujus agit.

Ad utramque confirmationem disparitas est, quod concursus simultaneus cujuslibet causæ secundæ partialis, ita simultaneus est, ut nullatenus sit prævius, nec una aliam causam moveat, & determinet. At verò concursus simultaneus primæ causæ prævius est aliquo modo, universalitate videlicet, & dignitate, unde optimè causas secundas movere poterit, & applicare ad agendum, sed.

Instabis, quamvis creatura agere non possit absque Dei concursu, adhuc creatura dici posset primum movens; ergò negata physica præmotione, semper esset primum movens. Probatur antecedens. Quamvis Deus nequeat efficere actionem vitalem absque concursu creaturæ, nihilominus Deus retinet rationem primi moventis etiam respectivè ad ipsam actionem; ergò à pari creatura, si non promoveatur à Deo, quamvis non possit agere sine concursu simultaneo, adhuc non cadet à ratione primi moventis.

Respondeo disparitatem esse, quia impotentia, quæ adest in actu vitali, ad hoc ut fit à solo Deo, non est ex parte Dei, sed ex parte ipsius essentialiter exigentis pendere à suo principio vitali; unde nil mirum quod exigentia concursus creaturæ à Deo non tollat rationem primi moventis; at verò impotentia creaturæ ad agendum absque Dei concursu se tenet ex parte sui ipsius, quia videlicet imperfecta est in linea operativa, nisi interveniat divinus concursus.

Objiciunt ultimò. Ideò operatio egrediens à potentia præmota non diceretur libera, quia talis potentia stante præmotione non posset non operari; sed hoc nihil derogat libertati; ergò. Major est fundamentum negantium physicam præmotionem. Probatur minor, quamvis voluntas in sensu composito imperii, non possit non eligere objectum adhuc ipsa electio libera dicitur; ergo à pari probatur consequentia, quia non minus prævium est imperium ad ipsam electionem, quam prævia est ipsa præmotio ad operationem præmotam, & nihilominus ipsa electio subsequens ad imperium, quod actus intellectus est, libera dicitur; ergò etiam libera erit ipsa operatio, quamvis antecedat præmotio.

Respondeo argumentum hoc procedere secundum principia Thomistarum, quæ nullo modo nobis probantur. Non enim consentire possumus, quod imperium efficax sit actus intellectus, cum imperare voluntatis sit, non intellectus, ut diffusè demonstrat Henricus *quodlib. 9. quæst. 6.* Competit quidem intellectui quoddam imperium imperfectum, quos his vocibus exprimitur *hoc est faciendum*, sed hoc non est imperium efficax, cui potest voluntas non parere contrarium agendo, cæterum imperium propriè dictum intellectui non competit, ut videbimus in tractatu de actibus humanis.

## CAPUT QUARTUM.

*Sententia Patrum Societatis circa modum divini concursus cum causis secundis liberis exponitur, & reprobatur.*

Patres societatis videntes solidam non esse D. Thomæ sententiam, aliam amplexi sunt, quæ in examen in præsenti vocatur. At, quia hoc fieri nequit, quin prius istorum opinio explicetur, quid dicant in hac re, præmittendum est, quod ut dedum veraciter, verum & breviter fiat, quid sentiat in materia de divino concursu Suarezius *in metaph. disp. 22. & in opuscul.* de concursu Dei *cap. 2.* referendum est. Patres enim doctissimæ societatis ferè communiter recipiunt doctrinam hujus Auctoris in præsenti materia, ut videre est apud Molinam *in 1. part. quæst. 14. dist. 17. & 16 & in concordia disp. 50* Fonsecam illius Magistrum *lib. 5. metaph. cap. 2. quæst. 9. sect. 3.* Conimbr. *2. physic. cap. 7. quæst. 13.* Herice *1. part. tract. 1. disp. 7. nu 7.* Saias *tom. 1. in tom. 2 quæst. 9. art. 6. tract 5. disp. 3.* Granadum, Raynaudum in naturali Theologia *disp. 6. quæst. 3. art. 8.* Ruvium *in physica de causa efficienti quæst. 8.* Oviedo, Hurtadum, Arriagam, aliosque plures.

Docet itaque primò Suarez causam primam nihil antecedenter agere in causam secundam, ejusque actionem ipsam determinando. A quo tamen recedunt aliqui, pauci tamen, qui aliquid se tenens ex parte actus primi ponunt, vel per modum actualis determinationis, vel per modum cujusdam exercitii negativi, ut vult Bellarminus *lib. 4. de Christo cap. 6.* quam præviam determinationem explicant per hoc, quod voluntas creata sub determinata motione sinat se trahi, vel per modum motionis congruæ moralis antecedentis cum actu connexæ, ut sentit Vasquez.

Docet secundò Suarez Deum concurrere cum creatura libera ad operandum concursu simultaneo (cui solam tribuit prioritatem dignitatis, & perfectionis) & indifferenti, indifferenter oblato, itaut eadem actio creaturæ sit simul ab utraque causa, prima videlicet, & secunda concomitanter concurrente. Habet enim *disp. 22. sect. 4. Voluntas, & potentia Dei, ut sic applicata ad concurrendum, est quasi indifferens, & expectans, ut juxta usum liberum voluntatis, ita illi cooperetur.*

Docet tertiò in Deo scientiam conditionatam futu-

futurorum contingentium conditionatorum reperiri (quam & nos non negamus, dummodo hæc supponat decretum, quod sit causa ipsius futuri conditionati, & medium in quo futura ipsa Deus videat) per quam Deus videt voluntatem creatam esse facturam, si ponatur sub aliquo concursu, quamvis hic indifferens sit. Quod totum patet ex illis Suarezii verbis: *Scientiam conditionatam libenter admittimus; nam cum Deus præscit, quid voluntas creata factura sit, si cum talibus circumstantiis applicetur inter alias conditiones ponenda est hæc: Si Deus efferat sufficientem concursum, quia sine eo nihil potest operari. Hic autem talis debet esse, ut sit indifferens.*

Hæc sententia sic breuiter explicata impugnanda est hic, in cujus impugnatione ne ordo tollatur, operationes liberas creaturarum distinguo prius in naturales, & supernaturales, vel meritorias, uti sunt Sacri auditio, fidei actus, ad Deum conuersio, actus nobilissimus diuini amoris. Hac autem distinctione præmissa opinor modum concurrendi superius explicatum, tum in ordine ad actus naturales, tum in ordine ad actus supernaturales non saluare, quæ aliundè necessaria sunt. Propositio probanda quoad primam partem philosophica est, secunda theologica videtur. At parce Lector, si aliquantulum etiam immotabor in secundæ partis ostensione. Etenim utriusque partis discussio videtur hic necessaria, ut clara, & non dimidiata cognitio diuini concursus habeatur. Licet enim aliquando in alienam messem manus Iniicere, quando necessitas adest, ut in casu

Incipiendo itaque ab actibus naturalibus firmiter judico per concursus indifferentis exhibitionem, non intelligi, quod Deus naturæ auctor concurrat modo sibi proprio, & conuenienti. Probatur hoc. Stante hac sententia Deus concurreret solùm, ut determinatus, atque ad nutum creaturæ, itaut hæc propositio vera non esset: *ideo creatura se determinat, quia Deus creaturam determinauit ad hanc actionem:* Sed potius è contra *ideo Deus concurrit ad hanc actionem, quia creatura determinauit se, & Deum ad concurrendum ad hanc actionem*; atqui sic concurrendo non concurrit Deus auctor naturæ modo sibi convenienti; ergò. Probatur minor. Modus hic concurrendi esset modus concurrendi per subordinationem creaturæ, à qua acciperet determinationem, & sicuti habitus, & species impressa accidentalis, ideo concurrunt cum potentia volitiua, & intellectiua se illis subordinando, quia potentiæ habitus, & species habent, veluti in manu sua, quibus utuntur, si velint, etsi nolint, non utuntur, ita hoc idem contingeret loquendo de Deo, si cum creaturis ad ipsarum operationes concurreret concursu superius explicato.

Huic rationi vulgare plausibilis solutio est modum hunc concurrendi nullatenus derogare primæ causæ, quia Deus non sic concurrit ex necessitate, sed ex libero decreto, quo se obligauit concurrere cum causis secundis juxta modum istis connaturalem, quinimo potius colligitur ex isto indigentia Creaturæ non potentis aliter liberè operari, nisi Deus se ita illi attemperaret, sicuti ipsius Dei non mediocris amor versus creaturas, quibus ut liberè agant, non dedignatur quodamodo se ipsis submittere. Sed

Hanc solutionem, quam aliqui Patres Societatis exhibent, & quæ in se mediocris videtur roboris, ut maiorem vim acquireret, olim quibusdam in Thesibus ego confirmaveram, dum aduersus Scotistas nobiscum reprobantes hanc sententiam arguebam. Procedebam autem sic. Sicuti causæ primæ videtur indecens cōcurrere cum causis secundis se istis subordinando, ita videtur indecens causæ adequatissimæ continenti omnes creatas perfectiones concurrere in actu secundo inadæquatè, & solū partialiter effectū producēdo, sed nihilominus in Scotistica sentētia, dū Deus concurrit cum causis secundis partialiter concurrit, quapropter dicimus, quod in actu secundo suum cōcursum attemperat; ergò. Maior mihi certa est. Sicuti enim non est modus proprius agere per subordinationem causam illam, quæ cæteras sibi subordinat, ita non est modus proprius agendi agere concausando, vel comproducendo, seu per partialitatem concursus, causam illam, quæ adequatè per excessum effectum continet. Quod si dixeris hoc secundùm Deum facere absque præiudicio sue virtutis infinitæ, quia facit ob suam libertatem, itaut sic agere sit effectus non impotentiæ, sed ipsius Dei sic volentis, ut locum relinquat creaturæ, ut etiam ipsa agat. Hoc idem etiam affirmari potere loquendo de concursu per subordinationem ipsi creaturæ. Sed

Nihilominus censeo superiorem responsionem inefficacem esse ad intentum Ratio est, quia quamuis simpliciter, & absolutè Deus sic concurreret, tamen ex suppositione, quod vellet, quod creatura ageret iuxta suum connaturalem operandi modum, sic concurrere deberet, videlicet se creaturæ subordinando, quia si aliter cōcurreret iuxta aduersarios, jam creatura nō liberè ageret: atqui rationabilis nō videtur illa sententia, quæ ut saluet modum connaturalem operandi creaturæ, tollit modū connaturalem operandi Dei, qui est agere per modum causæ cæteras sibi subordinantis, non cæteris subordinatè; ergò Urgetur amplius hoc idem. Ideo concursus præuius non ponitur, quia non saluat modum connaturalem operandi creaturæ liberæ; ergò ideo non erit ponendus concursus simultaneus, quia videtur, quod non saluet modum connaturalem Deo proprium.

Nec obstat paritas à me superius insinuata. Disparitas enim est, quod agere per partialem influxum non opponitur causæ adequatissimæ, cum huic solùm opponatur, quod totaliter effectum non præcontineat, unde nil mirum, quod causa adæquata inadæquatè possit concurrere simul cum altera concausa. At verò non sic in casu. Causæ enim sibi cæteras subordinanti opponitur omnia agere per subordinationem; alteri. Sic enim ipsi modus agendi præternaturalis est, sicuti esset causæ subordinatæ, agere illas causas sibi subordinando, respectu quarum nomen sortitur subordinatæ.

Secundò superiori rationi respondent alii Deum adhuc non concurrere se suis subordinando creaturis, sed potius contra. Creatura etenim sine primæ cuncursu indifferenter oblato nihil agere potest, econtra verò Deus sine illo creaturæ omnia potest producere etiam includendo actus nostros vitales, quos à solo Deo esse posse docet plausibiliter Schola subtilis, uti in animastica videbimus. Quid est autem hoc *creaturam non posse agere absque diuino concursu, creaturam à Deo recipere virtutem agendi, totumque actum primum: agere si Deus velit, non agere si non velit*, nisi creaturam Deo subordinari in agendo. Sed

Contra est. Omissa enim solutione Francisci Macedo quam exhibet *Collat. 9. differ. 3. §. 1.* docentis, quod quemadmodum stat, quod causa indigeat approximatione ad effectum, ad hoc, ut agat quin ipsi approximationi subordinetur, sicuti intellectus indiget concursu specierum, quin speciebus subordinetur, sed potius econtra si species sit acciden-

dentalis, ut communiter docent Thomistæ, ita etiam stabit, quod creatura indigeat hoc concursu simultaneo Dei, quia ipsi subordinetur. Omissa inquam hac solutione, quia Iesuitis doctissimis facilis esset responsio. Dicere enim possent ideo speciei inpressæ indigentiam, quæ est in Intellectu ad intellectionem producendam subsistere absque intellectivæ potentiæ subordinatione ad ipsam speciem, quia non est Intellectus indigus specie, quæ sit causa intellectionis principalis, & intellectum sibi subordinans at vero creaturæ indigent concursu causæ primæ cæteras sibi subordinantis, & non per modum simplicis conditionis, ut indiget causa ad agendum approximatione, finis cognitione, ad hoc ut moveat. Dicendum est iuxta sententiam, quam hic inpugnamus intelligi non posse creaturam agere cum subordinatione ad causam primam. Quod ut evidenter appareat videndum est, quid sit unam causam alteri subordinari. Huius enim notitia non parum iuuabit ad eruendam veritatem in hac re, an videlicet aduersarii nostri doctissimi subordinationem hanc idem ne saluent, nec ne. Causam itaque alteri subordinari præcisè non est concursu effectuo alterius indigere ad operandum. Patet hoc, quia de facto intellectus indiget concursu speciei impressæ, & viceversa, cum nec intellectus speciei nec species intellectui in probabili sententia subordinetur alias essentia divina gerens munus speciei impressæ respectu Intellectus beatorum eidem pariter subordinaretur. Indigentia enim alterius concursus solum infert causam indigentem de se insufficientem esse ad operandum, non verò alteri, cuius indiget esse subordinatam. Requiritur itaque ad subordinationem, quod causa aliam sibi subordinans ipsam moveat, applicet, ut etiam ex societate fatentur doctissimi Iesuitæ Ruuius, Georgius Rhodes, ailique. Cum autem per concursum simultaneum non habeamus, quod causa prima moveat, applicet, determinet, sed potius, quod causa secunda primam applicet, ac determinet ad concurrendum potius ad unam actionem, quam ad aliam, hinc vi concursus simultanei, non saluant doctissimi Patres societatis subordinationem illam, quam aliundè ex Religione fatentur His positis.

Dico secundò, nec etiam in ordine ad actus supernaturales Deum concurrete concursu indifferenti à creatura determinando, itaut creatura sit, quæ sub auxilio versatili determinet se, & Deum ad concurrendum potius ad conuersionem, quam non conversionem. Probatur primò. Si Deus ad actionem salutarem concurreret solùm determinationem recipiendo à creatura, non verò è contra creaturam determinando, iam primum, & præcipuum discretiuum interueniens inter salutariter operantem, & sic non operantem, non esset Deus, sed creatura salutariter operans. Sed hoc contradicit Apostolo volenti in Epistola ad Corinthios Deum, esse, qui primò, & principaliter discernat: ergò. Difficultas stat in maiori, quæ primò sic probatur. Deus juxta hanc sententiam non concurreret nisi determinatus, non verò determinando, itaut prius esset ratione nostra creaturam se determinare ad actionem illam salutarem, quam Deum concurrere. Patet hoc, nam ideo Deus concurrit ad ipsam actionem meritoriam stante contraria sententia, quia creatura sub tali auxilio se determinauit ad illam actionem, non verò econtra, ideo creatura se determinat, quia Deus prius ipsam determinauit, cum in ratione determinantis in actu secundo, sola creatura sit, quæ primò se determinet, atqui primò se determinans, primò se discernit; ergò. Quod verò non sit principale discretiuum patet, quia iuxta diuum Thomam nequit esse præcipuum discretiuum, quod non est causa principalis operationis salutaris, sed stante sententia Patrum Societatis, Deus amplius non esset causa principalis operationis salutaris; ergò non esset principale discretiuum. Probatur minor. Causa principalis operationis est causa mouens, applicans, & determinans non vero illa quæ concurrit unicè determinata, sed in sententia Patrum Societatis Deus ad operationes salutares concurreret non determinando, sed determinationem recipiendo; ergò Maior est ipsa notitia causæ principalis, quam insinuat Diuus Thomas explicans Epistolam *ad Rom.* 9. illis verbis: *Et ideo dicendum est, quod Deus omnia movet sed diversimodè, in quantum scilicet unum quodque movetur ab eo secundum modum naturæ suæ; & sic homo movetur à Deo ad volendum, & currendum per modum liberè voluntatis. Sic ergò velle, & currere est hominis, ut liberè, non autem est hominis, ut principaliter moventis.*

Huic rationi multipliciter respondent, & primo argumentum hoc tangere maximam difficultatem Theologicam de efficacia diuinæ gratiæ, de qua disputare nefas est post decreta Sanctæ Ecclesiæ. Nihilominus dicunt adhuc Deum esse primum discretiuum bene operantis à male operante, quia bene operanti dat auxilia, quibus prævidet per scientiam mediam esse consensurum. Videt enim Deus, inquiunt ipsi, quod si Petro dentur talia auxilia, Petrus bene operabitur, unde decernit dare talia auxilia, propter quorum collectionem Deus dicitur primum discretiuum. Sed

Contrà est, quia hìc non loquimur de efficacia diuinæ gratiæ, sed præcisè probamus, quod si creatura determinat diuinam Omnipotentiam non saluarentur, quæcumque saluanda sunt. Ad illud verò de auxiliis respondeo, & peto à doctissimis aduersariis, an adhuc datis illis auxiliis Petrus sit indifferens ad bene, vel male operandum. Si negent, ergò Deus per talia auxilia tollit indifferentiam, libertatem, & determinat Petrum ad benè operandum, & sic coincidunt aduersarii cum Thomistis, uti coincidere existimo paucos illos Societatis Doctores Theologos, qui cum Vasquezio ponunt motionem quamdam moralem antecedentem actum, & cum ipso connexam. Si verò affirment, ergò talia auxilia nequeunt esse primum discretiuum bene operantis à male operante. Probatur hæc consequentia, quia id, quo posito Petrus adhuc potest benè, vel malè operari, non potest esse discretiuum Petri bene operantis à male operante, ut per se patet; ergò si positis illis auxiliis Petrus adhuc est indifferens ad bene, vel male operandum illa esse nequeunt primum discretiuum. Neque dicas, quod quamuis Petrus sit indifferens, tamen consentiet. Non inquam, hoc dicas, nam peto, dum consentiet, determinabit, ne ipse Deum, an Deus ipsum? Si secundùm dicas, ergò non Creatura Deum, sed Deus creaturam determinat. Si primum reddit argumentum iam factum, ergò semper stat creaturam esse primum discretiuum dicunt secundò alii Deum adhuc esse primum discretiuum, quia omnia, neque voluntas, Omnipotentia, actio, accepta sunt à Deo, ae proinde Creatura merito gloriari non posse, & instari aduersus alteram, si benè opererur. Sed

Contra est, quia sequeretur ex hoc Deum esse primum discretivum inter Peccatorem, & non Peccatorem, siquidem tam voluntas, quam actio,

& om-

& Omnipotentia concurrentes ad peccatum accepta sunt à Deo; ergò si propter hoc Deus est primum discretivum in bonis operationibus, erit etiam in peccaminosis. Fateor omnia hæc esse à Deo, sed id, quod adverto est, quod stante adversariorum sententia actio bona non eodem modo pendet à Deo, ac à voluntate creata, nam à Deo pendet, ut à principio non determinante, sed determinato: à voluntate verò, ut à determinante se, & ipsum Deum ad illam. Hoc autem stante optimè arguo creaturam, & non Deum esse primum discretivum bene à malè operante.

Respondent tertiò alii Deum adhuc fore primum discretivum, quia ipse est, qui primò complet causam secundam illi exhibendo suam Omnipotentiam, qua non exhibita causa secunda, nec se, nec Deum determinare posset ad actionem bonam, sed

Contra est, & ni fallor, vult hæc solutio Deum esse primum discretivum benè operantis à malè operante per hoc, quod compleat causam secundam in actu primo exhibendo illi suam Omnipotentiam indifferentem, sine qua creatura agere non posset; sed hoc est omnino falsum; ergò. Probatur minor. Ex D. Augustino *cap. 5. de prædest.* Quod est commune justo, & injusto, bene operanti, & malè operanti, nequit esse discretivum justi à non justo, bene operantis à malè operante. Sic quia voluntas, quia esse, quia vita, communia sunt justo, & injusto, benè, & malè operanti, esse non possunt discretivum; sed exhibitio Divinæ Omnipotentiæ indifferentis communis est justo, & non justo; ergò nequit esse primum discretivum. Minor est adversariorum dicentium Deum complere causam secundam per suam Omnipotentiam in actu primo, sive ad bonum, sive ad malum, adeoque exhibitio Divinæ Omnipotentiæ indifferentia, communis est justo, & non justo.

Respondent tandem ultimò alii Deum discernere, quia Deus in actu primo voluntatem determinat per motionem, non quidem physicam, sed moralem congruam antecedentem, & cum actu connexam.

Sed contra hæc solutio Vasqueziana non subsistit, quia hæc motio congrua, si sit infallibiliter connexa cum consensu nostro, paritur eandem difficultatem, quam præmotio physica Thomistarum, cum ponat Vasquezius præviam esse, alligantem voluntatem ad actum, ejusdemq; actus illativam, propter quæ capita præmotionem physicam libertati obesse communiter docent Patres societatis.

Probatur secundò conclusio, quia modus hic concurrendi per auxilium indifferens, à creatura in exercitio actionis determinandum corruit ex eodem motivo, quo doctissimi Patres societatis ipsum excogitarunt. Probatur hoc. Ideò hæc auxilia indifferentia propugnant, sub quibus per scientiam mediam (quæ scientia est futuri contingentis conditionati independenter à quolibet decreto, tamquam medii, in quo) videat voluntates creatas operaturas, ut libertas creaturæ salvetur; sed etiam his concessis libertas hæc non salvatur; ergò in ordine ad actus salutares non concurrit Deus concursu simultaneo Indifferenti à creatura determinando. Major videtur certa. Minor autem ostenditur. Per hoc, quod Deus concurrat per auxilium indifferenter oblatum, non tollitur in Jesuitarum sententia, existentia decreti efficacis antecedentis ipsum concursum; sed decretum hoc prævium est ad eundem consensum; ergò modus concurrendi per auxilium indifferens non salvat libertatem. Major est certa, quia aliàs Deus ad extra concurreret sine intentione, & voluntate; quod cum implicet, dicendum est antecedenter ad concursum simultaneum, Deum prius decrevisse concurrere. Quod autem illud decretum per illo priori, sit efficax. Patet, nedum quia decretum illud est decretum, quo vult determinatè consensum v. gr. conversionem, verum etiam, quia decreta efficacia adversarii admittere non recusant, dummodò sint regulata per scientiam mediam. Uno verbo sententia illa non salvat libertatem, vi cujus ponitur aliquod prævium voluntatem coarctans ad unum, ipsamque determinans; sed in hac sententia ponitur, quod Deus ita concurrat per concursum simultaneum, & gratiam versatilem, seu indifferentem ad actus salutares, ut antea vellit efficaciter ipsum consensum, volitione infelente ipsum infallibiliter; ergò sententia hæc non salvat id propter quod salvandum inventa est.

Dices primò decretum hoc absolutum efficax esse in priori ad absolutum futurum consensum, nihilominus libertatem non lædere. Ratio est, quia est decretum conceptum ex directione scientiæ mediæ, videlicet ex suppositione consensus prævisi futuri per eandem scientiam.

Sed hæc solutio Suarezii, & Vasquezii non enervat superioris rationis vim, ut optimè ex eadem societate adverterant aliqui. Ratio est, quia non obstante hac scientia conditionali decretum illud adhuc antecederet consensum absolutè futurum; etsi non antecederet consensum conditionatè futurum, sed potius ad ipsum subsequeretur, & cum ex alia parte sit causa consensus, nec illud sit in mea potestate, jam nec ipsi Patres societatis vitant periculum destruendi creatam libertatem. Explicatur melius hoc idem. Estò supponatur, quod voluntas in statu conditionato præstiterit suum consensum de futuro, si tamen relatè ad consensum absolutè futurum præcedat aliquod infallibiliter connexum cum ipso consensu, libertas læditur consensus absolutè futuri; sed decretum hoc, quamvis regulatum per scientiam mediam, quo Deus vult efficaciter consensum absolutè futurum, antecederet ipsum consensum absolutè futurum; ergò. Major mihi videtur certa, siquidem si prævium ad operationem absolutè futuram cum ipsa infallibiliter connexum, & subsequens ad operationem conditionatè futuram non lædit libertatem consensus absolute futuri, cur adversarii refugiunt admittere, quod in statu absoluto voluntas possit physicè prædeterminari sine lesione libertatis; ergò.

Tertiò, quia si adesset decretum ex parte objecti conditionatum rem futuram conditionatè antecedens, hoc tolleret libertatem futuri contingentis conditionati, ut quamplures societatis Auctores sustinent; ergò si deruet decretum utrinque absolutum efficax consensum absolutè futurum antecedens, consensus non erit liber; sed estò supponatur, quod in statu conditionato præstiterit suum consensum de futuro, nihilominus decretum absolutum efficax antecederet ipsum consensum absolutè futurum; ergò.

Dices secundò decretum illud efficax per scientiam mediam regulatum non efficere libertati. Ratio est, quia concomitans est, non antecedens nostrum consensum. Sed contra est Quamvis enim vera sit hæc solutio in illorum Patrum societatis sententia, qui authumant decretum in ratione liberi

beri conſtitui per ipſam actionem, qua creatura agit, nulla tamen eſt in aliorum ſententia, qui actum liberum divinæ voluntatis per hanc non conſtitui docent, ſed ſolùm per liberam terminationem, ut ſentire videntur ex Societate Gregorius de Valentia 1. *part. quæſt.* 19. *punct.* 3. & 4. Tannerus *tom.* 1. *diſp.* 2. *de Deo quæſt.* 10. *dub.* 4. Gaſpar Hurtadus *diſp.* 7. *de voluntate diff.* 2. Raynaudus in Theologia naturali *diſt.* 8. *quæſt.* 2 *art.* 4. Izquierdo *tract.* 10. *de Deo uno diſp.* 31. *num.* 291. Suarez *tom.* 2. *metaph. diſp.* 30 *ſect.* 9 juxta quorum ſententiam ſuperior ratio adhuc ſolutionem expectat, cum decretum, & efficax ſit, & prævium ad quamlibet noſtram operationem, utpotè per ipſam in ratione liberi non conſtitutum.

Occurres tertiò adhuc non eſſe opus ponendi voluntatem concurrendi diſtinctam ab ipſo concurſu Dei, & ita ſicuti concurſus eſt concomitans, ita & voluntas, ſed

Contra eſt. Voluntas enim beneplaciti contraſtinguitur in Deo à voluntate ſigni, ipſe autem concurſus ad extra eſt ſolum voluntas ſigni, ſicuti, & alii effectus Dei: maximè etiam, quia oppoſiti authores diſtingunt in Deo potentiam executivam à ſua voluntate; ergò concurſus Dei, qui ſpectat ad potentiam executivam, non debet confundi cum voluntate Dei.

Reſpondebis quartò decretum illud non officere, quia eſt impedibile à voluntate creata, non quidem immediatè, & in ſe, ſed mediatè, & in alio, quatenus voluntas creata poterat impedire ſcientiam mediam, poterat autem impedire ſcientiam mediam, quia poterat impedire objectum ſcientiæ mediæ; poterat autem impedire objectum ſcientiæ mediæ (quod eſt operatio futura ſub hac, vel illa circumſtantia) quia poterat non operari ſub illa eadem circumſtantia, ſub qua prævidetur operatura. Voluntas autem potens impedire ſcientiam mediam, qua voluntas videtur benè operatura ſub hac, vel illa circumſtantia, eſt voluntas potens impedire decretum prædefinitivum, cum Deus decernere non poſſit operationem ſalutarem futuram eſſe abſolutè purificata hac, vel illa conditione, quin prius videatur futura ſub hac, vel illa conditione.

Contra eſt. Primò, quia hic dicendi modus, ut ſaluet, quod tale decretum non lædat libertatem, incidit in aliam difficultatem, videlicèt in hac doctiſſimorum Patrum Societatis ſententia, non explicari, quomodo contingat, quod voluntas liberè agat, eſtò efficaciter ſit decreta eius operatio decreto regulato per ſcientiam mediam, niſi circulus committatur. Quod an verum ſit, vide. Quæritur hic cur Petrus poſſit non converti, non operari, etſi prædefinita ſit efficaciter à Deo cuius conuerſio, eiuſque operatio, & reſpondetur, quia potuit impedire huiuſmodi prædefinitionem; potuit autem impedire huiuſmodi prædefinitionem, quia potuit impedire ſcientiam mediam, & hanc impedire, quia potuit non ponere obiectum eius, potuit autem obiectum eius impedire, quia potuit non operari, ergò id, quod tandem reſpondetur in ſolutionem propoſitæ quæſtionis, videlicèt, cur poſſit Petrus non operari, non obſtante prædefinitione, eſt ipſa quæſtio, ſeu quæſitum, nec aliundè tandem reſpondetur, quam poteſt non operari, quia poteſt non operari.

Secundò, quia non ſolùm explicat libertatem, verum etiam ipſam non ſaluat hæc ſententia, ſiquidem eſtò voluntas potuiſſet impedire decretum impediendo ſcientiam mediam, non poteſt tamen hoc facere ex ſuppoſitione, quod exiſtat hoc decretum regulatum per ſcientiam mediam, ſed aliundè hæc impotentia eſt antecedens, cum oriatur ex decreto, quod antecedit conſenſum, ſicuti cauſa ſuum effectum; ergò ſuper læditur libertas, ſaltem immediata, ſicuti immediatè decretum impediri nequit, ut concedunt doctiſſimi aduerſarii.

Reſpondebis quintò dari quidem in Deo voluntatem determinatè concurrendi, antequam actu concurrat cum voluntate creata determinata. Cæterum talis voluntas concurrendi non eſt abſoluta, ſed conditionata, ſcilicèt ſi voluntas creata voluerit, vel determinauerit actum temporalem. Sed

Contra eſt. Quando enim dicitur Deum decernere ſe determinatè concurrere, ſi voluntas creata ſe determinauerit, inquiritur, quid ſit ly *determinauerit*. Vel enim eſt aliquid ſe tenens ex parte actus primi, & ſic erit prædeterminatio, vel ex parte actus ſecundi, & ſic erit identicè ipſe concurſus Dei, unde erit ſenſus: ſi ego actu concurram, habebo voluntatem concurrendi, quod apparet abſurdè poni in Deo.

Secundò, quia ſi decreta in Deo concurrendi ſint ſolùm, ſi creatura velit, vel ſe determinet, jam ponitur, quod Deus pendeat à voluntate creata ad decernendum abſolutè futuram liberam conuerſionem, atquè adeo quodlibet decretum abſolutum cujuslibet operationis ſalutaris à Deo concipi non poſſe, niſi cum dependentia à voluntate creata. Quod ſi dicas hoc falſum eſſe, quia decretum illud conferendi gratiam illam, ſub qua voluntas videtur bene operatura à Deo concipi abſque ulla dependentia, cenſeo hoc pariter pendere ſuo modo à creata voluntate. Patet hoc, quia ideo Deus decreuit conferre illam gratiam, quia per ſcientiam mediam Deus viderat voluntatem creatam ſub illa operaturam, itaut ſi vidiſſet ipſam ſub eadem nolituram, nec collationem eiuſdem gratiæ decreviſſet: ergò etiam decretum de conferenda gratia ſuo modo pendet à voluntate creata.

Reſpondebis ſextò decretum illud non lædere libertatem. Ratio eſt, quia adhuc voluntas, quantum eſt de ſe indifferens intelligitur ad operandum ſalutariter, vel quia impedimentum reſultans ex decreto extrinſecum eſt, & non intrinſecum; Sed

Revera, ſi ſolutio hæc tenet, jam ipſa præmotio ex capite libertatis non poſſet amplius reprobari, quia eodem jure reſpondere poterit Thomiſta dicendo etiam voluntatem ipſam liberam eſſe, non obſtante præmotione; quia in ſenſu diuiſo ab hac voluntas ſeruat ſuam indifferentiam: nec pariter ſolutio quoad ſecundam partem ſubſiſtere poteſt, ſiquidem quodlibet antecedens ex genere ſuo illatiuum actus cum impoſſibilitate ad oppoſitum, etſi extrinſecum ſit, eſt libertatis læſiuum, ut etiam aduertit hic Vaſquez.

Reſpondebis ultimò libertatem non lædi. Ratio eſt, quia Deus concurrit per decretum diſiunctiuum, cujuſmodi eſt hoc. Ego volo concurrere, vel ad actum bonum, vel ad actum malum.

Sed contra eſt, quia huiuſmodi decreta in ordine ad actus ſupernaturales, quod ſciam, non propugnant Patres Societatis, ſed potius decreta, quibus abſolutè Deus vult conſenſum ſalutarem, ut videre poteſt inter cæteros Patres Annatus *diſp.* 1. *cap.* 6. *§.* 1.

## CAPUT QUINTUM.

*Sententia Scoti proponitur, & quoad aliqua reprobatur.*

TErtia sententia est Scotistarum volentium divinam voluntatem determinare voluntatem creatam, non in priori ad illam, sed simul cum ipsa, quapropter docent isti decretum Dei esse concomitans, non concomitantia sumpta ex præcedenti scientia media, per quam videat voluntatem creatam conditionatè operaturam, sed concomitantia ex continentia formali, & virtuali voluntatis creatæ in divina, tanquam in primo libero. Huius autem sententiæ tria sunt præcipua fundamenta. Primum est, quod Deus ab eterno vult rem futuram liberi sed sic nequit velle per decretum Thomisticum, nec per decretum concomitans ex prævisione scientiæ mediæ; ergò solum fieri poterit decreto concomitanti sumpto ex continentia eminentiali voluntatis creatæ in divina. Secundum est, quià de facto videmus inter homines, quod unus incidit om nino in determinationem alterius nulla existente præscientia in illo talis determinationis; ergò quià voluntas divina eminenter continet voluntatem creatam secundum omnem eius inclinationem, ex vi talis eminentiæ se conformat cum voluntate creata, ac si eam expectasset, & cognovisset illius voluntatem. Tertium vero est, quia quemadmodum intellectus divinus, quià infinitus in linea intellectus intelligere potest omnia intelligibilia, ac si forent ab æterno illi præsentia, ità divina voluntas, quià infinita in genere potentiæ volitiuæ, & liberæ, poterit ab æterno omnes illos effectus velle eo modo, quo vellet voluntas creata, si Deo ab æterno coexisteret, & se cum divina voluntate condeterminaret. Ex quo enim divina voluntas sit infinita in ratione liberi potest ab æterno coincidere in eandem prorsus volitionem, in qua incidit in tempore creata voluntas. Sic Scoti sententiam explicat Mastrius in primum sententiarum *disp. 3. de divino intellectu quæst. 3. art. 8.*

Pontius verò Scotista Scoti sententiam prolixius exponens in sex propositiones ipsam distribuit, quarum prima est: *concursus Dei non est ipsa actio creaturæ, sed alia concomitans*, & hoc primò, quià vult divinum concursum esse ipsam Dei volitionem, quæ certè non est actio creaturæ. Secundò quià eadem actio non potest esse simul duarum causarum, quapropter intellectus, & species non agunt eadem actione, ne sequatur, quod eadem actio subiectetur in duobus agentibus.

Secunda est: *concursus Dei est omninò physicè determinatus ad effectum, qui producitur, itaut per eumdem quo producitur amor, non possit produci odium*, & hoc quià semel dato, quod concursus sit ipsa volitio, quemadmodum hæc est volitio talis determinati effectus, ità erit ipse concursus, cui asserto se opponit sententia societatis.

Tertia est: *dantur decreta absoluta, non regulata per scientiam mediam antecedentia determinationem voluntatis creatæ.*

Quarta est: *id quod necessitat voluntatem solum ratione alterius sibi coniuncti, habet solum equo modo necessitare, ac tale coniunctum, undè cum hoc decretum solum necessitet ratione concursus, & ex alia parte, cum concursus non necessitet, cum sit solum concomitans, nec tale decretum necessitabit, nec secundum se, nec ratione concursus concomitantis.*

Quinta propositio est: *talia decreta efficacia antecedunt omnem liberam determinationem voluntatis ex conditione Dei, qui necessariò habere nequit noua decreta, sed ab æterno habere debet quidquid habet in tempore; non verò antecedunt antecedentia influxus, siquidem decretum, quatenus est ab æterno, non influit, & determinat causam secundam, sed solum quatenus coexistit voluntati pro illo instanti, pro quo operatur.*

Sexta, & ultima propositio est: *præter hunc concursum efficacem, & absolutum concomitantem non requiritur alter concursus indeterminatus, & inefficax ad oppositum, vel ad alium effectum, & hoc quià etiam sine ipso, optimè saluatur libertas, cum in actu primo intelligatur libera ad agendum, vel non agendum.*

Sententiam hanc Scoti à Pontio sic explicatam non desunt aliqui ex Patribus Societatis, qui ipsam oppugnant ex capite libertatis, sed quam infeliciter speculanti patere poterit. Diversa itaquè via à me impugnatur, & primò quia concursus Dei non est ipsa volitio; sed potius volitionis obiectum, nec verum est, quod agentia plura agere nequeant unica, & eadem actione; cum hoc sit debitum agentibus partialibus, & subordinatis, nec indè sequitur quod eadem actio reciperetur inhæsivè in pluribus agentibus realiter distinctis, cum actiones etiam transeuntes in nostra sententia recipiantur inhæsivè in passo.

Secundò falsa est doctrina in quinta propositione contenta, videlicet, quod hæc decreta efficacia unicè antecedant omnem liberam voluntatis determinationem, ex hoc præcisè, quod Deus noua decreta libera habere nequeat, siquidem antecedunt etiam antecedentia exigira à re ipsa. Hæc enim cum ab æterno futura sit, etiam ab æterno decretum exigit ipsam futuritionem causans.

Tandem falsum est decretum ab æterno efficax non habere ab æterno necessariò virtutem tractiuam voluntatis ad operandum, nam pro illo signo habere debet virtutem tractiuam voluntatis ad operandum, quo intelligitur efficax, cum autem sic intelligatur ab æterno, etiam ab æterno habebit hanc virtutem tractiuam.

Hic tamen pro certò tenendum est decretum hoc concomitans non ab omnibus Scotistis propugnari. Sunt enim aliqui, qui etiam præuium ponunt, adeout propugnent motionem præuiam, necnon determinationem, moralem tamen, non verò physicam Thomisticam. His subscribunt eximii Scotistæ Hispani, Herrera *in 1 disp. 15. quæst. 8. 9. 10 & 11. & dist. 24 quæst. 1.* Rada *cont. 30. tom. 2.* necnon Fuentes 2. *Physic. quæst 5. dist 3.* & hoc, quia opinantur absque prædeterminatione ægre intelligi causam secundam primæ subordinatam, & perfectissimè dependentem, propter quam subordinationem Thomistæ excogitarunt physicam præmotionem. Diffident tamen isti nihilominus à Thomistis, quia præmotionem hanc nolunt physicam esse, sed moralem, similem ei, qua voluntas in homine mouet potentias inferiores nulla physica qualitate, vel impressa, vel recepta, vel in hoc totam ipsam præmotionem consistere, quod operatio voluntatis prius respiciat causam primam, quam secundam, quem explicandi modum exponit, & sequitur Herrera *disp. 15. quæst. 8.* illis verbis. *Ita prædeterminat nostram voluntatem, quod voluntas nostra non manet prædeterminata ante actum per aliquam formam ipsi voluntati inhærentem, sed prædeterminat, quia operatio nostræ voluntatis prius respicit causam primam, quam secundam*; & alio in loco videl. *quæst 11. art 3. Prædestinatio nostræ voluntatis prius est à voluntate diuina, tamquam à prima causa, & deinde à se ipsa, tamquam à causa secunda.*

His

His adhæsisse conspicio doctissimum virum Franciscum Macedo *Collat. 9 diff. 3 §. 3.* præviam determinationem ponens prioritate naturæ, & non solùm dignitate, ac perfectione, quam posteriorem solam in suo concursu simultaneo fatetur Societas Jesu doctissima ex Eximio doctore *Francisco Suarezio*, ut videre est apud istum in *Metaph. disp. 22. sect 4.* Vult autem *Macedo* determinationem hanc, non lædere libertatem, sed potius ipsam fouere, deduci que ex principiis doctrinæ, quam præbent in hac materia doctissimi auctores Societatis Iesu, necnon ex Scoto manifeste deduci. Non lædit, inquit, libertatem, quia Deus immediatè per se mouens (vult enim motionem hanc non fieri media qualitate, melius media physica motione inhærente Thomistica) causam, ita mouet, sicuti hæc agit, cum autem modus agendi causæ libere connaturalis, liber sit, & ipsa diuina motio, vel determinatio consona erit libertati, eo vel maximè, quod sicuti voluntas se determinat, non tamen necessariò, sed contingenter, ita etiam poterit à Deo liberè, ac contingenter determinari.

Deducitur etiam ex principiis aduersæ partis Ratio est, quia communiter Patres Societatis docent causam primam determinare secundam ad actum quoad indiuiduationem, cum autem hæc determinatio certè non stet absque determinatione quoad speciem, jam utraque ponenda est. Quod autem prior absque secunda haberi non possit, inde constat, quod in actu secundo separari non potest ratio exercitii à ratione indiuiduationis: cum exercitium fiat per illud indiuiduum, & in eodem instanti, in quo indiuiduatur actus, ponatur voluntas in exercitio.

Fouet etiam libertatem, quia necessaria prorsus videtur causæ libere, ut agat, quia sublata hac præuia determinatione omnis ratio determinandi aufertur. Remanent enim solùm causa secunda in actu primò, cognitio creata, concursus Dei indifferens, omnesque circumstantiæ, quæ omnes, cum per indifferentiam se habeant, etiam voluntatem in sua indifferentia relinquent. Cum autem aliundè, ut agat, determinatio aliqua accedere debeat, hæcque optimè intelligatur posita determinatione prævia superius cursim explicata, hinc.

Est tandem Scoti, ut non parum colligitur ex his verbis, quæ habet *in 1. dist. 8. quæst. 5 num 25. nulla causa secunda causat, nisi prima causante causatum eius, & hoc prius naturaliter, quam ipsamet causa proxima causet.* In quibus verbis Scotus exprimit naturæ prioritatem illis verbis *prius naturaliter.*

Sed quidquid sit de Scoti mente, quam etsi assequi possem, assequi tamen non curo, cum difficilium, simulque onus explicandi mentem subtilis, Scotistis relinquam, qui concursui concomitanti magis adherent, quamvis diversimodè hic explicetur, ut non obscurè deducitur ex superiori fideliter relata doctrina Mastrii, & Pontii: hoc certum mihi est in hac re novissimum hunc Scotistam, cum à veritate, tum à choerentia doctrinæ recedere. Patet primum, siquidem libertas creaturæ difficulter intelligi potest motione prævia infallibiliter connexa cum operatione supposita: ea enim est natura causæ liberæ, ut in priori ad actionem indifferens sit, nullique extremo alligata, cujus indifferentia ad accessum sui actus tollatur: nec ob aliam rationem visio beatifica lædit libertatem indifferentiæ circa amorem Dei in Beatis, nisi quia hæc ad ipsam dilectionem, ita supponitur, ut voluntatem determinet per claram ostensionem summè bonitatis voluntati Beatorum. Non coherenter, quia si improbabilem opinatur hic Auctor esse Thomisticam sententiam, quia per præviam physicam motionem voluntas creata necessitareretur, pariter propter eandem rationem deberet hanc suam sententiam reprobare. Patet hoc, quia ad læsionem libertatis per accidens se habet, quod hæc determinatio prævia fiat media qualitate prævia (non deberet uti Macedo vocabulo qualitatis ad eplicandam D. Thomæ sententiam, sed aliud motionis, ut superius monui) vel immediatè à Deo, cum præmotio physica libertatem lædat præcisè, quia præviè determinat, non qua physicæ inhærens, quod adeò verum est, ut si præmotio physica intrinsecæ voluntati inhæreret, quin ipsam determinaret, libertatem non læderet.

Nec obstant superius allatæ rationes dubitandi. Non quidem prima, quia falsa est major. Non enim Deus mover causam liberam ad agendum liberè, si in priori ipsam voluntatem determinet, & coarctet: præterquamquod hoc argumento uti possent etiam Thomistæ adversus Macedo negantem physicam præmotionem.

Nec secunda ratio urget. Siquidem quænam quæso sunt principia adversæ partis. Principia Societatis Jesu, an Henrici scholæ. Priora certè non sunt, siquidem quilibet ex eadem doctissima Societate pro libito respondere poterit non obstante identitate in actu amoris intercedente inter individuationem, & exercitium posse Deum determinare ad primum, quin determinet ad secundum. Sicuti non obstante identitate in actu ab intrinseco malo in Thomistica sententia inter materiale peccati, ejusdemque formale, determinat Deus ad materiale, quin determinet ad formale Quemadmodum stante identitate inter essentiam divinam, & relationes, divina essentia induit rationem objecti determinativi, quin hanc rationem pariter induant relationes. Et ratio totius est, quia in ordine ad actum quoad ejus individuationem non sunt in voluntate creata motiva se determinandi; undè opus est, quod accedat divina determinatio: quæ motiva aliunde interveniunt quoad speciem actus, quia objectum proponitur, vel sub ratione boni, vel mali. Nec pariter adversus nostra principia procedit. Concedimus enim voluntatem divinam creatam determinare, tum quoad speciem, tum quoad individuum, quæ tamen determinatio concomitans est, non prævia.

Nec ultima ratio tandem efficaciter obtinet intentum, nisi dicere velimus physicam præmotionem, libertatem sovere. Est enim argumentum hoc Francisci Macedo vetustum, Thomisticæ scholæ in hac re satis solidum fundamentum, quod cum inferius solvendum sit, sicuti ubi de distinctione intellectus agentis à patiente, non est cur hic denuò solutio afferatur.

## CAPUT SEXTUM.

*Exponitur vera Henrici sententia, & defenditur.*

VEra in hac controversia sententia illa est, quæ & libertatem humanam salvat, & dominium Dei supra omnes causas secundas non destruit. Hinc Thomistica sententia à nobis rejecta est, quia quamvis supremum Dei dominium salvet humanam tamen libertatem lædit. Et illa ex opposito Jesuitarum eliminatur, quia quamvis humanam tueatur libertatem, supremum tamen Dei dominium minimè salvat. Nostrum itaque erit in

hac

hoc difficultate utrumque ſalvare, quod ut præſtemus.

Dicimus primò, cauſas ſecundas in actu primò compleri per diuinam Omnipotentiam, & proximè conſtitui potentes operari per ipſius adiutorium. Explicatur noſtra Concluſio; cum cauſæ ſecundæ ſint in duplici differentia, ut inſinuauimus, aliæ quippè liberæ ſunt, aliæ neceſſariæ, non æqualiter complentur in actu primò ab Omnipotentia, ſed cauſæ neceſſariæ cum à natura ſint determinatæ ad unum, & uno tantùm modo agendi vis illis inſit, ab Omnipotentia complentur ad unum, & ad illum modum agendi, qui eſt ipſis connaturalis, puta ignis, qui ut cauſa neceſſaria completur ab Omnipotentia tantummodò ad alium ignem producendum. At cauſæ liberæ, cum ex natura ſua indifferentes ſint ad utramque partem, ſiuè contrarietatis, ſiue contradictionis, ut indifferentes ab Omnipotentia compleantur, hoc eſt ad utramque partem potentes per illam redduntur abſque ulla determinatione ad unum potius, quam ad aliud, adeò ut ſolo actu primò conſiderato, etiam ut inuoluente diuinam omnipotentiam cauſa ſecunda libera, & indiſferens, & expedita ſit ad utramque partem, puta ad amorem v.g. & ad odium. Hinc per hoc, quod cauſæ ſecundæ potentes eſſe nequeant ad operandum, niſi à Dei omnipotentia compleantur, & adiuuentur, ſaluare benè poſſumus ſubordinationem cauſæ ſecundæ in actu primò ad Deum, ut patet. Hæc prima noſtra concluſio probatione non indiget. In primis communiter admittitur à Ieſuitis. A Thomiſtis verò ferè omnibus approbatur aſſerentibus præter præmotionem phyſicam requiri hunc ſimultaneum influxum teſte Goudin. Secundò quia ita ſaluare debemus dominium Dei ſupra omnes creaturas, ut creaturarum libertas in actu primò indemnis relinquatur, ſed poſito, quod creaturæ, ſiuè cauſæ ſecundæ compleantur per diuinam omnipotentiam indifferentem ſaluatur Dei dominium, ut patet, & indemnis relinquitur creata libertas; ergò dici debet Deum complere cauſas ſecundas in actu primò per ſuam omnipotentiam indifferentem, ſi cauſæ liberæ ſint, & hæc ſatis ſint pro conſtitutione actus primi.

Dico ſecundò Deus, ut cauſa prima, & generalis in exercitio actionis mouet, applicat, & coniungit actioni cauſas ſecundas in actu primò proximo per omnipotentiam completas, earumque indifferentiam, ſi liberæ ſint, in actu ſecundò determinat ad hunc potius, quam ad illum effectum, non alia tamen determinatione, quam ipſa eadem, qua ſe cauſa ſecunda determinat, hoc eſt eas determinat eadem actione, qua agunt. Explicatur Concluſio. Sit Petrus nunc eliciens actum amoris, Deus ut cauſa generalis illum determinat ad eliciendum amorem, non per aliquod prævium ſe tenens ex parte actus primi, ſed per ipſum actum, quo Petrus eligit amorem; itaut idem actus ſecundus amoris, & ſit motio, qua Petrus in actu ſecundo ſe mouet, & ſit motio, qua Deus Petrum mouet, & applicat ad amorem, illumque ſibi ſubordinat in actu ſecundò. Hæc eſt germana Henrici mens pluribus illuſtrata teſtimoniis à laudato Lodigerio, tum in tractatu de gratia loco citato, tum in tractatu de voluntate Dei *art.2.quæſt.1.*

Scio vobis valdè difficile videri, quomodo ſtet cauſam ſecundam determinari à prima in actu ſecundò vi ſuæ propriæ actionis, abſque eo, quod Deus aliquid præuium ad ipſam actionem ponat in cauſa ſecunda, immò abſque eo, quod Deus dicatur prius nec prioritate temporis, nec naturæ, nec rationis mouens, quam cauſa ſecunda ſe moueat.

Sed hoc faciliter explicatur. Siquidem nonne potentia habet in ſua poteſtate ſuos habitus, iiſque uti poteſt, quando vult? Certè. Pero modo, quando voluntas determinat habitum, illumquè applicat actioni, determinat, ne illum per aliquam qualitatem præuiam? Neutiquam profectò, ſed illum determinat per illam actionem, qua potentia, & habitus ſimul operantur. Item in Ieſuitarum ſententia nonne voluntas creata determinat omnipotentiam paratam concurrere indifferenter ad omnem operationem? & tamen illam non determinat per aliquod præuium ad ipſam liberam operationem ſed per ipſã operationẽ liberã, qua voluntas, & omnipotentia ſimul agunt. Sicuti ergò intelligibile eſt, quod habitus determinetur à potentia, omnipotentia Dei à voluntate creata per ipſam actionem, qua potentia, & habitus, qua voluntas creata, & omnipotentia agunt, & non per aliquod præuium; ſic pariter intelligibile erit, quod voluntas diuina determinet voluntatem creatam non per aliquod præuium ad operationem liberam eiuſdem voluntatis creatæ, ſed per ipſam operationem liberam.

Ex dictis Collige ſententiam noſtram mediare inter illam Thomiſtarum, & alteram Ieſuitarum. Conuenimus cum Thomiſtis in hoc, quod velimus cauſam ſecundam determinari à Deo, non verò Deum à cauſa ſecunda; diſcrepamus verò in hoc, quod dicimus cauſam ſecundam determinari à Deo non per aliquod ſe tenens ex parte actus primi, ſed per ipſum exercitium, quo cauſa ſecunda agit. Conuenimus cum Ieſuitis in hoc, quod cum ipſis ponimus totum actum primum cauſæ ſecundæ indifferentem utpotè completum per exhibitionem omnipotentiæ indifferentis; diſcrepamus verò in hoc, quod nos dicimus in exercitio actionis cauſam ſecundam determinari à Deo, non verò Deum determinari à cauſa ſecunda.

Probatur autem hæc noſtra ſententia duabus hiſce concluſionibus expoſita, Deum nempè in actu primò ſubordinare ſibi cauſas ſecundas per exhibitionem ſuæ omnipotentiæ, in actu ſecundò per hoc, quod eas ad agendum determinet per earum actiones. Illa ſententia cæteris eſt anteponenda in hac controuerſia, quæ certius, & melius ſaluat tum ſupremum Dei dominium, tum creatam libertatem; ſed noſtra ſententia utrumque commodè, & optimè ſaluat; ergò. Maior eſt certa. Totus enim tum Philoſophorum, tum Theologorum in hac controuerſia labor eſt in concilianda diuinæ voluntatis efficacia, ac per conſequens diuinum, & ſupremum dominium cum humana libertate. Minor quoad primam partem, ſcilicet quod ſententia noſtra ſupremum Dei dominium ſaluet, patet. Conſidera enim actum primum, ſtatim videbis cauſam ſecundam Deo ſubordinari, utpotè indigam adiutorio diuinæ omnipotentiæ. Conſidera autem actum ſecundum, ſtatim videbis cauſam determinari à Deo, non verò Deum à cauſa ſecunda; hoc autem nihil aliud eſt, quam munus ſupremi Dominatoris.

Quoad ſecundam verò partem, quod nimirum ſaluet humanam libertatem, poteſt dubitari reſpectu actus ſecundi, nam reſpectu actus primi certa eſt, cum per nos totus actus primus ſit indifferens. Probatur itaquè, quod ſaluet libertatem etiam in actu ſecundo, pro ut ſcilicet aſſerimus cauſam ſecundam determinari à Deo. Eſt impoſſibile libertatem euerti ex vi illius determinationis, quæ non ſe tenet

net ex parte actus primi, sed solum ex parte actus secundi, immò quæ est ipsum exercitium libertatis, atqui determinatio voluntatis creatæ descendens à divina prædefinitione modo explicato non se tenet ex parte actus primi eiusdem voluntatis, sed ex parte actus secundi, immo est formaliter ipsum exercitium libertatis creatæ; ergò est impossibile libertatem creatam everti ex vi determinationis descendentis ab efficacia divinæ prædefinitionis. Maior certa est, nullus enim affirmare potest libertatem everti per ipsum actum, quo ipsa exercetur. Minor vero probatur. Determinatio voluntatis creatæ descendens à divina prædefinitione formaliter desumitur ab eo, quod ponitur in voluntate ex vi talis prædefinitionis, sed ex vi talis prædefinitionis, qua Deus vult actum liberum, nihil ponitur in voluntate, quod se teneat ex parte actus primi, sed solum ex parte actus secundi, immo id, quod ponitur non est aliud, quam ipsa actio libera, ipsumquè exercitium libertatis efficaciter volitum; ergò hæc determinatio formaliter accepta non se tenet ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi, immo est ipsum exercitium libertatis creatæ.

Cōst. ex discrimine, quod intercedit inter Thomistas, & nos; siquidem Thomistæ volunt divinum decretum efficax ponere in voluntate creata, vel virtutem aliquam se tenentem ex parte actus primi, per quam completur virtus activa voluntatis, vel saltem applicationem ad agendum præviam actui secundo, in quo aliqua præmi videntur difficultate in saluanda libertate creatæ, cum non satis percipi possit, quomodo voluntas creata libera sit, cum iam ponatur determinata ad unum, puta ad agendum per aliquod prævium ad ipsum exercitium libertatis. Nos autem asserimus per decretum efficaciter prædefinitiuum nil prævium poni in voluntate creata, sivè per modum virtutis, sivè applicationis, sed præcisè ipsum exercitium liberum voluntatis creatæ. In quo licet voluntas creata subordinetur voluntati divinæ, non divina tamen creatæ, quià nimirum non voluntas creata divinam, vt volunt Iesuitæ, sed diuina voluntas creatam determinat ad agendum, quæ determinatio non contingit per aliquod prævium, sed per ipsum exercitium. Modo sic. Tota Thomistarum difficultas in saluanda libertate creata, inde oritur, quod ipsi ponunt decretum conferens voluntati creatæ aliquod prævium ad exercitium liberum ipsam prædeterminans ad unum, at per nostrum decretum nihil tale confertur voluntati creatæ, sed manet voluntas secundum totum actum primum, & secundum totum id, quod prævium est ad actum secundum indifferens, ergò nulla nos præmit difficultas, nec ullum dubium esse potest ex nostra sententia libertatem everti.

Neque dicant Iesuitæ decretum, hoc ipso, quod est determinativum, & applicativum voluntatis ad operandum debere esse per aliquod prævium; non inquam hoc dicunt, nam per ipsos voluntas creata determinat Omnipotentiam Dei secum paratam concurrere indifferenter ad omnem operationem, & non determinat per aliquod prævium ad ipsam liberam operationem, sed per ipsam; ergò à pari poterit Deus determinare voluntatem creatam non per aliquod prævium, sed per ipsum exercitium liberum voluntatis creatæ.

## CAPUT ULTIMUM.

*Aprobatur Henrici sententia solutione Argumentorum.*

Contra Henrici theorema multipliciter arguere solet adversa pars. Præcipuè tamen doctissima Societas Iesu, quæ existimans per decreta non regulata per scientiam mediam libertatem lædi, arguit sic. Decreta hæc prædefinitiva irresistibilia sunt, tam benè, ac sit physica præmotio, itaut his positis voluntas non possit non agere, & cum ex alia parte antecedant omnem nostram liberam determinationem, atque concipiantur independenter ab omni scientia media, videtur, quod libertati creatæ non minus opponantur, quam opponatur Thomistica præmotio.

Respondeo argumentum hoc, quod sub multiplici forma promovet ex nostris Illustrissimus Lodigerius in materia de Deo volente, & præcipuè, ubi statuit decreta per scientiam mediam non regulata, in integrum solvi, si advertamus decreta in ratione liberi constitui per ipsam actionem, per quam creaturæ operantur, & hoc quia in schola Henrici forma defectibilis ipsum decretum liberum vel defectibile constituens, non est reperibilis ex parte Dei, quidquid in oppositum Ioannes à S. Thoma, Godoy, Cardinalis Iosepn Saenz de Aguirre, alique affirment cum omnibus Thomistis. Hoc ipso autem, quod sic decretum constituitur; iam patet impotentiam omnem resultantem ex decreto esse consequentem, libertati propitiam, adeoquè ex capite libertatis Patres societatis non efficaciter contra nos arguere, nisi directè probent decreta Dei in ratione liberi constitui non posse per actionem ipsam contingentem, quod tamen cum Henricistis sustinent ex eadem societate Iesu quamplures, & præcipuè Vasquez 1. *part. disp.* 80. *cap.* 2. Atubal 1. *part. disp.* 53. *cap.* 3. Quiros, aliique, quos refert in suis Theologicis disputationibus Eminentissimus Cardinalis Ioseph Saenz de Aguirre *tract.* 3. *cap.* 16. *disp.* 36. *sect.* 3. multiplici via impugnans cum Thomistis, hoc decreti in ratione liberi constitutivum, quæ brevi calamo referre hic placet, ut in hac controversia Philosophi Henricistæ clariorem habeant notitiam.

Instat itaque primò. Decretum in ratione liberi constitui nequit per ipsam actionem, ergo necessitas resultans ex decreto est antecedens. Probatur antecedens. Decretum in ratione liberi supponitur ante ipsam actionem. Omnis enim causa supponi debet adæquatè, & non inadæquatè tantùm pro priori naturæ ad suum effectum, sed volitio libera Dei, quatenus libera in actu secundo, est causa omnium creaturarum existentium, & futurarum; ergo volitio Dei libera, qua libera in actu secundo, debet supponi adæquatè in se constituta pro priori naturæ ad quaslibet creaturas existentes, & futuras. Urgetur hoc idem. Divina voluntas, non modo est prior natura, & causalitate quolibet effectu suo, quatenus potest illum in actu primo causare, sed etiam quatenus causans illum in actu secundo, ut patet ab instantia, & inductione quarumlibet causarum; atqui nullum effectum causat necessariò in actu secundo, sed liberè, ut patet; ergò voluntas divina, non modo est prior natura, & causalitate quolibet effectu suo, quatenus libera in actu primo, sed etiam in secundo, atque adeò neutra ratione constitui potest inadæquatè per ali-

quem effectum. Quod si dixeris in ratione liberi constitui non per effectum causatum in tempore, sed per causalitatem, seu productionem, adhuc viget instantia, quia & hæc productio, utpotè creatura, effectus est volitionis liberæ Dei, adeoque qua ratione volitio libera constitui nequit per effectum in tempore, constitui non poterit etiam per productionem actualem.

Secundò, quia si constitueretur volitio Dei libera ex ipso effectu creato, jam volitio Dei libera non esset causa creaturæ existentis, quod tamen est falsum. Patet hoc, quia nullum complexum essentialiter utcumque coalescens ex duobus, est vera causa alterius illorum: quin potius est quodammodò effectus uniuscuiusque amborum instar partium constituentium, quæ quodammodò priores esse debent suo toto, veluti causæ intrinsecæ ipsius; sed si volitio Dei libera constitueretur ex actu necessario, & creatura existente, esset complexum quoddam ex istis coalescens; ergò volitio Dei libera non esset causa creaturæ existentis.

Et confirmatur hoc. Ideò scientia visionis in nostra sententia adversus Thomistas non est causa futurorum, quia hæc supponuntur ad ipsam; sed etiam si volitio libera in ratione libera constitueretur per ipsam creaturam existentem, supponeretur ad ipsam volitionem; quodlibet enim complexum essentialiter constans ex duobus, quamvis unum in recto, & aliud in obliquo solùm veniat, necessariò supponit utriusque existentiam pro priori naturæ, sicuti omne constitutum supponit existentiam pro priori saltem naturæ principiorum constituentium; ergò.

Tertiò, quia nemo propriè exercet libertatem circa complexum aliquod, nisi pro libito ponat, aut totum illud, aut saltem aliquam illius partem; sed si tale complexum nihil aliud dicat, quam actum volendi, & productionem temporaneam, Deus ab æterno liberè nihil posuisset; ergò Deus ab æterno proprie non exercuisset suam libertatem. Probatur minor. Non exercuisset libertatem per entitatem volitionis Divinæ, quia hæc necessariò existit in Deo, non per productionem mundi, quia hæc solùm in tempore cæpit; ergò.

Quartò quia necessitas, quæ est ex causa rei, non est necessitas consequens, sed antecedens; sed decretum causa est honestæ operationis; ergò necessitas ex ipso resultans est antecedens.

Quintò Quomodocumque voluntas fiat impotens per nostrum decretum, sive impotentia antecedenti, sive consequenti, tamen hoc ipso, quod movetur, & determinatur à Deo, cadit à ratione liberi; ergò. Probatur antecedens ex conceptu causæ liberæ, quæ illa est, *quæ positis omnibus requisitis potest seipsam determinare, vel non determinare, non verò, quod potest ab alio determinari, & non determinari*. Secundò, quia Deus, ut determinans, non est minus potens, quam ut beatificans, sed ut beatificans tollit omnem libertatem, videlicet tum specificationis, tum exercitii, quapropter communiter docent Theologi, quod Beatus necessitatur ad amorem Dei utraque necessitate; ergò etiam ut determinans. Tertiò, quia decretum determinans, utpotè efficax, est omnino infrustabile, eo vel maximè, quod in nostra sententia inferuiat, veluti medium, in quo Deus futura bona videt: medium autem, in quo eandem subire debet infallibilitatem, & certitudinem, quam subit diuina cognitio, quæ cum sit etiam metaphisicè certa, decretum etiam esse debet metaphisicè connexum cum operatione, sed voluntas metaphisicè connexa cum operatione libera non remanet ad non operationem; ergò. Nec obstat, quod hæc necessitas consurgens se teneat ex parte actus secundi, quia de facto visio beatifica se tenet ex parte actus secundi, & tamen necessitas, quæ ex ipsa oritur in ordine ad actus dilectionis beatificæ, antecedens est, & læsiua libertatis actus beatifici.

Hæ instantiæ, quæ nō mediocris sunt momenti, & tendunt, ut ostendant decretum in ratione liberi constitui non posse per aliquod extrinsecum, tum quia volitio in priori ad quodlibet extrinsecum libera est, tum etiam, quia alias decretum ipsum causa non esset rerum, quæ existunt, tum tandem quia creata libertas non saluaretur, nihilominus opinor ad omnia sufficienter satisfieri posse. Et à primò incipiendo sunt ex nostris, qui aduersus Godoy, & Aguirre retorquent argumentum in ipsa terminatione intrinseca ratione distincta à decreto, quæ simul procedit à voluntate libera, & ipsam liberam constituit in actu secundo. Sed quidquid de hac retorsione, quæ mihi imbellis est, retorsio solida mihi est, quod optimè potest ipsa productio esse effectus causæ liberæ, simulque ipsam constituere, ut patet in ipsa actione creata libera, quæ effectus est causæ liberæ: nedum enim causa libera liberè vult effectum, verumetiam vult liberè actionem ipsam, qua vult effectum, cum tamen in actu secundo libera constituatur per ipsum exercitium liberum.

Ad secundùm verò dico optimè posse complexum aliquod ex pluribus coalescens esse alterius causam, ut patet in ipsa causa creata, quæ prout est actu operans, nihil est aliud, quam complexum ex causa, & ipsa actione, vt ciuius stat sub exercitio operandi, cum tamen, in ipso complexo unum sit causa alterius, scilicet causa suæ operationis. Nec obstat, quod additur, videlicet complexum posterius esse ad partes ipsum constituentes, sicque decretum quod veluti complexum est ex actu volendi, & creatura, veluti in posteriori esse ad ipsam creaturam, siquidem est hoc verum sit loquendo de complexo consurgente ex partibus, ut patet in ipso toto physico substantiali, quod consurgit ex materia, & forma unitis, falsum tamen est de illo, ex quo consurgunt partes, sicuti in simili docet noster Lodigerius *lib. 3. tract. 3.* in materia de diuina scientia, quod est respectus, qui oritur ex fundamento, & termini existentia, non sit ratio cognoscendi fundamentum, & terminum, est tamen respectus, ex quo pullulat ipse terminus, uti est ipsa diuina essentia sub respectu imitabilis, ex qua pullulant ipsa possibilia. Res enim ideo sunt possibiles, quia habent Ideam in Deo, non econtra ideo habent ideam in Deo, quia prius sunt possibiles. Quod autem sit possibile complexum, ex quo pullulent partes, hoc constat ex eodem medio, quo euidens est possibilem esse respectum, qui non pullulet ex fundamento, & termino, sed potius econtra, & sicuti ideo est possibilis respectus antecedens fundamentum proximum, & terminum, quia est possibilis respectus, qui causa sit existentiæ termini, ita in casu possibile erit decretum, quod veluti complexum ex actu, & actione temporali, prius sit ipsa actione, quia eiusdem causa est. Uno verbo sicuti stat, quod essentia diuina, ut imitabilis sit complexum ex ipsa, & possibilibus, cum hoc, quod sit possibilium causa, ita quoque stabit, quod Deus, ut decernens sit complexum ex actu volendi, & actione temporanea, cum hoc, quod decretum sit rei volitæ causa. In forma itaq; pro omnibus distinguo: nullum complexum coalescens ex duobus

bus est vera causa alterius, si complexum accipiatur adæquatè concedo, quia sic se ipsum causaret, si inadequatè subdistinguo; sic io partibus complexi nulla pars induat rationem causæ concedo, si induat, ut in casu nego. De facto enim (attende) creatura, ut actu operans complexum est ex creatura, & actuali operatione, quo tamen non obstante creatura causa est suæ operationis, ut cuius actu operans constituitur. Per quod patet disparitas ad illud de scientia visionis.

Tertium verò non urget. Deus enim ab æterno aliquod liberè voluit, cum ab æterno voluit suum velle applicarum productioni alicuius rei temporaneæ, quo fit, ut ab æterno sit, unde desumatur libertas, maximè cum ab æterno connotet actionem temporaneam.

Ad quartum verò dico, quod esto necessitas orta ex causa non constituta per operationem sit antecedens, non est tamen sic constituta, ut est decretum acceptum in nostra Schola.

Ultimum verò minus aliis urget, siquidem non aduersatur secundo libero ab alio determinari, ut optimè aduertit Divus Thomas *pr. par quæst. 83. ar. 1. ad 3.* & maximè, si ab alio non determinetur per aliquod prævium, sed unicè per eandem actionem, per quam causa ipsa libera se determinat, ut docemus nos. Nec officit, quod additur: disparitas enim obuia est. Ad liberè enim operandum tria requiruntur. Primò videlicet quod obiectum proponatur, ut potens mouere ad sui amorem, & odium, quod fieri nequit, nisi proponatur bonum mixtum malo. Simplex enim bonum, vel simplex malum necessitat ad amorem, vel odium. Secundò requiritur remotio cuiuslibet impedimenti ex parte actus primi se tenentis. Tertiò, quod Deus non neget concursum consentaneum causæ liberæ, qui prorsus indifferens est. Modo cum Deus intelligitur, ut beatificans, tollitur primum requisitum, quia voluntati obiectum proponitur, ut summè bonum. Nullum verò tollitur, dum intelligitur præcise determinans, cum hæc determinatio se teneat ex parte actus secundi, hinc constat, cur Deus, ut beatificans tollat utramque libertatem, nō verò, ut determinans. Tertiū verò nō urget, quia necessitas cōsurgens ex decreto se tenet ex parte actus secundi, quæ non est læsiua libertatis. Visio autem beatifica esto in se, & relatiuè ad sui principium se teneat ex parte actus secundi, non se tenet tamen comparatiuè ad fruitionem, cum sic potius concurrat ex parte actus primi, unde nil mirum, quod lædat libertarem.

Sed dices. Habitus determinatur ad operandum à voluntate, & non determinatur per aliquid se tenens ex parte actus primi, aut præuium ad ipsam actionem, quia una cum voluntate influit in actum; & tamen non liberè operatur; ergò etsi voluntas creata non determinetur à Deo per aliquid se tenens ex parte actus primi, aut præuium ad ipsam actionem, si tamen determinetur à Deo, dici non poterit liberè operans.

Respondetur, habitum exercitio libertatis non gaudere, non quià præcisè moueatur ab alio, sed quià electiuus cum non sit, ac nullam habens indifferentiā propriā principii liberi, dici non potest, quod liberè se determinet ad operandum. Voluntas autem creata non sic se habet, cum possit eligere inter unum, & aliud, habeatquè indifferentiam propriam potentiæ liberæ.

Arguunt secundò, & vltimò. Ideò nostrum decretum humanum non destruit libertatem, quià non se tenet ex parte actus primi ipsius voluntatis, sed hoc est falsum; ergò. Probatur minor: si sine hoc decreto actus secundus esse non potest, iam hoc decretum requiritur ad posse, & per consequens se tenet ex parte actus primi; sed per nos hoc decretum ità requiritur, ut sine illo esse actus non possit, ergò requiritur ad posse; adeoque se tenet ex parte actus primi voluntatis creatæ.

Confirmatur: defectus requisiti etiam per modum conditionis ad aliquam actum reddit excusabilem omissionem illius, sed per nos hoc decretum indispensabiliter requiritur ad actum saltem per modum conditionis; ergò actum omittens, cum deest tale decretum erit excusabilis, adeoquè erit peccans, & non peccans. Maior probatur, nam defectus Breviarii reddit excusabilem omissionem Officii diuini, sed Breviarium requiritur ad recitandum officium per modum conditionis tantum; ergò.

Respondeo distinguendo maiorem assumptam ad probandam minorem primi syllogismi, si requiritur hoc decretum, ità ut absquè illo actus esse non possit ex defectu applicationis, nego maiorem, & distinguo minorem. Per nos ita requiritur, ut absque illo actus esse non possit tanquam ex defectu applicationis concedo, ex defectu virtutis, qua constituatur posse ipsius voluntatis creatæ nego minorem, & Consequentiam. Certè usus libertatis ità requiritur ad actum, ut absquè illo esse non possit, attamen non requiritur usus libertatis ad posse, sed solùm ad actum. Cur hoc? nisi quia usus libertatis, idest actio non pertinet ad actum primum, nec est virtus, qua constituitur ipsum posse. Idem ergò dicendum est de decreto efficaci, sine quo actus esse non potest. Ad confirmationem disparitas est, quod Breuiarum est conditio requisita ad recitandum officium se tenens ex parte actus primi, quia nimirum sine illo, qui tenetur ad officium diuinum, ordinare nequit species, quibus compleat ipsum posse recitare officium, & ideò defectus Breviarii reddit excusabilem omissionem officii. Defectus autem decreti prædefinitiui est defectus requisiti per modum puræ applicationis, & ideò non reddit excusabilem omissionem actus præcepti.

Dices etiamsi hoc decretum requiratur per modum applicatiui voluntatis ad actum secundum, ex hoc tamen sequitur infallibiliter humanam libertatem non habere actum in sua potestate; ergò ruit solutio Probatur sequela qui non habet in sua potestate omnia requisita ad actum, non habet in sua potestate ipsum actum, atqui si requiritur decretum efficax ad actum, homo non habet in sua potestate omnia requisita ad actum; ergò. Probatur minor, quià homo non haberet in sua potestate decretum ipsum.

Respondeo negando sequelam, ad probationem nego maiorem uniuersaliter loquendo, & instari etiam potest in sententia Iesuitarum contrà nos arguentium; nam per ipsos ad liberè operandum requiritur decretum de concurrendo cum ipsa ad quamlibet operationem, hoc autem decretum, vi cuius indifferenter exhibetur creaturæ Dei concursus non est in potestate creaturæ, quamuis secundum ipsos in potestate illius sit uti concursu diuino ad quamliber partem; ergò falsum est, quod non habens omnia requisita ad actum, non habeat in sua potestate ipsum actum per modum causæ primæ, de cuius ratione est habere in sui potestate, & actum, & omnia requisita ad actum. Cæterum falsum est, quod absolutè non habeat in sua potestate ipsum actum, cum illum habeat saltem per modum causæ

se;

ſecundæ, & ratio univerſaliſſima eſt, quià nil plus requiritur ad libertatem cauſæ ſecundæ, quam quod ipſa poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi poſſit operari, & non operari; ſed hoc habet cauſa ſecunda libera, etiamſi non habeat in ſua poteſtate decretum efficax, aut prædefinitiuum actus, quod ſolum ſe tenet ex parte applicationis; ergò non requiritur ad libertatem cauſæ ſecundæ habere in ſua poteſtate divinum decretum.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quænam ſit cauſa determinans ad individuationemi effectus.*

Status huius difficultatis proponi etiam ſolet ſub his terminis, utrum nimirum detur determinata ſeries effectuum. Quæritur autem ſuppoſito, quod ad quemcumque effectum cauſæ ſecundæ ſimul cum ipſa concurrat Deus, utrum determinare hic, & nunc numero effectum potius, quam alium pertineat ad Deum, an verò ad Creaturam. Licèt enim v.g. calor, qui hic, & nunc producitur ab hoc igne, ſit hic numero calor, & non alius, ſit hoc individuum caloris, & non aliud, tamen cum individua ſimilia, quæ intra eandem ſpeciem caloris poni poterant, ſint non tot quin plura, controverſia eſt, utrum ratio, cur hic, & nunc ab hoc igne producatur determinatè calor. *A*, potius, quam calor *B*, aut alius ex infinitis poſſibilibus ſit ſpecialis aliqua exigentia ipſius ignis ratione ſui, vel ratione circumſtantiarum poſtulantium hic, & nunc potius calorem, quam alium ſimilem intra eamdem ſpeciem. An verò abſque ulla hujuſmodi determinata exigentia ad huncca lorem potius, quam ad alium ſe tenente, ſivè ex parte ignis, ſivè ex parte circumſtantiarum tota huiuſmodi determinatio pertineat ad cauſam primam, ita ut ignis tantùm exigat aliquem calorem in ſpecie, & eligere potius calorem *A*, quam *B*, ſit omninò arbitrium Dei volentis, & decernentis exhibere ſuum concurſum potius ad *A*, quam ad *B*,

Ulterius advertendum eſt, quæſtionem procedere tum da cauſis liberis, tum de naturalibus, ſive neceſſariis; puta an ratio determinans voluntatem ad eligendum potius amorem *A*. quàm *B*. odium *B*. quam *A*. ſit à Deo petenda, an ab ipſa voluntate, vel à circumſtantiis loci, & temporis de determinatione quoad ſpeciem jam ſatis dictum eſt in elapſa quæſtione.

### CAPUT PRIMUM.

*Ponitur, & probatur noſtra concluſio.*

Dicimus cauſas ſecundas tam neceſſarias, quam liberas determinari à Deo ad individuationem effectus, adeoque non dari ſeriem naturalem effectuum, ſed hanc petendam eſſe à Deo. Concluſio communis eſt apud recentiores, eamque eſſe ad mentem Gandavenſis videre eſt apud noſtrum Henricum Antonium Burgum *parad.* 6. *cap.* 11.

Probatur autem primò. Cauſa ſecunda poſitis omnibus requiſitis ad agendum, & ſi determinata ſit ad producendum in ſpecie, ſi cauſa naturalis ſit, puta ignis ad producendum ignem, adhuc eſt indifferens ad hunc, vel illum effectum numero producendum; ergò indiget aliquo determinante ipſam ad hunc numero effectum producendum; ſed tale determinans eſſe nequit, niſi Deus; ergò. Minor ſubſumpta, in qua ſtat tota difficultas, oſtenditur. Et in primis tale determinans eſſe non poſſunt circumſtantiæ loci, & temporis per ordinem, ad quas individuetur effectus, ut volunt Thomiſtæ; ergò tale determinans eſſe non poteſt niſi Deus. Probatur antecedens. Calores, qui poſſunt produci ab hoc igne, v. gr. non differunt ſpecie inter ſe, ſed ſi calor *A*. v. gr. eſſet hic determinatè per ordinem ad circumſtantias huius loci, & huius temporis, calor *B*. per ordinem ad circumſtantias diverſi temporis, ac loci, calor *A*. & calor *B*. differrent ſpecie inter ſe; ergò. Probatur minor, quia ex dictis in Logica illa differunt inter ſe ſpecie, quæ differunt in aliquo prædicato eſſentiali, ſed huiuſmodi eſt calor *A*. & calor *B* quia calor *A*. diceret reſpectum intrinſecum ad tempus, & ad locum ſpecie diverſa à tempore, & à loco, ad quæ dicit reſpectum calor *B*. ac proinde in tali diverſo reſpectu haberet diverſa intrinſeca prædicata eſſentialia, quia reſpectus intrinſecus ad terminos ſpecie diverſos, eſt prædicatum habens ſe ſupra puram, & præciſam hæcceitatem, ideoque prædicatum ſpecificum, & eſſentiale; ergò calor *A*. & calor *B*. eſſent ſpecie diverſi. Deinde, vel calor naturaliter producibilis ab hoc igne in his præſentibus circumſtantiis, atque iis præſentibus circumſtantiis adaptabilis, eſt unus, vel multiplex. Si primum hoc gratis dicitur, quia limitatio cauſæ ſecundæ hoc non poſtulat. Petit quidem, quod non poſſit hic, & nunc producere plures, & plures calores ſimul, non verò, quod non poſſit ex pluribus producere diſiunctivè unum, vel alium; per hoc enim ſufficienter diſtinguitur à potentia illimitata, & infinita; ergò debet dici ſecundum; ſed ſi hoc dicatur circumſtantiæ non determinant unum potius, quam alium, quia habent ſe indifferenter ad unum æquè, ac ad alium, nec eſt ratio cur exigant unum potius, quam alium.

Secundò dici non poteſt tale determinans eſſe habitudinem tanquam intrinſecam cauſis ſecundis, vi cuius hæ petant prius producere hunc numero effectum, deindè alium ordinatè, ut volunt nonnulli, ergò tale determinans non eſt niſi Deus Probatur antecedens. Talis habitudo, & determinatio cauſæ ſecundæ ad effectus producibiles cum intrinſeco ordine prioris ad poſterius duo importat, alterum ex parte cauſæ, alterum verò ex parte effectuum. Ex parte cauſæ quidem inclinationem ad dandam exiſtentiam prius uni effectui, quam alteri; ex parte verò effectuum importat, quod effectus *A*, v. g. ſit ex ſua natura primus, effectus verò *B*, poſterior, & ſecundus, ſed utrumque à verò alienum eſt; ergò. Maior eſt contrariæ ſententiæ explicatio. Minor autem primò quoad primam partem ſuadetur. Inclinatio agentis naturalis, utpote directa à Deo naturæ Auctore rationabilis eſſe debet, ſed huiuſmodi non eſſet, ſi inter effectus eiuſdem ſpeciei omninò ſimiles, ideoque æqualis perfectionis; ac bonitatis, inclinaret ad dandam exiſtentiam prius uni, quam alteri, unum alteri præferendo; ergò. Maior ex terminis manifeſta eſt, minor oſtenditur, quia ſicuti eſſet malè conſtituta Reſpublica, in qua æqualitas meriti non redderet æque ſperabilem uni, ac alteri conſecutionem dignitatum, ac præmiorum, & in qua certis legibus firmum eſſet, ut æqualis alteri, æquali poſponeretur, ſic malè eſſet conſtituta natura, ſi ex neceſſaria, & firma agentium propenſione inter effectus omninò æquales quoad recipiendam exiſtentiam, quæ maximum eſt inter bona, alii aliis præfeterentur, quamuis in bonitate

bonitate omnino æquales.

Adde quod inclinatio causæ ad effectum fundatur in proportione intercedente inter causam, & effectum, & ratione huius proportionis inclinat ignis ad calorem, aqua ad frigus; sed ubi est eadem perfectio, & eadem bonitas in effectibus, est pariter èadem proportio, ergò etiam eadem inclinatio.

Minor autem quoad secundam partem videlicet quod effectus ordinem essentialem prioris, & posterioris seruare non possint, ostenditur. Omnes effectus naturaliter producibiles ab eadem causa, v. g. ab eodem igne non differunt specie inter se, sed si haberent intrinsecum ordinem prioris, & posterioris inter se specie differrent, ergò. Minor explicatur, quia huiusmodi ordo fundari nequit, nisi in aliquo prædicato iisdem effectibus intrinseco, ratione cuius unus alium præcedere exigit, huiusmodi autem prædicatum inuehit differentiam specificam, ut patet in ipsis durationibus. Ideo enim mea duratio præsens, specie differt ab alia futura, quia ex intrinsecis prior est, & futura posterior.

Probatur secundò directè conclusio. Ratio, quæ excludit à causis secundis vim determinatiuam indiuiduationis est, quia ex effectibus omninò similibus non adest motiuum eligendi unum præ alio, sed hæc ratio non militat in Deo, cum ad eligendum non moueatur ab obiectis creatis, quia ex sua sola, & intrinseca bonitate est sibi tota, & adæquata ratio liberè volendi, & eligendi quæcumque liberè vult, & eligit, ergò Deus cum habet determinatiuam Indiuiduationis.

Confirmatur, quia dignitas causæ primæ, & primi liberi postulare videtur, ut ipsi tribuatur omnis, quæ tribui possit quo ad effectus creatos determinatio salua virtute intrinseca causæ secundæ necessaria, & indemni libertate causæ secundæ liberæ, sed ut patebit ex solutione obiectionum, utrumque commodè saluatur, & si Deus determinet, quoad indiuiduationem, ergò

## CAPUT SECUNDUM.

*Soluuntur obiectiones aduersariorum.*

Arguunt aduersæ partis Auctores contrà positum assertum multipliciter, & primò. Modi sunt essentialiter alligati subiecto suo determinato; uti duratio tempori determinato, ubicatio loco determinato, ergò possunt formæ esse saltem naturaliter alligatæ aliquibus circumstantiis determinatis.

Confirmatur, quia si res non Indiuiduantur per circumstantias loci, & temporis, nulla est assignabilis ratio, cur res semel corrupta non possit eadem numero naturaliter reproduci.

Respondetur distinguendo antecedens modi sunt essentialiter alligati suo subiecto multiplicabiliter concedo, immultiplicabiliter nego antecedens. Licèt enim, v. g. unio modalis Petri sit essentialiter alligata Petro, & non possit esse, nisi in Petro, ex infinitis unionibus tamen prorsus similibus unioni, quam de facto habet, non magis exigit unam, quam aliam; unde si de facto habet hanc, ideò habet, quia Deus determinauit hanc, & non aliam. Hinc si standum est in paritate allata, concluditur contrà aduersarios, nam licèt concederetur, quod res, quæ producitur hic, & nunc v. g. albedo sit alligata præsentibus circumstantiis, tamen sicuti modus alligatus cuicumque subiecto determinato non est unus, sed multiplex, ideoque ex multis possibilibus spectat ad Deum determinare potius unum, quam alium, ita neque una, sed multiplex albedo determinata ad præsentes circumstantias, ideoque pariter ad Deum spectabit hic, & nunc determinare unam præ alia.

Secundò satisfieri etiam potest argumento disparitatem afferendo in eo stantem, quod modi ex suo conceptu formali sunt ultimæ determinationis actus immediati, & actuale exercitium subiecti, ideoquè expertes omnis indifferentiæ, & ex sua natura afficientes subiectum; formæ verò, & res absolute indifferentes sunt ad hoc, vel illud subiectum, ad has, vel ad illas circumstantias; ergò per ordinem intrinsecum ad istas indiuiduari nequeunt.

Ad Confirmationem omissa solutione eorum, qui sustinent rem semel corruptam naturaliter reproduci posse, dico adhuc assignabilem esse rationem istamque jam fuisse allatam, ubi de appetitu materiæ erga formas corruptas.

Arguunt secundò, & ultimò promiscuè. Ordo per se est melior ordine per accidens, ergò ordo naturæ erit ordo per se, sed hic non stat absque serie effectuum, & eorum determinatione ad certas circumstantias; ergò. Secundo causa secunda attingit effectum etiam quoad indiuiduationem sua propria actione, ergò talis actio est determinata ad hunc numero effectum. Tertiò causa secunda se determinat ad speciem actus, ergò etiam se determinabit quoad indiuiduationem, cum ratio specifica identificetur cum indiuiduali.

Quartò, quià causa libera v. g. voluntas, Indifferens est ad plures actus amoris numero distinctos. Circà autem id, ad quod est indifferens liberè potest se determinare. Vltimò quià si Deus determinaret ad actus in Indiuiduo, ergò etiam ad actus malos in indiuiduo; ergò auctor peccati.

Respondeo ad singula, ad primum dico, nec omnem perfectionem tribuendam esse huic uniuerso, nec ordinem per se inter indiuiduum eiusdem speciei perfectiorem esse ordine per accidens, sed potius indebitum. Secundum non urget. Causa enim secunda attingit utiquè effectum etiam quoad indiuiduationem, non quià actio ex se sit determinata ad hunc numero effectum, sed quià determinatur ex coniunctione cum concursu causæ primæ. Ad tertium disparitas est, quià telarè ad speciem actus datur obiectum determinatiuum, quod non datur in odine ad actum in indiuiduo. Quartum verò facilis est solutionis, siquidem est utiquè voluntas indifferens ad actus plures in indiuiduo, sed indifferentia fundata in defectu, & negatione motiui, quæ indifferentia non sufficit ad hoc, ut possit se liberè determinare ad unum. Ad ultimum verò dico nullam esse specialem malitiam in hoc, quod Deus concurrat v. g. potius ad actum *A*, intemperantiæ, quam ad actum *B*, supposito, quod voluntas creata ipsa fit, quæ se determinet quoad speciem actus.

Et hic ut magis elucescat positum assertum aduerto ultra relatas duas sententias tertiam adesse, quam sustinet Nicolaus Martinez controversia secunda *Physicæ disp.* 4. *sect.* 9. Distinguit enim hic duplicem determinationem, unam nimirum se tenentem ex parte actus primi, alteram verò ex parte actus secundi. Prima determinatio toties reperitur, quoties ex parte potentiæ intelligimus causam contractam vel aligatam alicui determinato effectui, vel in specie, vel in indiuiduo. Determinatio verò ex parte actus secundi desumitur ex ipso actu secundo, uti cum Petrus in exercitio amoris diligit

Ggggg potius

potius amore *A*, determinata, quam amore *B*, dici potest, quod se determinet determinatione tamen si tenente ex parte actus secundi: Sic autem non datur series effectuum, quia determinatio non residet ex parte actus primi, nec fit recursus ad Deum. Sed Opinionem hanc quamuis omittam, ut noviter inuentam, non omitto tamen tanquam veram, siquidem si causa ipsa est, quæ in actu secundo se determinat ad indiuiduationem effectus, iam profectò deberet adesse ratio motiua mouens ad ipsam determinationem in actu secundo. Hæc autem non assignatur, non quidem in obiecto, quod ratione suæ bonitatis solum allicit ad amorem, nec in voluntate, quia hæc in actu primò iuxtà huius nouæ Sententiæ auctorem est indifferens, quapropter non approbat seriem effectuum; ergò semper recurrere debemus ad causam primam determinantem.

# DISPUTATIO TERTIA.

*De generatione accidentali, seu de alteratione.*

Cum causæ efficientes formam substantialem non generent, nisi prius per qualitates actiuas disponatur materia ad ejusdem formæ eductionem consonum est, postquam egimus de causa effectiva substantiæ, agere etiam de alteratione ad ipsam immediatè disponente. In hac itaque disputatione de alteratione erit sermo, simulq; de aliquibus conditionibus, seu circumstantiis, quarum aliquæ alterationem præcedunt, aliæ comitantur, subsequuntur aliæ. Sit itaque.

## CAPUT UNICUM.

*Breuis notitia affertur alterationis.*

Alteratio latè accepta *motus est ad qualitatem præscindendo ab eo*, quod qualitas sit, vel non sit corruptiva, in quo sensu veraciter dicimus aerem à luce, intellectum à cognitione alterari. Propriè tamen est *motus subjecti ad qualitatem corruptivam, vel ut alii dicunt, est mutatio in qualitatibus contrariis, aut mediis manente eodem subjecto sensibili*, v. gr. cum lignum ex frigido fit calidum. Qualitates autem contrariæ illæ sunt, quæ in eodem genere maximè distant, hujusmodi sunt calor, & frigus, humiditas, & siccitas. Mediæ verò, quæ inter utramque sunt, uti tepor est inter calorem, & frigus. Hæc dividi solet in Intensivam, & extensivam. Prima est, quæ fit in eadem parte subjecti, & vi cuius eadem subjecti pars ex tali fit magis talis ut quando eadem pars aquæ ex calida fit magis calida. Extensiva verò illa dicitur, quæ fit in diversis partibus subjecti, ut quando calor excurrit per plures partes aquæ, vel ligni. Utraque tamen motus est successivus, & continuus. Experientia enim constat lignum igni approximatum paulatim calefieri, & quidem continuò, quia agens necessarium, quale est agens naturale debitè approximatum, debet semper agere. His breviter descriptis, quæ aliunde diffusè tractat meus numquam satis laudatus Præceptor Magister Sosteneus Cavalli accerrimi ingenii vir, Theologorum decus, & in oratoria facultate longè excellens. Sit.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quomodo fiat intensio qualitatis.*

Difficultas hic proposita locum non habet in Cartesii aliorumque sententia. Etenim isti non mediocri facilitate ab ista se expediunt, cum enim doceant alterationem nil aliud esse, quam loci quandam mutationem, intensius lumen habebitur, quando materia lucida vehementiori motu agitatur. Intensior sonus, quando magis commovebitur aer, intensior odor, intensior sapor, intensior calor, intensiores qualitates omnes patheticæ (exceptis tamen coloribus) quatenus corpuscula, quibus organa sensuum commoventur, vehementiori translatione afficiuntur. Intensior verò nigror, quia partes corporis lucidi objecti ipsam lucem minus remittunt. Intensior tandem candor, partes corporis opaci radios magis reflectant, turbato quidem ordine in omnem locum, sed absque ulla alia eorumdem radiorum permutatione. Solùm itaque apud Peripateticos locum habet, qui cum arbitrentur qualitatem omnem esse aliquid absolutum rei, cujus esse dicitur, additum, in diversas de Intensione qualitatis sententias abjerunt quarū prima est Ægidii *quodlib.* 2 *quæst.* 14. & 1. de generatione *quæst.* 16. docentis qualitates intendi nil aliud esse, quam aquam ipsam deperdere plures gradus frigoris, vel ipsam frigiditatem in statu perfecto, itaut per puram depurationem à frigore calor ipse formaliter augeatur, & subjectum magis tale reddatur.

Secunda sententia illa est, quam tribuunt Auctores Durando asserenti intensionem fieri per productionem novæ qualitatis perfectioris prævia imperfectiori corrupta.

Tertia verò sustinet qualitatis Intensionem desumi à majori radicatione ejusdem indivisibilis qualitatis in eadem indivisibili parte subjecti absque ulla compositione graduum. Sic Thomistæ ex D. Thoma. Dissidium tamen est inter ipsos in modo explicandi majorem hanc radicationem. Sunt enim qui dicunt hanc consistere in hoc, quod qualitati communicetur perfectior existentia priori destructa. Sunt alii, qui affirmant consistere in majori eductione ejusdem numero qualitatis, existimantes per primam eductionem, qualitatem, quamvis perfectè eductam, tamen non esse eductam sub omni modo, sive totaliter, sed modo quodammodo imperfecto, unde provenit, quod intensa non sit, intendatur postea, si perfectiori modo educatur. Sic loquitur Capreolus *dist.* 27. *quæst.* 2 cui explicationi arrident aliqui Thomistæ. Sunt alii, qui tuentur majorē radicationem haberi per novam additionem modi importantis majorem novæ formæ explicationem, ita ut per talem modum forma ipsa intendatur, atque reddatur magis una, tollaturque ejus confusio, & materiæ potentialitas. Sic explicat radicationem Joannes à Sancto Thoma. Alii tandem diversa via procedentes defendunt hanc majorē radicationem consistere in perfectiori actualitate, seu in modo actualitatis majoris, qui superadditur essentiæ, existentiæ, & unioni qualitatis ad subjectum, ratione cuius modi intensior fit qualitas. Sic explicant Patres Complutenses *disp.* 4. de alteratione *quæst.* 9. *tom.* 2. Ex his autem modis, quibus in schola Thomistica explicari solet intensionis modus, duo ultimi plausibiliores sunt, & præcipuè plausibilior est peculiaris Joannis à S. Thoma, unde, & magis communiter receptus in schola Thomistica.

Quar-

Quarta sententia tandem propugnat qualitatis intensionem haberi per novam formæ, quæ intenditur, additionem, ita ut formaliter intensio non importet majorem ejusdem numero qualitatis radicationem, sed adventum, & productionem novæ formæ. Sic hanc explicant communiter Auctores omnes extra scholam D. Thomæ, præcipuè verò Suarez, Vasquez, Rubio, Granadus, Hurtado, Fonseca, Gabriel, Ocham, Toletus, D. Bonaventura *in 2. part. dist. & quæst. 1 art 1. ad 3.* Pontius, Mastrius, Illustrissimus Spinula, quibus omnibus adhæret ex nostris Magister Ventura proponens hanc sententiam, ut sequendam in via Henrici ubique docentis, sed præcipuè *quodlib 14. quæst. 3.* graduum intensionem, haberi per graduum additionem illis verbis: *Formæ accidentales sunt intensibiles, & remissibiles secundùm gradus perfectionis in essentia earum.* Unde hic miror, quomodo Suarez in sua metaphisica scripserit Henricum stetisse pro D. Thomæ sententia, cum luce clarius sit oppositum sentire. Cum Doctore ergò huic ultimæ subscribo, quæ ostenditur aliarum reprobatione, & quidem impugnando præcipuas sententias, quæ magis communiter sustineri solent. Sit itaque.

## CAPUT PRIMUM.

*Intensio qualitatis haberi nequit per perfectiorem radicationem eiusdem indiuisibilis qualitatis primo modo explicatam.*

HAnc maiorem radicationem, ut cansatiuam intensionis quamplurimi auctores per extensum reprobare solent, à nobis brevi ratiocinio reprobabitur præcipuas afferendo rationes, quarum prima innititur supra identitatem realem, quam defendimus in creatis inter actualitates essentiæ, & existentiæ, qua supposita sic argui potest. Ex duobus realiter identificatis nequit unum variari, seu destrui, altero inuariato, & remanente; sed dum qualitas quælibet intenditur, perseuerat eadem essentia qualitatis in esse physico, & actuali; ergò non poterit existentia mutari nova succedente perfectiori. Silogismus bonus est, sed quia eius vis tota innititur supra identitatem realem essentiæ cum existentia, quæ tamen à quolibet Thomista negatur, ideo aliam ratione efficaciorem amplector, quæ quamuis vulgata sit, vulgaris tamen non est, sicque proponi potest. Per illud formaliter qualitas redditur intensa, per quod formaliter redditur magis operatiua; sed per existentiam, quamuis perfectiorem, qualitas reddi nequit magis operatiua; ergò nec intensa. Maior liquet, qualitas enim prout intensa, est etiam magis operatiua. Probatur itaque minor. Per illud qualitas reddi nequit magis operatiua, quod non est ratio formalis agendi, seu non est virtus operandi, sed pura conditio, sine qua non requisita ad causandum; sed existentia non est ratio formalis agendi, vel clarius non est virtus actiua, sed pura conditio, sine qua non requisita ad causandum in genere causæ physicæ: ergò

Secundò. Impossibile est, quod talis qualitas habeat perfectiorem existentiam acquirere; ergò sic non poterit intendi. Probatur antecedens. Existentia commensuratur, & correspondet essentiæ; sed dum qualitas intenditur, essentia metaphysica qualitatis non perficitur, sed semper eadem perseuerat; ergò nec existentia fiet perfectior.

Tertiò. Si existentia aduentens præcedenti esset perfectior, esset talis, quia faceret qualitatem perfectiori modo existere; sed nequit facere qualitatem perfectiori modo existentem, cum semper faciat qualitatem existere per inexistentiam, atque tam prima, quam secunda existentia ponant totaliter qualitatem ipsam extra suas causas, ergò. Undè hic aduertendum est aliud esse, quod qualitas intensa existat perfectiori modo, aliud quod existat perfectiori existentia. Sunt enim duo inter se diuersa, & separabilia. Viuens enim rationale perfectiori modo existit, quam existat Equus, & tamen non existit perfectiori existéntia, prout hæc præcisè explicat rem formaliter esse extra suas causas.

Quartò. Quia omissa hac perfectiori existentia mihi videtur, quod potius hæc subsequatur intensionem qualitatis, quam ipsa illam præcedat, etenim valet: ideo hæc qualitas existit perfectiori existentia, quia intensa est.

Impugnatur tandem hæc sententia inquirendo, an quando aduenit perfectior existentia perseueret imperfecta, vel non. Si primum, ergò duæ existentiæ simul coexistentes in eadem subiecti parte faciunt intensionem, ergò etiam hanc facere poterunt duo gradus eiusdem qualitatis. Cur ergò recurrimus ad multiplicitaté existentiarũ Si verò dicamus secundùm, contra est, quia ut dixi imperceptibile est, quod eadem indiuisibilis qualitas fieri possit perfectius existens per unam existentiam, quam per aliam, cum existere nihil aliud sit, quam ponere rem extra suas causas, & extra nihil; sed entitas eo ipso, quod existit per primam existentiam, est omninò extra causas, ergò reddi non poterit perfectius existens per existentiam perfectiorem.

## CAPUT SECUNDUM.

*Qualitas nequit intendi per perfectiorem eductionis modum, ut procedit secunda explicatio.*

MOdus hic, quo ab aliquibus explicatur Intensio, verè est Diui Thomæ, qui secunda secundæ quæst. 24 art. 4. num. 3. docet intensionem fieri per hoc, quod eadem qualitas semel educta educatur de imperfecto ad perfectum, & ulterius per hoc, quod magis insit in subiecto, magisquè illi radicetur, nihilominus etiam hic explicandi modus reprobatur. Primò quià eductio nil est aliud, quam causalitas, per quam qualitas dependet à subiecto in genere causæ materialis, sed intelligi nequit, quod hæc causalitas, seù dependentia sit nunc maior, nunc minor, respectu eiusdem indivisibilis qualitatis, quia semper est adæquata; ergò nequit sic intendi.

Secundò qualitas magis intensa, qua talis est magis activa; sed per hoc, quod magis educatur de potentia materiæ, non potest eadem indivisibilis qualitas fieri magis actiua, quia eductio in ordine ad agendum transeunter habet se omnino impertinenter; ergò qualitas non fit magis intensa per hoc, quod magis educatur de subiecto.

Tertiò vel cum noua perfectiori eductione temanet alia præcedens, vel non, si primum; ergò sicuti una eductio cum altera facit intensionem, hoc idem pariter faciet unus gradus caloris additus alteri; si secundum, ergò quando in aqua calida remittitur calor, substantia aquæ habebit vim eductivam caloris.

Quartò Dum forma educitur, totaliter educitur, ergò non poterit de novo educi perfectiori modo; cum

cum possibilis non sit eductio, quæ maior sit forma totaliter educta. Probatur itaque Antecedens. Totaliter educi, est totaliter dependere à materia, tum in fieri, tum in conseruari, sed quælibet forma hoc ipso, quod ex materia educitur, totaliter habet dependere ab ipsa in fieri, & conseruari, ergò. Præterea forma ipsa capax est totalis eductionis, ex alia parte ad formarum productionem, quæ fiunt ex ipsa concurrit necessariò, seu in gnere causæ naturalis, ergò debet concurrere, quantum potest, cum causa necessaria agere habeat, quantum potest, ergò dum formæ ex ipsa educuntur, totaliter educuntur.

Quintò. Forma quælibet quò intensior, eo perfectior, sed quo magis educitur eadem indivisibilis qualitas non est perfectior, ergò per perfectiorem eductionem non intenditur. Probatur minor. Forma quælibet, prout explicat dependentiam, non explicat perfectionem; sed forma per maiorem eductionem explicat maiorem dependentiam, ergò quo magis educitur eadem indivisibilis qualitas non habebit explicare perfectius esse, nisi cum illa, noua eductione, & noua forma educatur, quæ cum præcedenti intensionem pariat. Tandem. In illo reponenda est intensio, in quo intelligitur maior actiuitas; sed hæc non intelligitur in eductione, sed in forma, quæ educitur, ergò intensio non habebit consistere in ipsa eductione. Quod si dicas ad perfectiorem eductionis modum consequi in forma maiorem actiuitatem, adhuc oppono, siquidem perfectior eductio non habet reddere qualitatem illam perfectiorem in essentia; ergò nec in linea activitatis. Patet hæc Consequentia, nam activitas cum ipsa essentia identificatur.

## CAPUT TERTIUM.

*Reijcitur tertius dicendi modus, quem sequitur Ioannes à sancto Thoma cum quamplurimis Thomistis.*

QValitatem intendi per noui modi productionem conferentem formæ maiorem sui explicationem in subiecto, ipsiquè maiorem unitatem, docet hic relatus Tomista vlterius affirmans per hunc modum magis auferri potentialitatem ipsam materiæ, nihilominus & hic proscribitur; non quidem ex eo, quod intelligi non possit hæc maior formæ explicatio, ut docet Pontius, & cum ipso sustinent alii, sed quià ineptam esse hanc nouam explicationem contendimus, & primo quià, si per hunc modum forma acquireret perfectiorem unitatem, vel hæc perfectior unitas esset partium inter sese, vel unitas numerica, vel specifica, vel trascendentalis; atqui nihil ex his affirmare possunt Thomistæ; ergò. Probatur minor, non primum, cum ipsi ponant qualitatem simplicem simplicitate integrali; nec secundum, nam cum per ipsos unitas numerica desumatur à subiecto, iam per maiorem radicationem nequit reddi magis una unitate numerica, cum semper remaneat idem subiectum. Nec tertium, quià maior radicatio formæ, seù ipsius maior explicatio, non habet augere unitatem specificam, maximè cum hæc consistat in indivisibili. Nec tandem quartum asserere possunt, cum unitas transcendentalis incrementum non patiatur.

Secundò quæro ab huiusmodi sententiæ sic explicatæ Desensoribus, an habeatur pura ipsius formæ maior explicatio, vel aliquid aliud, si hoc secundum afferant probabiliter asserendum erit horum sententiam à nostra oullatenus differtire. Si vero primum dicant; ergò forma non redditur magis activa, & consequenter nec intensa. Patet hoc, nam explicatio alicuius qualitatis ad summum esse potest conditio ad hoc, ut forma ipsa acquirat maiorem virtutem ergò si hanc in se non habet, per ipsam non habebit. Quinimmo addo explicationem formæ in subiecto, potius minuere eius activitatem iuxtà illud. *Virtus divisa infirmior.*

Tertia verò ratio procedit impugnando directè Id, quod docet Joannes à S. Thoma, & cum ipso sustinent quamplures Thomistæ, nimirum per additionem novi modi formam ipsam intensibilem auferre à materia majorem potentialitatem. Impugnatur inquam, quia dum per hanc novam explicationem formæ asserunt tolli majorem physicam potentialitatem materiæ, vel asserunt hanc tolli in ordine ad cæteras formas, vel in ordine ad ipsam formam, quæ explicatur; neutrum affirmare possunt; ergò per ipsam non tollitur hæc major potentialitas. Patet minor per suas partes. Primò enim dicere non possunt potentialitatem tolli in ordine ad cæteras formas, quia hæc explicatio non facit cæteras formas præsentes materiæ modo informativo, nec secundum dicere possunt, siquidem potentialitas physica, prout hæc importat actus primi carentiam, tam benè tollitur per formam, antequam explicetur, quam post ejus explicationem, cujus ratio est, quia hæc tollitur per informationem actus primi, sed forma tam benè informat materiam secundum se toram, & secundum omnem sui partem ante sui explicationem, quam post sui explicationem; ergò non major tollitur potentialitas materiæ in ordine ad ipsam post explicationem. Neque dicas post explicationem formam informare totaliter, quod antea non faciebat, siquidem forma quoties informat materiam, semper totaliter ipsam informat, cum informet ad instar causæ necessariæ; quamvis nequeat explere ipsius capacitatem in ordine ad cæteras formas.

Quarta ratio est, quia nulla mihi videtur esse necessitas affirmandi hanc majorem ejusdem indivisibilis formæ explicationem per additionem novi modi, cum intensio clarius, & rationabilius intelligatur per additionem gradus ad gradum in eadem subjecti parte, ut apparebit in objectionem solutione.

Hunc modum explicandi hanc majorem radicationem reprobant hic quamplures diversis rationibus videndis apud Mastrium, & Pontium, quas omitto, ne actum agere videar.

## CAPUT QUARTUM.

*Quartus dicendi modus relatus à Complutensibus reprobatur.*

QUalitatem intendi formalissimè esse ipsam acquirere perfectiorem qualitatem docent communiter illi omnes, qui Complutensium doctrinam sequuntur, & cum qualitatem, quæ intenditur, dicant acquirere perfectiorem actualitatem essentiæ, existentiæ, & unionis ad subjectum, ideò placet multipliciter insubsistentiam huius explicationis demonstrare, &

Primò. Actualitas essentiæ, quæ de facto convenit cuilibet rei ita est perfecta, ut perfectior esse non possit, cum consistat in certis prædicatis essentialibus, à quibus si unum demas, jam non remanet

net essentia, prout exigitur; si verò alterum addas, vel essentia tollitur, si sit prædicatum ipsi repugnas, vel superflua est talis additio. Præterquam quod pari modo se habet actualitas essentiæ, quo se habet ipsa essentia; sed rerum essentia non suscipit magis, & minus; ergò nec ipsa actualitas, adeoque hæc non poterit esse modo major, modo minor.

Secundò, quia actualitas, quæ conuenit existentiæ in ordine ad essentiam rei, est ipsam ponere adæquatè extra causam, sed hoc conuenit cuilibet existentiæ, ita ut nulla existentia sit, si verè existentia est, cui hoc non conueniat; ergò non datur hæc maior actualitas, hoc est maior existentia tem magis ponens extra suas causas. Quod si dicas dari existentiam, quæ tem totam ponat extra causas, aliam verò, quæ totaliter ponat. Contra hoc est, siquidē quæro. Est ne possibilis qualitas hæc totaliter extra suas causas. Puto certè, quod sint responsuri affirmatiuè huiusmodi explicandi defensores, aliàs per ulteriorem existentiam non poneretur totaliter qualitas extra suas causas. Hoc autem posito infero ego; ergò sic ponitur etiam per priorem existentiam, cum hæc habeat ponere, & terminare essentiam secundùm omnem sui capacitatem.

Tertia verò ratio procedit ex impugnatione perfectioris unionis, & primo, quia qualitas per id formaliter Intendi potest, per quod redditur magis actiua; sed per unionem reddi nequit formaliter magis actiua, unio enim non est virtus operandi, sed conditio, ut euidenter apparet in ipsa unione hipostatica, quæ non est vis sanctificatiua humanitatis assumptæ, sed pura conditio, sine qua non diuinitas infinitè non sanctificaret humanitatem, quidquid in contrarium doceat Amicus *sect.* 5 *num* 131. ergò.

Secundo illa unio perfectior, per quam qualitas intenditur, vel constat partibus in re distinctis, quarum una addatur præexistenti, dum fit intensio, vel non; si primum dicant; ergo jam omnia argumenta, quæ ipsi contra nos faciunt loquendo de additione gradus ad gradum in eadem forma obijci poterunt contra ipsos loquendo de additione partis ad partem loquendo de unione. Si verò secundum dicant, ergo iam talis unio est indiuisibilis, ergo hæc dum producitur, tota simul producitur; ergò esse non poterit modo minor, modo maior.

His autem breuiter reiectis remanet affirmandum qualitatis intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, quod assertum infallibiliter sequitur ex dictis, maximè cum plura intendantur absque ulla contrarii ablatione, ut euenire solet in lucis intensione, & gratiæ sanctificantis, quinimmo sæpè sæpius habitus intellectuales sic intenduntur, undè affirmare non possumus qualitatis intensionem haberi per depurationem à contrario, ut defendit prima sententia. Quod si positiuam rationem optas illa esse potest, quod concesso hoc explicandi modo, nempè intensionem fieri per additionem gradus, ad gradum, nulla sequitur repugnantia, & aliundè ad veram qualitatis intensionem non parum conducit.

## CAPUT QUINTUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Arguit primo M F. Ioannes à Sancto Thoma. Si fieri potest intensio absque additione formæ, & entitatis, talis modus faciendi intensionem est superfluus; sed de facto fieri sic potest; ergò maior est certa, siquidem multiplicatio entitatum, quantò minor fuerit, eo est naturæ conuenientior. Probatur minor. Potest fieri intensio per hoc, quod forma eadem numero manens magis communicetur subiecto, seu per maiorem sui communicationem absquè ulla additione nouæ formæ ad subiectum, ergò. Probatur antecedens multiplicitet, & primò eadem anima absque additione novæ entitatis habet uniri materiæ aduenienti per nutritionem, & in diuersis partibus diuersos effectus præbere per hoc præcisè, quod ipsi nouæ materiæ communicetur; ergò à pari non repugnabit, quod eadem qualitas numero intendat subiectum per hoc, quod magis communicetur subiecto absque additione novæ partis.

Secundò eadem gratia entitatiuè per hoc præcisè, quod uniatur diuersis subiectis habet tribuere diuersum effectum, si enim vniatur nobis, tribuit denominationem Filii adoptiui, quam non tribuit Christo Domino, ergò etiam eadem forma entitatiuè potest explicare diuersos effectus formales, nempè maioris, vel minoris intensionis absque sui additione propter majorem, vel minorem subiecti dispositionem, ob quam magis, vel minus se communicat.

Tertiò eadem subsistentia diuina indiuisibilis communicata naturæ diuinæ reddit ipsam infinitè subsistentem, communicata verò naturæ creatæ, finitè tantum, & hoc nonnisi propter naturarum diuersam dispositionem, atque capacitatem.

Quartò, quia per hoc præcisè, quod eadem indiuisibilis essentia diuina se magis communicet intentionaliter intellectui beatorum reddit intellectum, veluti subiectum fecundationis magis fecundum; ergo etiam in linea physica, hoc contingere poterit per hoc præcisè, quod eadem indiuisibilis qualitas se magis communicet subiecto.

Respondeo veram intensionem fieri non posse, nisi intercedat additio gradus ad gradum; nec officit, quod asseritur de forma viuente rationali. Hæc enim cum sit forma spiritualis, repugnat omnino quod dicat partes intensas, per quas se communicet novæ materiæ, & ex alia parte, cum sit virtualiter extensa, & diuisibilis, poterit optimè se communicare novæ materiæ absque sui additione etiam propter sui eminentiam, ut aduertit hic etiam Suarez. At qualitates physicæ, cum admittant partes graduales sui, tam in eadem parte subiecti, quam in diversis, congruum est, quod huius intensio non fiat, nisi per additionem novæ formæ. Diuersi autem effectus, quos anima tribuit in diuersis partibus materiæ elaboratæ, non proueniunt ab Anima, qua diuersi sunt, sed à diuersitate organizationum existentium in diuersis partibus corporis, cum hos explicet ratione diuersarum organizationum. Anima enim quantum est de se, sicuti in oculis videt, ita etiam, quantum est de se posset in qualibet alia corporis parte; si in qualibet adessent organizationes à natura determinatæ in ordine ad visionem.

Ad secundam verò paritatem disparitas est, quia eadem gratia sanctificans in uno subiecto inuenit capacitatem pro uno effectu, in alio verò non, unde oritur, quod diuersas tribuit denominationes: at in casu eadem qualitas absque noua additione nequit tribuere denominationem magis, vel minus intensi. Cum enim eadem numero qualitas sit capax, ut denominetur magis intensa, & pariter subiectum capax sit talis denominationis, non est cur non semper sic denominaretur, si noua graduum additio non exigeretur. Per quod patet solutio ad tertium.

Ad ultimum vero disparitas est, quia essentia diuina est in se infinita in linea repraesentatiua, & intelligibili, adeoque nil mirum, si per hoc praecise, quod accedat maior sui communicatio, magis intellectus beati secundetur: at verò cum in Physicis quaelibet qualitas finita sit, ut sui subiectum magis intensum reddat, non sufficit, quod se magis communicet, sed ulterius exigitur, quod prius per nouam graduum additionem se perficiat.

Arguunt secundò pluribus conglobatis rationibus alii, & primò. Si intensio fieret per additionem gradus ad gradum non esset eadem qualitas, quae intenderetur, ac remitteretur, quod tamen affirmari nequit, cum eadem qualitas intendatur, ac remittatur. Secundò sequeretur qualitatem ipsam intensam, dum ageret non per unicam actionem agere, sed per plures, quia tales actiones non procederent ab unica qualitate, sed à pluribus qualitatibus. Tertiò, quod motus intensionis non esset circa eandem qualitatem, sed circa diuersas, eo quia intensio terminaretur iuxta sententiam, quae impugnatur ad nouam qualitatem producendam.

Resp. ad omnia, & ad primum opinor adhuc salvari eandem esse qualitatem, quae intenditur, & remittitur, quamvis fiat per graduum additionem, sicuti idem homo est, qui augetur, & decrescit, quamvis augumentum, & decrementum fiant per additionem, vel detractionem novae partis materiae. Eadem autem qualitas intenditur, & remittitur, quia augumentum, & graduum decrementum fiunt circa eandem qualitatem. Ad secundum verò dico qualitatem intensam unica actione agere, sicuti formae substantiales materiales non obstante, quod pluribus partialibus formis substantialibus componantur, adhuc unica actione operantur. Tertium veró non urget, esset enim circa eandem qualitatem, ut intendendam, quamvis per talem motum intensionis novae qualitates partiales producantur.

Arguit tertiò Cavino. Qualitas in sui intensione perficitur, eum fit robustior, & crescit ex parte subjecti, ex parte cujus habet suam perfectionem; sed si ipsa intensio fieret per additionem novae partialis qualitatis per intensionem non perficeretur; ergò. Probatur minor. Qualitas, quae de novo superadditur, vel est aequè, vel minus, vel magis perfecta; sed nullum ex his potest qualitatem ipsam perficere; ergò. Minor suadetur per partes, quas continet, & in primis perfici non posset, si pars formae, quae de novo additur, esset imperfectior, quia nulla pars perficitur ab aliquo sui generis imperfectiori, neque si pars sit aequè perfecta; nam pars aequè perfecta non continet perfectiorem gradum, aliàs non esset aequè perfecta, sed perfectior; ergò nequibit perducere primam qualitatem ad perfectius esse. Probatur haec consequentia, quia impossibile est rem aliquam producere formam ad gradum non habitum juxta illud; *nemo dat quod non habet*; ergò solùm poterit multiplicare perfectionem, non verò augere praecedentem, eo modo, quo nummus argenteus additus alteri aequè perfecto, potest quidem multiplicare perfectionem, non tamen priorem facere perfectiorem. Neque tandem si pars esset perfectior, quia sic contineret ejus perfectionem, vel gradum, & consequenter illam magis excluderet, quam perficeret. Patet hoc nam partialis forma, quae additur, si est perfectior prioris, debet perfectionem prioris continere, & insuper aliquid plus. Forma autem eminentior, vel perfectior inferiorem excludit, cum subjecto tribuat, quidquid inferior habet.

Respondeo argumentum hoc militat etiam contra illos Thomistas, qui sustinent intensionem qualitatis fieri per additionem modorum realium, siquidem, vel isti modi sunt aequè perfecti, vel unus est altero perfectior, vel imperfectior. Quidquid enim dicent eorum argumentum in integrum redibit. In forma itaque pro omnibus dicendum est, gradus advenientes esse aequè perfectos, ac sint praeexistentes, qui una simul cum praeexistentibus habent reddere qualitatem perfectiorem, quamvis seorsim à praeexistentibus ipsam sic reddere non valeant, nec hoc mirum esse debet, cum certum omninò sit rationes importantes perfectionem, si uniantur, perfectius esse tribuere debere, quemadmodum rationes importantes causalitatem inadaequatam, & partialem, si inter se uniantur, opus est, quod tribuant causalitatem adaequatam.

Arguit quartò idem. Si qualitas augeretur intensivè per additionem novi individui partialis qualitatis ad praeexistens non fieret se ipsa intransitivè perfectior; sed tantùm per juxtapositionem unius ad aliam; consequens est alienum; ergò. Minor constat, quia intensio qualitatis, v. gr. charitatis in subjecto non benè explicatur dicendo per illam idem transire de minori diligente ad majorem diligentem, sed de minus ad magis diligentem. Iuxtapositio autem unius ad aliam non facit magis, sed majorem, ut patet in partiali igne juxtaposito alteri partiali, ubi tantum fit major, non magis. Major autem probatur in eodem igne, qui ideò dicitur tantùm crescere per juxtapositionem, quia fit additio partialis ad materiam partialem.

Respondeo qualitatem augeri, non quidem si metaphysicè inspiciatur, sic enim est incapax augumenti, cum in indivisibili consistat, sed augeri, & incrementum accipere, si physicè consideretur, quo modo non perficitur solùm per juxtapositionem, sed etiam intransitivè, quia redditur illa qualitas magis operativa. Major autem activitas est ratio inferens majorem intrinsecam perfectionem in forma talem activitatem habente, quapropter Joannes à S Thoma docet accidens habere non posse activitatem radicalem, simulque esse imperfectius in ratione entitatis relatè ad substantiam, & hoc nonnisi, quia activitas radicalis est perfectio essentiae.

Arguit quintò idem Thomista. Intensio qualitatis est augumentum formae in subjecto; ergò debet fieri per majorem ejus radicationem, non per additionem in illo. Antecedens est certum, quia qualitas in intensione crescit. Consequentia verò probatur. Augumentum formae in subjecto, si fiat per solam majorem communicationem qualitatis sine nova additione convenientius est, tum naturae intensionis, tum ipsius formae; ergò ita debet fieri. Probatur antecedens. Multiplicatio entitatum tunc est conveniens naturae formae, & intensionis, quando fuerit minor, si haec non sit impossibilis, nec inconveniens; sed intensionem fieri per solam communicationem majorem ejusdem qualitatis absque additione, nec est impossibile, nec inconveniens; ergò. Major patet, nam natura non multiplicat absque necessitate. Minor vero probatur, primo, quià intensio ex terminis est continuata eductio, non noua eductio; ergò petit fieri sine additione. Patet haec Consequentia, quià ubi est additio, non est continuatio eductionis, sed noua eductio. Secundò, quià de ratione intensionis est, quod eadem forma manente fiat perfectior, & virtuosior, sed perfectior fit, & vir-

virtuosior absque additione; ergò. Probatur minor. Forma tunc est multiplex in virtute, quantò est simplicior,& eminentior in entitate, ut paret in Anima rationali, & ex trito principio, virtus unita fortior,& quià ratio unius spectat ad lineam boni; ergò nullum est inconueniens, nec impossibile, immò magis conducit ad perfectionem formæ, quod intendatur absque additione per solam maiorem sui radicationem.

Respondeo formæ, pro ut intensæ minorem graduum multiplicationem non esse convenientiorem, sed potius propitiam esse ipsam graduum additionem, quemadmodum econtrà decremento qualitatis convenientius est decrementum graduum ipsius qualitatis, maximè cum maior communicatio eiusdem qualitatis absque noua additione non valeat qualitatem ipsam intendere, ut superius ostensum est. Vodè in forma concesso Antecedenti negatur Consequentia, ad cuius probationem nego maiorem ratione primæ partis, quam continet, ad cuius probationem concessa maiori nego minorem, ad cuius probationem dico, quod etsi forma intendatur per nouam formę aditionem, adhuc haberi, quod intensio fit continuata eductio, & quidem eo tempore, quo de nouo pars formæ educitur, quinimmò melius explicamus ipsam formæ intensionem esse continuatam eductionem per additionem partis ad partem, quam per puram eiusdem numero formæ communicationem.

Patet hoc, siquidē cum motus intensionis cōtinuus fit, conti nuata etiam eductio esse debet. Positoautem quod intensio fiat per continuatam productionem partialium formarum, optimè intelligimus continuare ipsam eductionem, cum interveniat formæ continuata productio concurrente materia in genere causæ materialis. Vbi enim intelligimus formam successivè, & continuò produci, de facili etiam intelligimus eductionem continuatam, quæ aliunde intelligi nequit in Thomistica sententia, in qua cum nihil fit, quod de nouo educatur ipsius formæ, nec affirmari poterit, quod ipsa fit continuata eductio præexistentis qualitatis. Ratio autem, cur intensio non vocetur noua eductio, sed nomine eductionis continuatæ, non est, quià dum intenditur qualitas, noua partialis forma homogenea non producatur, sed quià ipsa forma in gradu remisso prius intelligitur præexistere, undè nouæ formæ partialis productio continuata eductio noncupatur.

Arguit sextò idem Magister Cavino. Æqualitas adueniens si uniretur præexistenti, vel uniretur per continuationem, vel per identitatem, vel per compositionem, sed ullo modo ex his intensio euenire potest; ergò. Probatur minor quoad singulas partes, & primo quoad primam, quia prædicta continuitas nequit omnibus qualitatibus conuenire, cui tamen conuenit intendi, ut patet in formis spiritualibus, quod enim continuum est, diuisibile est, diuisibilitas autem, cum repugnet formæ spirituali, repugnabit quoque illi intendi per continuationem. Nec potest intendi per identitatem, nam implicat, quod ea, quæ semel realiter sunt distincta, sint realiter idem; sed gradus aduenientes formæ præexistenti sunt realiter strictè distincti à forma ipsa; ergò est impossibile, quod uniantur per identitatem. Neque tandem per compositionem, quia pars illa, quæ se haberet, ut materia non esset actiua, vel operatiua per se, sed solùm quando haberet actum suum informatiuum, cum tamen pateat oppositum ex experientia, cum non solùm pars intensa adueniens, sed etiam remissa actiua, vel operatiua sit, & actualis. Secundò quia omnes huiusmodi gradus sunt eiusdem rationis, ergò nequeunt se habere per modum materiæ, & formæ, vel actus, & potentiæ ad constituendum unum per compositionem.

Respondeo gradus ipsos uniri per compositionem & continuationem, non quidem in diuersis partibus subiecti, sed in eadem parte. Nec officit, quod affertur de formis spiritualibus, cum etiam istæ sic intendantur. Formæ enim spirituali, ut dictum est, repugnat solùm diuisibilitas in plures partes extensas, non vero continuatio plurium graduum spiritualium, & additio præexistentibus. Gradus autem aduenientes præcedentibus non sic uniuntur, ut aliqui habeant rationem materiæ, alii vero rationem actus, sed uniuntur per modum formarum partialium, quarum quælibet importat propriam peculiarem actiuitatem, & habet vim materiæ informatiuam.

## CAPUT ULTIMUM.

*Tria alia referuntur argumenta cuiusdam Recentioris Thomistæ, simulquè ipsis fit satis.*

Arguit primò in suis manuscriptis quidam doctissimus Thomista. Si intensio qualitatis fieret per additionem gradus ad gradum, sequeretur infinitum actu à parte rei, sed hoc repugnat, ut dictum est in Physica, ergò. Probatur sequela maioris sui explicatione. Accipiamus lignum palmare æque calidum secundùm omnes partes, tunc in quacumque parte proportionali ligni sunt partes æquales caloris in eadem intensione, ergò ibi est infinita intensio, & sunt infinitæ partes æquales in intensione; sicuti si essent infinitæ partes quantitatis proportionales æquales, vel aliquotæ, quantitas esset actu infinita, ergò cum sint infinitæ partes qualitatis non proportionales, sed æquales, & aliquotæ, erunt actu infinitæ.

Hoc argumentum quod ineluctabile asserit arguens, facile soluitur, siquidem lignum palmare, quamvis in summo calidum, habet solum gradus finitos, estò tales gradus sint divisibiles finité in infinitum in partes minores, quin possibile sit ad ultimam devenire divisionem. Partes autem æquales finitæ infinitum non conficiunt. Quod si argumentum procedat de partibus minoribus, & minoribus, nullum pariter redditur argumentum propter dicta, ubi de continuò.

Arguit secundò. Si intensio fieret per additionem gradus ad gradum, iam illa qualitas diceretur magis perfecta, quæ esset magis composita, sed hoc est falsum; ergò. Probatur major. Illa est magis perfecta, quæ est magis intensa; sed illa est magis intensa, quæ est magis composita; ergò illa erit magis perfecta, quæ erit magis composita. Minor evidens est, nam illa qualitas perfectior dicitur, quæ est simplicior, non verò quæ est composita.

Innegabile est illam qualitatem, quæ in esse physico dicitur perfectior alia, in eodem esse etiam magis perfectam, quam sit alia, quatenus importat unionem plurium graduum integrantium. At non eo perfectior dicitur, quia importat majorem compositionem, sed quia ex majori compositione resultat, & habetur qualitas magis activa, in qua majori activitate reponitur pro nunc excessus in perfectione unius qualitatis supra aliam. Iuxta itaque hanc solutionem in forma satisfacere possumus distinguendo majorem Si intensio fieret per additionem gradus ad gradum, jam illa qualitas dicetur

retur magis perfecta, quæ esset magis composita, nego majorem, ex quo ex majori compositione resultet major activitas concedo majorem, & pariter distincta minori nego consequentiam.

Ultimò arguit. Qualitas vel intenditur per partes ejusdem, vel diversæ rationis; sed non ejusdem quia plura accidentia solo numero distincta esse nequeunt in eodem subjecto; non diversæ speciei, quia una qualitas in specie componi nequit ex partibus diversæ speciei; ergò.

Hoc argumentum, quod magni roboris est in schola Thomistica, nullius est in Schola Henrici, in qua individuatio non desumitur à subjecto, quodcumque sit tale subjectum; sed fundamentaliter à propria existentia, formaliter verò à duplici negatione, ut in Logica diximus.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum gradus efformantes qualitatis intensionem sint homogenei, vel eterogenei.*

CUm graduum eterogeneitas ex duplici capite oriri possit, non abs re esse judico hoc prius advertere antequam difficultatem pro positam pro viribus dirimamus. Possunt itaque gradus, quibus qualitates intenduntur eterogeneitatem habere, vel ob inequalitatem perfectionis, quam quilibet secundum se inspectus dicat, vel propter subordinationem unius ad alterum etiam stante æqualitate in perfectione essentiali in hoc sinam, quod gradus cum ordine quodam petant advenire subjecto. Suarez, Hurtado, aliique sustinent gradus esse utroque modo eterogeneos, quibus adhæret noster Magister Ventura, an autem hoc ratione efficaci dicant, inferius examinabimus. Alii tamen magis communiter stant pro graduum homogeneitate, inter quos recenseri solent Scotus in 1. *dist.* 17. *quæst* 4. Gregorius, Gabriel, Ochamus, Vasquez 1 2 *disp.* 82 Arriaga, Averfa *quæst.* 23. *sect.* 7. in Physica, Ruvius, Conimbricenses, Pontius *disp.* 24. *in Physica quæst.* 4. Spinula in libros de generatione, & corruptione *disp.* 3 *sect.* 3. Quiros *tractat.* 5. *de generatione, & corruptione disp.* 73. *sect.* 9. cum quibus sit.

### CAPUT PRIMUM.

*Qualitates intenduntur per gradus omninò similes.*

ASsertum hoc, ut vides supponit superius statutum, unde Thomistis non adest locus dubitandi, cum intensionem per graduum additionem non admittant. Multipliciter autem hoc probare solent relati auctores. Præcipuas ego, & solidiores rationes afferam.

Probatur itaque primò ratione Scoti. Si secundus gradus esset primo perfectior, & octauus septem prioribus esset isti superflui; sed hæc superfluitas non conceditur ab aduersæ partis auctoribus, ergò. Probatur sequela. Si octauus gradus esset aliis perfectior, ipsos contineret formaliter, & eminenter, formaliter quidem, quia eiusdem est cum ipsis speciei, eminenter verò, quia perfectior, sed hoc ipso superflui redderentur anteriores; ergò. Probatur minor multiplici paritate, in qua sola esse potest difficultas. Continentia eminentialis animæ sensitiuæ in forma rationali, reddit superfluam omnem formam sensitiuam distinctam ab ipsa. Secundò præcontinentia perfecta unius substantiæ in altera reddit superfluam virtutem proximam in accidentibus in nostra sententia. Tertiò præcontinentia cujuslibet rei in esse intelligibilis in ipsa diuina essentia, ut repræsentatiua reddit superfluam omnem repræsentationem creatam in diuino Intellectu ad omnia intelligenda, & tandem præcontinentia cognitionis adæquata in anima, habitis speciebus, reddit superfluas potentias superadditas; ergò à pari præcontinentia præcedentium graduum in octauo, reddit priores superfluos. Probatur hæc illatio. Ideo sensitiua distincta superflua est aduenien te rationali, quia hæc se sola præbere potest operationes sensitiuas, propter quas eliciendas ponitur in Brutis sensitiua; sed etiam octauus gradus juxta aduersæ partis auctores, utpotè perfectior continet omnes priores, & omnium antecedentium actiuitatem, quilibet enim ex illis septem ab octauo produci posset, cum quemlibet excedat intra lineam caloris, propter quam solam actiuitatem maiorem habendam multiplicantur gradus; ergò

Dices adhuc priores gradus non esse superfluos non obstante continentia eminentiali. Stat enim optimè cum excessu unius in perfectione supra aliud absque ullius, vel alterius superfluitate. De facto enim Sanctitas increata, utpotè infinita præcontinet omnem sanctitatem creatam, & nihilominus superflua non est sanctificatio creata etiam in consortio sanctitatis increatæ, quapropter Theologi volunt humanitatem assumptam sanctificatam esse, nedum per sanctitatem verbi increatam, verum etiam creatam, sicuti scientia increata in anima Christi reliquit locum scientiæ creatæ, & in Beatis scientia rerum in verbo, reliquit locum scientiæ earumdem in se ipsis.

Sed contra est, siquidem estò continentia unius in aliud, non semper reddat contenti existentiam superfluam, reddit tamen, quando continens præstare potest easdem operationes, ob quas præbendas contentum à natura intenditur, ut patet in ipsa diuina essentia cuius species impressa distincta, ideo superflua est apud Theologos (non loquor de repugnantia) quia essentia diuina est proximè ratione sui intelligibilis, & intimè præsens intellectui in eadem linea intelligibili, ob quam proximam intelligibilitatem habendam solùm à natura species impressa intenditur. Et ideo in communiori sententia formalis existentia elementorum in mixto superflua est, quia huius forma præbere potest aliquo modo ipsorum operationes; atqui gradus octauus, utpotè perfectior, & in eadem linea specifica producere posset omnes priores, adeoque præcedentium graduum omnem contineret actiuitatem, ob quam maiorem actiuitatem habendam solùm natura multiplicat gradus; ergò semper priores essent superflui. Sanctificatio autem per gratiam creatam superflua non est etiam supposita sanctificatione increata, tumquia humanitas sanctificari debet omni modo possibili. Sanctificari autem sanctitate creata est modus possibilis. Tum quia connaturalius sanctificatur per sanctitatem creatam inhærentem. Tum tandem, quia ut Salmaticenses aduertunt *tract.* 2. *de Incarnatione disp.* 12 sanctitas increata ita eminenter continet gratiam habitualem, ut formalem huius effectum communicare non possit. Quippe ad hunc præstandum præter continentiam eminentialem ulterius requiritur, quod uniri possit per modum formæ physicæ, quo modo uniri non valet sanctitas increata.

Secunda ratio mirificè urgens procedit ex diversitate specifica, quæ reperiretur inter tales gradus, quamuis

quamuis hanc non sequi authument aduersæ partis Auctores, ut videbimus ubi de inæqualitate animatum in perfectione. Interim hæc ratio sic proponitur. Omnes gradus caloris usque ad octauum inclusivè inter se sunt eiusdem speciei, ità ut dicant identitatem specificam, quinimmò, & numericam dicerent, si à subiecto individuarentur; ergò non possunt importare inæqualitatem in perfectione entitatiua, vel ordinem essentialem prioritatis, & posterioritatis. Antecedens liquet. Consequentia verò probatur. Inæqualitas, & dissimilitudo essentialis important differentiam specificam; sed ubi est maior, vel minor perfectio intrinseca, & adest ordo essentialis prioritatis, & posterioritatis, invenitur dissimilitudo essentialis; ergò si non est reperibilis differentia specifica inter gradus eiusdem qualitatis, nec erit ponenda graduum eterogeneitas. Hæc ratio magis à me firmabitur, ubi de animarum rationalium æqualitate in perfectione intrinseca.

Tertia ratio, quæ pariter solida est, atquè etiam sensibus consona est, quià de facto intensio qualitatis fit per gradus omninò similes; ergò de facto intenditur per gradus similes. Consequentia liquet. Si enim vera, & propria qualitatis intensio haberi possit per gradus homogeneos, non est, cur in natura ponantur eterogenei. Probatur itaquè Antecedens. Per id sufficienter fit qualitatis intensio, per quod qualitas fit magis activa, sed per illam graduum multiplicationem omnino similium, eiusdemquè prorsus rationis in eadem parte subiecti, qualitas fit magis activa; ergò. Maior patet, quià intensio qualitatis non aliundè arguitur, quam ex maiori actiuitate. Ostenditur itaquè minor, primò, quià videtur penitus incredibile, si per totam æternitatem multiplicarentur in mea manu gradus caloris omnino similes, meas manus nunquam experituras esse aliquid plus caloris, quam si haberent unum tantum ex illis gradibus.

Confirmatur hæc ratio, simul quæ explicatur. Plures gradus somni omnino similes, plures gradus impulsus, plures que gradus lucis ejusdem rationis faciunt intensionem, ut experientia constat, ergò etiam hanc facient plures gradus caloris omninò similes.

Probant alii ultimò superiorem conclusionem, rationem suam promovendo loquendo de gradibus gratiæ. Si secundus gradus gratiæ perfectior esset *v.* gr. primò, esset possibilis casus, in quo adultus in gratia constitutus plus mereri posset per actum remissum, quam intensum; arqui hoc affirmari nequit; ergò. Probatur sequela, supponendo adultum aliquem elicere primum actum meritorium cum fervore ut duo, secundum verò cum fervore, ut unum. Modo præmium correspondens primo actui esset primus gradus gratiæ perfectus, ut unum, secundo verò actui secundus gradus perfectus, ut duo; sed hoc ipso adultus mereretur per actum magis remissum; ergo.

Dices perfectiorem illum gradum gratiæ in facta hypothesi non conferri ratione actus meritorii, sed solum à Deo ob suam maximam liberalitatem præmiantem ultra condignum. Sed contra est, quia estò verum sit, quod merces sit excedens remunerante Deo supra condignum, merces tamen semper habet æqualitatem proportionis, itaquod potior labor obtineturus sit potiorem mercedem, & bona opera compensanda sint bonis, & meliora melioribus, uti in terminis docet noster Illustriss. Ludigerius *lib. 2. disp. 5. quæst. 2. cap. 3* sed hæc æqualitas non servatur in facta hypothesi; ergò.

Dices secundò secundum gradum gratiæ primo perfectiorem Deo tribui non ratione actus remissi, sed quia adultus, utpotè magis dignificatus per priorem gradum gratiæ perfectum ut unum majoris est dignitatis. Quo autem major est dignitas Personæ merentis, eo majus est meritum.

Sed hæc M Venturæ evasio alioquin plausibilis, vim argumenti non tollit. Ratio est, quia estò verum sit, quod in Christo Domino dignitas meriti crescat ad mensuram dignitatis Personæ merentis; unde cum dignitas verbi sit valoris infiniti, etiam Christi meritum est moraliter infinitum, falsum tamen est, quod in creatura solùm crescat ad mensuram dignitatis merentis, cum crescat ad mensuram influxus ejusdem gratiæ; unde est quod Theologi plausibiliter docent, quod persona operans cum gratia ut decem potest minus mereri, quam mereatur persona operans cum gratia, ut unum, si fiat hypothesis, quod prima cum minori, secunda cum majori fervore operetur.

His tamen solutionibus non obstantibus censeo superiorem rationem, qua utuntur quamplures nostræ adhærentes sententiæ, veritati non accedere, & consequenter positæ Thesi pro ratione fundamentali inservire non posse. Ratio est, quia adversarius possit pro libito occurrere dicendo Deum tunc, ut auctorem supernaturalem ordinem graduum non servare in eorumdem collatione, eo quia primo actui intenso gradum gratiæ perfectiorem, posteriori verò actui minus ferventer elicito imperfectiorem tribueret. Vel etiam affirmari potest superiorem rationem potius inferre graduum gratiæ eterogeneitatem. Patet hoc, quia gratia collata vi secundi actus minus intensè eliciti, deberet esse minoris perfectionis, ac sit prioris actus, ut inter meritum, & præmium proportio salvetur. Eo vel maximè, quod si supponatur, quod secundus secundus actus meritorius sit cum majori fervore, jam gradus gratiæ huic correspondens debetet esse perfectior, quia ubi est majus meritum, majus debet esse præmium. Unde fundamentum hoc non recipitur, quia utrique parti propitium esse potest, & utrique parum noxium.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes dubitandi.*

Arguit primò ex nostris Magister Ventura existimans expositam thesim dissonam esse menti Doctoris, eo quià Henricus quodl: 14. *quæst.* 3. hæc habeat. *Formæ accidentales sunt intensibiles, & remissibiles secundum gradus perfectionis in essentia earum, ad quam intensionem, vel remissionem quoad perfectionem in essentia formæ secundum maius, & minus sequitur simul necessariò intensio, vel remissio eius in operando secundum magis, & minus.* Ex quibus sic arguit Prædictus Auctor. Ex Doctore intensio, & remissio fiunt secundum gradus magis, & minus perfectos existentes in forma accidentali; ergò asserendo fieri per gradus æquales, asserimus aliquod contrà Doctoris mentem.

Hoc argumentum ex Henrici auctoritate deductum nullum est. Loquitur enim ibi Doctor de gradibus non specificatiuè acceptis, seù secundum id quod ipsis convenit ratione sui, sed tantum reduplicativè, nimirum ratione inclusionis aliorum graduum. Perpende Lector quæstionem relatam, & videbis explicationem hanc legitimam esse.

Secundò arguit Suarez multipliciter, & primo quia

quia si intensio fieret per gradus omnino similes, ipsa intensio esset accidentaria formæ, sicuti extensio, sed hoc est penitus falsum, ergo. Probatur maior. Tunc formæ esset accidentaria intensio, quando esset formæ accidentaria additio graduum in eadem parte subiecti, sed de facto hæc formæ accidentalis est, sicuti additio in diversis partibus subiecti; ergo. Minor autem primi syllogismi patet, quia si ipsa intensio formæ tam esset accidentalis formæ, sicuti extensio, forma per intensionem non fieret perfectior, quam per extensionem, cum aliunde perfectior fiat, quià redditur magis actiua. Secundò si intensio fieret per gradus similes in perfectione entitativa, intensio posset procedere in infinitum, sed hoc est erroneum asserere; ergo. Probatur sequela. Eiusdem rationis est compositio, & unio duorum graduum caloris in diversis partibus subiecti, ac in eadem; ergò si intensio fieret per gradus similes in perfectione entitatiua, intensio procedere posset in infinitum.

Tertiò si gradus caloris v. g. essent omnino similes, possent duo calida, ut unum se inuicem augere in calorem etiam usque ad ignitionem, sed hoc est alienum à ratione, ergo. Probatur sequela Possent hæc duo calida se invicem augere usque ad calorem ut octo, sed calori ut octo sequitur per naturalem connexionem ipsa ignitio, ergò. Probatur maior. Omnes gradus caloris succedentes primo usque ad octauum sunt eiusdem perfectionis adequatæ, ità ut non excedant virtutem primi gradus; ergo duo calida, ut unum poterunt se inuicem operando augere usque ad calorem, ut octo. Consequentia hæc tenet. Quælibet enim causa date potest in genere causæ adequatæ effectum se ipsa in perfectione non excedentem.

Respondeo ad omnia, & ad primum oportet, ut explicem propositionem illam, quæ affertur in argumento nimirum *tam esset accidentaria intensio formæ quam extensio*. Triplicem enim sensum habere potest. Primus est, quod intensio formæ esset accidentalis eodem modo ac extensio, quatenus intensio desumeretur à novis gradibus realiter distinctis aduenientibus, sicuti ipsa extensio. Secundus esse potest, quod qualitas ita intendatur, ut possit non intendi. Tertius tandem, quod intensio sit accidentaria qualitatis, quatenus qualitas non exigat, nec appetat intendi. In primo, & secundo sensu proposito vera est, nec est, unde negari possit, ut speculanti patebit. In tertio tamen sensu falsa est, siquidem qualitas exigit intendi, quia intensio est ipsius perfectio, cum per intensionem reddatur magis operatiua, & consequenter magis perfecta. Res autem quælibet appetit statum illum, in quo perficitur.

Ad secundum censeo repugnantiam intensionis qualitatis in infinitum equè bene subsistere posita graduum homogeneitate, ac subsistat posita eterogeneitate, quod patet easdem repugnantias referendo., ob quas Suarez existimat impossibilem esse infinitam qualitatis intensionem juxta suam sententiam. Impossibilitas enim ex hoc Auctore oritur, vel quia quælibet res finita, & limitata determinat sibi certum modum perfectionis intrinsecè, ultrà quem non amplius in perfectione augeri possit, vel quia qualitates intensibiles commensurantur formis substantialibus, quæ cum importent determinatam naturam, & perfectionem intrinsecam intensiuam, pariter etiam hanc dicent formæ accidentales. Quis autem non videt rationes istas etiam in nostra subsistere sententia. Nec juvat asserere, quod tales gradus, cum essent omninò similes in perfectione, per infinitam ipsorum additionem non conducerent qualitatem ad statum infinitæ perfectionis; nam gradus isti estò similes, tamen quilibet importaret suum perfectionis gradum, & consequenter, si additio talium graduum esset infinita, pariter etiam esset infinitum perfectionis incrementum.

Ultimum falsum est, siquidem ignitio est effectus excedens perfectionem, & virtutem omnium graduum etiam simul sumptorum; neque valet, quod calor ut octo connectatur naturaliter cum ipsa ignitione, quia quamuis verum sit cum illa connecti, non connectitur tamen connexione virtutis propter defectum virtutis sufficientis in quocumque gradu caloris in ordine ad substantiæ productionem Præterea falsum est, quod hæc duo calida possint se perducere ad calorem ut octo, nam simile perfectè simile qua tale, agere nequit in aliud sibi simile, ut suo videbimus loco.

Ultimò promiscuè arguunt nonnulli, & primò. Si ex gradibus caloris unus non esset alio perfectior jam non haberetur calor magis intensus formaliter, sed solùm maior calor materialiter, sicuti ex pluribus guttis aquæ omninò similibus, fit maior aqua. ex pluribus nummis omninò similibus, fiunt maiores diuitiæ, ex pluribus militibus in animositate robustior euadit exercitus. Quod tamen falsum est; quia qualitas, dum augetur, fit magis talis, quia crescit formaliter. Crescit enim ipsa actiuitas utriusque. Secundò gradus primò aduenientes ipsum perficiunt, cum prioris virtutem augeant; ergò sunt ipso perfectiores. Patet hæc consequentia, quia quod est alteri æquale, & omninò simile in perfectione, si alteri addatur, nequit illud magis perficere intrinsecè, sed solùm extensiuè, materialiter, & numericè. Tertiò quia data hac inæqualitate in perfectione inter gradus, adhuc perseueraret identitas specifica, quia adhuc conuenirent v. g. in formalitate caloris, sub qua haberent identitatem specificam; maximè quod hæc maior perfectio non esset secundum essentiam, sed secundùm perfectionem gradualem. Quartò, quia si calor ut unum esset eiusdem perfectionis cum calore ut octo, sicuti hic inseruit formæ ignis tanquam ultima dispositio, inserire deberet etiam primus caloris gradus. Quintò, & ultimò, si gradus intensionis essent omnino similes in perfectione, dum fit remissio eiusdem qualitatis, vel nullus gradus deberet expelli, vel omnes simul, quod tamen est contra experientiam. Patet sequela majoris; dum enim in subiectum calidum, ut sex introducitur frigus ut unum, ille gradus frigoris, qui opponeretur cum uno, etiam cum alio gradu caloris opponeretur, semel posito, quod sint omnino similes inter se, ergò vel nullus deberet expelli, vel omnes simul.

Respondeo ad singula, & ad primum authumo qualitatem adhuc formaliter intendi posse, quia formalis qualitatis intensio habetur, quoties qualitas ipsa redditur magis actiua. Non enim stat maior actiuitas qualitatis absque formali intensione. Cum autem per gradus omnino similes, si multiplicentur, habeatur in forma maior actiuitas, habebitur etiam eiusdem formalis intensio. Quod autem hæc habeatur, patet, quia quoties additur gradus unus actiuitatis, forma redditur magis actiua, sed gradus alteri similis, ipsique additus propriam dicit actiuitatem, quamuis tenuem, & non excedentem, ergò si hic addatur maior actiuitas habebitur.

Quod totum ut clarius appareat petere placet ab arguente.

arguente. Si Deus intellectivam Petri potentiam, v. gr. habentem quatuor gradus virtutis cognoscitivæ, & quidem omnino similes destrueret, deindeque reproduceret, sed in reproductione adderet alterum perfectionis gradum de linea virtutis cognoscitivæ omnino similem prioribus. Quæro ab arguente; intellectus erit ne tunc intrinsecè perfectior? Profectò puto affirmativè esse respondendum, & tamen incrementum esset per gradus omnino similes prioribus.

Ad secundum falsum est gradum secundum primo advenientem intrinsecè primum perficere. Gradus enim adveniens non advenit ad perficiendum primum, sed ad ipsam formam perficiendam, quæ resultare debet ex pluribus gradibus. Secundò existimo posteriores gradus, posse adhuc perficere priores intrinsecè, & hoc quia quilibet suam affert activitatem, quæ priori addita ipsam auget. Tertium verò non urget. In casu enim formalitas caloris, esset veluti formalitas generica. Patet hoc quia forma, per quam conveniunt, quæ sortiuntur dissimilitudinem essentialem, est prædicatum genericum. Cum autem gradus stante adversariorum sententia essent inter se intrinsecè dissimiles, & essentialiter, jam convenientia in prædicato caloris, esset veluti convenientia in prædicato generico. Nec obstat quod asserunt nonnulli, inæqualitatem nimirum in perfectione non essentialem, sed gradualem esse, siquidem hic est merus verborum lusus efficaciter rejectus in animastica, ubi de anima rationali, unde quæ ibi diximus, videre poteris.

Quartum verò cæteris minus urget, quia calor ut octo habet disponere sufficienter, nam omnes priores gradus includit, vel continet, quæ continentia, cum non reluceat in prioribus, hinc patet disparitas.

Ultimum parvi roboris est Adhuc enim est ratio, cur successiva debeat esse expulsio, quæ esse potest, vel quia qualitas denuò adveniens petat successivè produci, vel quia in gradu frigoris adveniente non adest tanta virtus expellendi omnes gradus caloris, cum major sit virtus caloris ut octo, cui succumberet aqua, nisi adesset virtus ipsa formæ substantialis expulsiva qualitatis contrariæ. Nulla itaque sunt argumenta adversæ partis.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An agentia creata juxta præsentem operandi modum agant in distans.*

### CAPUT PRIMUM.

*Resolvitur difficultas negativè.*

Ut controversia hæc perfectè dirimatur, nonnulla advertenda sunt, inter quæ primò pro certo tenendum est, hic sermonem esse de causis efficientibus, nimirum, num istæ effectivè aliquid producant in subjectum distans, nihil agendo per medium. Certum enim est, atque penitus extra controversiam, quod cæteræ causæ ab efficienti contradistinctæ agere non possunt in rem distantem, eo vel maximè si loquamur de causis materialibus, & formalibus, quæ profectò non constituunt aliquod tertium, nisi uniantur. Da enim materiam, & formam non uniri, habebis utique hoc, quod est posse ipsa extrema totum causare per suæ entitatis exhibitionem, non verò quod actu causent. Quod verum est etiam loquendo de causa finali. Hæc enim certè movere nequit, nisi sit agenti intentionaliter præsens. Habet enim finis movere, quia præsens est intentionaliter, & ut præsentiam acquirat realem.

Secundò advertendum est, controversiam hanc in multiplici sensu proponi posse, sicuti multipliciter considerare possumus causam aliquam efficientem agere in distans Primò ita ut agat in distans immediatè agendo in medium interjacens. Secundò si agat in distans solùm mediatè, quatenus agit immediatè in medium, & medium deinde agat in illud, quod distat. Tertiò si ageret in distans agendo simul in medium actione ejusdem rationis cum actione, qua ageret in distans. Quartò si ageret in distans agendo etiam in medium, sed actione diversæ rationis ab actione, qua ageret in distans Quintò si ageret in distans agendo in medium actione diversæ rationis, sed per se conducente ad actionem in distans. Sextò si ageret in distans agendo in medium actione, quæ per se non conduceret ad actionem in distans. Septimò si ageret in distans nullam actionem habendo in medio. In hoc ultimò sensu difficultas proposita intelligi debet, & communiter Auctores ipsam intelligere solent. In quolibet enim alio sensu ferè nulla est difficultas, quamvis non desint aliqui in schola Scoti, qui sub quolibet sensu difficultatem moveant.

Tertiò advertendum est approximationem duplicem esse, immediatam unam, mediatam alteram. Immediata rursus duplex est, alia nimirum immediata immediatione loci, sivè suppositi, ut evenit, quando agens per suam entitatem est localiter immediatum passo, non per suam entitatem, sed solùm per aliquod à se ipsa distinctum, atque productum. Sic corpora cœlestia, quæ agunt in hæc inferiora, sunt ipsis applicata non immediatione loci, & suppositi, sed solùm virtutis, quia ratione suæ entitatis ab ipsis valdè distant, ipsisquè fiunt proxima per qualitates, & influentias per totum medium propagatas. Primus contactus dici etiam solet mathematicus. Secundus physicus. Contactus autem mediatus omnino tunc est, quando in rem loco distantem causa aliqua ageret nihil operando per medium, puta si ignis Romæ existens combureret lignum, quod est Bononiæ nihil agendo per medium. Utrumque contactum tam physicum, quam mathematicum sufficere ad actionem transeuntem nulli dubium. Quæstio ergo est an sufficiat concursus mediatus, utrum nempè agens aliquod, agere possit in distans nihil agendo per medium; in qua duplex est sententia. Prima affirmat naturaliter loquendo dari actionem in distans. Ita Arriaga, & Pontius, qui difficultatem resolvit duplici conclusione, quarum prima est: *nulla est repugnantia in hoc, quod detur actio in distans*; Secunda verò: *De facto datur actio in distans*.

Secunda sententia ex diametro opposita sustinet nullam causam efficientem de facto agere in distans quidquid sit de possibili. Ita communiter Scotus. *in* 1. *dist.* 3. Henricus *quodl.* 3. *quæst.* 4. Hurtado, Ouiedo, Suarez. Vasquez, Spinula, Frassen, Petrus à Sancta Catharina, Boivinus, Dupasquier, Semetit, cum quibus.

Dicendum est agens creatum non producere effectum distantem, ita ut inter agens, & effectum mediet interruptio, seu vacuitas actionis; quod ostenditur, quia agentia naturalia, quorum agendi

di modus est nobis notus, & per sensibiles experientias maxime discernibilis, & maxime manifestus, nunquam de facto agunt in passum, vel in subiectum distans, quin in medio producant aliquid, vel eiusdem, vel diversæ rationis cum effectu in passo distante producendo, ideoquè quin continuent absque ulla interruptione actionem per totum medium. Sic Sol, qui producit lucem in terra, continuat productionem lucis per totum aerem inter medium. Sic corpus coloratum, quod producit species sui in loco remoto, producit etiam in toto spatio præcedente, &, idem de sono, & calore; sed ex his licet arguere hunc modum operandi convenire universaliter omnibus agentibus; ergo. Probatur minor, quia experientiæ magis notæ prævalere debent minus notis, & inductio facta per casus admodum sensibiles, & valde manifestos debet idem nobis suadere de aliis, in quibus non apparet manifestè contrarium, ut accidit in præsenti.

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur Argumentis.*

INter arguentes præstat audire primò Recentiores nonnullos sic arguentes. Sol habet producere majorem lucem in Christallo, quam in aere intermedio; sed hæc major lux produci nequit à luce immediata christallo, quia hæc est minor; ergò producitur immediatè à Sole; ergo jam à causa distante.

Secundò. Sit columna supra mensam recta. Major producitur impulsus in mensa à tota columna, quam si sola Basis columnæ esset supra mensam; ergo aliæ partes superioris columnæ producent, & ipsæ impulsum in mensa, à qua distant; at non producunt impulsum in medium, cum non agant in alias partes columnæ; ergo in distans.

Tertiò sit series arborum certo ordine dispositarum. Major producetur impulsus, si ardeant omnes, quam si solùm quatuor priores; ergo omnes illæ, quæ retro stant, debebunt agere; sed arbores posteriores nequeunt agere in medium, quia est impeditum à prioribus arboribus; ergo in distans.

Quartò arguunt alii. Si ponatur Fax in fenestra illuminabit foris aliquod spatium, verum si totum cubiculum interius repleatur facibus, major lux producetur foris, & ad majus spatium; ergo faces intra cubiculum contentæ agunt in distans. Sed hæ experientiæ talis roboris non sunt, ut propter istas proscribere debeamus positum assertum, quapropter ad omnia, & in primis ad primam dico majorem lucem à Sole non produci in christallo illa, quæ diffunditur in medio, sed solum magis appareret in christallo, quam appareat in aere intermedio. Nec mirum hoc esse debet. De facto enim calor ut quatuor minus est sensibilis in ferro quam si ponatur in ligno. Quod si velis majorem esse lucem in christallo, quam in aere intermedio, adhuc remanet locus solutioni, quia affirmare possumus ipsam produci à luce proxima christallo, quæ quia minor est, toboratur ab ipso Sole per productionem novi gradus lucis. Quod si rursus quæras, cur gradus ille Solis noviter productus in aere intermedio proximo christallo non magis etiam illuminet aerem, dico hoc evenire, quia aer jam est juxta sui capacitatem illuminatus, sicque nequit ultèrius illuminari. Quemadmodum ideò essentia divina non magis fecundat intellectum Beati, quia capacitas proxima ejusdem intellectus major non est.

Ad secundam satisfacit Illustrissimus Spinula dicendo, quod si partes superiores columnæ sint unitæ, & continuatæ cum inferioribus habent agere unica, & indiuisibili actione. Si verò non sint unitæ, & continuatæ, sed separatæ, & solùm localiter juxta positæ, non unica, sed actione multiplici, perseuerat impulsus in mensa. Absolutè tamen loquendo nunquam erit actio in distans, quia partes superiores habent producere impulsum in inferioribus, & mediis ipsis inferioribus habent deindè ipsum producere vel in lateram, vel in mensam. Sed

Dices cum Arriaga. Pars columnæ immediatè tangens mensam, habet eandem grauitatem, & impulsum in consortio aliarum partium, ac seorsim, sed seorsim non habet impulsum intensiorem, quo possit magis premere mensam; ergò nec simul, adeoque si maior impulsus producitur in mensa ad dita alia mediante columna superiori, producetur immediatè in mensa. Probatur antecedens. Punctum ferri non est maioris grauitatis, & maiorem impulsum non habet, si conjungatur totius orbis ferro, quam si maneret solùm, ergo major grauitatio prouenire nequit à maiori virtute intrinseca basis columnæ, sed immediatè à tota columna, ergò semper erit actio in distans.

Respondeo verum esse columnæ basim una simul cum tota columna non præseferre maiorem grauitatem intrinsecam, quam si sola basis accipiatur, attamen etiam verum est, quod importat maiorem extrinsecam grauitatem, quia copulatur ipsi etiam grauitas totius columnæ, sicuti dicunt quamplures Theologi possibilia connexa cum Omnipotentia non dicunt maiorem necessitatem intrinsecam illa, quam habent, dicunt tamen extrinsecam videlicet illam, quam acquirunt ab Omnipotentia ex connexione cum ipsa, ut optimè aduertit noster Lodigerius *lib. 3. de diuina scientia quæst 2. cap. 3.*

Ad tertium censeo arbores posteriores in tali casu non fore operaturas in distans, sed per partes laterales superiores, & inferiores, vel etiam asserere possumus posteriores immittere in aerem igneas exhalationes, quibus cum aer magis calefiat, maior etiam producitur calor. Quartum tandem de lucerna non urget. Lux enim existens in cubiculo agit in maioris lucis productione extra fenestram agendo per medium, nempe in partes collaterales fenestræ. Quod si velis lucernam existentem supra fenestram totam lucem occupare, dico, quod in tali casu non operabitur producendo majorem lucem extra fenestram, quamuis in cubiculo augeatur lux.

Arguunt secundò alii quibusdam aliis experientiis magis obuiis. Lapis Themas expellit ferrum distans, & trahit aurum, & argentum. Magnes trahit Ferrum Astra agunt in sublunaria sibi distantia. Torpedo relinquit manum Piscatoris immobilem, à qua distat. Imaginatio residens in cerebro mouet appetitum à se distantem. Basiliscus suo visu homines distantes ennecat. Gemmæ sistunt sanguinem. Puluis simparica agit in vulnus distans. Ignis calefacit aquam non calefacto fundo lebetis, ergò datur actio in distans.

Respondeo ad omnia, & ad primum dico lapidem thema immissione qualitatis occultæ expellere ferrum, atque aurum trahere. Magnetem verò volunt Atomistæ quamplures ferrum trahere, quia effluunt tam ex magnete, quam ex ferro corpuscula, plura

plura tamen, & potentiora ex magnete; ex quo fit, ut aer semper longe magis discutiatur circa magnetem, quam circa ferrum; atque ideo plura circa ipsum, quam circa ferrum inania spatiola creentur, & quia cum ferrum collocatur intra discussi aeris spheram multum inanis inter ipsum, & magnetem est interceptum, tunc euenit, ut in eam partem corpuscula ferri liberius prosiliant, ac versus magnetem perindè ferantur. Non possunt autem majori quadam, & insolita copia eo contendere, quin pelliciant simul coherentia, atque adeò totam ferri massam, quæ ex coherentibus constat.

Hic tamen non est unicus modus ipsam tractionem explicandi. Censent enim alii Atomistæ ferrum ad magnetem aduehi uncinulis, hamulisque è magnete prosilientibus, sibique catenatim succedentibus, & singulis euolutione sua intra ferri ansulas impulsum suum præbentibus. Duo enim genera atomorum sibi fingunt isti, figuræ valdè diversæ, atomos scilicet uncinulatas volunt à magnete versus ferrum ad illud exposcendum proiici, in ferro vero alias atomos ansatas occurrere, in quas iniiciantur magnetici illi hamuli, easque sic harpagatas, una cum ferro ad magnetem rapiare.

Cartesius verò parte 4. principiorum Philosophiæ affirmat hoc evenire, quia ferri, & magnetis meatus, ita sunt inter se dispositi, ut materia striata veniens à Polis cœli, facilius, & expeditius sese diffundat per eorumdem meatus; quam aliorum corporum, undè fit, ut aerem intermedium depellat, & quia aliunde aer nullum locum inuenit, in quem transeat, nisi illum ab alterutro, ex iis duobus corporibus derelictum, hinc opus est, ut magnes versus ferrum, aut ferrum versus magnetem impellatur. Sed his solutionibus omissis consulo, ut legatis magneticam philosophiam *Cabei* Ferrariensis societatis Iesu, in qua ejusdem natura optimè explicatur, simulque plura referuntur, quæ ad rem faciunt.

Tertium verò solvitur. Astra enim agunt per virtutem dispositivam præsentem, ut alibi diffusè diximus. Quartum postea non urget. Intercedit enim operatio in medio, nempe in hamo, filo, & arundine, quod colligit Frasen, quia noxium non causat, nisi manus Piscatoris sit ieri copulata. Ad quiorum dico imaginationem non agere in appetitu, sed ipsum unicè movere ratione simpathiæ, seu naturalis subotdinationis, quam habent ad invicem potentiæ viventis, quæ subordinatio in hoc consistit, quod dum una potentia operatur, etiam alia agere debeat, vel etiam affirmare possem imaginationem hos effectus producere non immediatè, sed mediantibus nervis, & artubus. Immittit enim in cor suas impressiones, ejusque motus excitar. Vel tandem dic phantasma movere non quidem physicè, sed moraliter eo modo, quo intellectus excitat, & movet voluntatem.

Ad septimum nego pulverem simpaticam talem habere virtutem, quod si alias optas solutiones, circa huius effectum, vide Frasen *tom.* 2 in suo cursu philosophico, ubi de actione in distans. Ultimum parum probat, quia ignis calefacit aquam calefacto prius lebetis fundo; ideò autem lebes ab igne sepositus citò frigescit, quia ipsius calor absumitur ab aqua, quæ aptior est ad hunc calorem recipiendum, quam sit ipse fundus lebetis. Præterea aqua antequam ferveat ascendit, & descendit. Frigida enim ut potè gravior descendit, & calida ascendit, ex tali autem ascensu, & descensu tepefit fundus lebetis.

Arguunt tertiò alii promiscuè, & primò si qualibet causa efficiens prius ageret in propinquum, quam in distans, posset etiam agere ad quamcumque distantiam. Secundò de facto corpora celestia producunt mineralia in visceribus terræ, sed affirmari non potest hæc agere per virtutem transfusam, siquidem hæc est accidens, quod producere nequit substantiam absque immediato concursu ejusdem substantiæ, præterquamquod nequit assignari modus, quo fiat hæc transfusio; ergò. Tertiò quia nulla causa creata transmittere valet suam virtutem usque ad passum per medium, quia virtus causarum sunt ipsa accidentia. quæ non possunt transire de subjecto in subjectum. Si autem causa transmitteret suam virtutem per aerem intermedium accidentia migrarent de subjecto in subjectum, nempe transirent de medio proximiori ad remotius. Sed

Nullum ex his, quæ Pontius Scotista obiicit, urget. Non primum, quia illud soluunt Complutenses ex Henrico monentes virtutem diffusam per medium, eo debilitari, quo magis distat à suo principio principali.

Ad secundum non unica est solutio. Sunt, qui volunt corpora cœlestia agere in profundissimis terræ partibus media irradiatione, ita ut radii syderum terram penetrent, quos prolixè oppugnat Kircher *lib.* 10. *de artis metallicæ requisitis* existimans radios terram non penetrare, sed statim ac terræ superficiem tangunt, mox in alias, aliasque partes retroacti reflectantur, quia si ulterius pergerent, nulla fieret reflexio radiorum in terræ superficie, quod tamen omni experientiæ repugnat, unde contendit omnia cœlestia corpora stellarum, & syderum in sublunaria agere non solùm per calorem, & radios, verum etiam per virtutes eorum specificas, ulterius explicans. quomodo metalla omnia in visceribus terræ generenter, quæ explicatio, nedum quia ad rem facit, verum etiam, quia legitima est, à me hic exponitur sub iisdem terminis, quibus ipsam refert hic Auctor in naturæ tebus inquirendis longè curiosissimus Scribit itaq; virtutes has specificas Soli, Lunæ, & Stellis indi-
„ tas esse veluti semina secundùm Analogiam
„ quandam producendis rebus implantata, quæ
„ primo quidem influxu suo aeri, aer hisce veluti
„ tinctus in aqueum elementum derivat. Aqueum
„ elementum iis fætum per influxus, & testuxus
„ quotidianos agitatum, eas per occultos subterra-
„ neos canales in abditos terrarum tractus derivat;
„ ignis verò, seu Sol subterraneus aquas coctas in
„ vapores resoluti, qua data porta patet, per in-
„ timas terrarum rimas, fissurasque veluti sanguis
„ per venas, quas capillares vocant, diffusi, ubi-
„ cumque similem, & proportionatam glebam
„ repererint, eidem adherentes, velut per magne-
„ tismum quendam naturæ similitudine tandem
„ attracti, nunc in hanc, nunc in illam gemmam,
„ aut lapidem, modo in hoc, vel illud minerale,
„ aut metallum degenerant; atque hoc pacto cœ-
„ lum, & sydera ad subterraneum rerum geneses
„ mediantibus videlicet elementis, & subterraneo
„ igne concurrere posse existimo. Ex quibus patet falsum esse, quod sit inexplicabilis modus, quo corpora cœlestia in inferioribus agunt.

Ad ultimum verò respondet noster Magister Ventura axioma relatum coarctari ad accidentia, quæ propria sunt cujuslibet rei quarto modo, seu quæ influunt, & concomitantur determinataram substantiam, ut utar phrasi Henrici, non verò de

accidentibus communibus, quæ optimè transire possunt de uno subiecto inhæsionis in aliud.

Sed quam insubsistens sit hæc solutio inde patet, quod impotentia transeundi accidentia de subiecto in subiectum inhæsionis est prædicatum conveniens accidenti, qua accidens est, non verò qua tale, quemadmodum inhærentia, est prædicatum omnibus conveniens; non verò solùm quibusdam accidentibus. Qua enim accidens proprium solùm importat majorem repugnantiam ad hunc transitum obtinendum, utpotè magis alligatum illi substantiæ, cujus est proprietas.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quid sint Rarum, & densum, & in quo consistant.*

RAri, & densi naturam optimè explicavit Philosophus 7. *physic*: dum asseruit rarum illud esse, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, densum verò, quod multum sub paruis dimensionibus. Quæ definitiones, quamuis primo Intuitu clare sint, nisi tamen aliunde aliqualiter explicentur, difficultatem aliquam ingerere possunt. Quapropter sciendum est particulas illas *parum* & *magnum* intelligendas non esse absolutè, nimirum quod Rarum minorem preseferat materiam illa, quam densum dicat, sed respectivè seu in ordine ad densum. Secundò etiam aduertendum est nomine dimensionis venire maiorem, vel minorem loci occupationem, itaut densum importet minorem loci occupationem, rarum vero maiorem. Tertiò randem tenendum est nomine materiæ nos non intelligere hic materiam primam, quia in Sacramento Altaris dari possunt Raritas, & densitas, ut in Casu, quo species congelentur, in quo tamen non est materia Panis.

Hæ definitiones sic explicatæ displicent Durando, & de more nonnullis Atomistis, quia rectà definitio tradi nequit per aliquod, quod sit extra rei essentiam, uti procedunt relatè. Dimensio enim est extra essentiam qualitatis, quam esse censent Peripaterici Raritas, & densitas. Sed nihilominus propugno, simulque recipio eas tamquam veras definitiones, & hoc quia rerum essentiæ optimè aliquando explicantur per suos effectus, dum explicantur à posteriori, sed de hoc inferius erit sermo. Interim præcipua proposita difficultas discutienda est.

## CAPUT PRIMUM.

*Referuntur Sententiæ præcipuæ circa Raritatis, & densitatis naturam.*

HIc non querimos causas extrinsecas raritatis, & densitatis, sed solum Causas formales, & Intrinsecas. De Causis enim extrinsecis nulla est in presenti Controuersia sentientibus communiter auctoribus Frigus densitatem, Calorem vero efficere raritatem, quod oriri existimant Cartesius, & Maignan, quia per calorem partes plus agitatæ, plus etiam exigunt spatii, quam si quiete detinerentur; quemadmodum causa finalis densitatis fortasse erit, ut res sit magis operatiua, Raritatis vero minus. De Causa itaque intrinseca loquendo plures sunt sententiæ, ex quibus prima docet rarefactionem fieri per Intromissionem particularum tenuiorum facile sese insinuantium intra porros Corporis rarefacti, condensationem verò per expulsionem corpusculorum. Ita Ouiedo Ochamus Arriaga Vallesius Nominales, Pontius, & Cartesius qui hanc in Epistola 104. ad R.F. *Mersennum* sub his terminis tradit. *Corpuscula hæc, quæ subintrant, cum corpus aliquod rarescit quæque egrediuntur ubi condensatur, & quæ durissima quæque peruadunt eiusdem sunt cum visibilibus, & tangibilibus substantiæ, sed non concipienda sunt Atomorum instar, neque tamquam duritiem aliquam habentia, sed veluti substantia aliqua admodum fluida, quæ reliquorum corporum porros implet.*

Quam sententiam adeo existimant Cartesiani vero consonam, ut dicant per hanc primò facile rationem reddi, cum fluide leviora, & leviora solida rarefiant; v. gr. cur aer maxime leuis, ad maximum pariter spatium extendatur, calore procurante rarefactionem. Vitrum Calore pariter ad maius spatium dilatetur quam metalla, ex metallis vero magis dilatetur ferrum, quam Es, Es magis, quam argentum; argentum magis, quam aurum, stannum magis, quam Plumbum, siquidem cum corpora leviora porosiora sint, sit, quod prout plures sunt, pori in quopiam corpore raritatis capaci, plura corpuscula possint in illud mixtum sese insinuare, quorum beneficio fit rarefactionis motus. Secundò verò facillimam reddi rationem cur motus rarefactionis in principio intensior sit in fine vero remissior, ac tardior, ut patet precipue ex Termometris Solis calori uniformiter, & continuo applicato expositis, aut aquæ eundem caloris gradum retinenti immersis, quia cum rarefactio fiat per intromissionem tenuis alicuius substantie in porros, quo magis dilatantur pori ex violenta noue materiæ intromissione, eo maiori violentia dittenduntur partes ipsius corporis, quod rarefit, ac proinde magis, ac magis resistere ulteriori reosioni.

Secunda verò docet rarefactionem, & condensationem primo, & per se terminari ad maiorem vel minorem quantitatem, itaut rarefactio fiat per aquisitionem noue partis quantitatis, condensationem vero per deperditionem. Hanc amplectuntur aliqui Scotistæ, inter quos Pontius. An autem hæc fuerit Scoti Sententia, non determino, quamuis communiter Scoti esse referant auctores.

Tertia, quæ communis est inter Reccentiores sustinet rarefactionem primò, & per se non terminari, nisi ad nouum modum extensionis particularem in rarefactione, & condensatione. Sic Ruuius, Hurtado, Mastrius, aliique quamplurimi.

Quarta Sententia uult rarefactionem per se primo terminari ad productionem novæ quantitatis, tamquam ad terminum ad quem, & ad corruptionem totius veteris, tamquam ad terminum à quo, condensationem vero fieri per deperditionem totius quantitatis maioris, atque nouæ aquisitionem, quæ minor sit. Hæc erat Gotfredi & aliorum antiquorum.

Quinta est Patris Maignan in sua Philosophia naturæ cap. 9. propositione 4. docentis rarefactionem fieri sola porrorum extensione, siue in longum, siue in latum, condensationem verò contractione eorumdem, & hoc, quia existimat, quod si hæc aliter fierent, semper coniungerentur cum replicatione, & penetratione, quorum utrumque naturaliter est impossibile.

Ultima tandem affirmat rarefactionem per se primò terminari ad qualitates, videlicet ad raritatem, & condensationem, quapropter rarefactio est verus motus alterationis. Sic Diuus Thomas *lect.* 14 illis verbis *si aer rarefiat, vel condensentur talis transmutatio non potest propriè dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem possibilium qualitatum,*

*tum, nempe rari, & densi*. Henricus autem quodlibeto 7 *quæst* 10. huic subscribens Sententiæ ait: *alia est transmutatio circa qualitates de tertia specie qualitatis, quæ sunt album, nigrum, calidum, & frigidum, & alia quæ est circa qualitates de quarta specie qualitatis, quæ sunt rarum, & densum*. Henrico, & Diuo Thomæ adhærent omnes Henricistæ, & Thomistæ; inter quos Capreolus, Bannez, Ioannes à Sancto Thoma, Gabriel à Sancto Vincentio, Caulino, Geulin, Arnu, & alii. Quæ aristotelica sententia adeo videtur intellectu difficilis Cartesii, Gassendi, & Maignani Affeclis, ut ullum posse eius beneficio Phenomenon explanari dubitent; cum rem aliquam explanatam sit, cum, ab hoc, vel illo, in natura notiori, quam est ipsa deducere. Videatur doctissimus *Robertus Boylus* in sua desensione contra *Franciscum Linum*, qui plurium insignium absurditatum eam insimulare posse contendit. Nos interea Cartesii, aliorumque sententiam hic impugnabimus occurrendo infestius iis, quæ fortiter obstare contra nos propugnant *Cartesius, Gassendus Magnianus, Heerebord, Schulerus, Dercodoms, Chauin, Siluanus Regis, Le Grand, Casimirus, Purebotius*, aliique non infimi nominis auctores.

## CAPUT SECUNDUM.

*Cartesii Sententia, aliorumque resellitur.*

PLures sunt rationes, quibus huius Cartesianæ sententiæ hostes hanc reprobare solent. Nobis præcipuas referre placet, quarum prima est, quod hac semel admissa ut vera, opus esset ad rei cuiuslibet rarefactionem procedere in infinitum in locorum mutationibus; cum enim corpuscula illa, quæ à suis locis mouentur, ut ingrediantur porros rei rarefaciendæ loca relinquant, quæ antecedenter replebant, iam illa loca deberent ab aliis repleti, & alia ab aliis procedendo in infinitum.

Sed hæc impugnatio non subsistit, primò quia si aliquid euinceret, probaret etiam, quod raritas, & densitas terminare non possent ad maiorem, vel minorem loci occupationem, nec etiam tamquam ad effectum secundarium, quod tamen non asserant Peripatetici. Patet hoc, nam res dum condensatur, debet minus spatium teplere relinquendo maius; sed spatium relictum remanere nequit vacuum; ergò deberet aliud Corpus succedere, & cum ex alia parte locus alter dimissus à corpore remanere nequeat absque aliquo corpore, & aliud corpus deberet succedere, sicque idem processus in infinitum sequeretur. Secundò, quia ut optimè aduertit Cartesius parte 2. principiorum Physicè omne corpus mouetur per circulum, ita scilicet, & aliud aliquod corpus ex loco, quem ingreditur, expellat, hoc rursus aliud, & aliud usque ad ultimum, quod in locum à primo derelictum, eodem Temporis momento, quo derelictus est, ingrediatur. Per quem motum circularem vitat, ut vides, nedum vacuum, & corporum in motu conficiendo rarefactionem, condensationem, penetrationem, verum etiam omnium corporum motum.

Alii aliter discurrentes prædictam impugnant sententiam docendo, quod si vera esset hæc sententia, quando aqua congelat, ut intra vas bene obturatum, vas non deberet frangi, cum tamen frangi experientia constet. Patet hoc, nam ideo frangitur, dicunt, ne sequatur; sed si Cartesii sententia esset vera, vacuum non sequeretur; ergò. Probant minorem data hac sententia aqua, dum congelaretur, emitteret corpuscula; dum enim congelatur, condensatur, condensatio autem per hanc sententiam fit per corpusculorum emissionem, sed illa corpuscula implere possent locum relictum ab aqua; ergò de primo ad ultimum vas frangi non deberet. Sed

Hæc ratio non facit ad rem; effectus enim relatus, aliique omnes, quos Peripatetici afferre solent, non eueniunt ob horrorem vacui, ut optime aduertunt Cartesius. Maignanus in sua Philosophia naturæ *cap. 20 propositione 8* & ex istis Casimirus *disp. 3 parte prima* Physicè *disp*. 3. de corpore naturali, sed quæ dixi in Physica, ubi de vacuo videantur.

Tertiò alii impugnant, eo quia, si rarefactio fieret per intromissionem corpusculorum, & condensatio per expulsionem, calor à quo rarefactio aliquando causatur, efficie ret congregaret eterogenea, & frigiditas ipsa disgregaret per expulsionem, quod tamen est contra caloris naturam, & frigiditatis, ut ex peripateticis definitionibus colligere possumus.

Sed etiam hæc tertia ratio parui est roboris, ipsaque proscribenda erit in materia de elementis, quia à Peripateticis recedimus authumantes communes primarum qualitatum definitiones, nec essentiales esse, nec aliquod ipsis proprium explicare.

Quartò nonnulli existimant validè impugnari, eo quia si rarefactio fieret per admixtionem corpusculorum, non posset deinde reddi ratio, cur in explosione Bombardæ rantus, ac tam vehemens esset impetus flammæ erumpentis, quæ ratio facilè redditur in alia sententia. Quod si dicas flammæ raritatem prouenire à corpusculis undequaque accurrentibus quæro, qua via se insinuount in Tubum eneum Bombardæ adeo spissum, & tam celeriter. Non certè per os, neque per foramen, quia inde flamma egreditur. Si verò dicant corpuscula ingredi per porros laterum tubi enei, nescio qua probabilitate hoc affirmari possit.

Sed hic impugnandi modus parum vexat huius sententiæ propugnatores, cum respondere possint particulas illas, quæ corpora subintrant esse velocissimo motu agitatas, uti de facto Cartesium respondere video *parte* 3. principiorum Philosophiæ existimantem materiam subtilissimam, omnes particulas sphericas materiæ cœlestis, aliaque corpora cæteris moueri ad exigua interualla corporum vitanda.

Quintò aliqui præscribere hanc se existimant ex Philosophi quibusdam verbis 4. Phisicorum expressis docentis non sic fieri rarefactionem, atque condensationem. Hæc enim habet loco relato: eadem est materia densi, & rari, & insuper accipiens aliquid aliud; Sed quam ineptè sic arguant Peripatetici inde patet, quod Cartesiani omnes, contra quos arguendum est, paruipendant Philosophi proloquia more Nouatorum agentes, de quibus scribit Augustinus *hoc priuilegio, imò potius sacrilegio uti, ut quod volunt, summant, quod nolunt reiiciant*, in quo certè dispares non sunt Cartesius. Gassendus, istorumque asseclæ quædam Philosophi proloquia recipientes, quædam suis tricis opposita proscribentes, adeo ut opus fuerit Ioannem Masseum Pisanum occurrere omnibus accusationibus Petri Gassendi aduersus Philosophum.

Validius itaque existimo sententiam hanc, cuius inventor falsò creditur Cartesius, impugnari per hoc quod huic inhærendo amplius vitari non posset processus in infinitum in particulis tenuioribus. Cum enim corpora etiam cæteris tenuiora, & ipsa rarefieri possint, & condensari (quodlibet enim corpus suos habet

habet porros, & quo magis rarum est, eo magis porros laxiores habet) iam per particulas alias hæc fieri deberet, rursus hæc per alias, unde huius Cartesianæ sententiæ propugnatores unum è duobus fateri debent, idest, vel tandem nos deuenire ad aliquam corporum rarefactionem, quæ non sic fiat, vel processum in infinitum interuenire, quorum neutrum Cartesiani concedere possunt.

Contra hanc rationem nescio, quid respondere possimus. Si enim dicas non sequi processum in infinitum, quia corpuscula primò replentia, cum sint rationes rarefaciendi, per seipsa se habent rarefacere, dum rarefiunt, te moneo hic veritatem nos inquirere, non intellectus perspicacis ostentionem. Præterquamquod etsi corpuscula intromissa sint rationes rarefaciendi relatè ad aliud corpus, non sunt tamen, dum ipsa rarefiunt, sed potius rationem subiecti, quod rarefit, sortiuntur, unde ineptè condiscipulus meus, dum Romæ degebam in Collegio Henrici, rationi huic occurrerat. Si verò dicamus nos deuenire ad aliqua corpora, quæ porosa non sunt, adeoque rarefactioni, & condensationi inepta, uti fortasse erit Ether purissimus; hunc enim comprimi non videmus intra Phialam, sed potius exire per porros, dum aer crassior intruditur, adhuc contra est. Primò quidem, quia substantia, quo magis rara est, porros etiam laxiores habet, ut egregiè ostendit Maygnan in sua Philosophia naturæ *cap 7. propositione 7. & cap. 16. propositione* 8. Secundò, quia ex hoc, quod ejus rarefactio, & compressio experientia non constant, non ideò negari debent; dum enim aer, aut aqua rarefiunt, ipsorum porros ampliores non videmus, nec ullum corpus, quod ad illos replendos accedit, & tamen Cartesius horum rarefactionem non negat, & hoc, quia ut asserit *part.* 2. principiorum Philosophiæ *nulla ratio nos cogit ad credendum corpora omnia, quæ existunt debere sensus nostros afficere.*

## CAPUT TERTIUM.

*Rarefactio, & condensatio primò, & per se non terminantur ad majorem, vel minorem quantitatem.*

QUamvis hæc secunda sententia plausibilior videatur, nihilominus ut vera à nobis non admittitur, & primò impugnatur eadem omninò ratione, qua Complutenses, Oviedo, aliique ipsam proscribunt. Ratio autem est, quia si rarefactio consisteret in nova productione partialis quantitatis, vel hæc terminaretur ad productionem solius quantitatis partialis, vel cum ipsa etiam ad productionem novæ materiæ; sed neutrum affirmari potest; ergò. Probatur minor per partes, & primò secundùm affirmari nequit, alias essent concedendæ hæ consequentiæ; ergo rarefactio importat novam materiæ creationem, cum materia creetur, & novam formæ accidentalis generationem, ut optimè in hac re advertit Oviedo. Secundò; ergo in rarefactione fit nova mutatio substantialis, quod tamen est falsum; evidens enim est aquam rarefieri, & condensari absque nova aquæ generatione. Tertiò; ergo rarefactio semper coniungitur cum nova nutritione, & augumentatione, cum per hanc secundam addatur nova quantitatis pars, & per nutritionem nova pars materiæ. Sequitur quartò hæc alia; ergò ad productionem raritatis erit opus, ut addatur nova pars materiæ, quod tamen experientia constat esse falsum, ut optimè advertit Collegium Complutense, siquidem sola aeria materia absque alterius materiæ additione generari potest ignis, qui est substantia magis rara, quam aer.

Quod si dicant novam quantitatem produci absque ulteriori productione materiæ, hæ aliæ consequentiæ erunt innegabiles; ergo nova partialis quantitas producta compenetratur naturaliter cum præexistente; ergò tota præexistens materia, quæ toti quantitati præexistenti adequatè correspondebat, & cujus quælibet pars quantitati partiali correspondet, correspondere etiam poterit ulteriori quantitati noviter productæ. Hæc secundæ partis ostensio, tam solida videtur Pontio, ut hac motus, asserat rarefactionem fieri non posse per solam novæ quantitatis productionem absque novæ materiæ adventu.

## CAPUT QUARTUM.

*Rarefactio, & condensatio non terminantur ad productionem totius quantitatis, vel ad deperditionem totius veteris.*

AB hac sententia, quæ communiter tribui solet Gotfredo communiter recedunt Auctores, & in primis impugnari solet ratione quadam communi in schola subtilis, & societatis, quam abstulere nonnulli à D. Thoma. Hæc autem sic procedit. Quidquid corrumpitur, vel corrumpitur ex subiecti corruptione, vel ex defectu causæ conservantis, vel ob præsentiam contrarii, vel per absentiam termini exigiti; sed dum res aliqua rarefit, nequit ullo ex his modis corrumpi quantitas; ergo. Ostenditur minor per partes. Primò nequit corrumpi quantitas vetus per corruptionem subjecti, quia subjectum remanet Incorruptibile; est enim materia incorruptibilis. Secundò neque ex defectu causæ conservantis; siquidem causa conservativa Deus est, qui penitus indefectibilis est; neque vi agentis contrarii, quia quantitati nihil est contrarium: licet enim secundum tantitatem, seu terminationem contrarientur quantitas major, & minor, & consequenter licet quantitas in rarefactione pereat quoad terminationem, non tamen quantum ad entitatem; neque tandem corrumpitur propter absentiam alicujus termini, à quo specificetur, & dependeat essentialiter, cum quantitas sit accidens omninò absolutum.

Secundò, si dum res rarefit, periret tota quantitas præcedens, perirent etiam accidentia absoluta; cum hæc subiectentur immediatè in quantitate, & non habeant migrare de subiecto in subiectum; sed hoc falsum est, videmus enim, quod res, quamuis rarefacta, habet sua accidentia conseruare; ergò etiam quod quantitas ipsa pereat.

Tertiò quantitas per rarefactionem producta, vel importat tot partes, quot præcedens, quæ totaliter fuit corrupta, vel minores. Si primum, ergò absque ulla necessitate fuerunt omnes partes quantitatis corruptæ, & aliæ productæ, cum ideo credebam hanc esse necessariò corrumpendam, ut alia maior quantitas magis extensa produceretur, quæ tribuere posset maiorem loci occupationem. Si verò dicas secundùm, nimirum maiorem esse. Ad quid, dicerem ego, illas denuò producere, & præcedentes corrumpere, cum sufficeret producere partes illas secundum quas quantitas rarefacta excedit se ipsam non rarefactam.

CAPUT

## CAPUT QUINTUM.

*Rarefactio, & condensatio primò, & per se non terminantur ad maiorem, vel minorem extensionem localem.*

DEtur unicuique suum. Plausibilis est illorum sententia, qui docent rarefactionem primò, & per se terminari ad maiorem, vel minorem extensionem localem, seu ad nouum modum extensionis particularem. Nihilominus quamuis hæc sententia plausibilis sit, quia tamen in plures incidit difficultates, ideo primò impugnatur. Si raritas, & densitas separari possent à maiori, vel minori præsentia locali, iam hæc non consisteret in tali incremento, vel decremento extensionis, & præsentiæ in ordine ad locum. Patet hoc, quia de ratione constitutiui primarii est rem intelligi non posse constitutam sine ipsa; sed de facto separari possunt, ergò: ostenditur minor, siquidem in Sacramento Altaris quædam partes corporis Christi sunt densiores aliis, & aliæ aliis rariores, ut ossa densiora sunt carne, & humores carne rariores, & tamen non habent maiorem, vel minorem præsentiam in ordine ad locum, cum simpliciter, & absolutè præsentiam in ordine ad locum non habeant.

Secundò, quia raritas, & densitas sunt aliquid pertinens ad partes corporis in ordine ad se, & non in ordine ad locum, licèt effectum suum dicant in ordine ad ipsum, nempe distantiam, vel partium propinquitatem, maiorem, vel minorem præsentiam, repletionem, vacuitatem, partium compressionem, ergò nequeunt consistere in ipsa maiori, vel minori præsentia, aut extensione locali.

Tertiò quia, si à maiori, vel minori præsentia locali desumeretur maior, vel minor rarefactio, pariter ubi esset æqualis præsentia localis, deberet esse æqualis rarefactio. Patet hoc, siquidem si ex genere suo maior præsentia localis inferret rarefactionem, æqualis præsentia inferre deberet æqualem rarefactionem, quemadmodum quia immaterialitas in plausibili sententia ex genere suo infert esse intellectiuum, æqualis immaterialitas infert etiam æquale esse intellectiuum; Sed de facto dantur quędam æqualis præsentiæ localis, quæ tamen non æqualem habent raritatem, ut patet in duobus vasibus æqualibus, quorum unum sit plenum aqua congellata, & aliud aqua rarefacta, quæ aqua haberet æqualem præsentiam localem, & tamen una esset rara, alia densa; ergò

## CAPUT SEXTUM.

*Motus rarefactionis, & condensationis per se primò terminantur ad qualitates.*

SEntentiā hanc Doctoris esse non diffitebitur, qui eius superius verba relata animaduerterit. An autem sicuti constat ex Henrico, ita constet ratione, hoc est, quod hic inquirimus. In quo negotio existimo à verò non distare dessensores prædictæ sententiæ eam primò probantes ratione communi Angelico Præceptori, & Philosopho, quæ sub hac forma proponitur. Raritas, & densitas sunt per se primò tangibiles, sicuti asperum, & læne, calidum, & frigidum, ergò sicuti ob hanc rationem quatuor ista pertinent ad speciem qualitatis, ita etiam illa duo priora. Antecedens patet, nam hoc ipso quod aliquod est rarum, potest per se, & ratione sui discerni per tactum, non minus, quam hoc ipso, quod sit densum potest per ipsum sensum ratione sui percipi: consequentia verò probatur, nam accidentia illa, quæ per se primò causant passionem in sensu, spectant ad aliquam speciem qualitatis.

Secundò rarefactio, & condensatio sunt verè motus, ut fatetur etiam aduersa pars, sed si sunt vere motus, nullum alium terminum habere possunt, nisi qualitatem; ergò. Minor ostenditur per partes, & in primis habere non possunt pro termino quantitatem, quia non discernerentur ab augumentatione, & diminutione; nec etiam extensionem, ut patet in Sacramento Altaris, ubi partes aliquas Corpus Christi habet densas, alias rariores absque extensione locali; ergò nullum alium terminum habere possunt, cum præter assignatos nullus alius ab aduersariis assignetur.

## CAPUT ULTIMUM.

*Diluuntur omnia argumenta contraria.*

PRimę Sententię defensores multipliciter arguere solent. Præcipuè tamen. Primò in eo præcise versatur ratio raritatis, quo præcise intellecto, intelligitur corpus constans eadem materia maius spatium occupare; atqui præcisè intellecto corpusculorum accessu, intelligitur corpus eadem constant materia maius spatium occupare. Sic spongia accessu aeris maiorem locum obtinet, sic lintea accessu aquæ, aqua Butirum, Olium, accessu aeris, aer crassior accessu Æ heris; ether accessu subtilioris corporis, si quod fuerit, & sic deinceps, ad extremos usque virium naturalium rarescunt, ergò rarefactio consistit phisicæ in nouæ materiæ accessu, aut in noua corpusculorum intrusione.

Secundò experientia constat aquam ebullientem ad ignem positam edere quasdam Bullas aere repletas; ergo sicuti intra bullas intromittitur aer in illis spatiis, poterunt, & alia corpuscula intromitti, quibus introductis corpora illa includentia talia corpuscula occupabunt distantiores partes spatii, & maius spatium.

Tertio negari nequit Carnes Viventis, Papirum ligna, & alia habere poros plenos minutulis aliis corpusculis Sanguinis, vel aeris, vel alterius rationis, imo in ferro durissimo porri statuuntur pleni particulis ignis, ergo non obest, sed multum incumbit rarefactionem fieri per talium corpusculorum intromissionem.

Quartò non alia ratione carnes infantis rariores sunt carnibus omnibus adultis, nisi quia priores sunt humoribus seù corpusculis humidis plenæ, secundæ verò sunt vacuæ talibus corpusculis.

Quintò quia iuxta hanc opinionem expeditius assignatur corpus, quod repleat spatium relictum à corpore, quod ex raro fit densum. Corpuscula enim ab ipso expulsa in spatium relicta succedunt absque noua ulcini corporis rarefactione.

Sextò quia iuxta hanc opinionem ratio redditur, propter quam corpora calida rarescant, & condensentur frigida, calor enim poros aperit, ut illa corpuscula ingrediantur, & ideo medici, dum medicamine aliquo per iuxtapositionem utuntur, partem illam, in qua hæc exercentur, fovent calorem, ut illius porri aperiantur, & tenues medicamenti partes se insinuent in intimos porros. Econtra vero frigus partes corporis inter se coniungit, & corpuscula intromissa pororum compressione expellit.

Septimò quia iuxta hanc sententiam optima redditur ratio, propterquam corpora valde dura v. g. Ferrum, & si minimum calorē concipiat, nusquā rarescat, quia cum hæc corpora densiora resistant, illiusque partes difficilè separentur, & rarefactio facienda sit per partium separationem, & earundem diuisionem, si hæc non supponatur iam facta, hioc rarefactio contingere nequit, quia illarum partes separare non valet calor, neque corpusculis extraneis viam aperire.

Hæc sunt argumenta, quibus primam sententiam reiectam firmare contendunt aliqui, & ut his cum ordine satisfaciam, dico quod si primum argumentum probaret, euinceret quoque rarefactionem fieri debere congruenter per nouam productionem quantitatis partialis cum partiali materia, quod tamen Arriaga, & Ouiedo arguentes non admittunt. Patet hoc, nam ideo asserunt hi fieri per corpusculorum intromissionem, & condensationem per expulsionem, quia sic bene intelligimus corpus, quod rarefit, vel condensatur occupare partes spatii distantiores, eiusdemque minores; sed hoc bene intelligimus, quinimo melius per nouam quantitatis additionem, & materiæ. Quantitas enim est ratio occupandi locum, & consequenter maior quantitas occupandi plures partes spatii, ergò

Ad secundum libenter concedo aquam ebullientem ad ignem positam quasdam emittere bullas, quæ corpusculis replentur. At id quod aduerto est, quod aliud est corpuscula in Bullis introduci, aliud per ipsorum intromissionem rarefactionem euenire. Quemadmodum in sententia affirmante rarefactionem primò, & per se terminari ad qualitatem, aliud est, quod rarefactio habeat corpus localiter extendere, aliud verò, quod primo in tali consistat extensione. Per quod patet etiam ad tertium.

Ad quartum censeo carnes infantium non esse rariores adultis, quamuis sic videantur sed solum leuiores, quod si velis rariores esse, dico sic esse, non ob maiora corpuscula existentia, sed ob intensiorem qualitatem, quæ raritas dicitur.

Ad quintum dico ab aduersaris expeditā assignari rationē, cur nempe spatium relictum à corpore, quod condensatur, repleantur, sed non expeditius, siquidem eadem facilitate intelligimus condensationem fieri per corpusculorum egressum, ac in sententia firmante fieri per productionem nouæ qualitatis; nam quemadmodum posito quod fiat per corpusculorum egressum, intelligimus spatium illud relictum repleri talibus corpusculis emissis, ita posito quod terminetur ad minorem extensionem localem tanquam ad terminum secundarium, intelligimus corpora vicinia accurrere ad spatium relictum replendum.

Sextum, quod in oppositum afferunt, non urget. Verè enim non redditur ratio, cur corpora calida rarescant, & frigida condensentur per talem corpusculorum intromissionem, & expulsionem, quamuis verum sit, quod pluries corpora calida rarescant, & frigida condensentur. Et ratio mihi euidens est in eo consistens, quod prius quodamodo corpora virtute effectiua caloris rarefiunt, quam corpuscula in se recipiant. Ideo enim corpuscula sese in corporibus insinuant, quia corpus rarefit poros aperiendo. Quod totum euenit loquendo etiam de densitate. Corpora enim aliquando expellunt corpuscula propter partium compressionem, ob quam se insinuare nequeunt.

His solutis audire præstat, quæ aduersarii doctissimi obiiciunt pro secundæ sententiæ defensione à nobis superius pro viribus impugnate. Arguunt autem primò. In rarefactione extenditur corpus rarefactum in ordine ad locum; ergò aquirit nouam quantitatem. Probatur hæc consequentia, eo quia dari nequit nouus effectus formalis absque noua causa formali; sed effectus formalis quantitatis, quamuis secundarius est extensio in ordine ad locum; ergò si datur maior extensio, maior dabitur quantitas.

Huic argumento respondent aliqui primò afferendo quantitatem dupliciter esse posse maiorem. Primò entitatiuè, videlicet quo ad partium multitudinem. Secundò explicatiue, vel quoad maiorem earundem explicationem. Quantitas autem quæ in rarefactione aquiritur, entitatiua non est, sed explicatiua, quatenus partes præcedentis quantitatis magis explicantur, dum corpus rarefit. Præter hanc solutionem, quam veram esse affirmo, dicerem ego, quod estò extensio localis semper à quantitate desumatur, non tamen continuo maior extensio à maiori quantitate desumi debet, quia hæc etiam resultare potest, atque haberi ratione alicuius novæ qualitatis. Quemadmodum, quamuis motus grauium deorsum desumatur à grauitate, velocior tamen motus in fine non à grauitate maiori deducitur, sed ab impulsu per motum anteriorem aquisito; sed contra utramque solutionem.

Instabis primò. Non stat extensionem localem haberi à quantitate, tamquam à forma, & maiorem, vel minorem extensionem, non haberi à maiori, vel minori quantitate; ergo nulla allata solutio Antecedens, in quo residet difficultas ostenditur paritate. Non stat esse cognoscitiuum simpliciter, & absolutè haberi ab immaterialitate, & esse magis, vel minus cognoscitiuum, non desumi à maiori, vel minori immaterialitate, ut docent Diuus Thomas, & Henricus locis relatis ab Illustrissimo Lodigerio *Tomo 1. lib. 3. quæst. 1.* Rursus non stat esse mensurabile esse quantitatis effectum, & esse magis mensurabile non haberi à maiori quantitate; ergò à pari non stabit corpus esse extensum localiter habere à quantitate, & simul ab eadem non eruere esse magis, vel minus extensum. Et ratio totius est, quia forma ipsa, quæ dat esse, dat etiam, & malus esse per sui incrementum, si huius capax sit.

Instabis secundò contra secundam solutionem. Id quod est formaliter inextensum, nequit esse ratio majoris extensionis; sed qualitas est accidens formaliter inextensum; ergò nequit esse ratio majoris extensionis in ordine ad locum; sed experientia constat, quod corpus, ut affectum raritate, magis extenditur; ergo raritas non est qualitas, sed quantitas. Patet hæc ultima consequentia, tum ex præmissis, tum quia sola quantitas habet ex se extensionem actualem, & formalem.

Instabis tertiò. Qualibet qualitas corporea recipitur in quantitate habente determinatam extensionem; ergo extensio quantitatis præsupponitur ad qualitatem; ergo nulla qualitas potest communicare illam dilatationem quantitatis. Patet hæc ultima consequentia, quia nulla forma valet conferre illum effectum, qui ad ipsam necessariò præsupponitur.

Contra est, & ad primum facilis est disparitas. Ideò enim esse magis cognoscitiuum haberi debet à majori immaterialitate, quia non est aliud, unde formaliter haberi possit cognoscitiuitatis incrementum. In casu autem nostro aliud adest præter quantitatis formam, unde venari possumus majorem, vel minorem localem extensionem, nimirum ipsa-

ipsarum partium præcedentium dilatationem, aut compressionem. Ad illud verò de mensurabilitate dico hanc non semper attendendam esse à majori quantitate, cum aliquando res esse possit magis mensurabilis per ipsam majorem partium explicationem.

Secunda verò instantia parvi est roboris; amplector enim quorundam solutionem asserentium majorem localem extensionem, quæ habetur per raritatem formaliter provenire à quantitate præcedenti, dispositivè verò à raritate ipsa, quæ qualitas nuncupatur, quatenus ipsa rarefactio habet magis explicare partes præexistentes quantitatis, ut occupet majus spatium.

Ad tertiam respondent Thomistæ Complutenses, quod quamvis quantitas præsupponatur ad qualitatem raritatis in genere causæ materialis, qualitas tamen hæc præsupponitur ad ipsam quantitatem in genere causæ dispositivæ, in quo genere causæ, ipsa raritas prior est ipsa quantitate. Sed non subscribo huic solutioni, primò quia in mea sententia repugnat mutua causalitas physica etiam in diverso genere causæ, ut suo loco ostensum est. Secundò, quia juxta hanc solutionem sequi videtur non tantum mutuam causalitatem in diverso genere, sed etiam in eodem genere causæ, cum dispositiones reducantur ad genus causæ materialis ex parte, cuius se tenent. Tertiò quia non est necessarius recursus ad mutuam causalitatem, ut argumento fiat satis, cum ad sufficientiam mihi videatur solvi, si duplicem extensionem in quantitate corporis rarefacti distinguamus, nimirum aliã, quæ præsupponatur ad rarefactionem, aliam verò quæ ad ipsam subsequatur, qua distinctione posita argumentum in integrum solutum remanet.

Arguunt secundò. Ideò non requiritur nova quantitas, quia non acquiritur subjectum novum, nec duæ quantitates subjectari possunt in eodem; sed utrumque falsum est; ergo. Probatur minor primò quoad primam. Non stat rem habere plures partes determinatas entitativas, & non habere plures partes materiales; atqui res rarefacta habet plures partes determinatas entitativas, quam antea; ergo acquiritur novum subjectum. Secunda verò pars minoris evidens est, non enim minus materia est determinata, & limitata ad determinatam quantitatem, quam determinata quantitas ad determinatam extensionem; ergo si determinata quantitas habere potest majorem extensionem, quam semel habet, etiam determinata materia habere poterit majorem quantitatem, quam semel habet.

Respondeo omissa causali, quæ legitima non est nego minorem, ad cujus primæ partis ostensionem censeo penitus falsum esse rem, prout rarefactam importare quoad substantiam plures partes entitativas, cum omninò eedem sint partes. Nec pariter valet paritas, quæ inferius affertur. Disparitas enim est, quia determinata quantitas est determinata ad talem extensionem per modum formæ accidentalis, quæ cum suscipiat magis, & minus, consequenter fieri potest, ut augeatur ejus extensio localis. At verò materia est determinata per modum subjecti ad talem extensionem, unde quoties manet eadem, non potest augeri extensio, sicuti manente eadem quantitate augeri nequit localis extensio, quamvis ipsa privari possit.

Arguunt tertiò: alii si rarefactio, & condensatio terminarentur ad majorem, vel minorem extensionem localem absque novæ materiæ additione, vel detractione, impossibile esset rem rarefieri, & condensari, quin simul penetraretur, & bilocaretur; atqui hoc affirmari nequit, aliàs cum res naturaliter rarefiant, & continuò condensentur, continuò quoque naturaliter interveniret penetratio, & bilocatio, cum tamen prima solum agente Deo introduci possit in rerum natura, secunda verò in plausibili sententia sit simpliciter, & absolutè impossibilis; ergò fieri non potest absque novæ partis addirione. Probatur sequela primò quoad primam partem. Res quæ rarefit stante hac sententia secundum easdem partes distrahitur ad minus spatium priori sibi correspondente, & cui commensuratur retento, sed rem absque noua partis additione distrahi ad maius spatium occupandum priori retento est formalissimè bilocari, in hoc enim consistit conceptus bilocationis ex genere suo; ergò. Secundò ostenditur quoad secundam partem, siquidem rem condensari est minus spatium occupare, & consequenter minorem extensionem localem illa importare, quæ debita est ipsi secundum suum statum naturalem, sed hoc est formalissimè aliqualiter compenetrari; ergò si rarefactio.

Hoc argumentum tantum existimarunt Oviedo, Maignan, aliique, ut ob hoc asseruerint improbabilem reddi sententiam, quam hic defendimus. Nihilominus judico neutrum sequi ex iis, quæ adversarii doctissimi hic objectant; non quidem primum, quia rei, ut rarefactæ illa nova præsentia, & major localis extensio sunt naturaliter, debita. Bilocatio autem non est debita rei creatæ, sed indebita, cum rei exigentia solùm sit unius loci. Secundò, quia rem bilocari est rem esse in duplici loco adæquato, itaut quilibet ex illis locis sit ipsi adæquatus. Res autem, ut rarefacta non sic esset in duplici loco, cum locus, quem acquireret non esset ipsi adæquatus, sed inadæquatus adæquatum locum constituens cum præcedenti. Tertiò quia aliud est quod res retento priori loco in illo se extendat ad partes loci contiguas occupando locum majorem, aliud verò, quod illo loco retento, simul repleat alium locum totalem, & adæquatè distantem. Hoc secundum utique facit bilocationem; primum verò solum extensionem quoad locum. Quartò, quia esto argumentum urgeat ponentes corpus omninò solidum nullos habens porros vacuos, ut hic advertit Maignan, urgere tamen nequit eos (quibus adhereo) qui tales porros concedunt vacuos, in quorum sententia, cum consistat rarefactio in extensione porrorum, sive in longum sive in latum, sive in omnem partem, condensatio verò in eorum contractione, jam nullum est periculum penetrationis, atque bilocationis.

Arguunt ultimò promiscuè, & primò in rarefactione producuntur nova puncta; ergò etiam nova quantitas. Consequentia hæc constat, quia puncta in sola quantitate reperiuntur, quibus ipsius partes copulantur. Secundò sic se habet rarefactio ad quantitatem, sicuti intensio ad qualitatem, sed non potest qualitas intendi absque acquisitione novæ partis qualitatis; ergo nec potest extendi quantitas absq; additione novæ partis. Tertiò ex eodem Philosopho habetur proscriptio, sententiæ superius receptæ. Hæc enim habet in prædicamento qualitatis rarum verò, & spissum, & lene putabuntur quidem quale quid significare, sed aliena huiusmodi putantur esse à divisione, quæ circa quale est. Quartò quia ex iisdem definitionibus superius relatis habemus raritatem, & densitatem terminari ad maiores, vel minores dimensiones actuales, adeoque ad quantitatem. Sed

Contra

Contra nihil est, quod ex dictis urgeat. Non primum, cuius solutionem vide apud Ruuium, & Conibricenses hic, cui addo in rarefactione noua non produci puncta. Non secundum, disparitas enim consistit in diuersa natura quantitatis, & qualitatis, nam hæc intendi nequit, nisi in ordine ad eandem partem subiecti per nouam eductionem de eius potentia, noua autem eductio est noua productio partis gradualis, ut per se patet. Quantitas vero perficitur per ordinem ad extremum, nimirum ad locum, vel spatium, in quo extenditur, & quia in ordine ad spatium potest ex duplici capite magis extendi, videlicet per additionem nouæ partis, & per maiorem earundem dilatationem, quam aquirunt per raritatem, à qua habent magis inter se distare, ideo quantitas aquirere potest maiorem extensionem in spatio absque noua parte aquisita, licet non possit qualitas aquirere nouam intensionem, nisi per additionem nouæ pártis.

Nec tertium probat. Rarum enim dupliciter considerari potest, formaliter nimirum, vel secundum effectum primarium, & secundum effectum secundarium. Priori modo importat qualitatem, quia præsefert partes quantitatis, & substantiæ sic affectas, & taliter modificatas per raritatem, ut petant maiorem extensionem, tum inter se, tum in ordine ad locum. Secundò verò modo inspectum non dicit formaliter qualitatem; sed solum maiorem partium extensionem in ordine ad locum, ium pecu liarem positionem, que omnia sunt effectus secundarii, non verò primarii ipsius quantitatis per quod patet etiam ad ultimum.

# De Elementis.

POstquam egimus de omnibus iis, quæ spectant ad materiam de ortu, & interitu, ut recto ordine procedamus agendum est de Elementis, & quidem nonnulla inferendo, quæ Recentiores quamplures amplecti solent. Ut hoc ergò citius fiat sit.

# DISPUTATIO PRIMA.

*De Elementis, eorumque qualitatibus.*

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quid, & quotuplex sit Elementum.*

PRimum quod quæritur facilè definiunt Peripatetici docentes elementum *esse corpus, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest actu, vel potentia, ipsum autem est indiuisibile secundum speciem*. Per ly *in cætera corpora diuiduntur*, insinuantur mixta, quæ veré in elementa resoluuntur. Dicitur verò, *quibus inest actu, vel potentia*, & denotatur elementa esse in mixto, vel formaliter, vel virtualiter juxta unius sententiæ ab altera diuersitatem. Reliquæ verò particulæ positæ sunt ad insinuandum elementa diuidi non posse in plura corpora speciе diuersa, quamuis diuidi possint in materiam, & formam; nolumus enim esse corpora simplicia.

Non mediocre autem dissidium est circa id, quod secundo loco propositum est, nimirum circa elementorum numerum. Cartesius enim vult tria solum esse elementa: opinatur enim tria sufficere ad omnes res naturales habendas. Hæ namque, vel sunt corpora lucida, aut pellucida, aut opaca. Si prima esse dicantur, ex primo elemento constitui necesse est, si verò secunda ex secundo, si tertia tandem ex tertiò. Ignis enim essentialiter ex partibus ererogeneis, idest nitroris, & sulfureis constat, quapropter inter elementa ipsum, ex *Anaximeneo, Talete, Milesio, Hesiodo*, aliique antiquioribus Philosophis non computat. Alii verò eumdem numerum elementorum cum *Cartesio* recipientes, numerant ignem, sed respuunt aerem. Hi ad hoc moventur, quia videot ex ipso corpora naturalia componi non posse; cum enim aer corpus sit tenue nequit unum efficere cum corporibus crassis, terra nimirum, & aqua. Nonnulli verò maiori numero adhærentes non tria, vel quatuor, ut defendunt Peripatetici, sed longè plura esse affirmarunt. Sic sentiunt Emanuel *Magnan, Casimirus*, & Chimici addentes prioribus Mercurium, Sulfur, & Sal. Caput enim mortuum, idest terram damnatam, sicuti nec phlegma nolunt tamquam principia, quia ad omnia inutilia sunt. Nos peripateticam sustinemus sententiam; vel verius *Occeliana elementa* sic dicta, quia ab Occello Lucano ipsorum numerus fuit primò decretus.

## CAPUT PRIMUM.

*Quatuor tantum sunt elementa.*

DUplici solum ratione, & quidem communi positam thesim contra ingens agmen Cartesianorum, Epicureorum, Chimicorum firmare placet; quarum prima est. Tot sunt elementa, quot sunt possibiles combinationes utiles primarum qualitatum, cum unumquodque elementum ex combinatione legitima primarum qualitatum resultet, atqui huiusmodi combinationes sunt solùm quatuor; ergò. Minor, in qua stat difficultas ostenditur, quia huiusmodi combinationes sunt unicè istæ, nimirum prima frigoris cum siccitate, secunda caloris cum siccitate, tertia humiditatis cum calore, quarta humiditatis cum frigore. Frigus enim cum calore, & humiditas cum siccitate concurrere nequeunt in eodem elemento, si verum est, quod singulis elementis una ex his qualitatibus debeatur in gradu summo. Patet enim non posse unum elementum habere admixtionem qualitatis contrariæ illi, quam habet in summo.

Dices cum Clarissimo *Hererbord* rationem hanc nullam esse, primò quia falsa est maior, ex diuersa enim qualitatum coniugatione, & combinatione non diuersitas elementorum, sed corporum naturalium desumitur. Secundò, quia falsa est minor, aliæ siquidem combinationes sunt possibiles, uti combinatio ex calido, & frigido, humido, & sicco in remmisso. Quinimmò addit *Schulerus* combinationem qualitatum in elementis non requiri, cum unica qualitas in elemento sufficiat. Sed

Contra est. Euasio enim hæc, qua etiam nouissimè usus est Edmondus Purchorius nullius roboris est, siquidem cum in mea sententia Elementa corpora sint, & quidem non simplicia, ut Atomistæ defendunt, sed composita, quorum determinata combinatio qualitatum proprietas est, iam si ex diuersa

diuersa coniugatione qualitatum infertur diuersitas corporum, infertur etiam diuersitas elementorum. Nec pariter validum est, quod secundo loco opponitur, siquidem combinatio Elementis connaturalis, & debita esse debet ex duabus qualitatibus, quarum una in summo sit, altera verò citra excellentiam. Hoc autem modo nulla est possibilis præter relatas à nobis superius, uti Clarissimi viri arguentes fateri debent.

Secunda ratio desumitur ex Corporum resolutione; si enim vi ignis fiat resolutio, v. g. ligni præsertim viridis, videmus totum lignum adire in quatuor elementa, vel in partes illis affines, videlicet in partem flammosam, & in alias particulas spiritosas, multum habentes de igne, partim in fumum, & in vapores aereos, partim in spumam, atque in exhalationes humidas, & aqueas, & partim in cineres siccas, ac terreas. Quod totum clarius patet in distillationibus, quæ fiunt per Blambicum, in quibus valdè sensibilis est huiusmodi partium resolutio, & separatio.

Huic rationi respondet Schulerus falsum esse lignum resolui in aerem, cum resoluitur in fumum, quia hic non est aer; fumus enim visibilis est, coloratus, & vi Elastica carens, aer verò, nec visibilis est nec Elaterio caret. Secundò quia eodem jure posset quis asserere omnia componi ex chilo, urina, & crassioribus fecibus, quia omnia, quæ manducamus in ea resoluimus, ut optimè aduertit hic Casimirus ex Guillelmo Lamy. Sed

Contra est, siquidem superius locutus sui disiunctivè, nempè corpora quædam, dum resolvuntur, resolvi, vel in particulas aereas, vel aeri affines. Fumus autem estò non sit formaliter aer propter dicta, negari tamen nequit ipsum affinitatem habere cum aere. Secundùm verò non urget, siquidem hic sermo est de prima compositione, & ultima resolutione, qualis certè non est resolutio in chilum, urinam.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

PRimò arguit Emanuel Maignan. Si solùm quatuor essent Elementa, mixta differrent solùm inter se secundùm magis, & minus, idest prout de igne plus est in uno, quam in alio; sed hoc discrimen non esset secundum speciem; magis enim, & minus de igne sunt semper in specie ignis, quæ autem sunt in eadem specie huius, aut illius elementi, non possunt mixto afferre discrimen specificum; ergo elementa non sunt solùm quatuor.

Confirmatur hoc. Ex quatuor solum nequeunt composita physica specie diversa fieri, quot in mundo conspicimus. Quemadmodum ex quatuor solum caracteribus Alphabeti non possunt compingi tot vocabula, quot cernimus implere libros, & Bibliothecas.

Respondeo negando sequelam. Siquidem mixta nedum differunt secundum quod participant magis de uno elemento, quam participet aliud, sed etiam quia diversam mixtionem elementorum important. Quod si contingat unum mixtum importare eadem penitus Elementa constitutiva, ac aliud cum sola diversitate in modo participandi unum, vel alterum elementum, ut si v. gr. unum mixtum plus de igne participaret, quam aliud, adhuc esset, unde diversitas essentialis inter ipsa mixta desumi posset, nimirum ab ipsa diversa exigentia, quatenus mixtum in tali gradu exigeret in se virtutes elementares habere.

Ad confirmationem verò dico ex quatuor elementis juxta diversam ipsorum combinationem optimè fieri posse diversa composita. Cum enim ipsorum qualitates multipliciter combinari possint, & in diverso gradu, uti v. gr. quod in uno mixto calor emineat, in alio verò frigiditas, in altero verò humiditas, in alio verò siccitas superet humiditatem, hinc, & diversa mixta fieri possunt ex quatuor qualitatibus, quod evenire nequit loquendo solùm de quatuor Alphabeti Characteribus.

Arguunt secundò alii negantes aerem elementum esse. Quodcumque in porris mixtorum tantum continetur, illud non est pars mixti, & multò minus elementorum illud constituens; atqui aer solùm continetur in porris mixti, cum enim sit corpus tenue, & fluidum nequit unum fieri cum corporibus crassis, terra videlicet, & aqua; ergo. Major probatur, quia porri ipsi non sunt partes mixti, sed spatia quædam inter partes; sic pars carnis non sunt porri ejus, & multò minus aer in porris existens.

Confirmant hoc argumentum Herrebordt, & Schulerus; ex quo enim non nutrimur, ex eo non constamus, atqui ex aere non nutrimur, ergò neque ex aere constamus. Maior est certa, undè etiam elementum quasi alimentum quibusdam dictum, quod ex iis corpora nostra alantur, minor verò patet, tum experientia, tum ex iis, quæ suprà dicta sunt, quià aer pars corporis crassi, aut densi fieri nequit.

Respondeo, quod si nullum aliud adest motiuum abradendi aerem ab elementorum numero præter relata, profectò abstinere poterant hi Doctores in rebus physicis peritissimi ab huiuscemodi inuentione sententiæ; siquidem tenuitas, & fluiditas aeris valdè inseruiunt ad se penetrandum in corporibus crassis, quod clarius constat in Cartesii sententia volentis materiam primi Elementi ob sui maximam tenuitatem peruadere portos crassiorum corporum.

Ad confirmationem dico, quod si aliquid in ipsa ostenditur, etiam probatur, nec ignem esse elementum, cum certè igne nos non nutriamur, quod tamen extrà Cartesii Scholam ferè communiter negatur, & præcipuè à recensitis Auctoribus. Præterea aere suo modo nutrimur; continuò enim aerem attrahimus, ipsumque respiramus. Nec efficit, quod dicas, aerem, quem respiramus purum non esse, quia quemadmodum purus non est, ita nec cætera elementa, quibus nec nutrimur, cum pura elementa apud nos non sint, ut rectè observauit loquendo de aquæ elemento Emanuel Maignan, de aliis vero Atanasius Kircher, aliique. Aqua enim semper complectitur confusas particulas, & in ipsa succi uarii deprehenduntur, undè oritur illas esse aliquandò salsas, modò dulces, insipidas, acidas, quod maximum est argumentum aquæ uariæ mixtionis.

Arguunt tertiò alii. Mixta non resoluuntur solum in quatuor elementa assignata, sed etiam in alia diversa, nimirum in sal, sulfur, & mercurium, quæ à Chimicis ex omnibus corporibus extrahuntur; ergò elementa plura sunt, quam quatuor.

Respondeo mixta verè resolui in sal, sulfur, & mercurium, sed non ultima resolutione, adeoquè cum non sint ultima resolutione, neque erunt prima compositione.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*In qua singuli elementi natura inquiritur iuxta Recentiorum sententiam, simulquè aliqua obiter referuntur, quæ ad præsentem spectant materiam.*

### CAPUT PRIMUM.

*De Terræ Elemento.*

TErram Elementum uariè describunt Recentiores ex his censent aliqui aggregatum esse ex multis corporibus grauibus, duris, frigidis in unum compactis globum, quæ omnibus mixtis supeditat materiam fixam, & firmam, uel consistentiam maiorem, vel minorem, pro ut plus, minusue de suo tradit. Alii verò, quos inter Cartesius ipsam prius dividentes in interiorem unam, & exteriorem alteram, primam corpus opacum iure meritò, ac densum; exteriorem verò penes illius superficiem attendi, uti montes, flumina, herbæ, quam geometricè sphericam defendit, ob luminis solaris successiuam illuminationem, nec adeo opacam asserit Cartesius, ut etiam aliquando diaphana non sit, uti ea, quæ in Chrystallo adest. Atanasius Kircher tamen breuiori calamo eius naturam suadens existimat *terram ex crassioribus partibus primorum proximorum principiorum, quæ in Chaotica massa, & ubi-fo existebant, esse productam*. Hos quamuis Auctores inter se dissides inveniamus, concordes tamen conspicimus in perfectiori naturæ terræ assecutione, quam suis Peripatetici exponere solent formis substantialibus, quapropter physicè elementum melius explicari in Recentiorum sententia non diffideo, dummodo tamen nomine pattium, corpuscula indivisibilia, & extensa non intelligamus.

Terræ autem varietas omnibus innotescit, macra enim una, pinguis altera est, modo alba, nunc nigra, dulcis, amara, acris, & etiam insipida aliquando inspicitur, cuius varietatis originem more suo inquiiunt Kircher *lib. 7. cap. 3. & Gassendus lib. 1. Physice sect. 3* Sua gaudet actiuitate, quam præcipuè à sale desumi certum est, cuius certitudinem non parum suadet terra in vitro residens, quæ quià omni sale destituta remanet, infecunda ab omnibus iure merito censetur, quapropter salis spiritus ab initio productionis terræ eidem est insitus, ne sterilitate careret, undè fit, ut *mutua communicatione terra, & maria se mutuo foveant, nutriantquè, ut quem oceanus è terrestrium glebarum uberibus exuxit salem, cum per subterraneos iuciles, & alueos deductum, velati pignus quoddam sibi concreditum terræ restituat*, ut optime docet *Kircher*.

Sal autem ità terræ propirium multiplicis generis est. Primus marinus dicitur, qui substantiæ molioris est, forsitan quià humiditas in eius productione non parum dominatur. Fit autem ex salsa maris caua, & exsiccatur, & condensatur in salem, vel à natura, & contingit quando maris ferventis æstu aqua in spumas ad littora dispulsa, ibidem solis ope condensatur, vel artis industria. Compertum autem est calidioribus annis maiorem salis prouentum causari, quià calor non parum conducit ad huius copiam habendam. Præter tamen caloris solem venti multum conferunt, quapropter minor salis quantitas conficitur tempestate tranquilla, quam procellosa, undè ad eius efformationem optimi sunt Zephiri, & Aquilones. Huius non vnus est color, ut optimè aduertit *Kircher* ipsum in album, flauum, rubrum, & nigrum distinguens; oritur autem hæc colorum varietas variis ex causis, quarum potissima, est, vel diversa terræ dispositio, quæ si rubicunda sit, salem reddit obscurioris coloris; si vero cærulea albiorem, vel etiam maior, vel minor aquæ portio, quod ex eo deducitur, quià albior pauló amplius aqua expostcit. Modus autem, quo arte efficitur, clare expressus legitur, nedum apud eumdem *Kircher*, verum etiam Ioachinum Becherum Spirensem *lib. s. sect.* 6. *cap.* 8., & acta philosophica societatis Angliæ *mense septembris, ex anno* 1669.

Secundus Sal Fossilis dicitur, vel terrenus, terræ prædominio gaudens, qui ex montibus eruitur, aut è campis effoditur; hic adeò solidiori substantia compactus est, ut idem Kircher referat accomodatum esse simulacris exculpendis, qui multiplicis generis est. Primus est Sal christallinus, sic dictus, quia instar est purissimi diaphani; secundus Ammoniacus, vel arenarius ab arena non mediocris activitatis humano generi, qui sub arenis Libiæ congelatus reperitur; tertius tandem lapidosus dicitur, qui in maxima copia adest in Calabria, Polonia, Hungaria, Asiæ Caspiis montibus, Africa, & America.

Ultimus tandem sal fontanus est, ex fontibus erutus à Kircher sal fluvialis, & lacustris dictus, de quo idem Auctor videri potest.

Ad terræ elementum spectant arena, sabulus, glarea, cinis, lapides, ex quibus nonnulli sunt, quos homines magno In pretio habent. Gemmæ arte chimica liquefactæ à Cleopatra Ægypti Regina in calice Antonio tertio Antonii filio propinatè fidem faciunt. Refertur enim existimatas fuisse quinquaginta millibus sextertium. Romanorum tempore Achites habebatur lapis omnium pretiosissimus; nunc verò sunt *Adamas, Rubini, Smeragdi, Saphirus, Carbunculus, Margaritæ, Lapis Bezoar, Turcoides*, aliique, quorum loca, ubi reperiuntur, refert Dominus *Capuzean* in sua Historia præcipuarum divitiarum Orientis, & Occidentis. Hos breviter aliqua hic scribimus, & primò Adamas in India reperitur, vel in fundo fluminum inter arenam, & præcipuè in fluminibus *Saccadan, & Hoge* dictis in Regno *Bengala*, vel in Fodinis, ad cujus productionem refert Kircher primò concurrere spiritus salis purissimos nullis tincturis reliquorum succorum mineralium pollutos, quos volatiles esse opportet; secundò locum proportionatum, quem censet intra rupis concava, quia hic purissimi salis spiritus volatiles reperiuntur ope solis in his locis lucidissimi, in quibus salis spiritus recepti, & conclusi, fixis partibus salis purissimis copulantur, ex quo coniugio mediante humido temporis successu Adamantis gemma concrescit.

Rubinus verò à rubro colore, quem præsefert, nomen sumit, in Regno *Pegu*, & Insula *Ceylan* invenitur. *Turcoides* gemma est viridi colore prædita, quæ in Persia in Provincia *Chamaquay* invenitur. Smaragdus viridis gemma est in *Peru* sita. Margaritæ verò in Oriente inveniuntur in Insulis Baharem in sinu Persico, *Ceylan* circa *Manar*, *Iapan*; optimæ tamen sunt in *Ceylan*, sed parvæ; maximæ verò in Japan, sed irregulares. In India Occidentali verò capiuntur in Mare Septentrionali, atque in Insulis *Margaretæ*, *Cubagnæ*, *Sanctæ Martæ*, *Comana*, & *Comanagotæ*. Modus autem, quo Invenitur lapis Bezoar mirabilis est; adest enim hic in ventriculo hircorum, atque in corpore Simiarum, quæ *Golconda* in Provincia *Lenquery*, &

in

In Insula *Celebes* inveniuntur, quorum locorum Incolæ, ut experiantur, utrum hircus in suo corpore habeat hujusmodi lapides, percutere solent suis manibus Simiæ ventrem, & eundem fricare, donec omnes lapides, qui sunt in animali, in unum congregentur, & tunc eos attrectant, & numerant, sicuti nos numeramus lapides in sacco. *Saphirus* tandem pulchritudine cæteras gemmas excedit, cæruleus est, Cœli colorem miro splendore, & summa perspicacitate refert, omnium gemmarum est durissimus excepto Adamante. *Carbonculus* tandem rubei coloris gemma est, à luce, qua Carbonis instar lucet, sic dictus; hic venenis resistit, libidinem coercet, animum exhilarat, ad iram conciiat, somnum minuit, infortunio instante mutare colorem perhibetur.

Ex his gemmis quamplures compositas esse ex partibus olim fluidis affirmant aliqui quibusdam experientiis ducti, quarum aliquas recenset Robertus Boyle *in suo tractatu de gemmarum origine, & virtutibus*, quarum præcipua ea est, quam se fecisse refert in magno adamante impolito, in quo microscopii virtute commissuræ Bractearum perspectæ sunt, & plana contextura non dissimilis ligni fissiliati, quod contingit, quia cum aliquando fuerint corpora fluida, facilè poterant talem dispositionem partium suarum acquirere, ut corpus constituerent longè facilius fissilæ secundum ductum fibrarum, quam alio modo, cui non dissentit Atanasius Kircher *libro 8. de lapidibus*.

Alia terræ portio, arena est, quam ferè omnes dividunt in fossilem, fluvialem, & marinam, atq; originem ducere opinantur ex corrosione acris liquoris, quo lapides in arenam resolvuntur, cujus variæ sunt qualitates; sicca enim, vel pinguis, & aliquando nitrosa invenitur juxta diversitatem sub stantiæ, à qua deciditur, quæ à sablo, & glarea in hoc differt, quod sablum, sicuti, & glarea arena grossius, durum, & mole sint.

Terræ usus varius est. Præcipuus tamen est, vel ad conservandam hanc nostri corporis vitam, vel ad restaurandas partes infectas, ut ex Dioscoride, Matthiolo, aliisque colligitur. Terra Lemma à Lemno Archipelago, in quo effoditur sic dicta, non mediocrem activitatem habet contra læthalia venena, cum vino enim pota venena introsumpta vomitione pellit, quod etiam refert Plinius *de terra Sancti Pauli in Insula Meluensi*. De lapidibus verò innumera referri possunt; sed quæ scribit Domini cus Theunoto aduertere sufficiat. Refert itaque lapidem quemdam esse in India in capite Serpentis, qui vulneri impositus vulneri inflictu à Bestia, quamvis venenata illi inhæreat, attrahitque omne venenum, qui lacti deindè iniectus, in eum omnem deponit venenum. Quod à veritate alienum non esse existimo, si quæ alii scribunt, aduertamus; referunt enim Iaspem sanguinem sistere, Amethystum ebrietati resistere, pesti carbunculum, Hyacinthum verò nedum rem ammissam indicare, verum etiam somnum conciliare.

Unde autem quamplurium gemmarum virtus suam trahat originem, non una est omnium mens. Præcipua est clarissimi Boyle, qui opinatur hanc haberi à mixtura mineralium substantiarum, hoc egregiè suadens quamplurimis coniecturis, quas ommitto videndas apud eumdem doctissimum Virum. Nobis referre sufficiat pro huius rei veritate, quod non raro fuit obseruatum, ut refert idem Auctor, huiusmodi gemmas proximas esse venis metallorum, unde in India Orientali gemmæ sæpè sæpius inueniuntur in ipsis venis metallicis, vel prope ipsas, ex quo probabile est virtutem suam, vel efficaciam ab ipsis participare. Sua habet Terra Meteora, quæ non à materia, sed à loco, in quo fiunt denominationem habent, duo ponuntur à Philosophis, scilicet Terremotus, & ignis subterraneus. De hoc secundo inferius agemus, ubi de ignis elemento. De primò agendum est nunc. Terremotus itaque definitur meteorum ortum ex exhalatione copiosa intra terræ viscera inclusa, quæ dum sibi viam quærit, ut ascendat, nec reperit liberos meatus, concutit terram: quod si exhalatio debilior sit, tunc non mouet terram, sed solum edit sonum mugitui similem.

Causa, qua terra concutitur, alii in terra; alii in aqua, alii in aere, alii in igne esse putauerunt. Omnes bene. Quod ut constet, obseruationes aliquæ præmittendæ sunt, tanquam principia futurarum conclusionum. Et quidem primò præcognoscendum est, terram multis, & quandoque magnis cauitatibus, cryptis, & canalibus intus undiquaque, præsertim sub montium iugis, hiare. Secundò Cauitatum istarum, seu cryptarum, venarum, & viarum subterranearum, alias aquis repletas, voragines quasdam, abyssos, & riuulos componere; alias exhalationum plenas esse. Tertiò præterea, turgere viscera telluris undiquaque plus minus, in locis montuosis præsertim, sulphuris, bituminis, nitri, aliorumque salium magna copia. His autem suppositis.

Primò. Terra ipsa sui motus causa esse potest, quatenus vasta quædam ipsius terræ portio, interfluente quodam corpore liquido soluta cadit. Nam prætterquamquod pars illa terrestris cadens quidam ipsius terræ tremor haberi potest, ipsa tremorem superioribus eiusdem terræ partibus afferre potest, primum, dum abscedit (nihil enim utique magnum sine motu eius, cui hæsit, abscinditur) deinde cum decidit. Illud enim corpus lapsum, vel solido excipitur, vel liquido corpore (molle nihil ad terremotum conferre potest) Si solido corpore; v. g. rupe excipiatur, lapsum resilire potest, pilæ more, quæ cum decidit, exultat, ac sæpius pellitur; toties a solo in nouum impetum missa. Si verò liquido corpore v. g. aqua, & aere stagnantibus, idem corpus lapsum excipiatur, illud ita suo pondere liquorem obuium potest impellere, ut hic suo fluctu, vicibus alternis elatus, terram superiorem concutiat.

Hinc sonus, qui ex collisu corporum solidorum præsertim resultat, sepius hunc terræ motum comitatur, & quidem varius pro varietate, tum corporum, sibi obuiorum, tum locorum, in quibus hæc sibi occurrunt.

Hinc tremente terra aqua in puteis aliquando ascendit exiliens; prout nimirum aqua, siue proximè, sivè tandem à corpore solido lapso in sublime effertur.

Hinc terræ admodum siccæ, ut Ægiptus, rarò hoc modo quatiuntur, terræ verò humidæ frequentius: quod hic frequentius, quam illic quædam terræ portio humoribus exesa in subiectas cauernas lapsa cadere possit.

Hinc terræ motus frequentiores sunt Veræ, & Autumno, quam Hyems, & Estate; noctæ, quam dies, quod in illis potius, quam his temporibus terrestris pars ab ea, cum qua cohæret, distrahi possit.

Secundò. Aqua potest esse terræ motus causa, quatenus aqua per omnem terram diffusa hic lacus, hic amnes, hic fontes modo maiores, modo minores exhibet, Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina

mina

mina edenda, nisi ex reposito, multoque funderet Non est diu probandum ibi multas aquas esse, ubi omnes sunt. Si hoc verum est, necesse, ut aliquando illic amnis excrescat, & relictis ripis violentus in obstantia incurrat. Sic fiet motus alicuius partis terrenæ, in quam flumen impetum dedit, & quam, donec decrescat, verberabit: non secus ac, exundante apud nos flumine, obuiæ arbores, & ædes aqu s concussæ tremunt. Sed potest fieri, ut aliquam regionem, Riuus affluens exedat, ac secum trahat aliquam molem: qua lapsa, superposita quatiantur. Nec video quid prohibeat, vel obster, quominus ex subterraneis aquis, igne pariter subterraneo tepefactis, quidam excitetur ventus, quo occulti illi amnes, & lacus ita impellantur, ut hi aliquam partem terrarum impulsam vehementius moueant.

Hinc Insulæ frequentius terremotu agitantur, quod hæ, & circumfundantur, & penetrentur aquis, quibus possunt concuti. Hinc etiam in pluribus terremotibus noui erumpunt fontes, magneque sæpius aquarum exundationes laxatis specubus emergunt.

Tertiò, Aer potest quoque prædicti terremotus esse causa. Cum enim aer sit naturalis halituum, & vaporum ex terris, & aquis ortorum congeries, profectò illa congeries terræ visceribus inclusa, & foras exire contendens ipsam terram potest concutere. Quatenus enim hæc congeries ab alio corpore mota est, in obuia incurrit corpora, exitum quærens, ac duellit repugnantia, donec per angusta, aut nacta est viam execundi ad Cœlum, vel ui, atque iniuria fecit.

Hinc multa sunt terremotus discrimina, quæ maximè efficit eiusmodi spiritus positio, & situs, & eius copia, vel paucitas. Duas terremotus species attulit Aristoteles, scilicet tremorem, & pulsum; quatuor Georgius Agricola, decem Albertus Magnus; vulgus Philosophorum tres, ad quas omnes terremotus reuocari possint, nempe inclinationem, pulsum, & tremorem.

Inclinatio dicitur, cum terra instar arboris, aut machinamenti suspensi utroque nutantis, dextrorsum, sinistrorsumque, alternis versatur: qua ratione ferunt quidam montium iuga ita aliquando impelli, ut mutuo accessu, & recessu, quasi inter se arietare videantur.

Pulsus verò dicitur, cum terra, instar arteriæ micantis, alternis sursum, deorsumque quoquouersus mouetur. Hinc terremotus, tum potissimum accidunt cum magna eiusmodi spirituum copia terra sinu includi solet, ut Veræ, & Autumno. Hinc etiam iidem terremotus ibi frequentiores sunt, ubi plures occurrunt Cauernæ, loca his spiritibus continendis idonea; nisi eodem hæ Cauernæ Cœlo sic pateant, ut libera sit prædictis spiritibus foras execundi potestas.

Quartò, Ignis præsertim potest esse terremotus causa. Primò, quatenus prædicti subterranei spiritus ab igne, aut subterraneo, aut cœlesti excitantur. Secundò, quatenus quidam halitus terræ visceribus inclusus, ex cuius diuersa compositione Sulphur, Bitumen, & cætera eiusmodi corpora inflammari apta coagmententur, instar tædæ fumantis ignem, aut ab alio ignæ, aut duriorum corporum conflictu, aut liquorum permistione ita concipit, ut latius diffusus omnes loci quo continetur, angustias undique impellat; terramque concutiat, donec facto exitu flamma per summa præsertim montium cacumina, qua videlicet minus resistitur, erumpat. Postremò, quatenus idem ignis terrestribus inclusus cauernis ardet, & proxima queque ita consumit, ut superiores terræ partes subiectis adminiculis primum nutantibus, nurent, deinde tuentibus deorsum, ruant. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quoties incendio pars ciuitatis laborat: cum exustæ trabes sunt, aut corrupta, quæ superioribus fundamentum dabant, tunc diu agitata fastigia concidunt, & tamdiù differuntur, atque incerta sunt, donec in solido resederunt.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Aquæ Elemento.*

AQuæ elementum vult Cartesius *quarta parte principiorum num.* 48. includere particulas oblongas, teretes, leves, & flexibiles. Vult autem ratione figuræ esse oblongas, ut sibi mutuo cohæreant: nam figuræ breviores, si inter se moveantur, facile à continuitate recedunt. Easdem autem vult Cartesius debere esse flexibiles, tum quia aqua molis est, tum quia partes illæ inter se coherent, nec singulæ seorsim defluunt, quando gutta à tecto suspensa est. Lubricas quoque, seu leves esse docet, quia humor aqueus facile expelli potest ex corporibus stabilibus, secus ac fit in oleo, & pinguedine ob ramositatem partium, quibus constat. Eedem partes aqueæ ( ratione situs ) debent, ex eorundem sententia, mutuo se se sinuoso amplexu detinere, prout anguillæ inter se mutuo possunt insinuari. Debent denique (ratione motus) leniter inter se moveri, ne, si quiescerent, corpus solidum constituerent; neve, si celerius moverentur, dissiparentur in vapores. Nunnulla ex his refert Purchotius *Physicè sect.* 3. *cap* 4 *part.* 2 Gassendus verò *lib.* 6. *de qualitatibus rerum cap.* 7 atoms levibus componi, non tamen oblongis, sed potius rotundis, quam solùm frigidam esse in gradu temmisso contendit, frigiditate tamen virtuali ab ipsa substantia indistincta. Horum sententiam jam in Physica latè proscripsimus, & præcipuè ubi de rerum primis principiis, quæ ibi dicimus contra hos Auctores, videantur.

Aquarum varietas facili negotio assignari nequit. Tot enim sunt aquarum species, quot variæ mixtiones mineralium, metallorum, succorum, liquidorum, & concretorum species. Aliquas tamen aquæ species tangit, & describit sæpè laudatus Kircher, uti sunt aquæ salsæ, nitrosæ, aluminosæ vitriolatæ, sulphureæ, eruginosæ, metallicæ, aliæq; videndæ apud eundem Auctorem, à quo quamplura ex iis, quæ hic tradimus, desumpsimus. Hæc itaque omittimus, & solùm hic de aquis potabilibus, & aliquarum mirificis effectibus sermonem instituimus.

Aquæ potabiles, sive dulces, sex sunt, quarum prima fontana nuncupatur, quæ ex imis terræ visceribus vena viva scaturit; secunda lacustis, sive pallustris, & stagnans, tertia pluvialis, quarta cisternatum, quinta fluvialis, sexta tandem putealis. Quænam ex his salubrior sit, diversa est apud Auctores opinio, quorum sententias varias refert Kircher *lib.* 5. *de virtutibus aquarum sect.* 2. Hoc unum certum est, Pallustres aquas cæteris deteriores esse, squalidæ enim, & corruptioni non parum distantes inspiciuntur; saporum expertes, & gustui jucundæ, quæque citò & caleant igni admotæ, & frigeant mox ubi ab eo remotæ fuerint, & tandem si nec minimo tempore in præcordiis morentur, & facili ferantur tramite citra ventriculi molestiam,

Huius

Hujus Elementi activitas quandoque non parum propitia eft generi humano. Quamplures enim ferè in omnibus locis mirabiles funt fontes, & præcipuè in Germania huius generis plures extant, ex quibus primò non infimus eft, qui adeft Diæcefi Paterbonenfi *meiborn* dictus, ex quo tres diftincti Rivi exeunt, quorum duo per fex pedes inter fe diftant, alter verò 20. Adeò hi diverfi funt, diverfifque affectionibus gaudent, ut unus necem inferat, avibus bibentibus; medians verò inter utrumque aqua fubviridi liquidiffima, fapore acido, & maximè fuavi conftet, ut aliqui Incolæ illius Regionis mihi retulerunt. In Urbe Bafileenfi, alii non vulgares exftunt, uti fontes Pandulfi, alter verò fons ad fontem nuncupatus, ex quibus primus virtutem habet exficcantem, adhibeturque contra hydropifin, fecundus verò nonnihil fulphuris, falifnitri, & auri eft potui aptiffimus. Inter cæteros tamen dignus fanè confideratione eft fons propè *Geesbach* in Alfatia, cujus aqua impofita vafi fictili benè lutato, ut nihil vaporis excludi poffit, fi tunc lento igni poft acutiore coquatur tribus horis continuis, excellens balfamum producit, non parum aptum contra putrefactiones pulmonum, jecoris, apoplexiam, paralyfin, comfumptiones, vel Phthifes vertiginem, capitifve dolorem ita tamen, ut priores effectus liquoris Plegmatici fint, poftremi verò oleofi. Alios etiam effectus mirabiles, & fi non utiles experientia comprobarunt aliqui, ex quibus omiffo, quod refert Philofophus, confirmatque Auguftinus, nimirum in Epiro, in Grecia fontem quemdam adeffe, qui candelam ardentem prius extinguet, deinde denuò accendit, illud dignum obfervatione eft, quod refert quidam nobilis Anglus Thomas Shirleii inveniffe in Lancaftria flammam amplam conceptam in aqua cujufdam fontis per candelam ardentem in aquæ fuperficie pofitam, cujus caufam idem Anglus invenit, ut referunt acta philofophica *Societatis regiæ menfe Iunii* 1667.

Hoc autem aquæ elementum fuos etiam habet metereologicos effectus, quorum primus vapores funt, qui à terra, aiue, & nubibus fuam habent originem, quia cum iftorum corporum naturalium partes inter fe non fint unitæ, facili negotio feparantur, & furfum in aerem euolant. Hi autem materia funt nubium, nebulæ, & pluuiæ; nebulæ quidem dum morantur in terræ fuperficie, nubium vero, dum in aeris regione fufpenfi manent, quæ fufpenfio optimè intelligitur non obftante aquæ gravitate, vel quià nubes non paruam habent copiam ignei vaporis, qui cum furfum tendat, fimiliter furfum vapores conferuat, vel quià, ut opinatur le Grand ex Cartefio iftarum particulæ valdè tenues funt, & multum fuperficiei pro ratione materiæ contineut; pluuiæ tandem dum idem vapores in aquam convertuntur, quæ cadit in guttas, quia frigus nubem ipfam ità obfidet, ut ipfam difiungat. Quod fi quæras quomodo pluuiæ prodigiofæ effectæ fint, ut in nonnullis locis Arabiæ, & Lybiæ evenit, de quibus legimus vermium, ferpentium, ranarum, aliorumque animalium pluuiam fuiffe obferuaram, opinor hæc contingere quià fpermatica horum animalium corpulcula in humido, & calido aere repentina generatione exclufa, prodigiofam pluuiam caufant.

Aqua autem in nivem efformatur per fui coagulationem, quæ tunc accidit, quandò frigus maximè viger, quià tunc guttulæ aquæ diffolutæ inuicem conglaciantur. Particularum autem, vel melius partium nivis figura, fi credere velimus Maignan, hexagona eft, atquè foraminofæ partes, intus uncavæ infpiciuntur, nonnullæquè diftentæ ad inftar ftellarum, quod dicit, fe obferuaffe microfcopii diligentia. Alba autem eft nix propter infitum fulphurem, quo non mediocri copia abundat, cuius natura eft album reddere, ut teftatur experientia.

Quoad glaciem verò fententia eft plaufibilis illam fieri per aquæ condenfationem; & revera moles aquea congelata minor etiam deprehenditur; condenfatio autem hæc fit copia vaporum falmitranium, quia aquæ immixti non folum eam infrigidant, verum etiam in glaciem condenfant.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Aeris elemento.*

POft aquæ elementum aeris alterum fuccedit, cuius ideam certam, & claram, ut aliqui exhibeant, ipfum prius diftinguunt in æthereum, & in aerem in atmofphera refidentem. Pofteriorem effe voluot florem omnium corporum exhalabilium immixtum fpiritibus diverfi generis, qui fi fuaves fint, & vitæ noftræ accommodati, aer falubris cenfetur, & hic ex fe non eft potius calidus, quam frigidus, fed potius à terræ exhalationibus determinatur, vel ad calorem, vel ad frigiditatem. Ætherem verò effe fubftantiam fimplicem opinantur luci maximè peruiam fupra atmofpheram exiftentem, porros habentem, non tamen omninò fimplicem, cum inficiatur cæleftibus effluuiis, ineptam tamen refpirationi propter fuam puritatem.

Aer autem in tota fua latitudine apud Recentiores, & præcipuè apud Cartefium eft ex fe, & ab intrinfeco corpus liquidum, fpirabile, rarum, & maximè diaphanum. Dicitur corpus, quia trina dimenfione conftat; cum in illius locum nullum corpus, nifi hoc fugato, fubire poffit. Dicitur corpus liquidum; quia aeris partes eo fere modo, quo ignis partes moventur. Nifi enim aeris ramuli hoc motu cierentur, aer non effet ita perlucidus, per ipfum fonus undiquaque non audiretur, eundem odores non permearent, per ipfum ambulare non poffemus. Dicitur corpus fpirabile, cum non poffit animal fpiritum ducere, citra eius infpirationem, & expirationem. Nimirum pulmo haud diftenditur, ut fanguini è corde prodeunti, & in Cor remeanti pateat aditus, nifi beneficio aeris infpirari, & expirati per vices continuas. Undè promptum eft intelligere, aerem fpirabilem conftare particulis ramofis, rigidis, cum tales defiderentur ad hoc, ut valeant tum fe fe infinuare in pulmonis veficulas, tum eas diftendere, & excitare ad motum. Dicitur verò corpus rarum, quia habet particulas igneas ita difpofitas, ut vix connexæ fint, & quafi difunionem affectent. Eiufmodi enim particulæ funt ramofæ, & inter eas plurima interftitia, feu poros dari neceffum eft. In hac autem porofitate raritatem confiftere notum effe dicunt ex eo, quod in nullo alio, quam in porofitate confiftere poffit: alias enim urrum corpus fere in pluribus locis fibi adæquatis, cafu nempe, quo corpus condenfatum aliquando rarefieret; ficuti ex hac porofitate optimè intelligimus raritatem effe aeri connaturalem; quia, remota omni violentia externa, ampliffimum fpatium exigit, atque in ea expanfione fe tuetur in fuprema aeris regione, maximè autem in fpatio vacuato, & econtra numquam videmus aerem fponte conftringi, & condenfari.

Ex hac verò summa aeris raritate contendunt ipsum esse corpus pellucidum. Fieri enim non potest, dicunt, ut quod adeo porosum est, multos poros rectilineos non habeat. In hac autem porositate rectilinea pelluciditas consistit, uti, vel ex hoc solo colligi potest, quod corpora opaca rarefactione, & quidem tali, ut eam consequantur porri recti, fiant pellucida; pellucida contra, vel condensatione, vel acquisitione nouorum pororum, fiant opaca, ut in terra, vitro, & aliis manifestum est.

Epicurei verò ex plurimis atomis figuræ sfericæ, vel Cylindricæ componunt inter quos Maignan Peripatetici tamen, nec atomis Gasendi, nec Mechanismo Cartesii adherentes esse volunt corpus speciali forma substantiali instructum summè humidum, & citrà excellentiam calidum, ut propugnat Philosophus *lib: 2 de generatione, et corruptione*.

Habet etiam hoc elementum suos meteorologicos effectus, quorum præcipuus est ventus, cuius causam inquirere difficile est: Res enim recondita est in supremi Artificis thesauro, undè Psaltes ait *Qui profert ventos de thesauris suis*. Nihilominus aliqua referre libet, quæ venti naturam & causam indicare possunt, & primò quorumdam sententia est, ventos nil aliud esse, quam motum vaporum, qui de uno ad alium migrant locum, in quo magis expanduntur, vel dilatantur, quod totum faciliter explicari opinantur isti, si modus, quo in eolipylas generetur, inspiciatur, in quibus contingere ob aquam in vapores resolutam omnibus compertum est. Sic loquitur Cartesius *in suis meteoris cap. 4*. Aliqui tamen cogitaverunt esse. Solum aeris motum, ità ut aer sufficiens sit venti materia, en ducti, quià sub Aurora, & præcipuè sereno Cælo, excitari solet ventus quidam levis, qui certè oriri nequit, quam ab eo aeris motu ob radiorum proximum appulsum. Existimo tamen ego cum Atanasio Kircher ventū propriè dictum non esse solùm aeris motum, quemadmodum nec simplicem exhalationem calidam, & siccam; sed halitum vaporosum, quem spiritibus flatulentis conflare opinor, ut halitus aerem concitare possit. Ventus sic explicatus omnes sui causas habet, quarum materialis est halitus vaporosus, & flatulentus; formalis verò motus halitus transversalis; finalis naturæ bonum; efficiens verò ignis subterraneus, qui à terra halitus salnitrosos emmittit, atque sol, qui exterius humidum in vapores attenuat, ut materia esse possint nubium, & ventorum; Ventus autem variè distribuitur, cujus primus investigator fuit *Eolus Sicilie Rex*, qui, ut *Strabo, & Plinius* referunt quatuor solummodò ventos observavit; postea ut refert Vitruvius ab Andronico Cyrrestes, octo venti observati sunt, paulò post nonnulli sexdecim posuerunt, dum Naucleri ob facilitatem navigandi multiplicatunt usque ad triginta duo; ex his itaque ventis quatuor nuncupati solent Cardinales, quatuor laterales, octo dimidiati, & sexdecim ventorum quartæ. Quilibet ventus suum habet situm in Orizonte, à quo spirat, ex hoc autem observandum venit, ventos quatuor cardinales ottum ducere à quatuor punctis cardinalibus signatis in Orizonte, scilicet ab Oriente, Occidente, Equinoctiali, Meridie, atque Septentrione. Laterales venti ab Intermediis punctis inter cardinales ventos spirant; similiter ventorum quartæ inter laterales, nec non cardinales disponuntur, quoad nomina ventorum variè scripsere Auctores, nostrum tantùm erit Italica; atq; latina nomina referre; itaque.



Spirat

| | | |
|---|---|---|
| Spirat ab | Oriente Æquinoctiali. | Subſolanus, olim Eurus. |
| Venti à | Meridie | Notus, ſeù Auſter. |
| ab | Occidente Æquinoct. | Zephirus, ſivè Favonius. |
| & à | Septentrione | Septentrio, Boreas, & Aq |

*Venti Latterales.*

Inter Subſolanum, & notum mediat Notapeliotes, ſivè Eurus. Inter Notum, & Zephirum mediat Notozephirus, ſivè Africus. Inter Zephirum, & Boream mediat Arctozephirus, nunc Magiſter. Inter Boream, & Subſolanum mediat Arctapeliotes nunc Zephirus.

*Ventorum nomina Italica.*

| | | |
|---|---|---|
| Venti Cardinali. | Ab Oriente | Levante. |
| | A Meridie | Oltro. |
| | Ab Occidente | Ponente. |
| | A Septentrione | Tramontana. |
| Venti Latteralli | Notopeliotes | Sirocco. |
| | Notozephirus | Garbino. |
| | Arctozephirus | Maeſtro. |
| | Arctopeliotes | Greco. |

Ventus accedit aliud aeris meteorum, quod Iris vulgo dicitur, estque *arcus variis coloribus imbutus apparens ex repercussione radiorum Solis in nube rorida, opaca, & concava, Soli opposita*. Hæc definitio comprehendit causam efficientem, & materialem Iridis. Causa enim efficiens Iridis, est Sol vibrans radios in nubem: causa verò materialis est nubes rorida recipiens solares radios. Fit autem Iris vulgo, quando Sol emittit radios in nubem roridam, & diaphanam in parte inferiori, & opacam in parte superiori; ex eo enim quod nubes sit ita disposita, fit, ut recipiat lucem solis, quam reflectit ad nos ob quandam opacitatem, quæ radiis solaribus non penetratur. Cartesiani tamen aliter Iridem definiunt, volunt enim quod sit *Arcus multicolor, quem sol adversus in stillis luminae varia modificato, pingit*, dicunt quod sit Arcus: quia portio Circuli Mathematici, arcus est. Est autem Iris portio illius circuli, quia linea à Sole per oculum ducta, sive ut loquuntur *axe visorio*, veluti à centro ducitur. Dicunt, quod sit multicolor, quia multiplex est Iridis color. Tres tamen maximè observatos esse volunt, nempe fuminum, qui etiam puniceus est, infimum, qui purpureus dicitur, atq; medium, qui viridis est. Dicunt, quod *Sol pingit* arcum prædictum, quia quamvis idem arcus possit oriri à Luna, & à cæteris syderibus, præsertim tamen nascitur à Sole, qui cum cætera sydera vincat suis radiis, propterea etiam efficit colores magis distinctos. Dicunt quartò *adversus*, quia Sol non est causa Iridis, nisi quatenus oculus noster inter nubem, qua Iris splendet, & Solem ipsum constituitur. Unde cum ante tempus meridianum Iris apparet, illa ad occasum cernitur; cum verò vesperi, tum eadem iris ad ortum, vel ad Aquilonem visitur. Dicunt quintò fieri *lumine modificato*; quia colores meteorum, præsertim iridis, communi Cartesianorum consensu nihil aliud sunt, quam lumen modificatum. Dicunt tandem *in stillis*, quia volunt, quod materia, in qua pingitur iris non sit nubes illa rorida, quæ in aquam brevi abitura, partim pellucida est, & partim opaca, siquidem nubes illa speculi formam referens, aliarum potius impressionum, quam iridis materia esse potest, illatum scilicet, quæ sic colorata non sunt, sed potius volunt, quod Iridis materia sit gutta pluvia, sive stilla, inter quam, & aqueos illos globulos, qui visuntur in prato super herbas, vel super Araneæ telam, quibus irides etiam in terris formantur, maxima est similitudo. Hinc dicunt, quod iris sit individua Comes pluviæ jam labentis, quamvis forte in loco, ubi Arcus ille videtur, nulla sentiatur pluvia.

Quod ad præsagia, aut effectus iridis attinet; certum est ex historia sacra Iridem significare nullum umquam amplius futurum diluvium, quod signum est ex instituto divino, esse etiam ordinarie signum naturale pluviæ præsentis, aut mox futuræ, cum iris non appareat, nisi in nube torida aquosa, & in aquæ guttas rotundas conversa.

Tertium meteorum aereum vorago est, ortum ex exhalatione in medio densissima, & in extremitatibus variori, unde medium nigrescere, & ingentem quandam profunditatem, & quasi voraginem referre videtur; hoc enim habet obscurus color, ut nobis aliquid profundum repræsentet. Hiatus verò solum est minor vorago.

Halo est nubes sub quodam astro, non prohibens ejus lucem, sed ejus refractione coronam lucidam circa astrum efficiens, unde etiam Halo dicitur corona, & Area, & si Area sit grandior sub Luna, à quibusdam dicitur Iris lunaris, licet autem Halo, seu area lunaris, ferè dumtaxat albescens circulus appareat, attamen area solaris est variegata, & multicolor, suntque colores illi iidem propè qui in iride secundaria. Alii verò clarius volunt, quod Halo sit circularis ille splendor, quem circa Lunam, aut micantiores stellas videmus, & huius impressionis materiam volunt esse vaporem humidum inter oculum, & astrum interiectum. Nimirum aiunt isti in vapore illo recepti radii, ad perpendicularem fracti congregantur, ac nobis profunditatem pervadentes, post nubem iterum franguntur, à perpendiculari abeuntes, runcque ad oculum accedunt, & lucem astro circumductam veluti ostendunt.

Parelius verò est imago solis in nube expressa, vel ut alii est mentitus sol, qui in nube, tanquam in speculo, ab ipso sole verò expressus refertur. Dicitur verò mentitus sol à vero sole in nube expressus; quemadmodum sol sui imaginem in aquis exhibet, ita idem Sidus suam imprimere potest imaginem in nube: quatenus nimirum nubes liquescens ventis, hinc, & inde flantibus sic congelatur, ut hujus interior pars instar Christalli pellucida, ejusdemque pars interior instar plumbi opaca reddatur; tunc enim speculi vices gerit.

Paraselenæ verò imago est Lunæ in nube expressa. Fit eodem modo, quo parhelium. In hoc tamen differt, quod non æqualiter fulgeat, & fieri possit Luna in meridiano versante, propter luminis lunaris debilitatem inceptam ad nubes dissipandas. Diutius etiam durat, quam parhelium, quia Luna nubes potius sustentat, quam dissipat. Apparet potissimum in plenilunio, & plura potissimum apparuerunt annis 1684. die 14 Ianuarii, & 1671. die 25. Maii circa undecimum à meridie horam cum 45. minutis visa est duplex Paraselenæ, cum Luna plurimum ad Austrum declinaret, & Orizonti propior esset; altera ex iis, nempe Orientalis quinquies ferè major lunari globo apparebat, & ea erat admodum lucida, cum prælonga cauda. Sed sensim imminuta est, dum opposita versus occidentem sensim augeretur, & utraque tandem æqualis penè magnitudinis apparuit.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Igne elemento.*

Elementum hoc adeò cæteris præstat elementis sua activitate, ut ipsi subterranei terremotus adscribantur, quatenus sui caloris violentia aperti, Terræ visceribus ex subitanea materiæ incensione, qua aer instruitur, & vehementi motu concitatur, excitat ingentium exhalationum copiam, quibus cum nullus sit locus elabendi, tales fiunt commotiones, quæ terremotus nomine nuncupantur. Quibus autem partibus componatur hoc naturæ elementum, non unica est de more apud Philosophos sententia. Cartesius putat componi ex particulis sulphureis, & nitrosis tertii elementi innatantis materiæ subtili, vel primi elementi, quod ignis motus naturalis præcipua origo est. *Gassendus* verò ex particulis figura rotundis. Nos tamen, cum nec Cartesii materiam, nec Gassendi atomos ponamus propter dicta in Physica, dicendum remanet forma substantiali ignem instructum esse, à qua omnes proveniunt effectus, quos in igne conspicimus.

De ignis motu plura Recentiores habent. Præcipua

cipua tamen sunt ignem purum ad motum determinatum esse, quod indè colligunt, quià à corporibus calefactis, non mediocri, sed mira facilitate ignis auuolat, cum hac tamen determinatione indifferentem existimant aliqui ad motum sursum, vel deorsum, cum aliquando sursum moveri, ut in stuppæ flamma, deorsum vero in fulmine, pulvere nitrato, & aureo videamus, quod ratione materiæ, cui unitur contingit. Cur autem à Deo cum hac indifferentia ad istos in specie motus productus sit, scribit. Maignan esse, ut hoc elementum omnibus sit beneficum, vel sua beneficia impertiatur, quod non contingeret, si locum determinatum, veluti sui ipsius propriam sedem appeteret.

An autem hic existat in subterraneis, & in Concauo Lunæ, difficultas est non mediocris inter Philosophos, in qua nostra sententia est in subterraneis ignem adesse, tanquam portionem ignis elementatis, non puri, sed potius ob variam miscellam combustibilium contaminarum. Rationes hoc affirmandi, quamplures sunt apud Philosophos, quarum præcipuas cursim referre placet, & prima est, quià ad naturæ tutelam, & rerum sublunarium conseruationem, non parum conducit subterraneus ignis. Secundò quià hoc experientia constat præcipuè in Regno Neapolitano, in Ischia, Vessuuio, Puteolisquè, & Cumis, quæ omnia sepè ardent, ut non semel me spectante factum est.

Tertiò, quià calor in subterraneis, omnibus innotescit, cuius causa certè esse nequit antiparistasis, primò, quià cum hæc unicè fit lucta violenta inter calidum, & frigidum, tamdiu durare nequit, quamdiù calor perseverat; secundò quià, si per antiperistasim calor accenditur; ergò iam calor prius erat productus, cum autem à frigore productus esse nequeat, cum per duo frigida in summo gradu antiperistasis fieri nequeat, nec à calore in visceribus terræ eminenter contento, cum hic frigori elementari non opponatur, nequè à calore virtuali, cum ignis solum actualis calorem actualem, tanquam sui proprietatem contineat, consequens est ab igne actuali in terræ visceribus existente haberi.

Negativè tamen procedendum est, loquendo de igne in Concauo Lunæ. Ratio potissima hoc affirmandi est, quià si ignis adesset, vel esset carbo ignitus, vel flamma, vel lux, hæ enim sunt omnes ignis species; atqui nullum ex his rationabiliter affirmare possumus; non quidem primum, quia alias aer nunquam frigidus esset, quià semper esset calefactus ab hoc igne: non secundum, quià flamma tam intensa, cuiusmodi est sphera ignis, Vniversum Telluris Globum cum omnibus, quæ illi inexistunt consumpsisset, nec tandem lux esse potest, quia cum sphera ignis contigua sit supremi Regioni aeris, nulla eiusdem esset obscuritas, atquè nulla nox esse posset.

Dices primò Philosophi mentem esse ignis sedem adesse in concauo Lunæ, & quidem meteor: *text:* 4., *&* 14. Secundò quià experientia manifestum est flammam semper sursum niti; ergò signum evidens est proprium eius locum esse suprà aerem. Patet hæc Consequentia, quià quemadmodum ex hoc, quod aer sub aqua existens sursum nitatur, optimè inferimus locum proprium aeris esse suprà aquam, ita hoc idem affirmandum erit de igne.

Respondeo nullum ex his urgere. Philosophi enim mens quoad hanc partem clara est, ut optimè hic *Kircher*, *Maignan*, *Malebranchius*, aliiquè doctissimi aduertunt, cum quibus dicendum est, Aristotelem ignis nomen tribuere exhalationibus subtilissimis, siccis, & calidis, quæ a crassioribus aquæ vaporibus seiunctæ se recipiunt in supremam Regionem, & hoc propter peculiarem dispositionem in istis residentem ad inflammationem concipiendam.

Secundum verò minus cæteris urget, primò quia solum colligitur flammam niti suprà hunc aerem, qui nos circum ambit, non verò usquè ad Regionem supremam, nisi dicere velimus, quod plures Atomistæ fatentur, quod tamen non affirmo, ignem universaliter loquendo sursum non tendere, ut patet in igne accenso in puluere aureo, aliisquè in alia materia, ut superius dixi, quod si aliquando superius tendit, solum provenit ratione materiæ, cui iniungitur, vel à particulari rerum temperamento.

An autem saltem sedem suam in sole habeat difficultas pariter est, in qua fatentur communiter Cartesiani, & Atomistæ quamplures in Sole maximum esse ignis fontem, ità ut perpetua circulatione lux solis ad nos moveatur, & hinc ad solem veluti ad sui principium, de quo in præsenti nihil determinamus.

Sua habet ignis Meteora, vel accensiones, quæ solùm inter se differunt penes magnitudinem, & locum. Ex his autem, cum aliqua fieri dicantur in suprema aeris regione, alia vero in Media aeris regione, nonnulla vero in infima, de omnibus hic agendum est, & primò ad supremam aeris regionem Fax spectat, quæ est accensio fumi pinguis in superiore aeris regione, facta in superiore fumi parte, in qua flamma aliquousque herens, speciem candelæ ardentis offert. Secundò Capra saltans est ex genere meteororum ignitorum, quæ constant exhalationibus nitrosulphureis, aliisque inflammabilibus. Nimirum, ubi exhalatio recta non est, sed flexuosa, repræsentatur Capra saltans, propterea, quod ignis sequens pabulum, videtur moueri secundum flexuositatem exhalationis, quæ inflammatur. Tertiò spectant stellæ quæ sidera errantia nuncupantur. Propriè, & per se in motu minime errant, quandoquidem certas motus sui leges perpetuo obseruant & statis Temporibus terminum, unde primo quisque eorum egreditur, iterum attingit. Impropriè tamen Planetas errantes vocare absurditatis nihil habet; cum respectu alterius, illud dicatur errare in motu, quod quidem eumdem terminum perpetuò attingit, eadem semita, & eodem tempore, attamen simplici motu, & recta plana via non utitur, sed modo in hanc, modo in illam se flectit partem, modo ascendit, modo descendit, idque nihilominus constanti, & perpetua lege; adeout toties eosdem relegat gressus, quoties ad primum motus sui terminum contendit.

Ad infimam verò regionem spectant ignis fatuus quem Galli vocant, *feu follet ou ardent*, educitur potissimum ex paludibus, aliis locis pinguibus, viscosis, & palustribus: non habet autem alium, quam aeris motum; undè interdum contingit ut viatores eiusmodi ignem sequentes in aquas, aut præcipitia deducantur. Ignis lambens, seu exhalatio ex materia pingui, & crassa, & ut plurimum ex sudore animalium calidi temperamenti educta, soletque ceruicibus insidere, easque lambere, ut accidit in Leonibus; & felibus, & olim contigit in Seruio Romanorum Rege. Tertiò Castor, & Pollux, vel quidam ignes aerii, qui magna tempestatæ nauigantibus apparere solent, siue huc, & illuc ferantur, siue Antennis, aliisue nauium partibus insideant. Uno nomine dicuntur *Tyderidæ*, Gallis *le feu de St. Elme.* Vocantur

qui idem hi Ignes Castor, & Pollux tum, cum gemini sunt; quemadmodum Castor, & Pollux fratres gemini fueruot Iouis ex Leda filii, unde à Grecis appellati sunt. Quod autem hi duo fratres, ubi primum adoleuerunt, mare Pyratis liberauerunt, propterea Dii maris habiti fuot, itaut pagani nautæ non solùm eos in tempestate implorare, sed eorum etiam imagines suis nauibus inscribere solereot. Omissa autem illa pagana superstitione, ideo gemini illi ignes serenitatem, prosperumque cursum possunt portendere, quod significent lapsas esse omnes sibi incumbentes procellosas nubes; quarum utpotè lapsu grauiore gemini illi ignes orti sunt. Quandò taodem Helena, vel igois aerius, seu inflammatio futuram tempestatem, infaustumque exitum significans. Fortassis nomen assumptum est ab Helena, quæ cum Menelao nauim ascendens tempestatibus in Ægyptum fuit delata.

Tertię vero regionis meteora sunt Fulgur, fulmen, Coruscatio, & draco volans. Fulmen est *meteorum ignitum ortum ex calida, & sicca exhalatione, quæ cum vapore aqueo ad mediam aeris regionem delata, ibique à vapore, aut nube vehementer compressa, ac tandem accensa nubem effringit:* & sic tonitru fulgur, ac fulmeo efficitur, adeout tonitru sit sonus, fulgur sit splendor, & fulmen ipsa exhalatio magno impetu è nube excussa, vel ut aiunt Cartesiaoi est exhalatio nubibus interiecta, quæ graviore nubis superioris lapsu non solùm accenditur, sed per oubem inferiorem ad terras usque truditur. In eo autem fulmen à fulgure differt, quod fulgur fieri possit ex exhalatione uni duntaxat nubi subiecta; fulmen verò non fit nisi ex exalatione, quæ plures inter nubes posita fuerit: quod nimirum fulmen sit exhalatio maiori quodam impetu è oubibus erumpens; id autem fieri nequit, oisi nubibus sibi inuicem incumbentibus; adeout *graniore superioris nubis lapsu accendatur, & per nubem inferiorem ad terras usque trudatur.* Intellige autem nubem superiorem io inferiorem ruere integram, vno tenore, & impetu, tuoc enim fulminat exhalatione ad terras excussa. Quando enim corpus latum, & flexile è sublimi loco labitur, o aliud corpus similiter latum, sed virtute resistendi donatum, tunc duæ corporis superioris extremitates corpus subiectum prius quam media eiusdem corporis superioris pars debent contingere: aer quippe his extremitatibus interceptus, ut breuiori via potest egredi, sic minus hac ex parte resistit: quamobrem idem aer media parte inclusus hanc cogit intumescere. Id enim experiri possumus velo, quoad patet, in terram è sublimi descendente. Cum igitur nubes superior, & lata sit, & flexilis, hæc ooo potest in inferiorem nubem uno tenore corruere, quia eiusdem extremitatibus prius cum oube inferiori iunctis, interceptum media sui parte aerem habent, quem continuato eiusdem mediæ partis descensu cogit egredi, siue per latus, ubi cooiunctio, ut recentior, sic minus arcta est, siue per partem huic curuaturæ aduersam, quæ hinc est rectius iter; inde verò supposito quodam sublimiori corpore, monte v. g. aut Turri, frangi potest facilius. Quamobrem, si loco aeris occurrat prædicta exhalatio hæc nube descendente ita poterit impelli, ut per inferiorem nubem ad terras usque detrudatur; siue obliquè, sivè per latus: unde fulmen obliquè egressum corpora obvia ex transuerso ferit. Sivè rectà, siue per mediam oubem inferiorem: vnde fulmen rectis lineis labitur in terras, è quibus sursum resilit circumactum, quod undique circumstantia ostendat corpora, quibus quam citò, tam rectà moueri prohibetur.

Fulmen triplicis generis est pro diuersis effectibus, quos fulmen in corpore solet edere; scilicet terebrans, dissipans, & urens. Terebrans, est flammeum, & materiæ valdè subtilis, & ideo in angustissimas Rimulas corporum se insinuat. Hoc ioter fulmina maximum est, quia ex partibus tenuissimis, & actuosissimis componitur, & huius generis firmiter opinor illud fuisse, quod paucis abhinc annis accidit in Urbe Miranduleosi, ubi, adhuc vestigia extant, quæ oon amplius rem mirandam, ut aliqui, sed rem deplorabilem efficiunt. Secundùm est crassum ex materia valde compacta, & ideo corpora obuia disrumpit, illudque ioterdum Lapis fulmineus comitatur juxta communem philosophorum sententiam. Tertium est magis igneum, quam flammeum, & ideo corpora obiecta io ignem conuertit. Effectus fulminis præcipui sunt Primò fulmen interdum firmiora, & magis resistentia potentius ferit; mious autem resistentibus parcit; v. g. liquefacit argeotum illesa crumæna, gladium disrumpit intacta vagina, ossa diffringit incolumi carne, & ut refert Seneca, absumpto dolio, vinum aliquando stetit. Tales autem effectus conueniunt fulmini terebranti ex partibus tenuissimis, sed actuosissimis composito, quod parcit rebus mollibus, porosis, & rarefactis, quales sunt Cutis, caro, crumæna, vagina, Laurus, disrumpit verò dura, & solida, qualia sunt argentum, ferrum ossa.

Secundò fulmen illesa re solidiori fluidiorem consumit, ut cum illeso dolio exsiccat, & exhaurit vinum, qui effectus conuenit fulmini terebranti composito ex partibus calidis, & siccis, tenuissimis, & actuosissimis; quæ propter subtilitatem, & teouitatem transeunt per dolium porosum ipso illeso; at propter calorem, & siccitatem reducunt vinum io fumos subtiles, & sic ipsum coosumunt. Idem fulmen consumit substantiam cerebri humidi, illesis partibus illis porosis capitis, per quas transit.

Tertiò fulmen interdum totum dolium comburit, vino non effluente, qui effectus conuenit fulmini urenti, cum enim tunc exhalatio inflammata sit magis ignea, & viscosa suam actiuitatem prius exercet circa dolium, & postea ex partibus vini crassioribus, & fæcibus ad superficiem evocatis format Crustam satis duram impedientem vinum, ne effluat. Dioscorides lib 4 cap. 70. notat herbam psellium producere eundem effectum, quoniam hæc herba vino commixta replet ipsum humore viscido, qui calore vini ad extremitates dolii expulsus, format crustam impedientem, ne vinum effluat.

Quartò Fulmen frequenter Venenum è rebus venenatis tollit, eo quod fulmen venenosos spiritus ex iis educat; econtra res prius non venenatæ fulminis contactu venenum contrahunt, ob sulphureos & malignos quosdam halitus ipsi admixtos.

Quintò fulmen interdum nigredinem inducit. Quia sol nunquam eleuat exhalationem sine aliquo vapore, qui partibus exhalationis adiungitur; unde sæpius contingit, ut postquam partes calidæ, & siccæ exhalationis, aut fulminis vim suam exercuerunt, vapor humidus natura sua fuliginosus parum urat, & nigredinem inducat in corpora fulmine tacta.

Sextò fulmen ordinariè sulphureum odorem emittit, qui sentitur à oobis: quia exhalatio, ex qua formatum est fulmen, educta ex locis, & terris sulphure abundantibus, & valde probabile est fulmen ordinariè esse compositum ex partibus sulphureis, & nitrosis, sicuti puluis tormentarius, cum similes ingeotes sonos, & effectus producat.

Septimò fulmen ferit sepius loca excelsa, quam humi-

humilia, montes, quam planities, quia fulmen valdè obliquè mouetur à nube in terram, & quæ sic mouentur necessariò feriunt potius loca excelsa, quam, humilia: motum autem fulminis esse obliquum patet ex eo, quod dum partes crassiores fulminis nituntur rectà descendere, partes igneæ, quæ sunt subtiliores nituntur rectà ascendere, ex duobus autem istis conatibus resultat motus medius, & obliquus de utraque quodammodo participans.

Octavò fulmen sæpè nihil ledit, & sæpe non decidit in terram. Quia fulmen sæpè disrumpit partem superiorem nubis, & sic ex ea prodit, quo casu fulmen movetur versus cœlum, non versus terram; imò quando disrumpit partem inferiorem nubis, non descendit omninò in terram, ob debilitatem, & nimiam ejus subtilitatem, quæ in causa est, ut in aere dissipetur.

Hinc quæri solet secundò, cur fulgur videatur, antequam audiatur. Respondetur, fulgur nihil aliud esse, quam lumen fulminis, aut exhalationis inflammatæ; tonitru verò nihil aliud esse, quam aerem motum, aut potius sonum ex aere moto productum in aure; at lumen multò velocius movetur, quam aer, & per consequens lumen prius ferit oculum, quam aer motus aurem.

Hic quæri solet tertiò, cur fulgur ferè fit sine tonitru, & tonitru sine fulgure. Respondetur, quod sicuti in pulvere tormentario, si grana non sint compressa, sed dispersa, & pulvis accendatur, non edit sonum, nisi exiguum; at si grana in tormento bellico sint valde compressa, pulvis accensus prodiens ingentem edit sonum: sic in exhalatione si partes non sint compressæ à vapore, aut nube sed sint dispersæ, & exhalatio accendatur, fit quidem fulgur, sed sine tonitru, & fulmine; at si sint valde compressæ à nube, & exhalatio accendatur, tunc magno impetu disrumpit nubem, & ingentem sonum edit, qui dicitur tonitru. E contra tonitru fit sine fulgure, quando exhalatio in nube inclusa, & nondum accensa, nititur prodire, & tali agitatione ferit latera nubis; sic enim formatur tonitru, quod dicitur tumultuosum sine fulgure, eo quod exhalatio non fit accensa, à qua sola procedit fulgur: quod si exhalatio accendatur, & formetur tonitru, quin fulgur percipiatur, signum est exhalationem disrumpere partem superiorem nubis, & partem inferiorem nubis crassiorem impedire, quo minus fulgur videatur.

Quæri solet quartò, cur tonitrua, & fulmina frequenter fiant Veræ, & Autumno, tardò verò Estate, & Hyeme. Respondetur, solùm tempore hyberno non habere vim attrahendi usque ad mediam aeris exhalationes requisitas ad formationem fulminum, ob debilitatem radiorum, terram obliqua tantum ferientium; & si exhalationes aliquæ eleventur, non habent vim disrumpendi nubes: tempore verò estivo media aeris regio non satis est frigida ad convertendos vapores in nubes densas, unde fit, ut nubes subtiles liberum exitum præbeant exhalationibus ad formationem aliorum meteororum in suprema aeris regione: at Veræ, & Autumno exhalationes plures, & fortiores sunt, quàm hyeme, & nubes densiores, quam estate.

Post fulmen accedit Draco volans. Fit hic ex pingui exhalatione valde heterogenea, terrestri halitu, & plurimis vaporibus admixta, in aliquem cumulum intra densam nubis cavitatem compressa. De hoc meteoro quamplura videri possunt apud eruditos.

His omnibus accedit Cometa, quæ juxta Peripateticos non constat ex materia cœlesti (putant enim cœlum omni ex parte solidum esse, & corruptionis expers) sed sublunari; nempe est exhalatio multa, pinguis, crassa, ex partibus benè compactis conflata: hinc diuturnitas flammæ, quam nutrit. Ratio autem Peripateticis hoc asserendi est, quia Cometis apparentibus maxima regnat terræ siccitas, maximè etiam ventorum (qui sicci sunt) omnia concutiunt flatus; unde narrat Philosophus ventos, adeò vehementes ignescentis cometæ tempore excitatos, ut etiam ingentem lapidem in longinquas exportarint regiones. Atqui hæc omnia non oriuntur, nisi ex magna exhalationis terrenæ copia; ergo Cometæ gignuntur exhalatione. Recentiores verò nonnulli nolunt, quod ex solis exhalationibus terrestribus Cometæ gignantur; siquidem huiusmodi cometæ interdum sunt majores terra, unde quamvis ejusmodi exhalationes partialiter conferre possint ad formationem Cometarum, eo quod sterilitas terræ sepè inde oriatur, quæ aliunde non videtur repetenda, quam ab exhalationibus pinguibus è terra eductis, & sursum evectis, tamen affirmari nequit, quod ex sola copia exhalationis terrenæ oriantur; eo vel maximè, quod in suprema aeris regione Cometæ incendi credantur, quia ab Oriente in Occasum una cum aere moventur, impresso impetu à corporibus cœlestibus, non moverentur autem, si reperirentur in inferioribus aeris regionibus, ut authumant Peripatetici, propter nimiam distantiam. Inter has sententias ego existimo Cometam esse meteorum ignitum, & præsertim genitum ex materia cœlesti magis ignea, concurrentibus tamen terræ exhalationibus pinguibus, viscosis, & amplis ibidem inflamatis.

Gignuntur autem Cometæ qualibet anni tempestate etiam hyeme, potissimum verò Autumno, quia tunc calor solis moderatus, juvante tempestatis siccitate, educendæ, & extrahendæ exhalationi admodum commodus est, & opportunus: Estate enim voracior est, Veræ humidior; hyeme demum paucior à corporibus cœlestibus in terras spargitur calor, quam ut educendis extollendisque in altum exhalationibus sufficiat.

Tempus verò durationis Cometarum incertum est; tamen dicitur non durare minus, quam per septem dies, sicuti rarò excedunt aliquot menses.

Iosephus meminit Cometæ, qui paulò ante excidium Hierosolymitanum per unum annum apparuit. Seneca *lib. 2. de natura quæst. cap. 21.* refert visum fuisse cometam tempore Neronis, qui per sex integros menses duravit: Sidus novum, quod apparuit in Cassiopeia anni 1572. per Biennium perseveravit. Astronomi observarunt quotiescumque; tres planetæ superiores scilicet Iupiter, Saturnus, & Mars coniunguntur, quod fit circiter singulos centum annos, solere nasci insignes cometas, unde, & ille, qui postremò fulsit anno 1618. prædictus fuisse dicitur viginti quinque annis antea, & locus ejus assignatus ab Astronomis.

Varii autem sunt Cometarum motus: nam, & moveri perhibentur ab Oriente ad Occasum, rapie à spheris cœlestibus, quibus vicini sunt, segnius autem moventur, quod impetum segnius excipiant: moventur quoque nunc ad Septentrionem, nunc ad Austrum, & alias locorum positiones, sive ob impetum à sydere prædominante impressum, sive ob allicientem materiam.

Cometarum alii argenteo rutilant colore, & veluti lumine scintillant, alii rubent, alii verò fumigant, alii cruenti videntur, & minaces pro varia mate-

materiæ, ex qua oriuntur dispositione, & existimant Cartesiani plures.

Hic pro coronide quæri solet, an Cometæ præsagiant, mortem Principum, bella, necnon euersiones regnorum, & alia similia. Respondeo, Cometam ex natura sua nihil horum præsagire, aut significare: nam esse Principem non est aliqua entitas ordinis naturalis, sed denominatio purè moralis, atque adeò Cometæ, qui sunt entia naturalia, non plus possunt in Principem, quam in alium; bella quoque, & euersiones regnorum pendent à voluntate humana, ordinante diuina prouidentia; at Cœli, Astra, Cometæ physicè directè non possunt agere in voluntatem humanam, ut probatum est, dum de cœlis, & astris, ea tamen annotata fuisse à curiosis, quia Cometæ habent quasdam malignas influentias, morborum procreatrices, quibus correpti Principes aliqui fortè moriuntur; mors autem illa Principum magis notatur, quam mors vilis plebeculæ. Non nego tamen Cometas fortè esse signa judiciorum Dei, & præsagia malorum, non naturaliter, sed ex Dei voluntate: dixi fortè, quia id tamquam certum statui non potest, cum Deus nihil hac de re reuelauerit.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Quid, & quot sint primæ qualitates.*

### CAPUT UNICUM.

*Resoluitur difficultas quoad omnes suas partes.*

Postquam egimus de elementis, ordo expostulat, ut agamus de eorum qualitatibus, quæ in communi describi solent per analogiam ad prima principia dicendo illas *esse, quæ neque ex se ipsis, neque ex aliis, sed ex ipsis omnes aliæ qualitates fiunt*. Vna itaque qualitas, si prima sit, fieri nequit ex alia, non quidem ex contraria, nam cum inter se ad inuicem pugnent, certum est unam fieri non posse ex alia, neque ex non contraria, quia secus altera illarum esset non prima; neque istæ primæ qualitates fieri possunt ex aliis, inprimis, quia nulla est assignabilis tangibilis qualitas, ex qua fieri possint, secundò, quia secus non esset prima, sed ex ipsis omnes aliæ oriri debent.

Hac breui notitia supposita, dico primas qualitates quatuor esse, calorem videlicet, frigiditatem, humiditatem & siccitatem. Assertum hoc certum est apud Peripateticos, quia cæteræ qualitates tangibiles, quæ afferri possunt, non sunt tales, ut ex illis oriantur aliæ qualitates, & ipsæ non oriantur ex aliis; ergò primæ qualitates sunt solum quatuor. Antecedens euidens videtur, siquidem tenuitas, Crassities, durities, lubricitas, Raritas, Lenitas, Asperitas non sunt tales, ut ex ipsis non oriantur aliæ, & cæteræ qualitates tangibiles, sed potius ipsæ oriuntur à quatuor primis elementis, asperitas enim oritur ex siccitate, lænitas ex humiditate, durities, ariditas ex siccitate.

Dices primò alias adesse primas qualitates ultra relatas; sunt enim grauitas, Color, Sapor, Lux, Figura, quæ non minus primæ dici merentur, quam quatuor vulgò sic dictæ, & maximè loquendo de Luce, quæ prior est calore; nec etiam dici possunt primæ respectu qualitatum sensibilium, cum etiam lux sit sensibilis.

Dices secundò superius relatas qualitates non esse tales, ut ex ipsis omnes aliæ fiant. Sonus quidem, Inpulsus, virtus magnetica, actus vitales, Habitus intentionales ex ipsis non fiunt; ergò numerus primarum qualitatum non est sufficiens, nec primæ qualitates allatæ sunt. Sed

Contra est primò siquidem ex relatis qualitatibus quædam sunt, nec primæ, nec secundæ, uti de luce credimus, figura, & grauitate, quæ neque ex aliis, neque ex ipsis aliæ fiunt. Quod idem affirmare possumus loquendo de sono, impulsu, & vi magnetica. Exemplum actuum vitalium, vel intentionalium non facit ad rem, cum hic sermo fit de accidentibus physicis, non intentionalibus, quinimo siccitas causa propitia censetur à quibusdam modernis conseruatiua, & productiua specierum, unde dicunt experientia compertum esse eos memoria pollere, quibus cerebrum siccum est, & durius, quia species in eo diutius, & firmius conseruari possunt, quam in cerebro humido, & molli. Absque ulla specie itaque veritatis arguunt Clarissimi viri Schuleri, Heereboord, & Casimirus Capucinus

Quæres hic quomodo definiantur positæ qualitates, quæ solæ tanquam primæ recensentur.

Respondeo loquendo de calore, & frigore, quæ communiter circumferri solent definitiones, ut legitimæ recipi nequeunt. Caloris communis definitio est, quod sit qualitas congregans homogenea, & æierogenea segregans; sed inepta, quamuis enim calori aliquando conueniat prædicta definitio, ut patet, nedum in vino feruente adhuc in dolio: cuius partes terrestres vi caloris secernuntur à tenuioribus, verum etiam in ventriculo, in quo calor segregat partes alimentarias ab excrementitiis, & in sanguine extracto è venâ, vi cuius caloris quatuor secernuntur humores, tamen aliquando calori eadem descriptio nnn conuenit, ut optimè hic quamplures aduertunt Recentiores, & præcipuè Malebranchius *lib. 3. de inquireada veritate lib. 1* & Maignan supra relatam definitionem hæc habens *Calor coagregare beterogenea dici potest, dum elementa induraus, calcem, Arenam, lateres, saxa, paleas in unum cogit. Vel janè quemadmodum calor ipse estimatur beterogenea segregare, dum ab auro liquefacto separat fæces: pariter ad quodlibet estimari potest beterogenea congregare, dum auram, argentumque, & alia metalla simul fundens commiscet; item Ceram cum pice; item in stomacbo panem cum ceteris, tum escalentis, tum poculentis dũ ex eis chilam efformat. Quinimo calor euidentius homogenea segregat, dum aquam in vapores dissoluit*. Accurrata autem descriptio non est, quæ omni definito non conuenit, uti in Physicæ initio docuimus Materiæ primæ Ideam à Cartesio excogitatam reprobando.

Nec maioris est ponderis, quæ communiter circumferri solet respectiuè ad frigiditatem, dicendo illam esse, quæ homogenea, & eterogenea congregat; siquidem, quamuis hoc aliquando frigori conueniat, ut dum ligna v.g. stramen, aqua in unam massam per congelationem coniunguntur, tamen Peripatetica definitio solida non est. Primò, quia formalitas frigoris non explicatur, sed solum eiusdem effectus. Secundò, quia effectus ille nihil habet comercii cum qualitate tactili, cuiusmodi dicitur esse frigus. Tertiò tandem, quia neque frigus semper homogenea, & heterogenea congregat; pinguedo enim aquæ calidæ confusa, per frigus externum ab hac separatur, & ad superficiem eius inspissatur; Cereuisia ab intenso frigore ita congelatur; ut eius pars spirituosior ab aqua secreta in medio glaciei remaneat; & in operationibus spargyricis partes heterogeneæ, calore prius confusæ,

frigore

frigore separantur, & tandem clarissimè patet in aqua (ut observat hic Emanuel Maignan) dum, vel abluit sordes, vel extollit festucas, & quæ permixta eis, erant saxula in imum demittit.

Alii autem (plerique videlicet Cartesiani post Cardanum) solidius frigus definiri sibi suadent asserendo ipsum esse caloris defectum, adeoque merè priuatiuum. Rationes, quæ probabilem istorum reddunt sententiam, sunt primò, quia sicuti tenebræ nihil aliud sunt, quam priuatio luminis; ita frigus nonnisi priuatio eiusdem caloris videtur esse. Secundò Corpora ad sensum etiam frigidissima aliquid caloris habent, adeoque quod frigus dicimus, caloris saltem remissior gradus est. Ita aquam frigidissimam etiam nobis visam, non omni calore destitui, inde euincunt, quod vapores eluet, & nebulas super flumina, & stagna etiam noctu, & hyeme conspicuas format; item ex eo, quod Pisces, eodem cum aqua temperamento gaudentes, nisi aliquid caloris subesset, digerere, adeoque vitales actiones exercere non possent; neque herbæ aquaticæ circa aquarum scaturigines propullularent, nisi pariter aliquid caloris his subesset. Tertiò, quia nulla in rerum natura apparet frigoris causa positiua, idest, nullum obuium est corpus, quod non possit incalescere. Quartò denique, quia sicuti caloris formalitas in certa particularum agitatione consistit; ita harum quies, quæ mera motus priuatio, frigus etiam tanquam ens priuatiuum producit: ita quidem ut aqua sibi relicta, idest, nec à radiis solaribus, nec à scaturiginibus, nec à quacunque causa agitata sponte sua conglaciatura sit.

Sed nec Frigoris Idea optima est. Quamplures enim frigoris effectus inspiciuntur, qui certè à mera motus cessatione haberi non possunt. Videmus enim præter dolorem admodum acutum Plyctenas etiam graues ad sphacelum, aut carcinomata vergentes excitari à frigore vehementiore, tanquam à cauterio actuali, aut medicamento caustico; adeout frigus, perinde atque ignis, fine vocis catachresi urere dicatur; quod quemadmodum à mera motus cessatione, sine materiæ frigorificæ accessu, fieri possit, non est intelligibile.

Aliæ itaque definitiones afferendæ remanent. Incomparabilis Maignan naturam caloris inquirens cum aliis recentioribus docuit materiale caloris esse *ipsum motum*, formale verò *actionem esse calefacientis in calefacto sentiente*. At cum hæc nedum recedat à principiis Peripateticis; quæ tamen nos sequi profitemur, verùm etiam ab aliis quamplurimis necessariò exigitis ad veram efformandam definitionem, inter quæ illud est actionem ipsam calefacientis in calefacto, in priori supponere ipsum calorem, atque tales impressiones, vel actiones potius esse effectus accidentium, quam accidentia, ut dixi ubi de speciebus Eucharisticis in Eucharistia remanentibus; ideo veriores inter cæteras esse existimo eas descriptiones, quas affert hic eruditissimus quidam Recentior Anonimus, qui distinguens calorem in essentialem, & accidentalem, primum vult *qualitatem esse corpori natura sua insitam*, quæ in re à corpore calido separari nequeat, secundum verò, qui à *causa externa in corpore non calido, vel minus calido causatur*, veluti cum aqua, vel ferrum calefit, & data proportione hoc idem edocet de frigiditate.

His prælibatis definitiones remanent assignandæ humidi, & sicci. Recentiores de more, quemadmodum recesserunt à superioribus definitionibus aristotelicis, etiam recedunt ab aliis consimilibus, firmiter defendentes humiditatem, atque siccitatem virtualiter inspecta esse res Indistinctas ab ipsa substantia sicca, & humida, quæ consistant in humectandi, vel communicandi partes humoris adhærentis, velin vi siccandi, aut easdem dissipandi, formaliter verò in ipsa actione humectandi, vel respergendi aliquo humore, vel loquendo de siccitate formali in actione auferendi humorem, unde apud istos lapides, metalla, & cætera id genus, minus benè sicca dicuntur, quia nullum humorem intelliguntur amisisse. Sed his non arrideo, cum etiam istæ Innitantur supra identitatem accidentium à substantia aliunde in Physica pro viribus negatam.

Inhærendo itaque superius dictis humidum definiti potest quod sit *Corpus, cuius omnes partes humidæ sunt, si sit absolutè humidum vel quod multas particulas humidas immixtas habeat, si comparatiuè humidum sit*, ut lignum viride. Siccum verò corpus dicitur, *quod constat partibus siccis, cuius particulæ humidæ exsiccatæ sint, ut lignum aridum* Humidi enim descriptio afferri solita in Peripato, si vera esset omnia fluida corpora humectarent, uti Mercurius fluvidus, & Es fluidum, cum hæc facile suscipiant terminos alienos & flamma humida esset, cum facillime se se accommodet alienæ figuræ, unde definitio aristotelica reprobanda est, ne cogamur fluidum cum humido confundere.

Nec pariter vera est, quæ circumfertur à Peripaterici respectivè ad siccitatem, videlicet *siccum illud esse, quod suis limitibus faciè, alienis difficilè cohibetur*, idest, sicca in se, seù sua figura facile persistunt, neque hac, illac dfluunt, sicuti humida ad alterius verò corporis limites, & figuram ægre per se loquendo efformantur: ut constat in ligno, lapidibus. Vera inquam non est, primò quia ignis siccus est, & tamen non difficultet se ad alterius corporis terminos, & figuram accommodat. Secundo, quia marmor, & Adamas durissimus essent summe sicca, cum, in istis adsit maxima difficulras recipiendi terminos alienos, adeoque exsiccarent aduersus experientiam. Sed in hac re doctiores videantur Philosophi quos inter Maignan in sua Philosophia naturæ *cap* 15 Casimirus in *Physica parte* 2 *disp*: 3. de elementis, Sguletus, Heereboordt, Edmundus Purehotius, Auctor Burgundiæ Byle, Antonius Le Grand *in sua Institutione* Philosophica secundum principia D. Renati Descartes; quibus omnibus pro coronide solum moneo me in non paucam sepe incidere difficultatem, dum inherendo peripateticæ scholæ intelligere studeo, vel formarum eductionem, vel primarum qualitatum naturam principiis inherendo Aristotelicis, iuxta quæ alia satis commodè, vel ad minus sufficienter saltem intelliguntur.

## QUÆSTIO QUARTA.

*In quo physicè consistat caloris, & frigiditatis natura.*

### CAPUT PRIMUM.

*Refertur, & reprobatur sententia Cartesii, & Atomistarum.*

CVm supra extremis solumodo labiis sermonem habuerim de his duabus elementorum qualitatibus, vel proprietatibus, aliquantulum diffusè agendum est hic, inquirendo in quo consistant, quod ut fiat pro certo prius tenendum est Recentiorem

tiorum sententiam esse Calorem, & frigus, nil aliud esse, quam motum, vel partium agitationem, ac quietem, itaut calor sit partium exiguarum agitatio, frigus verò earundem quies, & consistentia. Huic adhærent, nedum omnes Cartesiani, verum etiam quamplures atomistæ, & præcipuè, quos viderim Maignan, & Casimirus, ex quorum omnium mente hanc sententiam magis proponere placet & quidem, quæ superius diximus, clarius proponendo. Dicunt itaque primò Epicurei calorem nihil aliud esse, quam volatilis illa, atque in minutissimas atomos redacta ignis substantia, quæ continuò effluxu è pabulo huius emanat, itaut non solum obiecta corpora calefacint, si combustibilia hæc sint, calor solus, absque igne visibili iugi sua actione hæc accendat, & cum illis flammam constituat. Scilicet effluuia ex corpore accenso secedentia, quamdiu intra sphæram flammæ continentur, motu suo ignem formaliter sic dictum constituunt; postquam verò illam excesserunt, itaut dispersa, & distincta magis oculos fugiant, & tactu solum percipiantur, dicuntur calor quatenus nimirum motu suo calorem corpori nostro afferunt. Cartesiani vero opinantur calorem motum esse corpusculorum insensibilium, quibus scilicet nerui per totum corpus diffusi peculiari modo commoveantur. Hinc oritur (dicunt) quod cum lima ferrum politur, ferrum, non lima calefit, è contrario, cum ferra, aut terebra lignum seccatur, aut perforatur, non lignum, sed ferra, aut terebra calefcit: quia insensiles tum ferri, quod politur, tum serræ secantis, terebræue perforantis; non vero limæ, & ligni partes tum amoventur.

Qui tamen omnes Calorem in hoc sensu explicatum volunt duo presesferre. Vnum est de materiali, quod esse putant ipsam agitationem particularum calefacti à calefaciente; aliud vero de formali, quod esse volunt ipsam conuenientiam, vel disconuenientiam cum organo tactus, quapropter afferunt ignem agentem in aquam v. g., & lignum non propriè calefacere, quia illa actio non, fit in organum tactus; solum enim tactu actio calefacientis dignoscitur, ipsiusque conuenientia, vel disconuenientia, quod etiam asseruit Le Grand illis verbis *requiritur enim, ut partium agitatio pro calore estimetur, quod ad sensum tactus nostri perveniat, & manum, ac cuiusunque alterius corporis nostri partes nervorum extremitates feriat* hoc explicans in sua, & cartesii Sententia exemplo soni per aerem sparsi, qui si ob sui debilitatem ad aurem non perveniat, quamuis aerem undulatim moveat, non tamen sonus est dicendus. Frigus vero ex opposito particularum quietem esse putant. Calore autem, & frigore in quieta, & mota repositis faciliter innotescit cur idem simul in gradu excellenti frigefieri, & calefieri nequeat, quia nimirum impossibile est idem simul posse velocissimè agitari, & quiescere.

Sed quam falsa sit hæc sententia ex eo deprehendo, quia aliqua moventur, quæ tamen calida non sunt, uti liquida corpora, aqua, ventus, aer. Secundò, quia quædam cum calore perseverant, estò non amplius detur particularum agitatio, uti experientia constat in homine, qui ex motu calefactus postea quiescens, tamen longè post calorem motu aquisitum in corpore suo persentiscit. Tertiò quia ferrum, & si immotum in fornace existeret, non frigidum, sed calidum fieret. Quartò quia ex hoc, quod existente motu sit calor, non inde infertur determinatè calorem esse ipsum motum, sed unicè, quod motus sit propitius, & causa caloris ut optimè ante me clarissimus Professor advertérat; ergo idea caloris relata non est legitima, cum non conveniat omni corpori calido, nec soli, quemadmodum docuimus trinam dimensionem non esse materiæ primæ ideam, quia nec omni, nec soli materiæ convenit trina dimensio.

Dices liquida, quorum partes moventur in seipsis considerata, calida in seipsis esse, quamvis calida comparativè ad nos non sint, seu prout referuntur ad sensum tactus. Aqua enim simpliciter, & absolutè calida dici potest, cum aliquem in se contineat calorem, non verò respectivè ad organum tactus, nisi casu quo particulæ manus tardius agitentur, quam particulæ aquæ, quæ attrectantur.

Dices secundò in ferro immoto in fornace ardenti partes fluxibiles igneas adesse, quæ excitantur, & motu suo partes aliquas ferri movet; atque facilè per porros commeant. Sed

Contra est, quia aer, ventus, aquæ maris fluxu, & refluxu continuo motu agitatæ deberent etiam respectivè ad nos suum calorem ostendere. Patet hoc, quia cum motus, & agitatio sensibilis sit, & calor sensibilis nobis esse deberet, cum calor ad mensuram sequatur agitationis, quod tamen experientia non constat. Præterquamquod distinctio calidi in se, & quod nos primum concedendo fluidis relatis, secundum verò negando, nullum aliud habet fundamentum præter illud occurendi argumento, quod opposuimus. Nulla est itaque hæc Cartesii solutio.

Ad secundum verò dico, quod etiam concesso particulas igneas in ferro mixto residentes moveri, dum, vel ferrum tunditur, vel in fornacem ardentem proiicitur, remanet adhuc explicandum, & probandum in tali motu calorem in ferro introductum consistere quod aliundè non ostendunt Atomistæ quamplures sic respondentes.

## CAPUT SECUNDUM.

*Adversa partis argumenta præcipua referuntur.*

PRimum, & potissimum adversæ partis argumentum est. In qualibet re, quæ calefit, intervenit hæc actio movendi localiter, vel particularum agitatio, ut evenit in Phiala vitrea impleta aqua fæculenta. Perspicitur enim incipiente calefactione illniem illam aqueam paulatim commoveri, & supra, & deorsum verti, adeò ut, si calor vehementior fit præter agitationem, dicat etiam particularum dissipationem. Secundò videmus in omnibus fluidis corporibus calorem potissimum manere, dum ejus particulæ ab igne diversimodè commoventur.

Secundò videmus tritu duorum lapidum, & ferri, ac silicis, imò, & ossium leonis inter se conflictu ignem effici. Item plumbeos globos è tormentis explosos, cum per aera feruntur, interdum liquefieri, sagittas incendi, molas farinaceas inardescere, curruum axes ignirl, soleas equorum scintillare, aerem percussum, quasi missilium jacula splendere, quibus quotidianis experimentis indicatur corpora omnia motu incalescere.

Confirmat hoc Casimirus: motus aquæ ebullientis, & metallorum, dum linquantur, non fit, nisi quia partes agitatæ aliæ ab aliis disiunguntur; sed talis disiunctio fit per calidum; ergò calidum est id, quod movet, agitat, & solvit particulas calefacti, formalis verò est talis motus partium, qui ex parte moti nihil aliud est, quam partium disiunctio.

Argu-

Argumentum hoc quod unanimiter proponunt Cartesius, Le Grand, Maignao, aliique quamplurimi Recentiores hanc sequentes sententiam, quam impugnamus, parum urget; cum oil aliud ostendat, quàm motum propitium esse calori, ipsiusque plerumque causam, quod noo diffiteor, non verò ostendit io ipso motu, vel agitatione formaliter residere, quod hic inquiritur.

Quinimò addo rationes adesse, & quidem non sofimas suspicandi calorem non esse ipsam agitationem, ut superius insinuavi, quibus addo flammam ignis magis commotam esse, quam sit carbo ignitus, cum tamen majorem calorem experiamur io carbonis tactu, quam flammæ. Primum enim, oec paulisper sustinere valemus, secundum verò, videlicet flammæ, aliquantulum. Præterea nedum particulæ corporis calefiunt, sed etiam totum corpus; sed nihilominus totum corpus non agiratur, hoc advertente, & suadente Le Grand ex Cartesio Magistro; ergo etiam particulæ calefieri poterunt, & si non interveniat ipsarum agitatio. Per quod patet ad confirmatiooem Casimiri.

Arguuot secundò. Si calor esset qualitas distincta, noo posset explicari quomodo calor à frigido generaretur in frigidum v. gr. quomodo aqua fortis commuois, & maximè Regalis defectissima exciret calorem in dissolvendis metallis præsertim, si hæc redactæ prius fuerint in pulverem; sed hæc naturæ phenomena debeot posse explicari; ergo Major ostenditur, siquidem talia corpora oon habent io se calorem; ergo si exigitur calor ad calefaciendum; talis effectus haberi noo poterit.

Nec juvat asserere, quod mixta illa sint virtualiter calida; siquidem nulla forma est destructiva sui ipsius; sed virtus calefactiva esset destructiva ipsius aquæ; cum pro sua naturali dispositione requirat frigiditatem; ergo.

Confirmatur, si daretur calor distinctus, vel daretur substantia ad essendum simpliciter, vel ad operandum; noo ad essendum, quia substantia ad essendum non indiget nisi seipsa, nec ad operandum, quia sic est superflua; ergò si calor in motu non consistit, oec etiam io qualitate superaddita.

Hoc argumentom Maignan oullius est roboris, siquidem si talia corpora calorem non habeot, nec etiam agitatiooem habebunt, in qua calor reponitur ab arguente, & sic talis effectus, qui aliunde conspicitur haberi non poterit; vel si ipsam agitationem habet, vel vim agitandi, dicam & ego, quod sicuti hæc non opponitur aquæ, quamvis sit virtualis calor, ita nec etiam opponetur calor virtualis, qui pariter indistinctus à substantia asseritur.

Ad confirmationem dico calorem dari substantiæ igneæ, & ad esse, & ad operari; ad esse, quatenus proprietas est ipsius igneæ substantiæ, & qui dem in gradu excellenti: ad operandum verò, dum ignis substantia in externum subjectum agit ipsum calefaciendo. In nostra enim sententia, quemadmodum & Scoti causa accidentium externorum productiva, est accidens.

Arguit tertiò Maignan, si substantia ageret per accidentia distincta, per ista etiam esset natura, cum per ista esset principium, & causa motus; sed hoc ipso substantia haberet rationem naturæ per accidens; ergò. Ostenditur minor, eo modo substantia habet rationem naturæ, quo accidentia illi conveniunt; sed hæc substantia convenirent solùm accidentaliter, non verò essentialiter, ergò.

Respondeo hoc argumentum cæteris esse inefficax, siquidem etiam positis accideotibus peripateticis, non inde sequitur substantiam solùm per accidens habere rationem naturæ, cum estò substantia agat per accidentia distincta tanquam per puras dispositiones, agit tamen per se ipsam taoquam per virtutem, tum remotam, tum proximam agendi, & precipuè io ordine ad aliam substantiam; hoc ipso autem quod per se ipsam est principium sic operandi, & quidem primò, & per se, iam per se ipsam, & non solùm per accidens habebit ratiooem naturæ.

Ex his etiam indirectè denuò ostensum remanet, oec frigus esse ipsam quietem; si eoim motus calor noo est, oec quies erit ipsa frigiditas.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Quænam qualitates, & quomodo conueniant cuicumque Elemento.*

### CAPUT UNICUM.

*Resoluitur difficultas quoad duplicem partem.*

DUo hic queruntur. Primum est, quænam qualitates conueniant elementis. Secundùm in quo gradu conveniant. Antequam utrumque resoluam, aduerto hic sermooem esse de elemeotis puris; & acceptis absque ulla mixtione alterius corporis; nam cum elemeota præsertim, uti fiunt nobis proxima, & obuia sint permixta particulis eterogeoeis, facilè est, ut ex talium particularum mixtione alterentur per particulas ab extrinseco prouenientes. Hioc sicuti difficile est cognoscere, quænam qualitates, & secundum quem intensionis gradum proueoiant ipsis ab extrinseco, & quæ ab iotrinseco, ita etiam valdè difficile elemeotorum naturam certò depreheodere, cum naturæ rerum nequeant à nobis cognosci, nisi per qualitates.

Nihilominus incipiendo ab igne existimo hunc esse summè calidum, & in excelleoti siccum. Hoc patet, sivè recipias calorem formalem, prout physicè communiter Recentiores ipsum explicant pro commotione videlicèt partium minutarum. Spiritus enim ignei maximè agitantur, sive prout ipsum explicaot Peripatetici. Est etiam siccus; siccat enim, idest humorem, & madorem aqueum aufert à manu, & panno.

Dices primò. Siccitas ignis cognosci nequit; oon quidem sensu; manifestum eoim est à tactu percipi non posse flammæ siccitatem, quia feruidissimus calor, tum etiam tenuitas materiæ satis impediunt, ne tactu, utrum humiditas, an verò siccitas depreheodatur; non ratione, quia si sic perciperetur, maximè, quia habet calefacere, lucere, urere, exsiccare; ex hoc autem ioferri nequit, oon quidem ex prioribus, Sol enim calefacit, sidera lucent, & aqua fervens urit, sicuti & metallum liquefactum, quibus tamen siccitatem nemo attribuerit, non ratione exsiccationis, primò, quia recurrit instantia de Sole. Secundò quia exsiccatio fit à flamma per accidens, oimirum non quatenus sicca est, sed quia calida. Calore enim partes humidas à siccis seceroi est manifestum.

Dices secundò. Si ignis est siccus, quia aufert humorem, aer quoque erit siccus, quia quoque modo habet exsiccare Madidos pannos. Sed

Contra nullæ ex his Instantiis, quas aliqui atomistæ efformant alicuius suot Roboris, non prima, siccitas enim ab effectu dignoscitur, unde solem, & ipsum siccum concedimus. A calore autem ignis cuce

cutè prouenire nequit illa discretio partium humidarum à siccis, quam causat ignis, cum nolint moderni atomistæ calorem habere disgregare etero genea, & congregare homogenea proscribentes eius dem Aristotelicam definitionem. Secundò, quia calor non habet vim exsiccandi, hic enim inspicitur in aqua feruenti, in qua non exsiccat.

Secunda verò Instantia, quam affert Maignan facilis est solutionis Exsiccatio enim proueniens ab aere prouenit à quibusdam corpusculis calidis, & siccis, quibus aer est permixtus, quæ vim habent attenuandi humorem, quo imbibitus erat Pannus. Quod etiam fatetur idem Clarissimus vir in sua Philosophia naturæ *capite* 17. *propositione* 2. ubi affirmat in aerem euolare partes spiritus omnis generis, nimirum terreos, aqueos, igneos, & alios, qui é mineralibus, vegetabilibus, animalibus exprimuntur, quia in resolutione quorumcumque corporum eorumdem partes spirituosæ statim, ac immediatæ euolant in auras, si ea supra terrã, aut aquam (verba sunt huius auctoris) sunt corpora, si verò sub aquis fuerint, aut sub terris, nihilominus quidquid est substantiæ spirituosioris, id nunquam ferè totum, si non statim, saltem paulò post erumpit ex eis latebris, ac in aerem se se diffundit ob læuitatem.

Dico secundò aerem esse humidum. Diffiteor tamen humiditatem illi conuenire in summo, uti existimant Peripatetici, & nonnulli atomistæ. Est calidus in remisso, non tamen ex sua natura, sic enim neque est calidus, neque frigidus, quidquid in oppositum sentiat auctor Burgundiæ Est itaque modo calidus, modo frigidus ex diuersitate halituum. Æstate enim, & meridiæ calorem habet aer à solaribus radiis, vel ab exhalationibus calidis; hyemæ verò, vel etiam noctu frigus haberà spiritibus naturæ frigidis, ut sunt nitri Alumnis, ac similes.

Dices primo aer natura sua, ac per se, nec humidus, nec siccus, nec calidus, nec frigidus est, sed ad hæc omnia indifferens est; si enim aer humidus statuatur, quomodo exsiccat; si siccus, quomodo humectat, si calidus, quomodo refrigerat, & si frigidus, quomodo calefacit. Secundò aqua magis humectat, quam aer; ergò non est summè humidus.

Dices secundò postquam aer sese exuit exhalationibus calidis, ut in noctibus hibernis Serenissimis tunc est frigidus, ergò ex sua natura est frigidus. Quod confirmatur, quia in Polis, adeo est frigus in aere, ut Regiones illæ habitari nequeant.

Dices tertiò. In media aeris Regione vapores concrescunt In niues; sed hoc fieri nequit, nisi ab aeris frigiditate, hoc enim euenire nequit à vaporibus, qui potius calidi sunt, quia caloris virtute extracti sunt ex aqua; ergò.

Respondeo ad primum aerem secundum se esse humidum, quamuis vulgo siccus videatur, ideo autem exsiccar, quia uti diximus imbibitus est particulis igneis, non quia secundum se sit siccus, ut superius dixi. Aqua autem magis humectat, quam aer propter sui maiorem densitatem.

Secundùm verò, quod opponit Auctor Burgundiæ, non valet, siquidem ut optimè aduernt hic Maignan aer ille, quem frigidulum experimur, nec ipse purus est, cum secum deferat spiritus frigidos.

Ad tertium dico effectum illum prouenire à frigiditate residente in aere, non quæ aeris propria sit, sed quæ aduentitia, nimirum à spiritibus frigidis, à quibus etiam æstate fiunt grandines

Dico tertiò aquam esse summè humidam. Est contra Honoratum Fabrum Societatis Iesu, & Peripateticos. Videmus enim magis humectare, quam aerem. Etsi autem non tam faciliter se accomodet alieno termino, sicuti, se accomodat aer, hoc non prouenit, quia minus humida sit, quam aer, sed quia minori gaudet tenuitate, quam aer. Est etiam frigida, non tamen frigidissima, nedum, quia aer Brumalis frigidior est, sed etiam, quia frigore eam condensari, & congelari videmus, ut optimè quamplures moderni Atomistæ aduertunt, estò plus habeat frigoris, quam aer ob suæ substantiæ densitatem.

Dices cum Honorato Fabro. Illud est summè frigidum, quod summe frigefacit, & maxime calorem destruit; sed omnis aqua ignem extinguit diuidendo illius partes, & calidum frigefacit, atque Organum tactus plurimum afficit; ergo.

Dices secundò aquam esse summè frigidam, quia per congelationem non aquirit maiorem frigiditatem, sed solum copiam vaporum salnitralium, qui vapores quandocumque miscentur aquis in glaciem quoque condensant, unde aquæ odorose, & distillate difficilius, & fere numquam gelasiuat, quia his spiritibus aluminosis, & salnitralibus carent. Sed

Nulla Instantia ex his urget. Non prima, primo quia aqua non omnem ignem extinguit; non enim extinguit ignem grecanicum. Secundò quia aqua ignem non extinguit ratione sue frigiditatis. Patet hoc, quia si hoc contingeret ratione frigiditatis, aqua calida igni iniecta, ignem non extingueret, quod tamen experientia constat falsum esse. Extinguit itaque ratione suæ humiditatis ignem ipsum opprimendo, eiusque siccitatem. Non pariter secunda urget, quia qui sustinent aquam congelari per has particulas aluminosas propugnant hoc fieri, quia harum virtute frigidior euadit, adeoque in suo statu naturali numquam est summè frigida.

# DISPUTATIO

## SECVNDA.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quot, quæ, & quid sint qualitates motiuæ Elementorum.*

DE qualitatibus actiuis elementorum iam satis hucusque diximus. De motiuis nunc nobis instituendus est sermo. Qualitates autem elementorum motiuæ illæ sunt, quod singulis elementis congenite inseruiunt ad hoc, ut ipsa elementa loca sibi à natura assignata, dum ab eis conuelluntur sibi repetere possint. Hæ autem duo sunt nempe grauitas, & leuitas, ut in confesso est apud omnes auctores, illa siquidem principium est motus deorsum, illa principium motus sursum. Tota ergo difficultas in hac quæstione sita est in hoc, an grauitas, & leuitas sint aliquod accidens speciale tum à substantia, tum à primis qualitatibus elementorum distinctum, item an multiplex, vel unicum accidens sufficiat pro utroque motu sursum, & deorsum. Pro quo sit.

CAPUT

## CAPUT PRIMUM.

*Duplici Conclusione resoluitur Quæstio.*

Dicendom est primò virtutem loco motiuam elementorum distingui realiter, tum à complexo primarum qualitatum, tum etiam à substantia elementorum. Est contra Arriagam, qui hanc identificat cum substantia Elementorum, est etiam contra alios, qui illam identificant cum primis quatuor qualitatibus.

Probatur prima pars. Variato complexu primatum qualitatum notabili, deberet etiam variari proportionaliter virtus loco motiua realiter cum illo identificata, variata enim causa formali, etiam variari debet effectus formalis, hoc autem non sequitur, nam Ferrum, Es, marmor, si alterentur, & ex frigidis fiant calida, variantur notabiliter in primis qualitatibus, nec tamen variantur saltem proportionaliter in virtute loco motiua, vix enim est discernibilis aliqua minor grauitas in ferro, Ere calidissimis, imò etiam liquatis, ac in iisdem existentibus cum frigore naturali, ergò non identificatur realiter.

Probatur secunda pars, quia virtus loco motiua variatur manente eadem substantia elementi, ergò est accidens realiter distinctum. Antecedens probatur, quia aqua attenuata in vapores sursum fertur, tum reparata sibi sua densitate, ac grauitate rursus descendit, ergò modo habet principium motus sursum, modo principium motus deorsum, remanenre eadem substantia aquæ; vapores enim, qui sursum feruntur, & rursus decidunt siuè aquæi, sivè terræi non mutantur substantialiter iuxta communem sensum.

Probatur secundò, quia virtus loco motiva non potest dici, quod sit realiter idem cum materia in elementis, materia enim primò de se est indifferens ad utrumque motum, nam in igne fertur sursum, terra deorsum. Secundò cum virtus movendi sursum, & movendi deorsum habeat rationem actus, seu activi, dicendum est, quod adveniant materiæ (quæ proximè est pura potentia) potius per physicam compositionem, quam per metaphysicam identitatem. Neque quod sit idem cum forma, primò, quia forma ignis juxta diversam affectionem materiæ, in qua recipitur, modo magis ascendit, ut si concipiatur v.gr. in vaporibus rarioribus, modo minus, ut si in materia uliginosa, & densiori, modo etiam aliquando descendit, si concipiatur in materia valde densa, ut pater in carbone accenso; ergo forma de se non est principium proximum ascensus, & descensus; ergo ascendit, vel descendit, prout materia, in qua recipitur habet gravitatem, vel levitatem. Certè carbo ignitus habet formam ignis, quam non haber carbo extinctus, & tamen inter calorem extinctum, & ignitum, vel nulla est, vel penè insensibilis diversitas in gravitate, & levitate, ac proinde remanent eædem mutatis formis; ergo & gravitas, & levitas in alio sita est, quam in forma. Deinde in homine principium motus deorsum, non potest identificari cum ejus forma, quæ ut spiritualis indifferens est de se ad utrumque motum; ergo principium proximum motus deorsum est accidens distinctum à forma.

Dicendum est secundò, non unam, sed duplicem esse virtutem loco motivam elementorum, gravitatem videlicet, & levitatem. Est contra quamplures ponentes pro adæquato principio motus elementorum solam gravitatem, ideoque volentes, quod gravia, quæ descendunt, ferantur deorsum per propriam innatam gravitatem, levia verò, quæ ascendunt volunt ferri sursum non per positivam levitatem, sed solum per hoc, quod ab alio corpore descendendo expellantur, & sursum trudantur. Qui Auctores quoad modum loquendi admittunt levitatem, quam vocant respectivam, revera tamen omnem humiditatem excludunt, quia levitas respectiva per ipsos nihil aliud est, quam minor gravitas. Unde dicunt v. gr. aerem ferri sursum, & respectu terræ esse levem, non quia in se habeat positivam levitatem, sed quia habet pauciores gradus gravitatis, quam terra, contra quos.

Probatur primò nostra conclusio præcipuè de igne, in quo admitti debet aliqua levitas positiva specie distincta à gravitate; utrum autem admitti debeat etiam in aere, non disputo, ne oimium protrahatur quæstio. In physica enim diffusè diximus de aeris gravitate. Bombarda cum eadem pulvere, ac proinde cum eadem rarefactione directa orizontaliter explodit pillam v. gr. ad 800. passus, directa per 6. punctum normæ libratoriæ, ut vocant, hoc est directa per lineam mediam inter perpendiculum, & orizontem proiicit pillam ad 2500. passus; unde nam hujusmodi major motus non videtur certè posse aliunde provenire, quam quod ignis ex sua positiva levitate inclinetur ad majorem impetum, quando movetur sursum perpendiculariter, seu quando magis accedit ad perpendiculum, quam quando minus, quod proportionaliter provenit in gravibus connaturaliter deorsum tendentibus; ergo sicuti lapis positiva gravitate descendit, ita ignis positiva levitate ascendit; ergo.

Probatur secundò. Ponatur Phiala vitrea, in qua argentum vivum condensatum sit, & occupet tertiam partem Phialæ, deinde infundatur aqua stypia, seu ut vocant aqua forti, & statim obturetur orificium Phialæ, statim implerur Phiala crasso fumo & adeò vehementem impetum concipit, ut nisi maximo conatu detineatur ad cubiculi fornicem advolet, ibique allidatur, & frangatur; hujusmodi autem impetus Phialæ non potest provenire, nisi à positiva levitate; non enim ex impetu causato à violenta rarefactione mercurii, quia ex hujusmodi impetu præcisè Phiala non deberet potius tendere sursum, quam deorsum, vel ad latera; ergo cum feratur sursum, lignum est, quod fertur ex vi intrinsecæ levitatis, & positivæ, intrinseca inquam spiritibus igneis, qui in magna copia ex vi aquæ stigiæ in materia mercurii accenduntur.

## CAPUT SECUNDUM.

*Solvuntur objectiones.*

Obiicies primò contra primam conclusionem Vapores feruntur sursum per impulsum ab extrinseco ipsis violenter impressum, eo modo, quo fertur lapis sursum projectus; ergo non propter hoc quod habeat principium intrinsecum talis motus.

Respondeo negando antecedens (licet non sit ad rem, in tali enim suppositione vapores non moverentur immediatè per propriam substantiam) quia non potest assignari causa imprimens talem impulsum; potest autem optimè assignari causa productiva levitatis; nam sol, & alia agentia calida per calorem determinant substantiam vaporis ad raritatem; raritas autem determinat ad levitatem, sicuti densitas ad gravitatem. At quænam

causa producit in vaporibus novum impulsum. Patet experientia, quod impulsus nisi producatur ex vi magnetica alicuius corporis attrahentis nunquam producitur transeunter, nisi per alium impulsum, & per alium motum, ut patet in lapide sursum projecto, & similibus. Deinde vapores quando inter ascendendum deflectuntur à via recta, & incipiunt v. gr. à vento directionem deorsum, cessante vento, non continuant motum deorsum, sicuti faciunt reliqua, quæ moventur per impulsum extrinsecum, quæ nisi impediantur continuant motum secundum directionem semel ab extrinseco receptam; at vapores prout valde sensibiles fumo, etiamsi à vento inflectantur, cessante vento, reddunt de novo sursum absque ulla vi magnetica solis, quæ & gratis poneretur in sole, & si daretur, vapores semper deberent ascendere recto versus solem, quod est contra experientiam. Tandem vapores lebetis ebulientis, eodem modo absente, ac præsente sole ascendunt; ergo non ascendunt ex vi magnetica solis. Quare cum vapores modo descendant, modo ascendant, non ascendunt per impetum extrinsecum, dicendum est quod descendant per levitatem superadditam, vel saltem per hoc, quod gravitatem modo majorem, modo minorem; sed hoc ipso ascendunt per qualitatem distinctam à substantia; ergo.

Obiicies secundò posumus dicere, quod eadem substantia vaporis, si fit rarefacta, fit productiva motus sursum, si condensata motus deorsum, habentibus se raritate, & densitate, ut meris conditionibus; ascensus enim vaporis semper est coniunctus cum substantiæ raritate, descensus cum densitate ejusdem.

Respondeo negando antecedens, quia videmus, quod motus sursum, & deorsum non sequuntur mensuram raritatis, ac densitatis. Fumus siquidem, qui per calorem extrahitur ex lignis valde humidis, & præsertim uliginosis, certè est crassior, & densior aere, & tamen in aere ascendit; ergo non ascendit præcisè ratione raritatis. Similiter flamma, quæ concipitur in vaporibus uliginosis v. gr. in oleo nucum, est valde crasa, & densa, & tamen etiam ipsa ascendit supra aerem; ergo talis ascensus non determinatur tantum à substantia prout affecta raritate; ergo ab alio distincto.

Obiicies tertiò. Principium motus progressivi in animalibus identificatur cum illorum substantia; ergo pariter in elementis principium motus sursum & deorsum.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem disparitas est, quia motus animalis est actus vitalis, ideoque petit intrinsece provenire à principio vitali in actu primo, cujusmodi est sola forma, hoc autem non valet.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrùm habeatur acceleratio motus gravium ad suum Centrum.*

REm penitus certam supponit hæc Controversia, nimirum motum naturalem gravium descendentium, velociorem esse in fine, quam in principio, quod etiam constat, quià lapis decidens ex alto loco vehementius lædit, quam lederet, si initio motus occurreret. Difficultas itaque tota deuoluitur in assignanda causa formali huius maioris velocitatis, circà quam.

Prima sententia sustinet celeriorem motum provenire ab aere, per quem motus fit. Medium enim illud, cum anteà esset immotum, lapidi in principio magis resistebat. Cum autem mobile iam sua virtute medii resistentiam superauit, posteà facilius eam superat, adeoquè paulatim celerior fit illius motus, maximè cum accedat aer à tergo continuò succedens, qui similiter eò celerius succedit, quo mobile celerius movetur, adeoquè etiam lapidem à tergo celerius ad centrum propellit. Huic dicendi modo adheret *Auctor Burgundiæ*.

Secunda sententia sustinet provenire à motu Cœli circumferentis celerrimè terram, cuius vi terræ partes continuò versus centrum comprimuntur.

Tertia sententia uult ipsam velocitatem oriri partim à centro Terræ, quo enim lapis proprior est centro, vel terræ, eò magis à terra attollitur; simile enim gaudet suo simili, quemadmodum etiam videmus ferrum, quo proprius ad magnetem accedit, eo etiam fortius ab illo trahi; partim verò à motu naturali sua natura paulatim accrescente, si mobile extrà suum naturalem locum existat.

Quarta sententia est Patris Maignan docentis illud causam esse accelerationis, quod causa est, ut singulis æqualibus temporibus, acquirantur continuo singuli æquales gradus velocitatis, cum in hoc stet acceleratio: cum autem causam huiusmodi acquisitionis esse existimet ipsam proportionem servatam inter virtutem motricem auctam, & medii resistentiam pariter auctam, uult hanc ipsam identitatis proportionem esse causam necessariam, & certissimam accellerationis.

Quinta sententia vero sustinet provenire à sola terra attrahente, quæ terræ attractio multipliciter explicatur ab huius sententiæ Auctoribus. Aliqui enim volunt ipsam attrahere per emissionem attomorum magneticorum, quæ radiatim moueantur à Centro terræ versus eius circumferentiam, & ultrà, qui explicandi modus est Gasendi. Alii vero terram attrahere volunt gravia fugendo; alii per spiritus, vel effusos à re gravi, vel emissos à terra, ità ut è terra spiritus pendeant in omnem partem, veluti pili ex capite, & veluti catenulæ, quæ amica corpora amplectantur, Nonnulli vero alii per qualitatem occultam attractiuam hoc fieri existimant.

Vltima sententia est Peripaterica, quæ propugnat motus accelerationem provenire ab impulsu acquisito per motum, ità ut impulsus fit causa motus, maior impulsus maioris motus, & vice versa. Hanc nos defendimus, quod melius fieri nequit, quam reprobando priores sententias, & illas præcipuè, quæ magis à vero distant.

## CAPUT PRIMUM.

*Eligitur verior Sententia, et à vero distantes reprobantur.*

DIco primo priorem in ordine sententiam relatam omnino falsam esse, primo quià aer cedens non minus in fine, quam in principio resistit; quinimmo in fine magis resistere probabile est, cum circà terram crassior sit. Secundo, quià si aer à tergo sequens, & succedens propellendi uim habet, undè est, quod missilia per aerem emmissa in motu suo non perseverent, vel quod similiter in fine non moveantur celerius. Tertio, quià experientia constat nos sentire potius aerem anteriorem comprimentem, quam à tergo existentem. Quarto, quia, ut optimè hic aduertit Maignan aeris resistentia vincitur quidem per motum lapidis, non tamen

men minuitur, quemadmodum qui arcum incurvat, vincit quidem aliquatenus eius resistentiam, quæ contra incurvationem est, sed non minuit, immo paulatim experitur maiorem; si enim minueretur, tota paulatim exhauriretur, & ita motus lapidis acceleraretur absque termino. Quoties autem talis resistentia non minuitur, conferre nequit ad accelerationem, sed potius ad ipsius impedimentum.

Quintò quia aer repugnat velociori motui, cum partes eius firmitate quadam, ac veluti pertinacia hereant, & consistant suis locis, consistentia orta vel ex tenacitate, qua sibi coherent iunctæ, repugnando divisioni sui, vel ex repugnantia ad condensationem, aut ex propria grauitate; ergo ipsi non poterit tribui acceleratio motus.

Dico secundò secundam sententiam non esse probabilem, quia si motus fieret in vacuo, fieret adhuc celeriter, quinimò in aliquorum sententia instantaneè, sed tunc prouenire non posset à motu Cœli, terram celerimè circumferentis, ergò. Secundò, si tanta est Cœli compressio, cur nubes in aere pensiles; continuo non comprimuntur in terram, nam si lapides tantopere comprimantur, quare non etiam nubes.

Dico tertiò tertiam sententiam pariter à verò distare. Primò quia accelerationem partim tribuit terræ Centro, quam ipsi conuenire non posse videbimus, partim quià causam incrementi motus non explicat, quam tamen hic inquirimus.

Dico quartò quintam sententiam esse omnibus improbabiliorem primò quia sequeretur juxta primum dicendi modum corpus eo facilius descendere, quo plures haberet porros, cũ tunc plures in ipsis reciperentur atomi, quod tamen esse falsum experientia constat. Leuiora enim, & magis porrosa minori velocitate decidunt, quam grauia. Secundò quia cum profluuium hoc atomorum in partes corporis solidas incurrat, deberet corpus illud à se potius repellere, quam ad se rapere.

Dices tunc verum esse, quod læuiora facilius traherentur, quam grauiora, si motus grauium solùm oriretur à terra trahente, ut cum oriatur à virtute intrinseca rei graui, & cum grauia maiori virtute motiua gaudeant, quam leuia, sequitur, quod facilius terra attrahat grauia, quam leuia. Sed

Contra est, siquidem si acceleratio motus grauium supra leuium, haberetur unicè à maiori grauitate intrinseca grauium, jam hanc accelerationem grauia habere deberent etiam in initio motus, cum etiam in initio singulæ partes corporis grauis donatæ sint virtute motus effectiua; ergò nequit refundi in ipsa grauitate.

Dico ultimò causam majoris accelerationis esse impulsum acquisitum per motum. Hæc sententia clara est, nec probatione indiget. Quoties enim volumus rem aliquam ad majorem distantiam proiicere, majorem illi imprimimus impulsum; Qui cum augeatur per continuationem motus grauium descendentium deorsum, hinc etiam augetur velocitas. Hæc est sententia inter Peripateticos plausibilis docens motum priorem causare impulsum, impulsum autem sequentem, alterum motum sibi subsequentem causare.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Argues primò in fauorem primæ sententiæ. In machina pneumatica, corpora vel leuissima celerrimè mouentur, & æquabiliter; immò vix plumbum celerius decidit, quam pluma, ergò omnis inæqualitas, & acceletatio descensus ex medii resistentia oriri videtur.

Confirmatur, quia per hanc sententiam optimè explicatur, cur motus longè facilius in mobili jam moto producatur, quam in eodem immoto. Elaterium enim aeris motum jam productum conseruat.

Respondeo me non negare hic resistentiam medii, quo decrescit, non parum manuducere, & juvare ad motus accelerationem; at quod aduerto est ipsam non esse causam adæquatam talis accelerationis; primò quia ego firmiter teneo, quod in machina pneumatica corpora læuissima, quamuis celerrimè mouerentur, nunquam tamen in motu parificarentur motui corporis grauioris, Secundò, quia minor resistentia aeris, est effectus maioris velocitatis jam acquisitæ conferentis vires ad vincendum majores, ergò illa minor resistentia medii, non est causa accelerationis grauium. Tertiò quia si proueniret acceleratio motus à resistentia medii, jam pilla ferrea, & lignea, dum descendunt in eodem medio, æquali celeritate deberent descendere, quod tamen experientia constat falsum esse.

Dices adhuc esse, undè inæqualiter descenderent videlicet, quia aer non parum resistit paleæ, quam resistentiam non præbet. Sed

Contra est, afferri enim debet ratio, cur aer magis resistat paleæ, quam pillæ plumbeæ. Hæc autem esse nequit, nisi quia palea est minoris grauitatis.

Obiicies secundò. Si vera est sententia Peripatetica; iam ponitur mutua causalitas physica aliundè reiecta. Patet hoc, quia hic dicimus, quod motus sit causa impulsus, & quod impulsus vicissim sit causa motus.

Respondeo hoc falsum esse, quia mutua causalitas, quæ repugnat nedum est in eodem instanti reali, verum etiam secundùm idem esse, quæ certè non euenit in casu, siquidem impulsus, qui est causa motus, non causatur ab illo eodem motu, quem impulsus causat, sed ab alio præcedenti, respectu cuius non est causa, sed effectus, in quo nulla est repugnantia

Obiicies terriò Si acceleratio motus proueniret ab impulsu, jam non esset assignabilis ratio, cur talis acceleratio potius conueniat grauibus, dum in fine motus existunt, quam dum in principio motus; atqui hoc affirmari nequit, cum eorum, quæ natura operatur, saltem à posteriori sit ratio assignabilis, ergò. Maior patet, quia ubi est qualitas necessaria applicata subiecto capaci, non est assignabilis ratio, cur hæc toto tempore applicationis, potius intelligi debeat operari in uno instanti, quam in alio instanti temporis.

Respondeo hoc argumentum in nostra sententia non urgere, sed solùm contra alios modos explicandi accelerationem motus, siquidem impulsus, cum sit de genere accidentis suscipit magis, & minus seu intenditur, & remittitur; qualitas autem intensa, cum sit magis actiua, cum plures gradus qualitatis importet; hinc etiam impulsus erit magis actiuus in sua intensione, ac quando est remissus, cum autem in fine motus impulsus intendatur nil mirum est, quod acceleratio motus habeatur in fine, & non in principio, cum solum in fine, causa motus sit magis activa, quam in principio.

Obiicies quartò Acceleratio motus tribui potest qualitati successivè, quæ cum maiori facilitate intelligatur effectiua talis accelerationis, ergò superflua est

est hæc qualitas permanens impressa ad accelerationem habendam. Probatur antecedens. Motus præcedens potest esse causa motus subsequentis, ita ut prima pars motus sit causa secundæ partis, secunda verò tertiæ, tertia parte, & sic de singulis; ergo etiam.

Confirmatur, id, quod præstat aliquid per aliud à se productum, potest illud idem præstare per se ipsum; sed motus gravium descendentium est causa impulsus causantis velociorem motum; ergo talis motus per se ipsum erit causa velocitatis existentis in motu subsequente.

Respondeo omissa quamplurium solutione, dico motus accelerationem ab unica qualitate permanente congruentius haberi, quam à pluribus causis partialibus, cum natura abhorreat à superfluis; si cuti diximus in tractatu de ortu, & interitu concursum effectivum substantiæ, & accidentis ad aliam substantiam producendam superfluum esse cum sola substantia adæquatum concursum præbere possit in alterius substantiæ productione.

Ad confirmationem nego majorem; falsum est enim causas secundas posse præstare per se ipsas aliquem effectum, quem præstant medio aliquo à se producto. De facto enim forma qualibet substantialis in sententia nostra producit aliam substantiam media actione superaddita à se producta, quam tamen substantiam producere non valet per se ipsam independenter ab omni actione, alias intelligeretur simul producens, ut supponitur, & non producens propter carentiam causalitatis, & Deus ut primum agens producit omnes actus vitales simul cum potentiis vitalibus, quos tamen actus nequit se solo producere propter dependentiam essentialem, quam dicunt à suis potentiis.

Obiicies quintò. Si acceleratio motus proveniret à majori impulsu, qui indispensabiliter acquiratur per continuum motum, jam motus sagittæ v. gr. deberet esse vehementer in fine, & in longa, quam in competenti distantia, sed hoc falsum videtur, cum experientia constet, motum sagittæ esse infirmiorem in fine, & in longa distantia, quam in medio; ergo. Probatur sequela. Ubi est causa velocioris motus in fine, ibi esse debet motus in eodem velocior, sed in motu sagittæ v. gr. versus Orientem adesset causa majoris velocitatis motus in fine, quam in principio, quatenus per continuum motum præcedentem, productus fuisset major impulsus, cum motus sit causa impulsus; ergo si acceleratio motus proveniret à majori impulsu, qui indispensabiliter acquireretur per motum continuum, jam motus sagittæ esset in fine velocior.

Respondeo non quemlibet motum productiuum esse maioris impulsus, sed illum solum, qui naturalis est rei, quæ movetur, ut est motus lapidis deorsum. Motus autem sagittæ, vel lapidis sursum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum consentaneus non est naturæ rei, quæ movetur, unde nil mirum, quod eius motus in fine velocior non sit.

Obiicies sextò. Proiiciens non alterat, sed solum localiter mouet proiectum, atqui si proiiciens proiciendo proiectum, in proiecto produceret impulsum, iam proiectum nedum moveretur localiter, verum etiam alteraretur; alteratio enim est productio qualitatis; ergò.


Respondeo iuxta dicta in Physica ubi de alteratione; alterationem propriè acceptam non esse solam productionem qualitatis, sed solum qualitatis alterius corruptivæ; huiusmodi autem non est impulsus impressus in proiectis.

Obiicies ultimo in favorem quintæ sententiæ probando corpora gravia in se ipsis non habere principium adæquatum motus, sed à terræ effluviis ad hunc motum ea determinari. Si mente concipiamus totum hoc spatium elementari Mundo comprehensum vacuum esse, & omni corpore destitutum, profectò lapis in hoc spatio positus quiescet immotus: nequaquam enim ulla est ratio, cur in unam potius feratur partem, quam in aliam, imo si terram in medio positam statuamus, tunc lapis in spatio inani constitutus ad eam non movebitur; Cur enim huc potius, quam illuc feratur, si nihil à terra exeipit? quid illum admonet terram eo in loco esse constitutam? Iam vero illud intervallum aere compleatur, tum profectò lapis in terram decidet. Vnde hoc, nisi aliquid à terra profluat, quod lapidem ad hunc motum determinet.

Respondeo libenter me concipere, atque supponere spatium uacuum, nihilominus censeo lapidem hunc relictum non quiescere, sed adhuc moveri, & quidem per lineam rectam deorsum, inclinante ad hoc sua intrinseca gravitate, quinimo hic lapis dupliei titulo velocius in descensu moveretur; primo propter impulsum aquisitum vi prioris motus, secundo, quia non adesset medii resistentia, quinimo etiam in instanti percurreret totum spatium, si non obstaret eius virtus finita, & impossibilitas motus localis instantanei.

Quæres hic quænam fuerit sententia Gallilei loquendo de descensu gravium, & an legitima sit.

Respondeo opinionem Gallilei esse gravia in descensu augmentum motus recipere secundum proportionem numerorum imparium, idest 1. 3. 5. 7. 9. addentis, quod si contingat aliquando hanc proportionem servari, hoc eveniat ob medii minorem, vel maiorem resistentiam. Vult itaque Gallileus grauia motum suum augere secundum numeros impares, idest si in primo instanti graue pertransibat unicum pedem, in secundo pedes tres percurrat, in tertio quinque, in quarto septem. Hoc euidentius patere potest in hac figura, quam Lectori exhibeo.





in qua recta *A B.* præsefert tempus, in quo graue aliquod se movet per lineam perpendicularem, & numeri 1. 2. 3. 4. 5. quinque indicant temporis momenta; recta verò *E. I. F. K.* velocitatem adeptam mobilis descendentis in fine cuiuscunque temporis. Vlterius etiam suppono grave, cum ad quintum devenit momentum, idest in *B*, adeptum fuisse velocitatem *B. C.* in qua hypothesi omnium velocitatum collectio exhibebitur in triangulo rectangulo *A. B. C.*

Secun-

Secundò ſciendum eſt velocitatem congruam eſſe tempori, quapropter ſi in primo inſtanti grave velocitatem habuerit *E. I.* In ſecundo erit ipſius velocitas *F. K* quæ duplo maior eſt velocitate *E. I.* quemadmodum tempus *A. F.* eſt duplo maius tempore *A. E.*

Tertiò obſeruandum eſt, velocitates diviſim ſumendas eſſe, tempora verò ſimul unicè intelligendo, quod ſi mobile aliquod per unius horæ inſtans deſcenſum conſumpſerit, in fine eiuſdem inſtantis velocitatem habebit per medietatem minorem, quam ſi motum habuiſſet per exiguum temporis punctum. Vt autem hæc Gallilei doctrina melius perſpiciatur, conſiderandum eſt ſub ſpatii nomine intelligendam eſſe illam diſtantiam à mobili factam intra determinatum tempus menſuratum ab initio deſcenſus, uti v. g., ſi mobile *A* in ſine primi minuti ruens in *B.* velocitatem *B. D.* adeptum ſit, ſuum iter exibebitur in triangulo *A. B D.* cum triangulus hic contineat omnem velocitatem, quam acquiſiuit mobile *A* uſque ad *B*, unde mobile In ſecundo inſtanti in *C.* velocitatem habebit *C. E.* atque iter correſpondens prædicto tempori erit capacitas trianguli *A. C. E.* quatenus triangulus formatus eſt ex plexu omnium illarum velocitatum, quas mobile habuit in quolibet minimo temporis; ſed quia Triangulus *A C. E.* quadruplus eſt Triangulo *A. B. D.* cum tempus *A. C.* duplum tantum ſit tempore *A. B.* ſequitur veriſſimum eſſe intervalla à mobili prætetita eſſe inter ipſa, ſicut temporum quadrata, in quibus graue movetur.

Quam Gallilæi doctrinam, ut clarius intelligamus inſuper aduertendum eſt tempora, velocitates, ſpatia in grauium deſcenſu computata ſummi poſſe ſimul, atque ſeorſim. Tunc ſimul ſumuntur, quando conſiderantur Incipiendo à puncto deſcenſus, uſque ad finem; econtra verò diuiſim, quando inſpiciuntur, ut correſpondentia diuerſis temporis partibus, & non toti tempori deſcenſus, ut v.g. in hac figura





in qua ſi ſupponamus graue *A*, ſe mouere deorſum per tria temporis momenta repræſentata per tria ſpatia *A, B, B, F, F, D*, & quod *B*, ſit primum tempus deſcenſus, *B, F,* ſecundum, & *F, D*, tertium; hoc poſito temporum collectio erit linea recta *A, D*, & partes *A, B, B, F, F, D*, erunt tempora accepta ſeorſim.

Pariter velocitatum collectio correſpondens temporum collectioni *A, D*, erit triangulus *A, D, E*, & collectio velocitatum conuenientium temporibus ſeparatis erit pro primo tempore triangulus *A, B, C*, pro ſecundo Trapezium *C, B, F, G*, & pro tertio tempore Trapezium *G, F, D, E*,

Ulterius velocitates ſummi poſſunt etiam diuiſim, in quantum correſpondent fini cuiuſcunque temporis, uti v. g. exiſtens mobile in *B*, terminum primi temporis, in tali puncto habebit velocitatem *B, C*, in *F*, ſine ſecundi temporis habebit velocitatem *F, G*, & in fine tertii habebit velocitatem *D, E*,

Quod autem grauium acceleratio fiat iuxta proportionē numerorū imparium, primo ſuadetur, quia cum velocitates à mobili acquiſitæ ſint in deſcenſu iuxta temporum proportionem, ſequitur in quolibet temporis inſtanti æquales acquiri velocitates, quia gravitas uniformiter ſemper operatur in grauis deſcenſu producendo in quolibet tempore æqualem impetum; ex quo oritur velocitas aucta iuxta temporum proportionem, in quibus grave ruit.

Ulterius, quia velocitas adepta in fine alicuius temporis agit per medietatem, quam ſi prædicta velocitas ſemper remanſiſſet, conſequitur, quod ſi mobile v. gr. in primo tempore à quiete diſcedens acquirit tantam velocitatem, ut poſſit per tranſire unicum pedem; in ſecundo tempore dicta velocitas, cum ſit in ſtatu durationis facit mobile pertranſire, vel percurrere duos pedes. Quæ major acceleratio, ut melius perſpiciatur in motu gravium deſcendentium, præſens figura conſideranda eſt.





in qua intelligitur, quod grave *A.* diſcedens à quiete cadendo in fine primi temporis, adeptum ſit velocitatem *B C.* in quo caſu omnes velocitates correſpondentes partibus minimis temporis *A. B.* facient ſuperficiem trianguli *A. B. C.* Supponamus autem nunc quod grave *A.* decidens velocitatibus correſpondentibus triangulo *A. B, C.* In primo tempore *A.* B. lapſum ſit per tres pedes, quod idem eſt, ac dicere grave *A.* in primo tempore *A B* cum velocitate expreſſa in triangulo *A. B, C*, diſcedens à quiete tres conſumpſerit pedes.

Sed cum hæc velocitas in primo tempore non eſſet in ſtatu permanenti, ſed per momenta produceretur, cum mobile diſceſſerat ex nulla velocitate, ſequitur dictam velocitatem per medietatem operaturam eſſe, quam ſi fuiſſet in ſtatu permanentiæ à primo uſque ad ultimum inſtans primi temporis *A, B*,; quapropter ſi dicta velocitas in ſtatu continuæ productionis fuit cauſa, quod mobile ſe moveret per tres pedes, in ſtatu permanentiæ feciſſet movere per ſpatium ſex pedum, dum velocitas in hoc ſecundo, caſu eſſet duplo major velocitate. Sed aliam videamus in hac re ſententiam.

## CAPUT UNICUM.

*De proportione, qua Dechales vult augeri velocitatem gravium cadentium.*




Accepto pendulo longitudinis 3. pedum, in quo dimidia vibratio, ideſt ſimplex motus Penduli per ſuum arcum *C*, *F*, *E*, unum minutum ſecundum temporis æquabat. Vibrationis iſtius penduli à dicto Auctore obſervatus eſt deſcenſus gravium in proportione ſequenti.


| | | |
|---|---|---|
| 1. In dimidio minuto ſecundo | Pedes | $4\frac{1}{4}$ |
| 2. In uno integro minuto ſecundo | Pedes | $16\frac{1}{2}$ |
| 3. In uno cum dimidio minuto ſecundo | Pedes | 36 |
| 4 In duobus minutis ſecundis | Pedes | 60 |
| 5. In duobus cum dimidio minutis ſecundis | Pedes | 90 |
| 6. In tribus minutis ſecundis | Pedes | 123 |

Modo in hæc experimenta computum faciendo obſeruatur deſcenſus grauis.

| | |
|---|---|
| Primo tempore iter feciſſe Pedum | $4\frac{1}{4}$ |
| Secundò | $12\frac{1}{4}$ |
| Tertiò | $19\frac{1}{2}$ |
| Quartò | 24 |
| Quintò | 30 |
| Sextò | 33 |

Dependenter ab iſtis obſeruationibus Dechales judicat Gallilei proportionem multum à veritate diſtare; quia ſi mobile primo tempore inter fecit Pedum $4\frac{1}{4}$ Secundum Gallilei proportionem ſextò tempore progredi debebat Pedes 153. quia ſecundum Gallilei mentem ſpatium decurſum debet eſſe in duplicata temporum ratione, ita ut ſpatium primi temporis ad illud ſexti temporis eſſe debeat, ſicuti 1. ad 36. & multiplicando $4\frac{1}{4}$ per 36. ſequitur 153. ſpatium competens Sextò tempori; ſed quia Decales obſeruatio ſolum exhibet 123. differentia eſſet 30. Pedum nimis conſiderabilis, ut circa gravium deſcenſum veritatem aſſequi valeamus.

Ob hanc cauſam prædictus Auctor animaduertens nonnullos Scriptores præferre tempora, in quibus graue ruit cum quadrantis circuli arcubus, & ſpatia peracta dictis temporibus cum ſinibus inuerſis; ideò in mente demonſtrauit tempus deſcenſus cum circumferentia circuli, velocitatem cum rectis ſinibus, & ſpatium cum inuerſis ſinibus, ut in præſenti figura arcus quadrantis *A, D, D,E, E, F, F,G, G,H, H,C,* omnes æquales repreſentabunt tot tempora; velocitates competentes, iis temporibus erunt ſinus recti. *D, I, E, K, F, L, G, M, H,N, C, B,* ſicuti etiam ſpatia à mobile peracta erunt inter ſe, ſicuti ſinus inuerſi *A,I, A,K, A,L, A,M, A,N, A,B.*




Supponatur nunc, quod mobile (ſecundum obſeruationes Decales) primo tempore progreſſum fuerit Pedes $4\frac{1}{4}$ & quod velocitas acquiſita juſtè totidem ſit quantum ſpatium peractum ideſt $4\frac{1}{4}$ Hoc ſuppoſito quanta in ſequentibus temporibus velocitas mobilis eſſe debeat, ut agnoſcatur, conſiderandum eſt, quod velocitas primo tempore acquiſita, ſecundò tempore in ſtatu durationis duplum peragerer ideſt Pedes $8\frac{1}{2}$ Sed cum conſtet experientia mobile duobus temporibus peragere Pedes $16\frac{1}{2}$ ab iſtis ſubtracti Pedes $4\frac{1}{4}$ primo tempore ſpectantes, pro ſecundo tempore remanebunt Pedes $12\frac{1}{4}$ Si denuo à $12\frac{1}{4}$ demptum erit id, quod ſpectat ad velocitatem primi temporis in ſtatu permanentiæ, ideſt $8\frac{1}{2}$ velocitas acquiſita ſecundo tempore erit pedum $3\frac{3}{4}$

Facta hac ſuppoſitione facile erit agnoſcere, quod proportio velocitatis acquiſitæ primo tempore comparatiuè ad illam, quæ ſecundo tempore adepta eſt, eſſe illam $4\frac{1}{4}$ ad $3\frac{3}{4}$ aut omnia reduceos ad quartas partes erit ratio 17. ad 15. ſeu facta compoſitione erit ratio 17. ad 32.

Si aliquis verò quæreret ex iſtis duabus ſententiis, quænam tanquam legitima admittenda ſit, reſpondebem primam à Gallileo aſſignatam, ideſt, quod velocitates gravium ruentium ſint proportionales temporibus lapſus, & quod ſpatia ſint in duplicata ratione, ſeù ſicuti quadrata temporum præſcindendo à reſiſtentia medii, verôſimiliorem eſſe ſecunda; ſed econtra ſuppoſita reſiſtentia medii vero ſimilibus videtur velocitates ſecundum rationem ſinuum rectorum, & ſpatia ſecundum rationem ſinuum

sinuum inuersorum pergere.

Ratio videtur manifesta, quia si de facto à cadente graue, velocitas in ratione temporum augeretur, nunquam ad motum æquabilem perueniret, idest ad illum, in quo mobile pergit absque eo, quod nouam velocitatem acquirat, sed adeptam conseruat; sed quia communiter admittitur grauia in descensu, vel citò, vel diu ad æquabilitatem sui motus peruenire, ideo probabilius erit dicere velocitatem augeri in ratione sinuum, & non in ratione temporum, quia realiter secundum experientiam duplo tempore non acquiritur dupla velocitas, uti videre est reflectendo ad id, quod Decales obseruauit.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An Elementa maneant formaliter, vel virtualiter in mixto.*

Ut difficultas hæc funditus dirimatur primo explicandum est, quid sit formas substantiales elementorum manere actu, & formaliter, vel solum virtualiter in mixto. Actu itaque, & formaliter unam formam manere in mixto, nihil est aliud ex communi Recentiorum sensu, quam manere secundum proprias formas, seu secundum illud esse, quod habent in elementis, itaut si illud esse, quod habent formæ substantiales in se, idem esse retineant in mixto, formaliter in mixto esse dicantur. Sicuti in homine in Henrici sententia actu, & formaliter ultra animam rationalem est forma corporis. Quid autem sit virtualiter esse formas elementorum in mixto, non parum dissidium est inter Auctores. Putant enim aliqui elementa esse virtualiter in mixto ratione suarum qualitatum, quæ virtutes elementorum dicuntur. Sic Oviedo *contr.* 8. *punct.* 1. & alii ferè communiter. Alii hanc continentiam virtualem aliter explicant, dum docent formas elementorum virtualiter in mixto manere propter quandam affinitatem formæ mixti cum formis elementorum, qui explicandi modus tribuitur Pontio *disp.* 5. *de elementis quæst.* 2. *concl.* 2. Alii verò dicunt formas elementorum manere virtualiter in mixto, nihil aliud esse, quam ipsas formas esse in mixto, non solùm ratione suarum qualitatum, sed etiam ratione graduum, qua tenus forma substantialis mixti continet formas elementorum per modum gradus, sicuti rationalis continet vegetativam, & sensitivam, & hæc explicatio verè est Scoti *in* 2. *dist* 15 *quæst.* 1 *à nu.* 5. *l.* 5. Cui modo explicandi non omnes ejus discipuli adhærent. Etenim Dupasquier *disp* 3. *de elementis concl.* 4. Gabriel Boyvin 2. *part. Phisicæ* de corpore innanimato *concl.* 1. volunt continentiam hanc virtualem consistere in hoc, quod mixtum habeat qualitates similes in gradu remisso, & formas substantiales exigentes illas qualitates, & operationes. Petrus verò à S. Catharina *lib.* 2. *de generatione, & corrup. disp.* 2. *quæst* 2. propugnat continentiam virtualem in eo residere, quod forma mixti perfectior est formis elementaribus, magisque materiam perficiat, quamvis ipsas formas elementares non contineat continentia virtuali effectiva, cum non possit illas producere.

Ulterius sciendum est circa præsentem difficultatem duplicem adesse sententiam. Prima est antiquorum Philosophorum docentium in mixto formaliter manere elementa. Sic tenuere Anaxagoras, Empedocles, Stoici, Avvicena, Averroes, Philopponus, Albertus Magnus cum aliquo tamen inter istos dissidio. Aliqui enim docuerunt formas elementorum manere formaliter in diversis partibus materiæ, & quod sint tam exigue, ut à sensibus percipi non possint. Alii econtra docent esse in eadem parte materiæ formaliter, sed non secundum totam suam perfectionem, & integritatem, sed in gradu imperfecto, & hanc docuisse Auueroes communiter creditur. Alii vero docent mixtum non esse aliquam specialem formam sed mixtionem plurium elementorum, quæ omnia simul mixtum constituunt. Ita Maignan, & alii quamplures. Alii tandem dicunt formas elementates secundum totam suam perfectionem esse in qualibet parte materiæ, & illi superaddi mixti formam, quæ tamen omnes explicationes sunt penitus falsæ, vel quia tollunt perfectam mixtionem, vel quia supponunt formas substantiales suscipere magis, & minus, vel quia tollunt rationem unius per se, ut Inferius dicam aduersus Morandum, Serbellonum, Venturam, aliosque.

Secunda sententia propugnat solam præcontinentiam virtualem Huic adhærent Scotistæ omnes superius relati cum Scoto. Est etiam D. Thomæ *prima parte quæst* 76 *art.* 4., & omnium Thomistarum, quorum aliquos refert novissimus Thomista Magister Paulus Cauino *tract.* 1. *de Ortu*, & *Interitu disputatio tertia quæstione tertia*, §. *secunda*. Hic tamen advertendum est Thomistas non velle, quod continentia virtualis elementorum in mixtis sit continentia virtualis eminentialis, quia si esset forma superior eminenter formaliter continens formas elementares, deberet posse præstare (quod tamen in sententia Thomistica falsum est, siquidem per ipsos gratia increata, continet formaliter, & eminenter gratiam habitualem, sicuti natura divina perfectionem luminis, cum tamen, nec luminis, nec gratiæ habitualis effectus formales præstare possint) quod præstant ædem formæ, quod non contingit, sed solùm volunt, quod tota virtualis continentia consistat in hoc, quod maneant qualitates elementorum, non quidem ædem numero, quia per Thomistas eadem numero accidentia non manent in genito, & in corrupto, sed solùm in specie, redacta tamen ad mediocritatem mixto proportionatam, ut etiam aliqui explicant Scotistæ, ut superius monui.

Ex his duabus sententiis secundam sustinemus, quam etiam magis cõmuniter defendunt PP. Societatis, & præcipuè Silvester Maurus *quæst.* 42. Antonius Ruvius Rodensis *lib.* 1. *de generatione, & corrupt. quæst.* 4. Suarez *in metaphysica disp.* 15 *sect.* 10. Arriaga *disp.* 2 *in Physica sect* 1. Oviedo *in lib. de generatione cont.* 8. *punct.* 1. aliique, cum quibus sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Defenditur secunda sententia.*

Prima ratio, qua communiter reprobari solet prima sententia procedit, quia si formæ elementares formaliter manerent in mixto, vel ita manerent, ut una forma esset in una parte materiæ, altera verò in alia, vel taliter, ut omnes simul essent in eadem parte materiæ; sed neutrum docere

cere rationabiliter possent docti adversarii; ergo. Probatur minor per partes, & in primis dicere nequeunt, quod diversæ formæ sint in diversis partibus materiæ, quia alias sequeretur per legitimam consequentiam, quod nullum daretur mixtum perfectum, sed solùm diversarum formarum juxta positio: neque secundum dici potest, alias eadem numero materia simul informaretur pluribus formis substantialibus adæquatis, quod tamen ferè communiter repugnat. Sed

Dices hoc non sequi, quia formæ Elementorum sunt formæ subordinatæ formæ mixti sunt enim ordinatæ ad faciendum mixtum, forma autem, quæ alteri subordinatur, quamuis alteri coexistat in eadem materia non tollit, quin potius deservit ad faciendum unum per se.

Contra est; hæc enim solutio, quæ etiam est Magistri Venturæ multipliciter impugnatur ab Ouiedo *in Phisica Controversia 8. Puncto* 4. primo quià contendit repugnare formæ substantiali ex genere suo alteri subordinari, & ad aliam disponere, quia dispositio est propter aliud, Forma autem substantialis ex conceptu suo est propter se. Secundò quia forma, ignis seiuncta ab aliis formis, materiæ unita constituit compositum completum, & ultimatum in determinata specie completa; ergò iam non erit forma alteri subordinata. Patet hæc consequentia, quia forma subordinata, numquam dat esse completum, & ultimatum in linea specifica. Tertiò, quia repugnat formas Elementorum comparari per modum potentiæ ad formam mixti: Forma enim mixti non actuat formas elementorum, sed solum eorum materiam. Ex his tamen impugnationibus solum secunda admitti potest in Schola Henrici. Prima enim insubsistens est propter formam corporeitatis, quam defendimus, quæ quamuis substantialis sit, ad alteram tamen disponit.

Probatur secundò. Si formæ elementorum essent neccessariæ in mixto maximè, ut essent radix, & principium qualitatum conuenientium cuilibet mixto, sed propter hoc non est necessaria hæc formalis inexistentia; ergò. Probatur minor primò, quia forma mixti, quæ perfectior est elementaribus, potest optimè radicare, & exigere qualitates in gradu refracto, sicuti aliquæ in summo radicantur à formis elementaribus; non enim video potiorem rationem, cur forma elementares sint prima radix suarum qualitatum, & forma mixti pariter non possit esse suarum primum principium radicans. Secundò quia si radix istarum qualitatum in mixto essent formæ elementorum, non esset, vnde proueniret, quod in uno mixto sit plus caloris, quam in alio, vel plus siccitatis, vel plus humiditatis, vel frigiditatis; Quod si excessus hic prouenit à forma mixti talem excessum exigente, cur non etiam tota qualitas ab eadem forma mixti poterit radicari.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Contrariæ sententiæ adhærentes multipliciter arguere solent, vel Henrici auctoritate, ut noster Magister Ventura, vel Philosophi, ut alii. Audiamus itaque quid dicant, & incipiendo ab Henrico hæc in *Quodl 6. quæst. 33* lego *Ad secundum, quod motus Cœli generat animantia; ergò multò fortius habet inanimata. Dicendum, quod vèrum est, sed materia supposita sub formis elementaribus, in quibus quodlibet est in potentia ad quodlibet*; per quæ verba ut vides, non docet Henricus, quod materia sit sub virtutibus, sed sub formis elementaribus. Secundò *Quodlibeto* 15. *quæst*. 4. hæc habet: *communicat igitur animatis corporibus secundum eam, quæ ex quatuor elementis complexionem, & compositionem*; quibus verbis insinuat mixta dicere complexionem ex quatuor elementis.

Ex Philosopho verò 5. *Metaph cap.* 3. hæc habentur: *Elementum dicitur id, ex quo primo insito aliquod componitur, & in fine* eiusdem capitis: *omnium autem commune est id esse cuiusque elementum, quod primum cuique inest*, & insuper *Textu* 84 docet elementa *esse separabilia à mixto, & 4. metæorum* asserit elementa esse *materiam mixtorum manentem in illis, & libro* 1 de anima docet, quod *elementa abirent in locum suum, nisi anima detineret illa in corpore animato*:

Respondeo brevissimè ad omnia, & ad Henrici verba judico Doctorem velle solum mixtum esse sub formis elementaribus, quia habet formam perfectiorem eminenter, & virtualiter præcontinentem formas elementares, quemadmodum dici solet materiam hominis esse sub vegatiua, & sensitiua, dum est sub rationali, quia hæc continet vegetatiuam, & sensitiuam. Quod autem hoc sensu loquatur doctor parebit legenti verba quæ habet in Summa *art*: 48. ni fallor quæst. 2. numero 17. Paragrafo *est igitur sciendum* ubi hæc lego *est minus nobile elementum, quam mixtum, & mixtum quam vegetabile, & vegetabile, quam sensibile, & sensibile, quā rationale, & hoc quia in talibus ultimum, vel quasi ultimum semper addit aliquid nobilitatis semper præcedens*, vel quasi *præcedens*; quibus constat proportionali modo ipsum loqui de elementis in ordine ad mixti formam, ac de vegetatiua, & sensitiua relate ad rationalem.

Philosophus verò in presenti materia assertiuè non est locutus, ut viderè est *libro* 2. *de partibus animalium cap*. 1. ubi hæc lego *Cum itaque triplex sit compositio; prima statui potest ea, que ex primordiis. conficitur iis, quæ nonnulli elementa appellant. Terram dico dici potest ex virtutibus confiei elementorum, iisque non omnibus, sed ut ante expositum est. Humiditas enim, & siccitas, Calliditas, & frigiditas materia sunt compositorum* quapropter Emanuel Maignan artidens primæ sententiæ, hanc non firmat Aristotelis auctoritate, quia uult in hac re incertam esse eius mentem. Secundo dico Philosophum explicari posse, vel de inexistentia virtuali, quam videtur adstruere, cum asserit mixta conflari ex virtutibus elementorum; vel si de formali, dicendum est hoc solum verificati ratione primarum qualitatum.

Obiicies secundo. Mixtio est *unio miscibilium alteratorum*; sed si formaliter corrumperertur elementa, mixtio non esset vnio miscibilium alteratorum, sed corruptorum; ergò formaliter manent in mixto.

Confirmatur. Si formæ substantiales elementorum, dum aduenit mixtum corrumperentur nulla daretur mixtio propriè loquendo, sed daretur sola conuersio. Probatur hoc, quia conuersio est transitus de una forma in aliam, maximè quando est conversio positiua. Mixtio verò est unio plurium in eadem materia coexistentium, sed in sententia negante formas elementorum manere in mixto, materia transiret de formis elementaribus ad mixti formam; non vero esset unio formarum elementarium in eadem materia; ergò potius esset conver-

sio,

sio, quam mixtio.

Confirmatur secundò. Ideo materia dum transit de una forma mixti ad aliam, tunc est conversio, quia intelligitur transitus de una forma ad aliam, videlicet de forma veteri, quæ corrumpitur ad nouam formam mixti, quæ generatur; sed etiam in casu esset transitus materiæ de formis elementaribus, quæ corrumperentur ad formam mixti, quę de nouo generaretur; ergò non esset mixtio, sed conversio.

Confirmatur tertiò. Ideo dum generatur forma mixti, formæ elementorum secundum suum esse actuale corrumpi debent, ut salvetur veritas illius principii *generatio unius est corruptio alterius*, sed etiam dato quod permanerent ad productionem novæ formæ mixti, adhuc intacta remaneret veritas illius principii; ergò. Minor patet, nam esto formæ substantiales elementorum perseverent, adhuc tamen corrumpitur forma vetus mixti, dum succedit alia forma mixti; ergò adhuc saluaretur veritas pricipii Aristotelici.

Hoc argumentum ex Philosophi doctrina deductum ineluctabile esse affirmat hic Arcangelus Mercenarii in suis dilucidationibus Philosophicis in plurima Aristotelis loca perobscura, unde vult sententiam, quam hic impugnamus vere esse iuxta Philosophi mentem; sed ineptè; sanctus enim Thomas *lib. 1. lect 25.* argumentum soluit monens in Aristotelica mixti definitione, nomine alterationis elementorum, eorum corruptionem intelligendam esse, hæc enim habet *Mixtio est Miscibilium alteratorum unio, idest secundum formam corruptorum.* Vnde in forma distinguo maiorem. Mixtio est unio miscibilium alteratorum, alteratione non importante corruptionem nego maiorem, importante corruptionem concedo maiorem, & data proportione distincta minori nego consequentiam.

Secundò respondeo quod licet forma mixti, vel mixtū non admittat in se formaliter formas elemētares, nihilominus mixtum non destruit ipsas, quia forma mixti per se ipsam tamquam per aliquod prepollens præstat illos effectus, quamuis non in eodem gradu, quo præstabant formæ elementaris, sicuti estō nonnulli Theologi negent in Christo gratiam accidentalem nihilominus asserunt gratiam unionis non destruere statum Sanctitatis, sed potius preficere, quia gratia unionis longe nobiliori modo præstat quidquid præstat gratia habitualis.

Ad primam confirmationem respondeo optimè salvari ratio mixti etiam corruptis formis substantialibus, cum perseverent qualitates elementorum secundum suum esse formale, & invicem misceantur.

Ad secundam dico, quod esset conversio, & esset mixtio. Conversio, quia esset transitus de una forma in aliam, mixtio verò, quia virtutes elementorum inter se se miscentur, & formaliter in mixto remanent.

Ad tertiam verò nego majorem, & causalem. Ideò enim in transitu materiæ unius formæ mixti ad aliam datur pura conversio, quia qualitates unius mixti, quamvis remaneant, non sunt tamen à natura ordinatæ, ut sint virtutes alterius mixti advenientis; at verò in elementorum corruptione qualitates remanentes ordinantur ad constitutionem speciei, videlicet mixti, ex qua ordinatione sequitur, quod non interveniat pura conversio.

Ad quartam confirmationem nego pariter causalem; non enim volumus corruptionem formarum elementarium ante adventum formæ mixti, ut veritas principii superius expositi salvetur, sed ideò volumus corruptionem ipsam formarum elementarium, ut salvetur, quod mixtum sit unom per se, quod non esset, si in mixto formaliter permanerent, ut supra ostensum est.

Obiicies tertiò. Inter elementa, & formam mixti datur quædam convenientia, quæ non datur inter ipsa elementa; ergo manent in mixto formaliter. Probatur consequentia, quia medium inter album, & nigrum habet convenientiam cum albo, & nigro, album, & nigrum manent in medio; ergo si mixtum habet quandam convenientiam cum elementis, elementa manere debent in mixto.

Respondeo explicando, quomodo forma mixti conveniat cum formis elementorum; convenit itaque cum ipsis in participandis, seu exigendis eorum qualitatibus; nam sicuti formæ elementares dicuntur extremæ, quia exigunt qualitates aliquas contrarias in summa intensione; sic forma mixti dicitur media, quia exigit ipsas coniunctas, & attemperatas.

Obiicies quartò si elementa non essent formaliter in mixto, maximè, quia elementa sunt inter se contraria, & habent qualitates contrarias, sed hoc non probat, quia simul esse possint in mixto; ergo. Probatur minor qualitates elementorum quamvis inter se contrariæ, adhuc inexistunt in mixto inexistentia formali; ergo à pari formæ elementorum inexistere poterunt in mixto secundum suum esse formale. Patet consequentia, quia ut optimè advertit Maignan non est hostilitas major inter formas elementorum, ac est inter eorum virtutes.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas in eo stat, quod qualitates elementorum non existunt in mixto eodem modo, quo inter se contrariantur; cum in mixto sint in gradu remisso, seu citra excellentiam, ut loquitur Henricus, quo modo non contrariantur saltem contrarietate excludente identitatem subiecti; at verò formæ elementorum sunt inter se contrariæ contrarietate excludente identitatem subjecti, cum dicant unam qualitatem in summo, seu in sua excellentia, in quo sensu certè opponuntur; nec valet dicere formas elementares, prout formaliter sunt in mixto, non habituras in summo qualitates; siquidem istæ qualitates esse deberent in mixto juxta exigentiam ipsarum formarum elementorum, cum autem ab istis aliquæ exigantur in summo, jam in summo adesse deberent, quod repugnat.

Objcies quintò. Si forma mixti contineret virtualiter formas elementorum, deberent posse perfectiori modo exercere operationes elementorum, vel saltem posse illas operationes exercere, sicuti exercentur ab ipsis elementis, sed forma mixti nonnisi imperfectiori modo exercere potest istas operationes; ergo. Probatur major inductione, nam anima nostra, quia virtualiter, & eminenter continet formas inferiores, verè præstat earum operationes, videlicet operationes vegetativas, & sensitivas. Insuper subsistentia verbi divini, quæ virtualiter continet subsistentiam creatam, præstat quidquid præstabat subsistentia creata. Minor verò est certa, nam non videmus, quod mixtum igniat, vel humectet, aut frigefaciat.

Confirmatur. Quotiescumque aliqua forma inferior secundum gradum suum præcontinetur in inferiori, necesse est, quod modo excellentiori à forma superiori proueniant operationes formæ inferioris, sed operationes ab elementis prouenientes, non

 modo

modo excellentiori habentur à forma mixti, nec eodem modo, quo habentur ab elementis, ab eadem forma mixti producuntur, cum à forma elementi in sua excellentia habeantur, à forma mixti verò non, sed in gradu refracto; ergo forma mixti virtualiter nequit elementa continere.

Hoc argumentum, ut integre soluatur, exposcit alterius difficultatis solutionem, utrum videlicet mixtum præcontineat elementa virtualiter secundum formam substantialem, an solum secundum qualitates; in qua duplex inuenitur sententia. Prima est Scoti asserentis formam mixti præcontinere elementa secundum gradum sui substantialem. Secunda est Diui Thomæ asserentis mixtum virtualiter continere elementa, quia continet ipsorum qualitates. In qualibet ex his sententiis argumentum soluitur; in priori quidem sententia, eo quia ad hoc, ut aliqua forma substantialis alteram contirere dicatur, ut superior inferiorem, non est necesse, quod, vel perfectiori modo, vel æque perfectè operationes inferiores præstare possit, sed sufficit, quod forma superior habeat vim colligendi omnes qualitates in inferioribus dispersas, quod totum evenit in mixto, in quo resident qualitates, quæ in elementis sunt dispersæ.

Ad id verò, quod de anima Rationali opponitur, falsum esse constat ipsam præstare operationes brutorum perfectiori modo; nam aliquando constat aliquas operationes perfectiori modo fieri à sensitiua in Brutis, quam ab anima rationali in homine, cum in aliquibus animalibus visus, odoratus, auditus, sint intensiores in brutis, quam in hominibus, ut in animastica ostendam. Paritas tandem de subsistentia potius mihi fauet, quam arguenti, siquidem subsistentia verbi virtualiter, vel eminenter præcontinet subsistentiam creatam, ut forma perfectior imperfectiorem, cum tamen non tribuat totum id, quod tribuitur à subsistentia creata; hæc enim facit naturam subsistentem in se, quod non facit divina. Ultimò, quia stat per adversarios, quod mixtum contineat qualitates virtualiter, quamuis non sit istarum productivum, vel perfectiori, vel æquali modo, ac producantur ab elementis; ergò etiam stare poterit, quod ipsa elementa præcontineat virtualiter virtualitate substantiali, quamuis mixtum productiuum non sit ipsarum qualitatum excellentiori modo, vel æque perfectò.

Obiicies sextò. Ex mixtis educuntur substantiæ elementorum, & non solum ipsorum qualitates; ergò substantialiter in mixtis continentur. Antecedens patet, quia nullum est mixtum, quod artæ chymica non dissoluatur in Aquam, Oleum, Spiritum, Sulphur, Cineres, Salem, quæ quamuis non sint omnino pura elementa; in illis tamen singulis elucet singulorum elementorum dominium, ut in Sale terra est, & ignis cum aqua, in oleo ignis, & aer cum aqua, in sulphure ignis, & aer cum terra, in spiritu aer, & ignis cum aqua.

Huic argumento multiplex esse solet solutio. Sunt primò, qui dicunt mixtum resolui in elementa non resolutione purè separatiua, ut resoluitur compositum in materiam, & formam, sed generatiua, quæ non importat necessariò præexistentiam formalem rei, quæ generatur cum præcontinentia, vel virtualis, vel eminentialis sufficiant ad generationem. Sunt alii, qui docent mixta non resolui in elementa formaliter, sed solum in partes habentes affinitatem cum ipsis elementis; non enim humor est formaliter aqua, sed habet affinitatem cum aqua, & Cineres non sunt formaliter terra, sed habent affinitatem cum terra; quod si aliquando in particulas formaliter igneas resoluantur, dicendum est hoc euenire, quia latebant particulæ igneæ conclusæ in intimo rerum naturalium Sopitæ, oppresso à terrestribus quisquiliis fæcum, quæ per attritionem, spirituum attritione animatæ, segregatis corpusculis naturæ humidioris, & in unum coniunctis spiritibus sulphureis, & halituosis igneo vestitu apparent. Quælibet ex his solutionibus optima est, & argumento satisfacit. Sed

Instabis contra utramque solutionem, & primò contra primam non est assignabile agens, quod sit proportionatum ad illa elementa producenda; ergò huiusmodi elementa non generantur de nouo, sed formaliter sunt in mixto. Antecedens probatur; si aliquod esset agens aptum producere hæc elementa in combustione ligni, maximè esset ignis; sed ignis non est proportionatus ad hæc elementa producenda maximè ad aquam, & terram producendam, ergò. Minor est certa, nam contrarium est omnino improportionatum ad producendum suum contrarium, ut ignis aquam.

Instabis secundò contra secundam solutionem. Si particulæ elementares adhærent solum porris mixti puta ligni, non uniuntur physicè inter se, & cum forma mixti; ergo lignum non est revera corpus mixtum; nam in mixto debent uniri physicè miscibilia, alias erit mixtio impropria.

Instabis tertiò. Istæ particulæ elementares in porris mixti essent inutiles, & otiosæ; ergo. Probatur antecedens, quia non pertinerent ad constitutionem mixti, nec materialiter, nec formaliter, aliàs essent partes constitutivæ essentiales mixti, nec formaliter, quia non darent esse specificum mixto; ergo essent inutiles, & otiosæ.

Hæ sunt instantiæ nostri Magistri Venturæ, quibus per ordinem satisfacio, & ad primam dico pro agente productivo assignari causas universales; nec mirum esse debet arguenti hoc refugium, cum etiam ipse doceat, quod si non inveniatur substantiæ productæ aliqua substantia sublunaris producens, recurrendum sit ad causas universales. Cum autem in sententia huius benricistæ non sit assignabile agens creatum sublunare productivum aquę ex ligno, ignis enim est improportionatus, non absre esse recurrere ad corpora cœlestia.

Secunda verò instantia non urget, quia esto illæ particulæ non ingrediantur mixti constitutionem, adhuc lignum est verè mixtum, quia ultra illas aliæ ponuntur, quæ magis dispositæ uniuntur mixto, ipsumque constituunt, non quidem formaliter, hoc est secundum suum esse formale, sed virtualiter, videlicet secundum suas virtutes, & qualitates.

Tertia tandem facilis est solutionis, quamvis enim tales particulæ non pertineant ad mixti constitutionem, adhuc superfluæ non sunt; inservire enim possunt ad replenda vacuola, quæ in porris adessent, si non essent istæ particulæ, solutio legitima est, maximè in illorum sententia, qui etiam vacuum disseminatum negant.

# LIBER ULTIMUS TRACTATUS
# DE ANIMA
## DISPUTATIO PRIMA.

PHysicæ Metaphysicæ præposito examine discutiendum remanent, quæ ad viventia spectant, inquirendo nimirum eorum naturam, vel quæ solùm vegetare dicimus, vel ulterius sensu affici, seu tandem, quæ ob rationis usum paulò minus ab Angelis minorari conspicimus. At cum etiam plantæ, brutaq; creata sint propter hominem, ut *sic omnis rerum naturæ pars tributum eidem conferre videretur* teste Seneca *lib. 4. de Beneficiis*, non absre erit magis immorari in animæ rationalis contemplatione, quæ malorum; bonorumq; obseruatrix est, & custos. Hilari itaque animo prius Animasticæ deindeq; cæterarum scientiarum assecutioni incumbamus, nihilq; sit, quod nos retrahat. Ut autem hoc feliciter fiat, voluptates omnes prius debellemus, quæ maxima quoque ad se ingenia rapuerunt. Sola enim una hiberna Hannibalem soluerunt; & indomitum illum nivibus, atque alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ.



## QUÆSTIO PRIMA.

### Quid sit Anima

*Duæ definitiones eiusdem afferuntur, & explicantur.*

PRima animæ definitio, quæ communiter circumfertur est quod *ipsa sit principium, quo vivimus, movemur, & intelligimus*. Hæc si distributivè intelligatur optima est. Verè enim anima principium est vitæ, vel vegetativæ, vel sensitivæ, vel rationalis. Per illam vero particulam *movemur*, nedum intelligo motum localem, verum etiam motum nutritionis per introsusceptionem, augumentationis, vel generationis viventis à vivente. Cum vero dicitur principium intellectionis, principium radicale, non proximum adæquatum intelligendum est. Anima enim ex se non est principium proximum adæquatum intellectionis, non quia rationem principii proximi attendamus penes potentiam intellectiuam realiter distinctam à substantia animæ, quæ sit de genere accidentis, ut sustinent communiter Thomistæ, sed quia ulterius exigitur obiecti species, quæ una simul cum anima productiua est intellectionis iuxta illud Augustini oraculum *ex obiecto, & potentia pariter notitia*.

Quod autem hæc descriptio sit accurata, hac unica ratione mihi solida ostendo. Illa descriptio optima est, quæ omni, & soli conuenit definito, simulque est explicatiua naturæ ipsius rei definitæ; atqui ita se habet recensita Philosophi descriptio, ergò. Minor cum triplicem in se partem contineat, prius quo ad primam ostenditur, ex eo quod, iuxta dicta superius, descriptio sumenda est in sensu distributiuo, in quo certè nulla est anima, quæ non sit principium vel vegetandi, vel sentiendi, vel discurrendi. Conuenit etiam soli animæ, quia esto cæteræ formæ sint suarum operationum principium, vel radix, non sunt tamen operationis vitalis fons, & origo. Tertia vero pars minoris evidens est. Ratio enim principii vitalis non est animæ accidens, sed potius ipsius essentia, ut natura est.

Explicatur hoc ulterius, simulque confirmatur. Dum dicunt Theologi quod essentia Divina, ut idea creaturarum sit earumdem exemplar, nil aliud dicunt, quam id, quod est essentia sub ratione ideæ, & consequenter optima est talis definitio essentiæ divinæ sub respectu ideæ; ergo dum dicitur, quod anima sit principium vitalium operationum optime explicatur ipsius quidditas cum ratio principii sit animæ essentialis.

Dices illa descriptio non est legitima, vi cuius non definitur quid sit res, sed per prædictam definitionem revera non explicatur, quid sit anima, nisi per aliquod ipsam consequens, cum explicetur per suas operationes ipsam supponentes; ergò.

Instabis secundo Ratio principii est ipsa anima, ita ut sint unum, & idem anima, & principium, ergò hæc explicari nequit per rationem principii.

Dices tertiò definitio quidditativa rei sub conceptu quidditatis designat rem præcisè, prout est principium essendi; sed allata non sic rem explicat, sed potius ut principium operandi; ergo Major est evidens. Hæc enim est diversitas inter duas definitiones quidditativas, quarum una sit de re ut natura, altera verò ut quidditas est, quod prima rem proponit in ordine ad operationem, secunda verò ad principium essendi. Sed

Contra est. Hæ enim instantiæ non urgent. Non quidem prima, quia anima non utcumque definitur per operationem, sed potius per earumdem principium. Ratio autem principii non est quid posterius essentia animæ, sed ipsius prædicatum primarium. Secundò quia quamvis operationes non sint essentia rei, sed effectus essentiam supponentes, adhuc optimè possunt ipsius naturam explicare, cum hac sæpè sæpius explicent Recentiores in ordine ad operationes.

Secunda verò instantia nimis frivola est. Ratio enim principii operationum vitalium aliquid clarius indicat, quam solùm animæ vocabulum præseferat. Tertia verò instantia facilis est solutionis, eo, quia anima hic definitur solum prout est natura.

Secunda verò descriptio est quod anima sit *actus primus corporis organici potentia vitam habentis*. Quantum hic immorentur Auctores, ut hanc explicent definitionem incredibile sanè est. Videantur Complutenses, Mastrius, aliique. Quibus omnibus omissis, brevi calamo relatam explico definitionem. Dicitur itaque actus, per quam particulam anima convenit cum cæteris formis, tum substantialibus, tum accidentalibus, cum etiam istæ virtutem habeant informativam, simulque totum constituant materiam informando. Addo quod si hoc vocabulum actus accipiatur, prout præcisè actualitatem præsefert præscindendo à physica actualitate convenit etiam formis metaphysicis, quæ suo pariter modo actuant. Dicitur *primus*, & in huius particulæ explicatione dissidium est inter Thomistas, & Scotistas. Priores enim sustinent actum primum esse animam, quia nullum alium actum ante se supponit, unde oritur quod Complutenses doceant animæ potentias tantum secundum quid actum primum sortiri, videlicet in ordine ad suas operationes, non verò absolutè ob animæ præcedentiam unde sustinent formam substantialem esse actum primum, tum negativè, quia non supponit alium actum, tum positivè, quia cæteros præcedit. Et hinc oritur quod nostram corporeitatis formam denegant, quia existimant, quod anima rationalis adveniens non esset amplius actus primus ob alterius præcedentiam.

Patres verò Scotistæ Mastrio Duce sustinent animam duplici titulo actus primi nomine insignitam esse; primò quidem, quia est perfectior inter omnes actus materiam informantes; secundò verò quia radix est omnium operationum convenientium composito. Inter tot explicationes, si verum fateri debeo, omninò mihi displicet Thomistica explicatio. Displicet primò, quia ratio actus primi non desumitur penes prioritatem executionis, ut existimat Joannes à S. Thoma, siquidem non minus anima rationem actus primi relatè ad corpus organicum, quam quælibet forma in ordine ad sui materiam. Patet hoc, nam ratio actus primi convenit formæ substantiali, non qua vivens est, sed qua substantialis est, sed forma quælibet substantialis, antequam in materia introducatur, in eadem supponere debet alium actum, quamvis non de linea substantiali, nimirum accidentia materiam dispönentia ad formæ materialis receptionem; ergo forma substantialis non dicitur actus primus in sensu Thomistico. Existimo itaque vetius dicendum esse animam esse actum primum, quia est prima radix omnium operationum convenientium composito, vel fortasse etiam, quia à natura primò intenditur.

Aliæ verò particulæ subsequentes, videlicet corporis

poris physici, ut explicentur advertendum est corpus triplicis esse generis, aliud nempe mathematicum, de quo tantum scripsit Cartesius, artificiale alterum, aliud tandem naturale. Corpus autem, cuius anima est actus, non est artificiale, vel arte elaboratum, neque mathematicum importans trinam Cartesii dimensionem, sed potius phisicum. A quo deinde habeatur hæc ratio corporis physici organici dissidium est inter Thomistas ex una parte, Henricistas ex altera. Volunt enim primi, quod sit compositum substantiale coalescens ex materia, & anima, non quatenus hæc dat esse animatum, sed prout dat gradum corporis. Vult enim Angelicus Præceptor *lib.2.text 6 lect.1.* quod ab anima corpus habeat, quod sit, quod corpus sit, & quod sit vitæ susceptiuum. Hæc tamen explicatio legitima non est in Henrici Schola, quia ratio corporis physici à rationali forma non desumitur, ut suo dictum est loco.

Ultimæ tandem particulæ explicandæ remanent quibus importari vitam in actu secundo sustinent Complutenses existimantes animam definiri per tò *organicum*, tanquam per subiectum formatum, & animarum, quod certè non est in potentia ad vivendum, sed actu viuit. Ego tamen explicationem hanc non amplector. Si enim intelligi deberent de vita in actu secundo, non addidisset Philosophus hæc subsequentia verba *habentis vitam in potentia*, sed potius habentis *vitam in actu*. Melius itaque dicendum est cum Mastrio, quod si per corpus organicum intelligatur pura pars materialis *tò vitam* accipi debet pro vita in actu primo, si verò sumatur totum constitutum ex anima, & corpore, tò *vitam* denotat ipsam in actu secundo.

Hæc autem definitio sic explicata quamplurimis displicuit Cartesianis. Inter hos tamen præcipuè Stephano Chauuin Nemausensi in suo insigni Opere, cui titulus *Lexicon rationale, vel Thesaurus philosophicus Rosterodami typis editus à Petro Vander Slaart Bibliopola*. Conqueritur enim hic vocabulum *vitæ* obscurius esse anima ipsa, adeoque ineptum esse ad eiusdem naturam explicandam affirmar; eo vel maximè, quod animæ cum suis propriis, diuersisque caracteribus sint insignitæ, unica definitione ipsis communi definiri non poterunt. Quapropter iuxta Cartesiana principia ipsam definit dicendo quod sit *substantia*, quia alieno rei creatæ præsidio non indiget ad existendum, sed per se, & in se existit. *Finita*, ut distinguatur à mente diuina, quæ omnimodè est infinita; *cum corpore humano organico hominem constituens*, ut à mente Angelica discriminetur. In qua definitione, ut vides cogitationem reponit in eiusdem essentia, quia Cartesii sententia est animam semper cogitare, ut alibi dicam.

Sed quam falsò hæc afferat hic Auctor ex iis, quæ inferius dicam constabit. Vitæ enim ideam accuratam, distinctamue ons habere demonstrabo ex plurimis sapientissimis viris, & præcipuè Diuo Thoma, Henrico, Subtili, si hos arguens inter sapientes adscribere velit, adeoque dum nos animæ naturam per vitæ conceptum explicandam suscipimus; non obscuriori utimur vocabulo. Nec etiam secundum urget, siquidem, & si eorum, quæ diuersæ sunt naturæ, communis non sit definitio diuersitati inhærendo, esse potest tamen sit prædicatum adsit, in quo conuenire cognoscamus, ut in casu. Quælibet enim anima viuens, est operationum vitalium fons, & origo, atque corporis actus, vel forma.

Quæres hic, quod sit vitæ conceptus.

Respondeo hoc maximum esse mentis humane imbecillitaris signum, quod cum labore, vitæ, quam dicimus, claram efformare valeamus Idem. De hac auctores quamplures multa tradiderunt. Ex his Henricus *in summa art. 27. quæst. 2.* vitam aliqualiter describit docens *esse modum essendi nobilem* Angelicus Præceptor verò *parte 1. quæst. 18. art. 3.* In ordine ad motum editum à re operante ex se ipsa, etiam dum est juxta dispositionem propriæ naturæ, explicare contendit, cum *viuere ea dicantur, quæ operantur ex se ipsis, vel quæ se ipsa secundum aliquam speciem motus mouent*, juxta quam acceptionem in Plantis occultior est vita, nec adeo euidens, ac in aliis, com opera vitæ, quibus hæc viuere judicantur, magis occulta sint, uti sunt alimento uti, siue nutriri, detrimentumue habere, & augumentum Vita autem hæc in ordine ad motum inspecta, accidentalis dicitur, quemadmodum substantialis ipsa animæ conjunctio cum corpore, quam utramque Ioannes Cottunius comprehendit in illo effato *à Deo nobis non modo viuere, verum, & bene viuere dari, ac impartiri*: Cartesiani tamen existimantes rem physicè non explicare recensitas vitæ descriptiones, volunt, quod vita in genere *designet existentiam quamdam efficacem, & actuosam, in motu sanguinis*, uti sensitiua, *in intromissione succi alimentaris per Poros*, ut vegetatiua plantarum, *in perenni cognitione*, ut vita mentis, vel tandem *in perenni corporis motione*, uti est vita corporis inferuit enim peragendis functionibus illis, quas vitales appellant, uti sunt nutitio, incrementum, generatio, motus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur quibusdam argumentis contra secundam definitionem.*

Duo argumenta præcipua adsunt aduersæ partis. Primum est. Anima est pars magis perfecta, quæ sit in animali, ergò non est actus primus, sed potius secundus. Antecedens est certum, nam hæc est forma viuens dans operari vitaliter, quæ certè est perfectior pars, quæ sit in composito. Probatur itaque consequentia. Si non consisteret in actu secundo, sed in actu primo in eodem viuente, daretur alia forma perfectior, cum dentur in viuente actus secundi intellectionis, & volitionis, qui certè perfectiores sunt actu primo, sicuti habent maiorem actualitatem, minusue potentialitatis; ergò.

Huic argumento non unica est solutio. Respondent enim primo Complutenses, quod quamuis anima sit actus primus, atque in eodem consistat, tamen perfectiorem esse actu secundo, quia ipsa secundum se sumpta non ordinatur ad operationem tanquam ad finem, qui est actus secundus, nec ad aliquod aliud extra proprium prædicamentum, & proinde adhuc in perfectione excedere actum secundùm. Respondet secundo Mastrius tunc actum secundùm esse primò perfectiorem, quando actus secundus est in eodem genere, & in eadem linea cum primo; modo autem actus secundus non est in eodem genere cum primo, cum primus sit substantia, secundus sit accidens; primus det esse simpliciter, secundus secundum quid; primus sit radix omnium perfectionum viuenti conuenientium, secundus non. Primus det esse specificum, & ultimatum, non verò secundus.

Ex his solutionibus hanc Scoti recipio, cui tantum addo actum secundum, primò perfectiorem esse secundum quid, non verò simpliciter, & absolutè. Patet enim quamlibet creatam operationem actualiorem esse, quam sit natura divina, cum prima sit ulterius inactuabilis, secus secunda ratione nostra, & tamen natura divina perfectior est qualibet creata operatione.

Secundò arguunt alii Recentiores. Anima hic non definitur per sui prædicata essentialia, sed unicè per aliquod posterius; explicatur enim per corpus animatum, quod effectus formalis animæ; effectus autem formalis posterior est ipsa forma.

Respondeo nullateous derogare definitioni essentiali, quod in ipsa importetur aliquid, quod sit re definita posterius, maximè si non veniat in recto, & per modum partis essentialis, sed solum in obliquo, & per modum termini, sicuti optima est ideæ divinæ descriptio dicendo, quod sit exemplar omnium possibilium, quamvis hæc posteriora sint divina essentia. Ideò enim res possibiles sunt, quia ideam habent in Deo, itaut ratio ideæ sit possibilitatis illativa, veluti à priori.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum qualibet forma vivens rationali excepta divisibilis sit in partes integrantes.*

Quamvis ut vides supponamus hic animæ rationalis indivisibilitatem, non desunt tamen, qui ex professo ipsam demonstrant, nedum quamplurimis rationibus, quas inter plausibilis ea est, quæ petitur ex animæ immortalitate, cui opponitur ipsa in partes integrantes divisibilitas; verum etiam ex quamplurium Patrum consensu, quos eruditè refert Claudianus Mamertus in suo opere de statu animæ *lib.* 1. *cap.* 17. ex quibus unum, vel alium referre placet, & primus sit Augustinus, qui *sermone* 186. *de tempore cap.* 4. docet, quod *etsi contingat, ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes. Numquid præcisum sequitur anima? Cum in corpore esset vivebat, præcisum amittit vitam.* Secundò sit Tertullianus *lib. de anima cap.* 14. affirmans, quod *anima simplex est, & de suo tota, non magis structilis aliunde, quam dissolubilis ex se, quia si structilis, & dissolubilis.* Tertiò verò Joannes Maxentius *dialog.* 2. ubi expressè fatetur *totam in unoquoque membro corporis sui esse animam, quæ licet sit circumscripta, partibus tamen nullo modo constat, quia truncatis membris corporis, ipsa integra perseverat.* Quæ Patrum oracula simul cum auctoritate Concilii Viennensis decernentis *sess.* 8 animam non educi de potentia materiæ indicant absque dubio ab omnibus recipiendam esse animæ rationalis indivisibilitatem, cujus certitudinem inferius suadebo, dum quibusdam occurram argumentis. Solùm autem hic miror, nec capere possum, quo jure Niphus Sinvessanus *lib.* 2. *de anima ad textum* 20 *quæst.* de indivisibilitate animæ rationalis referat Gandavensem Doctorem hanc docuisse divisibilem his verbis: *Gandavensis maximus Averrois fautor asserit omnem formam materiam perficientem, & omnem animam corpus informantem, sive animantem esse extensam, & divisibilem extensione, & divisione subjecti, in quo recipitur, cum extensione, & divisione ejus compositi, cujus ipsa est pars.* Certè si Doctor hic Gandavensis, Doctor solemnis sit, ignorantiæ convincitur, & calumniæ Niphus, cum Henricus contrarium sustineat pluribus in locis, ut non obscurè ostendit meus nunquam satis dilectus Magister Soltenæus Maria Cavalli. De aliis itaque formis viventibus est difficultas, circa quam.

Triplex adest scoteotia. Prima sustinet divisibilitatem in partes integrantes, tum sensitivæ, tum vegetativæ, sic Scotus Scotistæ omnes, quos refert Mastrius *disput.* 1. *quæst.* 5. in Animastica, nonnullique Auctores ex Societate, quos recenset Richardus Lyoceus *lib.* 9. *metaph. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 13.

Secunda sustinet ex diametro indivisibilitatem, tam in perfectis, quam in imperfectis. Hanc propugnant de Quiros, Lynceus referentes pro hac sententia D. Thomam 1. *part. quæst.* 76. *art.* 8. sed ineptè, ibi enim S. Doctor ponit tantum divisibilitatem animalium perfectorum, ut optimè advertit celebris Thomista Ioannes à S. Thoma in animastica *quæst.* 2. *art.* 1. & revera hanc esse mentem D. Thomæ censeo; cum hæc loco signato habeat, *& præcipuè animalium perfectorum anima, quæ non dividitur per divisionem quantitatis.* Referunt etiam relati Patres societatis Augustinum, & Marsilium Ficinum *lib.* 1. 6. *&* 8. *de Theologia Platonis.*

Tertia sententia media procedens via sustinet imperfectorum animalium animas divisibiles, perfectorum verò indivisibiles. Huic certè adhæret D. Thomas pluribus in locis, sed præcipuè quæstione de anima *articulo* 10. ubi cum Patribus Complutensibus hæc lego *Planum est etiam, quod non dividitur divisione communi, præcipuè anima animalium perfectorum, quæ decisa non vivunt, secus enim esset fortè de animalibus animalium annulosorum.* Cum D. Thoma autem idem sentiunt Suarez, Conimbricenses, aliique. Nos tamen primam recipimus sententiam, quam defendit Doctor *quodlibeto* 6. *quæstione* 14. ubi hæc habet *sic divisibiles sunt omnes formæ materiales, ut patet de divisione animæ sensitivæ.* Cum Doctore itaque.

Dico primo animam sensitivam in animalibus Imperfectis, cuiusmodi sunt serpentes, vermes, Lumbrici, Lacertæ divisibilem esse in partes integrantes; probatur autem, quia partes dissectæ sentiunt, & moventur; ergò in partibus divisis est anima non tota; ergò pars eius integralis. Antecedens certum est experientia Magistra. Augustinus enim libro unico de *quantitate animæ capite* 31. rem mirabilem narrat de motu partium diuisarum reptantium animalium, quam ut refert idem Augustinus hic adduco *Cum enim nuper in agro essemus Liguriæ nostri illi adolescentes qui tunc mecum erant studiorum suorum gratia animaduerterunt humi iacentes in opaco loco reptantem bestiolam multipedem, longum dico quemdam vermiculum; vulgo notus est, hoc tamen, quod dicam, nunquam in eo expertus eram. Verso namque stylo, quem fortè habebat unus illorum, animal medium percussit; tum ambæ partes corporis ab ipso vulnere in contraria discesserunt tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore nisu, quam si duo huiuscemodi animantia forent. Quo miraculo exteriti, causæque curiosi, ad nos alacriter viventia frusta illa detulerunt, atque nos pariter comoti ea currere in tabula quaquaversum poterant cernebamus, atque unum ipsorum stylo tactum, contorquebat se, at doloris locum nihil sentiente alio, aut suas alibi motus peragente.* Fere similem huic experientiam fecit novissimè Franciscus Redhi, Ethruriæ decus in anatomica facultate longè excellens in suo opere, cui titulus *Esperienze intorno alla generatione delli insetti.* Refert enim, se observasse simul spectante clarissimo viro Domino Nicolao Stenone

Dano

Dano celeberrimo Anatomen Profeſſore nonnullas Locuſtas, nedum abreptis viſceribus à corpore, verum etiam à capite diurno tempore vixiſſe, nimirum quinque, vel ſex diebus, quamuis vitæ inditia magis apparerent in corpore, quam in capite abſciſſo. Verum eſt itaque antecedens ſuperius relatum. Conſequentia autem tenet, quia ubi ſunt indicia vitæ, nimirum operationes vitales, opus quoque eſt etiam eſſe principium vitale. Subſumpta tandem eſt euidens, quia anima remanſit etiam in corpore, à quo fuit pars abſciſſa.

Huic argumento reſpondent Dequiros, & Lynceus in partibus diviſis Lacertæ nouam animam, vel titulo diſpoſitionem ibi remanentium produci à Deo, vel ab ipſis cauſari, ſicuti introducto calore in ſtupa à ferro candente ignis ipſe producitur. Sic ſi unio humana ponatur indiviſibilis, dum ſeccatur manus, tota unio deperditur, ſed iterum altera producitur ab Auctore naturæ (anima enim ſui unionem totalem producere nequit) titulo diſpoſitionum remanentium. Sed

Contra eſt; nullam enim video neceſſitatem, ob quam recurrere debeamus ad nouam productionem, quinimmò hæc, ad quam confugiunt adverſarii, ut ſaluent formæ ſenſitiuæ indiuiſibilitatem, videtur ſuperflua, cum datis partibus integrantibus in ſenſitiua imperfectorum, omnia ſaluentur abſque hac noua productione. Quod autem addit Quiros novam animam in parte abſciſſa produci poſſe ab ipſis diſpoſitionibus, falſum eſt propter impotentiam relucentem in accidentibus in ordine ad ſubſtantiam effectiuè, tum remotè, tum proximè producendam. Paritas autem de unione non urget, ſiquidem eadem unio penitus remaneret, quamuis non amplius informaret partem abſciſſam.

Dico ſecundo brutorum perfectorum animas eſſe pariter diuiſibiles in partes integrantes, & hoc primo, quia dum Equus, & Leo nutriuntur opus eſt eorum animam informare nouam alimenti materiam, totamque animam, ſi indiuiſibilis ſit. Vel ergò educitur de nouo tota anima de potentia illius partis materiæ, vel educta ſe extendit ad illam informandam. Secundum affirmari nequit, aliàs ſequeretur animam Equi, vel hominis informare materiam, de cuius potentia nullo modo educitur, quod pugnat naturæ eiuſdem animæ, ſoliquè rationali conceditur. Opus itaque erit, quod ex potentia illius materiæ educatur tota anima, quod pariter falſum eſt, quia educi de potentia materiæ eſt fieri in actu de nouo, quod non eſſet actu in rerum natura, ergò tandem dicendum eſt, quod hæc anima diuiſibilis ſit in partes integrantes, adeoque quod partialiter educatur, dum ſit noua alimenti additio.

Huic rationi occurrit Quiros affirmans vi nutritionis animam bruti producere ſolum diſpoſitiones, & unionem ſubſtantialem ſui ad novam materiam, in qua conſiſtit actio nutritiua, poſtea vero Deum illam animam educere ex noua materia ſupplendo defectum cauſæ ſecundæ; ulterius addens animam ipſam Leonis non cauſari materialiter à nova materia, cum qua unitur per nutritionem, ſed ſolum ab ea materia, ſine qua naturaliter nequit exiſtere, videlicet à ſolo minimo naturali materiæ primigeniæ.

Sed in hac ſolutione duo falſa ſunt. Primò falſum eſt Deum illam animam educere ex noua materia, cum in priori ſupponatur iam perfectè educta ex præcedente. Secundo affirmari nequit nouam materiam ipſam informare, quin ex ipſa educatur, quia ut ſuperius dixi hoc pugnat cum natura eiuſdem animæ, & ſoli rationali tribuitur.

Probatur ſecundò hæc ſecunda concluſionis pars. Anima ſenſitiua in his animalibus commenſuratur materiæ, eo modo, quo eidem commenſurantur cæteræ formæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales materiales, ſed cæteræ formæ materiales diuiſibiles ſunt in partes integrantes, ergò, & anima in his animalibus. Maior patet; anima enim in his viuentibus continetur in potentia materiæ, tanquam ſubiecti, à quo dependet, & ex quo educitur, & conſequenter commenſuratur, ſicut cæteræ formæ.

## CAPUT UNICUM.

*Diluuntur argumenta Contraria.*

PRimum argumentum illud eſt quod deſumunt nonnulli ex Auguſtino, quem indiuiſibilitati altè inſediſſe *libro ſuo de quantitate Animæ capite* 31. aſſerit hic Bernaldus Quiros ex his Auguſtini verbis: *Primum illud dico, ſi maximè cauſa lateat, cur in conciſione quorumdam Corporum illa contingant* (ſcilicet partes diſectas viuere) *non continuò nos hoc uno ita perturbare oportet, ut tam multa* (argumenta pro indiuiſibilitate animæ) *quæ ſuperius luce clariora viſa ſunt, falſa eſſe arbitremur, fieri enim poteſt, ut huius rei cauſa nos lateat*: per quæ ut vides Auguſtinus docet animas omnes indiuiſibiles eſſe, non obſtantibus quibuſdam, quæ ſuadere ſolent diuiſibilitatem.

Totum hoc argumentum ex falſa Bernaldi Quiros intelligentia textus Auguſtini procedit; ſiquidem ſanctus Doctor per recenſita verba oſtendere non intendit indiviſibilitatem, ſed unicè ambigendum non eſſe de quibuſdam experientiis in longo vermiculo, quas ſimul cum aliis ſe feciſſe in agro Liguriæ teſtatur, ut ſuperius notauimus, quamuis iſtarum cauſa lateat. Quod adeo verum eſt, ut legenti *capite* 31. ſtatim ieſe offerat verus Auguſtini ſenſus.

Non nego tamen in eodem libro *capite* 32. Auguſtinum ſavere ſecundæ ſententiæ, & hoc quia edocet ita ſe habere corpus, & animam ſenſitiuam, quo nomen hoc *Sol*, eiuſque ſignificatio. Cum autem hæc ſecunda ita ſe habeant, ut eſto nomen ſit diviſibile, vel ipſe ſonus ſit partibilis, ſignificatio tamen partibilis non ſit quæ eſt veluti anima ſoni, ita diſſecto corpore anima non ſeccatur, eſto corpus dividatur. Hæc enim capite relato habet *ſi ergò ſatis perpexiſti in hac ſimilitudine, quomodo poſſit diſſecto corpore anima non ſeccari, accipe nunc, quommodo fruſta ipſa corporis, cum anima ſecta non ſit vivere poſſint. Iam enim conceſſiſti, & rectè* (ut opinor) *ſignificationem, quæ quaſi anima ſoni eſt, dum nomen editur per ſe ipſam nullo puto dividi poſſe, cum ipſe ſonus, qui veluti corpus eius eſt, poſſit; ſed in ſolis nomine, ita ſoni eſt facta diviſio, ut nulla pars eius ſignificationem aliquam retineret Itaque illas litteras dilacerato corpore nominis, tamquam ex anima membra, ideſt ſignificatione carentia conſiderabimus.... Sic ergò ſatis perſpexiſti in hac ſimilitudine, quomodo poſſit diſſecto corpore anima non ſeccari, accipe nunc quomodo fruſta ipſa corporis, cum anima ſecta non ſit, vivere poſſint. Hac ſimilitudine interim contentus ſis.*

Sed

Sed quidquid sit de huius similitudinis robore, quam ob venerationem Augustion debitam in examen non revocamus, dico In rebus philosophicis quemlibet pro libito suo sententiam hanc, quam hic defendimus sequi posse, quamuis oppositam Patrum quorumdam oracula firment.

Arguunt secundò Complutenses. Anima perfectorum non est divisibilis per se, nec per accidens, ergò nullo modo. Antecedens quoad primam partem est certum, cum enim anima per se sit actus, divisibile autem illud dicitur secundum se, quod secundum se est in potentia, vel secundum rationem potentialitatis. Quoad secundam verò, in qua præcipuè est difficultas probatur. Illa forma est sic divisibilis, quæ informat diuisibiliter, sed anima brutorum perfectorum non sic informat, ergò non est divisibilis per accidens. Maior patet ex dictis, ubi de formis elementaribus, qua ratione etiam dicimus albedinem, aliaque accidentia esse divisibilia ad divisionem superficiei. Minor autem probatur forma indispensabiliter indigens pluribus partibus simul ad sui informationem, & operationem non est divisibiliter informans, sed anima viventium perfectorum est huiusmodi ergò &c. maior patet, minor ostenditur, tum quia anima est actus corporis organici exigens organizationem, tum quia perfecta eius vita exerceri nequit in qualibet parte, ut per se iterum patet.

Confirmant hoc auctoritate Philosophi *libro de Iuventute, & senectute capite primo*, vbi hæc habet Philosophus loquendo de anima perfectorum: *haud quaquam vivere dissecta queunt, eo quod eorum natura quam maximè potest, una habeatur*. Exquibus sic arguunt. De essentia unitatis est indiuisibilitas, sed ex Philosopho natura animalium perfectorum est magis una, quam sit aliorum, ergò est magis indivisibilis, sed hæc maior indivisibilitas reponi nequit in carentia compositionis ex materia, & forma, cum hæc, & aliis formis conveniat, non in unitate specifica, nec in vnitate transcendentali propter eandem rationem; ergò debet reponi in indivisibilitate in partes integrantes.

Respondeo quamlibet formam viventem excepta rationali divisibilem esse, cui divisibilitati in partes integrantes non officit ratio actus, cum certum sit formas omnes materiales habere rationem actus, & nihilominus esse divisibiles in plures partes, & ratio totius est, quia ratio actus convenit formæ relatè ad materiam, non verò relatè ad divisionem sui in ordine ad quam potius est in potentia, maximè cum divisibilitas formis conveniens sit in plures partiales formas, adeoque in partes actuales. Nec officit modus peculiaris, quo perfectorum animæ informant materiam supra cæteras formas materiales. Ex hoc enim solùm colligitur ipsas in divisibiles esse in modo informandi, quia non informat materiam, nisi taliter distributam, & partes colligatas habentem, non verò quod ipsæ sint indivisibiles in se. Unde in forma distinguo majorem, forma indispensabiliter indigens pluribus partibus simul ad sui informationem, & vitam perfectam non est divisibiliter informans, hoc est non est informans quamlibet partem divisivè sumptam concedo minorem, hoc est non est informans tota forma totum, & pars formæ partem totius nego majorem, & eodem modo distincta minori nego consequentiam.

Ad confirmationem libenter concedo libenter unitatem in formis animalium perfectorum supra cæteras. Sed hæc non consistit in ipsarum indivisibilitate in partes integrantes, ut refert argumentum, sed in modo informandi indivisibili, qui non convenit cæteris formis materialibus. Formam enim taliter informare partes subjecti, ut actuare non valeat, nisi simul sumantur, indicium est majoris unitatis talis formæ supra aliam.

Tertiò arguunt parum dissimiliter alii. Anima viventium perfectorum non perseverat in partibus divisis; ergo signum est esse Indivisibilem. Consequentia tenet, quia hac ratione ex opposito colligimus aliarum divisibilitatem, quia videmus eas perseverare. Antecedens etiam constat experientia. Secta enim qualibet parte hæc cessat vivere.

Respondeo defectum perseverantiæ ipsius animæ in partibus divisis, determinatè non inferre ipsius indivisibilitatem, sed potius indeterminatè, & disiunctivè. Infertur enim solùm, vel indivisibilitas formæ entitativa, seu in partes integrantes, vel modus informandi indivisibilis propter majorem sui perfectionem, & elevationem supra cæteras formas materiales. Præterquamquod si argumentum aliquid probaret, etiam evinceret indivisibilitatem imperfectorum, quia si hæc lateraliter, vel transversè dividas, nulla ratione in partibus divisis remanebit anima. Quod si dicant Thomistæ ipsam in tali casu defecturam, non quia indivisibilis sit, sed quia non perseveraret amplius ejus unio continuativa cum corpore, à qua pendet, cum sit actus corporis, etiam ego hac utar solutione ad argumentum. Sed

Instant Complutenses. Natura nihil facit per se, aut per accidens divisibile, nisi illud quod potest conservari in partibus divisis, licet per accidens aliud contingat; alias illa non esset divisio, sed corruptio; ergo formis divisibilibus debuit natura tribuere talem conditionem, & dispositiones, ut in partibus divisis saltem per aliquod parvum tempus possint conservari.

Instant secundò; animæ, quæ sunt divisibiles solùm exigunt dispositiones, & organizationem, adeò imperfectam, ut eadem ferè salvetur in toto, & in partibus; ergo si è converso animæ animalium perfectorum non respiciunt indifferenter totum, & partes, sed determinatas dispositiones, totiusve organizationem planè sequitur esse indivisibiles.

Instant tertiò Thomistæ ex Joanne à S Thoma. Forma, quæ informat modo indivisibili non remanet locus, unde recipiat divisibilitatem quantitativam; sed ex data solutione animæ brutorum perfectorum informant modo indivisibili; ergo sunt indivisibiles. Probatur major, nam forma informans modo indivisibili per se nequit quantificari quia solum corpus est subjectum per se quantitatis; anima autem non est corpus, sed actus corporis, nec per accidens, quia nulla forma habet quantitatem, nisi ejus informatio divisibilis sit, ut contingit in qualitatibus corporeis, & formis Inanimatis; sed divisibilitas quantitativa habetur necessariò, vel per se, vel per accidens; ergo.

Respondeo in forma ad primam distinguendo antecedens; natura nihil facit diuisibile aut per se, aut per accidens, nisi illud, quod potest saltem modo dicto conservari in partibus diuisis, si sit diuisibile per modum formæ omninò immersæ in materia concedo antecedens, non omninò immersæ, sed aliqualiter eleuatæ nego antecedens, & consequentiam. Formæ enim non omnes sunt totaliter in materia immersæ, sed aliquæ sunt ita materiales, quæ suum esse habent aliquantulum eleuatum supra

pra materiam. Hæ autem quamuis diuisibiles, non sunt date à natura, adhocut possint conseruati in partibus subiecti diuisis, propter exigentiam, quam habent essendi cum partibus inter se copulatis. Nec officit, quod additur, videlicet ipsam diuisionem fore corruptionem, siquidem esset diuisio corruptiua, quemadmodum dum dicimus alibi elementa alterari, dum mixtum constituunt, intelligimus alterationem corruptiuam alterationis nomine.

Ad secundam instantiam distinguo antecedens. Animæ, quæ sunt diuisibiles solùm exigunt dispositiones, & organizationem, adeo imperfectam, ut eadem ferè saluetur in toto, & in partibus, si sint diuisibiles, nedum in se, sed etiam in modo informandi concedo Antecedens, in se, & non in modo informandi nego Antecedens, & distinguo consequens, ergò si econtra animæ animalium perfectorum non respiciunt indifferenter totum, & partes, non erunt diuisibiles in se nego consequentiam, in modo informandi sensu supra explicato concedo consequentiam.

Ad tertiam verò instantiam sciendum est dupliciter intelligi posse, quod aliqua forma informet modo indiuisibili. Primò ita ut tota forma informet totum subiectum, & tota quamlibet partem subiecti. Secundò, quod esto tota forma informet totum subiectum, & pars subiecti partem, tamen quia ad hoc, ut forma hanc informet exigit omnium partium colligationem, ideo dicimus quod informat modo indiuisibili. Si priori modo contingat informatio, verum est locum non superesse, undè forma fieri possit quantitatiuè diuisibilis. At falsum est, si secundo modo eueniat, ut de facto euenit in casu nostro. Nec obstat quod quantitas recipiatur in solo corpore per modum subiecti, non verò in forma, quemadmodum hoc non officit in cæteris viuentibus imperfectis, in quibus quamuis pariter sit solum corpus quantitatis subiectum, tamen ipsorum formæ viuentes intelliguntur cum partibus extensis, ut fatetur aduersa pars.

Arguunt quartò alii. Ratio probans formam sensitiuam esse diuisibilem, est ipsius dependentia à materia tamquam à subiecto, sed hæc ratio non infert formæ sensitiuæ diuisibilitatem, vel si infert, ipsam non infert in omni statu ergo &c. Minor in qua stat difficultas, cum duas præcontineat partes, primam primò suadeo. Si dependentia formæ à materia tamquam à subiecto, esset radix diuisibilitatis eiusdem formæ, non dependentia erit causa negationis diuisibilitatis. Hæc enim propositio certa est, quoties enim affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est negationis; atqui quamplura sunt independentia à materia, tamquam à subiecto eductionis, quæ tamen diuisibilia sunt, ut patet in ipsa gratia sanctificante incrementum recipiente per nouam graduum additionem, ergò dependentia formæ à materia, tamquam à subiecto, non est radix diuisibilitatis, vel si est, non infert semper diuisibilitatem formæ, maxime supposito quod hæc cræetur. Sic enim esse deberet cum carentia diuisibilitatis, cum esset absque eductione.

Respondeo dependentiam à materia, tamquam à subiecto eductionis utique esse causam sufficientem diuisibilitatis formæ dependentis, sed non unicam, unde quia est sufficiens, benè ex ipsa infertur diuisibilitas formæ eductæ, quia verò non unica, benè intelligimus, alias adesse formas diuisibiles, quamuis non sic dependentes à materia. Ultimum verò quod additur, non urget. Forma enim illa esto non educta, esset adhuc diuisibilis, quia esset quaotificabilis. Quod enim quaotificabile est habere debet partes integrantes.

Arguit quintò Quiros. Anima materialis est per se una, & per se distincta ab alia eiusdem speciei, sed hoc non eueniret, si esset diuisibilis, & partibus constans ergo &c. Major est ipsa veritas. Minor itaque ostenditur, & præcipuè secunda pars, & claritatis gratia pono partes esse homogeneas, quo supposito sic arguo. Duæ animæ possent venire in unam, & econtra una diuidi in duas, ergo per se non essent distinctæ supposito. Antecedens ostenditur, quia decem partes v.g. faciunt unum Leonem, sed possunt duo numeri denarii partium in unum coalescere Leonem, ut patet in Leone grandæuo; ergo.

Confirmatur. In duplo maiorem mensuram crescit Leo magnus, quam erat tenellus, ergo iam grandis diuidi poterit in duos Catulos. Quid enim est in duobus Catulis, quod non sit duplicatum in grandæuo.

Si argumentum hoc Quiros aliquid probat, profectò euincit nullam esse formam substantialem in plures partes diuisibilem, & hoc quia duæ formæ homogeneæ substantiales inanimatæ, etiam ipsæ venire possent in unam; & una diuidi posset in duas. Sicuti ergo stat, quod duæ formæ ignis, v. g. constent partibus homogeneis, & adhuc inter se distinctæ sint supposito, Ita stabit in casu. Directè itaque dicendum esse existimo, nec unam in duas; nec duas in unam posse coalescere formam, quia nec una est alterius pars, nec plures formas totales præcontinet. Per quod patet ad omnia.

Ultimum argumentum procedit contra primam asserti partem, contra quam sic arguunt nonnulli. Ideo anima rationalis indiuisibilis est in partes integrantes, quia est forma spiritualis, atqui optimè stat quod spiritualis sit, simulque diuisibilis integraliter, ergo eius spiritualitas non est illatiua indiuisibilitatis. Probatur minor, nam gratia sanctificans spiritualis est, sed hæc diuisibilis est, cum eius intensio in Henrici Schola per additionem fiat gradus ad gradum, ergo diuisibilitas non opponitur spiritualitati.

Huic argumento occurrit Mastrius asserendo formæ spirituali non repugnare habere partes intensiuas, quamuis implicent in eadem extensiue; & hoc quia extensio proprietas est rei corporeæ. Gratiæ autem sanctificantis augmentum non est extensio, sed intensio Sed quidquid sit de hac solutione communiter recepta, & ab Ouiedo acriter reiecta, placet aliter soluere argumentum dupliciter considerando formas accidentales spirituales. Primò scilicet rationes spiritualitatis; secundò vero quatenus accidentales præscindendo à spiritualitate, quam dicunt. Priori modo non explicant diuisibilitatem, sed solùm secundo modo, quia de ratione accidentium est suscipere magis, & minus, adeoque habere partes integrales, unde gratia sanctificans partes habet, quia forma accidentalis est.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum partes integrantes animarum diuisibilium sint eterogeneæ.*

CUm difficultas hæc communiter dirimi soleat, ideo placet hic ipsam proponere. Pro solutione, cuis non est una omnium mens. Aliqui enim dicunt partes formæ viuentis materialis homogeneas esse. Sic Gregorius *in 2. dist. 76. quæst. 2. con-*

2. conclusione 3. Caietanus 2. *de anima capite primo*, Durandus *in* 4. *dist.* 42. *quaest.* 2. Alensis *secunda parte quaest* 59. *membro* 2. Soncinas 8 *metaph. cap.* 10. Gabriel Marsilius *lib.* 1. *de generat. quaest.* 6. Arriaga *disp.* 1. *de Anima num.* 204. Conimbricenses *primo de generatione cap* 4. *quaest* 22. *art.* 2 & quod magis interest, D. Thomas *secundo contra gentes cap.* 64. & *in* 2 *dist.* 18. *quaest.* 1. *art.* 2. & opusculo 45. cum hoc tamen discrimine, quod apud Thomistas difficultas hæc solùm procedere potest de anima imperfectorum, cum illæ perfectorum indiuisibiles sint. His omnibus adhærent etiam Ouiedo, Spinula, aliique.

Alii verò oppositum sentientes, æterogeneitatem sustinent. Sic Scotus 7 *metaph. quaest.* 20 Bargius *in primum dist.* 130. Paulus Venetus *libro* 2. *de Anima cap.* 5. Capreolus *in* 2 *dist.* 16. *art.* 3 Suarez *lib.* 1. *de Anima cap.* 2. *num.* 23. quamuis Ouiedo neget Suarezium stare pro hac secunda sententia, affirmans indecoris esse sapientiæ tanti viri hoc asserere. Sed quam immeritò hoc affirmet, indè colligimus, quod hæc Scoti, & Henrici sententia recepta sit à quamplurimis non infimæ doctrinæ viris, & præcipuè à Cardinali De Lugo, ubi *de Sacramento Eucharistiæ dist.* 8. *sect.* 4 *num* 7. Pereira *lib.* 6 *Philosophiæ cap.* 6. *quaest.* 1. Tellez *disp.* 78. *sect.* 6 *num.* 8 Hurtado *de Anima dist.* 2. *sect.* 6. aliisque, cum quibus sit.

## CAPUT UNICUM.

*Partes integrantes animæ sunt æterogeneæ.*

Breui calamo sed fortasse evidenter propositionem expositam suadeo, vel suadere existimo hac ratione. Si diuersitas operationum, quæ videntur in Bruto in diuersis corporis partibus, à sola diuersitate dispositionis partium haberetur, non vero ab animæ corpus informantis eterogneitate, non esset, undè diuersificarentur diuersorum brutorum animæ; atqui hoc penitus irrationabile est, cum Peripatetici omnes diuersitatem specificam inter bruta reponant ergo &c. Probatur sequela. Ideo animæ brutorum specie differunt, quia principia sunt diuersarum operationum, sed harum diuersitas juxta sententiam, quæ nobis opponitur prouenire potest à sola diuersitate mixti, seu organizationis, ergò non adesset posita horum sententia, unde colligeretur diuersitas specifica. Perpende Lector argumentum hoc, & dubio procul, robur non mediocre inesse fateberis.

Secundò pars formæ existens in Capite equi, v. g. petit determinatè dispositiones capitis, & illi repugnant dispositiones pedis, ergò pars formæ capitis differt substantialiter à parte formæ pedis Cōseq liquet ex iis, quæ dicta sunt in Logica, ubi probauimus indiuidua eiusdem speciei exigere, & petere non posse diversam accidentium collectionem ab ea, quæ petit aliud indiuiduum eiusdem pariter speciei. Probatur itaque antecedens. Caput in quantum caput, petit ea organa, quæ differant ab organis pedis, ergò est aliquod principium, quod determinatè petit ipsa in capite, sed illud non est materia, quia hæc de se est indifferens ad caput, & pedes, ergò est forma, ergo pars formæ existens in capite petit determinatè dispositiones capitis.

Tertio ab Anima sensitiua habetur in equo ratio corporis, ut in phisica diximus, sed ratio corporis haberi nequit, nisi à forma, quæ constet partibus substantialiter eterogeneis, sicuti à forma corporeitatis non haberetur, si hæc partibus æterogeneis non constaret, ergo.

Dices rationem hanc esse meram petitionem principii, siquidem asserimus formas viventes materiales constare partibus eterogeneis, quia dant gradum corporis, deindeque hunc præstare, quia important partes æterogeneas. Sed contra est, nam nos non ostendimus eterogeneitatem, quia sensitiua det gradum corporis, eo *quia* importante causalitatem essendi, cum in priori ad dandum esse æterogeneum intelligi debeat quodammodo æterogenea, sed eius eterogeneitatem suademus ex exigentia diversarum dispositionum.

Argues prima ex quamplurimis auctoribus Partes animæ uniuntur inter se, sed uniri non possent, si essent eterogeneæ; ergò sunt homogeneæ. Minor ostenditur, quia ea sola uniri possunt unione continuatiua, quæ inter se sunt similia, eiusdemue speciei. Ideo enim equus, & Leo uniri nequeunt, atque constituere tertiam speciem, quia inter se differunt, ergò quæ sunt æterogenea uniri neqneunt.

Confirmatur. Res diversæ speciei, & si incompletæ sint, continuari tamen inter se nequeunt, ergò quamuis partes formarum diuisibilium viventium essent partes incompleræ, adhuc continuari non possent. Probatur antecedens, sanguis non continuatur cum corpore, sed hic est pars incompleta; non enim est natura integra, sed pars incompleta totius naturæ; ergò.

Vt argumentum hoc solvatur, aduerto Rodericum Arriagam, sic arguentem sustinere unionem divisibilem in plures partes æterogeneas, atque adeo, & ipsum vrgere argumentum, nam peto, an illæ partes dissimilares unionis continuentur ad faciendam unicam unionem totalem, an non. Si primum dicat; ergò iam æterogeneitas partium in formis viventibus materialibus, non efficit ipsarum continuationi. Si secundum; ergò ex illis unionibus partialibus non habebimus unicam unionem totalem, quod tamen falsum est etiam in huius auctoris sententia. In forma itaque respondeo partes Integrantes, quamuis dissimilares optimè constituere posse unam formam totalem, & hoc quia esto æterogeneæ sint, sunt tamen partiales in eadem linea sensitiua, vel vegetatiua, unde adhuc ordinantur ad unam formam complendam. Quemadmodum in plausibili sententia gradus, quibus intenditur qualitas, quamuis æterogenei sint, tamen qualitatem unam constituunt in statu perfectionis.

Ad Confirmationem dico sanguinem, ideo non continuari cum corpore, quamuis res incompleta sit, quia res fluida, res fluidæ autem cum solidis continuari non possunt.

Arguunt secundo alii. Reliqua composita non viventia constant partibus omnino similibus; ergò etiam viventia. Patet consequentia, quia diversitas operationum, & organizationum, quæ reperitur in viventibus, ex quibus poterat inferri illorum heterogeneitas, non solum non arguit diversitatem, sed nec partium distinctionem, ut patet in anima rationali, quæ esto indivisibilis, habet nihilominus diversas operationes, & organizationes.

Respondeo illatum consequens ex antecedenti omnino non tenere, siquidem disparitas est. Ideo enim formæ non viventium non constant partibus diversæ rationis, quia non exigunt materiam organicè elaboratam, ut in ipsam introducantur. Nec valet exemplum animæ rationalis, quia hæc taliter materiam organizatam exigit, ut tamen ipsam organizationem non tribuat; è contrà verò

cæteræ

cæteræ formæ viventes taliter exigunt materiam elaboratam, ut ipsam simul distribuant in varias partes æterogeneas, unde nil mirum, si cæteræ formæ viventes à rationali debeant partes dissimilares importare.

Arguit tertiò Mastrius. Data hac sententia sequitur quodlibet animal non esse unum per se, & in unica specie, sed tantum unitate ordinis, & continuationis, & in diversis speciebus, sed hoc est falsum; ergò. Probatur maior. Illa sola faciunt unum per se physicum, & substantiale, quæ se habent ut actus, & potentia, sed nec anima, quæ est in oculo est actus auris, nec è contra; ergò illa continuitas unius partis cum alia, non erit sufficiens ad constituendum unum per se.

Secundo sequeretur arbores propria virtute non posse suos fructus producere, sed eorum productio esset equiuoca, & totaliter à causa superiori, hoc est falsum; ergò &c. Probatur sequela Perfectior pars in arbore est fructus; ergò nequit ab alia parte imperfectiori produci; nullum enim imperfectius potest perfectius generare; immoquare anima, quæ est in Trunco, non potius convertit totam substantiam alimenti in se ipsam, sed alias quoque animas partiales, & specie diversas producit, ut sunt illæ, quæ in foliis, & fructibus reperiuntur, cum naturale sit cuilibet viventi sibi simile generare.

Respoodeo negando sequelam, ad cuius probationem concessa majori, minori omissa nego consequentiam. Quamvis enim verum sit, quod pars animæ residens in oculo non sit actus auris, nec viceversa; verum tamen est, quod tota anima est actus totius corporis, & quælibet pars animæ determinatæ partis corporis, sicque comparari ad corpus per modum actus ad suam potentiam; quod sufficit, ut habeamus unum per se, cum forma substantialis sit de genere substantiæ. Quod si argumentum velit Mastrius vim habere, actum erit etiam de homogeneitate formæ, quia adhuc sequeretur, quod partialis forma existens in capite leonis, non sit actus illius partis materiæ, quæ est in pede.

Ad confirmationem nego pariter sequelam, ad cujus probationem distinguo antecedens. Perfectior est fructus perfectione formæ nego antecedens, perfectione extrinseca finali, & delectationis concedo antecedens, & nego consequentiam. Fructus perfectiores dicuntur omnibus partibus arboris, eo quia arbores facientes fructum daræ sunt à natura, ut fructum edant, quapropter fructus habent rationem finis, in quo sensu perfectiores dicuntur. At revera intrinsecè excessum perfectionis non habent, quia forma viventi perfectiori non informantur, quam informetur tota arbor.

Id tandem quod addit Mastrius facilis est solutionis, siquidem cum per nutritionem acquiratur nova materiæ pars, opus quoque est, & novas partes formæ produci, quæ ipsas informent, cum animæ in trunco existenti datum non sit se extendere ad ulteriorem materiam informandam, cum ex ipsa non educatur, imò ante ipsam præsupponatur.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Quot sint, quot gradus viventium, quotque illarum potentiæ.*

### CAPUT UNICUM.

*Triplici conclusione resolvitur difficultas.*

Dico primò animam sufficienter dividi in vegetativam, sensitivam, atque rationalem. Hæc prima thesis ostenditur, quia tot sunt animæ, quot operationes vitales excedentes modum agendi inanimatorum, sed hæ tantum tres reperiuntur; ergo. Minor evidens est; operationes enim aliæ sunt, quas anima agit mediis organicis qualitatibus primis corporeis, ut operationes omnes vegetativæ, aliæ verò, quæ estò fiant per organa corporea, non tamen per similes qualitates, sed per intentionales ad immaterialitatem accedentes, ut operationes omnes sensitivæ; aliæ tandem independenter à qualitatibus corporeis, & organicis tamquam à principio effectivo, vel operationes spirituales.

Dico secundò gradus viventium quatuor esse. Tot enim sunt gradus viventium, quot sunt modi vivendi ab invicem separabiles, atqui modi vivendi ab invicem separabiles quatuor inveniuntur; ergo. Ostenditur minor, quia ex iis, quæ vivunt, aliqua sunt, quæ vegetant, & non sentiunt, ut plantæ, alia verò quæ vegetant, sentiunt, sed non loco moventur progressivè, nec discurrunt, ut conchiliæ; alia verò, quæ vegetant, sentiunt loco moventur, ut Bruta; alia demum, quæ vegetant, sentiunt, loco moventur, discurrunt ut homines; ergo.

Dicendum est tertiò potentias animatorum esse quinque, nimirum vegetativam, sensitivam, loco motivam, intellectivam, & appetitivam. Commune est hoc assertum, quod probatur. In animatis diversitas potentiarum desumitur ex diversis modis tendendi circa suum objectum, sed animalia quinque tantum diversis modis tendunt circa sua objecta; ergo quinque tantum sunt diversæ potentiæ. Minor evidens est, quia ex animatis aliqua tendunt in suum objectum, illudque respiciunt, quatenus possunt illud in se convertere motu substantiali nutritionis, & huic modo tendendi correspondet potentia vegetativa Alia tendunt in objectum, quatenus ab illo possunt recipere species materiales, & sensibiles, quibus proprias operationes circa illud exercere valeant, huic modo correspondet potentia sensitiva. Nonnulla objectum respiciunt, quatenus ab illo recipere possunt species spirituales, vel intentionales; huic autem correspondet potentia intellectiva. Ex animatis verò, quæ cognitionem habent, vel sensitivam, vel intellectivam, tendunt aliqua in objectum per inclinationem ad ipsum, quæ inclinatio est ipsa potentia appetitiva, & tandem præter talem Inclinationem, exercent etiam motum localem, ut suum objectum consequantur, & en potentia loco motiva. Sed præter hos tendendi modos circa objectum nullus est alius excogitabilis in animatis; ergo quinque tantum.

Obiicies primò. Sunt quatuor gradus vivendi; ergo quoque quatuor prima principia radicalia. Secundò quemadmodum loco motiva continetur sub sensitiva, ita gradus loco motivi sub gradu sensitivo, sed hoc non obstante fit multiplicatio in ratione

ne gradus, adeò ut fint duo diversi; ergo etiam non obstante primò. Tertiò ideò gradus sensitivi diversus est à loco motivo, quia primus separabilis est à secundo, sed etiam anima sensitiva separabilis est à loco motiva, ut patet in Ostriis. ergo

Sic arguentibus libenter concedit Pontius animam dividi posse in quatuor membra, sed absit hoc à nobis. Sustinemus enim libenter accurratam esse communem divisionem animæ in vegetativam, sensitivam, atque rationalem. Concesso itaque antecedenti, nego consequentiam, & ratio negationis est, quia diversi modi agendi convenire possunt uni animæ determinatè, ut de se evidens est. Ad secundam partem nego majorem, si ipsam intelligamus de proportione perfecta, siquidem quamvis loco motiva dicat aliquam majorem elevationem supra purum sensitivum, non tamen dicit elevationem extraneam à genere sensitivo, sed intraneam, adeoque principium radicale non multiplicatur. Multiplicat verò gradum, quia gradus sensitivi separabilis est à loco motivo. Gradus enim desumuntur à diversis operandi modis vitaliter separabilibus. Tertium verò & ultimum non urgent, si advertamus rationem, cur loco motivum dicat gradum vitæ diversum à sensitivo, non esse præcisè, quia unum sit separabile ab alio, sed quia loco motivum dicit elevabilitatem sufficientem ad multiplicandum genus viventium, quam non dicit in ordine ad multiplicandum principium radicale, unde benè stat, quod tres sint animæ, estò sint quatuor gradus viventium. Sed

Instabis gradus sensitiui est essentialiter inseparabilis à loco motiuo, & gradus loco motiui à sensitivo; ergò nequeunt constituere diversos gradus.

Respondeo gradum sensitiuum esse separabilem à loco motivo, seu à motu progressivo, ut patet, nam hic motus non inest omnibus animalibus. Gradus loco motiuus, vel progressiuus, quamuis non sit separabilis à sensitiuo, constituit tamen diversum gradum ab ipso propter rationem superius expensam, quià videlicet dicit elevationem sufficientem ad multiplicandum gradum.

Arguunt secundo alii contrà tertium assertum. Quot sunt animæ, tot sunt eius potentiæ, sed animæ sunt tres; ergò, & potentiæ. Probatur maior Passiones multiplicantur solum iuxta multiplicationem subiecti; ergò si tantum tres animæ, tres tantum erunt potentiæ.

Respondeo falsam esse maiorem; una enim anima de facto plures habet potentias. Propositio enim prima argumenti sic erat efformanda: tot sunt potentiæ animæ, quot sunt diversi modi operandi circa sua obiecta. A numero enim Animarum non benè arguitur numerus potentiarum, cum prior desumatur à multiplicatione diversorum principiorum radicalium vitalium potentiarum vero secundum genera operationum.

Arguunt tertio contrà idem assertum. Eandem inter se seruare debent proportionem, appetiuus sensitiuus, & intellectiuus, ac potentia sensitiua, & intellectiua, sed hæ diversas constituunt potentias; ergò etiam uterque appetitus, sed non stat utrumque diversas constituere potentias, istasque esse tantum quinque; ergò.

Respondeo falsum esse maiorem, si loquamur de proportione intenta ab arguente, siquidem potentia sensitiua, & intellectiua versantur diverso modo circa sua obiecta, sensitiua quidem recipiendo ab ipso species sensibiles, quibus circa idem obiectum exercet operationes vitales materiales, rationalis verò recipiendo species spirituales. At verò appetitus sensitiuus, atque rationalis semper tendunt sub eadem ratione formali, idest per inclinationem ad ipsum, quamuis non utraque propensio sit naturalis, sed una naturalis, libera altera.

Quartum argumentum, quod nonnulli proponunt, contra secundum assertum procedit, quia appetitiuum non constituit diversum gradum à sensitiuo, & hoc quia inseparabile est, semperque coniunctum cum sensitiuo, & rationali; ergo quia loco motiuum, semper coniunctum est cum sensitiuo perfecto, & ab ipso inseparabile, non constituit pariter diversum gradum.

Respondeo disparitatem esse, quia appetitiuum, nec qua perfectum, nec qua imperfectum affert excellentius esse suprà suum genus, nec qua abstrahens ab utroque affert elevationem supra cognoscitiuum, ut sic, nec ab ipso est separabile. At vero loco motiuum perfectum dicit elevationem separabilem supra sensitiuum, ut sic, quamuis hæc elevabilitas non sit extranea à genere sensitiui.

Arguunt tandem alii contra tertium assertum. Vltra potentias relatas dantur etiam potentiæ nutritivæ, & generatiuæ, sed hæc habent multiplicare potentiarum numerum; ergò &c. Probatur minor, ideo numerum non multiplicant potentiarum, quia illæ potentiæ comprehenduntur sub vegetativa, à qua sunt inseparabiles, sed hæc ratio non tollit, quin potentias multiplicent; ergò &c. Probatur minor; quamuis appetitiua separari nequeat à sensitiua, & rationali, nihilominus multiplicat potentiarum numerum; ergò etiam in casu loquendo de potentiis vegetatiua, & sensitiua.

Respondeo negari non posse inter se separabiles esse potentias nutritiuam, & generatiuam, cum hæc secunda non conueniat omnibus viuentibus. Nihilominus non crescit potentiarum numerus, & ratio totius est, quia hic sermo est de potentiis animæ, ut anima est, seu de anima in tota latitudine accepta, de qua loquendo verum est ipsi unicè competere potentiarum numerum superius relatum. Potentiæ enim nutritiua, & generatiua sunt solùm potentiæ præcipuè animæ vegetatiuæ, & augumentatiuæ.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Quomodo potentiæ animæ distinguantur inter se, & ab anima.*

Controuersia hæc proponitur tam de potentiis inorganicis, ut sunt potentiæ animæ rationalis, prout rationalis est, quam de organicis, vel potentiis sensitiuis, & vegetatiuis, quæ sumi posse tum adæquatè, idest secundum perfectionem animæ, & organizationis, cum inadæquatè, vel tantum secundùm perfectionem animæ certum est, quemadmodum euidens est difficultatem hic non procedere de potentiis materialibus adæquatè acceptis, sed solùm de ipsis incompletè consideratis. Circa quam triplex præcipua adest sententia. Prima docet ipsas distingui realiter strictè inter se, & ab anima. Huius sententiæ Defensores sunt Thomistæ omnes, & præcipuè Albertus Magnus *secundò de anima capite* 6 Caietanus prima parte *quæst*: 78. Magister Binnez, Michael Zanardi *quæst*. 39. *de anima* Complutenses *disp*. 8 *de anima vegetatiua quæst*. 3 Nicolaus Arnù *lib. de anima quæst*. 4. *art*. 1. Raymundus Mailhat *disp*.4. *p*.4.*physicè sect* 2 Alexander Rusca *in animastica quæst*.15 *lib*.2.*de anima quæst*.12.

Chry-

Chrysostomus Iauelli, Antonius Goudin *disp. unica quæst. 1. art. 5* Ioannes à Sancto Thoma *quæst. 2. de proprietatibus animæ in communi art. 2.* Masius, Galego, Maurus, Ioannes Martinez, Hiacynthus Petronius, Bartholomæus Spina, Thomas Campanella, Ortiz, & nouissimè Magister Paulus Cauino, quibus ex Societate adhærent Vasquez *in notatione art. 3 quæst 34.* Alarcon *tract 6. de Angelis disp. 2. cap. 1.* Suarez *in Metaph. disp. 18. sect. 3. num. 17.* Ioseph Poiizzius *tract 1. de anima disp 10. sect. 4.* Almainus *in 2. part. summ. Philosoph. art. 1.* Amicus *tom. 2. Theolog. disp. 8 num. 23.* Syluester Maurus *lib. 4. quæst. 229* Soarius Lusitanus *tract. 2. de anima disp. 1. sect 1. num. 3.* Bubalus *de Angelis quæst. 54 art. 3.* Quiros *tract. 6. de anima disp 83 sect. 2.* & alii, quos sequitur idem De Quiros. Quo tamen non obstante à Thomistis non parum dissident, vel quia volunt solum potentias materiales esse ab anima distinctas, indistinctas verò spirituales, vel quia propugnant potentias materiales in homine distinctas ab anima, indistinctas verò in Brutis, quarum omnium opinionum examen assumit Lynceus *lib. 7. Metaph. tract. 1. sub cap 3.*

Secunda sententia sustinet solam distinctionem rationis ratiocinatæ. Huic adhærent Georgius de Rhodes *lib. 2. disp. 15* Richardus Lynceus *lib 7. Metaph tract. 1. cap 1.* aliique Patres Societatis, Bonaspes *disp. 3. de potentiis, est actibus animæ dubio 1. aliique.*

Tertia verò sententia cæteris plausibilior sustinet distinctionem formalem ex natura rei. Sic Scotus *in 2. dist. 16. quæst 1. §. Econtra*, cui adhærent Pontius *disp. 1. de anima quæst. 11 concl. 1.* Mastrius *disp. 2 quæst. 1. art. 1. & 2* Petrus à Sancta Catharina *lib. 1. de anima disp 2. quæst. 1.* Sebastianus Dupasquier *de anima disp. 8. quæst. 9.* Est etiam Henrici in summa *art. 54. num. 9* ubi hæc lego: *Propter quod, licet substantia sit eadem sub diuersis respectibus, non tamen ipsa est eadem potentia, immo sicut ipsa sub respectu, hoc est, quia sub tali respectu est potentia simpliciter, sic quia est sub diuersis respectibus est diuersæ potentiæ, & hoc quemadmodum determinauimus alibi, quod anima licet sit una substantia, tamen est diuersæ potentiæ, & tamen potentia non est, nisi ipsa substantia animæ, & substantia animæ est sua potentia*: Quibus verbis plura doctor insinuat suis discipulis, inter quæ quod ad rem nostram facit est, quod potentiæ animæ, non distinguantur realiter ab anima, cum doceat ipsas potentias esse ipsam animæ substantiam, & viceversa; & articulo 43 *quæst. 5.* hæc alia habet: *Secundum verò quod consideratur, ut principium operationum in corpore animato, non ut simpliciter, & ut intentio communis, sed ut res determinata, ipsa habet rationem totius virtualis, & secundum quod est principium diuersarum operationum, partes virtuales sunt vegetabile, sensibile, & rationale, quæ re non sunt aliud, quam ipsa substantia animæ rationalis, & non addunt supra ipsam, nisi rationem respectus, unde quia talis respectus non ponit substantiam aliquam, aut accidens, aut intentionem aliam supra essentiam rei, ideo &c.* Ex quibus colligitur, quod anima taliter est suæ potentiæ, ut illæ realiter non sint aliud ab ipsa, ut hæc indicant verba: *quæ re, nempè potentiæ, non sunt aliud, quam ipsa animæ substantia.* Tandem docet Doctor respectum, quem anima præsefert in ordine ad intelligendum, & volendum non fundare aliquam potentiam, quæ sit, vel de linea substantiæ, vel accidentis supra animæ essentiam.

Nec iuvat, quod aliqui explicent mentem Doctoris, dicendo ex ipso inferri tantum respectum per modum principii radicalis, nil aliud esse ab ipsa substantia animæ, non verò respectum per modum principii proximi. Non iuuat inquam, siquidem anima identificat respectum proximum, cum potentiæ respiciant suos actus per modum principii proximi. His positis sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Potentiæ animæ ab anima realiter strictè non distinguuntur nec inter se.*

Assertio hæc quemadmodum Henrici auctoritate non est destituta, ita, & Patrum Oraculis, ex quibus primò sit Augustinus libro de spiritu, & littera, ubi hæc lego: *habet siquidem naturalia, & ipsa anima est. Potentiæ namque, & vires eius, idem sunt quod ipsa. Habet accidentalia, & ipsa non est, non enim est sua prudentia, sua temperantia. Vires sunt sensus, imaginatio, ratio, memoria, intellectus, intelligentia*: Ex his autem sic arguo. Naturalia idem sunt cum anima, sed potentiæ animæ sunt naturalia animæ, ergò sunt idem cum ipsa. Secundò sit Diuus Bernardus *Sermone 11. in Cantica* hæc habens: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria eandem esse animam*: in quibus verbis hæc aduerto *tria hæc eandem esse animam.* Tertiò sit Sanctus Isidorus Hispalensis *lib 11. Ethimologiarum* hæc scribens: *anima dum viuificat corpus, anima est, dum vult voluntas, dum intelligit mens, dum recolit memoria, dum aliquid sentit sensus*: ex quibus pariter habemus, quod potentiæ animæ rationalis non sint qualitates distinctæ ab ipsa, sed solum eiusdem varii, & diuersi respectus, iuxta quorum diuersitatem denominatur intelligens, & volens. Sed quid respondeant his Patrum oraculis Thomistæ videamus.

Dicunt itaque primò Sanctos Patres solum asseruisse ipsas potentias esse ipsam animam radicaliter, non verò formaliter. Radicaliter inquam, cum in anima contineantur tanquam in radice, & ab ipsa pullulent; non verò formaliter, cum sic ab ipsa anima, & inter se sint distinctæ.

Contra est. Hæc enim explicatio nullius est roboris, siquidem si hic esset Patrum sensus, Patres nil aliud dixissent, quam animam esse unum, & idem cum se ipsa, siquidem Potentiæ animæ radicaliter sumptæ, sunt ipsa anima, sed iuxta sic respondentes Sancti Patres nil aliud asseruerunt, quam quod potentiæ radicaliter acceptæ sint ipsa anima, ergò nil aliud asseruissent, si vera est hæc aduersariorum explicatio, nisi quod anima sit unum, & idem cum se ipsa.

Contra est secundò. Potentiæ formaliter acceptæ sunt potentiæ prout sunt principium proximè elicitiuum suorum actuum, sed Patres taliter affirmant, quod anima sit suæ potentiæ, ut asserant ipsam esse principium intellectionis, & volitionis; ergò asserunt, quod anima sit ipsæ potentiæ formaliter. Secundò potentiæ, quæ dicuntur ab Augustino identificari cum anima, sunt potentiæ, quæ sunt vires animæ; sed potentiæ formaliter inspectæ sunt vires animæ; radicaliter enim non sunt animæ vires, sed potius ipsa anima, ergò potentiæ formaliter identificantur cum anima. Tertiò pari iure loquitur Augustinus de potentiis animæ in ordine ad ipsam animam, ac loquatur de virtutibus moralibus in ordine ad eandem animam; sed dum de illis loquitur Augustinus asserendo ipsas distingui ab anima, ipsas sumit formaliter, non radicaliter, vel prout hæc ha-

bet capacitatem ad actus talium virtutum; ergò idem dicendum est, dum loquitur de potentiis.

Respondent secundò alii potentias utique esse ipsam animam; at non entitativè, sed solùm eo modo, quo ipsæ partes potentiales sunt ipsum totum potentiale. Partes autem potentiales denominantur à toto potentiali, quamvis distributivè, non sint entitativè ipsum totum. Sed

Contra est, siquidem S. Patres ita asserunt potentias denominari ab anima, ut sint ipsa, sed partes puræ potentiales non ita denominantur à toto potentiali, ut sint ipsum totum; ergo si potentiæ animæ taliter sunt idem cum anima, ut sint ipsa jam erunt idem entitativè. Secundò quia Patres accipiunt potentias, prout istæ sunt facultates elicitivæ suorum actuum; ergo accipiunt potentias entitativè; ergo entitativè istæ potentiæ sunt idem cum anima.

Quod si dicas denuò animam esse principium radicale tantum ipsorum actuum, non verò proximum.

Contra est primò, quia potentiæ per Thomistas sunt principium proximum, & immediatum; ergo dum S. P. docent animam identificari cum potentiis, jam docent animam esse principium proximum, & immediatum actuum vitalium. Secundò si anima non esset principium proximum actuum vitalium jam amplius non esset suæ potentiæ, quod tamen est contra Patrum testimonia relata.

Respondent tertiò Patres Thomistæ, Augustinum loqui de mente secundum quod noscit se, & amat se. Sic enim notitia, & amor in quantum referuntur ad ipsam, ut cognitam, & amatam substantialiter, vel essentialiter sunt in anima, quia ipsa substantia, vel animæ essentia cognoscitur, & discitur. Sed

Contra est in primis, cum hæc explicatio propria sit S. Thomæ, quam recipere deberent omnes Thomistæ, ipsam non impugnamus ex animo revertendi D. Thomæ explicationem, sed potius sustinendi nostram sententiam, pro cujus defensione, dico, Augustinum, superioribus verbis loqui ampliativè, non verò restrictivè, cum loquatur de notitia in genere, & amore pariter in tota sua latitudine. Non est unde eruatur ipsum unicè loqui de notitia, & amore, quibus anima se noscit, & diligit. Secundò falsum omninò est, quod mens, & amor sint ipsa anima essentialiter, etiam prout mens, & amor terminantur ad ipsam, tamquam ad objectum amoris, & cognitionis, siquidem dum dicitur, quod mens, & amor sint ipsa anima, prout illa ad istam terminantur, vel sermo est de mente, & amore in actu secundo, vel in actu primo proximo; in primo sensu explicatio subsistere nequit, quia notitia, & amor, quibus anima se noscit, & diligit non sunt ipsa anima, in secundo verò si accipiatur; ergo jam dico ego, dum se cognoscit & diligit, est identicè principium proximum intelligendi, & volendi, quod tamen affirmare nequeunt Thomistæ volentes nullatenus animam esse principium proximum intellectionis, & volitionis.

Patrum testimoniis rationes accedunt efficaces, quas inter prima est quod anima secundùm se est sufficiens absque ulla potentia superaddita ad eliciendos actus vitales; ergo jam potentiæ superadditæ sunt superfluæ. Antecedens probatur, causa sufficiens se sola ad producendum effectum est illa; quæ continet in se adæquatam rationem effectus, ita ut nulla sit assignabilis formalitas effectus, cui vel similis, vel æquivalens non reperiatur in causa, & aliunde nullum aliud datur fundamentum, cur requiratur aliud comprincipium ad causandum; sed nulla est assignabilis formalitas in actibus vitalibus, cui æquivalens, vel similis non reperiatur in anima habitis speciebus; ergo nullum aliud datur fundamentum dicendi requiri aliud comprincipium; ergo anima est per se sufficiens cum suis speciebus ad productionem actuum vitalium absq; aliis potentiis superadditis, major est clara. Probatur itaque minor prædicatum vitalis reperitur in anima, quæ est principium eminentiale operationis vitalis, prædicatum talis operationis vitalis, puta talis intellectionis reperitur in speciebus impressis, quæ sunt emissæ ab objecto, & sunt determinatæ ad repræsentationem talis objecti; ergo nulla est assignabilis formalitas in effectu, sive in actu vitali, quæ non reperiatur in anima cum suis speciebus, & ex alia parte nullum est assignabile fundamentum, quo probetur requiri aliud comprincipium.

Probatur secundò rationem fundamentalem Thomisticam evertendo. Ideo anima esse nequit proximè operativa, quia specificaretur ab ipsa operatione, & cum specificari nequeat ab aliquo extrinseco, jam cum eadem operatione identificaretur sicque esset actus purissimus, sed etiam supposita virtute proximè operativa in substantia animæ, nullum ex his sequitur; ergò. Maior est Thomistarum præcipua ratio. Minor verò quoad utramque partem simul ostenditur. Tunc substantia animæ etiam, ut virtus proxima operationis ab ista intrinsecè non specificaretur, quoties in priori ad ipsam esset, atque intelligeretur constituta in suo esse; atqui in priori ad ipsam esset constituta; ergò. Major liquet, quoties enim *A*, supponitur constitutum in priori ad *B*, per *B* constitui, vel intrinsecè specificari nequit, unde est, quod Thomistæ quamplures, quos sequitur Illustrissimus Petrus de Godoy *1. part. quæst. 2. tract. 1. disp.* 4. doceant essentiam Dei Metaphisicè inspectam constitui non posse per actualem intellectionem, quia hæc supponit principium sui, vel essentiam jam constituram, quod idem dicunt Thomistæ in Physica loquendo de quantitate, quæ ideo constitui nequit per rationem mensuræ, extensionis localis, quia hæc omnia supponunt essentiam jam constitutam. Probatur itaque minor. Quælibet causa sive in actu primo proximo, sive remoto sumatur, in priori supponitur ad suam operationem, quod inde patet, quia operatio non procedit, nisi ab adæquato actu primo proximo, unde est, quod plausibiliter docent Philosophi actionem non habere rationem naturæ, cum potius ipsam supponat, à qua sit. Operatio enim est actus hujus ab hoc, idest actus à principio prouenien s, adeoque ipsum supponens; atqui substantia prout proximè operatiua, haberet rationem causæ proximæ; ergò in priori ad operationem intelligeretur constituta.

Confirmatur. Stat in essentia diuina, quod hæc intelligatur proximè radicatiua diuinæ intellectionis, quin essentia diuina intrinsecè specificetur, vel constituatur per ipsam intellectionem: ergò etiam stabit, quod substantia sit proximè operatiua, quin intrinsecè specificetur, vel constituatur per ipsam intellectionem. Antecedens certum est apud illos Thomistas, qui non stant pro intellectiuo actuali, in quo diuinæ essentiæ constitutiuum reponant. Probatur itaque consequentia. Ideo primum, quia intellectio diuina cum ratione nostra

habeat

habeat rationem actionis, supponit principium, à quo fit, adeoque Dei essentiam, sed hæc ratio mili tat etiam loquendo de anima virtute proximé operatiua, quia eiusdem operatio, utpote de genere actionis supponere debet sui principium proximum, cum & ipsa à principio sit, ergò pet ipsam operationem animæ intrinsecè non constitueretur, nec specificaretur.

Quæ ratio denuò confirmatur, quia gradus substantiæ in essentia Angeli non tollit, quin hæc in linea intentionali sit proximè operatiua, ergò idem gradus in anima non tollet, quin hæc sit proximè operatiua in linea physica. Antecedens liquet Docent enim Thomistæ, quod substantia Angeli gerit vices speciei impresse in ordine ad intellectionem sui, species autem impressa effectiuè proximè juxta Thomistas concurrit ad cognitionem, ut in fine Animasticæ videbimus, ubi de concursu speciei impressæ ad cognitionem. Probatur itaque consequentia, ideo anima effectiuè physicè proximè non est operatiua, quia per sui operationem intrinsecè specificaretur, adeoque cum ipsa identificari debet, sicque esset actus purissimus, sed nullum ex his verificaretur, ut patet in ipsa essentia Angeli, quæ in linea intentionali est proximè operatiua, utpotè exercens munus speciei proximè operatiuæ, quin essentia Angeli cum sua cognitione intrinsecè identificetur, specificetur, vel per ipsam constituatur, sitque actus purissimus, ergo hoc idem affirmari poterit de substantia proximè operatiua in linea physica.

Huic ultimæ confirmationi, nescio quid respondere possint adversarii, nisi dicant, quod essentia Angeli distinguenda est in se ipsam, ut habet rationem naturæ intellectivæ, necnon prout exercet rationem speciei: & solùm secundum hanc posteriorem rationem, esse immediatè activam, non verò secundum priorem. Sed hæc solutio, quam excogitarunt docti Patres Salmaticenses *tract. 2. de visione Dei disp. 2. dub.* 3. solida non est, siquidem libenter concessa hac duplici essentiæ angelicæ consideratione adhuc arguo contra. Essentia Angeli, ut habet rationem speciei per se primò respicit operationem, cum species per se primò sit instituta ad actuandam, & perficiendam potentiam intellectivam, sed essentia Angeli prout fecundat intellectum Angeli est ipsa substantia Angeli, prout proximè intelligibilis; ergo substantia potest esse proximè operativa. Modo, vel primò specificaretur ab operatione, vel non. Si primum dicant; ergo jam non repugnat substantiam specificari ab aliquo extrinseco. Si secundum; ergo sicuti virtus proximè operativa in linea intelligibili in substantia intelligitur, quin specificetur ab ipsa intellectione, intelligi quoque poterit in linea naturæ. Quod si denuò dixeris speciem impressam non concurrere effectivè proximè, adeoque nec ipsam substantiam angelicam sic concurrere, estò haberet rationem speciei intelligibilis.

Contra est. Hæc enim evasio adeò inefficax est, ut relati Theologi dicant à vero distare, & Divo Thomæ opponi. Et revera species se tenet ex parte intellectus, fecundat enim potentiam, ipsique objectum intentionaliter unit, tamquam principio quo, ut ex Thomistis fatetur insignis Joannes à S. Thoma *quæst.* 6. de objecto sensuum externorum in communi ex istis D. Thomæ verbis *quæst.* 12. *de veritate art.* 2. *Quod similitudo cogniti, qua informatur potentia, est principium cognitionis secundum actum, sicuti calor calefactionis*.

Quod si hic Thomistæ velint ex nostra sententia solùm sequi ipsam animæ substantiam sub conceptu naturæ proximè operativæ primò specificari ab operatione, vel melius explicari per ordinem ad ipsam, hoc libenter concedi potest; at in hoc nulla adest implicantia, quinimò sic explicari debet, cum natura explicetur per ordinem ad operationem.

Tertiò probatur ad hominem contrà Thomistas docentes potentias animæ emanare ab ipsa anima, & quidem hoc medio. Ipsa anima secundum se est sufficiens, ad hoc ut ab ipsa emanent suæ potentiæ absque aliis instrumentis; ergò per se est sufficiens ad productionem talium actuum procedentium à potentiis. Antecedens colligitur ex verbis Divi Thomæ *quæst.* 77. *art.* 6 Probatur itaque Consequentia ideo anima est sufficiens ad productionem talium potentiarum, quia ipsarum continet perfectionem, sed multo magis continet perfectionem actuum, cum potentiæ sint perfectiores actibus vitalibus, quia universaliores, ergò etiam poterit absque ullis potentiis producere actus vitales.

Quod si dicas hinc tantum colligi, quod realiter non distinguantur ab anima, non vero formaliter ex natura rei. Memineris primo me hic procedere solum contra Thomisticam sententiam. Secundo distinctionem mediam aliunde desumi nimirum ex diversitate conceptuum adæquatorum, quam intercedere inter potentias nobis videtur innegabile.

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur Argumentis*

PRimum argumentum, quo Thomistæ nonnulli arguere solent ex Sacris litteris desumitur, & primo ex illo Matthæi *textu* 22. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. In quo aduertunt Thomistæ geminationem cordis, animæ, & mentis expressam, denotare potentias, & animam esse res realiter distinctas. Secundo verò ex Augustino *libro nono de Trinitate capite* 4. vbi docet intellectum, & voluntatem esse aliquod in anima, non vero ipsam animam, quod idem repetit *libro* 15. *cap.* 7. & 22. afferendo discrimen inter memoriam, intellectum, atque voluntatem ex una, & Sanctam Trinitatem ex altera parte, quatenus hæc est ipse Deus, non tamen illa tria sunt homo. Tertio ex Anselmo *de casu Diaboli cap* 8. docente conversionem, & voluntatem ad bonum, vel ad malum esse essentiam quamdam, non tamen substantiam, intelligendo voluntatis nomine non actum, sed facultatem ipsam, cum distinguat voluntatem à Conuersione, quæ operatio est. Quinimo alio in loco distinguendo essentiam ab operatione, distinguit etiam primam à virtute proxima, quæ profectò est potentia. Quarto tandem ex doctrina Philosophi *lib.* 2. & 3 affirmantis animam esse actum Corporis, non verò intellectum.

Sed quam inefficaciter arguant sic arguendo Thomistæ, nedum manifestè colligitur ex explicatione, quam Augustinus *lib. de doctrina Christiana cap.* 2. illis exhibet verbis: *toto corde, tota anima, nullam vitæ partem dereliquit*, verum etiam quia ut optimè aduertit Cornelius à Lapide in Commente. in Mathæum *cor, anima, & mens* idem significant, unde est, quod Syriaca habet, & *in tota virtute tua* idest, ex toto conatu cordis, & mentis. Etiopica vero *ex tota virtute tua, & ex tota potentia tua* & Persica

Perfica *ex tota animietate mentis tuæ*, quasi quod Cor, anima, & mens, unum, & idem fint, itaut tamen per ly *ex tota virtute*, *& mente*, non percipiatur fummus amor Dei extenfiuè, aut intenfiuè, fed folum comparativè, finaliter, & appretiatiuè. Comparatiuè quidem nullum alium à Deo contrarium diligendo, finaliter verò ideft Deum diligendo tamquam finem ultimum, adeoque rebus omnibus ipfum præferendo, tertiò tandem appretiatiuè, Deum ipfum appretiando fuper omnia, uti fuper honores, famam, amicitiam, atque vitam noftram. Nifi dicere velimus per diuerfum operandi modum eiufdem animæ abfque ulla diftinctione fibi intrinfeca fufficienter faluari, quod fuperflua non fit geminatio cordis, mentis, & animæ, cui attendens D. Bernardus verba Matthæi explicauit dicendo *Deum ex corde fapienter, ex anima dulciter, mente perfeueranter, & totis viribus fortiter diligendum effe*. Quod autem fecundo loco obiicitur ex eodem Auguftino, firmiter teneo ipfum loqui de potentiis, non in actu primo, fed fecundo, nimirum prout ftant fub fuis actibus, in quo certè fenfu non funt ipfa animæ fubftantia. Nec pariter obftat ratio imaginis. Pluresenim extant explicationes fupra caput primum Genefeos, ubi homo ad Dei Imaginem dicitur conditus, quarum aliquas referunt Hugo à Sancto Charo, Cornelius à Lapide, Claudianus Mamertus in fuo infigni opere de ftatu animæ *lib. 2. quæft. 3.* necnon nofter Illuftriffimus Lodigerius. His omnibus à me omiffis argumentum corruere certum mihi eft, fi dicamus hominem factum ad Dei imaginem, & fimilitudinem, quantum ad Innocentiam, & iuftitiam, ut videlicet cum immitemur in innocentia, & ei affimilemur in iuftitia, nifi dicere velimus ex hoc folum oftendi potentias inter fe realiter diftingui, non verò ab anima; ficuti quamuis Perfonæ diuinæ inter fe realiter diftinguantur, identificantur tamen cum natura divina. Tertiò, quia fimilitudo refidens in anima, cum Trinitatis Myfterio, in hoc unicè ftat, quod ficuti ex memoria ratione fpecierum depromitur actualis cognitio, & obiecti reprefentatio, ad quam fequitur amor, ita in diuinis ex memoria fæcunda Patris, ideft ex ipfo intellectu diuino, & effentia tamquam fpecie intelligibili producitur verbum, & ex Patre, & Verbo per voluntatem procedit amor, ut optimè aduertit Diuus Thomas *prima parte quæft. 79. art. 7. ad 1. & quæft. 93. art. 7.*

Ad Ariftotelis tandem proloquium dicendum eft etiam intellectum realiter effe actum primum corporis, ficuti eft anima ipfa. Ideo autem hic non explicatur in ordine ad corpus, fed in ordine ad intellectionem, quia formaliter accipitur, nimirum, prout eft animæ facultas ad intelligendum ordinata.

Arguunt fecundò Thomiftæ. Eft impoffibile quod fubftantia fpecificetur per aliquod extrinfecum, & per fe ordinetur ad illud, ergò implicat, quod fubftantia animæ fit proximè operatiua. Antecedens eft certum, quia hoc eft proprium fubftantiæ, vel eorum quæ funt de linea fubftantiæ non per fe ordinari ad aliquod extrinfecum, per quod fpecificetur. Probatur itaque confequentia. Si anima effet proxime operatiua per fe ordinaretur ad aliquod extrinfecum, tanquam ad fui fpecificatiuum ergò fi repugnat fubftantiam per fe ordinari ad aliquod extrinfecum fimulque ab ipfo fpecificari, repugnabit etiam effe proximè operatiuam. Probatur antecedens. Virtus proximè operatiua per fe eft inftituta propter operationem, ergò ad illam per fe ordinatur, fed fi primo, & per fe refpicit operationem, jam ab ipfa fpecificatur, cum res fpecificetur ab eo, quod primò, & per fe refpicit, ergò fubftantia fi effet proximè operatiua, per fe ordinaretur ad aliquod extrinfecum, à quo fpecificaretur.

Confirmatur. Tunc eadem fubftantia animæ refpicere poffet, effe, & proximè operari, quando haberent rationem actus primarii, & fecundarii, fed fi anima effet proximè operatiua, ambo haberent rationem actus primarii, ergò &c. Probatur minor, nam fubftantia, ut immediatè operatiua, fpecificatur ab ipfa operatione, ad quam per fe primò ordinatur, ergo jam operari non haberet rationem actus fecundarii.

Hoc argumentum à Thomiftica Schola propofitum per extenfum fuit à nobis folutum in tractatu de ortu, & interitu, ubi de caufa proxima productiua fubftantiæ. Cui folutioni addo fpecificatiuum aliud extrinfecum effe, intrinfecum aliud. Hoc fecundum illud eft, vi cuius unum per fe primò diftinguitur ab alio, & hoc certè eft intrinfecum rei, quæ fpecificatur, cum fit ipfa prædicata effentialia, undè in hoc fenfu rationalis forma fpecificari nequit per refpectum ad operationem, cum prius fit intrinfecè conftituta in fuo effe, quam iftam refpiciat. Specificari tamen poteft extrinfecè per eundem refpectum, quatenus per ipfum manifeftatur nobis potentiarum diuerfitas. Ad confirmationem verò patet folutio, ubi de fubftantia proximè operatiua.

Arguunt tertiò Thomiftæ, fi fubftantia animæ identificaret fibi virtutem proximam ad agendum, femper effet actu operans; Confequens eft falfum, ergò non eft proximè operatiua. Major probatur paritate; quia forma per fe ipfam identicè informat, femper actu informat, ergò fi fubftantia animæ per fe ipfam eft identicè virtus proximè operatiua, femper effet actu operans.

Refpondeo negando fequelam, ad cuius probationem nego fuppofitum antecedentis ex duplici capite, fcilicet & quod forma per fe ipfam in actu fecundo informet, cum informet media unione fuperaddita, & fimul quod femper informet in actu fecundo. Anima enim rationalis à corpore feparata certè corpus non informat. Præterea nonne ipfæ potentiæ animæ fuperadditæ funt immediatè proximè operativæ, & tamen per Thomiftas non femper agunt. Ulterius Deus ipfe identificat fibi virtutem proximè operativam ad extra, & tamen non femper fuit actu operans ad extra; ergo etiam ftabit animam rationalem identicè efse principium proximum operandi, quin fequatur ipfam debere femper actu agere. Sed

Dices ex Cavino Thomifta ideò potentiam, eftò fit proximè operativa, non femper agere, quia cum non habeat rationem principii radicalis, fed hoc fupponat, nimirum fubftantiam ipfam in virtute cujus eft proximè operativa, hinc non meretur magis coniungi cum ipfa operatione, quam coniungatur ipfa fubftantia in ratione caufæ principalis, quæ cum non femper coniungatur, hinc nec etiam ipfa potentia proximè operativa femper coniungitur.

Contra eft, quia fi femel de ratione caufæ proximæ, eft femper agere, ubicumque hæc inveniretur, etiam continua operatio inveniri deberet, ficuti quia in fententia Thomiftica de ratione actionis tranfeuntis eft per fe primò refpicere aliquod extrinfecum, ubicumque eft actio tranfiens, invenitur etiam hic refpectus ad terminum extrinfe-

cum

eum. Secundò sicuti accidens est subordinatum substantiæ tamquam causa proxima suæ causæ principali, & radicali, ita substantia creata in agendo est subordinata Deo, sed accidens ex quo sit subordinatum substantiæ, non potest magis coniungi cum operatione, quam connectatur cum eadem ipsa substantia; ergo etiam substantia creata non erit magis connexa cum operatione, ac si connectatur substantia prima, sed hæc non semper connectitur cum operatione ad extra; ergo nec substantia creata, estò esset proximè operativa. Nulla itaque est hæc evasio Magistri Pauli Cavino. Sed

Dices adhuc ex eodem Thomista Deum ideò non semper ad extra agere, estò sibi identificet virtutem proximè operativam, quia effectus ad extra non solùm sequuntur ex virtute proximè operativa, sed etiam ex imperio voluntatis, & ordine sapientiæ. Unde fit, quod possit non agere, sicuti potest non decernere. At verò effectus in causis creatis sequuntur tantum ex virtute proximè operativa, unde non possunt retardare suam operationem, & effectum. Sed

Contra est, & insto ad hominem contra eundem Thomistam; siquidem ideò Deus, quamvis sibi identificet virtutem proximè operativam, non fuit semper actu operans ad extra, quia effectus ad extra non tantum sequuntur ex virtute proximè operativa, sed etiam ex imperio divinæ voluntatis, sed etiam effectus causæ efficientis creatæ, non tantum sequuntur ex ejusdem virtute, sed etiam ex quamplurimis aliis dispositionibus requisitis ad agendum, quæ non semper adsunt; ergo utrobique est ratio æqualis.

Quartò hoc medio arguere possent aliqui adversus rationem fundamentalem, qua thesis firmata est. Ideò non dantur potentiæ animæ realiter ab anima distinctæ, quia hæc per se ipsam una simul cum speciebus sufficiens est ad producendam v. gr. intellectionem; sed hæc ratio non tollit existentiam potentiæ intellectivæ superadditæ; ergo. Min. ostenditur paritate. Estò Christi anima in Henrici schola absque habitibus infusis possit simpliciter, & absolutè elicere actus supernaturales visionis, amoris, aliosque, nihilominus hæc potentia non excludit à se existentiam habituum infusorum; ergò à pari anima, quamvis per se ipsam sit sufficiens ad productionem actuum vitalium, nihilominus non excludi debent potentiæ superadditæ.

Promovet sic ulterius hoc argumentum à nobis excogitatum Theophilus Raynaudus loco inferius allegando. Estò ignis possit calorem in externum subjectum transeunter profundere, nullo cooperante calore immanente. Puta si fingamus Deum nolle cum igne concurrere ad calorem immanenter producendum, nec tamen denegare concursum ad producendum calorem in subiectum externum debitè applicatum, nihilominus consentaneum fuit ignem numerositate accidentium activorum, tamquam præsidio, & subsidio instrui, ut vis ejus universalis, & ad multa pertinens, eo vegetior esset ad singula; ergò à pari ex eadem causa congruum fuit animam, & intelligentiam accidentariis facultatibus instrui, quamvis utraque ad operationem posset sufficere.

Argumentum hoc petit alterius difficultatis resolutionem, quæ proponi solet, & dirimi à Theologis, videlicet, an Deus in natura assumpta supplere possit loco habituum luminis gloriæ, & charitatis elevando per se ipsum potentiam volitivam simul cum intellectiva ad actus supernaturales, in qua controversia communis est Thomistarum sententia negativa, quam sequuntur Carmelitæ Salmanticenses *disp.* 4. *dub.* 4 Godoy *disp* 16. Eminentissimus Cardinalis Joseph. Saenz Aguirre *disp.* 11. *sect.* 3. *tom.* 1. nec non Joannes à S. Thoma *dispu.* 14. *art.* 5. aliique omnes, plurimis freti rationibus, quarum potissima est, quia principium elevans necessariò uniri petit intellectui per modum formæ phisicæ informantis, cum propter præcontinentiam ejusdem operationis supernaturalis in actu primo, quam intellectui tribuit per modum principii quo, tum ut salvetur, quod visio beatifica elicita ab intellectu, utpotè vitalis, sit à principio intrinseco se movente, quæ ratio principii intrinseci, nedum ægrè, sed nullatenus haberetur, si essentia divina concurreret solùm assistendo per exclusionem qualitatis supernaturalis informantis. Alii verò affirmativæ adhærent, nec ullam volunt assignabilem esse intrinsecam repugnantiam, in eo, quod Deus suppleat pro lumine gloriæ. Superius enim relata censent facilis esse solutionis. Prima quidem, quia etiam in Thomistica sententia essentia divina de facto supplet loco speciei impressæ, quæ pariter intellectui confert præcontinentiam adæquatam visionis, eo, vel maximè, quod ipsi libenter nobiscum fatentur speciem impressam effectivè proximè concurrere ad cognitionem: non stat autem effectivus concursus alicuius comparativè ad aliud, quin ejusdem præseferat præcontinentiam; cum tamen certum sit etiam Thomistis de facto essentiam divinam per se ipsam intellectum beati fæcundare.

Secundum verò, quia principium elevans quodcumque sit, sive informans, sive intimè assistens intrinsecum est intellectui, non quidem in naturalibus inspecto, sed prout elevato, adeoque adhuc visio ab ipso proveniens esset à principio intrinseco se movente. His autem suppositis dico in utraque sententia solutionem esse facillimam argumenti. Primò quidem in sententia Thomistica, quia huic insistendo negandum est in paritate antecedens, cum propugnent Thomistæ implicare Deum supplere posse loco habituum. Secundò verò in nostra sententia facilis est solutio, quia ideò habitus recensiti, & alii plures in Christo superflui non sunt, quia connaturalem modum operandi eidem animæ conferunt, qui aliunde habitibus exclusis haberi nequit: quod totum non contingit loquendo de potentiis superadditis, cum etiam præscindendo ab istis modus operandi connaturalis intelligatur, ut patet in ipsis accidentibus, quæ in Thomistica sententia proximè, & connaturaliter producunt substantiam, quin ipsa producant per potentiam, vel virtutem superadditam.

Confirmatio verò tangit difficultatem illam, quænam sit causa productiva accidentium. In qua estò Auctores ferè omnes conveniant, quod causa productiva accidentium internorum, seu quæ connaturalia sunt substantiæ, sit ipsa substantia, unde aqua per sui virtutem substantialem recuperat suam frigiditatem, dissident tamen loquendo de accidentibus transeunter productis, vel in alieno subjecto. Volunt enim Scotistæ quamplures substantiam per se ipsam producere etiam accidentia externa, triplici innixi ratione, quarum prima est, quia substantia perfectè, & adæquatè ipsa accidentia præcontinet; unde non est, cur concursus adæquatus ipsi denegetur. Secunda verò, quia hoc experientia constat in ipso sole, qui in sublunaria calorem producit absque medio calore, cum non sit

formaliter calidus. Tertiò, quia non ſtat capacitas in ſubſtantia ad producenda accidentia in ſe ipſa, ut in igne calorem in ſe ipſo, abſque capacitate ad ipſum producendum in alieno ſubjecto. Sicuti non ſtat, quod intellectus capax ſit ad producendam intellectionem in ſe ipſo, quin etiam ipſam producere poſſit in alieno ſubjecto. Sic diſcurrunt Maſtrius *in Phyſica diſp. 7. art. 3 quæſt. 6.* Sebaſtianus Dupaſquier *in Phyſica diſp. 9. concl. 2.* aliique plures Maſtrii ſequentes doctrinam.

Alii verò econtra eſto concedant ſubſtantiam immediatè producere aliqua accidentia in ſemetipſa actione propriè dicta, & aliqua in alieno ſubiecto, ut in exemplo ſuperius allato de ſole, & de impulſu producto à ſubſtantia proiiciente in proiectis, negant tamen hoc univerſaliter contingere, ſed potius authumant ignem v. g. medio ſuo calore eumdem producere in externo ſubiecto, & ſic de aliis ſubſtantiis. Ratio hoc aſſerendi iſtis, primò eſt, quia accidentia ſufficientem virtutem habent ad producenda alia externa. Secundo, quia aliquando ipſa producunt, ut patet, dum aqua calefacta calefacit. Tertio verò, quia eſto ſubſtantia per ſe ipſam poſſit in ſe ipſa producere accidentia, nequit tamen in alio, cum limitata ſit ſolum ad ipſa producenda in ſe. Tandem, quia aliàs accidentia ſubſtantiæ eſſent ſuperflua, quia nihil igni deſervirent. Hunc dicendi modum ſequuntur Pontius *lib. 2. diſp. 9. de cauſa efficienti*, & Petrus à S. Catherina *lib 2. Phiſic diſp 4. quæſt. 3.* ex his autem ſententiis ſecunda magis arridet, non quia ſubſtantia per ſe ipſam non ſit apta ad ipſa accidentia producenda: non enim video ex quo capite deſumatur hæc ipſius limitatio ad ipſa ſolum producenda in ſe ipſa, ut opinatur Pontius, ſed quia cum ipſa ſufficientiſſimam virtutem habeant ad ipſa accidentia producenda, non videtur hæc dividenda, ut partim tribuatur ſubſtantiæ, partim accidentibus, ut propugnat Dupaſquier, vel totam ſubſtantiæ, cum habeat ſuas proprietates, vi quarum commodius, & ipſa producere poteſt, ſicuti producit, quando ipſa non eſt, ut in aqua calida calefaciente manus, ſic enim in rerum natura magis utilis eſt exiſtentia accidentium, quia magis neceſſaria. Hoc autem ſuppoſito ad conf. diſparitas eſt ad argumentum, quod ideo accidentia externa producuntur ab accidentibus inexiſtentibus in ſubſtantia, non ab ipſa ſubſtantia, eſto hæc poſſit per ſe ipſam proximè ipſa producere, ne ſequatur, quod hæc ſuperflua ſint, & inutilia in rerum natura; cum alliunde ipſorum exiſtentia ſuperflua non ſit in rerum natura apud omnes. Quæ ratio non militat in caſu, cum potentias realiter ſuperadditas ſuperfluas eſſe propugnemus.

Tertiò arguunt ex eiuſdem animæ illimitatione, cui obſtare videtur ipſa identitas cum ſuis potentiis ſic autem arguunt. Intellectio animæ diſtinguitur realiter à ſubſtantia animæ, ergo & intellectus. Probatur conſequentia. Ideo anima intelligit per intellectionem realiter diſtinctam, quia finita, & limitata eſt, ſed eadem finitas, & limitatio arguere debent diſtinctionem potentiæ ab eſſentia; ergo. Probatur minor anima æque eſt finita, qua potens agere, ac qua agens, ſed quia finita eſt, qua actu intelligens indiſpenſabiliter ſequitur, quod intelligat per intellectionem diſtinctam; ergò quia finita eſt, & limitata, qua potens agere, debebit intelligere per intellectionem diſtinctam.

Confirmatur primò quemadmodum intellectio eſt in diverſa linea ſpecifica, ac eſt potentia, ita potentia eſt in diverſa, ac eſt eſſentia. Patet hoc, quia ſicuti intellectio eſt in linea ſpecifica actus, & potentia de linea ſpecifica principii operatiui, ita eſſentia eſt de linea rei conſtitutiua; ſed intellectus identificans ſibi intellectionem, quæ eſt in diverſa linea ſpecifica ſibi ab intellectu, eſſet intellectus non limitatus, ſed puriſſimus, & illimitatus, ergo etiam eſſentia identificans ſibi potentiam intellectiuam eſſet infinita, & illimitata in linea potentiæ.

Confirmatur ſecundò, quia Deus excedere debet quodlibet Intellectiuum creatum, nedum prout Deus intelligit, ſed etiam prout eſt potens intelligere; ſed ſi eſſet poſſibilis creatura intelligens per intellectionem etiam ſolum realiter ſtrictè ſibi identificatam intellectus diuinus non excederet in modo actualitet intelligendi intellectum creatum, ergò etiam ſi eſſet poſſibilis creatura potens intelligere per potentiam ſibi ſolùm realiter identificatam, Deus qua potens intelligere non excederet creaturam, qua pariter hæc intelligere poteſt.

Hoc argumentum ſi aliquid urget, & Thomiſtas redarguit, quia oſtendit etiam quod in accidente non identificetur potentia proxima operatiua, quia etiam accidens finitum, & limitatum eſt. Cur autem potentiæ animæ ab ipſa anima non diſtinguantur, benè verò diſtinguatur intellectio, docet hic noſter Soggia rationem à priori, nonniſi cum difficultate aſſignari poſſe, à poſteriori tamen aſſignari, & ea eſt, quod ab intellectione, & volitione actualibus eſt anima ſeparabilis, ab intellectu verò, & voluntate nequaquam.

Utraque autem confirmatio primò ſoluitur per retorſionem, cum urgeant etiam loquendo de accidentibus, in quibus volunt Thomiſtæ indiſtinctam eſſe potentiam proximam operatiuam. Secundò ad primam dico diſparitatem eſſe, quia ideo anima haberet rationem actus puriſſimi, vel quia identificando ſibi intellectionem, identificaret ſibi ultimam actualitatem de linea intellectiua, at vero identificans ſibi potentiam, non eſſet infinita in linea potentiæ, quia cum potentia Intellectiua creata, finita ſit, & limitata, eſto anima identificaret ſibi potentiam hanc, non eſſet adhuc infinita, & illimitata.

Ad ſecundam confirmationem diſparitas eſt, quia intelligere per intellectionem identificatam ſolius Dei proprium eſt, non eſſet autem tale, ſi etiam creaturæ conueniret, at vero intelligere per potentiam ſibi identificatam, non eſt ſolius Dei proprium, cum hoc etiam conueniat creaturæ, ut patet in Thomiſtica ſententia in ipſo accidente, quod ſibi identificat potentiam proximam ſubſtantiæ productiuam. Nihilominus adhuc Deus qua potens intelligere, excedit creaturam intellectualem etiam qua potentem intelligere, ſicuti virtus infinita intellectiua excedit virtutem finitã intellectiuam, en vel maximè, quod Deus eſt ſibi potens intelligere per potentiam intellectiuam ſibi etiam formaliter identificatam. Creatura vero per potentiam, quam ſibi ſolum realiter unit, ac identificat.

## CAPUT TERTIUM.

*diluuntur nonnulla alia argumenta.*

POſtquam argumentis Thomiſticæ Scholæ ſatisfecimus, caſu accidit me quoſdam vidiſſe curſus Philoſophicos in lucce editos à plurimis Patribus doctiſſimis Illuſtriſſimæ ſocietatis Ieſu, qui cum in quibuſdam Thomiſtis adhæreant, quæ habent, ut

ut propriam firment sententiam, examinandum est hic. Arguit itaque primo Bernaldus de Quiros potentias tum spirituales, tum materiales realiter ab anima distinguens, & primo loquendo de potentiis materialibus. Anima spiritualis, ut eliciat actus materiales indiget aliquo realiter distincto influente; sed hoc distinctum quo indiget, se habet per modum potentiæ, ergò. Maior ostenditur, quia ut eliciat v. g. visionem materialem indiget organis distinctis, quæ realiter ab anima distinguuntur. Rursus hæc organa influunt in visionem cum sint per se proportionata ad ipsam, ipsique per se præsupponantur, atque organi Perfectio non parum conducat ad actus perfectionem, quo indicatur activus concursus. Minor autem est certa, nam cum organizationes non se habeant per modum obiecti, ut potè à speciebus distinctæ, remanet dicendum, quod hoc distinctum se habeat per modum potentiæ.

Hoc argumentum, quod ex Thomistica Schola prodiit superius cursim solutum est. Iterum dico potentiam organicam adæquatè inspectam reuera realiter distingui ab anima, quia sic ingreditur organizatio, quæ realiter ab anima distinguitur, sicuti distinguitur forma corporeitatis, à qua desumitur: inadæquatè tamen, videlicet secundum perfectionem, quam dicit de anima, non distinguitur, sicuti etsi homo adæquatè acceptus differat ab Equo, inadæquatè tamen, vel secundum rationem genericam non differt, sed conuenit.

Arguunt secundò. Si anima per se ipsam absque ulla potentia superaddita esset principium cuiuslibet sensationis materialis, etiam immediatè ipsas reciperet, sed in ipsa recipi non possunt; ergo. Maior est certa ex natura actus immanentis. Minor ostenditur primo, quia non adest potior ratio, cur forma spiritualis in subiecto materiali recipi nequeat, & ex eo educi, & materiale recipi possit in spirituali. Secundò, quia sensatio materialis nequit suos effectus formales tribuere animæ rationali, cuiusmodi sunt extensio, diuisibilitas, & materialitas.

Argumentum hoc, ut soluatur, inquirendum est quodnam sit subiectum inhæsionis actuum vitalium materialium. In qua difficultate satis nota sententia est P. Hurtado *disp. 4. sect. 3. Oviedo contr. 3. punct. 1.* Soarezii Lusitani *tract. 26. disp. 1. num 1.* Theophili Raynaudo *Tom. 5. dist. 4. quest. 5. art. 7.* necnon Spinula *disp. 3. sect 1.* docentium actus Vitales materiales recipi non posse in sola anima rationali propter rationes in argumento expensas. Alii verò contra volunt ipsos recipi, tum in materia tũ in anima rationali quibus adhærent ex eadem sociatate cum Arriaga, Semerii *disp. 1. qu. 10. de anima*, Bernardus de Quiros *tract. 6 de anima dist 82. sect. 4.* Alii tandem in sola anima rationali hos recipi authumant, quos sequitur Richardus Lynceus *lib. 7. in metaph tract 1. cap. 3. num 21.* Ego inter tot varios dicendi modos censeo tertium in ordine veriorem esse, cui inhærendo ad argumentum dico nil esse, quod impedire possit, quod recensiti actus in sola anima recipiantur; non primum quidem, quod refertur in argumento disparitas enim latissima est, atque in eo consistit, quod res spiritualis, vel constituitur per independentiam à corpore, vel ipsam necessario infert, eo, vel maximè, quod rem spiritualem esse, est de genere boni, bonum autem est ex integra causa. At vero res materialis non constituitur per independentiam à spiritu, sed vel per hoc, quod habeat partes extensas, aut impenetrabiles, aut sensibiles juxta sententiarum varios dicendi modos, qui alibi examinantur. Secundum vero cæteris minus urget, cum simul probet, nec cognitionem in ipsa anima rationali recipi posse. Patet hoc, quia aliqui sunt effectus in ipsa, quos certè animæ non tribuit, ut est ille intensionis, si cognitio intensa sit, & de facto non tribuit animæ rationem formæ accidentalis, & vitalitatis per modum actus secundi, etsi cognitio accidens sit vitale in linea specifica operationis, ut optimè aduersus Hurtadum argumentum retorquent de Quiros, & Lynceos Pro omnibus itaq; dicendum est formam, vel quasi formam, ut communicatur subiecto, non esse opus, quod ei tribuat omnem suum effectum formalem, aliàs subsistentia divina communicari non posset naturæ irrationali, quod tamen negat Hurtado. Patet hoc, quia hæc ipsi naturæ communicata, non tribuit eidem esse personæ, nec esse infinitè subsistentis; nec anima rationalis recipi posset in corpore, quia pariter ipsi non tribuit indivisibilitatem, spiritualitatem, incorruptibilitatem, & rationem actus. Sufficit itaque, quod illum communicet effectum, propter quem à natura applicatur alicui subjecto. Sensio autem in anima rationali recipitur solùm, ad hoc ut denominetur sentiens, non ad hoc, ut extensionem aquirat, quidquid sit, an denominatio extensi, sit denominatio, quæ habeatur per solam identitatem, ut asserit de Quiros. Sed

Instabis. Sensatio materialis etiam recipi debet in materia tamquam in subjecto partiali. Primò, quia ad materialitatem requiritur dependentia intrinseca à materia, tamquam à subjecto Secundò non est se sola capax effectus formalis sentientis. Si enim ponatur in anima separata, non ideò hæc sentiens denominabitur etiam divinitus; ergo quia anima non est subjectum adæquatum sensationis. Stans enim in subjecto connaturali adæquato, forma non potest non comunicare illi suum effectum formalem; ergo signum est, quod materia concurrit saltem partialiter, ut subjectum.

Respondeo nullam ex his instantiis favere sententiæ, quam sequitur Bernardus de Quiros. Prima quidem, quia sicuti actus visionis procedens ex lumine gloriæ, supernaturalis est, esto nullatenus recipiatur in lumine gloriæ, sed in solo intellectu, & quidem per hoc præcisè, quod à lumine fit, vel tamquã à comprincipio proximo, ut uult Scotus ex Henrico, vel tamquam à principio adæquato proximo, ut propugnat Godoy *Tract 2. disp. 16* cum cæteris Thomistis, ita sensio materialis erit per hoc, quod organa effectivè concurrant ad visionem, esto passivè ipsa non recipiant. Per quod patet solutio ad secundam instantiam.

Secundo arguit De Quiros. Actus variabilis, dum fit ab anima, præsupponit aliud accidens in ipsa; sed hoc accidens præsuppositum est potentia; ergò dantur in anima potentiæ accidentales, & consequenter distinctæ. Probatur maior. Actus viralis supponit animam in statu connaturali; sed anima in statu connaturali constituitur per aliquod accidens; ergo actus vitalis, dum fit ab anima, præsupponit aliud accidens in ipsa. Probatur hæc minor dupliciter primò, quia non minus pertinet ad dominium Dei posse elevare substantiam ad perfectionem supra ejus naturam, quam ab ea tollere perfectionem, & statum connaturalem; sed hoc fieri non posset, si substantia creata in suo statu connaturali non constitueretur ex aliquo accidenti, quod possit abesse sine corruptione subjecti; ergo. Secundò, quia omnis substantia creata

creata capacitatem habet, ut ulterius perficiatur, si per defectum potentiæ activæ non steterit, cum enim finita sit, ulterius perfectibilis est; sed animæ nequit deficere virtus activa ad producendam suam perfectionem, cum ipsa sibi virtus activa sit; ergo in se producet suas perfectiones, quæ nihil aliud sunt, quam passiones accidentales.

Et hoc argumentum quoad singulas sui partes mediocrem vim habet. Status enim connaturalis non constituitur per potentias à se realiter distinctas, sed per hoc, quod peculiari subsistentia subsistat absque ulla dependentia à materia cæteris formis communi, nedum in essendo, verum, & in operando, ut alibi dicam. Quod si animæ existentiæ modum ipsi connaturalem desumere velimus, affirmari potest ipsi durationem perpetuam absque ulla interruptione connaturalem esse, quo non obstante, cum Deus possit pro libito ipsam destruere, sequitur, quod optimè salvatur in Deo libertas tollendi à qualibet re proprium statum connaturalem, etsi potentiæ ab anima indistinctè affirmentur. Quod si velis Deum etiam liberum esse ad tollendum animæ statum illum connaturalem ei convenientem, qua volitiva, & intellectiva est, dico & hoc verificari etiam proscripta potentiarũ ab anima reali distinctione, per hoc quod Deus deneget suum concursum ad assentiendum, & prosequendum objectum sub ratione veri, & boni menti propositum. Sic enim Deus operans non juxta, sed præter statum animæ connaturalem operaretur. Ad secundum verò pariter facilis est solutio. Nihil enim perficitur per id, quod sibi superfluum est. Potentiæ autem ab anima distinctæ tamquam ejusdem accidentia primaria, superflua sunt ipsi animæ, cum hæc se sola sufficiens sit ad intelligendum habitis objectorum speciebus.

Ultimum argumentum à posteriori procedit, quo etiam utitur celebris Thomista Joannes a S. Thoma multipliciter arguendo, & primò. Intellectus movet voluntatem, & econtra; ergo jam hæ duæ potentiæ realiter distinguuntur. Nihil enim movet se ipsum. Secundò una potentia non suscipit denominationem alterius. Non enim intellectus vult, aut voluntas intelligit. Tertiò habitus inter se distinctos, & separabiles, animæ potentias recipere videmus. Fides enim esse potest absque charitate. Hoc autem indicat potentiarum distinctionem. Quartò quia de facto istæ potentiæ inter se separantur. In cæco enim est auditiva absque visiva. Quintò, quia potentiæ visiva, & auditiva materiales sunt, anima verò rationalis est spiritualis. Nihil autem potest identicè esse simul materiale, & spirituale.

Respondetur hæc omnia non urgere, nec validè improbare Henrici, & Scoti sententiam. Non quidem primum, siquidem etiam essentia divina est in Thomistica sententia ratio motiva intellectus divini, cum tamen inter ipsam, & eundem intellectum non intercedat realis distinctio. Movet itaque voluntas intellectum, nec ad hoc exigitur realis distinctio inter utramque potentiam, cum eadem anima sit, quæ sub diversis respectibus se ipsam movet. Nec secundum urget, quia diversa denominatio optimè intelligitur etiam per solam distinctionem formalem ex natura rei. Non tertium aliàs etiam idem intellectus à se ipso realiter distingui deberet, cum habitus intellectuales distinctos, & separabiles recipiat. Non quartum quia esto potentiæ materiales adæquatè sumptæ separabiles sint, non sunt tamen inadæquatè, seu secundùm perfectionem, quam dicunt de organo. Non ultimum tandem, quia identitas est solum cum potentiis materialibus, vitalibus secundùm perfectionem, quam dicunt de anima, secundum quam certè non explicant materialitatem.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum Sanguis sit animatus.*

Divus Thomas prima parte quæst. ultima articulo primo ad tertium vult sanguinem animatum esse, cui nedum adhærent omnes sui discipuli, verum etiam ex exteris Suarez *lib. de anima tract.* 1. Arriaga, Oviedo *contr.* 1. *pun.* 4. *num.* 2. Hurtado *de anima disp. prima num.* 33. in quorum sententia fuisse Scotum docent aliqui ex Societate ipsum referentes *in* 4 *dist.* 44 *quæst.* 4. & alibi, sed quam immeritò hoc affirment patebit si quæ habet Scotus *in* 4. *dist.* 10 *quæst.* 4. §. *hic duo, versu, sed dubium est*, cum Mastrio Pontio, Dupasquier *disp.* 6. de anima *concl* 2 Petro à Sancta Catherina *lib.* 1. *de anima disp.* 1. *quæst.* 7. aduertamus: distinctè enim docet, quod *Sanguis non est animatus, nec aliqua pars primi animati*. Hanc Scoti amplector sententiam, quæ quamvis probari soleat variis rationibus, duplici hic tantum ipsam ostendere placet, &

Primò repugnat naturaliter, quod eadem forma substantialis, vel eadem anima informet plures partes discontinuas, sed sanguis cum nulla corporis parte continuatur, ergo informari nequit ab eadem forma, à qua informatur corpus. Sillogismus liquidus est, si præmissæ examinentur; & in primis maior mihi videtur omnino certa, siquidem si eadem forma simul informare posset plures partes discontinuas materiæ, vel deberet ipsa esse discontinua, vel eadem numero plures materias informaret, nam materiæ discontinuæ sunt plures; sed utrumque falsum omninò est, ergò &c. Minor autem est Philosophi *lib.* 3. *de Historia animalium cap.* 14. ubi docet expressè sanguinem esse dispersum per omnes corporis partes, atque in omnibus, & singulis moueri.

Huic rationi variè occurrunt aduersarii, & in primis Complutenses dicunt, sanguinem utique nutrimentalem non continuari cum aliis partibus animalis. Quod si fermo sit de sanguine naturali, exponendus est Philosophi textus de continuatione immediata, & respectu partium omninò solidarum; verum enim est sanguinem immediatè non continuari cum partibus solidioribus, ut cum carne, & ossibus. Continuatur tamen cum quibusdam partibus crassioribus, & aliqualiter fluxibilibus, quales sunt fibræ inuentæ in sanguine Taurorum, & asinorum, quæ cum continuentur cum carne, profectò sequitur sanguinem naturalem mediatè continuari cum aliis partibus animalis. Cum autem dicitur sanguinem continuati in venis, & in corde, sicuti in vase, Philosophus loquitur minus rigorosè, & quo ad aliquam similitudinem excludendo solum continuationem immediatam, Sed

Contrà est, & in primis Philosophi textus tam benè extenditur ad sanguinem naturalem, sicuti per Complutenses ad nutrimentalem; Nam sanguis, qui negatur continuari cum solidis animalis partibus est, qui continuatur in corde, & venis. Sanguis autem, qui continuatur in corde, & venis, nedum est imperfectus, vel nutrimentalis, sed perfectus, & naturalis, ergo uterque non erit continuus cum cæteris animalis partibus, Secundò ideo sanguis

guis non est continuus, quia continetur in corde, & venis, quasi liquor in vase, sed etiam sanguis perfectus sic includitur in eodem corde, iisdemue venis, ergo gratis coarctatur Philosophi textus ad solum sanguinem nutrimentalem.

Nec valet ad fibras recursus, siquidem hæ, vel solidæ sunt, vel fluidæ Si secundum, potest uti que sanguis cum talibus fibris continuari, sed hæ non poterunt esse medium deseruiens ad continuandum sanguinem cum aliis animalis partibus solidioribus, cum ipsæ fibræ, utpote fluidæ, nec ipsæ continuentur. Si vero solidæ sint, ergo sanguis utpote fluidus non continuabitur cum talibus fibris.

Respondent secundò Hurtado, & Arriaga sanguinem continuari cum iecore, aut venis. Sed

Contrà est, nam liquores qui continentur in alio, tamquam in vase, cum ipso continuari nequeunt; sed teste Philosopho sanguis est in venis, ut in vase, ergo cum venis continuari nequit, sicuti res fluida cum re solida non est continuabilis.

Respondet tertiò Vasquez, ut anima informet plures partes sufficere continuationem physicam, quæ à forma substantiali desumitur, quamuis deinde sint partes discontinuæ mathematicè. Sed

Contra est, & præterquamquod fusissimè hæc solutio reprobatur à Mastrio *disp. 1. quæst* 9 de anima, adhuc ostenditur falsitas doctrinæ Vasquezianæ, nam continuatio, quæ exigitur est coniunctio unius partis substantialis cum altera; sed hæc ad ipsam formam præsupponitur, cum Deus non creet animam rationalem, nisi prius corpus sit perfectè organizatum ergò. Maior ostenditur, sui explicatione eo quia, si una pars non sit alteri continua forma non esset potens utramque informare, cum eadem numero forma non valeat informare partes discontinuas, undè ideo una forma substantialis materialis plures materiæ partes informat, quia ipsæ inter se in priori continuantur. Secundò falsum est physicam continuationem partium haberi à forma viuentis, siquidem physica continuatio est ipsa physica unio partium inter se; hæc autem certè ab anima non habetur, sed potius ad ipsam præsupponitur.

Probatur secundo Conclusio. Solæ partes primo componentes, & integrantes Corpus anima informantur, non verò partes non integrantes; sed sanguis non est pars primaria Corporis ipsum integrans, sed solum pars requisita ad eius vitam in actu secundo, seu vegetationem distinctam ab ipso Corpore; ergò. Probatur minor primo ex Innocentio Tertio capite in Quadam de celebratione missarum, ubi distinguens sanctus Pontifex partes primo componentes corpus à partibus ad vegetationem requisitis, priores uult esse quatuor elementa, posteriores vero quatuor humores. Hæc enim habet *cur autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant; videlicet terra, aqua, aer, ignis, & ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores consimiles illis conveniant, nempe sanguis, cholera, flegma, & melancholia, ut unitatem humani corporis expressius demonstraret unum ex illis, nimirum aquam, & vinum, ex istis nimirum sanguinem, Ioannes expressit dicens: exivit sanguis, & aqua*. Secundo eadem minor colligitur ex Tridentino decernente solum corpus ex vi verborum esse sub specie panis, & solum sanguinem ex vi verborum esse sub specie vini; ergò iam corpus primo non componitur, nec integratur sanguine. Si enim corpus primariò integraretur sanguine, sanguis ex vi verborum existeret sub specie panis, cum sub illa ex vi verborum existant partes componentes, & integrantes curpus.

Tertiò tandem firmatur nostra Conclusio ex ipso nutritionis conceptu, de cuius ratione est, quod materia alimenti per nutritionem transeat de priuatione formæ viventis ad huius formam; sed sanguis est proximum, & immediatum alimentum; ergò opus est, quod careat forma viventi, ad quam transeat vi nutritionis.

Nec officit communis solutio, quam tradunt Complutenses docentes utique sanguinem imperfectum non informari anima, quia non est perfectè decoctus, & inservit pro hominis alimento; perfectum tamen animari, qui iuxta Caietani sententiam à Christo passionis tempore censetur effusus.

Non officit inquam hæc euasio, quia ideo primus sanguis non est animatus, quia cum inseruiat pro alimento, & materia sit nutritionis, nequit illa forma informari, qua in priori carere debet, ut saluetur terminus à quo nutritionis, sed etiam sanguis perfectus, & magis decoctus, alimentum est viventis, ipsiusque materia. Quo enim purior, & decoctior, eo est perfectius viventis alimentum; ergò si primus animatus esse nequit, nec secundus.

## CAPUT UNICUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

CUm ex Tridentino firmata sit superior Henrici sententia, ex eodem ipsam impugnant aduersarlis, & quidem ex sessione decima tertia cap. 3. ubi postquam dixerat Christi corpus post consecrationem existere sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, addit etiam corpus esse sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, ut naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi domini, qui iam ex mortuis surrexit non amplius moriturus *In quibus verbis aduersum doctissimi aduersarii Concilium Tridentinum expressè dicere sanguinem esse Christi partem; dicit enim commutari corpus ex vi consecrationis*. Sed

Locus iste Tridentini nil obstat thesi, quam propugnamus, quia Concilium non asserit esse partem componentem, & integrantem, sed solum partem requisitam ad corporis vitam, quod totum patet ex eodem Concilio, in quo hæc lego *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis Surrexit non amplius moriturus, inter se copulantur* Hæ autem partes non sunt solæ integrantes corpus, sed etiam naturales, requisitæ ad eius vitam.

Arguunt secundo sanguis est vera pars animalis, sed hæc informari debet forma viventis; ergò sanguis vivit. Maior ostenditur ex sacræ scripturæ auctoritate Patrum testimonio, & Romanorum Pontificum definitionibus, & in primis *in Levit. 17.* habetur: *Anima carnis in sanguine est* ex quibus sic arguunt. Animam esse in sanguine est sanguinem esse informatum anima; sicuti animam esse in Corpore est corpus esse informatum anima, atqui anima est in sanguine teste Levit ergo. Hoc idem constat ex Matthæi 16 ex Epistolis Divi Pauli *ad Galatas primo, ad Ephæsios* 6 *ad Hæbreos* 2.

Secundo hoc idem colligimus ex Patribus, & præcipuè ex Augustino libro *de spiritu, & anima cap.* 25., & 33 & Epistola 146. Damasceno *lib. 2. de fide cap.* 22. quibus inhærendo Caius Romanus Pontifex in decretali ad Felicem hæc scripsit *si Christus veras partes humanæ naturæ non assumpsit, quo san-*

Zzzzz

*sanguine redempti sumus*, & Innocentius tertius in extravaganti de celebratione missarum asseruit de Christi Latere exisse sanguinem, & aquam, ut ostenderet eiusdem corpus componi ex quatuor humoribus, & sic sanguinem esse veram corporis partem.

Argumentum hoc facili negotio dissoluitur, si aduertamus formam duplici titulo esse posse in alio, nimirum formaliter, & materialiter. Tunc formaliter in alio esse dicitur, quando est per suam essentiam modo informatiuo, cui tribuat suum effectum formalem, materialiter verò esse dicitur in alio ob aliquam dependentiam, quam ab illo habere potest. Hoc secundo modo tantum anima est in sanguine, quatenus hæc, ut in corpore conseruetur pendet à sanguine, sicuti lux dicitur esse in sole, & quilibet effectus in sua causa. Vita enim dependet à sanguine, unde anima est in sanguine causaliter, in quantum causat vitam, non vero formaliter. Sic explicari possunt scripturarum, & Patrum oracula. Quæ vero desumuntur ex Pontificum decretis facillimæ sunt solutionis inhærendo diuisioni partis primariæ, & secundariæ.

Arguunt tertio alii. Ideo sanguis non est vera pars hominis, quia per verba consecrationis panis non ponitur ex vi verborum Consecrationis, sed tantum concomitanter iuxtà veram Tridentini doctrinam, sed hæc ratio non tollit à Sanguine rationem veræ partis; ergo. Probatur minor. Stat quod corpus sit vera hominis pars informata anima totius, quamuis per verba consecrationis vini non formaliter, sed concomitanter ponatur, ergo à pari stabit quod sanguis sit vera hominis pars informata anima totius, quamuis per verba Consecrationis panis non formaliter, sed concomitanter ponatur.

Hoc argumentum mihi difficile est, quod ut soluatur, aduerto, dupliciter per Conversionem unius in aliud, aliquod immediatè poni. Primo per modum termini immediatè corespondentis tali conversioni. Secundò vero quia in re sit vera pars primaria rei, quæ ponitur. Exemplum sit in conuersione substantiali unius compositi substantialis in aliud, v.g., Vini in Ignem, in qua id quod immediatè ponitur in materia per modum partis primariæ, est ipsa forma ignis. Modo dico quod sanguis per verba consecrationis vini non concomitatur, sed vi verborum consecrationis immediatè ponitur, non quia sit pars primaria rei, quæ ponitur, sed quia est terminus immediatè correspondens verbis consecrationis uini, per quæ intenditur conversio vini in Christi sanguinem. In Conversione autem panis in Christi corpus, hoc ponitur immediatè vi verborum consecrationis duplici titulo, scilicet, & quia corpus est terminus immediatè correspondens tali Conuersioni, & quia revera est pars hominis primaria.

Arguunt quartò alii. Id quod immediatè assumpsit verbum divinum est de integritate humanæ naturæ, eiusdemque vera pars, sed verbum assumpsit immediatè sanguinem; ergo. Major probatur, quia verbum divinum non assumpsit immediatè, nisi unicam naturam, ejusque partes; alioquin non semel, sed bis incarnatum fuisset; ergo quidquid immediatè est à verbo assumptum pertinet ad hominis integritatem, atque est illius vera pars.

Huic argumento Patrum Complutensium occurro denuò monendo rationem partis in composito duplicis esse generis, videlicet primariam unam, secundariam alteram. Prioris generis, v. gr. in ligno est ipsa forma, secundi verò ordinis est ipsa unio, quæ non est principium constituens compositum, sed veluti ratio formalis, qua principia constituunt. Modo in composito organico corpus est pars primaria, sanguis verò secundaria, ut non obscurè demonstravi ex Tridentino.

Dices si sanguis non esset informatus anima rationali, sed importaret formam sanguineitatis diversam ab ipsa, jam verbum divinum non semel, sed bis fuisset incarnatum. Patet hoc siquidem, ideò verbum est semel incarnatum, quia unicam naturam, nempe rationalem assumpsit; ergo ideò debet dici bis incarnatum, quia duplicem assumpsisset naturam, unam nimirum animatam; aliam verò purè materialem, idest naturam sanguinis.

Respondeo semel verbum pro generis humani Redemptione incarnatum fuisse; quamvis sanguinem assumpserit, anima non informatum. Ratio totius est, quia sanguis, quamvis aliena forma informatus, videlicet forma sanguinis, adhuc tamen subordinatus est, atque ordinatus ad integrandam totam naturam; ob hanc autem ordinationem sequitur quod non bis, sed semel verbum sit incarnatum.

Dices denuò. Anima rationalis forma est perfectissima; ergo per se, & ratione sui constituit unam naturam totalem; ergo si semel verbum præter naturam humanam aliam assumpsit, non potest non bis fuisse incarnatum.

Dices secundò. Duo composita substantialia specie distincta nequeunt constituere compositum, quod sit unum ens per se, sed si sanguis haberet formam distinctam ab anima rationali non posset non distingui specie à composito, quod constituetur ex materia, & anima; ergo implicat, quod ex prædictis compositis resultet una natura totalis.

Sed hæ instantiæ Patrum Complutensium nullius sunt roboris. Prima quidem, quia nobilitas animæ rationalis constituit solùm compositum nobilius, non verò naturam humanam, secundùm omnes suas partes integrantes, ut patet in ipso grado corporis, qui certè ab anima rationali non habetur, ut alibi demonstravimus. Secunda verò instantia corruit, si advertamus sanguinem estò informatum forma diversa à forma totius, tamen ordinatum esse, tamquam partem integrantem ad totum complendum.

Arguunt ultimò Thomistæ ratione desumpta ex D. Thomæ doctrina *in 4. dist. 44. quest. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 2.* ad hanc formam redacta. Ita se habent quatuor humores in homine, sicuti quatuor elementa in universo. Sed hæc sunt verè universi partes, atque ejusdem formam participant, nimirum ordinem ad alias partes, in quo ordine totius universi forma consistit; ergo quatuor humores sunt veræ hominis partes forma totius informatæ. Minor, & consequentia constant. Major sola explicatione indiget, quæ propterea sic explicatur. Homo est quidam mundus minor. Sanguis autem est calidus, & humidus, sicuti aer. Pituita est humida, & frigida, sicuti aqua. Melancolia frigida, & sicca, sicuti terra. Denique Colera est sicca, & calida, sicuti ignis; ergo.

Hoc argumentum ex proportione desumptum suam habet solutionem, si perpendamus hanc non adesse in omnibus, ut asserere debent iidem Complutenses arguentes. Docent enim elementa ita esse universi partes, ut dum transeunt ad mixtorum formas substantialiter corrumpantur acquirendo formam substantialem numero, & specie diversam, cum tamen humores perfecti, dum eva-

dunt

dunt nobiliores animalis partes, ut ſanguis dum tranſit in partes ſolidas, non tranſmutetur ſubſtantialiter, nec ammittat formam ſubſtantialem antiquam, ſed illam ſolùm participare incipiat nobiliori modo, & cum perſectioribus diſpoſitinnibus accidentalibus. Proportio itaque tamquam tenet in eo quod aſſertur in majoris explicatione; ſed hæc ad rem non facit.

Quæres utrum capilli, & ungues animentur.

Reſpondeo capillos, dentes, & ungues animari forma rationali per informationem ſolùm, quoad vegetandi gradum. Concluſio hæc eſt contra Durandum docentem animari forma diſtincta à rationali. Eſt contra Galenum, aliſque propugnantes non animari, nonnulloſque alios quamlibet ſententiam In hac re facientes ſibi probabilem, uti cenſent Patres Complutenſes; ſed

Recentioribus tamen noſtra ſententia cenſetur valde probabilis. Capilli enim propriè, ac verè vivunt, & nutriuntur; eo quod in canitiæ pilorum radices minimè ante horum extremitates albeſcunt, ſed omnes eorum partes ſimul caneſcunt. Deinde in pueris, in quibus capilli flavi, in dies magis nigreſcunt, hæcque coloris mutatio ſimul, & æquè eorum apices, & radices afficit. Præterea eorum proventus non omni æquè ætate idem eſt, adeoq; ad certos annos reſtrictam aliquam incrementi legem habere videntur, itaut barba, & pubes ante 12. & 14 annum haud prorumpant, & capilli perditi poſt vigeſimum etiam annum raró recreſcunt. Denique nonnulli ex affectu animi vehementiſſimo celerrimè, imò intra aliquot horas cani redditi fuerunt.

Hoc idem Sentio de dentibus. Hi enim creſcunt ab intrinſeco, nec ullo modo ſentiunt: quippè dolor ille, quem vulgò in dentibus ſentimus, ineſt tenui membranæ, quæ dentem cauum obducit. Eſt enim pærexigua cauitas in extrema radice. Imo dentes in nonnullis animantibus radicem cavam habent, quod etiam multis plantis commune eſt.

Circa autem Pilorum, & Capillorum generationem notandum hic eſt horum materiam non eſſe excrementum tertiæ coctionis, ut vulgò docet. Sed hos eodem modo, ac alias corporis partes nutriri. Nam primò Morbi ſanguinis maſſam turbantes, ac corrumpentes pilorum defluuium producunt. Secundò, ſi eorum cultura nimis promoveatur, debilitatur membrum, in quo hos augeri contingit, v. g. caput, aſſumpto nimirum parte ſimul nutrimento capitis deſtinata. Imò tertiò intimè penetrant cutis craſſitiem, & rotundo quodam, atque inuerſo capitulo, in ouali quodam involucro, ad quod nervus euidens propagatur, implantatur; pari ratione, ac in Auium pennis obſeruare licèt.

# DISPUTATIO SECVNDA.

De anima ſenſitiua.

## CAPUT UNICUM.

*In quo explicatur quid ſit anima ſenſitiua, & an conſiſtat in ſpiritibus tenuiſſimis vitalibus.*

Quæ diffusè recentiores exponere ſolent In Animaſtica circa animæ ſenſitiuæ naturam, nos hic breui calamo referre curabimus. Et in primis plauſibilis eſt illorum ſententia, qui hanc reponunt in ſpiritibus tenuiſſimis vitalibus, vel in ſubtili actuoſa ſubſtantia ex putiori ſanguinis portione expreſſa ab ignis natura non multum aliena propter eius actiuitatem, quæ ſpirituum animalium fons eſt, aut promptuarium. Videtur enim, quod hæc opinio iis conſona ſit, quæ habentur in Levitico *cap. 12. verſu 23.* illis verbis *anima omnis in ſanguine eſt, vel aliis* Deuteronomii *cap. 12. verſu pariter 23. hoc ſolum caue, ne ſanguinem comedas; ſanguis enim eorum, videlicet animalium pro anima eſt, & idcirco non debes animam comedere.*

Sed modum hunc explicandi non recipio. Concipere enim nequeo, quomodo tot brutorum ſenſationes haberi poſſint à ſola hac puriori ſubſtantia in cerebro reſidente, & in neruos deſcendente penitus inanimata. Nec officit, quod dicunt hoc idem contra nos inſtari poſſe volentes iſtas haberi à forma materiali; non officit inquam, quia cum hanc propugnemus viuentem, profectò, ut aptam recognoſcimus pro obeundis Brutorum operationibus. Nec ad rem faciunt Sacræ Scripturæ recenſita oracula, ſiquidem affirmare poſſumus animam omnem eſſe in ſanguine, vel informatiuè, ut quamplures ſuſtinent, vel ob dependentiam ab ipſo, cum ſit alimentum non parum aptum ad vitæ conſeruationem, quibus explicationibus accedit ex Leuitico nos tantum deſumere poſſe animam in ſanguine reſidere, non verò animam ipſam ſanguinem eſſe. Undè exiſtimo cum peripateticis verius explicari, dicendo, quod ſit actus primus corporis phyſici organici potentia vitam ſenſitiuam habentis.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An bruta ſint purè automata.*

Omnibus notum eſt, Carteſium formam viventem Brutis negaſſe, ut alibi dicam, atque aſſeruiſſe omnes brutorum operationes ſola mechanica haberi. Huic quamplures non mediocris doctrinæ, & nominis adhærent, præcipue tamen Pater Ignatius Pardies in ſuo paruo opere de brutorum anima, Purchotius parte tertia phyſicæ, Antonius Le Grand In Apologia pro Renato Carteſio *lib. de Carentia ſenſus, & cognitionis in brutis* Bayle *in phyſica particulari art.* 3. ubi de anima beſtiarum, & plantarum, & tandem Auctor quidam Anonimus noviſſimus Scriptor, aduertens opinionem hanc jam viguiſſe decimo ſexto Sæculo vix poſt medium in Hiſpania auctore quodam Gomeſio Pereira, quinimmo Stoicorum aſſertum fuiſſe refert Plutarchus *lib. 5. de placitis Philoſophorum.*

Secunda tamen ſententia ex diametro oppoſita propugnat in Brutis formam vitalem. Hanc ſequuntur nunc Peripaterici omnes, & Atomiſtæ; Quinimmò Dominus De la Chambre, Petrus Gaſſendus, aliique noſtræ ætatis Philoſophi aſſerere auſi ſunt bruta eſſe ratione prædita, & diſcurſu. Nos tamen veritatis dilectores ſuſtinemus formam viventem in Brutis, rationis tamen expertem. Hanc ſententiam volumus cæteris veriorem, quam capite ſequenti ſuadere conamur.

## CAPUT PRIMUM.

*Bruta non ſunt purè automata, ſed potius inſtructa forma vitali, non tamen diſcurſiua.*

Non deſunt ex Recentioribus, qui hanc veritatem firmare contendunt ex quampluri-

mis

mis Patribus, quorum mentem adversari Cartesianis firmiter fateor. Ex pluribus primò Augustinum ipsis aduersari certum penitus est, nedum ex iis, quæ habet *lib de quant animæ*, ubi legimus: *Bestiæ sentiunt, & quinque sensibus vigent, quis hoc negabit?* verum etiam ex aliis *lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 20.* quæ ut Cartesiani legant, hîc exhibeo: *quidam, hoc præceptum, non occides, etiam in Bestias, ac pecora conantur extendere, cur non ergò, & herbas, & quidquid humo radicitus alitur, ac figitur: nam & hoc genus rerum, quamuis non sentiat, viuere dicitur; ac per hoc potest, & mori.... Vita, vel quæ nutrit, & continet, qualis est in arboribus, vel quæ hæc habet, & sentit, qualis est in Pecoribus, vel quæ hæc habet, & intelligit, qualis est in hominibus*. Secundò hoc Idem expressè colligitur, & legitur apud Diuum Dionysium *in lib. de Diuinis nominibus cap. 1.* ubi hæc ait: *Deum expetunt omnia, ea quidem, quæ mente, rationeque utuntur* (videlicet Angeli, & homines) *cognitione, quæ autem his inferiora* (nimirum belluæ) *sensus iudicio*: aliaque (scilicèt Plantæ) *motu vitali*. Religioni itaque infensa est. An hoc etiam sit rationi, locus non remanet suspicandi. Veritas enim veritati non opponitur. Inter rationes autem, quibus primò suaderi solet, prima ratio est, quia, si in Brutis dentur organa deseruientia ad operationes sensitiuas, jam in ipsis adstrui debet forma sensitiua; Sed in brutis hæ organizationes revera inspiciuntur, ergò. Minor est certa. Maior quoque constat, siquidem hæ organizationes sunt instrumenta deseruientia ad sensationem, & cognitionem, ut in homine apparet.

Secunda verò ratio, quæ mihi potissima est in hac materia, in eo residet, quod nemo tantam solertiam in authomate potest bona fide cognoscere, quantam in ipsis cernimus Brutis. Lupus etenim suspenso gradu in ipsis domorum liminibus, dormientes canes opprimit, cumque sunt maiores, ut humeris imponi nequeant, tunc ventre scisso, intestina proiicit, ut minus grauitent. Res etiam certior apparet in ipsis Canibus, de quibus plura refert Plinius lib 8. inter quæ illud mirabile est, quod casu accidit tempore Neronis Germanici Filii. Cum enim quidam in carcere fuisset inclusus, canis quidam, nec à carcere abigi potuit, nec à corpore recessit; adeo ut abjecto in gradibus Gemoniis mæstos edentem ululatus, magna Populi Romani corona circumstantæ, ex qua, cum quidam ei cibum objecisset, ad os defuncti tulisset, atque innatauit in Tiberim cadauere abjecto sustentare conatus, effusa multitudine ad spectandam animalis fidem. Mirabilia pariter leguntur de Equorum natura, inter quæ illud maximum, quod interfecto Nicomede Rege, Equus ejus inedia vitam finierit, quorum docilitas tanta est, ut uniuersus Sibaritarum Exercitus Æquitatus ad Symphoniæ cantum saltatione quadam moueri solitus inueniatur, & amissos lugent dominos, lacrymasque interdum desiderio fundunt, ut refert idem Plinius, quapropter legimus ob istorum excellentiam Galigolam in eam deuenisse insaniam, ut cogitauerat Equum suum Consulem eligere, quod tamen non euenit ob Equi interitum.

Nec ineptum quoque esse potest argumentum ex Leonibus desumptum. De his enim refert Plinius, quod vulnerati mira obseruatione percussorem norunt, & in quantalibet multitudine appetunt: Eum verò qui tela quidem miserit, sed tamen non vulnerauerit, correptum, raptatumque sternit, nec vulnerat; & adeo perfectionis sunt, ut quidam referant Libiam credidisse intellectum peruenire ad eos preces.

Nec tandem parum existimandum est, quod referri solet de Panthera quadam, quæ catulis procul in foueam delapsis, homini causam sui doloris exposuit quodammodo, & suæ salutis mercedem. Hæc autem, & alia quamplura, quæ refert etiam Philosophus in historia animalium, quis non videt à sola mole haberi non posse, atque melius hæc fænomena intelligi semel posito principio intrinseco viuenti.

Nec obstat, quod edocet Purcotius cum aliis, Belluas nimirum anima præditas esse, quantum ad effectum, quatenus eundem habent, ac si ratione pollerent, non verò quantum ad principium, cum omnes operationes ex quodam instinctu à Deo, ut Auctore naturæ indito dirigantur, ex quo oritur, quod eodem, & constanti tenore ad easdem exercendas operationes, semper eodem incitentur modo, virtute quidem, & spirituum animalium impulsu, atque etiam ob diuersas specierum impressiones, uti experientia comprobatur in Cane ad venationem assueto, qui non semel à Domino correptus verberibus, deinde abstinet ab insequenda Perdice, quod euenit, quia Perdicis species una cum ictuum impressionibus fuit semper objecta. Uno verbo omnes motus in leges mechanicas refundendi sunt, cum à Deo naturæ auctore factum sit, ut quorumdam occasione objectorum, spiritus animales in eos musculos defluant, qui inseruiunt, vel ad standum, vel ad fugiendum, vel ad prosequendum, ad aliosque motus exercendos.

Contra est. Operationes enim superius insinuatæ, si benè inspiciantur, à sola lege mechanica, vel à solis spiritibus animalibus haberi nequeunt. Quomodo enim fieri potest, ut à pura machinula habeantur mæsti mirabiles ululatus canis de interitu Heri variis naturæ motibus indicantis. Quomodo tam ipsius constans fides, ut etiam fuste percusso, percussorem dominum sequatur! Cum potius oppositum evenire deberet si unicè eventus origo esset specierum impressio. Certè mihi valde imperceptibile est à sola lege mechanica desumi posse tot operationes, natura mirante ob ipsarum excellentiam. Aliter daretur occasio suspicandi in homine perfectiores operationes haberi posse à perfectiori machinula. Si enim Beluæ vitæ functiones sine anima exercent: quidni easdem, sine anima similiter præstabimus. Hinc quibusdam Cartesianis differimus à belvis, veluti machinæ aureæ ab æneis, veluti secundùm magis, & minus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur rationes oppositæ.*

Multipliciter arguit adversa pars, & primò. Ideò ponitur anima hæc cognoscitiva in Brutis, ut principium sit motuum naturalium ipsis convenientium cum tanta uniformitate. Atqui motus hi optimè provenire possunt ab iisdem absq; ulla cognitione; ergo. Probatur minor. De facto fiunt in homine quamplures motus naturales absq; cognitione, uti receptas escas transigere, in somno spiritum ducere, cordis palpitatio, spiritum distributio.

Antequam difficultas hæc, & aliæ resolvantur, advertendum est duplicem esse cognitionis speciem. Prima reflexiva est. Secunda verò absquè ulla penitus reflexione. Prima propria est formæ rationalis, qua rationalis, secunda verò sensitivæ, ita tamen ut utramque nos elicere possimus. Modo

do verum eſt, opus non eſſe motus omnes naturales vi reflexæ cognitionis fieri, ut optimè dicitur in argumento; attamen neceſſe eſt, quod fiant interveniente cognitione ſecundi generis. Sed

Inſtant primò aliqui Carteſiani. Has cognitiones materiales, vel non experimur eas habere, vel non. Si primum; ergo jam non erunt materiales, ſed ſpirituales, cum eſſent reflexivæ ſupra ſe ipſas. Reflexio enim in cognitione, teſſera eſt ſpiritualitatis. Si verò ſecundum dicatur. Contra eſt, gratis enim id ponitur, cujus exiſtentiam non experimur, nullumque habemus teſtimonium.

Inſtant ſecundò, quia hæ cognitiones ſenſibiles talis ſunt naturæ, ut in nobis, & Brutis adſint, quin cognoſcamus ipſas nos, vel Bruta habere; ergo jam in nobis, vel Brutis eſſe poſſunt omnes ſenſationes, vel doloriferæ, vel propitiæ, quin ipſas habere cognoſcamus. Unde aliquis ſciri pati, verberari poſſet, quin ſitim dignoſceret, vel verbera; cum autem hoc erroneum ſit, quoque erit erronea hæc cognitionis ſpecies.

Inſtant tertiò, quia etiam data hac cognitionis diviſione in reflexivam ſupra ſe, & non reflexivam, adhuc oſtendendum remanet hanc ultimam eſſe materialem, in cujus oſtenſione non pauca eſt difficultas, cum eadem ſit diſtantia inter ſubſtantiam materialem, iſtaſque cognitiones materiales, ac inter materiam, & cognitiones ſpirituales.

Reſpondeo ad ſingulas inſtantias, & ad primam dico, nos reveia experiri tales cognitiones materiales habere; ſed hoc mediis cognitionibus diſcurſivis, actibuſque reflexis, quibus Bruta non gaudent. Ad ſecundam dico, nullatenus ſequi, quod intendit celeberrimus quidam Carteſianæ dementiæ defenſor, ſiquidem Bruta ſenſationes doloriferas, eorumque naturæ diſſonas experiuntur, quamvis deinde ſupra dolorem, ejuſque cognitionem non reflectant.

Ad tertiam dico cognitionum materialitatem inde ſufficienter dignoſci, quod, vel non ſunt reflexivæ ſupra ſe ipſas, vel quia principium, à quo profluunt materiale eſt.

Secundum argumentum in hac materia exhibet Le Grand ex pluribus collectum, & primò perceptio tribui nequit extenſioni, uti eſt anima brutorum, nec tanquam eſſentia, quia aliàs omnia corpora imbuta eſſe deberent cognitione, nec tanquam proprietas, quia cum hæc omni, ſoli, & ſemper conveniat, jam omni rei materiali convenire deberet, nec tanquam modus, quia eſt natura modi, ut exiſtere nequeat abſque ſubjecto, poteſt autem eſſe cogitatio omnem ſubſtantiam corpoream ſecludendo.

Secundò corpus, & ſpiritus ſunt immediatè ſpecies generis ſupremi, ideſt ſubſtantiæ, ſed hoc ipſo convenire nequeunt in perceptione; ergo. Probatur minor. Hoc ipſo, quod ſunt corpus, & ſpiritus immediatè ſpecies, nequeunt convenire, niſi in atributis eſſentialibus ſubſtantiæ, ſed in horum numero non ſunt perceptio, & extenſio, dantur enim ſubſtantiæ, quæ non percipiunt, & aliæ, quæ non ſunt extenſæ; ergo, non poterunt convenire in perceptione.

Tertiò, ſi corpora perceptione imbuerentur, nulla eſſet inter animam, & corpus diſtinctio. Ulterius, ſi materia eſſet capax receptionis, eſſet aut tota, aut pars, ſed non tota, quomodo enim ex varia atomorum compoſitione, vel ex rebus inſenſibilibus animal cogitans, videns, audiens, percipiens emergere poteſt. Si enim atomus una dolere nequit, nec quatuor, nec quinque, quia neminem arbitramur fore atomis adeò amicum, ut cuilibet earum aſſigner intelligentiam.

In pluribus hic errat Le Grand. Errat primò, quia exiſtimat nos tribuere extenſioni perceptionem, quod falſum eſt, tribuimus quidem iſtam formæ extenſionem habenti, at non ipſi extenſioni, ſic enim tribueremus eandem quantitati, quod abſit.

Errat ſecundò, quia quamuis percipere, vel melius cognoſcere ſubſtantiæ materiali tribuamus, adhuc maxima adeſt diverſitas inter formam rationalem, & Brutorum ſenſitiuam. Prima enim ſpiritualis eſt, & reflexiua, ſecunda verò non.

Tertium vero, in quo pariter fallitur Le Grand referunt omnes Carteſiani exiſtimantes ex poſitione animæ in Brutis difficuliet mentem noſtram intelligere diſcrimen inter ipſam, & animas noſtras, hoc ſuadentes, quia diſcurſus, libertas in operando, cognitio mediorum, proportionem habentium cum mediis, efformatio idearum ipſarum rerum in generali, quæ diverſitatem exhibent inter viventes rationales, & Bruta, videntur etiam re attentè perſpecta in Brutis, uti conatur oſtendere idem auctor. At res communi plauſu receptæ non niſi difficulter impugnari poſſunt. Latum enim eſt diſcrimen, cum nullus ſit, qui non videat, vel penes excellentiam cognitionis humanæ reflexivæ ſuprà ſe ipſam, vel penes objecta à materia abſtracta deſumi poſſe ſenſibilem differentiam; & quamuis Bruta aliqua perfectiora ſint aliis, nunquam tamen ad æqualem perducuntur perfectionem, quemadmodum etio homines aliqui perfectius aliis intelligant, ad intelligere tamen Angeli perfectum non perveniunt, propter maiorem virtutis limitationem. Quartum tandem, quod affertur, vieget ſolum Aromiſtas. Nos enim faciliter ſolutionem exhibemus dicendo totam formam materialem capacem eſſe cognitionis, non tamen in qualibet materiæ parte, cum non in qualibet debitæ adſint diſpoſitiones.

Tertiò arguunt alii. Si Anima eſſet in Brutis, in aliqua corporis parte reſidere deberet; in nulla autem reponi poteſt; non quidem in Cerebro, cum capite inciſo ſigna vitæ adhuc remaneant, uti in Paſtinaca, Anare, Anſere ſylvatico; non in corde ſiquidem hoc euulſo, quamplura ſunt Bruta, quæ adhuc doloris vociferationes emittunt, ut refert Galenus de ovibus. Nec aliundè motus hic fieri poteſt mediis ſpiritibus animalibus, ſiquidem ſi hi in parte ſecta reſidiu vim habent tribuendi motum eidem parti, cur itaque fieri non poterunt motus omnes in brutis.

Reſpondeo me neſcire, quo fundamento aduerſarii noſtri doceant formam viventem in nulla corporis parte eſſe poſſe, cum quamlibet partem informet. Quod enim dicunt ipſam in Cerebro eſſe, vel in corde, hoc ſolum concedimus quo ad præcipuas eius operationes. Nec in Brutis motus ipſi naturales provenire poſſunt à puris ſpiritibus vitalibus. Cum enim tales motus continuò, & permanenter elicianur, & ſenſitiui ſint, opus eſt, quod ab anima proveniant, ſicuti ab eadem profluunt motus omnes procedentes à partibus abſciſſis animalium imperfectorum, cum tales partes etiam leviter tactæ ſe tangi ſentiant.

Quartò, & magis communiter arguunt alii: ſi nulla ſit repugnantia in Brutis puræ authomatis, iam hæc ſic defendere non erit ſententia improbabilis; atqui res de facto ita ſe habet; ergo. Oſtenditur minor, quia nulla eſt repugnantia in hoc, quod Deus molem aliquam Cani naturali exiſtenti omnino ſimilem faciat. Poteſt enim producere ta-

lem molem cum omnibus suis partibus interioribus, venas sanguine implere, sanguini, & cordi aliquem conferre calorem. Tunc cor istud procul dubio moveretur motu restrictionis, & dilatationis, simulque sanguis per totum effluerer corpus. Molles autem hæc, sic instructa eosdem ederet motus, quos nunc quilibet Canis edit. Quinimmo subitaneus aeris agitatus aures mollis tangendo, motum in neruosas efficeret partes auditus, quæ ulterius commotionem cerebro inferentes, foramina spiritus quodammodo compressos continentia aperiuntur, quorum vi, & activitate tota corporis molles excuteret. Diastolæ vero in cærebro residentes dubio procul neruulos aperirent quosdam, alios verò claudetent; adeout aliqui relaxarentur musculi, alii verò inflarentur. Hac autem stante structura certè canis hic eosdem ederet motus, quos nunc in cane naturali conspicimus.

Respondeo à Bruto putè authomato pro certo operationes consimiles illis, quas de facto conspicimus in iisdem nos habere non posse Hæ enim vitales sunt à principio vitali provenientes; illæ vero non vitales, quæ à pura machina, an provenire possint cum tanta uniformitate, qua nunc eueniunt, iudicio sapientum te inquo.

Quintò arguunt alii Cartesii alumni. Si Bruta essent cognoscitiva, deberent quoque esse libera. Patet hoc, si enim cognoscitiua sunt; ergò iam agnoscunt ea, quæ sunt sibi prōuttia, & nox a; ergo consulere possent, atque eligere bonum sibi prosequendum, sed hoc non subsitt, quin interius discursum efforment; ergo iam liberrate erunt prædita Patet hæc ultima illatio siquidem libertas nil aliud est, quam facultas agendi cum ratione.

Secundo si in Brutis esset tale sentiendi principium, vel anima hæc deberet posse etiam se ipsam sentire, arqui hoc fieri nequit, quia si se ipsam sentire posset in sui esset dominio in hos erumpere actus: Ego dolorem sentio: gaudium experior, ergo eriam erronea est in brutis animæ existentia. Maior videtur infallibilis, siquidem nihil est animæ intimius se ipsa. Sed

Nec hic sequitur, quod volunt aduersarii, siquidem libertas arbitrii regulari debet à cognitione naturali, & discursiua, qualis profectò non est, ea quam reperimus in Brutis, quæ quamuis cognoscant finem suum, non cognoscunt tamen proportionem inter media, & finem, nec discursum ef formar, sicuti non potest se extendere sensitiua ad tale iudicium, quo iudicet se sentire, vel gaudium, vel mærorem, quia hæ operationes sunt tantum propriæ animæ rationalis, cum sint reflexivæ.

Esset & aliud argumentum, cui nituntur aduersarii, volentes Spiritus ideam in cognitione residere materiæ verò tantum in sola trina extensione, qua propter cum videant Bruta omninò materialia, in ipsis nullam adstruunt cognitionem. Sed quam falsò hoc asserant, indè patet primò, quia non exhibent ideam materiæ physicè inspectæ, sed mathematicè, ut initio physicæ monui. Secundò quia quamuis verum sit res materiales extolli non posse ad cognitionem, si esse omninò immersum, & operari habeant in materia, falsum tamen si aliquam dicant eleuationem, uti præseferre formam sensitiuam optime ostendit noster Illustrissimus Lodigerius in tractatu de Scientia Dei, cum Petro de Godoy Episcopo Oxomensi ex Diuo Thoma. Tertiò tandem, quia falsò reponitur primus spiritus conceptus in cognitione. Hæc enim posterior est ad ipsum; Ideo enim anima cognoscit, quia virtutem habet cognoscendi.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*In qua quamplura proponuntur, & breui calamo discutiuntur ex iis, quæ spectant ad sensus internos, externos, lucem, & colores.*

### CAPUT PRIMUM.

*Breuis notitia eorum, quæ spectant ad sensus internos, & externos proponitur.*

Sensus alii externi dicuntur, interni vero alii. Priores tales sunt, quia extrinsecus apparent, quorum organa sunt in propatulo, & quinque numerantur, visus nimirum, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Secundi verò dicuntur tales, quia intus reconditi obiecta, vel species obiectorum ab externis sensibus recipiunt, de quibus omnibus, ut aliquam habeamus notitiam, placet nonnulla referre incipiendo prius ab internis, circa quos sententia est plausibilis apud Philosophos quatuor numerari, nimirum sensum communem, phantasiam, æstimatiuam, & memoriam. Hic numerus tamen non adeo certus est, ut aliqui non sint, qui hoc negent, volentes, vel tres solùm esse, dempta æstimatiua, uti Cartesius, vel unicum tantùm diuersas exercentem functiones. Sed quidquid sit de hoc, certum est, quod sensus communis, ideo talis dicitur, quia in se recipit species omnium sensuum externorum. Huius autem varia sunt munera, ex quibus primum est sensibus exterioribus spiritum animalem communicare. Secundum sensuum externorum operationes percipere; sensus enim externi sentiunt, sed non percipiunt suas sensationes. Tertium verò discernere obiecta percepta sensuum externorum, quod verificatur solum loquendo de præsentibus, quod munus tamen non exercet componendo, aut diuidendo; hoc enim proprium est phantasiæ, & non sensus communis officium, sed simplici intuitu plurium obiectorum.

Secundus sensus internus memoria est à monendo originem trahens, estque *facultas retentiua specierum receptarum*. Hujus munus est custodem esse rerum perceptarum, undè memoria non versatur circa res præsentes, sed absentes tantum, nec absentes futuras, sed absentes præteritas, vel si res iterum sensui externo sistantur præsentes, non versatur circa eas memoria, sed solum sensus communis. Hæc diuidi solet in simplicem recordationem, quæ contingit, *quando species impressæ iterum recurrunt, & quasi de nouo imprimuntur*: & reminiscentiam, quæ scitè à nonnemine memoria recidiua vocatur, & hæc interuenire solet, *quando rem oblimonitam traditam, vi discursus alicuius nobis iterum in mentem reuocamus*. Hæc secunda in Brutis non adest, cum ad eam mentis discursus requiratur, qualis in Brutis non reperitur, quia rationis expertia sunt. Obliteratio autem specierum in memoria, obliuio nuncupatur. Eiusmodi obliuio autem quandoque ætatis vitium est; constat enim pueros, & senes sæpius esse obliuiosos: Pueri quidem ex eo, quod illorum cerebrum liquidius sit, quam ut vestigia sibi facillimè impressa diutius feruet: Senes verò ex eo, quod eorum cerebrum sit solidius, quam ut noua illi imprimantur vestigia. Quandoque etiam Mensæ vitium est, quod qui cibo, potuque intemperanter

peranter utuntur, hi rerum facilè obliuiscantur, quia nempe illo ū cereb ū spiritibus immoderatè asl ēdentibus instar luti ventis percussi, eò deueniat duritiei, ut vestigiis nequeat affici recentibus. Sic Medici docent ad seruandam memoriam abstinendum esse non solum à cupioso potu, sed etiam à quibusdam cibis, v. g. à fructibus immaturis, à lacte, caseo, carnibus salsis. Interdum valetudinis vitium est, quod morbo aliquando nascatur obliuio: quatenus scilicet morbo fit, ut nulla cerebro imprimantur vestigia; aut impressa non seruentur; nempe quo prætiosior est memoria, eò pluribus obnoxia est iniuriis. Cuique obuia sunt lapsæ eiusmodi memoriæ exempla, ut non sit necesse ea hic loci repetere.

Eos autem intelligimus memoria pollere, quibus cerebrum, nec durum, nec omnino humidum est, unde Melanchonici diuturniori valent memoria, quia in dunusculo eorum cerebro impressa vestigia diutius seruantur, quam ob causam etiam canes, & Equi multò melius recordantur itineri ū, via ū flexu ū diuerticulorum, aliorumq; aliorum, quæ vel semel adierunt, quam homines: quo fit, ut quantò homo aggrestior est, & ferinæ indolis magis particeps, tantò meliori locorum ejusmodi recordatione polleat. Sic, qui vino, & fumico, ut loquuntur, taba co nimiopere indulgent, hi rerum præteritarum memoria excidunt, quatenus continuato illo spirituum, & exhalationum motu ita obdurescat, & veluti percelleat cerebri compositio, ut eidem cerebro vestigia, nec imprimi, nec impressa seruari queant. Sic integrè quædam nationes, ut Thraces, memoria parum valere feruntur; quasi cæli solique natura fiat, ut natiua cerebri temperies prædicta vestigia vix, aut admittat, aut seruet. Hinc oritur, ut qui felici sunt ingenio propter cerebri mollitiem sint memoriæ labilis, proindeque facile adiscant, & difficilè meminerint, vel conseruent.

Hæc autem facultas specierum retentiua in quibusdam valde admirabilis est. Blesensis enim Epistola 9 r. refert se dictasse eodem tempore tribus scribis varias Epistolas, cum ipse quartam scriberet: & O igenes septem simul scribis dictare solebat. Seneca verò in Prologo declamationem hanc ut que ad prodigia obtinuit, de qua scribens ait: *duo millia nominum, quo erant ordine recita a r ferebam, & ab his, qui ad audiendum Præceptorem nostrum conuenerant, singulos versus à singulis datos, complures essent ducenti ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam.*

Tertius verò sensus Phantasia nuncupatur, atque illa est; quæ species intuetur, examinat, & attendit. Huius primum munus est species sensibiles depurare, & conuertere in naturam Phantasmatis. Secundùm est eas varie componere, ac diuidere. Tertium tandem cognoscere obiecta absentia externorum sensuum, quatenus species receptæ in cerebro, ibi perpetuò manent, unde distinguitur à sensu communi, qui tantum circa præsentia versatur.

Volunt autem Cartesiani, quod Phantasia sit sensus ortus per medium cereb um ab ipsis spiritibus è corde egressis, itaut medium cerebrum sit proprium Phantasiæ organum. Ratio, quæ plausibilem reddit hanc Cartesii sententiam est, quia juxta hanc Phantasiæ ideam optimè intelligimus diuersam imaginandi virtutem. Primò quidem, quia medii cerebri compositio in diuersis hominibus ita diuersa est, ut propter eam, præsertim de Imaginatione, intelligi possit illud pronunciatum; *quot capita, tot sensus.*

Potest autem esse diuersa medii illius cerebri temperies, pro diuersitate temporum, locorum, & personarum. Sic pro diuersitate temporum, pueritiæ nimirum, juuentutis, & senectutis, medium cerebrum, modo instar aquæ fluidum, ut in pueris, pari facilitate, & imprimitur, & obliteratur; modo instar terræ solidius, ut in senibus difficillimè imprimitur; modo denique instar Ceræ mollius, ut in iuuenibus impressa seruat vestigia. Unde Philosophus lib. de memoria conficit, nec pueros, quod mobiliores sint; nec senes, quod tardiores, optimè imaginari; sed juuenes, quod medium motus, quietisque statum obtineant. Sic pro diuersitate locorum, calidæ v.g frigidæ, aut temperatæ regionis, cerebrum modo magis, modo minus moueri aptum, maiorem reddit, aut minorem imaginandi virtutem. Sic denique pro diuersitate Personarum diuersa est in viris, & mulieribus imaginandi vis: quod enim illæ medii cerebri fibræ, molliores sint in mulieribus, quam in viris; idcirco mulieres facilius imaginari possunt, quam viri.

Secundò, quia spiritus etiam diuersi sunt propter diuersum sanguinem, cuius sunt vapores: sanguis autem ipse diuersus est, cum propter diuersum cibum, potumque, unde nascitur; tum propter diuersum aerem, quo in pulmonibus refrigeratur; tum etiam propter diuersum cordis, quo sanguis rarescit motum. Hinc etiam fit, ut in diversis populis diuersæ fiant imaginandi rationes.

Postremò diuersa quoque est medii cerebri, & spirituum complexio, non fieri potest, ut spiritus communiter in eo medio cerebro pares, aut impares, idque infinitis prope modis, in ipsum medium cerebrum incurrant: unde infinita propemodum nascuntur imaginationis genera, & pariter infinita discrimina affectionum. Si enim major fuerit in homine copia spirituum incurrentium, audax erit homo, & facile aggredietur; si minor ignavus, & ad fugam propensus. Similiter si horum spirituum partes æquales fuerint magnitudine, figura, & motu, homo erit constans, si verò inæquales, inconstans.

Mira autem est Phantasiæ efficientia, & huius in matre tanta est virtus, ut fœtus in illius utero contentus varias, pro varia matris imaginatione, & animo, & corpore induat formas: quod nimirum gemini fœtus, matrisque corpora naturali quadam necessitudine inter se ita coniunguntur, ut eorumdem partes sibi invicem respondeant, unisque propterea commotis, aliæ commoveantur; cum hoc discrimine, quod teneriores fœtus partes lædi possint in commotionibus, in quibus similes matris partes, utpote duriores non læduntur. Hinc admonentur matres ut quoties vehementiori imaginatione sese commoveri sentiunt, toties manu admota, brachium, latus, aliamve hujusmodi partem, à vultu diversam vellicent, ut videlicet vultus infantis, spiritibus aliò deturbatis insolitis non deformetur notis.

Quartus tandem sensus internus estimatiua nuncupatur, cujus munus est de speciebus judicium ferre, unde in Brutis sensum hunc internum, sicuti nec priorem accuratiores Philosophi non recognoscunt.

Ad sensum internū tamquam affectiones ejus referuntur somnus, vigilia, & somnium. Circa somni naturam non fuit apud Priscos una omnium mens. Anaxagoras enim opinabatur in defatiscentia somnum consistere. Empedocles verò, & Parmenides refrigerationem esse propugnabant. Democritus verò spiritus indigentiam appellat. Sed quamà vero hi omnes recidant, inde constat, quod defeti-

scentia

scentia potius contraria est somno, cum ipsum tollat. Secundò, quia, ut optimè Tertulianus scribit. *Somno potius corpora concalescunt; & dispensatio ciborum per somnum, non facilè procederet calore properabili, & rigore tardabili, si somno refrigeraremur*. Superest ergo, ut dicamus, quod sit *sensuum omnium externorum naturalis ab opere cessatio instituta ad animalis quietem, & salutem, ortus ex defectu spirituum, ut operationes animales exerceantur*. Huic descriptioni adhærere Tertullianum manifestè constat (quamvis cum Stoicis resolutionem esse sensu.lis vigoris sentiat (dum somnum *tam aptum, tam necessarium esse affirmet, ut absque illo nulla anima sufficiat, recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum esse affirmet*.

Super causa somni verò incerta, & suspecta scripserunt hactenus Philosophi; imo ab ullo mortalium vix meliora expectari possunt, cum natura, & modus influendi spirituum accuratior omnes lateat. Qui tamen spiritus substantiam summè mobilem, & elasticam supponunt, probabiliter dicunt, somnum introduci, dum eorumdem impetus, ac tendentia infringitur, atque obtunditur; quod magis inclaresceret, si causas somni evidentes frequentiores ponderemus; utpotè quas junctas vim fluidum mobilius, & magis activum compescendi habere palam est.

Evadimus autem primò somnolenti mox à pastu, non quod recens, & mustaceus Chylus, vel mole, vel cruditate sua spiritus animales supprimat, horumque alacritatem obtundat; quatenus chylificatione vix inchoata, adeoque chylo non dum distributo, & cerebro suffusso somnolentia hæc corripit; sed quod ingestorum substantia maximè solubilis fero ventriculi mox connubens, cum hoc cerebrum alluat, & oleoginositate, seu lentore suo spiritus in eodem undulantes invischet, donec crassior chyli substantia affluens eosdem magis irretiat. Neque improbabile est, potulenta quovis pastu uberius, parciusque hausta, quatenus ventriculum citius elabuntur, & per totum corpus cum sanguine efferuntur, somni primunas formare, & aquositate sua ad nimium elateri spirituum moram nectere. Nec minus ad somnum disponunt inedia diuturnior, atque evacuationes nimiæ, quævis v. gr. diarhæa, sudores, non tam, quando actu contingunt, sic enim quietem potius turbant; sed quando cessarunt: item animi, & corporis labores. Præstant autem illud cuncta hæc, vel dum spirituum animalium aculæns refringunt, illos consumunt, ac inertes reddunt, vel dum pabulum, atque materiam eis subtrahunt, sicque eos ad quietem extraordinariam disponunt. Spectant huc animi, & corporis labores, activitatem spirituum insigniter infringentes.

Sensibilium quoque externorum defectus, aut eorum à sensoriis omnimoda remotio torpori, ac desidiæ eorum occasioni existit; itaut nocte multa, ubi nec oculos, nec aures, nec reliqua organa facilè aliquid sensibilis ferit, sopor citius, quam interdiu obrepat: quatenus ab illis illorum fibrillæ nerveæ, aut spiritus haud perculsi, aut ad retrogradum motum incitati subsident, & feriantes, reliquos circa primum sensorium undulantes minus exagitant. Par ratio est, si unico tantum sensorio sensile gratum, ac suave offeratur, & hoc cum summa attentione observetur v. gr. aquarum lenia murmura, musica, fictiones blandæ: spiritus siquidem sensorii communis ab unius tantum organi vibratione minus commoventur; unico verò huic objecto, v. gr. audibili blando, nimis attentè inhærens phantasia facit, ut ejus, quod adhuc extra nos est, nulla amplius in organo perceptio fiat, hocque pariter obtorpescat. Peculiari prærogativa hoc in passu gaudent oculi, utpotè, quorum fixior, ac diuturnior obtutus non adeò facile somnum procreat, seu admittit, sed eundem potius arcet: dum lux tamquam illorum objectum & sensibilium omnium magis activum spiritus animales majore impetu percellit quam reliqua singula.

Somno vigilia accedit, hæcque est secundum plures solutio sensuum externorum, ut operationes animales exerceantur. Somnium tandem est Phantasma, seu Simulacrum exhibitum per sensum internum iis, qui somno sopiti sunt, siquidem in Brutis somnia fieri certum est, sicuti certum somniis humanis admisceri operationes intellectus, quia nostra somnia verè esse somnia dormiendo suspicamur, quæ reflexio videtur esse ab intellectu. Adde, quod sæpè dormiendo ratiocinamur, & quidem dormientes carmina composuerunt. An autem in somniis aliqua sit veritas, Epicuri sententia est negativa *vana in totum*, ut Tertulliani utar phrasi *somnia judicantis*. Affirmativa est eiusdem Tertulliani propugnantis aliquando visionem in somno conceptam fidelem fuisse, quod eruditè firmat, nedum Romanorum exemplo, qui de somnio *Julium octavum adhuc puerulum, & privatum loci, norunt Augustum, & civilium turbinum sepultorem*, & Seleuci Asiæ regnantis, cui Regnum mater nondum tum enixa prævidit, verum etiam ex quamplurimis aliis loco allegato videndis.

Dividitur autem somnium in divinum, demoniacum, naturale, & animale. Divinum dicitur illud, quod à Deo, vel immediatè, vel per Angelos excitatur. Demoniacum est illud, quod fit à demone, qui permittente Deo potest commovere immaginationes, phantasmata, & varia effingere simulacra. Naturale verò illud est, quod ex proprio cujusque temperamento, & affectione corporis, humorumque abundantia, & agitatione oritur, unde malencolici tristia somniant, ut fuoera, tenebras, sanguinei jucunda. Animale tandem dicitur illud, quod est de rebus, circa quas interdiù occupati fuimus.

Post internos autem sensus, externi breviter explicandi sunt, & ab oculo incipiendo huius prius lustrandæ sunt Palpebræ à palpitando dictæ, quod palpitando scilicet super moveantur: assiduè enim concurrunt, ut assiduo motu reficiant obtutum. Alio nomine Cilia à celando, quod oculum tegant, ac celent tuta Custodia. Sunt autem palpebræ, seu Cilia oculorum velamenta. Constituuntur illæ ex cute communiter; sed quam nulla pinguedo stipat. Interiore facie pericranio succinguntur; exterius Cuti membrana subditur verè carnosa, quippè cui musculi duo palpebrarum claudentes inferuntur. Singulatis quidam musculus attollit palpebram superiorem, qui circa foramen nervi optici intra orbitam exortus tendinoso fine in palpebræ marginem desinit. Extremis illarum cartilagines inducuntur, quas Greci vocant Tharsos, Latini Cilia, ad palpebrarum tum stabilem extensionem, tum exactam commissiunem comparata. Munitæ sunt palpebræ pilis contra occursum volitantium per aerem corpusculorum, aut ut inductis hac ratione leviter umbris intuitus luminosorum perfectior euadat. Item habent palpebræ pilos non omnino rectos, sed in extremitatibus mediocriter reflexos, ut aptius

us se clauderent; &, si quod impedimentum oc curreret, fortius efficaciusque obuiarent. Determinavit quoque natura his pilis in crescendo quantitatem: non enim crescunt, ut Capitis pili, seu capilli, sed suam determinatam seruant proportionem, Imo natura palpebras, ad hoc ut pilos crescentes duriores faceret, ac reflecteret, non molles, aut porosas fecit, sed potius duras, magisque solidas. Efformant preterea angulos duos, quos veteres *Canthos* nominarunt, minorem unum, eumque externum, maiorem alterum; qui internus est in quo recumbit. Caruncula spongiosa, & mollis meatum subiecti ossis, qui ad nares pertingit operies, ut fluxum lacrymarum per eas inpediat. Obseruatu dignum est, quod scribit Aristoteles: quod omne animal quadrupes claudit oculum per palpebram superiorem, omnis vero Avis claudit oculum per palpebram (siue telam quandam appropriatam) inferiorem, animalia verò, quæ palpebris omnino carent, veluti lepores, pisces, sunt debilis visus. Est igitur officium palpebrarum oculum claudere, obuelare & aperire pro necessitate, eumque ab omnibus externis incommodis, atque advenientibus iniuriis munire. Ad oculorum, & frontis confinia supercilia producta sunt, arcus crassiore cure præmunitus, pilisque, pro feris, hisutus; non tam formæ lenocinio, umbræque sufficiendæ gratia, quam, ut defluentem per frontem sudorem ab oculis submoveret.

Inter has palpebras, siue Cilia reconditus est in Cavitate capitis oculus figuræ rotundæ, utpote tam ad motum aptioris, quam ad imaginum visibilium receptionem commodioris. Hæc figura tamen non est perfectè rotunda, sed instar Bulbi capacei è caule, vel pruni pumive alicuius è stylo procrescentis: sicutque pomum aliquod è stylo nascitur, sic oculus è duobus nervis tanquam Pedum cutis stilisque in cavernam suam proserpit. Horum neruorum unus dicitur Animasticus, communis, estque minor, alter ab officio opticus, & maior est.

Prior, Animasticus scilicet, è Cerebro per ossis ocularis magnum, & obliquum foramen inspiciend directè oppositum egressus, musculos oculi dispersis ramulis ingreditur, eosque primum constituit, in tendines, atque tenues membranas desinentes, quibus ipsam oculi tunicam consolidatiuam mordicus apprehendit, non tantum à tergo vndiquaquè circa neruum alterum, nempe opticum explicatus, sed etiam in anteriora proreptando usque ad ipsum oculi solem, siue Iridem, atque adeo Tunicæ Corneæ ambitum, in quem aut omnino desinit, aut potius coalescit; ut omnem corneam tunicam tenui, continuoque amiculo super integat.

Alter neruus, opticus, siue visorius dictus, ex quo interior oculi substantia tanquam nucleus è caule pronascitur, immediatè ex Cerebro, tanquam communi sentiendi principio deriuatur, & constat duabus Meningibus, dura scilicet, & pia matre, ac ipsa Cerebri medulla, unde per angustos Caluariæ, siue Cranii meatus intra frontis, & nasi promontorium tereti Canali descendens, tandem ex latere eiusdem nasi, haud procul à foramine nerui Animastici per propriam, atque rotundam cauam erumpit, ac in diuersas tunicas sese explicat. Licèt verò uterque neruus opticus utriusque oculi in uno foramine concurrant, non tamen hoc ita contingit, ut in unam substantiam coalescant, ut aliqui voluerunt, sed solùm, ut se mutuo contingant: imò in aliquibus hominibus omnino disiuncti sunt duo hi nervi, nec uniuntur quidem, uti experimento Anatomico compertum fuit. Multò minus verum est, quod docuit nonnemo, duos neruos opticos duorum oculorum in loco unionis dicto intersecare se decussatim, itaut permutato situ neruus dexter pergat ad oculum sinistrum, & sinister ad dextrum: nam oculi anatomia contrarium luculenter demonstrat. Diximus supra neruum Animasticum oculi musculos ingredi, atque constituere, de his igitur quoque jam dicendum est. Est ergò musculorum officium motum aptum quaquauersus oculo conciliare. Numerus horum anceps est in homine: aliqui concedunt sex, alii septem, alii ultra septem, quod ultimum minus possibile videtur. Sex autem, utpote magis notos placet exponere. E sex musculis, qui in hominis præsertim sese efferunt, recti sunt quatuor, duo verò obliqui. Rectorum equalis ferè magnitudo, & crassities, ducunt principium ab orbitæ sinu interno circa foramen amplum siuè oblungum, quod neruum opticum admittit, & sub adunata tunica ad corneam usque tendinibus suis feruntur. Horum primus occulum attollit, ideoque superbi nomine denotatur; alter, situ oppositus, deponit oculum, vocaturque *humilis*, quoniam modestiæ, & submissionis speciem motu suo exprimit: tertius oculum ad angulum palpebræ internum adducit, vocaturque B.bitorius, quia potum haurientes aciem oculorum ad poculum conuertere videntur: quartus adducit oculum ad angulum palpebræ externum, vocaturque *indignatorius*, quia suo motu trucem aspectum iracundorum hominem exprimit.

Obliquorum musculorum sunt duo, qui & *Amatorii* dicuntur, ob, nescio quas emissitias amoris illecebras. Horum, qui minor, situque inferior, qua parte primum maxillæ, os quarto infra orbitam jungitur, exortus versus externum palpebræ angulum obliquè sursum ascendit, breuique tendine ad Iridem propagatur, oculumque deorsum aliquando versus externum angulum conuertit. Alter obliquorum maior, & longior, situque superior, commune cum tertio rectorum principium sortitus iuxta internum oculi angulum tenui corpore trochleam ingreditur cartilagineam: hinc deinde obliqu[illegible] per oculi superiora progressus juxta finem [illegible] obliqui inferioris musculi terminatur, & [illegible] angulum internum oculum circumuoluit, & ob [illegible] bur trochleæ suæ, eundè oculum in visibilium rerum obtutu figit.

Ex nervo altero, puta optico, tunicæ oculi propagantur. Nimirum, extrema pars nerui optici, quæ à dura matre deducitur, & firmior & se se in tunicam extendit, quæ longe crassior, & firmior ipso neruo, ac solum oculum circundat, appellaturque Sclerotes, siue Sclerutica, hoc est dura, & consolidatiua, quia cæteris durior totum oculum consolidat & in figura sua conseruat; estque opaca sui portione posteriore, ubi propriè huc nomine Sclerotica dicitur; perspicua verò anteriore, ubi cornea vocatur, & ut communiter plerique Anatomici obseruarunt, ex ea parte aliquantulum protuberat. Vocatur autem Cornea, quod instar tersæ politæque alicuius bracteolæ corneæ sit pellucida, ut per eam species, & lumen tanquam per fenestram aliquam, in oculum deducantur.

Supra Tunicam Scleroticam existit alia Tunica Alba, quæ vulgò vocatur *Adnata*, *Alba*, *Adharens*, *coniunctiua*, aliquæ similibus nominibus: ac porrigitur hæc tunica à pericranio, & supra Scleroticam tantum protenditur, nec ultra supra Corneam excurrit, licèt alias totum oculum induat, eundemque


que

que alliget, & firmet, ut in sua cavitate contineatur. Valde etiam ab insigni albedine se conspicuam exterius reddit. Constat præterea venis, & arteriis: illis à jugularibus, his verò à Carotidibus productis: item musculis, glandulis, & pinguedine obvoluitur, ut oculus benigno quodam humore ad motum facilè promptus esset; unde hæc adnata motui valdè conducit.

Ea deinde nervi optici pars, quæ è molliori meninge, sive pia matre constat, ac intra jam dictam extimam duræ matris sobolem, partem nempe solidiorem nervi optici continetur, producit aliam tunicam longe subtiliorem, quæ vocatur Choroides, quia Chorii instar venulis non paucis prædita conspicitur. Appellatur etiam implexa, eo quod fibris quibusdam, & radicibus ipsi Sclerotidi implicatur. Est autem hæc tunica tota opaca, ut objecti visibilis imago, veluti circumfusis umbris vigescens ad interiorem oculi cameram illibata magis forma pertingeret. Eadem superficie concava evidenti aliquo colore imbuta est; & convexam Retinæ Tunicæ superficiem optimè adæquat, ne ulterius species progredi possint, sed retundantur, vel quasi sepeliantur. Hæc etiam inter principales tunicas, & secundum continuationis modum spretatas numeratur, quia totum ferè oculum interius sclerotide, & cornea circundat.

Distinguitur in Anticam, & Posticam. Postica propriè Choroides appellatur, ac Sclerotidi immediatè subjacet. Antica verò, ubi Sclerotes ferè in Corneam transit, ab illa separatur, ac sic separata introrsum pergit, & in planitiem quandam vergit cum patenti in medio foramine, quod pupillam dicunt, per quam species, & lumen transmittitur. Ex hac Antica parte Uvea vocatur, quia concava, & interiori opacitate tota nigra apparet instar uvæ nigræ; exteriori verò, & connexa facie, qua sub cornea propagatur, diversicolor existit, & ob colorum varietatem vocatur Iris, Corona, Orbiculus, Sol.

Pupilla autem id foramen in medio ideò dicitur quod ibi pupula ex radiis in superficie oculi repercussis inspicienti appareat. Pupilla in homine semper exactè rotunda est: potest tamen, instar loculorum, nunc arctari, nunc dilatari, ut minor modo, aut major evadat, prout ingredientium visibilium simulachrorum, vel lucis vigor, aut debilitas requirit, vel major, minorque copia ad perspicuam visionem requiritur. In aliis tamen animalibus non est exactè semper rotunda, sed in aliquibus oblunga, uti facili experimento in felibus domesticis aliquando rotunda, aliquando oblunga, ac omninò in centicularem formam acuminosa, ac veluti in lineam erecta cernitur à parte medullari intra nervum opticum contenta, & duabus prioribus tanquam canalibus inclusa, propagatur alia tunica posteriore parte vocata Retina, quæ, tunicæ Choroidi ubique contigua, processibus ciliaribus commissa est. Et quia nonnihil varietatis habet ex innumeris venulis ipsam pertemptantibus; nomen Retinæ accepit, reticularis, aut retiformis, quod projecta in aquas reticulum æmuletur. Alio etiam nomine dicitur Amphiblestroides, estque mollis, mucosaque substantia, neque omninò opaca, neque omninò diaphana, sed subalba; opacatur tamen à Choroide ipso à tergo adhærente, ac per modum plumbi vitro subjecti ipsum terminantis, ita ejus semidiaphaneitas sistitur à Choroide à tergo subjecta.

Ab anteriore parte, paulò infra Uvam à Choroide discedit, & introrsum vergit in medio amplectens humorem crystallinum, eumque continens, vocaturque ob tenuitatem suam Aranea, quod dilicatissima sit instar aranearum telæ; appellatur ab aliis etiam Arachnoides, item Ciliaris, eo quod contexta sit ex radiosis fibris nigris, quæ pilis ciliaribus haud dissimiles sunt. Vocatur etiam *Processus Ciliares*, quod à communi corneæ, atque Sclerodis confinio introrsum versus humorem crystallinum procedat, vel ab hoc versus Choroidem quodammodò procedat. Aranea autem hunc in finem à natura formata est, ut medium circum circa arreptum humorem crystallinum in suo centro firmiter suspensum teneat, & densitate nativa, opacitate, atque pectinibus, fibrisque, seu corona radiosa speciebus, ac luci haud necessariæ transitum negat; humorem autem aqueum, interjecto quasi diaphragmate, nec ulterius in oculum perfluat, à vitreo secernat. Vim etiam habet ope processuum cilarium crystallinum humorem, vel propiùs, vel remotius à Retina movendi, eumque, ut & totum oculum magis, aut minus connexum reddendi, prout distantia major, aut minor ad perfectam sensationem requiritur. Præter jam assignatas tunicas, alia tunicella, ab auctoribus Hyaloides nomine proponitur; hæcque, inter Araneam, & Retinam collocata, humorem vitreum tenui amiculo investit, circundat, & continet, totaque pellucida, & prospicua est, neque ab ipso humore vitreo in pelluciditate discernitur. Causa est, quod à multis negligatur, & tamquam minus considerabilis retineatur.

Ex dictis facile patet, quomodo intelligendi sint auctores, qui tres tantum tunicas oculo tribuunt. Loquuntur enim de Tunicis principalibus, & totalibus secundum continuationis modū spectatis. Sic consolidativa intelligitur constare ex alba, & cornea. Secunda ex Uvea, & choroide. Tertia ex Retina una cum *Aranea*, & *Hyaloide*; nam ex ea has enasci inde cognoscitur, quod rensoformis ad pectines istos omninò continuata sit. At si partiales spectentur tunicæ, septem numero sunt, uti constat; quæ omnes etiam, præter sclerodem, Uveam, & choroidem, diaphanæ: ultra mediocritatem corneat minus reticularis, quæ subalba est, nec perfectæ diaphana.

Tunicis includuntur humores, qui in quovis oculo differentes tres observantur, aqueus scilicet, sive Albugineus, Crystallinus, qui, & glacialis, & grandinosus dicitur, ac vitreus. Pellucidi sunt omnes ut rerum visibilium ideas accuratius valeant transmittere, & exprimere, maximè tamen Crystallinus. Nam vitreus sic dicitur, quod vitrum aliquantulum imitetur: *Aqueus* vero, seù *Albugineus*, quod aquam sive ovi albumen.

Humor aqueus continetur cornea, vueà, processibus ciliaribus, & Aranea confinibus, illarumque figuras internas induit. Hinc anteriore parte convexus est, secundum Corneam; posteriore concavus, secundum humoris crystallini eminentiam. Præ reliquis tamen duobus est magis fluidus, & tenuis. Creditur generari cum fontibus animalis, dum in anteriore parte concrescunt. Reparari potest, si vulnere evacuetur.

Humor cristallinus continetur fibrosa membrana & intra processus ciliares. Est instar gemmæ glacialis purissimus, & maxime pellucidus; viscosus insuper, & Ceræ colliquescentis more consistens: unde propriè non est humor, sed veluti glacies, aut gemmea substantia, solidus, & diaphanus; cumque

ex

ex tenuissima sua vesciculi extrahitur, oprimè tersus, politus, & lubricus est: sensim autem dum indurescit, fit scaber, atq; friabilis; figurâ etiā gibbosā perdit ex una parte, atq; instar lapidis cancrini in medio contra hitur, & in cauum subsidit: uti in oculi vitulini humore crystallino excocto, & indurato experiri licet. Figura illius in homine est lenticularis, composita ex duabus portionibus diuersarum inæqualium sphærarum: tam anterior pars est portio majoris sphæræ, ac proinde planior, minusque torquens, aut curua; posterior autem minoris sphæræ, indeque gibbosior. Ita communiter Anatomici Alii tamen volunt partem anteriorem, qua pupillam spectat, esse globosiorem: posteriorem, qua in vitrei sinu recumbit, planiorem: sed haud verum idest, uti experientiæ Anatomicæ reclamant. Hoc tamen verum est, humorem istum non in omnibus hominibus, neque in omnibus eiusdem hominis ætatibus eandem, & habere, & retinere figuram: nam in aliquibus est magis rotundus, in aliquibus minus: in ætate integra est turgidus, in fracta quasi planus. Figuram illius optimè constituram sequitur bonitas, & acumen visus, minus verò ordinatam, ac impioportionatam, siue per defectum, ut contingit in Presbytis, quibus planior est humor, siue per excessum, ut in myopibus, queis justo globosior, vitium in videndi potentia prouenit.

Humor vitreus, in propria tenuissima tunicella contentus, reliquam oculi cauitatem a Crystallino intra Araneam, & Retinam occupat. Reliquis humoribus copiosior est vitroque suso non minus substantiæ modo, quam nitore similis, minus etiam fluidus est, & magis corpulentus respectu aquei, minus verò solidus, & magis fluidus respectu Crystallini. Figura conuexo cauus est. Cauitate humori Crystallino se conformat, connexitate Retinam, cui insidet, adæquat.

His positis inquirendæ essent hic causæ physicæ compositionis variarum oculi partium. Sed ab his referendis supersedeo. Videri enim possunt apud quamplures Anatomicos, & Philosophos, qui magis difusè de externis sensibus materiam Typis ediderunt. Hoc unum aduertere sufficiat Geminationis oculorum causam non esse, ut uno læso, alter queat esse officio, sed ut melior, & perfectior visio habeatur: quippe si unus esset oculus, longè pauciora intueretur visibilia, & manca, ac imperfecta redderetur visio Potissimum dari sunt singulis animantibus bini oculi, ut exactius visibilium distantias & rerum loca designare queant Sunt verò bini oculi valde congruo interuallo à se dissparati. Si enim intermedium hoc spatium majus esset, visibilia ipsis proxima non viderentur, si minus diminuta redderetur eorum visio, quæ à lateribus sunt. Est verò in homine interstitium hoc minimum: nam cum ad exactum obtutum, & animi attentionem mirè prosit oculorum nasum versus contractio, ut ea facilior homini esset, minimam ei oculorum intercapedinem natura attribuit; maximam autem belluis, illisque potissimum, quæ non solent valde visum in res acriter intendere, ut equis, Bobus, & ovibus, contra verò quæ animantia attentius res obiectas assueverunt contemplari, ut simiæ, Canes feles, his etiam pro corporum suorum mole minus concessum est oculorum interuallum.

In qua autem ex tot partibus fiat visio sub iudice lis est, & licet aliqui stent pro Choroide, ea potissimum ratione, quod piæ matris quædam ea sit productio, in qua sistuntur species, quæ per ipsam Retinam transparentem traiiciuntur; communis tamen sententia visionem fieri In Retina propugnat, tamquam in subiecto immediato, aut organo formali eius Non enim parum favet experimentum quoddam mihi explicatum à viro quodam insigni in eo consistens, quod si oculus bovinus, aut similis, parte sua postica sclerotide, & Choroide exutus, ut Retina tantum supra vitreum humorem expansa relinquatur, foramini Cameræ obscure, aut tubo conuenienti adaptetur, species in eadem Retina, pariter ac in Charta alba, post vitrum lenticulare suspensa, conspiciuntur. Id autem, ut magis constet, obseruandum est tunicam retiformem nihil aliud esse, quam expansionem, seu texturam substantiæ medullaris, aut fibrosæ nerui optici, unde albida conspicitur, levemque rubedinem intertextam habet, ut incarnati ferè coloris videatur: Proindeque animalibus spiritibus abundat illa præceteris. Vt igitur sine spiritu animali nulla elicitur sensatio, ita maximè in illa oculi parte sensatio visus celebrari dicenda est, quæ huiusmodi spiritus participat: supra reliquas, & ad quam maximè vegeti ex Cerebro aptioresque ea de causa ad visionem illi confluunt. Quo autem pacto fiat visio non unica est omnium mens Platonici volebant fieri per extromissionem radiorum visualium in rem visam. Hujus sententiæ rationes præcipuè plures erant. Ex præcipuis tamen prima est, quod non ob aliam causam videtur natura oculis igneum lumen accendisse. Secunda est, quia nulla ratio afferri potest, cur is, qui nebuloso aere circumfusus est, proximam nebulam non videat, distantem videat; nisi quia radii visorii, cum primum ex oculis emicant, fortiores sunt, sicque vicinum nebulam penetrant, longius verò progressi languescunt; nec jam perrumpere nebulam valent; atque ita ex ea, quasi ex opaco corpore, ad oculos regrediuntur. Tertia est, quia res imposita pupillæ non videtur, & id propterea accidit, quia radius impeditur, quominus extra se se effundat: igitur visio fit emissis radiis. Denique argumentum pro Platonicis petitur, ab illis brutorum speciebus, v. g. Leone, Fele, Talpa, Mure, Noctua, imo humanis quoque nonnullis indiuiduis; quorum oculi noctu, ac in tenebris æque, imò accuratius, ac interdiù, obiecta visibilia dignoscunt, ac percipiunt: quod factu impossibile ajunt, nisi lux quædam ab his emanans objecta illustraret, ac conspicua redderet. Sed nihilominus hæc sententia absoleuit, quia impossibile est ex oculis tantam posse spirituum copiam effluere, ut isti ad cœlum usque pertingant, & per totum aerem diffundantur absque eo, quod exhauriantur.

Cartesiani verò communiter Philoponi, & simplicii sequentes sententiam volunt visionem fieri per hoc, quod ex sole, aliisque corporibus lucidis corpuscula tenuissima effluant, & usque ad oculum preveniant, quæ cum feriunt, producunt lucem, colorem, & speciem formalem in oculo; aut Cerebro, necnon visionem, quæ sensatio est, & perceptio eiusmodi lucis, coloris, & speciei. Rationes, unde hæc sententia suam probabilitatem desumit, plures sunt, ex quibus prima est, quia excellens visibile visum lædit; hoc autem non contingeret, si obiectum in visum non ageret. Secundò constat experientia earum rerum, quæ positæ in luce videantur è tenebris, positæ in tenebris non videatur ex luce, eum nisi admittamus in priori statu peruenire quippiam ex ipsis rebus ad oculos, non pervenire in posteriore, discriminis ratio nulla reddi potest. Tertiò constat experientia eius lucis, quæ per duo foramina parietum è regione posita sic transmittitur,

ut

ut oculus intra cubiculum occluſum, & tenebroſum exiſtens, ipſam non conſpiciat, cuius rei alia ratio non eſt, niſi quia nihil lucis ad oculum pervenit. Quartò, quia obiectum uniri debet facultati videnti; & quandoquidem ei non unitur per ſe ipſum nec per aliquid à facultate immiſſum debet uniri per ſpeciem ſui vicariam, quæ adeo continenter effluit à corporibus.

Peripatetici verò volunt viſionem fieri per receptionem ſpecierum, quæ ſint accidentia corporea, & materialia, quas ſpecies tamen nolunt eſſe aliquid de rebus dereptum, quaſi quippiam rebus deperear, ſed earum eductionem fieri preſentibus obiectis ex medii vicini potentia, & propagari eductione ſimili per ſuccedens medium uſque ad oculum, & volunt ens eſſe. Rationes, cur ponant iſtas ſpecies plures ſunt. Ex pluribus potiſſima eſt, quia quandoqumque facultas v. g. viſus eſt indifferens ad hoc, vel illud, album, vel nigrum, debet determinari ad unum potius, quam ad aliud per ali quod ſupperadditum; ſed illud ſupperadditum eſt ſpecies obiecti vicaria: ſepe enim obiectum diſtantiſſimum eſt; ergò.

Epicurei verò volunt viſionem fieri per incurrentes ſpecies corporeas, ſeu idola corporea, quæ ſint effluxiones quædã ex intimis corporibus auolantiũ continuo atomorum. Hac autem nituntur ratione, quod nempe obiectum debet vniri facultati videnti, & quandoquidem ei non unitur per ſe ipſum, nec per aliquod à facultate immiſſum, debet vniri per ſpeciem ſui vicariam, quæ adeo continenter effluit à corporibus. Deinde ſæpe contingit, ut ſenes melius aliqua percipiant objecta aliquantulum remota, quia nempè ob diſtantiam obiecti ſpecies euadunt tenuiores, eorumque viſui magis commenſurantur.

## CAPUT SECUNDUM.

*In quo agitur de iis, quæ ſpectant ad potentiam auditiuam.*

POſt oculi ſtructuram breuiter inſinuatam. Auris altera explicanda eſt, ſimulque modus exhibendus, quo apud Recentiores auditio habeatur. Auris itaque ea eſt capitis pars, qua accipitur ſonus. Diuiditur in externam, & internam. Auris externa in capite prominet, & ſpheram exhibet inæqualem, vanno haud abſimilis, & aliàs dicitur *Auricula*. Habet hæc præter partes cum toto communes, muſculos, glandulas, cartilaginem, & vaſa. Eius *Muſculorum* primus, & communis proceſſus quidam muſculi quadrati eſt, qui auris radici ſub lobo inferiore implantatur: alter ex propriis anterior, atque ſuperior à termino muſculi frontis ſuper temporalem deſcendit, & paulatim anguſtior factus, ſupremæ auris parti inſeritur: tertius, paulò ſupra oſſis temporum proceſſum mamillarem, ob occipitio, eiuſq; muſculis emergit; & in tres quaſi tẽdines abiens radicem cartilagines ingreditur: Quartus ab ipſo mammillari proceſſu triplici pariter inſertione ad auris poſteriora fertur. Glandulæ aurium, Parotides appellatæ, diverſæ ſunt, non tantum pone aures, verum etiam ſubiiſdem, & in anteriore parte ſitæ, quarum notabiliores ſunt anticæ duæ, ſibi invicem ferè ſuperincumbentes, altera quidem conglobata, altera conglomerata: ita tamen, ut hæc per uas ſalivare, quod per buccas ad os hiat, ſatis celebris ſit. Cartilago, quæ in homine eſt immobilis, ſuperiorem, atque ampliorem auriculæ partem conſtituens hanc expanſam, patulamque ſuſtinet, ac oſſi petroſo per ligamentum validum adnaritur. Vaſa, quod concernit arteriis, atque venis potitur à carotidum, & iugularium externo ramo, neruis verò, à ſecundo Cervicali, & nerui auditorii proceſſu duriora.

Interna vero Auris, ſeù, quæ intra oſſis petroſi ſinus latet principium ſuum habet, vbi os excauari incipit, & in quatuor cauitates diſtinguitur. Harum prior *antrum*, ſeu meatus auditorius appellatur, & quod ſpeciebus audibilibus primum concedat aditum, ipſique limites ponit membrana tympani pellucida, atque tenuiſſima, quam à nerui auditorii mollioris ſubſtantia prodire probabile eſt. Altera, quæ membranæ huic ſubeſt, cauitas ab aliis Cochlea, & ab aliis Tympanum vocatur, & hoc quidem non tam formæ, quam uſus ratione. In qua conſideranda ſunt, neruulus, oſſicula, muſculi, & foramina. Neruulus à ſeptimæ coniugationis ramo progreditur, quam Chordam plurimi appellant, vel propter formam, vel propter ſitum, quatenus membranæ Tympani eadem fere ratione ſubſtenditur; ac membranæ inſtrumenti militaris fundum claudenti. Chorda ſubtendi ſolet. Oſſiculorum tria obſeruantur, quibus membrana tympani innititur; quorum unum incudis, pediculis duobus inſiſtentis, alterum malleoli, tertium ſtapedæ, uti loquuntur, figuram referre videtur. Quarrum addit Syluius ſe. Orbiculare, quod ſtaperi, quæ incudi committitur, per tenue ligamentum annectitur. Notant autem Anatomici in Piſcibus, nec oſſicula illa, nec tympanum, nec iter tortuoſum, imò in pleriſque, nec antrum deprehendi: ex quo coniicere licet, nullam ex prædictis partibus proprium eſſe auditus organum. Audiunt enim piſces, quamvis muti. Muſculorum duos obſervamus externum ſcilicet, & internum; quorum ille in ſuperiore meatus auditorii regione conſtitutus non ex vulgari ſententia, ad malleum excurrit (intercedit enim tympani membrana) ſed ad membranæ dictæ centrum illam ejus partem externam, cui malleus intus adhæreſcit, terminatur. Internus inferiori oſſis petroſi parti quæ os ſphænoides reſpicit, altius immergitur, unde per peculiarem canalem ad tympani centrum aſcendit, ac tendine ſuo tenuiſſimo mallei proceſſui minori inſeritur. *Foraminum* tympani *primum* eſt, quod feneſtram ovalem appellant, & per quod ad primum labyrinthi annulum via patet. Alterum rotundum magis, unde etiam nomen habet, propè exitum labyrinthi, quo in cochleam tendit, excavatur. Tertium denique foramen tympani dictum ab inferiore illius parte per os ſphoenoidis, & latera proceſſuum pterygoidæorum; in palatum aperitur, ac cartilagine ſuccinctum Fallopii aquæ ductum conſtituit, per quem ſeri aliqua portio ab auribus ad fauces defertur. Tertia auris cavitas labyrinthus appellatur, & ex tribus annullis oſſeis communi cavitate fruentibus conſtat, in quos per foramen tympani primum ſono exteriori aditus conceditur Quarta, & ultima Cochlea eſt, quæ quoque ex ſpiris tribus ad modum teſtæ cochleæ formatur, ubi ſono adaucto, & concentrato aeris motus nervum auditorium mollem per foramen tympani ſecundum percellit.

In quo autem phyſicè ſonus conſiſtat non unica eſt ſententia. Plauſibilis tamen illorum eſt, qui diſtinguentes ſonum ex parte corporis ſonori, & ex parte auditus, primum volunt eſſe motum taliter modificatum, ut ex illo reſultent vibrationes frequen-

quentissimæ plurium exiguarum partium dispersarum in corpore, à quo sonus proficiscitur, vel est motus, ex quo resultat tremor propriè dictus in corpore, cui ipse inest. Sic Campana v. gr. percussa prius malleo, concipit vibrationes in suis partibus, sine quibus non est sonus. Chorda etiam prius adducta, dum reducitur, concipit similiter vibrationes, tum secundum se totam, tum in exiguis suis partibus. Pariter, dum fistula sonum edit, aer intrusus tremores efficit in ipsa; sicuti etiam in tuba. Hinc numquam percipitur sonus, nisi corpus sit aptum eoldem tremores. Hinc toties editur sonus, quoties fiunt prædicti tremores.

Ex parte verò auditus volunt esse eundem motum, cum tremore propagatum ad ipsam aurem. Motus autem corporum sonorum, cum aures nostras non immediatè feriat, sed aer, dumtaxat ab illo perculsus: sane aer non ut medium tantum, sed ut subjectum, atque vehiculum ejus erit attendendus, qui aures nostras immediatè ferit, postquam vibrationem tremulam à corpore sonoro recipit. Nam primò omne corpus solidum, vel totum, vel quoad partem agitatum, motum suum fluido ambienti communicat; ergo aeri quoque. Aer autem secundò, cum particulis elasticis constet, ad tremulum etiam motum à solido sonoro inchoatur, propagandum, quem aptissimum videtur subjectum. Tertiò cum nec pueros lateant, si per callicis vitrei liquore repleti, oram digitus tremulo motu circumferatur, sonum seu ululatum, quasi quendam excitari, simulque contentum liquorem trepida quadam vibratione exagitari, ut hic bullas emittere, & subsultando ejusque alteri videatur, donec velociori digiti motu ultra fluidi superficiem guttulæ exiliant. Quod si ergo aquam, fluvidum aere longe crassius, ita commovet digiti super vitrum motus, multò magis, & citra omne dubium hoc præstabit aeri, aquæ desuper incumbenti, quamvis impulsu, nobis minus sensibili. Quibus ultimò accedit, quod pro aeris in machina pneumatica defectu, atque ingressu reciprocante, sonora corpora, v. gr. bilibre horologii, modo parum, modo nihil, modo sensibile satis soni edit, id est, sonua pro diversa aeris conditione, ac præsentia valde variat.

Huic sonus explicationi aliqui se opponunt, quia ipsum fieri opinantur absque eo quod aeris tremor ad aures deveniat. In aqua enim pisces existentes sonum audiunt exterius in aere excitatum, cum tamen aer motus non se immergat in aquam.

Sed hæc ratio ad proscribendam hanc Recentiorum sententiam inefficax est, quia ideò sub aquis non adeo profundè hærentes persentiscunt vim sonorificorum externorum, quia aer concussus vehementiore ictu aquam sibi contiguam verberat, cuius vibrationes tympanum simili modo, ac aer liberior, percellunt, quamuis sonus hi, sub aqua excepti, fracti, & magis obtusi comparent, quod hæc aere spissior, huius ictus non adeo promptè suscipiat, sed notabiliter infringat, imo reflectat, usque adeo, ut profundius submersi, nec sonos vehementissimos percipere valeant, quatenus omnia aquæ incumbentis moles à commoto aere commoveri nequit, sed eius tremoribus resistit.

Secundo aerem medium non esse, quo soni in aurem devehuntur cum *Athanasio Kircher* solent aliqui suadere, quia si campanula, cui appensus sit Chalybeus malleus, affigatur interiori lateri tubi, & in media eiusdem suspensa remaneat; dein de magnes vigorosus extra Tubum Campanulæ applicetur, magnes malleum attrahet; etsi magnes amoveatur, malleus in pristinum suum relabitur, feriendo campanulæ latus, simulque sonum producendo, facillimè audibilem cum tamen in hac hypothesi huius sonus aer medium esse nequeat, cum ibi deserti tubi spatio nullus sit aer.

Sed pariter hic arguendi modus inefficax est, cuius inefficaciam optimè detexit doctissimus Anglus Robertus Boyle experimento suo 27 ubi his verbis respondet. *in experimento autem superius memorato, cum campana, & magnete facto, in deserto tubi spatio tantum aeris potuit remanere, quantum ad sonum producendum sufficeret, cum præsertim Tubi experimento de vacuo inservientes (ut prætereamus iam solitam vitri tenuitatem) rarò valde ampli sint conflati, adeoque aeris pauxillum, proportionem non parvam ad spatium desertum præseferre possit, insuper in experimento de vacuo, ut fieri vulgo consuevit generaliter nonnihil aeris se ab extrinseco insinuare solere, aut saltem Bullarum esse copiam, quæ à mercurii massa emicant, aut alio quocunque liquore, ex observationibus cautè factis, frequenter edocti fuimus.*

Verius itaque improbari potest hæc sententia. Primò, quia auditur sæpe sonus eo loco, unde aer non egreditur, ut sonus, quem efficit lapillus globulo æneo inclusus, Secundò, quia leviter percussa Campana auditur sonus ad maiorem distantiam, quam ut probabile sit eousque motum esse aerem, Tertio tandē quia auditur sonus ab attrahente aerē per respirationem, cum tamen tunc non moveatur aer ad audientis aures, sed potius evehatur.

Alii verò Recentiores Cartesianæ sententiæ non adhærentes distinguunt sonum in formalem, & virtualem, & primum esse censent ipsam sensationem, seù auditionem, secundum verò nihil aliud esse volunt præter corpuscula quæ à re sonante certa ratione configurata, & ocyssimè translata in aurem, neruum auditorium movent. Volunt autem isti necessariam esse configurationem aliquam corpusculorum aereorum ad sonum, ut varietas sonorum habeatur, quam haberi contendunt, quia sensorium variè pulsatur à singulis corpusculis propter ipsorum variam configurationem.

## CAPUT TERTIUM.

*In quo agitur de iis, quæ spectant ad odoratum.*

UEnio ad odoratum, cuius organum Recentiores quammulti volunt esse cerebri processus intra Caluariam, quos propter mamillas, quas referre videntur, *Carunculas mamillares* vocant, ad quos, per ossis cribriformis foramina odoras illas euaporationes ferri existimant; & id ideo statuunt primò, quod necessum sit exhalationes odoras penitiora Cerebri subire, ac medullosæ huius substantiæ immediate magis affricari. Cum nullum sensile spirituum animalium systema adeo immediate, & magis turbet, aut tam egregium robur eidem, & quidem in momento interdum addat. Secundo, quod in gravedine, aut coragza, vbi processuum horum tubuli serositatibus viscidis, aut repleti, aut humectati nimis existunt olfactus, si non tollatur maximè tamen imminuetur; materia verò illa remota, aut expurgata restituatur integro semper narium tactus sensu manente: Tertiò, quod in animalibus olfactu reliqua antecellentibus maiores, & conspectiores iidem obseruentur.

Probabilior aliis videtur illorum ſententia, qui in naſo externo, ſeu prominente inſtrumentum olfactus primarium, ſeu quod impreſſiones odorum primas recipiat, quærunt, & hoc non Canalem tantum, per quem ſpecies admittatur, ſed intra quem etiam ſiſtatur, pronuntiant. Hinc enim fieri ajunt, ut animalia, odorandi ſagacitate pollentia, naſuta magis exiſtant; homines, quibus, vel natura, vel caſu nares compreſſi, & anguſtiores ſunt, aut plane non, aut parum olfaciant; ozena profundius herente laborantes externos odores percipiant, fetorem ulceris propriam minime; ſed quod potiſſimum eſt, naſiumque tubulos non tam Canales odorum, quam organum eorum receptiuum exiſtere innuit, interior, & turbinata iliarum textura, in homine ſimplicior, in animantibus, qui hunc odoratu ſuperant, tortuoſa, & magis plicata. Scilicet narium caverne lamellis, non cartilagineis, ſed oſſeis, ſeù totidem oſſiculis ſpongioſis, in diuerſos quaſi tubulos diſtinguatur, circa os cribriſorme anguſtiores, huiuſque foraminibus oppoſitos, & quaſi continuos: quatenus lamellarum harum oſſearum quælibet nunc longiores, nunc breuiores, omnes tamen ſecundum longitudinem naſi protenſe, modo in plures, ac minores, ſeu tenuiores alias, tamquam totidem folia ſecedunt, & hinc in Cylindros ferè tubuloſos varios inflectuntur; modo ſimpliciores, ac pauciores ſæpius, & ad ſpiralis lineæ tractum conuoluuntur.

Potentiæ olfactiuæ obiectum eſt odor, qui Phyſicæ conſiſtit apud Recentiores, vel in halitu ſubtili de rebus odoriferis dimanante, vel in corpuſculis ſubtilibus ita configuratis, ut exhalatis, & nares, & proceſſus mammiliares, aut neruos auditorios pulſantia, faciant odorem formalem, & ſenſationem talis odoris, quæ olfactio dicitur. Hoc autem ſic contingere exiſtimant. In ſuperiore narium extremitate eminent duo cerebri prominentis tubercula, mamillarum ſimilitudine, quæ propterea Caruncule mamillares vocari ſolent. His autem ſubiicitur os quoddam bipartitum, quod propter ſimilitudinem, quam cum ſpongia habet, os ſpongioſum vulgò dicitur. Undè, cum quædam huius fumeæ exhalationis per aera volitantis corpuſcula ſimul cum aere, quem ſpirat animal meatus prædicti oſſis, ſic ſubeunt, ut carunculatum neruos laceſſant; hinc fit odoratio, & quidem tot modis, quot prædicti nerui hac exhalatione commouentur. In eo ſiquidem contactu ratio odoris verſatur, ex quo veluti ex principio omnia odorum diſcrimina oriuntur.

Ex odoribus quidam prodeſſe, quidam obeſſe valetudini dicuntur. Sic Aſtomigens Indorum ad extremos fines indiæ circa Fontes Gangis ſolo odore, quem è floribus, & pomis captant, viuere feruntur. Sic multi odores à mentis deliquio liberant, & cerebrum iuuant, ac mulcent. Nemo neſcit, quantum odor aceti in deliquio valeat; quidque ad recreandam felem poſſit herba quædam ruſticis nota, quæ à fele nomen habet: id autem nonniſi ratione odoris præſtat. Sic è contrario quidam odores delirium inducunt, ut Sabæi interdum odoribus ſtupefieri, & feles olfactu unguentorum furere dicuntur; quod videlicet tanta ſit prædictæ exhalationis in caruncula incurrentes agitatio, ut natiua cerebri temperies diſſoluatur; unde inſolita ſpirituum confuſio.

## CAPUT QUARTUM.

*In quo agitur de iis, quæ ſpectant ad organum guſtus.*

VEnio ad organi guſtus deſcriptionem, cuius præcipuum organum dicuntur papillulæ linguæ capitatæ, & pornſæ, ſeù funiculi ex intima linguæ membrana, quæ mucoſæ, & reticulari ſubiecta eſt prodeuntes, quia eſt admodum probabile in his ex ſubintranti ſapido humore titillationem, aut mordicationem quandam fieri, quæ ſenſationem efficiat guſtus. Fuſa quidem ſalia, & conſimilia ſaliuæ, vel alteri humori commiſta proprio pondere, vel præmentis aeris ope, poros illos papillularum ſubintrantia, nerueas papillas diuerſimode feriunt, vel blando quodam motu ipſas demulcent, ita ut ex diuerſa figura ingredientis ſalini corporis, eiuſque vario motu, & inſinuatione diuerſæ ſaporum ſpecies naturæ cognatæ, vel eidem aduerſæ emergant. Contractio enim quandoque in nerueis papillis, & inde in neruorum appenſo tractu, ut ab auſteris, vel laxitas, ut à dulcibus inducitur.

Sapida autem dicunt eſſe corpora, ſaliua, aliove humore diluta: quia in concretis corporibus non aliàs ſaporum cauſas agnoſcunt, quam ſalinas particulas. Si enim corporibus, alias ſapidiſſimis, ſal iis intrinſecum tollatur, ſaporem omnem perdunt, hucuſque ne tantillum quidem linguæ imprimunt; ſapida verò redduntur eadem, ſi ſal ipſis addatur, ut vel coquorum experientia nos docere poteſt.

Monendum tamen eſt in iſtorum ſententia tunc ſolùm particulas ſalinas ſaporum cauſas exiſtere cum magnitudine, figura, & motu determinantur ac modificantur. Potentia enim ſaporifera, quæ eſt in concretis, derivatur à tota corporum illorum textura, & habitudine ad ſalinam ſubſtantiam. Id autem certum eſt, ſalinarum molecularum, non cum ſapidis tantum, ſed cum inſipidis quoque variam implicationem ad producendos, ac alterandos ſapores multum facere. Præcipuè autem particularum harum motum ſapores varios producere, exaltare; atque immutare ſæpius obſervatum eſt, modo corpuſcula agitata adæquatam habeant exilitatem, qua papillarum nervearum poros ſubintrare queant. Hic tamen advertendum eſt in Carteſianorum ſententia papillulas linguæ capitaræ nunquam agitari, quia mediantibus fibris nerveis, motus propagatur uſque ad cerebrum, in quo omnem ſenſationem, & perceptionem fieri in iſtorum ſententia inferius videbimus reprobando.

## CAPUT QUINTUM.

*De iis, quæ ſpectant ad organum tactus.*

TActus remanet deſcribendus, in cujus organo determinando Ariſtoteles ſatis ambigere videtur, dum *lib. 2. de anima cap. 11.* dubitandi reſerens, ait: *patet inſtrumenta iam dicta ſenſuum eſſe diverſa, in tactu autem id ipſum nunc latet.* An autem omnimodè organum latiſſimi huius ſenſus ignoraverit, videant alii: conqueri ſaltem neceſsè habent, qui ejus ſcripta evolvunt, ſive carnem, ſive aliquid intus ſub carne, ſive partem ſimilarem, illud concipiamus, generaliores cum tantum nobis ſuggerere notiones.

Latiores limites ſenſatio huic conſtituunt, qui cunctas partes fibris nerveis inſtructas, ſcilicet, præ-

ter

ter cutem, membranas omnes, carnes musculorum, & parenchymatum tangere docent: à quibus parum admodum recedunt, qui membranis cunctis, & quidquid de membranea textura participat, munus hoc demandant; attendentes, in nullo membro tactum celebrari, quod membranæ expers, membranis autem obvoluta singula qualitatum tangibilium vim persentiscere.

Alii cutem solum adæquatum tactus organum volunt, cum cuncta membra cute obvoluta vim hanc tangendi exerceant, involucro autem destituta (nisi linguam excipere placeat) haud verè tangant, idest, qualitates tactiles percipiant, ac discernant. Quænam autem cutis pars primarium, & immediatum tactus organum sit, & per quam potissimum aptitudinem tangendi habeat, non una omnium est sententia. Videtur hæc quibusdam substantia ejus membranea, ideò quod, quidquid in corpore sentit, id per membranas sentiat v gr. ossa per periostium musculi per membraneam propriam, ac cerebrum, & nervi per duram, & piam matrem. Nonnulli verò membranam ejus carnosam huic negotio adæquatam credunt. Sunt, qui moliuntur, seu medullosæ nervi substantiæ munus hoc conferunt, neque diffitentur alii substantiam nervorum medularum tangibilium utique quorum vis differentias, harumque impressiones admittere, ac sensorio interioo exponere Ast, quia hac ratione indifferenter ad reliquas, & cunctas se habet, ideò contendunt isti non immediatum, ac proprium tactus organum, idest, quod à sensibili omnium primò, ac à tangibili solum percellitur, debere illam vendicari.

Alii itaque nerveas cutis papillulas à Recendoribus detectas, tactioni aptiores esse asserunt, neq; eas dubitant dicere primarium, & immediatum tactus organum. Quo autem accuratius huius sensoria fiat examen; observandum, primam cutis laminam constituere cuticulam, quæ est ejus pellicula exterior, tenuis, densa tamen, quæ cutis subjacentis substantiæ cohærescit, & ubi perforata per suos porros sudoris vasculorum orificia ostendit. Qua subiata reticulare quoddam deprehendi tur corpus, ejusdem præter propter crassitiei, ac lingua media tunica: intra cujus foramina, seu areas crebriora non tantum sudoris continentur vascula, sed per easdem papillulæ quoque cum illis à subjacente lamina emergunt, quæ ad cuticulam terminantur. Sub hac expensione cutis demum substantia fibrosa ex arteriarum, venarum, nervorum, ac tendinum extremitatibus contexta conspicitur, quibus glandulæ miliares numerosæ, vasis suis excretoriis, seu sudoriferis donatæ, densissimæ interponuntur, cum pyramidalibus papillulis, nervis continuis, & cum sudoris vasculis ad cuticulam exurgentibus.

Corpuscula hæc quemadmodum in cuticula in plures fibrillas abeunt, ita nervorum cuti intertextorum fasciculi fibrosi, atque apices peculiari ratione videatur, ut in brutorum nonnullorum labris, & naribus extremis, quibus obiecta eadem contrectare, seu tactu explorate observamus, apparet: in his siquidem papille hæ conspectiores, & copiosiores prominent, simul tamen ingentes nervorum fasciculi conspiciuntur, à quibus corpuscula illa pyramidalia propagari probabile est, parisorsan ratione, ac papillulis linguæ gustantibus manifesta satis intercedit cum nervis continuatio.

Per has autem papillulas pyramidales tactum in prius celebrati, inde augurantur, quod in organis, quæ tactu exquisitiore pollent, numerosior, & maior illarum eminentiarum apparatus, v. g. in vola manus, ac digitorum apicibus, minor verò in reliquo corporis habitu conspiciatur. Accedit, quod nervorum extremitatibus papillæ hæ immediatè magis cohærescant, imò ratione quidem figuræ externæ, non tamen ratione substantiæ eas, & linguæ eminentias gustantes intercedat disparitas Quibus addunt, quod, cum tactus obiecta propter modum suæ substantiæ cuticulam penetrare, hincque sensationem excitare nequeant, Satius sit credere, naturam appendices has papillates supra cutem eleuare, ut obuia, seu appellentia attingerent, horumque impetus experirentur. Ac denique nulla pars sensu hoc destituta illis gaudet, vel cui hæ desunt, tactu pollet.

Sed quid plura? Accuratius sensuum examen videri potest apud Anatomicos, & apud Philosophos, & præcipuæ Petrum Gassendum.

## CAPUT QUINTUM.

*In quo nonnulla exponuntur, quæ spectant ad sensus superius descriptos.*

QVæres primò hic, an vera sit sententia Carresii negantis in nobis sensus.

Respondeo à vero non parum recedere. Quod, ut ostendam, primò sciendum est Cartesii sententiam esse animam, non prout est in singulis membris corporis, sed solum, prout est in Cerebro propriè sentire Hoc autem modo contingere existimat. Primò requiritur incursus, aut appulsus obiecti in organum, adeout ipsum afficiat, ac moveat. Vnde est vulgatum illud: *obiecta movent sensus.* Secundò debet motus ille fieri non solum in organo exteriori, verum etiam in Cerebro, sive ab organo exteriori ad Cerebrum usque, & commune sensorium propagari, quod euenire existimant Cartesiani, cum spiritus objecti impulsu commoventur sufficienter; subinde enim quadam undulatione motus ille ab obiecto profectus, in momento ferè per neruorum ductus ad meditullium traducitur, & quidem citius, quam circuli in aqua lapidis iactu propagentur. Nam fibre neruorum ab authore naturæ, ita sunt colligate, & sibi mutuo conserte, & extense per longos ductus, ut levi ictu commote excitent sensationem in communi sensorio, quod in ipsa origine neruorum positum est: dum spiritus in eos veluti tubulos cum impetu impelluntur.

Ideo autem motus ab obiecto profectus, debet ab organo exteriori ad cerebrum propagari, quia ibi mens suam sibi sedem fixit: neque enim sensatio fieri potest, quin obiectum oblatum percipiamus, ut rectè innuit etiam Philosophus *Problem.* 33. *sect.* 2. Sensus ubi seiunctus ab intelligentia est, laborem veluti insensibilem habet: unde dictum: *mens videt: mens audit.*

Hæc est vera Cartesii sententia, quam pluribus in locis insinuat, sed præcipuè in *part.* 4. *princip. Phil. num.* 19 *pagina* 301. probat evidenter animam non quatenus est in singulis membris, sed solùm quatenus est in cerebro, ea quæ corpori accidunt in singulis membris, neruorum ope *sentire*, & ibidem *num.* 189. *pag.* 297 *Sciendum est* inquit, *itaque humanam animam, etsi totum corpus informet, præcipuam tamen sedem suam habere in cerebro, in quo solo non modo intelligit, & imaginatur, sed etiam sentit, & hoc opere nerworum* (latinè diceretur ope) *qui filorum instar à cerebro, ad omnia reliqua* (tyro linguè latine

latine diceret solum ad reliqua, nec adderet omnia) *Membra protenduut, iisque sic annexi sunt; at vix ulla pars humani corporis tangi possit, quin hoc ipso moueatur aliquot neruorum extremitates sparse per ipsam, atque earum motus ad alias eorum neruorum extremitates, in cerebro circa sedem animæ collectas transferatur.* Quod idem usque ad nauseam reperitur *in sua dioptrica cap* 4. *pag.* 95 *num.* 1. illis verbis: *omnibus iam constat animam esse, quæ sentit, non corpus .... illam non propriè sentire, quatenus est in organis sensuum exteriorum. Sed quatenus in cerebro, ubi illam facultatem exercet, quam nuncupant sensum communem*; unde est, quod sub eodem capite, doceat, quod dolor sola percipiatur immaginatione, non verò tactu externo. sicque dolor, quem quis v. g sentit in Pede, verè in ipso non sit.

Huius autem asserti rationes aliquas primo intuitu plausibiles vidi apud quosdam Cartesianos, quibus isti suadere conantur solam mentem sentire, nullatenus verò organum corporis. Inter istas verò plausibiliter Cartesii assertio firmatur primò, quod mens rebus aliis considerandis intenta sæpè; nec videmus hominem transeuntem, etsi oculi sint aperti, & ad eum directi; nec voces ejus audimus, licet aures pateant, quinimò docet experientia, quoties mens, vel Ecstasi, vel alta contemplatione distracta, vel extra corpus ponitur, hoc totum torpidum sine sensu stupere, quæcumque etiam objecta admoveantur, quod certissimum est argumentum, non corpus, non membrum, aut organum aliquod corporis, sed solam mentem sentire.

Secundò, quia si aliquid esset in homine præter mentem, cui sensatio, uti v. gr. visio luminis, vel coloris tribueretur, esset certè oculus; atqui non est oculus, quia alias duplex esset eodem tempore cuiusque rei visio, seu perceptio, nam duobus oculis utimur; ergo cum visio solum una sit, in oculo esse nequit.

Sed à vero opinor sententiam hanc recedere. Ratio hoc asserendi non unica esse potest. Prima tamen est, quia plura supponit Cartesius, quæ veritati opponuntur, cum velit nervos à cerebro distribui ad reliqua corporis membra, atque ipsos proprio motu pertingere ad extremitates collectas circa animæ sedem, quod penitus falsum est, siquidem nervi, nedum à cerebro, verum etiam à singulis vertebris spinæ dorsæ derivantur, qui ad cerebrum nullatenus tendunt: nec ii, qui derivantur à cerebro, in hoc inter se colliguntur, nec pertingunt ad eam partem cerebri, quæ in Cartesii sententia est animæ sedes: nam hæc est in medimullio cerebri. Nervi autem leviter, & parum subeunt cerebri substantiam, ut alibi diximus.

Secundò, quia negari nequit sensationem fieri in organis sensuum externorum. Visio enim in oculis fit, ut de visione Aquilæ clarè admonet Augustinus *lib. de Civitate Dei cap.* 29. illis verbis: *vis itaque præpollentior oculorum erit illorum* (scilicet glorificatorem) *non ut acutius videant, quam quidam perhibeatur videre serpentes, vel aquilæ quantalibet enim acrimonia cernecadi, eadem animalia vigeant nihil aliud possunt videre, quam corpora.*

Tertiò, quia si in nobis non essent sensus externi, nec etiam erunt in membris nostris motus appetitus sensitivi; atqui hoc repugnat scripturis, experientiæ, & omnium hominum consensui; ergo etiam, quod in nobis sensus externi non sint.

Quartò, quia aliquandu contingit sensationes, & imaginationes fieri independenter ab objectis moventibus nervos, aut fibrillas eorum, quod contingere docent plures Cartesiani, quando spiritus animales diversimodè agitati offendunt vestigia diversarum impressionum productarum ante in cerebro ab objectis ope nervorum: quæ vestigia nihil aliud sunt, nisi quod porri cerebri, per quos spiritus antea transiverant ad præsentiam objectorum facilius aperiantur, & liberiorem transitum præbeant spiritibus advenientibus, qui spiritus ejusmodi porros potius, quam alios subeuntes excitant motus in cerebro representantes animæ eadem objecta, quæ prius representata fuerunt motibus nervorum cerebro communicatis, quo pacto fieri existimat rerum recordationes, somnia, & distractiones, si fortuitò tantum subeant porros cerebri; ergo falsum est sensationes fieri semper dependenter ab objectis moventibus nervos, aut eorum fibrillas.

Nec prodest Cartesianis, quod supra affertur, siquidem homo vehementer aliis intentus hominem transeuntem loquentem, & videt, & sentit, quamvis non reflectat se videre, atque sentire, quia distractus est ab alia intensiori contemplatione. Secundum verò parvi roboris est. Duplex enim visio non esset, sed unica facta mediis duobus oculis.

Quæres secundò; an sensus omnes externi sint in homine perfectiores, quam in brutis.

Respondeo in hac re difficultatem esse apud Philosophos. Clarissimus Adrianus Heerebord hominem habere sustinet tactum omnium excellentissimum. Negativè tamen ego respondeo. *Sensu enim nos bestiæ multæ superant*, ut ait Augustinus *lib. de quant. animæ cap.* 28. In visu enim superamur à Lince, & Aquila; unde in proverbium abiit *oculus linceus*, auditu superamur à Talpa, Mure, & Apro, odoratu à Vulture, gustu à Simia, tactu ab Araneis, unde versiculi.

*Nos, Aper, auditu, Linx, visu, Simia gustu,*
*Vultur, odoratu; præcellit Aranea tactu.*

Quæres Tertio hic an verum sit commune adagium nimirum sensus læditur à vehementi sensibili. Respondeo affirmativè, de facto enim eximio splendore oculi læduntur, & ingens sonus aures offendit, unde de Nilo scribitur, quod, cum ex altissimis montibus præcipitat, fragore accolas surdos reddat. Ratio autem potissima est, quia vehemens sensibile habet validè movere sensus; ex hoc autem valido motu sequitur, quod Porri laxentur, atque spiritus animales citius exeant, & illorum loco corpuscula nimia (quidquid sint hæc corpuscula) ingrediantur quantitate, & quia humida ibi remanent, occludunt porros, & sensus obstupefaciunt.

Quæres ultimo an sensus errent circa suum obiectum. Respondeo duplicem in hac re esse sententiam. Prima est Cartesii docentis pluribus apparere sensus esse fallaces. Per sensus enim Remus integer fractus apparet. Turris quadrangula rotunditatem simulat Poma per vitrum aspectu maiora videntur, & digito obturatis auribus tremulum murmur aduenire arbitramur, Quinimmo quod maximum est, dum somno sumus oppressi easdem experimur cognitiones, ac vigilias, vel scribendi, vel colloquendi, vel videndi, vel tangendi; cum re vera tamen hæc omnia non eveniant, ita ut somnium a vigilia distinguere non ualeamus nisi memoria interueniente, ac iudicem nos sæpe numero fuisse deceptos.

Secunda sententia illa est, quam amplectuntur Epicurei volentes sensus nunquam falli; non enim hi propriè iudicant, v. g. remum esse fractum, in

aqua

aqua, sed simpliciter vident fractum, & id intellectui renonciant. Iudicare verò, an ità sit, vel non, tribunali intellectus relinquunt. Fallitur enim, dicunt, intellectus iudicans, non oculus, qui ità percipere debet, ut percipit, quapropter perbellè Augustinus *lib. de vera Religione cap.* 33. hæc habet *si quis remum in aqua frangi opinatur, non malum habet internuncium, sed malus est index, quia oculus internuncius pro sua natura non potuit taliter in aqua sentire, neque debuit, quare oculus rectè videt, sed animus perversè iudicat*: Ex his sententiis hanc secundam amplector, quam ut veram recipio, dummodo tres adsint conditiones circa proprium sensibile cuiuslibet sensus, ex quibus prima est, ut organum non sit pravè dispositum. Hinc lingua febricitantis omnia iudicat amara, quia supponitur pravè disposita humore latitante intra poros. Secunda est, ut medium sit sincerum; propterea omnia viridescunt oculo aspicienti per vitrum viride. Tertia verò, ut adsit proportionata distantia unde colores licet viridi propter nimiam distantiam nigri apparent.

## CAPUT SEXTUM.

*In quo explicantur breviter, quæ spectant ad lucem, & colores.*

Circa lucis naturam præcipue referendæ sunt hic sententiæ, ex quibus prima est Cartesii docentis lucem nil aliud esse, quam particularum insensibilium primi Elementi celerimam agitationem qua globuli ætherei, quibus secundum elementum constat, undequaque premuntur, & ad rectas lineas impelluntur, adeo ut innumeræ sint rectæ lineæ, per quas illa actio communicatur, quæ à singulis punctis corporis lucidi proveniunt, & ad singula illius corporis, quod illuminant, expanduntur. Hæc est explicatio lucis iuxta Cartesium, quam etiam exhibet Antonius Le Grand *in sua philosophica institutione*, addens luminis radios, nedum motum rectum efficere posse, verum etiam circularem, secundum diversam in corporibus reverberationem; quod explicat dilucidè exemplo Pillæ per lineam rectam se moventis à manu ad parietem, circulariter verò circa suum centrum. Sed

Sententiam hanc Cartesii quamplures reprobant, eo quia non rectè Cartesius se explicet, cum modo doceat lucem esse actionem, modo motum, & parte tertia principiorum philosophiæ sustineat esse propensionem ad motum; sed ineptè sic proscribitur. Clarissimè enim occurrit Cartesius *in Epistola sua* 49. ad Morinum directa affirmans actionem esse, veluti vocabulum generale motum ipsum complectens, undè hæc omnia tanquam unum, & idem recipienda esse.

Aliter ergò impugnandus est; & primò, quia (ut optimè obiecit Morinus) modo docet Cartesius materiam subtilem ex se non moveri, sed unicè à corporibus lucidis. Hæc enim habet *in sua diopt. pag.* 38. *lumen hoc est motus, sivè actio, qua sol, aut aliud quodvis lucidum corpus impellit subtilem quamdã materiam, quæ in pellucidis corporibus omnibus reperitur*; Modo verò materiam hanc subtilem non indigere lucidis corporibus, ut moveatur, quia sponte sua movetur, cum illius sit natura nunquam à motu desinere.

Secundò quia intelligi nequit quomodo Sol tam citius diffundi possit, veluti in instanti, cum prius deberent moveri partes propinquiores, quam remotiores. Nec satisfacit exemplum baculi ad explicandum hunc motum materiæ subtilis. Baculus enim totus continuus est, imò durus, & solidus, qua propter quo instanti extremorum eius unum impellitur, pellitur, & alterum. Verum materia subtilis continua non est, nec dura, aut solida, ut baculus, quare mota materia corporis lucidi proximi, non sequitur remotiorem etiam moveri in eodem ferè instanti.

Tertiò, quia continuatio inter particulas luminis est necessariò admittenda; hæc autem saluari nequit quoties istæ particulæ sint figura globosa, & propria figura abinuicem seiuncta.

Quarto quia si poneremus particulas illas, seu globulos quiescere, adhuc Sol terram illuminaret. Sed, qui plura in hac re optat, adeat Franciscum Grimaldum Societatis Iesu *in suo Opere posthumo Tomo I num* 12 & 13.

Secunda sententia est Cardani docentis lumen esse speciem repræsentatiuam corporis lucidi, seu eius imaginem: sed hæc sententia vera non est, quia videmus luminosum repræsentari diversum quoad figuram, & magnitudinem, & situm, præcisè per hoc, quod lumen diversimodè refractum prò medii diversitate spargatur per radios à pristina rectitudine recedentes, ergò lumen non essentialiter, & quatenus productum à tali luminoso, sed quatenus per tales lineas rectas diffusum habet posse repræsentare sui principii figuram; quæ virtus illi est omnino accidentalis, sicuti est illi accidentale spargi per radios directos, potius quam per refractos; undè si lumen in Retina illapsum absque ullo ordine, ac linearum distributione confusum fuerit, non determinatur potentia ad apprehensionem luminosi sub certa figura, & prò certa loci positione, sed solum percipit lumen ipsum, ut patet in oculis clausis, sed per palpebras aliquo modo perspicuas, recipientibus lumen solis turbatim intromissum.

Tertia sententia est Emanuelis Maignan, aliorumque Atomistarum docentium lucem esse substantiam consistentem in igneis purissimis spiritibus, quod suadent, quia ea omnia, quæ luci conueniunt, etiam sunt in istis spiritibus, qui celerrimum habent motum, omnia reddunt visibilia, virtutem habent calefaciendi, & tandem cernere faciunt obiectum, si purissimi sint. Undè lucere tria dicit, scilicèt primò emissionem spirituum, undè fumus non lucet, & propriis non cernitur radiis, quia hos spiritus non emittit, sed retinet in partibus tenacioribus. Secundò exigitur, ut veniant ad oculum radiis imperturbatis, si enim perturbarentur hæ particulæ tenuissimæ secundum situm, & modum fluendi, fulgor candidus, v. g. mutaretur apparenter in alium alterius generis, & sic lux modificaretur. Tertiò tandem exigitur, ut isti repræsentent suum fontem, seù ut fons suis cernatur radiis.

Hanc sententiam solent quamplures diversimodè impugnare. Aliqui enim dicunt, quod si lux solis v. g nihil aliud esset, quam corpuscula continuò è sole prodeuntia, sequeretur solem jam absumptum, & destructum esse, sicuti lucernæ, quæ continuò ignis depastu tandem consumuntur. Sequeretur secundò, quod lux, utpotè corpus traiiciens aerem, aquam, vitrum cum illis penetrari. Sequeretur tertiò lucem non moueri à sole in terram in instanti. Sed infeliciter sic à quamplurimis impugnatur Peripateticis. Empedoclis enim, Platonis, Democriti, & Epicuri lectatores facilè respondent Ad primum enim dicere possent lucem omnem ita exire à sole, ut in eum reddeat iterum effluendo perenni quo-

dam circuitu, sicuti flumina è Mari exeunt, ac lo ipsum redeunt, ut Iterum fluant; emissi enim à sole radii dici possunt redire ad solem reflexione: reflectuntur autem ex terra, luna, cæterisque planetis, item ex omnibus fixis non tantum nobis conspicuis sed existentibus etiam in aliis Cœli partibus, & Telescopio detectis. Ad secundùm autem dicere possunt nullatenus penetrationem sequi, quia omne perspicuum præter particulas, ex quibus constat, Interjectos habet porulos, & spatiola vacua, per quæ transeunt lucis corpuscula. Ad tertium verò facilis est solutio, quia falsum est lucem Solis moueri à sole in terram In instanti, licet forte brevissimo tempore moueatur, cum enim secundum Copernicum à terra ad solem sint mille quingenti Semidiametri terræ, tantum spatium nequit percurri In instanti, & licèt sol eodem Tempore, quo exoriri apparet, feriat oculos nostros, & appareat nobis in horizonte, fortè tamen non est in nostro horizonte, sed in alio, & quod appareat tunc in nostro horizonte, causa desumenda ex eo, quod sol exoriens emiserit radios, qui postquam ad oculos nostros peruenerunt, faciunt, ut Sol videatur in orizonte nostro, licèt fortè, sit in altero. Hæc itaque sententia ubi de Cœlo, & Mundo melius impugnabitur.

Interim ulterius aduertendum est Atomistas inter lucem, & lumen hanc ponere differentiam, quod lux constat ex atomis lucidis proximo situ inter se dispositis, densatis, & quasi unitis. Lumen verò ex atomis non ita densatis, seu potius, inter quas multum vacui intercedit, immò, & corpuscula æterogenea intercurrant, itaut superficieculæ eorum ab his illustreotur, & sic totum diaphanum illuminetur.

Quarta sententia est cuiusdam Recentioris, qui post reiectam Cartesii, Cardani, aliorumue sententiam, docet esse lucem effectum corporis luminosi in corpore tenebroso, quo ipsum actu visibile reddatur, Itaut lumen ad lucidum corpus se habeat ut umbra ad corpus tenebrosum; sicuti enim hoc quaquauersum umbram sui spargit in corpore sibi opposito, ita etiam corpus luminosum quaquauersum umbram sui spargere putandum est, quam umbram lumen vocat.

Quinta, & ultima sententia est Peripatetica docens lumen esse qualitatem superadditam actu corpora illuminantem. Hæc mihi clarior est cæteris, & expeditior, contra quam hucusque Recentiores omnes nil solidi attulerunt, si unicam obiectionem excipias, quam mihi sub hac forma proposuit arguendo quidam clarissimus vir. Si lumen esset accidens corpori perspicuo puta aeri inhærens, vel sensu, vel ratione esset perceptibile, neutrum affirmari potest; non enim sensu deprehendimus lumen inesse aeri, quia tunc aer illuminatus esset visibilis, nec etiam ratione, quia hæc hactenus non est allata, quæ hic ostendat. Sed

Argumentum hoc facilis est solutionis, siquidem concedo lucem; non sensu percipi. Est enim ratio, qua visibile videmus, non verò id, quod videtur, ratione tamen percipitur velut accidens, quod à quibusdam corporibus ipsis remanentibus abesse potest, & ab aliis, uti à Sole, & stellis abesse nequit propter ipsius cum istis connexionem.

Post luminis naturam aliquantisper positam juxta diversorum Auctorum sententiam, coloris alteram explicandam aggredimur, quæ ut clariori methodo exponatur, scire oporter Recentiorum sententiam esse, quod color sit ipsa radiorum lucis modificatio, vel luminis reflexio, vel refractio; unde colores per istos, nil aliud sunt, quam varii modi, quibus corpora recipiunt, vel ad oculos remittunt radios emissos à corpore luminoso; unde dicunt corpus nigrum illud esse, quod extinguit, & suffocat radios luminis, à quibus percutitur. Album verò proficiscitur ex forti luminis reflexione facta per corpus, cujus superficies in tenues, & minutos globulos, aut quasi globulos distincta est. Constat siquidem experientia corpora alba modo plures luminis radios reflectere, quam reliqua omnia: imò in nocte, si terra nive operiatur, satis affulget lucis ad iter faciendum. Hinc dealbantur parietes, ut cubiculum clarius fiat, & quandoquidem parietes dealbati incommodant oculos propter nimiam scilicet lucis reflexionem. Hinc charta alba ad speculum ustorium admota difficilius uritur, quam nigra, & magis calefit à Sole pannus niger, quam albus: quia scilicet corpus album plus reflectit luminis, adeoque minus retinet ejusdem. Hinc albedo dicitur visum disgregare, quia nempe cum plus lucis reflectat, major lucis copia laxat pupillam oculi, & dissipat spiritus visuales, qui ex cerebro confluunt, quod non contingit in nigredine. Volunt autem isti istam superficiem aptam esse ad lucem reflectendam, quæ in tenues, & insensibiles globulos figurata est, unde est, quod quoties inducitur talis dispositio corporis in tenues globos, corpus appareat album, ut patet in spuma aquæ, vini etiam rubri, ipsius attramenti. Ut primum autem turbatur hæc globulorum superficies, corpus, vel nullatenus apparet album, vel certè minus. Ita si charta vehementius præmatur, minus alba est, & ut ait Augustinus, nigræ lineæ ex albo conficiuntur argento.

Ceruleum tandem (sicuti, & alios colores medios) esse docent, quod tantum paucos reflectit radios Hanc sententiam suadere contenduot, quia experientia compertum est ex diversa solis irradicatione, rem nunc albo, nunc rubro colore perfundi, uti mare nunc purpurascere, nunc viridi colore imbui, atque Pavonum caudas diverso lucis aspectu mirificè colores variare. Quod totum clarius evidens esse docent in Prismate, seù Trigono vitreo, vulgari oculis apposito quatuor colores Iridi similes exhibente, qui colores nihil aliud sunt præter radios lucis ex rebus advenientes, & refractionem geminam in vitro patientes, unam in latere, quo vitrum subeunt, alteram in eo, quo exeunt, qui etiam in transitu per vitrum admittunt umbellulas varias ob occurrentia corpuscula, ex quibus vitrum contexitur occurrentia inquam, plura quidam ad Basim versus, quam color flavus, & crocens appareat, pauciora verò ad fastigium, versus quod viridis, & ceruleus observantur. Ideò autem corpus aliquod apparet sæpè sæpius ejusdem coloris sine vitro, ac cum vitro, quia præter reflexiones, & intermistas umbellulas, quas lux in ipso extremo habet, habeat etiam reflexiones, & interiectas umbellulas, quas patitur, & accipit per vitrum. Quod si contingat eodem manente lumine colores mutari, hoc evenire docent propter diversam dispositionem particularum, & pororum, quod tamen reprobat Maignan, quia etiam stante eadem corporis visibilis dispositione, diversus adhuc cernitur color, uti in collo Columbæ relato. Huic sententiæ suffragantur viri Illustres, nec numero pauci.

Hæc tamen à quamplurimis etiam non Peripateticis impugnatur. Colores etenim in re qualibet dantur, & si non illuminetur, unde color nullo

modo

modo eſt ipſum lumen. Sanguis enim in corpore, & venis exiſtens rubicundus eſt, & lac in uberibus album, & ſi non illuminetur? quis enim adeò vecors eſt, ut ſanguinem demum poſt illius è corpore eruptionem rubicundum fieri, lac verò albeſcere exiſtimet? Quis credat ſecto pomo denuò colorem oriri in partium ſuperficie? Experientia enim conſtat non unum, ſed varios, eoſque diverſiſſimos, & maxime contrarios nonnuoquam colores pomo diſſecto videri, unde eos à luce, vel lumine nequaquam generari manifeſtum evadit, cum lumen ſit idem in omnibus partibus. Exiſtimo itaque dicendum eſſe colores veros, & reales ex capite rerum ſe tenere, non quidem hoc ſenſu ut à ſubjectis ipſis ſint indiſtincti, uti docent omnes extra Peripateticos, ſed tamquam qualitates, quæ reales ſunt, à luce diſtinctæ.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum ſenſus externi, & interni indigeant ſpeciebus, ut ſentiant, eo ſenſu, quo iſtas Peripatetici defendunt.*

### CAPUT UNICUM.

*Ponitur ſententia affirmativa.*

QUæmadmodum in hoc conveniunt Recentiores Atomiſtæ, quod habitus per modum qualitatis accidentalis, vel entitatis ſpiritualis ſuperadditæ in ſenſu Peripateticorum excludant, ita nunc in eo, quod negent ſpecies intentionales Peripateticas, ut ſenſus interni, & externi ſuas edant operationes. Sic enim omnia accidentia proſcribunt, Phyſica quidem, ut in Phyſicæ initio, & progreſſu monuimus Recentiorum de more fideliter argumenta recenſendo, nedum ubi de accidentibus Euchariſticis, verum etiam, ubi de unione, ubicatione, actione, duratione, quantitate ſuit Sermo. Intentionalia verò, cum habituum, ſpecierum exiſtentiam, & naturam explicare conentur etiam præciſivè à quolibet accidente ſuperaddito Modum autem, quo hoc contingere opinantur, referamus. Docent itaque hoc evenire, quia indifferentia ſenſuum ad varia percipienda objecta (ob quam indifferentiam tollendam Peripateticas ſpecies Ariſtotelici ponunt) optimè tollitur etiam ſpeciebus ariſtotelicis proſcriptis. In externis quidem ſenſibus, vel per contactum phyſicum, ut evenit in actione tactus, & guſtus, in qua per ſuam potentiam objectum immediatè tangere, & pulſare nervum tactorium, aut guſtatorium certum omnibus eſt, vel per ſubſtantias quaſdam ſubtiles odoriferas prodeuntes v. g. ex Roſis, aliiſque objectis, quæ feriendo, & pulſando nervum olfactorium ſine ſpecie intentionali olfactum efficiunt, vel denique in viſione, per hoc, quod lumen reflexum ab objecto, quod eſt ſubſtantia ſubtiliſſima feriat, ac pulſet nervum opticum; unde homo fixos tenens oculos ad ſolem, mox ipſos claudens, diverſos colores cernere ſe experitur propter ſolam nervi optici concuſſionem. Species verò Intellectul, & ſenſui interno deſervientes nihil aliud ſunt, præcipuè iuxta Carteſium, quam idem motus per nervum ad Cerebrum tranſmiſſus, vel certa commotio fibrarum Cerebri, procedens ex ſpirituum animalium, in Cerebro decurrentium agitatione: quæ cum nullam habeant cum rebus objectis naturæ ſimilitudinem, nulla alia de cauſa earum habentur repreſentationes quam quod occaſione ipſorum mens res ſibi faciat præſentes, eaſdemque in Ideis ſuis exinde naſcentibus contempletur. Sentiatur v. g. ignis, nullam aliam ſui ſpeciem ad nos tranſmittit, per quam ſentiatur, quam ſubtiles ſui particulas, quæ ita pulſant extremitates nervorum exporrectorum, ab interiori Cerebro ad exteriores quaſcumque partes corporis, ut pulſatio ad mentem, in mediocerebro poſitam, transferatur, & tranſlata notitiam ignis generet. Expreſſa tandem ſpecies nihil aliud quicquam eſt, præter eam animi notionem, quæ exprimitur ad præſentiam ſpeciei impreſſæ.

Peripatetici tamen propugnant ſenſationem quamlibet fieri mediis ſpeciebus, quarum notitia ſufficienter colligitur ex ſuperius dictis de potentia viſiua, ubi cum jam allata ſit ratio præcipua, ob quam Ariſtotelici ipſarum exiſtentiam tuentur, ſolum hic, quæ Malebranchius, Schuleri, Le Grand, Purchotius, aliique afferunt, referre, & refellere placet, & cum hæc omnia tendant, ut ſpecies Ariſtotelicas ſuperfluas, chimericas, necnon inexplicabiles oſtendant, his ſatisfaciendum eſt.

Arguunt itaque primò à ſuperfluitate. Hæc Idæa, vel Imago à perceptione ſeiuncta omnino inutilis eſt, cum perceptio ipſa rem cognitam obiectiuè, ſeu modo intelligibili repreſentet. Cum enim Circulus intelligitur, non eiuſdem imago quædam à cognitione ſecreta, ſed circulus ipſæ percipitur: etſi cognitione reflexa, quid intelligatur, non aliud occurrit, quam eiuſdem circuli perceptio, quam oculus ipſæ, ut eſt obiectivè, ſeu ut cognitus eſt à mente. Entis vero illius repreſentatiui, ſiue ſpecies, ſiue imago dicatur, nuſquam menti noſtræ ſe ſiſtit.

Confirmatur, quia cum Deus facultatem percipiendi corpora impertiit, ſimul effecit, ut mentis perceptiones corpora repreſentarent citra noui entis, aut nouæ imaginis auxilium.

Sed hæc ſpecies non eſt omnino inutilis; ſed penitus neceſſaria ad repreſentationem obiecti habendam, ſimulque, ut hoc proximè intelligibile reddatur. Cognitio enim obiecti repreſentatiua non eſt, ſed perceptiua, unde repreſentatio à ſpecie obiecti vicaria deſumitur, ſicuti innuit Auguſtinus *5. de Trinitate, ex obiecto, & potentia paritur notitia.*

Secundò arguunt, eo quia ſpecies iſtæ Peripateticæ inexplicabiles ſint, ſicuti inexplicabilis eſt modus, quo ſua munera præſtant. Primò, quia concipi nequit, quomodo fieri poſſit, ut corpus, quod ſenſibili modo non minuitur, perpetuò ſpecies undique emittat, iis indeſinenter inpleat ingentia ſpatia idque celeritate incredibili, vbi enim obiectum aliquod delituit quo inſtanti conſpiciendum ſe præbet, undique videri poteſt, è multis leucarum millibus, quodque in ea ſententia mirabilius eſt, corpora valde agitata, ut aer, & quædam alia non ea pollent vi, qua pollent extra ſe pellere iſtas Imagines ſibi ſimiles, quod tamen faciunt corpora craſſiſſima, minimè agitata, ut terra, lapides.

Secundo, quià incogitabile eſt, quomodo per illud idem medium, quod infinitorum ferè corporum. & colorum diverſiſſimorum ſpecies continet, certum aliquod corpus videri queat; & hoc potius, quam aliud. Cum enim in illo medio, per quod vides, non tantum ſit ſpecies, ſeu imago nigra, verum etiam alba, cærulea, viridis, flaua, quomodo per illud poteris videre corpus nigrum? Certè cum per vitrum rubrum etiam corpora omnia rubra appareant, quomodo per tot, tamque diverſas rerum ſpecies

species, & colorum diuersissimorum imagines corpus aliquod certum, idque secundum verum suum colorem videri posset, imperceptibile est.

Tertiò, quia inexplicabilis est modus, quo species materiales sese in organis sensuum exteriorum recipiant, & per neruos ad cerebrum se transferant. Sunt enim crassæ, & materiales, unde cum non possint se penetrare, deberent mutuo se confringere, atque conterere, dum aliæ dextrorsum, aliæ sinistrorsum mouentur, & ideo eas non posse obiecta visibilia reddere.

Argumentum hoc secundum nullam sui partem urget, siquidem ab ipso Malebranchio arguente non minus, quam à nobis solutionem expectat, siquidem cum visio juxta Epicureorum, & Cartesianorum placita fiat per corpuscula tenuissima ab obiectis derepta, vel per receptionem radiorum plurium acutè collectorum, & officio productorum spirituum in retinam expressam, iam pariter concipi non potest, quomodo fieri possit, ut corpus, quod sensibili modo non minuitur, perpetuò corpuscula tenuissima undique emittat, eo vel maximè, quod hæc de obiectis sunt derepta, quod non euenit in speciebus Peripateticis, quæ per eductionem ad obiectorum præsentiam denuò generantur.

Secundùm verò cæteris minus urget. Ratio enim cur potius unum, quam aliud obiectum videamus ea est, quod species, quæ sunt rationes videndi, atque potentiam visiuam determinandi, non sunt illæ, quæ sunt in medio, ut in medio, sed quæ potentiam fæcundant, & in ipsa receptæ inueniuntur, quibus cum potentia visiua utatur in actu secundo juxta sui capacitatem, & sui diuersam tendentiam, oritur, quod prius unum, quam aliud potentia visiva attingat.

Tertium verò facilis est solutionis: nec enim difficultas esse potest in modo, quo se species iste insinuant, atque se transferant ad Cerebrum. Primò quidem quia argumentum hoc supponit omnem sensationem solum in cerebro fieri; quod tamen alibi reprobauimus aduersus Cartesium. Secundò, quia quemadmodum explicatione non caret modus, quo motus impressus in exterioribus partibus corporis se se insinuet per neruos ad Cerebrum juxta Cartesiana principia, in quo motu speciem impressam consistere existimant, sic quoque non deesse poterit Peripateticis modus, quo species (juxta eorumdem explicationem) se se insinuent in organis sensuum exteriorum.

Tertium argumentum procedit, quia species istæ, quæ sint accidentia ex obiectis educta, pergentia ad oculos, veluti vicaria obiectorum sunt Chimericæ. Primò, quidem, quia accidentia distinctaà substantiis non dantur. Secundò, quia eductio est impossibilis. Tertiò, quia istæ entitatulæ deberent produci per creationem, & desinere per annihilationem. Quartò, quia, vel eadem species procedit ab obiecto in oculum, vel non eadem. Primum dici nequit, quia accidens apud Peripateticos non migrat de subiecto in subiectum; ergò dicendum erit secundum, nimirum, quod una species aliam producat usque ad oculum, quod fieri nequit. Quo pacto enim momento temporis hæ innumeræ productiones, & corruptiones fieri possunt?

Respondeo in hoc Atomistarum argumento nihil esse, quod plausibiliter Thesim positam impugnet. Non primum, vel quia ipsorum accidentium existentiam suo loco firmauimus, vel quia hucusque nullus Atomista, vel Cartesianus, vel alius quicumque sit accidentia non existere prædicamentalia efficaciter demonstrauit. Non secundum, quia peculiarem, atque clarissimum eductionis conceptum in physica retulimus. Non tertium, quia stante formæ eductione hæc produci nequit per creationem nec annihilari eius obiecto perseuerante. Non tandem ultimum, quia eadem numero species non migraret de uno subiecto inhæsionis ad aliud, sed unicè proueniret ab obiecto, velutì à principio productiuo, & reciperetur in potentia tamquam in principio fæcundabili.

# DISPUTATIO TERTIA.

## De Nutritione, & Augmentatione.

Post brevem animæ sensitivæ notitiam exhibitam, hic de ejus potentiis nutritiva, augmentativa, & generativa agere decrevimus, non quidem communem servando Peripateticorum ordinem, sed potius inquirendo rem ipsam physicè, ut in tractatu de ortu, & interitu promisimus. Sit itaque.

### CAPUT PRIMUM.

*In quo quædam præmittuntur scitu primò necessaria ad nutritionem percipiendam.*

Cum Anima vegetativa, quam Auctor naturæ triplici viventium generi indidit, plantis nimirum, Brutis, & hominibus, tres potissimum edat operationes, tribus est instructa potentiis, nutritiva videlicet, augmentativa, & generativa. Dum enim operatur, vel solum reparat partes, quæ perenniter deperduntur, tumque in nutritionis opus erumpit, vel plus addendo, quam absumptum fuerit, corporibus incrementum conciliat, vel demum se se propugnando in individua sibi similia vacat generationi: durat nutritio tota vitæ periodo, unde illud Alexandri Medici: *vacatio à sensibus est somnus, vacatio à nutritione est mors:* Cum enim semper ex corporibus emaneant effluvia, ut luculentissimè colligitur ex Statica Medicina Sanctorii, in locum partium deperditarum, semper novæ debent substitui; secus tractu temporis viventium corpora in auras abirent. Augmentatio verò durat tantum per determinatos ætatis annos, nam cum ossium durities, ligamentorum tobur, fibrarum tenacitas, & pororum angustia ulterioris extensionis, dilactationisque incapacia evadant, ac proinde ulterius alimentum recipere, & retinere nequeant, cessat tandem augmentatio. Item servata proportione militat de plantis. In hominibus augmentatio solet durare usque ad annos 24. circiter. Ubi viventia in justam magnitudinem excreverunt, tunc in illis semen procreatur inserviens ad speciei propagationem, quod cum in plantis, tum in animalibus videmus contingere.

Potentiæ nutrienti quatuor facultates ministras adiunxerunt veteres attractricem, & retentricem, concoctricem, & expultricem, quæ tamen omnes jure meritò excluduntur à Recentioribus, nulla siquidem in partibus datur attractio, cum omnes motus fiant per pulsionem, fibreæ enim carneæ par-

partium à spiritibus animalibus actuatæ sese contrahentes angustando tubulos, fluida in illis contenta, trudunt ulterius; quod idem in quacumq; expulsione succedit. Retentrix non est quid à partium tono distinctum, qui & legitima (ut rectè innuit & Mulerus) secundum fibras earum nerveas cæteris particulis, viscus componentibus intertextas structura, harumque à spiritu animali facta tensio. Hæ namque fibræ, prout par est tensæ, simulque implexæ in membranas abeunt, ex quarundam convulutione canales humores continentes efformantur, qui à fibris carneis contracti, coguntur liquidum contentum expellere. Concoctrici sufficiunt peculiaria fermenta, aliæque causæ inferius indicandæ.

Definitur nutritio reparatio partium deperditarum per conversionem alimenti in substantiam aliti. Animalia sumunt alimenta ab appetitu impulsa, qui est cibi, potusque desiderium. Appetitus cibi, fames; appetitus potulenti, sitis appellatur. Fames procrearur à quibusdam succis acribus, & mordacibus in ventriculi cavitatem exrillantibus, & fortasse etiam à cibi reliquiis in rugis ibi exstentibus detentis, vellicantibus (deficiente materia, in quam agant) illius tunicas. Sitis nascitur à defectu humidi, ut à salibus irritantibus partes, quæ sitis subjectum sunt, fauces nimirum, esofagum, & os superius ventriculi. Alimenta primam alterationem in ore recipiunt, ibi siquidem dentibus subacta salivæ immiscentur à glandulis tonsilis, maxilaribus, palatinis, sublingualibus, aliisque derivatæ: fluidum hoc eltò in statu naturali, ut plurimum insipidum sit, ad instar quorundam menstruorum chimicorum, summam tamen possidet energiam, nam lapides, ossa, ferri fragmenta dissolvit, ac metallorum protæum, hidrargirum videlicer sistit. De salivæ viribus fusè differentes lege e potest s Basilium, Valentinum, Elmontium, Baclivium, Lanzonum, aliosque penes, quos de natura alkha est, seu menstrui universalis participat. Hæc portentosa substantia intra cibos admissa eorum laxat texturam, & ad novam indolem aquirendam disponit. Cibaria sic alterata per esofagum in ventriculum dimittuntur.

Esofagus, sive gula est fistula quædam, seu canalis oblungus, per quem cibus, & potus in ventriculum delabuntur. Iste ductus situatus sub trachea incipit à faucibus, ubi dicitur Pharinx, & protenditur ad superius ventriculi orificium. Componitur Esofagus ex tribus tunicis, quarum prima est nervea, secunda, quæ carnea est: in homine constat duplici fibrarum ordine, quædam enim rectè producuntur à principio usque ad finem ejusdem, aliæ has circundant instar tot parvorum circulorum parallelorum; in plerisque tamen Brutis datur duplex ordo fibrarum, quæ ratione figuræ spirales dicuntur; istæ contrario ductu sese intersecantes à faucibus usque ad ventriculum interiorem esofagi substantiam constituunt. Tertia tunica, quæ nervea est, continuatur cum illa, quæ tegit os, fauces, & labia: huic tunicæ substernuntur quædam milliares glandulæ, quarum vasa excretoria, tunicam perforantia, fluidum eructant in cavitatem gulæ, quod inservit deglutitioni, cibarisque admixtum promovet illorum in stomaco chillificationem. In Pharinge, seu parte superiori esofagi juxta veteres dantur tria musculorum paria, quibus nomina imposuerunt habito intuitu ad suppositum locum originis, & desinentiæ. Primum par, quod latius in exteriorem esofagi substantiam expanditur Cephalofaringeum appellant, alterum sphenopharingeum, tertium stylopharingeum. Hæc duò musculorum paria obliquè esofagi lateribus inseruntur. Datur præterea in Pharinge musculus, esophageus, seu sphinter gulæ dictus, qui fibris circularibus constans, ubi constringitur, res ingestas deorsum trudit. Parum tamen accuratos fuisse Veteres in tradenda pharingis istoria, docet Valsalua in suo tractatu de aure humana, quem consulere potestis. Pluribus arteriis, venis, necnon nervis donatur esofagus, quorum descriptionem legatis penes Anatomicos. Cibaria in ventriculum dimittuntur non solùm proprio pondere, verum etiam cum actione musculorum Pharingis, tum motu peristaltico esophagi, nempe alternæ dilatationis, & constrictionis ejusdem, quæ fit ab illius indicatis transversalibus fibris carneis.

Cibus in ventriculo plurium horarum spatio degens à peculiaribus causis, ita alteratur, ut abeat in substantiam cremori ordei analogam, quæ Chilus dicitur. Ut Chilificationis opus exactè percipiatur, rationi consentaneum duco, ventriculi structuram indicare. Hoc insigne cibi, potusque receptaculum situatum immediatè sub diaphragmate, centrum penè totius corporis occupat: ibi autem residet, vbi desiderantur ossa, ut promptè possit in cibariorum aduentu dilatari. Figura illius est oblungo rotunda, magnitudo uariat pro sexus discrimine, necnon prout Homines magis, vel minus gulæ indulgent. Pars sinistra ventriculi, quæ capacior est, & magis circà fundum rotunda, spectat ad hipocondrium sinistrum. dextra sensim gracillescens attinet ad dextrum. Duobus foraminibus pervius est ventriculus, quorum alterum, est in parte sinistra, per quod cibaria ab esophago deducta, intra illius cauitarem recipiuntur; alterum in parte dextera, per quod eadem in chilum redacta truduntur in intestina: Orificium sinistrum uocatur etiam orificium superius, os ventriculi, stomacus, cardia. & à veteribus cor nuncupatur, quia in illius affectibus gravioribus cor condolet, patiturque lipothimiam, & sincopem. Orificium dextrum vocatur etiam orificium inferius, ianitor seu pilorus. Coalescit ventriculus ex pluribus tunicis, quarum exterior neruea est, secunda, quæ carnea est, constat ex fibris rectis, transuersis, & obliquis invicem super impositis, quarum ministerio ventriculus corrugatur, angustatur, & abbreviatur. Tertia tunica, quæ rugosa, est, & neruea in parte exteriori, qua secundæ contigua est, tota obtegitur plurimis glandulis vessicularibus ita disposius, ut penè unius membranæ expansionem efforment; harum glandularum vasa excretoria tunicam perforantia, constituunt in cavitate ventriculi lanuginem quamdam (si colorem excipias) olosericum emulantem. In Cardia, seu orificio superiori ventriculi dantur plurimæ milliares glandulæ, quarum vasa excretoria apertissimè in ventriculi cauitatem hiant. Tota interior ventriculi cavitas crusta quadam mucosa obtegitur, quam esse membranosæ naturæ detexit Vithsius. His præmissis chilificationis opus inquiramus.

Transmutatio cibariorum in chilum fit potissimum, ut tradit Dominicus Gulielminus duorum succorum ope, quorum alter à glandulis lenticularibus Cardiæ, alter à glandulis tertiæ tunicæ ventriculi suppeditatur. Istos duos succos inter se viribus differre, cum ex diversitate glandularum separantium, tum ex dirigendorum indigentia colligendum est. Sanè natura in suis operationibus nun-

quam inavis non multiplicasset præfatarum glandularum structuram, ubi fluida diversæ indolis illarum ministerio è massa sanguinea ventriculum alluente, secernere non intenderet; cumquè idem menstruum omnium corporum non sit analista: terrea namque macra, nullaque pinguedine vincita, accidum fermentum exigunt, oleosa verò, & sulphurea à salsis dumtaxat resolvuntur (commentitium siquidem alkha est, seu menstruum universale Elmontii, idcircò natura duplex fermentum in ventriculo pro habenda chilificatione constituit, salsum unum, accidum alterum, cum omnia cibaria ab animalibus ingesta ad macras, & oleosas substantias redigantur. Fermentum accidum tunica glandulosa ventriculi, salsum aggeries glandularum, in Cardia resi lentium pro chilo subministrat. Dixi hos duos succos esse causam potissimam, non verò totalem chilificationis, nam ad hoc oput, ut dictum est suprà, concurrunt dentes, saliua, ventriculi, & adiacentium viscerum calor, per quem cibariorum menstrua sub fluiditatis statu conseruantur, & cibaria ipsa, laxata compage (proprium enim caloris est rarefacere) sunt magis per me habilia, contractiones tunicæ carneæ ventriculi, quarum ministerio rerum ingestarum molleculæ ab invicem separantur, aliasque combinationes coguntur recipere: potulenta ipsa menstruorum sales dissoluentia, eosdemque per omnes partes dispergentia, cibariorum promovent pepsim, demum aer ab hoc opere immunis non est, dummodo subtilis sit; in montibus siquidem intensior est fames, promptior digestio, oppositum verò contingit in locis humidibus: ubi cibaria in chilum redacta sunt (quod solet ut plurimum in nobis, quinque, vel sex horarum spatio contingere) sensim per ianitorem, seu Pilorum in intestina illi continuata truduntur ope contractionis tunicæ carneæ ventriculi, necnon auxilio præssionis diaphragmatis in inspiratione.

Intestina licet sint unus dumtaxat Tubus ortus à Piloro, desinensque in podicem, adhuc tamen, cum iste ductus ubiquè non sit eiusdem diametri, & grassitiei, aliisque rationibus partes illius inter se discriminentur, in plura dividuntur, & primò in tenuvia, & crassa. Tenuvia tria sunt, Duodenum, Ieiunum, Illeum, totidemque crassa, cæcum, collon, & rectum. Si intestina separentur à mesenterio, cui ex una parte adnectantur, & in longum exporrigantur, sex vicibus, ut plurimum Animalis, e cuius corpore eruta sunt, longitudinem superant, quamobrem, nisi variis giris, & anfractibus contorquerentur, non possent intra abdomidis cauitatem coerceri. Intestinorum substantia eadem est ac ventriculi, membranosa scilicet, & carnea, ex plurimis enim tunicis constat, quarum exterior nervea est, media carnea, tertia, quæ nervea est, crusta quadam succosa obtegitur: hæc in parte interna intestinorum Gracillium habet plurimas glandulas diversimode dispositas iuxtà Peyeri, aliorumque post ipsum observationem. In crassis intestinis aliæ glandulæ apparent, quæ indicatis majores sunt, semperque ab inuicem distant, torque sunt, ut illorum numerus nequeat determinari. Moventur intestina motu quodam analogo motui vermium, qui peristalticus dicitur, cuius principium est à ventriculo, finis ad intestinum rectum. Inseruit iste motus, cum ad introducendum chilum in vasa Aseliana, tum ad detrudenda sybala, seu a-es cibi [illegible] ad Anum. Innumeri pori dantur in substantia intestinorum, per quos chilus transit ad venas lacteas mesenterii. Demum cum uberrimis vasis sanguineis instructa sint intestina non conveniunt Auctores in assignando, ad quid tot vasa inseruiant. Hos cum melioris notæ Anatomicis dicimus arteriis copiosissimis intestina ditari, ut præter fluidum illorum nutritioni dicatum, vehant quoque humorem in intestinorum glandulis separandum, tum ut fibris motricibus particulas energeticas ad illarum actiones requisitas suppeditent, tum etiam ut intestina, partes videlicet membranosas caloris expertes calefaciant, qui calor valde conducit ad perfectam Chili elaborationem, venæ arteriis correspondere debent. Hæc de intestinis in genere dicta sint satis, nunc ad singulorum descriptionem deveniamus.

Primum intestinorum tenuuium est Duodenum, quod ultra septem, vel octo digitos transuersos non exporrigitur. Hoc intestinum reliquia gracilibus crassius, & angustius, necnon circumuolutionibus destitutum oritur à Piloro versus spinam sub ventriculo, & rectà descendens desinit in sinistro latere, ubi intestinorum giri inchoantur. Duobus foraminibus propè finem peruuium est Duodenum, quorum alterum inseruit pro ductu Chollidoco, alterum pro Canali pancreatico: hæc duo foramina in hominibus parum distant ab inuicem, immò quandoquè in unum coalescunt. Per ductum cholidicum Bilia exoneratur in Duodenum, per ductum Pancreaticum, succus in Pancreate secretus fertur pariter in hoc intestinum. Isti duo succi Chilo immixti inserviunt ad ejus subactionem. Quod Bilis hoc munere fungatur, hisce motiuis evincitur: sicuti simplicia amara magna pollent vi incisiua, ut perspicuum est in Absintiu abrotano, Centaurea, aliisque, ita Bilis consimilem virtutem possidebit. Quamobrem admixta Chilo illum triturabit, & ad minima redigет habito intuitu ad principia illius, hoc munus utiquè potest exercere, resultat enim ex sulphure, & sale volatili; experientia huic sententiæ fauet: Animalia siquidem, quo voraciora sunt, hoc est quò potentius digerunt, ductum collidocum ventriculo implantatum gerunt, ut frequenter contingit in Lupis, ubi Epar obstructum est, ita ut nequeat Bilem secernere, illamque huc transmittere, Animalia, ut plurimum hidrope corripiuntur, quod euenit, quia chilus semicoctus, & minus fermentescibilis deductus in massam sanguineam, cum nequeat illi fieri homogeneus, degenerat in humores acres, & irritantes, hidropem procreantes. Succum pancreaticum Chili subactionem pariter promovere, sic probatur. Humor iste magnam haber analogiam cum saliua, ergò quemadmodum saliua inseruit ad triturationem cibariorum, iste pariter Chilo fluiditatem conciliabit. Si Pancreas obstructum est, animal tormina patitur in ventre infimo, flatuumque copiam, & emmaciatur, quæ omnia contingunt, quia Chilus ratione nimiæ consistentiæ non potens Asseliana vasa subire, plus debito manet in primis viis, & ob longam moram, acredine contracta partes irritat. In Tubo intestinali supra ductus pancreatici insectionem vasa lactea, aut nulla, aut rariora sunt, cum Chilus ob grassitiem illorum diametro non proportionetur.

Intestinum Duodenum excipit jejunium sic nuncupatum, quia ferè semper Chilo destituitur: habet enim infinitas propemodum venas lacteas Chilum pro maiori parte absorbentes. Membrana illius interior longior exteriori, in plicas contracta est, nonnihil Chili descensum remorantes. Ubi adest minor intestinorum laxitas, ibi incipit intestinum

quod-

quoddam longissimum omnium ferè totam occupans regionem hypogastricam, quod habito intuitu ad circumvolutionem, quibus præditum est, multitudinem, Ileum dicitur. Hoc intestinum in dextero latere sursum reflexum intestino collo non procul à superiori eius extremitate lateraliter inseritur.

Primum ex crassis est cæcum, quod uno tantum foramine peruium est, veluti quædam appendix inter intestinum Illeum, & collon. Maius est in fætu, & in Pueris, quam in Adultis, in quibus adeo gracilescit, ut calami scriptorii crassitiem non excedat. Secundum intestinum crassum est Colon, quod ferè totum circumdat Abdomen, nam ortum trahens à cæco versus renem dextrum, cui alligatur, amfractuoso ductu sursum reflectitur sub Epate, & transuersim sub fundo ventriculi progrediens ad sinistrum latus tenuibus membranis Lieni, necnon reni sinistro copulatur, postremò circa os Ilium se se contorquens intestini recti mollitur exordium. In hoc intestino omnium latissimo plures Cellulæ per totam illius longitudinem ad latera dispositæ observantur, efformatæ à quibusdam ligamentis per longitudinem illius excurrentibus, hinc ubi hæc disrumpuntur (Cellulis obliteratis) intestinum ad duplam longitudinem extenditur. Ad initium colli Bauinus obseruauit valuulam quamdam cradam, & membranosam, quæ permittit contenta in intestinis ab Ileo in Colon transire, iisdem verò retrocedendi negat libertatem.

Ultimum intestinum crassum, est rectum, quod incipiens à prima ossis sacri uertebra rectà ad Anum descendit. Hoc intestinum, quod nec Cellulatum, nec anfractuosum est, quo promptè fæces possint descendere, & excerni in viris cervici vesicæ, in fæminis verò uteri collo copulatur. Habet ad Anum carnosam substantiam ex tribus, vel quinque musculis constantem: Plurimæ namque fibræ carneæ in extremitate intestinum rectum circum dantes, Sphincterem Ani constituunt, qui ubi constringitur, fæcibus non permittit egressum, reliqui duo musculi, quos aliqui volunt esse quatuor, suis fibris per longitudinem intestini excurrentes, desinunt in præfatum sphincterem, quem post fecum excretionem in suum locum retrahunt. Descripta intestina circumdantur seù potius alligantur mesenterio, quod est membrana quædam in suo esse duplicata, figurata ad modum circuli habens in ambitu plurimas rugas, seu plicas, quæ procedendo versus centrum paulatim obliterantur. Insunt mesenterio vasa omnis generis, arteriæ videlicet, venæ, nerui, vasa lactea, ac lymphatica, & præterea glandulæ. Venæ vocantur Meseraicæ, ortumque trahunt à ramo venæ Portæ, qui mesentericus dicitur. Arteriæ sunt propagines Celiecæ Nerui à pari vago proficiscuntur. Venæ lacteæ à Tunicis intestinorum præsertim gracilium ortæ, & per mesenterium excurrentes, quibusdam glandulis ibi existentibus inseruntur, quarum aliquæ intestinis propinquæ sunt, aliæ sunt ab illis remotæ; inter istas glandulas in Brutis præsertim in mesenterii centro collocatur major glandula ab Asselio mesenterii Pancreas appellata. A præfatis glandulis discedunt tres, vel quatuor ductus chiliferi, qui inter mesenterii membranas protracti, desinunt in receptaculum quoddam, seu vessicam non spernendæ mollis ex gracilibus membranis constantem, quæ à suo inventore nomen mutuata, dicitur receptaculum Pequeti, nec non Chili Cisterna. Hujus receptaculi extensio varia est juxta variam Animalium magnitudinem, & voracitatem; longitudo solet quartæ parti ductus thoracici respondere, latitudo tanta est in Canibus mediocris mollis, ut eam auricularis digitus subire possit. Venæ lacteæ, quæ in suo origine gracilimè fiunt majoris diametri propè mesenterii centrum ex subtilissimis, & transparentibus componuntur Tunicis, undè Chilo repletæ illius color albissimus translucet: ubi verò chilo non turgeant, sub propria specie sunt inconspicuæ, nam collapsis illarum Tunicis, apparent instar tenuium fibrillarum per mesenterium dispersarum Aduertatis ab Anatomicis venas lacteas ab intestinis ad mesenterii glandulas tendentes vocari vasa lactea primi generis, quæ verò à glandulis feruntur ad Pequeti cisternam nuncupari secundi generis.

In descripta Pequeti cisternam exonerantur etiam plurima vasa lymphatica ab artubus inferioribus, nec non ab Epate, Ventriculo, Liene, aliisque abdominis partibus prodeuntia: nullum penè datur membrum in corpore animalis, à quo non discedant hujusmodi vasa, quæ ibi oriuntur juxta nonnullos Anatomicos ab arteriis, juxta verò alios à glandulis, quamobrem penes istos sunt glandularum vasa excretoria. Vasa lymphatica valuulis scatent pro impediendo fluidi regressu, suntque & ipsa adeò gracilia, ut ubi à lympha non repleantur, & amplientur, Inconspicua sint.

Hinc adnoto quosdam magnæ notæ Anatomicos videlicet Bohnium, Bayle, Verheyen, aliosque opinari venas lacteas, & vasa lymphatica in mesenterio esse unum, & idem vas; si enim lympham, inquiunt ipsi extra tempus distributionis chili, non veherent, eorum parietes subsiderent, simulque aglutinati, chilum advenientem recipere non possent. A descripto chili receptaculo ( quod Thomas Bartolinus vasorum linphaticorum inventor, tradit in brutis solùm reperiri, nam in hominibus loco illius dantur tres glandulæ, quas habito intuitu ad locum, ubi reperiuntur, lombares appellat ). A descripto inquam chili receptaculo enascitur ductus subinde calami scriptorii crassitiem æquans, qui per longitudinem sinistræ partis thoracis excurrens, chilum, & lympham in venam subclaviam exonerat; ubi iste ductus in hanc venā hiat, ne sanguis præter labens in osculum illius incurrat, ibi valuulam collocavit natura In venis lacteis, & ductu thoracico frequentes sunt valuulæ, ita situatæ, ut fluidis motum permittant ab intestinis versus venam subclaviam, regressum verò inhibeant, ne Chilus ad Pequeti cisternam, vel glandulas lombares deducendus, in hoc itinere concrescat, & coaguletur, tenuissima lympha in glandulis mesenterii separata dilultur. Omnia lymphatica abdominis, & artuum inferiorum suum fluidum in cisternam Chili deponunt, ut illam nitidam, & à sordibus immunem conservent, chiloque majorem fluiditatem concilient. Lombares glandulæ, & ductus thoracicus in corpore humano ita situantur, ut illæ resideant inter Diafragmatis tendines, & primas lumborum vertebras, iste sursum tendat restrictus inter vertebras dorsales, & Aortæ descendentis truncum. Unde ubi Diafragma contrahitur summa energia premit lombares glandulas, vicujus pressionis cogitur Chilus sursum rendere per Thoracici ductus cavitatem. Iste ductus à Diastolæ arteriæ magnæ ibi contiguæ pressus, Chilum exonerat in venam subclaviam. Motus peristalticus intestinorum, motusque musculorum abdominis chili assensum facilitant.

Ex hactenus dictis colligendum erravisse veteres circa

circa Chili semitam, qui opinabantur eum per venas meseraicas ad Hepar tendere, omnis siquidem chilus per vasa lactea, quæ ab inventore Aselio Aseliana quoque vocantur, fertur ad glandulas mesenterii, à quibus tendit ad cisternam, vel glandulas lombares, inde progreditur in ductum thoracicum, à quo in venam axilarem deducitur. Quod Chilus per venas lacteas feratur in dubium revocari nequit, nam hæc vasa solum conspicua sunt, ubi absoluta cibariorum digestione chilus è prima ad secundam corporis regionem deducitur. Vasa hæc filo constricta intra ligaturam, & intestina intumescunt, & si præmantur liquorem lacteum in ea eructant. Non est improportionatus (ut nonnulli Recentiores arbitrati sunt) chilo vehendo, venarum lactearum apparatus, cum vix decima assumptorum pars in Chilum habeat. Addendum Chilum non confertim, sed lento motu ex intestinis in venas lacteas transire. Venæ lacteæ ex Aselii observatione venas meseraicas excedunt, surculorum lacteorum in externa intestinorum superficie, al quot milliaria numerantur, numerus verò illorum in substantia interna apparentium nulla industria inveniri potest. Chilum revera hac via in massam cruentariam deduci, evincunt potissimum Loverii experimenta; ubi enim cum hoc celeberrimo Doctore disrumpitur ductus Thoracicus, Chilus omnis in pectoris cavitatem effunditur, & si cum eodem immisso digito in vulnus sinistro medii ventris latere inflictum per horam ductus thoracicus comprimatur, in abdomine rem oculis gratissimam intuebimur, fabricam nimirum venarum lactearum, valuulas, anastomoses, iter, anfractus, densissimam illarum seriem, & alia plurima, quæ non sinunt amplius intellectum circa Chili semitam ancipitem esse.

Dices primò, Chimici per menstrua quædam subacida volatilia moderati caloris ope ex rebus comestibilibus Chilum quendam artificialem valde ad naturalem accedentem conficiunt, ut legere est penes Tachenium, & Mulerum, aliosque; ergo signum est cibariorum coctionem fieri fermenti accidi ministerio.

Respondeo antecedenti omisso distinguo consequens, coctionem omnium cibariorum fieri accidi ope nego consequentiam, plurium concedo consequentiam. Omnia alimenta ut supra dictum est cum Dominico Gulielmino, ad duas classes reduci possunt; ad terrea videlicet macra, nullaq; pinguedine vincta, & ad oleosa, & sulphurea. Prima ab accidis dissolvuntur; secunda verò nequaquam, cum illis fermenta salsa dumtaxat proportionentur.

Instabis accida dissoluunt semper aliquam portionem cibariorum assumptorum; ergo poterunt etiam reliquas partes dissolvere. Probatur consequentia, dum enim agunt in illam partem, cui proportionantur, motus partibus contiguis communicatus, illarum Analesim procreabit.

Respondeo omisso antecedenti negando consequentiam; si aquæ forti ubi ferrum dissolvit, iniiciatur corpus, cujus structuræ improportionata sit, quamvis in hoc motus à ferro, quod dissolutionem patitur, deriveture, adhuc tamen istud suarum partium coalitum retinet, ut videre est in auro, quod in aquam fortem ferrum actu dissolventem injectum, intactum remanet.

Dices cum Roberto Boyle solis calor cum aqua ita emolit ossa, ut facescant in corpus valde mole & glutinosum, quod pro cibo inservit; ergo solus calor ad chilificationem sufficiet liquidis assumptis junctus, nam causa, quæ potest res durissimas dissolvere, multò magis poterit cibos moles dissolvere.

Respondeo calore res transire à quibusdam passionibus ad alias, hoc est alterari, non verò induere nouum esse. Res cocta non differt in natura à cruda, sed solum in qualitate; sic piscis dum coquitur remanet piscis, idem ualet de carne, oleribus, seminibus, aliisque, per chilificationem verò aliud ens prodit. Cibaria enim vertuntur in Chilum, qui specie differt à cibariis ipsis. Falsum est posteà id, quod additur, videlicet quod causa, quæ dissoluit corpus magis durum dissoluere possit minus durum, nam aqua fortis dissoluit ferrum, pinguedinem vero intactam relinquit.

Dices vulterius cum Bilsio. Fluidum in venis lacteis obseruatum non est Chilus, sed peculiaris Ros inseruiens ad resocilandas partes, & ad earum fermenta reparanda, albedo huius succi, qui Chilus supponitur, dependet à spumescentia per spirituum turgescentiam excitata, ubi verò istæ humor agitationem amplius non patitur in aqueum humorem resoluitur.

Respondeo Chilum paucis spiritibus turgere cum sit succus crudus per varias fermentationes exaltandus, hinc in expirantibus subiectis, & cadaueribus per aliquot horas lacteum colorem, & consistentiam retinet, dummodo impediatur à Lynphæ confluxu, & tamen per mortem spiritus deperdantur.

Dices tandem post quinque, vel sex horas à pastu quando Chilus elaboratus transit è prima ad secundam cavitatem apparent turgidæ venæ meseraicæ humore quodam cineri coloris, ergò revera chilus incedit per venas meseraicas.

Respondeo rarissimè hoc obseruari, nam multi Anatomici curiositate ducti detegendi chili semitas, post quinque, vel sex horas à pastu obseruarunt sanguinem extractum è venis meseraicis, nullumquè in eo potuerunt Chili vestigium deprehendere. Sanè si Chilus hac via incederet, quemadmodum semper post septem, vel octo horas à pastu, in venis lacteis obseruatur, deberet semper obseruari in venis meseraicis, nec releuat dicere Chilum receptum intra venas meseraicas semper deperdere proprium colorem, sicuti videmus contingere in uino albo, quod ubi uino nigro admiscetur, albedinem deperdit, nam in primis sanguis venarum meseraicarum deberet in suo colore alterari ob miscellam partium Chili, ut videmus contingere in vino nigro, quod ob miscellam lactis plurimum perdit de sua nigredine: modo sanguis venarum meseraicarum nullatenus differt à sanguine aliarum venarum, ut constat ex obseruationibus circa hunc sanguinem habitis à D. Ctore Bohnio. Addo ulterius, quod quemadmodum Chilus, qui per venas lacteas mesenterii cisternam Pequeti, & ductum Thoracicum in sanguinem deducitur, non statim affusus sanguini, suum colorem perdit, hinc si post septem, vel octo horas à pastu fiat missio sanguinis, sæpissime in sanguine chilum videmus: Ita neque chilus, eque per venas meseraicas sanguini immiscetur, ut supponunt Antagonistæ, debet statim suum esse deperdere.

CAPUT

## CAPUT SECUNDUM.

*De Hemathosi, seu conversione Chili in sanguinem, de natura, & constitutione sanguinis, ac huius vitalis fluidi motibus circulari, & intestino.*

HActenus Galaxiam, seù Chili iter ad sanguinem contemplati sumus, modo inquiremus, ubi, & à quibusdam causis Chilus ità immuterur, ut sanguinis naturam induat.

Platoni cui plures, cum ex Veteribus, tum ex Recentioribus adhærent visum fuit Hemathosim in corde, & à corde fieri, quod munus Galenus cum maxima Doctorum sequela Hepati assignavit. Nonnulli moderni inter quos Harueus, Glisonius, Verheyen, Fracassarus, aliique contendentes sanguificationem non esse quid organicum, sed similare, hoc opus à sanguine, & in sanguine confici voluerunt.

Nulla ex indicatis sententiis pace tantorum Virorum est admittenda Cor non sanguificare ex eius fabrica musculosa deducitur. Est enim destinatum ad recipienda; & impellenda fluida; cruorem enim, chilum, & Lympham recipit, ut ea ad ambitum corporis protrudat. In huius visceris finibus nullæ dantur glandulæ, quarum ministerio secernatur menstruum, quod affusum Chilo, illum reddat sanguini homogeneum. Vix chilus ad cor appellit, quod statim ab eo foras truditur, qui autem fieri potest ipsum brevissimo tempore, ità alterari, ut omnes sanguinis passiones contrahat. Posset utcunquè cum Platone, & Hipocrate cor fons sanguinis appellari, cum fontium non sit aquam conficere, sed paratam aliundè excipere, suaque scaturigine, promere, & erugare Non subscribo Galenicis, nam ex Heruei obseruatione in primordiis animalium omnes partes albissimæ sunt, sensimquè à sanguine percolato rubedinem contrahunt, quam exuunt, ubi aquæ tepidæ frequenter immerguntur. Addendum venas lacteas non dirigere cursum ad Hepar. Ad sanguificationem, cui maximopere studet natura, utpotè, à qua ritè absoluta, prospera, ac longa animalium uita dependet, non solum sanguis, verum etiam viscera, eorumque fermenta concurrunt, ac proinde non est opus similare, dumtaxat verum etiam organicum.

Ad opus Ematosis ex visceribus quædam proximè, alia remotè, nonnulla positiuè, alia negatiuè concurrunt, remotè concurrunt saliua, ventriculus eiusque menstruum, succus pancreaticus, Bilis, & plurima alia præparantia materiam in sanguinem vertendam; proximè verò præ reliquis visceribus, hoc opus promouent pulmones; in istis siquidem, ut (cum Trustone loquar) Chilus subigitur, attollitur, efferuescit, spumescit, concoquitur, iisque fluiditatem, & calorem magna ex parte accepta debet referre. Vasa quibus irrigantur pulmones in capillares, minimasque diuiduntur propagines, per has autem, ubi Chilus cum sanguine truditur, frangitur, discutitur, comminuitur, & ad minima redigitur, illiusque partes inter se accurratè miscentur. Ulterius, dum ratione aeris inspirati insigniter intumescunt vesiculæ pulmonum, vasa sauguinea inter illas mediantia, validè comprimuntur, & fluida in illis contenta ulteriorem patiuntur subactionem, & exquisitiorem miscellam. Si pulmones separent ab aere fermenta quædam nitrosæ indolis, ut multi Recentiores cum Malpighio tradunt, hæc non levem operam præstabunt in sanguificationis opificio. Negativè concurrunt glandulæ cuttaneæ, renales, aliæque secernentes à sanguine plures excrementitias particulas, quæ si intra illius sinum detinerentur, plurimum motui intestino officerent, qui inter causas ad emathosim concurrentes non infimum possidet locum.

Breviter indicatis loco, & causis ad sanguificationem concurrentibus transeo ad inquirendam sanguinis naturam, cui animalium vita, ita est alligara, ut sine ipso eadem subsistere nequeat. Quanam porrò via incedere debeamus, ut sanguinis indolem deregamus, adhuc sub judice lis est. Chimici suis distillationibus Chorintum adire censentes, sanguinem in multas partes æterogeneas resolvendu, sibi videntur genuinam cruoris naturam ex naturæ penetralibus eruere. Hos tamen in hac re, quibus alioquin plurimū tribuo cum Boyleo, Alphonso Borello, Leonardo è Capua, aliisque celeberimis viris, flocci facio, nam Analysi Chimica substantiæ sanguinem integrantes sincerè haberi nequeunt, cum ab expulsione aquæ, & ignis additione plurimum alterentur: ulterius ab ignis actione destruitur configuratio, & structura partium, ac proinde determinata vis operandi. Quædam salia vi ignis ex dulcibus amara fiunt, quod sanè contingere non potest citra murationem figuræ. Ignis quædam corpora volatilia fixat, variando siquidem partium situationem; quandoque magnorum contactuum Auctor est, interdum particulas angulosas, & orbiculares intra cauas intrudit: si corpora scateant particulis ramosis, hæc, ut rectè innuit Leonardus à Capua, violento ignis motu, quemadmodum flante vento Arborum rami, subindè implicabunrur, postremò cum elementa chimica sint omnibus mixtis communia, ex Analesi sanguinis in ista, peculiaris fluidi viralis natura detegi nequit. Principia, in quæ Chimica sanguis resolvitur, sunt aqua limpida, & insipida salia diversæ indolis, volatilia, & fixa, multa olea, inter quæ duò præcipuè admiratione digna sunt, flavum unum, rubrum alterum, quæ nulla arte inter se misceri possunt, fortasse ob insigne discrimen specificæ gravitatis, vel ob superficierum incongruitatem. Aliud oleum sanguini inest, cùjus una pars aquæ innatat, alia subsidet; demum à distillatione caput mortuum leve, & friabile relinquitur, quod per Analisim in plurimum salis reliquumq; terræ facessit. Alii ommissa sanguinis per distillationem anatomia, quæ ipsis indicatis Auctoribus adhærentibus, infida videtur, sanguinem è venis extractum contemplantur.

Sanguis paulò post ab extractione abit in partem solidam, seu fibram, & in fluidam, seu Serum. Si pars fibrosa consideretur, ubi soliditatem aquisivit, cum nil aliud esse deprehendetur, quam congeriem quandam minimorum staminum, seu filamentorum, adeò variè inter se implicatorum, ut veluti rete quoddam, seu potius substantiam spungiosam efforment, quæ fibrillæ, & ab ipsis efformaræ inter capedines globulis quibusdam planòovalibus replentur, rubedinem sanguini conciliantibus, nam si concretus sanguis diù in aqua calida maceretur, vel frequentibus ablutionibus illis viduetur, albus evadit. Isti globuli, si seorsim spectentur, omni destituuntur rubedine; cum verò duò, tres, pluresque in unum cohæunt (solent enim plerumque sex observante Levenochio simul coacervari) color rubeus emergit eo intensior, quo plures simul uniuntur. Cum in pennatorum musculis, & aliorum animalium cerebro vase exilissi-

ma fint, globuli nimis divisi nequeunt indicatum colorem in sanguine procreare. Levenochius observat Cerebri vasa in quibusdam animalibus tantæ exilitatis esse, ut necesse sit dividere unum globulum planò ovalem in sexaginta partes, quo horum vasorum diametro proportionetur. In Ovi colliquamento estò singulæ cruoris proprietates appareant, color tamen desideratur, quia vasorum angustia plurium globulorum choalitum inhibet, ubi globuli valdè comprimuntur, colorem atrum contrahunt; undè nil mirum partem superiorem sanguinis in pelui, vel Cyatho contenti rubescere inferiori nigricante. Cum sanguis est in statu naturali, globuli sunt molliores, & magis flexibiles, dumque per vasa capillaria mouentur, fiunt Ellipticæ figuræ. Indicata superius fibra in sanguine extraua sato unicuique obuia à Malpighio in eodem in animalium tubulis contecto, & circulante pariter admittitur, ut legere est in eius opere posthumo, ubi sic scribit contra Antagonistas: Ex iis, quæ sensui apparent, negari non possunt huiusmodi fibræ: in sanguine enim animalium, & præcipuè hominis minimis tubulis excepto, ultrà Atomos rubras, tamenta quædam, & minima philamenta; cinereo sero innatantia, patenter obseruantur, quæ probabiliter cessante motu locali, & intestino, mutua implicatione in solidum corpus compaginantur, & concrescunt. Huic sententiæ tamen, & obseruatio ni aduersantur Leuenochius, Alphonsus Borellus, Bohnius, Ascala, aliique, nihil aliud exquisitioribus microscopiis in sanguine vitalitate prædito deprehendentes ultra substantiam fluidam, & diafanam, quamplurimos globulos, sus, deque, & lateraliter se mouentes, multasque fallaas particulas, malpighianas fibras sub quacumque exilitate concipiantur, censent esse super majores diametro vasorum capillarium, ac proinde non posse per ductus minimos excurrere. Addunt, quod sæpe in transitu obliquo per vasa maiora impingentes in illorum parietes, contorquerentur, & cum aduenientibus implexe ulterius progrediendo contumaces paterent obstructiones. Fibras in sanguine è vasis educto generari arbitratur ex globulis subsidentibus, & portione gelatinosa; globuli cum sint graviores fluido, cui innatant, paulatim decidunt, seque mutuò præmentes oblunganrur, simulque ope portions glutinosæ juncti fibram constituunt, concurrente ad hocopus pondere, & frigore atmosfpheræ. Qui diffidium hoc inter Viros adeò insignes componi possit, indicat Dominicus Gulielminus in suo exactissimo de natura, & Constitutione sanguinis tractatu, quem consulere debet Lector nobis interim ad alia tendentibus.

Massæ cruentariæ serum plutibus salibus præditum est, quæ microscopio percipiuntur, ubi illo madefiat vitrum, & exsiccari permittatur. In hoc siquidem vitro oculis per artem vegetioribus redditis Malpighius, & Gulielminus salia vitriolica, aluminosa, tartarea, nitrosa, salsa, muriatica, & alia diuersæ indolis observarunt. Hic tamen debet serduò inquiri, utrum omnia salia in tali vitro, microscopio detecta, sint salia seri sanguinei, vel aliqua ab aere vitro communicentur, multa siquidem salia per aerem volitantia in fenestras, illarumque vitra impingentia illis adhærent. Præfatum serum duplici constat parte, quarum qualibet poreft citrà microscopium obseruari in illius ad ignem approximatione, si enim serum sanguinis igni admoueatur, una pars illius fluiditatis, & Diaphaneitatis passiones retinet, altera ex diaphana, & fluida fit opaca, & firma, inspissatur, siquidem ad instar albuminis Oui. Volunt plerique Doctores serum hoc concrescibile corporis, nutritioni inseruire, cum spirituum animalium concursu, quam opinionem suo loco discutiemus; pars quæ fluiditatem retinet, urinæ, sudori, & cuicumque humido excremento materiam præbet, estque vehiculum partium sanguinea constituentium, sine quo ad perfectè fruendum essent ineptæ. Obiter adnoto sero sanguinis Invisibiles caracteres scribi, qui accensæ candelæ admoti emergunt, videnturque attramento efformati. Scitote innumerabilia principia sanguinis compositionem ingredi rudes sensus fugientia, nam cum multiplicis generis alimenta quotidie ingerantur, sicuti varia sunt eorum componentia, ita diuersæ, & toto genere differentes in sanguinem partes deducuntur, quarum multæ in illo secundum suum esse perseuerant: dantur enim non paucæ cibariorum, & aliarum rerum moleculæ constantes ex partibus, adeò tenaciter unitis, ut nulla vi diuelli possint, ac proinde fermentorum animalibus inexistentium actiuitatem eludant. Particulæ odoratæ herbarum, quibus vescuntur Gallinæ, dum eorum ova bibuntur, non rarò degustantur, in esu casei pabulo, quo Bruta utuntur, sæpè sapor deprehenditur: moleculæ chatartici medicamenti hausti à nutrice intactæ remanent in Chilo, sanguine, & lacte, ita ut cum lacte transeant ad purgandum Infantem; plura ad hanc rem spectantia legantur penes Robertum Boyle; ubi agit de seminalium principiorum occultatione. Quæ cum ita se habeant, totis ulnis amplectimur doctrinam ab Hipocrate in aureo de veteri medicinæ libro sic propositam: *Homini inest, & amarum, & dulce, & salsum, & acidum, & acerbum, & insipidum, & alia sexcenta, quæ pro copia, & viribus magnas habent facultates:* Vbi hæc sanguinis innumerabilia componentia exactè inter se miscentur, Animal perfectà fruitur sanitate, qua priuatur, ubi aliquod ex illis, vel plus debito deprimatur, vel nimis exaltetur, quamobrem in indicato libro sic loquitur medicinæ magister: *& hæc quidem mixtione, & mutua inter se contemperatione, neque sentiuntur neque quemquam molestia afficiunt, at ubi quidpiam secretum fuerit, & per se extiterit tunc, & conspicuum fit, & Hominem lædit:*

Non omnia Animalia sanguinem habent rubicundum; alia enim viridi, alia nigro, alia albo, alia alterius coloris prædita sunt, vitalis humor quisquis est, hic erit, & sanguis, inquit Plinius.

## CAPUT TERTIUM.

*De motu intestino Sanguinis.*

Sanguini inest peculiaris motus intestinus quamdiù is saltem vitalis, est qui vel ipsis veteribus, & præsertim Erasistrato compertus fuit, hunc motum cum Trustone in ouo contemplemur. Illa macula alba in Vitelli oui superficie existens, cicatricula nuncupata, est officina, in qua Auctor naturæ futuri Animalis rudimenta collocauit; quando Ouum blando gallinæ incubantis calore fouetur, humor genitalis in cicatricula contentus liquatur, dilatatur, turgescit, attollitur, mox in stamina quædam circularia deducitur; vessica ipsa micat, tremit, palpitat, motu in illam à contento fluido deriuato, sicque incipitur vitæ chorea. Motus illius necessitatem ulterius ostendit præfatus Auctor, non recedendo ab Animalium primordiis. Obseruat namque, ubi vessicula aeri frigido exponatur, omnia

nia

nia sensim languescere, nam primò ea rarius pulsat, deperditoque omnimodè motu ipsa vita quoque actutum extinguitur; quæ si lenis calor accedat iterum reuiviscit. Porrò quod fit in Ouo, in adultis corporibus perfectiori ratione peragitur; aliis pariter motiuis, motus inrestinus sanguinis ob oculos mentis ponitur. Sanguis est substantia fluida, cum autem omne fluidum juxta sanam Dominici Gulielmini doctrinam fluidum sit, vel ratione figuræ componentium, vel ratione motus, & desideretur in sanguine congrua componentium figura, illius fluiditas motui erit adscribenda: Sanè ubi sanguis motum intestinum deperdit, illius partes se mutuo amplectentes infirmum corpus concrescunt, ut videre est in eodem extrauasato. Si sanguis statim ac è venis eductus est, in tubum diaphanum innitatur, illius motus intestinus oculis microscopiuni munitis, est patentissimus. Ex Heterogeneitate sanguinis arguitur etiam iste motus, cum enim componatur ex duplici partium genere, ex crassis nimirum, torpidisquè, & ex subtilibus, & energeticis, vbi cruoris compages laxatur, nequeunt non partes spirituosæ otiosas aggredi, illisque motum impertiri, probatur demum tali discursu. Sanguis suis particulis admixtum habet aerem, ergò motui intestino agitatum. Antecedens evincitur Boylei experimento. Si tertia pars Cyathi sanguine repleatur, Chiatusque ponatur in machina pneumaticha, deinde fiat vacuum more nonnullorum, educatur nimirum aer crassus, & ponderosus, videbimus sanguinem adeo intumescere, ut repleat totum Chiatum, & exundet etiam. Porrò hoc succedit, quia aer in sanguinis meatibus degens à pressione superincumbentis aeris liberatus, suo elaterio assurgens huius insignis turgescentiæ Auctor est. Probatur posteà Consequentia cum Alphonso Borello sic: cum aeris minimæ particulæ sint machinæ spirales, quæ à vi externa comprimi possunt, postmodum spontè sua resilire instar arcus eædem sanguini admixtæ in arteriarum sistole comprimentur. Resilient in diastole, cumque diastole, & sistole perenniter fiant in Animali vivente, aer erit semper sub motu itus, redditusque, quem deinde partibus sibi contiguis communicabit. Hunc motum Borellus vocat Ossilatorium, traditque undarum, & pendulorum motionibus similimum esse. Per motum intestinum non solum conseruatur fluiditas sanguinis, emergitque viventium calor, verum etiam præparantur illæ partes ætero geneæ, quæ requiruntur ad vitam, motum videlicet, sensum, nutritionem animalium, nec non ad propugnandam speciem. Probato, sufficienter ni fallor, motu intestino sanguinis, ad illius motum progressiuum, seu circulationem devenio.

Motus sanguinis à corde ad partes, & recursus à partibus ad cor circulatio appellatur, non quia sanguis hoc motu circulum mathematicum exactè circumscribat, sed quia ad illum locum, è quo emanavit, mox reddit, agitatio hæc massæ sanguineæ eo pacto potest vocari circulatoria, inquit Herveus, quo Aristoteles pluviam circularem corporum superiorum motum emulari dixit, quia hæc in terram decisa, cogitur ob solis calorem in vapores attenuari, qui sursum tendentes in unum coheunt, condensatique in pluviam iterum facescunt. Sanguis à corde per arteria ad partes propellitur, à quibus ad suum fontem per venas revehitur. Non solùm sanguis, verum etiam Chilus, & Lympha in girum moventur. Indicata sanguinis circulatio vasorum ligaturis, valuulis in iisdem existentibus celeberimo Glisonii experimento transfusione sanguinis de uno in aliud animal, aliisque rationibus probatur ad evidentiam. Si ligentur arteriæ denudatæ, exempli gratia canis viventis, videmus illas intumescere inter cor, & ligaturas, detumescere verò inter ligaturas, & partium extremitates: sanguis siquidem in easdem à corde derivatus, cum ob vinculi obstaculum, nequeat ulterius tendere, parit hujusmodi intumescentiam. E contra verò si ligentur venæ, intumescunt inter ligaturam, & extremitatem, ut apparet in ligaturis in Brachio factis ob venæ sectionem; sanguis namque per arterias, quas ligatura non stringit excurrens, remeansque per venas, ubi ad ligamen pervenit, cogitur ibi subsistere, cumque novus adveniat, venosum vas in tumorem excrescere necesse est. Si tamen vinculum nimis arctum est, in venæ sectione sanguis non exiret, cum enim ut plurimum arteria, ex qua vena sanguinem recipit, ipsi venæ supposita sit, hoc vinculum Arteriam stringens, non sinit illam venæ sanguinem suppeditare, quo casu, ut sanguis eliciatur, vinculum est relaxandum.

Valuularum situatio, & ipsa ob oculos ponit sanguinis circularionem: in arteriis hæ membranulæ (de quibus distinctè agetur, ubi cordis, & vasorum sanguineorum structura expandetur) ita sunt dispositæ, ut sinant sanguinem à corde ad partes fluere, regressum verò inhibeant: oppositum verò præstent illæ, quæ Venis insunt, cum permittant sanguinem ob extremitatibus ad cor excurrere, retrocedere autem non sinant.

Glisonii experimentum probat pariter sanguinis circulationem, si enim cum hoc celebri Anatomico iniiciatur lac in venam portam, suis propagiibus per Epatis substantiam diffusam venæ cavæ capilares ramificationes penetrat, à quibus in ejusdem truncum deductum, ad dextrum cordis sinum pervenit, & per venam arteriosam ad pulmones appellens iis trajectis in sinistrum cordis ventriculum delabitur: hinc ad Aortam fertur, postmodum per arterias emulgentes ad Renes deducitur. nam si dissecentur Renes, lactis in ipsis observantur vestigia.

Confirmat quoque circularem sanguinis motum experimentum primum Oxonii à Richardo Louer tentatum, ut constar ex illius litteris ad Robertum Boyle transmissis insertis Bibliothecæ Anatomicæ; in sanguinis ex uno in aliud Animal transfusione: deindè à Galiis, Belgis, Italis, Germanis, & tota pæne Europa repetitum; quo quidem insueto miraculo (inquit Tozzius) non semel extrema senectute confecta animalia iuuenescere, & ferè extincta, è mortis faucibus reuocari visa sunt.

Si incidatur una ex arteriis ceruicalibus intra duodecimam horæ partem fere totus sanguis eggreditur, quod sanè contingere non posset, ubi sanguis in girum non moueretur. Non solum arteriæ ceruicales, verum quæcumque venæ apertæ breui totum sanguinem effundunt, magno sane argumento sanguinem ex arteriis in venas perenniter decurrere. Nisi sanguis (ut tradit Diemerbrochius) ex arteriis in venas ad cor refluerer, breui in corde deficeret materia propellenda. Præterea disrumperentur arteriæ omnes breuissimo tempore, partesque in quas sanguis influir, mirum in modum intumescerent; sed ratiocinio opus non est, cum pro hac sententia militet experientia. In Ranis namque vasa diaphana nactis Malpighius microscopio vitalis fluidi circulationem obseruauit.

De-

Demonstrata sanguinis circulatio ita fit. Sanguis è Vena caua in dexteram cordis auriculam, deindè in dexterum cordis sinum tempore Diastoles transit, ex quo in pulmones per Arteriam pulmonariam in ipsa sistole protruditur: è pulmonibus verò per venam pulmonarem tempore Diastoles deriuatur in alteram auriculam, & sinistrum cordis talamum, ex quo Aortam, seu arteriam magnam in ipsa sistolæ subit; tum ab Aorta in omni cordis pulsatione immittitur in singulas arterias, quibus fertur ad extremas corporis oras, unde vel per anastomosim, vel per cæcos carnium meatus in capillares venulas, ab iisque in venam cavam, ac postremò in cor revertitur. Hanc sanguinis circulationem primò detexit noster Frater Paulus Sarpio Teologus Venetus, ut deducitur ex tractatu manuscripto in Bibliotheca S. Marci relicto, quem Hieronimus Fabricius ab Aquapendente Medicus Veronensis, Gulielmo Harveo Angliæ Archiatro, & medicinæ Professori Reggio communicavit, qui Anglicus Anatomicus cum pluribus experimentis, & rationibus hanc circulationem probaverit, magnasque utilitates ex illa emanantes toti terrarum orbi indicaverit, à multis circulationis inventor, ab aliis saltem illius maximus illustrator statuitur, unde de ipso sic loquitur Triston in sua Diatebra „De respiratione Gulielmus Harveus circulationis facem, si non primus „ accensit saltem extullit. Sciroté tamen plurimos contendere hoc inventum Andreæ Cisalpino Aretino Clementis octavi Medico, aliisque Anterioribus Physicis, Medicisque notum fuisse.

Præfatus sanguinis motus circularis est valdè velox, ut hæc propositio percipiatur, videamus quantam sanguinis quantitatem in qualibet sistole, cor extra se emittat; nonnulli guttas aliquot, ut Cartesius, aliis scrupulum, aut dragmam unam, pauci semiunciam singulis pulsibus expelli putant; quibus sanè cordis fabrica, ejusque motus compertus non est. In qualibet diastole ventriculos maximè dittendi experientia docet, eosdemque in sistole arctissimè constringi; quamobrem Harveus, & Lover opinantur utramque sinum in diastole tantum sanguinis recipere, quantum capere potest. In omni autem sistole quidquid prius receptum est, totum penitus expellere, hoc evidens est in corde, & auriculis ranarum, serpentium, anguillarum, aliorumque animalium recenter editorum. Hoc supposito enumeratis pulsibus innotescet, quantum sanguinis hora integra per Cor traiiciatur. Supponamus in qualibet pulsatione in sano, vegetoque homine sinistrum cordis sinum duas uncias, prout ab Harveo est observatum, simul capere. Lover aliquando capaciorem in aliquibus observavit, si tota illius sanguinis quantitas in omni sistole, è corde extruditur, cum enumerentur intra horam duæ mille pulsationes (quæ quidem minima est omnium computatio) Diemerbrochius siquidem docet cor hominis sani florentis ætatis una hora ter mille pulsationes edere. Cardanus quatuor mille, Bartolinus 4040. Rolfinchius in se ipso enumeravit 4420. (sanguinis unciæ quatuor mille per cor transibunt, hæc autem unciæ constituunt trecentum triginta duas libras.) Dato autem homini inesse viginti quinque libras, ut sentit Thomas Bartolinus, Avicenne, siquidem Rolfinchio, aliisque non adhæremus in homine adulto triginta libras sanguinis admittentibus, perspicuum erit totam sanguinis massam intra unicam horam multoties per cor circulari. Porrò cum rarissimè accidat hominitot sanguinis libras inesse, aut cor unius horæ spatio tam paucos pulsus edere, nemo non videt, sanguinem sæpius etiam circulari. Quod dictum est, valet de sanis hominibus, nam in statu morboso, in quo, vel acceleratur, vel retardatur cordis motus, sanguis velocius, vel tardius transibit. Ubi vasa, per quæ sanguis fluit, materia tartarea infarcta sint, sanguis lentius movebitur, quod etiam continget, si massa cruentaria nimiam habeat corporaturam. Variari etiam solet pulsus pro varietate temperamenti, sexus ætatis, varioque usu sex rerum non naturalium.

Arteriosus sanguis ad partes appellit, inquit Bohnius, ut excrementa deponat, quod fit in Renibus, ut suppeditet materiam pro elaboratione fluidorum toti individuo, & propagationi speciei famulantium, hoc accidit in cerebro, æpate, & testibus, ut exaltetur, & perficiatur, quot molitatur pulmones ut limpham dimittat, quot glandulæ, earumque vasa excretoria præstant, ut totum corpus excalefaciat. Calidum innatum quod per omnium ora vagatur, circa cujus naturam, & originem mirum, quam dissentiant Philosophi, non est quid distinctum à calore sanguinis, nam ubi sanguis ad partes non deducitur, omnia membra refrigerantur, ut contingit in Sincope, quæ iterum incalescunt remoto obstaculo per appulsum illius. Si ab Animali totus sanguis egrediatur statim à corde, arteriis, venis, & aliis partibus solidis omnis calor recedit, hinc apparet non subsistere id, quod communiter cum Aristotile dici solet, cor nimirum fontem esse calidi innati, & mitor hanc opinionem arrisisse Cartesio, nam cor non est calidius, quam reliqua animalium viscera, ut constat ex Recentiorum observationibus ope Thermotri institutis Demum arteriosus sanguis per corpus distribuitur, ut cunctis partibus alimoniam, vitalitatemque tribuat: inhibita siquidem sanguinis diffusione ad aliquod membrum illud contabescit, & emoritur. Sanguis, qui per venas refluit, fouet calorem illarum partium, per quas transit, suumque fontem reperit, ut noua vitalitate, Chilo, & Lympha impregnetur. Per motum circularem conservatur fluiditas, & crasis, qui si quiesceret mox concresceret abeundo in fibrosam, & serosam substantiam.

Dices primò si daretur sanguinis circulatio deberet dari Anastomosis, hoc est inosculatio arteriarum cum venis: Res inquit Gasendus, sanguinis circulationem non admittens esset penè confecta; si arteriarum orificia, venarum osculis iungerentur; sed non datur Anastomosis arteriarum cum venis ergò non debet admitti sanguinis circulatio.

Respondet Leuenochius arterias, & venas esse unum vas continuatum, nec placet Iacobo Sandri arterias à venis distinguere quod placitum, si subsisteret, hæc prima difficultas sanè sublata esset: Nos tamen, quibus hæc sententia parum firmis innixa motiuis non arridet, aliter respondemus; Etiamsi non daretur Anastomosis arteriarum cum venis, adhuc tamen non esset explodenda sanguinis circulatio, quemadmodum estò in Hepate non detur inosculatio inter venæ porræ propagines, & ramificationes venæ cauæ, adhuc tamen sanguis ab illis transit in istas, ut constat ex Glisoni experimento: ita etiam quamuis arteriarum, & venarum Orificia contigua non sint, poterit ex illis in ista per carnium interstitia commeare. Quod sanguis transeat per omnes corporis porros euincit sequens observatio. In laqueo suffocatis partes suprà laqueum facies nimi-

tum,

rum, oculi, labia, lingua, & aliæ plurimum sanguine infarciuntur, intensæ rubent, & usque ad livorem intumescunt; in cadauere verò soluto laqueo, quacumque situatione collocetur, intra breve tempus omnis sanguis vultu, capiteque relictò à supinis, & sursum positis partibus fertur in pronas, & subiectas per Cutis, Carnis, aliarumque partium meatus suo penè ductus pondere. Qua obseruatione præmissa sic arguo: Sanguis quasi coagulatus per poros angustissimos transit; ergò multò magis transibit sanguis in viuentibus subtilis spiritibus Turgidius per vias, quæ in illis longè, quam in mortuis patentiores sunt.

Dices secundo admissa sanguinis circulatione arteriæ deberent venis correspondere, quod tamen est contrà obseruationem, multæ siquidem venæ non habent arterias concomitantes, quibus in extremitatibus copulentur, qualis est vena axigos. Vlterius arteriæ deberent esse capaciores venis, cum plus sanguinis vehant, quam revehant venæ. Oppositum autem contingit, ergò.

Respondeo, quod quamuis arteriæ non correspondeant venis, adhuc tamen non est nega da sanguinis circulatio, cum enim natura sollicita sit de reductione sanguinis ad Cor, semitas, per quas revehitur, multiplicavit, & fortasse propter hanc rationem venarum diametrum fecit maiorem arteriarum capacitate. Negari profectò nequit sanguinis circulatio, cum eam ob oculis mentis ponant ligaturæ ualuulæ, Glisonii experimentum, & alia relata.

Dices tertiò. Si daretur sanguinis circulatio, quemadmodum ad propellendum sanguinem per arterias natura Cor fabrefecit, ità debuisset aliud cor, vel saltem partem analogam cordi efficere in venis pro cruore revehendo.

Non est necessaria in venis noua vis impulsiua, ut sanguis per illas possit ad Cor tendere, quia venæ ut plurimum habent nexas arterias, quæ cum sua diastole illas comprimant, nequeunt non sanguinem ibi contentum versus Cor propellere. In venarum extremitate dantur musculi copiosi, qui subindè contracti sanguini motum conciliant. Tunica venarum interna musculosa est, ac proinde vi pollet sanguinem impellendi; sanguis ipse subsequens cogit antecedentem per venas moveri ad instar undæ undam impellentis. Malachia Truston in suo celebri de respiratione tractatu sanguinis per venas reductionem potissimum ipsius corpori motui refert acceptam: partes enim (sunt verba Auctoris) ab influente sanguine paululum distentæ, facta undiquè læuissima compressione, subsident aliquatenus, & sese restituunt, adeoque sanguinis motum versus cor remeantis promouent, & adiuuant.

Dices ultimò. Si daretur sanguinis circulatio, sanguis in cadaveribus non solum appareret in venis, verum etiam in arteriis, quod tamen non obseruatur, nam in mortuorum arteriis sanguis non occurrit, undè non videtur admodum absona Erasistrati sententia, qui arterias spiritum tantum aereum continere tradidit.

Respondeo utrobiquè sanguinem reperiri. Quod in arteriis sanguis contineatur, testatur Arteriotomia in apoplexia, phrenitide, ophtalmia, aliisquè morbis à medicis instituta. In arteriis mortuorum, ut plurimum non reperitur sanguis, quia Tunica carnea arteriarum suis validis contractionibus illum per partium substantiam in venas trudit, quæ cum paucis fibris carneis instructæ sint, sanguisque in mortuis impellendus ingrassetur, illo se nequeunt exonerare Sane à constrictione fibrarum carnearum & potissimum circularium arteriarum sanguis promovetur ulterius, non secus (inquit Alphonsus Borellus) ac Nuclei Cerasorum à digitis compressi evibrantur. Cum motus cordis non sufficiat ratione quantitatis, eiusdem, & resistentiarum, quas offendit in arteriis eum usque ad extremum impellere. Impedito omni omninò à fluxu sanguinis à corde in arterias, sivè aulso corde, ut in ranis sive motu pulmonum impedito, ut in moribundis, vel restricto violenter Iugulo, vel Diaphragmate, aut Thorace utrinque dissecto, videmus, quod sanguis, quo arteriæ repletæ erant sensim exprimitur, ità ut paulò post remaneant omnino exinanitæ. Hoc autem non cognoscit aliam causam, quam contractionem Arteriarum per fibras carneas circulares, motumque peristalticum musculorum totius corporis. Erasistratus autem, cui hæc fibrarum contractio erat incomperta, non obseruans in mortuorum arteriis sanguinem, sensit in illis spiritum aereum contineri; hinc apparet ignorationem structuræ partium Philosophos in errorem induxisse.

## CAPUT QUARTUM.

### *De cordis, & vasorum sanguineorum structura.*

CUm cor sit causa potissima circulationis, Sanguinemque per peculiaria vasa superius obiter indicata impellat, hic cordis, & vasorum sanguineorum structura exactè traderur, ut omnia ad hanc materiam spectantia fund tus intelligantur.

Cor, quod Piramis inuersa videtur inter duos pulmonum lobos situarum. Ita ferè in centro pectoris collocatur, ut eius basis ad superiora respiciat vertex diaphragmati, obuertatur. Longitudo huius visceris solet esse in Hominibus sex digitorum circiter, latitudo basis ad quinque exporrigitur, quos tamen perfectè non attingit. Hæ tamen dimensiones pro ætatis, & temperamenti discrimine uariant. Adnectitur Cor ope Pericardii cum diaphragmate, & Mediastino, aliisque partibus per Venas, & Arterias illius basi implantatas copulatur. Cordis Mucro nulli parti alligatur, ut sit expeditus ad mortem. Hoc viscus tenui membrana obductum pinguedine circa basim potissimum scatente duas insignes habet cauitates, quæ passim vocantur, ventriculi; & quandoque sinus, thalami specus, & antra appellantur: horum sinuum capacitas tanta est, ut plura fluidi Coclearia continere possit. Præfari sinus non sunt eiusdem longitudinis, & latitudinis, dexter latior sinistro breuior est, cum ad Mucronem, quem sinister attingit non extenadtur. Seiungū ur ab inuicem cordis ventriculi à septo quodā carneo versus dextrum ventriculum conuexo, versus sinistrum concauo. Huic septo, fætu nundum in lucem edito, foramen inest, per quod sanguis, & dextro in sinistrum thalamum fertur. Hæc via ubi animalia ab Ouo prodierunt, occluditur, sanguine à dextro specu ad pulmones impulso, priusquam ad sinistrum ventriculum tendat. Ventriculi alternatim dilatantur, & constringuntur, qui motus cordis pulsus appellatur. Dilatatio dicitur diastole. Sistole constrictio; in diastole sanguinem intrà suos sinus recipiunt, quem foras truduot in sistole. Ad latera basis superius adiacet utrique ventriculo quædam capsula membranosa, & carnea cordis auricula nuncupata. Auriculæ ita cum subiectis ventriculis communicant, ut venoso sanguini, antequam in cordis thalamos recipiatur, per illas transeundum

sit. E basi cordis emergunt quatuor vasa magna, duo videlicet insignes trunci venarum, totidemque arteriarum; primi venæ nimirum, quæ ad basis latera collocanrur, ita continuantur cum auriculis, ut istæ videantur simplices illarum expansiones. Duo arteriarum Trunci è medio Cordis assurgentes, inter præfatas venas situantur. Vena inserta dextro Cordis ventriculo, cava dicitur ratione amplitudinis, diuiditurque non procul ab insectione in duos ramos, superiorem unum, Inferiorem alterum, quorum ille à partibus superioribus, hic ab inferioribus sanguinem ad eam deducit mox mox in ventriculum exonerandum. Arteria eidem sinui infixa. dicitur Pulmonaria, eo quod suas propagines quaquaversus per pulmones distribuat, quarum ope in cordis sistole sang..s ad omnes huius visceris partes ap.ellit. Vena sinistræ cordis cauitati implantata, & ipsa innumeras suas propagines per pulmones diffundens, vocatur pulmonaris, sanguinemque à propaginibus arteriæ pulmonaris receptum sinistro Cordis Thalamo infundit. Arteria, quæ proficiscitur è sinistro Cordis sinu, Aorta, seu Arteria magna nuncupatur; estquè in plurimos diuisa surculos, quorum præcipui peculiare nomen sortiuntur, sanguinem in venrriculi sistole vehit ad corporis ambitum Antè orifi ium venarum, & in ipsis arteriarum osculis reperiuntut pelliculæ quædam, valuulæ nuncupatæ, impedientes sanguinis ex ventriculis in venas, & ex arteriis in venrriculos regressum. Valuulæ ad venarum otificia collocatæ ob figuram dicuntur triangulares, Tricuspides, etmitrales, suntque tres antè orificium venæ cauæ in ventriculum spectantes, ubi istæ eriguntur videntur veluti coronæ speciem ob oculos ponere. In Orificio Venæ pulmonaris ad figuram oualem accedente, dantur duo tantum valuulæ amplæ tamen, & validè introrsum spectantes. Ad initium tamen Aortæ quam Arteriæ pulmonaris, existunt tres valuulæ, quæ à fiugra Sigmoides, seù semilunares vocantur.

Quamuis arteriæ in sui substantia venis longè crassiores sint, hocquè titulo Veteres has ex una tantum, illas ex duplici Tonica constare tradiderint, adhuc tamen Villisius ostendit utrumque vas ex quatuor Tunicis coalescere. Scitore tamen has quatuor Tunicas solum in vasis maioribus conspicuas esse, parietes siquidem vasorum capillarium adeó graciles sunt, ut ex una simplici non quadruplici Tunica constare videantur. Prima Arteriarum Tunica uberrimis vasculis instar retis implexis ditata, dicitur vascularis, seù retiformis, quæ huic immediatè succedit, glandulosa nuncupatur, cum ubique albicantes glandulas obtineat. Tertia Tunica muscularis, & fibrosa appellata ex fibriis carnibus annullaribus densissimè cumulatis constat. Ultima tandem, quæ tenuissima est, neruea vocatur, fibrasque sortitur, quæ in longum protensæ fibras annullares Tunicæ musculosæ seccant ad angulos rectos. Venarum Tunicæ eiusdem fere structuræ sunt, ac illæ Arteriarum, graciliores tamen, & alio ordine dispositæ. Harum prima neruea est, secunda vasculosa, seù retiformis, tertia glandulosa. Quarta musculosa est, quæ componitur ex fibris annullaribus tenuioribus, & serie admodum tenui contextis, quia venarum ramuli ex arteriolis sanguinem recipere debent, hinc ubique inquit Verheyen, aut se mutuo concomitantur, aut inuicem obuiam fiunt; maiores autem eorum ramuli in d.. coniun.. sunt, modo separati, & venæ frequenter superincauduot arterias. Quod factum videtur, ut arteriæ minus exponantur iniuriis, cum ob vehementiorem sanguinis motum plus periculi ab illarum, quam à venarum læsione immineat. Non tantùm vasa sanguinea diuersi generis, sed etiam eiusdem Venæ, videlicèt cum venis, Arteriæ cum Arreriis frequenter connectuntur.

Hæ vasorum inosculationes eo consilio à natura fabrefactæ sunt, ut perennis, sit sanguinis circuitus; ubi enim una Arteria ob corporis inflexionem libera non sit, vel eadem à materia tartarea obstructa sit, aut à partibus adiacentibus compressa, cruor per alteram uberius propellitur; sic videmus, quod si in Cane ligetur una ex Arteriis ceruicalibus, altera valdè ampliatur, totumque sanguinem vehit Arteriæ non habent valuulas, nisi propè Cor, quia nulla illarum est necessitas, cum ubiquè per totum corpus fiat diastole, & sistole, nihilque in Arteriis reperiatur, quod sanguinis regressum promoueat. In venarum verò cauitate adsunt hic, illic valuulæ, quæ sunt pelliculæ admodum tenues, leuesque: illæ altero extremo, quo propagines minores respiciunt, continuanrur cum interiori Tunica Venosa, altero prorsus liberæ sunt; undè ut non impediatur sanguinis circulario, Tunicæ lateribus applicantur; posito verò impedimento ad medium cauitatis exporriguntur, impediuntquè, ne sanguis ad maiora vasa delarus retrocedat, aut subsequentem suo pondere multum retardet.

Reperiuntur sæpissimè valuulæ circa venarum divisionem, seu concursum ramulorum, & præcipuè in artubus, nempè in Brachiis, & Cruribus earum numerus certus non est, quia novæ quotidie deteguntur, suntque nunc solitariæ, nunc binæ, nunc ternæ Valuularum mentionem fecisse Avicenam sub nomine cellularum tradit Bauchinus. Aquapendens illarum inventorem se statuit anno 1574. quas tamen noster Paulus Satpio illi indicaverat.

Dantur ultra quatuor descriptos vasorum truncos alia vasa, quæ a corde oriuntur, & in illud desinunt Cor siquidem non solum alıis visceribus, verum etiam proprio consulit individuo. Vasa sanginem in cordis parenchyma deducenria, vocantut coronaria, cum basim cordis cingant Instar coronæ; antequam quaquam versus in minoribus ramis per illius corpus diffundantur. Arteriæ propagines aortæ duæ sunt, quæ licet in sui exortu ad oppositas plagas feranrur, in progressu tamen ad invicem accedunt, & uniuntut, ita ut illarum hiantia oscula invicem communicent. Venæ pariter duæ sunt à caua profectæ, ab ambitu, & ipsæ conrrariæ appellatæ reducendo sanguini destinatæ. Cor nervorum propagines à nervo octavi paris, aliasque etiam à plexu Intercostali mutuatur: vasis quoque lymphaticis ditatur in ductum thoracicum sese exonerantibus.

Cordis structura, seu ejus fibrarum dispositio estò primo intuitu videatur imperceptibilis ratione magnæ diversitatis, qua simul implicantur, nullarenus tamen si accuratè observetur, nequit non apparere: dereguntur enim fibræ carneæ, quæ à basi profectæ versus mucronem circumducuntur obliquè, unde reflexè sursum deducuntur ad basim. Præter Indicatas spirales fibras, dantur etiam duo alii fibrarum ordines, nam quædam recta per cordis basim prorrahuntur usque ad mucronem in parte interna ventriculorum funiculos carneos efformantes, quos columnas appellant: aliæ antequam ad verticem perveniant, reflectuntur versus basim, ibique occultantur, describentes inter basim

sim, & conum illos plurimos semicirculos carnosas fibras intersecantes. Auriculæ cordis nil aliud sunt, quam simplex continuatio fibrarum cordis diversimodè implicatarum. Descriptum viscus in volucro quodam circumdatur, quod Pericardium vocant Anatomici. Est Pericardium membrana firma, & robusta figuræ conoidalis, infra cujus ambitum Cor tamquam intra validum marsupium continetur, tantum à corde undique distans, quantum motus ejus commoditas exigit. Intra hanc membranam continetur liquor tenuis lympidus, interdum levi rubore tinctus, qui prodit à quibusdam foraminibus existentibus in interna huius involucri superficie à Malpighio detectis. Humor iste inservit ad madefaciendum cor, ne ob motum perennem exsiccetur, & arescat. Cor (quidquid in oppositum senserint innumeri tum Philosophi, tum Medici) à natura præcipuè destinatum est ad recipiendum, & impellendum sanguinem; cumque dexter illius ventriculus in sua sistole vitale fluidum ad pulmones dumtaxat protrudat, modico pollet momento, è contra vero sinister ventriculus, utpotè qui ad partes remotissimas ad corporis videlicet pheriferiam sanguinem impellere debet, fibras habet robustiores. Cum cor sit musculus ad instar reliquorum musculorum, movebitur spirituum animalium ministerio, unde si in cervice Canis, aut alterius animalis ligentur, aut scindantur nervi Octavi paris, ad hoc viscus tendentes cor contremiscit, palpitat, & per aliquos solum dies miserum animal vitam protrahit, non verò statim moritur (ut dicit se observasse Bohnius) qui aliquos spiritus recipit à nervis intercostalibus, aliquatenus motum illius conservantes, qui si ligari possent, animal veluti fulmine ictum, statim moreretur, ut egregiè sentit Lover. Solent aliqui Philosophi ad habendum motum musculorum ultra spiritus animales, assignare etiam sanguinem, innixi huic Stenonis experimento: ligata in canne vivo arteria descendente, motus posteriorum omnium concidit, qui reddit quoties nodus relaxatur, unde sic arguunt: intantum fluidum animale requiritur ad motum musculorum, in quantum ligatis musculorum nervis, statim perit motus, qui augetur, si nervis vellicatis spiritum influxus procreetur. Sed hoc idem succedit constrictis,& ligatis arteriis; ergo eodem experimento,quo probatur spirituum animalium necessitas, probatur quoq; exigentia sanguinis ad habendum motum musculatem. Nos tamen, qui dicimus solos spiritus animales sufficere ad habendum motum musculatem huic argumento, pro quo militat Stenonis experimentum, respondemus dicendo cessationem motus non esse referendam in interceptum (ligata Aorta) sanguinis comeatum, sed in affluxum spirituum, qui prohibiti sunt nervos actuare. Fortasse dum ligantur arteriæ, ligantur etiam nervi ad musculos tendentes, vel saltem ligatis arteriis cessante in illis diastole, spiritus ex nervis in musculi ventrem exprimi nequeunt, ut in confirmationem hulus sententiæ sic scribit Franciscus Bayle: Viperæ excoriatæ capite, & cauda mutilatæ, & benè lotæ ad multas horas variis inflexionibus moventur, quamvis nil sanguinis, qui compressionibus variis fuit expressus ex arteriis in musculos circa spinam effundi possit; unde motus iste effici non poterit, nisi à spiritibus animalibus, qui derivantur è spinali medula, cujus qualibet pars est instar cerebri. Sicuti autem in istis animalculis, in quibus fons sanguinis non obturatus modo, sed omninò sublatus est, habetur motus muscularis: ita etiam poterit haberi in aliis animalibus iste motus independenter à sanguine. Circa hanc quæstionem legatur Joannes Diego, qui & ipse tradit motum muscularem solis spiritibus animalibus peragi, confirmatq; egregiè Stenonis experimentum.

## CAPUT QUINTUM.

*De sanguinis in visceribus percolatione.*

Chilum in vasis sanguineis præsertim fieri sanguini homogeneum, hocque non subitò, sed pedetentim post videlicet multos circuitus, superius traditum est: in Epate siquidem Lyene, Renibus, aliisque visceribus, qualdam particulas deponit, alibi peculiaria recipit fermenta, quibus vim aquirit, sibi Chilum assimilandi. Primum itaque verba faciam de illius per Lyenem transitum, tum de percolatione in Epate, Pancreate, Glandulis cuttaneis, & Intestinorum, nec non Renibus: deinde de appulsu massæ eruentariæ ad pulmones, ac cerebrum, & arrepta occasione horum viscerum proponam structuram, postremò agam de motu sanguinis ad omnes partes pro illarum nutritione.

## CAPUT SEXTUM.

*De sanguinis in Liene præparatione.*

Lien, qui in hominibus sua mole, & figura ad linguam Bovis accedens, à nonnullis viscus linguosum appellatur, situatur in sinistro Hypocondrio sub Diaphragmate inter costas, & Ventriculum, magis tamen versus posteriora; vertebris siquidem & costis spuriis incumbit. Color huius visceris variat pro ætatis discrimine, nam rubeus est in fætu, subobscurus in adultis, & in senibus quandoque fit plumbeus. Ejus longitudo est sex digitorum, latitudo trium, grassities unius. Hæ tamen dimensiones non nihil augentur, aut decrescunt pro subjectorum diversitate. Latus exterius huius visceris costas spurias respiciens gibbum est; interius verò nonnihil concavum juxta partium circumstantium figuram.

Lien duplici obducitur membrana, plurimis arteriis, venis, filamentisque nerveis ditata, quarum exterior à Peritoneo, & laxè cum interiori per vasorum propagines connexa, in aliquibus animalibus non totum Lienem, sed aliquam eius partem in quibusdam maiorem, minorem in aliis ambit; sub hac Tunica excurrunt plura vasa lynphatica, quorum ramificationes ità inter se implicantur, ut retis, cuius areæ inequales sunt, speciem exhibeant. Interna Tunica, quæ levis, & firma est, constat ex fibris, tam eleganter, & mirè implexis, ut exacta idea structuræ illius nequeat efformari, ubi oculis non admoveatur.

Substantiæ Lienis iuxta Malpighii observationes nihil aliud est, quam aggregatum ex subtilissimis membranis ità dispositis, ut plurimas cellulas efforment copiosissimis, & fere innumeris ditatas glandulis. Hæ glandulæ, quæ sunt figuræ ovalis, albiquè coloris appenduntur, ut plurimum racematim, quilibetque Botrus, septem, vel octo complectitur.

Habet Lieni vasa omnis generis, & primò venam à venæ Portæ trunco, quæ ramus splenicus dicitur, arteriam splenicam dictam à Celiaca, nervosque

vosque cop'osissimos per totum suum corpus distributos, mutuatur à plexu sub ventriculi fundo à sinistris collocato, quem Villisius Lienarem appellat: Omnia vasa indicata in fasciculum collecta, in volucro quodam à Malpighio detecto obducuntur, quod vasorum diramationem sequens cum illis intrà Lienis substantiam diffunditur. Lien ope suarum glandularum succum separat, qui cum in cellulas decidens, statim sanguini affundatur, observari nequit, undè illius munus determinare, ignorata natura, difficillimum arbitror. Nullarenus tamen cum sanguis à gravissimis Anatomicis in Liene observatus sit fluidissimus, & ab hoc viscere extractus, diù fluiditatem conservet (quod non succedit in sanguine ab aliis partibus educto) probabile est succum è racemis glandulosis sanguini affusum illi magnam fluiditatem conciliare, quam augebit, cum aer copiosus in Lienis cellulis existens tum indicatæ superius fibræ suis validis contractionibus cruorem in illis finibus contentum ad minima dividendo. Hæc insignis sanguinis fluiditas ipsum à Liene ad Hepar appellentem disponit ad Bilem ibi dimittentem.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De percollatione sanguinis in Hepate.*

HEpar viscus maximum in multis animalibus in tres, uel quatuor lobos divisum, situatur in dextro hipocondrio sub Diaphragmate, ventriculoque super impositum ad mediam usque Abduminis regionem exporrigitur. Ne viscus hoc, cuius pondus est ualdè grave è sua sede removeatur, cavent tria valida ligamenta, quibus partibus circumpositis adnectitur: superficies exterior Hepatis, qua respicit diaphragma, & Peritoneum convexa est, interior verò, qua fovet ventriculum, caua. Hepar in quibusdam piscibus albicat, in nonnullis ut in Lampetra viridescit, nigricat in cochleis, flauescit in orbe pisce, rubet vero in homine, & quamplurimis aliis animalibus, quem colorem admixto sanguini acceptum debet referre.

Vasis omnis generis instructum est Hepar, sed venis præcipuè, quarum pars altera à vena Caua, altera à vena Porta derivatur; Vena Porta nuncupata, in Abdomine tantum existens, utraque sua extremitate dividitur in surculos propemodum infinitos, quorum superiores per hepar excurrunt inferiores verò per reliquas infimi ventris partes distribuuntur. Vena Caua diaphragma pervadens hepati immergitur, cui in ipso introitu sæpè tres insignes ramos, & deinde per totum transitum plures alios minores largitur, qui in plures minimas propagines divisi, per omnes hepatis partes distribuuntur. Natura in hoc viscere à consueta operandi methodo recedit, cum enim alibi semper sanguinem per arterias sulum ad partes impellat, hic venæ munus hoc exequuntur: Sanguis namquè ferè totus per ramos venæ Portæ in hepar deducitur: totus fere totus, cum aliqua portio sanguinis per arteriolam quamdam hepaticam dictam à Celiaca provenientem, ad Hepar appellat. Neruos fortitur recu à pari vago à thmaticis, & intercostalibus, ac plurima uala lyophatica, quæ ortum trahentia a glandulis circà ramos venæ Portæ existentibus ad Cisternam Pequeti, vel glandulas lombares Thomæ Bartolini feruntur.

Circa substantiam Hepatis nota sedulum naturæ indagatorem Malpighium detexisse quemlibet Hepatis lobum ex plurimis glandulis contiguis, & membrana continente coalescere. Ad istas singulas glandulas præter vasa communia feruntur quoque rami ductus Hepatici, per quos fluidum è singulis glandulis separatum, in canalem defertur fele in intestinorum cauitatem exoneranrem. Quæ cum ita se habeant, nemo non videt Hepar inter glandulas conglomeratas reponendum esse. Quomodo autem clara, & distincta idea structuræ Hepatis efformetur, ductus Collidochi propagationes propè intestina gracillia cum Allexandro Pascoli sunt inquirenda. Præfatus tubus non procul à Duodeno, scinditur in duos ramos, quorum alter cysticus, Hepaticus alter appellatur: cysticus desinit in quandam paruam vesicam existentem in caua hepatis parte, de qua inferius, hepaticus immediatè subit Hepar, & sese in minimas propagines diuidens, quæ porri billiarii dicunrur, fertur ad globulos, singulisque glandulis vas excretorium largitur. Indi catus tubus Hepar ingreditur unitus venæ portæ, arteriæ hepaticæ, & filamentis nerueis, quæ omnia vasa ad illius divisionem in minimas abeunt propagines, quibus concomitando ductus hepatici ramificationes, tendunt ad lobulos, ut per glandulas illos componentes distribuantur. Fasciculus descriptorum vasorum Hepar subeuntium communi clauditur in - volucro, quod capsulam appellat Glissonius. Hæc vagina se se difundens, & dividens cum vasulis contentis intra hepatis substantiam, cum ipsis ad lobulos exporrigitur. Præfata capsula partim est membranosea, partim carnea, quo per expositos canales fœlicius fluidorum motus absoluantur.

In caua hepatis parte reperitur vesica quædam figura, & magnitudine parvum Pirrum referens, quæ Cystis fellea, Pulliculus felix, Vesica fellea, seù biliaria vocatur. Hoc felix marsupium, tres habet tunicas, quarum exterior, & interior notuea est: media verò carnea inter hæc inuolucra natura collocavit quamplurimas minimas glandulas à malpighio derectas, quarum vasa excretoria membraoam internam perforantia, in cauitate vesicæ biliariæ, protuberantia efformant, à quibus iuxtà nonnullos Bilis extillat, iuxta verò alios peculiare fluidum Bili immiscendum. Ne marsupium hoc à Bilis acrimonia lædatur, crusta quadam mucosa obtegitur. Dividitur folliculus felix in fundum, & ceruicem, fundus rotundus est, residerque in inferiori parte, cervix fundo durior, & sursum spectans, gracilescens abit in ductum cysticum. In cervice reperitur Anulus fibrosus, quo meatus iste plurimom angustatur. Venas duas recipit cystis fellea à vena Porta, exiguas arterias à dextro Celiace ramulo, neruorumquè à pari vago, ac exiguum vas lynphaticum, quod iunctum aliis lynphaticis, in communem alueum exoneratur. Dantur præterea in Cysti fellea peculiares ductus radices vocati, qui Hepatis interiora penetrantes cum poris biliariis comercium ineunt, nam si flatus per ductum cysticum immittatur in felix felliculum usque ad eius turgescentiam, per cauum hepatis diversis tractibus transit, reditque per ductum hepaticum. Horum ductuum inveorotem fuisse Fafolinum Anatomicum Neapolitanum testatur Riolanus. Non omnia Animalia habent vesicam Biliariam, cum illa, Equi, Cerui, Camelli, Capreoli, Delphini, Glires, & volatilia destituantur.

Potissimum descripti visceris munus est Bilem ex sanguine glandularum ministerio separare, quæ ab ipsarum cauitate transit in porros Billiarios, quotum

rum aliqui in Cystim felleam biantes illins radices constituunt, reliqui verò, qui plurimi sunt in unum cobeuntes, canalem efformant sese in duodenum exonerantem.

Expositis structura, & usu Hepatis reliquum est, ut aliqua circà Bilis naturam, viresque proponamus. Coalescit Bilis (ut Chimia ostendit) ex multo sale Alchali, cum fixo, tum volatili, modico sulphure, seu oleo pauco spiritu, plurimumquè terreæ, & aquæ continet, aliquidque insuper salis muriatici possidet. Quamdiu indicata elementa (inquit Franciscus Baile) debita proportione, & convenienti mixtione, ad hoc fluidum constituendum concurrunt Bilis, sal, seu partes igneæ, estquè coloris crocei, modo magis, modo minus saturati, mediocris fluiditatis, acremquè exhalat odorem. Ubi verò nimia aqua scateat est fluidior, & pallidior, si oleum plurimum adsit, Bilis fit magis inflammabilis, calorquè ex illius effervescentia ortus, est magis adurens, & diuturnior. Si Alkbali nimis dominetur tam insignem nanscisitur vim abstergendi, ut mucum intestinorum absumat, ulcera procreet, sanguinem nimis dissolvat, partesquè omnes sensibus pungendo dolores excitet: Terrearum partium excessus eam ad concrescendum disponit. Cum illa ratio, & proportio elementorum in diversis animalibus eadem non sit, nil mirum (inquit præfatus Philosophus) Bilem unius ab illa alterius discriminari: in quibusdam enim est acrior, in aliis mitior, in bis flava, in illis viridis. Cum de Bilis usu alibi habitus sit sermo, hic ne eamdem crambem recoquamus, de illo verba non facimus.

## CAPUT OCTAVUM.

*De massa cruentaria ad Panchreas translatione.*

PAncreas est Viscus quoddam ventriculo suppositum, quod Veteres crediderunt inservire pro pulvinari ventriculo, ne ab immediato spinalis medullæ contactu læderetur. Pancreas sub ventriculo collocatum, cum ferè ad Hepar ex una parte, ex altera usque ad Lienem exporrigatur, situm transversalem nactum est circà primas Lomborum vertebras. Hoc Viscus, cujus color est pallidus, figura oblonga circà intestinum duodenum latius, & crassius est, circà verò Lienem angustius & gracilius. Longitudo illius est, ut plurimum octo, vel decem digitorum transversorum, latitudo duorum cum dimidio ad summum, grassities digitum transversum non excedit. Arterias Pancreas habet à Celiaca, venas à ramis Sphænicis, nervosa à Sexto pari. Habet ulterius quemdam ductum per medium suæ substantiæ excurrentem, de quo inferius verba faciemus. Est Pancreas glandula conglomerata, idest glandula ex minoribus glandulis coalescens, quarum singularum vasa excretoria hiant in canalem communem sese in intestinorum cavitatem exonerantem, in quem si insufletur aer, totum turget Pancreas, & in magnam molem attollitur. Viscus hoc cum Alexandro Pascoli concipi potest instar racemi uvæ non nihil longi angustiæ, & depressi; grana, glandulæ concipiantur, pediculi granorum sint loco vasorum excretoriorum, pes ille per longitudinem racemi excurrens, vices gerat Pancreatici ductus, qui & ipse fertur per Pancreatis longitudinem. Non habet tamen uvæ botrus membranam investientem omnia grana, quemadmodum Pancreas, cujus exterius involucrum omnes glandulas intra se claudit. Singulæ Pancreatis glandulæ tantam habent duritiem, & firmitudinem, ut à se invicem sejunctæ propriam retineant formam: ubi postea in unum coheunt cum arctè simul non copulentur, molliusculum corpus efficiunt, unde non absre à quibusdam Pancreas, glandula molis, & laxa nuncupatur. Ductus Pancreaticus contentum succum in Barbis, & Carpionibus in ventriculum, in aliis verò animalibus in intestina exonerat. Pancreatis usus est peculiarem succum secernere, in cujus natura assignanda non conveniunt Anatomici, cum diversæ sint observationes. Nos quid circa usum hujus succi sentiamus, alibi aperiemus.

## CAPUT NONUM.

*De vitali fluido ad intestinorum glandulas ducto.*

PEnes Anatomicos excitatur quæstio, utrum hæ glandulæ aliquid ex intestinis recipiant, an potius è massa sanguinea humorem separent effundendum postea in intestinorum cavitatem. Nos cum Verhein opinamur bos folliculos, humorem è sanguine arterioso secernere, eumque eructare in intestina, nam in intestinis crassis quid boni ex materia excrementitia, seu fæculenta ibi stabulante elicient. Uberrimæ glandulæ in tali loco existentes, feces, deposita in venis lacteis substantia serosiori, nimis arescerent, ac proinde difficillimè excernerentur, ubi novo humore in intestinis crassis non imbuerentur. Glandulæ frequentissimæ circa finem Illei, ubi nulla, aut certè pauca humiditas inest, quid quæsò absorbere poterunt? potius in hunc locum effundi debet activus liquor, qui partes Chili crassiores subigere possit, ut ille angustissimis venarum lactearum porris proportionentur. Natura sanè, inquit Verhein, hic molitur, quod nos præstamus, dum ex herbis parum humidis succum exprimere volentes, iisdem adjungimus liquorem aliquem tenuiorem, qui dictum succum instar vehiculi secum educat. Paucæ verò glandulæ existunt in Duodeno, & Jejunio, quia hæc intestina aliunde magnam humoris quantitatem recipiunt ex glandulis nimirum pancreaticis, & ex potulentis.

## CAPUT DECIMUM.

*De sanguine, renes, uretres, vessicamque urinariam alluente.*

REnes situati in regione lumborum intra utramque Perithonei tunicam retunduntur, sinister in homine superior est, dexter inferior, ut locum relinquat Hepati, sub quo collocatur sine suo pertingens usque ad tertiam lumborum vertebram.

Color horum viscerum est atrorubeus, figura est instar faseolorum, longitudo est ferè quatuor vertebrarum, latitudo plerumque trium digitorum transversorum, grassities illam pollicis adæquat, & multoties excedit. Duplicem habent renes membranam, quarum exterior laxè illis adhærens fascia renum dicitur, necnon membrana Adiposa, eo quod multa scateat pinguedine. Se-

Hhhhhh cun-

cunda membrana renum propria, tenuissima, & absque pinguedine ab externa vasorum tunica proficiscitur.

Vasa omnis generis intra renum substantiam sese insinuant; vena à cava derivata emulgens dicta; Arteria ab Aorta proveniens, & ipsa emulgens nuncupata; nervum habent utrinque unum àramo stomatico paris vagi: hi nervi in transitu vasa emulgentia frequenti circumvolutione amplectuntur.

Propria renum substantia à Malpigbio, & Bellino detecta ex minimis coalescit glandulis, quibus appenduntur capillare canaliculi in pelvim, cavitatem videlicet in centro renum positam sese exonerantes, in cujus circumferentia reperiuntur protuberantiæ quædam, carunculæ capillares dictæ; quæ nil sunt præter dictorum tubolorum unionem, in plures veluti fasciculos diversæ longitudinis collectorum.

In parte concava renum reperiuntur canales quidam terretes, uretres dicti, qui per Abdominis longitudinem obliquè excurrentes ad vesicam urinariam feruntur, ad quam ubi pervenerunt, perforata illius extima tunica, inter hanc, & interiorem excurrunt, mox reflexi in ejus cavitatem aperiuntur. Duplici donantur uretres membrana, quarum exterior à Peritonco derivata, crassa, & densa est; interior, seu propria cum sensum exquisitum sortita sit, valde dolet in calculi transitu: addunt alii tertiam naturæ carneæ inter utramque mediantem.

Vesica urinaria, in quam inseruntur ureteres, collocatur in Hypogastrio in cavitate efformata ab osse sacro coxarum, & pubis: in viris immediatè subest intestino recto, in fæminis verò inter collum uteri, & os pubis reperitur. Variat vesicæ magnitudo pro urinæ quantitate, nec non ratione individuorum ætatis, & speciei. Figura illius instar Piri protunda, & oblonga est, intusque cavitatem habet insignem, in fundum, & cervicem, seu colum divisam: pars ejus superior rotunda, fundus dicitur, inferior verò oblonga, qua vesica abit in uretram, promiscuè collum, & cervix nuncupatur. Substantia vesicæ est partim membranosa, partim carnea; duas enim habet tunicas nerveas prima à Perithoneo orta, valida, & densa est, altera intima, & propria, cum sensu exquisito polleat, ne ab urinæ acrimonia lædatur, crusta quadam mucosa obtegitur. Inter indicatas membranas non mediat tunica nervea, quemadmodum voluerunt Veteres Anatomici, sed musculus, ut sentit Aquapendens, cujus fibris circularibus vessica contrahitur pro lotio eliminando. Ad cervicem vessicæ locatur musculus, sphinter dictus, qui dum agit, constringendo vesicæ colum, involuntarium inhibet urinæ egressum. Foramina tria vesicæ insunt, duò quibus eam subeunt uretres. Tertium in collo pro urinæ exitu, quod adnexam habet uretram; venas habet hipogastricas dictas ad cervicis latera implantatas, arterias in viris ab hipogastrica, in fæminis à vasis uteri cervicem promeantibus, nervos insignes à pari vago, & ossis sacri medula.

Descriptarum partium usus certissimus est, nam separationi, itineri, aggestioni, & urinæ excretioni famulantur. Hic noto separationibus plurimum favere motum intestinum sanguinis, quo omnes partes à mutuis amplexibus prohibentur, unde urinæ particulæ solutæ, & liberæ, ubi ad proportionatam glandularum renealium substantiam perveniunt, expeditè in illam sese insinuant; & per fibras maximam renum compagem constituentes, quas diximus earumdem glandularum esse vasa exctetoria in pelvim exonerantur, à qua postea per uretres in vesicam deducuntur. Motus Diaphragmatis in inspiratione musculorum abdominis motus reciproci, inserviunt ad èxprimendam urinam è canaliculis ad pelvim, quod idem sua Diastole molliuntur arteriæ, renum substantiæ insertæ. Scitote ex Bellini ductibus impletis nihil egredi citra compressionem, ut constat ex renum dissectinne: hoc idem succedit in mammarum papillis; quæ lacte copiosissimo turgidæ illud non effundunt, ubi non constringantur, vel comprimantur. Urina per uretres in vesicam delabitur; non solum ratione suæ gravitatis, verum etiam ob eorundem tunicæ carneæ contractionem: in vesica autem sensim recolecta, eo usque agetur, donec illam, vel ob pondus, vel acrimoniam cogat ad excretionem, tunc enim relaxato sphinctere foras truditur.

Hisce expositis urinæ naturam inquiramus. Urina nil aliud est, quam aqua variis corpusculis solidis impregnata, hoc ex simplici illius distillatione unicuique perspicuum; ex lotio siquidem copiosissima elicitur aqua, & si crassamento superstiti tantum aquæ communis affundatur, quantum humiditatis eductum est, illud omnes urinæ passiones induet. Præter uberrimam aquam, in ipsa datur tartarum, seu terra insipida, sulphur, nec non salia fixa, & volatilia. Urinæ sal præ cæteris principiis considerationem meretur, cum (ut inquit Elmontius) in toto vastissimo naturæ regno, illi similis non occurrat, non enim talis est marinus, fontalis, rupeus, non aluminis, aut boracis, non denique naturalium ullus. Difficilius juxta Ramacini mentem statuitur natura salis urinæ humanæ, quam cæterorum animalium, cum hæc victu simplici utantur, homò verò cibaria ingerat, per omnia elementa conquisita.

Est urina remedium polycrestum ad multa videlicet utile, nam dolores articulares presentes currat, arcet imminentes, medetur ophtalmiæ, tollit viscerum obstructiones, sedat febres contumaces, catameniorum, suppressio, hydrops, histerus, aliique morbi è pota profligantur urina.

## CAPUT UNDECIMUM.

*De sanguine in Viris circulante ad organa generationi dicata.*

HÆ partes sunt triplicis generis, quædam vehunt ad peculiaria loca materiam pro seminis elaboratione: aliæ semen conficiunt, ultimæ sunt seminis receptaculum, illudque statis temporibus è corpore eliminant. Vasa primi generis dicuntur Præparantia, & sunt arteriæ, vene, ac nervi. Arteriæ duæ sunt, quæ hinc inde ab Aorta infrà natæ emulgentes, & obliquè versus inguina excurrentes, in progressum venis associantur. Præfatæ arteriæ in Hominibus (quidquid sit in Brutis) observante primum Graphio unu tortuoso, sed recto penè ductu ad testes feruntur. Totidem sunt venæ spermaticæ, quarum dextera à trunco Cavæ proficiscitur paulò infrà emulgentem, sinistro oritur immediatè

mediatè ab ipsa emulgente: quandoquè tamen, sed rarius utraque, vel à Cava, vel ab emulgentibus enascitur. Vasa spermatica in Viris majora sunt, quam in fœminis, & utrobique venæ Arteriis ampliores, majorem habent longitudinem, quam sit distantia earum exortus, usquè ad finem, ad testes, videlicet per quos distribuuntur, quamobrem invicem implicitè plexum quemdam efformant, tortuosis ductibus sursum, deorsum, & ad latera reflexis, qui plexus corpus varicosum appellatur. Ubi vasa uniuntur, & expanduntur in ampliorem basim, præfatum corpus vocatur Piramidale, pampiniformæ verò, ubi ante ingressum in testes, instar capreolorum vitis crispantur. Concomitantur vasa spermatica ultra ductus lynphaticos Limpham à testibus ad commune receptaculum deducentes, exiles nervi a Sexto pari prodeuntes, nec non aliqui à vigesimo primo Pari spinalis medulæ profecti. Quamplurimi Anatomici opinantur plexum voricosum efformari à natura, ut sanguis, spiritusque animales, ibi per longam moram ita disponantur, ut citò in testibus Seminis induant naturam, quæ opinio in Hominibus ob adductam Graphii observationem nequit sustineri. Arteriæ deferunt sanguinem ad testes, cujus pars viscidior inservit pro eorumdem nutritione, Spiritnosior, pro seminis elaboratione, venæ reuheunt quod reliqnum est, nervi deferunt spiritus animales ad motum, & sensum, nec non ut concurrant ut quod, seu efficienter ad nutritionem: addunt pleriquè Anatomici cum Diemerbrochio, ut seminis compositionem ingrediantur, quæ opinio aliquibus non arridet, & potissimom Villisio.

Secunda classis est vasorum semen elaborantium, testium videlicèt, quorum descriptionem legatis penes Anatomicos, & potissimum penes Graphium.

Testibus àdnascitur oblongum quoddam varicosum, & vermi simile corpus Epididymis nuncupatum, quod si spolietur tunica, qua undequaque circumdatur, dorsoque testis alligatur, obuii fiunt plurimi anphractus, qui ope cultri ab invicem sejuncti, in longitudinem non contemnendam exporriguntur. Hec vasa sic dissoluta ulteriori discussioni obnoxia sunt, nam si dissecetur membrana, qua tortuositates semel dissolutæ obducuntur, deteguntur quidam plexus, tam artè inter se choerentes, ut rem perfunctoriè consideranti, unum dumtaxat, simplexque corpus videantur.

Epididymibus copulantur ductus quidam, qui in principio, varicum ad instar flexuosi, & contorti, parastate variciformes, in aliis verò partibus vasa ejaculatoria, seu sphermatica desserentia vocantur. Horum vasorum situs partim est in Scroto, partim in Abdominis cavitate: illinc enim sursum tendunt vasis præparantibus ope tenuis membranæ unita, cum quibus feruntur ad Inguina, & ad os Pubis, inde deorsum reflexa supra Uretres ad posteriorem vesicæ partem progrediuntur, ubi primò dilatantur, postmodum ita sensim angustantur, ut gracillimo ductu vesiculis seminalibus inserantur.

Vesiculæ seminales inter vesicam urinariam, intestinum rectum sitæ conflantur ex tenui membrana infinitas propemodum parvas cellulas inæqualis magnitudinis efformante: Cellulæ unius partis nullam habent cum illis alterius lateris communicationem. Figura suæ vesiculæ seminales Avium minorum intestina variis modis convoluta emulantur. Longitudinem habent, ut plurimum trium, vel quatuor digitorum transversorum, latitudinem pollicem transversum æquantem, Crassitiem tertiam partem digiti transversi non excedentem. Præfatæ tamen dimensiones in uno latere sæpè, quam in altero majores sunt. In descriptis vesiculis, digito transverso sub collo vesicæ peculiaribus foraminibus sese in uretram exonerantibus, semen coacervatur, ut Animalia citò se à congressu venereo expediant. Ubi enim semen quod in Coitu effunditur, per longissimas, & tortuosas testium Epididymum, & vasorum deferentium semitas transire deberet, actus venereus completus longum sanè tempus exigeret, ut videre est in Canibus vesiculis seminalibus destitutis.

Ad radicem Penis supra sphincterem vesicæ utrinque ad ejus collum situantur glandulæ duæ, prostatæ nuncupatæ: hæ glandulæ, quæ sua mole, & figura ad nucem juglandem accedunt, exterius membrana validissima pluribus fibris carneis instructa circumdatæ, componuntur ex substantia spongiosa, multis ditata folliculis: humor ab istis glandulis separatus, & determinatis foraminibus in uretram deductus juxta Graphum semini immisceatur, quo coerceat, quantum fieri potest, intra illas particulas avolare nitentes.

Hisce expositis remaneret perpendenda mentula, quam accurate in Anatomicis libris descriptam videatis.

Testes, quibus donantur mares omnium animalium mutuo congressu generantium, si fides habenda est Bohnio, non enim in piscibus, & serpentibus desiderantur, ut visum est Aristoteli, inserviunt potissimum seminis elaborationi, nam per harum partium extractionem animalia vi prolifica privantur, quod etiam contingit, ubi uterque testis aliquod insigne vitium contraxit. Addendum in ipsis semen observari, non aliundè, ut contingit in vesicis seminalibus derivatum. Semen, ut egregiè scribit Diemerbrochius, est liqoor spumosus, & albus spiritu germinante impregnatus ex sanguine arterioso, spirituque animali in testibus, aliisque spermaticis vasibus elaboratus ad similis animalis generationem. Semen ex sanguine arterioso generari evincunt descriptæ arteriæ spermaticæ, quæ, sanè, cum valdè insignes sint, plus sanguinis ad has partes vebunt, quàm pro illarum nutritione requiratur: in nimia venere sepè loco seminis non sine voluptate sanguis egreditur, nam frequentiori coitu ita dilatantur vasa spermatica, ut in iis sanguis tandiù asservari nequeat, donec in perfectum semen facescat: Spiritus animales quoque ad seminis generationem concurrere ob oculos ponit, cum magnus consensus inter cerebrum, & partes genitales intercedat; cogitatio enim venerea turgescentiam excitat in partibus generationi dicatis, & istæ in motum actæ procreant in cerebro rerum venerearum apetitum, tum illa insignis lesio cerebro, nervis, omnibusque nervosis partibus ab immoderato coitu illata, hinc cecinit Castor Durans.

*Est Veneris fugienda tibi immoderata voluptas,*
*Nam capiti, mentiquè nocet, sensusque retundit,*
*Virtutemquè bebetat animalem, & corporis omnes*
*Debilitat nervos, infirmaque pectora reddit*

Quia scilicèt, ut rectè Diemerbrochius, cum excretione multi seminis spirituum animalium ma-

magna pars consumitur, undè lassitudo, & virium dejectio subsequuntur, quæ omnia indicant una cum semine copiosos spiritus animales evacuari, si enim semen ex solo sanguine conficeretur talia symptomata non subsequerentur post illam seminis evacuazionem, quippè integra sanguinis libra detracta non infert tantam debilitatem, quantam una uncia seminis ejecta. Dictum est semen spiritu germinante impraegnatum esse, quæ particulæ in definitione seminis non erant omittendæ quamvis deindè innuatur ad ejus generationem spiritus animales concurrere, nam ex hoc, quod spiritus animales ad semen generandum confluant non sequitur quod debeant remanere formaliter in semine, cum copulati aliis partibus possint ita alterari, ut aliam naturam induant, ut videmus succedere in spiritibus vini, & urinæ simul junctis in offam albam concrescentibus. Dari in semine spiritum germinantem, auram seminalem nuncupatum, partem nimirum in motum pronam, & fæcundantem, cujus vas, seu conceptaculum est crassamentum glutinosum, ratione potissimùm deprehenditur. Portio seminis sensibilis, & viscida crassissimos, & compactissimos mulierum testes subire nequit, nec potest ovorum substantiæ admisceri, ac in illa vitalem motum inchoare. Cum semen affrictum pudendo mulierum, estò matricem non pervadat, eas tamen fæcundet (quidquid dicat Galenus) nequit non partibus volatilibus scatere, quæ promptissimè à glutinosis vinculis se expedientes per vaginam ad uterum, aliasque partes generationi dicatas ferantur. In Gallina semel tantùm à Gallo compressa omnia ova vel si centena essent fæcundantur, magno sanè argumento semen copiosissimis partibus volatilibus imbutum esse.

Insensibiles seminis partes talem in parentum corpore vim nactæ sunt, ut intra ovum admissæ, dum ibi incipiunt se se evolvere, & à crassioribus varticulis explicare in germen, seu rudem animalis generationem erumpunt, ex qua cætera proveniunt, & perficiuntur. Partes namque antea à capite, thorace, abdomine, artubusque profectæ ita evolvuntur, ut quæ a cerebro derivatæ sunt, cerebrum efforment, quæ ab oculis oculos, quæ à corde cor giguant; idem valet de reliquis; ea prorsus ratione, qua salia diversæ indolis in aqua soluta ab aliis separantur, nam quæ sunt unius rationis in unum confluunt, & secernuntur ab aliis diversæ naturæ, que in alio loco congregantur. Ita Le Grand, paucis mutatis, doctrina à Cartesio desumpta. Sic quoque philosophatur Hypocrates in libro de natura pueri, ut hanc opinionem probabilem reddat. Si fistulam vesicæ alligaveris, perque eam terram, arenam, tenuia plumbi ramenta injeceris, & aquam infunderis, flatu immisso, primùm illa cum aqua variè miscebuntur, deinde cessante agitatione illis à flatu conciliata, plumbum ad plumbum, arena ad arenam, terra ad terram accedet, ac si quis ea arescere permittat, disrupta vesica varii cumuli plumbi, arenæ, terræ obvii fient, particulis etherogeneis divortium passis per similium ad similia accessum.

Sanè cum dici nequeat partes in fætu ab anima rationali efformari, quæ tunc solùm infunditur, ubi corpus est sufficienter organizatum, ut est de fide; nec possit dici, eas ab anima Matris procreari, quæ post aliquot menses comunicat vitaliter cum fætu, ut colligitur ex Diemerbrochii observationibus, ad affectiones mecanicas confugiendum erit ab Auctore Naturæ genitas, vel, ut ait Henricus noster, ad formam corporeitatis, quam & scotus admittit. Hanc porrò vim in singulis partibus vigere generandi aliam partem sibi consimilem perspicuum est in plantarum potissimùm resinarum combustione: dum enim istæ ignis actionem patiuntur iu illarum analysi spiritus architectonicus erumpit, qui in fenestrarum vitra impingens ibi plantarum cudit iconem. Hoc etiam contingit dum ope solius caloris laxata plantarum compage præfatus spiritus egreditur, ut nuperrimè Venetiis est observatum. Profectò quemadmodum ab omnibus visibilis corporis partibus infiniti radii subtilissimi exeunt, & colorem illarum partium externarum ex quibus emanarunt delineantes. Ita singulis animalium partibus inest in recessu tamen peculiaris vis consimiles partes elaborandi, quæ ad muliebre uvum traducta, ibique lutus recollecta dum evolvitur organici eorporis epytome constituit ab aura seminali masculi explicandum, ut alibi susius exponetur.

Ideo hanc vim in qualibet parte residentem admittimus, quæ ad ovum confluens, ibi futuri fætus germen procreet, quia ubi Parentes aliqua parte destituuntur, hæc in filiis ab iisdem procreatis quandoque desideratur. Felis, ut observavit Le Grand, cui adhuc parvulæ amputata fuit cauda, catulos postmodum partim caudatos, partim sine cauda procreavit. Et Canis, quæ integros solebat eniti catulos, ubi cruris fracturam passa est catulos edidit claudos. Hac opinione admissa facilè explicatur illa maxima similitudo inter Matrem, & filos intercedens. Sed quo ab argumenti dulcedine abripior? Hic de generatione ex professo agere non debeo, esto seminis naturam inquiram: hæc siquidem disertatio alibi est instituenda.

Si curiosè inquiratur quenam sit auræ seminalis indoles. Reponam ipsam de natura salis volatilis participare: residet namque iu salibus seminum vis; cum ex illis plantæ, & animalia regenerentur, ut legere est pænes Quercetanum, Tachenium, Totium, aliosque; hinc Poetæ dixerunt Venerem ex maris salsedine procreatam, & Gramatici libidinosos salaces appellant. Quod autem aura seminalis sit naturæ salinæ hisce motivis probatur*. Homines obesi, & pingues, qui oleosis humoribus scatent, sunt parùm pronit ad res venereas. E contra verò in sitioribus, qui uberrimo sale ditantur, vividus est venereotum appetitus. Semen quemdam subacidum odorem exhalat à sale suso ortum trahentem. Sal copia auctum titillationem pruriginosam, & irritationes ad res venereas excitat, ut observante Plutarco videre est in pecudibus salem lambentibus. Quæ plurimo sale volatili constant, ut Pistachia, nuclei, Pini, castaneæ, legumina, aromata, & alia id genus semen fæcundius reddunt, & ulterius summoperè ad venereum appetitum excitant. Rerum fæcunditatem à sale fuso, & per calorem dissoluto procedere ita probat Diemerbrochius: Cineres ignis Cullinarii, potissimum si sint lignorum Quercinorum, per prata dispersi illa multo fertiliora efficiunt, quàm si fimus bubulus inspergatur, & diuturniorem fertilitatem conferunt, quia uberrimum salem continent, qui a pluvia liquefactus, & Solis calore attenuatus fertilitatem grami-

graminum, aliarumque herbarum procreat; ſtercore humano in glatrimis collecto, vel etiam Colombino, aut Gallinaceo ſi ſtercorentur agri, de duplo fecundiores euadunt, quam ſi Bubulo, vel Equino eadem, aut dupla, triplaque quantitate ſtercorati fuerint, quia decuplo plus ſalis balſamici continet. Aqua pluuia magis conducit ad plantarum vegetationem, quam quæ è fontibus, & fluminibus in arua deriuatur, cum uberrimo ſale volatili prædita ſit illi ab aere communicato.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De motu ſanguinis ad Pulmones, & neceſſitate reſpirationis.*

PUlmo eſt viſcus maximum, quod in inſpiratione turgeſcens, ferè totam replet thoracis cavitatem. Figura illius ad angulam bubulam accedit, qua parte coſtas reſpicit, convexus eſt, concauus, qua Cor amplectitur. Diuiditur pulmo ope mediaſtini in partem dextram, & ſiniſtram, quarum quælibet in duos lobos dirimitur, qui ex infinitis propemodum, minimiſque lobulis coaleſcunt. Color huius viſceris rubeus eſt in fœtu, roſeus in adultis, & in illo ſubſtantia denſior, quam in illis Non componitur pulmo ex parenchymatoſa carne, quemadmodum veteribus viſum eſt, ſed eſt, ut detexit Malpighius aggregatum ex innumeris veſiculis, quæ cum inter ſe, tum cum trachea omnimodam habent connexionem, undè in eaſdem ex aſpera Arteria, & ex aliis in alias patet aditus. Bronchia cum iſtis appeoſis veſiculis vuæ racemos emulantur. Pulmo habet vaſa omnis generis, Arteriam pulmonarem quæ à corde profecta innumeris propaginibus per uniuerſam pulmonum ſubſtantiam diſpergitur. Uua pulmonaris, & ipſa à corde profecta, infinitos propemodum ramos per pulmones diſtribuit: rete quoddam mirabile in hoc viſcere occurrit uniens inter ſe indicatas cellulas, quod ex Arteriæ, & venæ minimis propagationibus coaleſcit. Tertium vaſorum genus ſunt ramuli aſperæ Arteriæ, Brunchiæ appellari: trachea, ſeu aſpera Arteria, canalis nimirum aeris, pulmones ſubit bipartitus; poſtmodum in duos ramos diuiditur, qui in alios minores, & minores ſubdiuiſi, tandem omnes veſiculis pulmoonum ſubſtantiam conſtituentibus inſeruntur. Pulmo magnam habet lynphaticorum quantitatem, quæ ex ramulis, quaſi infinitis vaſa ſanguinea plerumque concomitantibus in pauciores truncos coeuntia, in ductum thoracicum exonerantur. Poſtremò in Pulmonibus juxta Villiſii obſervationem dantur uberrimi nerui, qui à trunco paris vagi procedentes per omnes pulmonum lobos diſtribuuntur.

Præmmiſſa pulmonum ſtructura, ſic philoſophamur. Dum Sanguis è dextro Cordis ſinu ad Pulmones appellit, eſt craſſus, niger, ſpiritibus deſtitutus; ubi verò ab eiſdem eggreditur eſt ſubtilis, minei coloris, partibuſque volatilibus ſcatet, quapropter rationi conſentaneum eſt, dum aerem inſpiramus quaſdam illius particulas, vel aliquid energeticum aeri inexiſtens in maſſam cruentariam deduci, quod ſanguinem plurimis fermentis viduatum in ſua ad omnes partes expanſione deperditis, noua imbuat vitalitate. Sanguis ope circulationis ad corporis periferiam propulſus in ſingulis, quas aluit partibus, has, vel illas molleculas relinquit juxtà varias diſpoſitiones, quas ibi inuenit, & in primis ubique ſuccum nutritium, in Hepate Bilem in Pancreate ſuccum Pancreaticum, in ſtomaco cibariorum menſtruum, in ore ſaliuam, in cerebro ſpiritus animales, in renibus ſerum, uberrimis ſalibus ſcatens, in colliculis cutaneis multos vapores halitus, ſalia verò volatilia, & alia tranſpirabilia. Quamobrem, cum idem ad Cor per venas rediens ſit valdè effetus, chilumque non ſufficienter ſubactum recipiat, à quo magis ingraſſatur, non poteſt ob ſpirituum deficientiam folliculis corticalibus cerebri partes volatiles ſuppeditare pro manutenendis motibus naturalibus, & voluntariis, calorem naturalem fouere, propriamque tueri fluiditatem, ubi aer ſuppetias non ferret, ei principium peculiare ſummę actiuitatis communicando, per quod ad nouam quodamodo vitam reuocetur. Fateor aliquam fluiditatem ſanguini conciliare deſcriptam Pulmonum ſtructuram, fluiditas tamen independens citò deperderetur ſanguine ad latiora vaſa delato, in quibus partes grauiores ſubſiſtens in corpus ſolidum concreſcerent, ubi illi principium volatile, & energeticum non admiſceretur, quod ſua agitatione illarum coalitum inhiberet.

Dices primò. Nulla ratio probat aerem motum habere; ergo dici nequit aerem ſanguini motum vitalem impertiri.

Reſpondeo negando antecedens. Veſtes madidæ aeri expoſitæ exſicantur, quomodo autem ſuccedit hoc? niſi quia aer in motu poſitus tranſiens per illarum porros ſecum abripit aqueas particulas. Illa motio perennis, quæ in fluidis, ut in aqua reperitur, explicari nequit, niſi confugiamus ad quandam ſubſtantiam ſubtilem, & inconſpicuam quæ penetrans aquæ porros, illi motum inteſtinum conciliat, cum autem uberrima quantitas huius ſubſtantiæ in aere reperiatur, nequit non illi motum inteſtinum communicare.

Dices ſecundò. Si aer ſanguini affunderetur officeret circulationi ſanguinis, ſed hoc impedimentum in ſanguine non debet dari; ergo non eſt dicendum aerem ſanguinem ingredi. Probatur major in ſanguine tolleretur contiguitas partium ejuſdem per aerem, ſed hoc eſt impedimentum; ergo per aerem in ſanguine naſceretur impedimentum.

Reſpondeo negando majorem, ad probationem diſtinguo majorem, tolleretur ſenſibiliter, nego, inſenſibiliter concedo majorem. Certum eſt aerem eſſe aquæ immixtum, ut evincitur ex experimentis habitis in machina pneumatica, & tamen aqua ſervat ſenſibilem continuationem ſuarum partium: idem pariter poteſt ſtare in ſanguine, qui eſtò habeat aerem admixtum, adhuc tamen poteſt ſervare ſenſibilem partium contiguitatem. Si aer ſanguini non ineſſet, non poſſet tam promptè explicari, cur animalia poſita in machina pneumatica ad aeris extractionem intumeſcant motibus convulſivis corripiantur, & tandem moriantur. Limaces ſanè in tali machina facto vacuo, adeò intumeſcunt, ut videantur duæ veſicæ ſimul unitæ valde turgidæ.

Iuſtabis ſive aer ſenſibiliter, ſive inſenſibiliter partium ſanguinis tollat continuationem, ſemper ponitur obex circulationi; ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens. Tunc ponitur obex circulationi, quando augetur quantitas fluidi impellendi, hocq; fluidum ad latera expanditur, ſed per aerem ſanguini admixtum augetur quantitas fluidi impellendi, & fit turgeſcentia in ipſo ſanguine; ergo per aerem admixtum ponitur obex circulationi.

Reſpondeo ſi ſolum augeatur quantitas fluidi impellendi ob turgeſcentiam ejuſdem, & nihil

aliud fiat, in quo sanguine concedo majorem, si verò quid aliud fiat nego majorem. Dico igitur, quod ut sanguis promptè excurrat per vasa, debet esse subactus, trituratus, & ad minimum redactus, ut possit vasa capillaria subire, & propriam fluiditatem tueri, quæ omnia obtinemus per miscellam partium aeris, unde estò nonnihil aer augeat quantitatem fluidi, pariatque turgescentiam in sanguine, adhuc cum in eo rem magni momenti moliatur, nimirum conservet subactionem, & fluiditatem ejusdem, quæ duò sunt maximè necessaria, ut sanguis expeditè circuletur; nequit dici, quod aer obicem ponat circulationi. Ulterius si cor potest impellere sanguinem scatentem tot succis, tot fermentis, quæ in diversis glandulis in sua ad omnes partes expansione deponit, multò magis poterit impellere sanguinem pauco aere imbutum, qui est ferè nullius ponderis.

Dices tertiò. Si sanguis per aerem admixtum vitalitate imbueretur, sanguis viveret, sed sanguis non vivit; ergo per admixtionem aeris, sanguis vitalitate non imbuitur.

Respondeo distinguendo majorem. Si illa vitalitas strictò modo sumatur nego majorem, si lato modo concedo majorem. Dico igitur mecum multis Doctoribus per vitalitatem ab aere in sanguine procreatam intelligere motum intestinum vegetum sanguinis, per quem ille conservat suam fluiditatem, & præparat illas partes eterogeneas ad vitam requisitas: per sanguinem penè cadavericum intelligo sanguinem habentem motum intestinum, adeò languidum, ut nbi iste motus non corroboretur, citò fatiscat, quod ubi contingit partes sanguinis, fluiditate deperdita in mutuos amplexus: concrescente autem sanguine perit animalium vita.

Dices sanguis componitur ex partibus eterogeneis, quæ simul junctæ ad instar accidi, & Alkali fermentescunt; ergo non indiget aere, ut in eo vigeat motus intestinus.

Respondeo distinguendo antecedens, si sit arteriosus concedo antecedens, si verò venoso nego antecedens. Sanguis venosus cum multis particulis activis spoliatus sit, quas in suo ad omnes partes appulsu in diversis glandulis relinquit, est sanè pronus in coagulum, ubi illi aliquod principium volatile, & energeticum non admisceatur, quod partium coalitum inhibeat.

## CAPUT DECIMUMTERTIUM.

*De sanguine ad cerebrum appellente.*

Cerebrum, quod intra cranium, tamquam intra arcem munitam sagax natura collocavit, ut agentium externorum iniurias eluderet, duplici obducitur membrana, quorum exterior dura mater, seu dura meninx, interior pia mater, seu pia meninx appellatur. Dura mater est pars dissimilatis, nam ultra arterias, venas, nervos, glandulas, & vasa lympharica in ipso observantur quidam lacerti carnei, quibus substrati sunt duo fibrarum ejusdem naturæ ordines, qui se mutuo decussantes ad diversas huius membranæ partes feruntur. Dura mater duos crassos processus efformat, quorum primus ad nasi radices ortus, dividensque globosam cerebri substantiam usque ad corpus callosum in duas partes falx messoria appellatur; processus posterior brevior falce sese profundius intra cerebrum insinuans illud à cerebello sejungit. Iste processus, adeò crassus est, ut dura mater quadruplicari videatur, ubi limites ponit inter cerebrum, & cerebellum. E dura matre convoluta plures sinus ad venas jugulares tendentes efformantur, in quos hiant venæ, quæ meningibus insertæ, & per totum cerebrum, ejusque interiores recessus distributæ cum arteriis ibi existentibus communicat, nam si cum Vilisio liquor attramento tinctus arteriæ tubulo iniiciatur, istæ propagines arteriosas pervadens, ad venosas transit, à quibus in sinus deductus, randem in venas jugulares exoneratur.

Indicati sinus, ut plurimum sunt novem, primus qui longitudinalis, necnon sagitalis dicitur, per dorsum falcis à crista Galli usque ad posticam cerebri partem extendi, ubi in maiorem molem excrescens, duos sinus laterales procreat, qui ad latera suturæ lambdoideæ excurrentes in ramos internos venarum iugularium inferuntur. Quartus ab anterioribus cerebri partibus ortum trahens, desinit in longitudinalem, ubi iste in laterales facescit, horum sinuum concursus solet Herophili torcular appellari. Reliqui quinquè sinus dantur in ea duræ matris parte, quæ basi cranii adhæret, ibi siquidem occurrit quidam sinus à Doctore Redley detectus, quem sellam equinam circumambientem, circularem vocat: ad hoc nascuntur quatuor postremi sinus, quos Vieusenius habito intuitu ad locum, ubi reperiuntur, sellæ equinæ adiacentes appellat. Horum duo superiores, breviores, & ampliores sunt, duo posteriores, longiores, minorisque diametri. Videntur descripti sinus eo consilio à natura fabrefacti, ut sanguis pene cadaverosus, utpotè qui partes volatiles, & energeticas in cerebri cortice deposuit citò delabatur à cerebro, quod ubi fit, novus adveniens spiritibus turgitus, expeditè ad hoc viscus appellit.

Duram matrem excipit pia mater, membrana videlicet tenuis, quæ immediatè cerebrum investiens, & in omnes illius anfractus sese insinuans ad eò tenaciter illis adhærer, ut ad eius separationem non nihil cerebrum ledatur, ubi non expectetur, donec putrescere incipiat. Hæc membrana ubertimis glandulis scatet, quæ conspicuæ redduntur, quando diu in acqua tepida macerantur, sanguinem ad prædictas membranas, cerebrumquè deferunt arteriæ carotides, & vertebrales, plurimis ramis inter se communicantes, qua sanguini, ubi aliquæ propagines obstructæ sint, per alias pateat aditus.

Motus diastolis, & sistolis, qui in meningibus, & potissimum in duræ matris finibus observatur, quiquè in infantium tenello cranio, plurimos surculos efformat, habito intuitu ad Pachioni, & Malpighii observationes in duræ matris structuram, & arterias per cerebrum dispersas debet refundi. Pachionus, qui indicatas superius fibras detexit, cum observaverit eas simul implexas structuram cordi analogam procreare, tradit duram matrem hisce fibris instructam, ità se habere ad cerebrum, eiusque fluidum, quemadmodum Cor ad totum sanguinem. Cum vasa sanguinea copiosissima per cerebrum diffusa sint (sunt enim observante Malpighio cæterorum vasorum totius corporis ferè tertia pars) suum diastolis, & sistolis motum cerebro, & eius partibus imperriuntur.

Detracta utraque Meninge in conspectum venit cerebrum in quatuor lobos divisum, quorum anteriores cerebri nomen retinent, posteriores verò cerebellum appellantur. Substantia cerebri ex duplici parte coalescit, quarum exterior in multos giros, & amphractus intestinorum instar convoluta, cinerea, & corticalis appellatur. Hanc partem ex innumeris glan-

glandulis figura, & magnitudine discrepantibus componi docet Malpighius, *quæ cerebri concoctione ad inuicem diuisæ apparent. Hoc Malpighii inuentum fere omnes Recentiores* amplexi sunt excepris Sbaralea, & Masticheilo, qui plura motiua, & experimeota contra harum glandularum existenriam congesserunt. Interior substantia cerebri medularis vocata in neruorum funiculos desinens, est aggregatum ex pluribus fibris, quas esse glandularum vasa excretoria, aliqui cum Malpighio tradunt. Dictum est multi non omnes, nam Villisius, Pascoli, aliique seotiunt esse alterius indolis, cerebro parumper, ubi intercedente falce dirimitur, deducto, obuia est alsissima substantia corpus calosum vocata. Corpori caloso à lateribus subiacent duo insignes ventriculi, quorum cauitas in substantia medulari insculpta superius lata versus fundamentum fit minoris diametri. Ventriculi ab inuicem seiunguntut ope cujusdam sepri, quod lucidum appellatur, cum ubi lumioi opponitur Diaphanum appareat: septo lucido adnectitur superius fornix substantia cerebri calosa sic vocata, quia instar testudinis edificiorum, ventriculorum sinus, & molem deorsum præmentis cerebri sustinete videtur. Non procul à descriptis ventriculis reperitur quædam fouea à fornice tecta tertii ventriculi nomen sortita. Detracto fornice omnes istæ cauitates unius tantum cauitatis speciem exhibent, undè rem acu terigisse viderur Thomas Bartolinus scribens cerebri venrriculos esse uoum dumtaxat ventriculum io plures sinus inuicem communicantes diuisum. Tertius ventriculus duos habet meatus, quorum posterior à quibusdam Anus vocatus sub naribus tendit ad quartum ventriculum, anterior vulua dictus, viam sternit ad infundibulum. Est infundibulum canalis membranosus interius substantia medulari obductus, qui in parte superiori larior, angustior in inferiori promptè humores à ventriculis deriuatos recipiens eas ad glandulam pituitanam videtur deducere In superius descriptis ventriculis lateralibus existit plexus choroides, qui in duas quodamodo alras diuisus, per utrumque ventriculum excurrit. Iste plexus ex vasorum variè implicatorum ramis, & glandulis interiectis componitur. Lynphæ ductus non solum in hoc plexu; verum eriam in illo, qui reperitur in quarto ventriculo à Doctore Redley detecti sunt inter vasorum ramificationes, & glandulas excurrentes. Anrerius in iisdem finibus occurrunt corpora striata, quæ sunt duæ montuositates in parte superioti valdè insignes, & ferè contiguæ, in inferiori verò graciles, plurimumque ab inuicem recedentes transuersaliter per medullarem processum conoexæ: externa striatorum corporum substantia est globulosa cinerei coloris, multisque vasis sanguineis irrigatur, ioterius ex pluribus fibris albicantibus integratur. Ubi corpora striata desunt, ibi adest initium duarum protuberantiarum medullatium, quas Anaromici vocant crura medulæ oblongatæ, nec non thalamos neruorum opricorum. Posterius propè cerebellum dantur quatuor tubericuli, quorum aoteriores nates, posteriores testes appellantut. Quartus ventriculus est sinus, seù charitas quædam sub cerebello in medula oblongata excauata, quæ cum figuram ferè calami scriptorii referat, qua parte ad scribendum excisus est. A veteribus calamus scriptorius appellatur. In hac cauitate obseruatur quoque plexus coroides, & præterea valuula, quæ à Vieulenio magna cerebri valuula appellatur, præcauens juxtà multos, in spinalis medulæ principium serosorum humorum decubitum, Supra foramen ducens ad quartum ventriculum reperitur exigua glandula cinerei coloris pinealis, & Conarion dicta, quam celebrem io Scholis reddidit Cartesius eam statuendo animæ domicilium Hæc glandula inclusa membrana teoui, quæ est piæ matris portio, plurimis venis, arteriisque ditatur. Nukius obseruauit ab hac glandula vas lynphaticum in loco parum ab hoc distiro visum est à Doctore Bideuole, unde ob has obseruationes, aliasque habitas à Doctore Redley in utroque plexu choroideo, patet non subsistere id, quod tradunt plures Anatomici, in cerebro videlicet desiderari vasa lymphatica.

Consideratis cerebri partibus ad cerebellum devenio. Cerebellum in posteriori, & inferiori cranii parte collocatum componitur ex corticali, & medulari substantia, cinerea, seu corticalis, quæ hic secus ac in cerebro, substantia medulari longè copiosior est, in giros, velut segmenta imperfectorum circulorum conformatur, quæ breuiora fiunt, ubi cerebellum anterius, & posterius elongatur, ibi namque vermium instar corugata, processus vermiformes constituunt. Tres insuper processus habet cerebellum, primus ad superiora obliquè tendit, alter immediatè fertur ad medulam oblungam, in cujus inferiori parte illam insignem protuberantiam efformar, quam Villisius annularem appellat. Tertius tandem ibi conspicitur, ubi medulla oblongata fit maioris densitatis, & latitudinis. Medulla, oblongata est pars medullæ in caudæ speciem efformata, quæ anterius à cerebri, posterius à cerebelli substantia candidiori exorta, in base Cranei collocatur, hincque per magnum ossis occipitis foramen descendens, excurrensque per totam spinam, spinalis vocatur. Oritur quibusdam radicibus à Cerebro, & Cerebello, ab illo duabus maioribus, quæ passim eius crura dicuntur, & duabus minoribus à Cerebello, quas Recentiores Pedunculos appellant. Spinalis medula oblongata, durior est, magisque fibrosa. Hæ fibræ, seu funiculi aspiciuntur, ubi eadem è recenti cadauere extracta, & aquæ frigidæ immersa in illa agitatur, tunc siquidem tot potissimum io illius extremitare apparent filamenta, ut eam hic caudæ equinæ speciem præteferre videatur. In interioti spinalis medulæ parte per totam illius longitudinem obseruatur quædam substantia minus alba, quam reliquæ partes, hanc cum Analogiam sortiatur cum cerebri, & cerebelli cortice esse glandulosæ oaturæ opinatur Verhein. Figura spinalis medulæ est oblongo rotunda, crassities ubique eadem non est, cum maior fit circa inferiores ceruicis verrebras, primasque thoracis, necnon in lumbis, alibi verò non apparet insigne in crassitie discrimen fine excepto in osse sacro latitante. Præsata medula utraque meninge obducitur, pia mater non solum eam immediatè inuestit, sed eriam per totam longitudinem per eius medium excurrens eam in duplicem diuidit. Inter utramque meningem mediat alia tunica, quam Gerardus Blasius, habito intuitu ad summam teouitatem, aracnoidem appellat.

Pluribus vasis sanguineis spina irrigatur: arteriæ ab arteriis vertebralibus, & à descendenre Aortæ trunco enascuntur. Ductus venosi sunt duplicis generis, alii, qui dicuntur sinus vertebrales à Villisio superiori extremitate cum lateralibus capitis sinibus continuati, in toto spinæ tractu plexibus arteriosis subtracti sunt. Secuodum ductuum venosorum genus sunt rami à vena cervicali, à vena sine pari, à lombaribus, aliisque derivati.

Quidam Recentiores magnæ ootæ opinantur spinalem medulam esse cerebelli, & cerebri origi-

nem

nem, nam ficuti in braffica capitata fiftulæ in trunco conglobatæ in folia expanduntur, ita fibræ in fpinali medulla collectæ, in cerebri, ac cerebelli fubftantiam evolvuntur. Hæc opinio videtur à Zootomia comprobari, Malpighius fiquidem in multis pifcibus vidit eafdem numero, fibrafque in cerebro radicari in fpinalem medulam protrahi, ideoque Intimè unitas folidiorem truncum efficere. Fracaffatus huic opinioni favens eam validius tali probat experimento. Si gallina primò formati pulli tangatur, illicò contrahitur, quamvis tunc folùm in cranio lympha, nondum in cerebrum fixata obfervatur. Hifce tamen Doctoribus fe opponens Diemerbrochius tradidit, nec cerebrum à fpinali medulla, nec medullam à cerebro proficifci; in primordiis fiquidem viventium, cum omnes partes fimul delineentur, ut fentiunt Hipocrates, Bacco Verulamius, aliique clariffimi viri, una ab altera nafci non poteft: funt inquit Diemerbrochius partes immediata naturæ opera, quæ ita à fe mutuò dependent, ut una fine altera, nec agere, nec vivere poffit, una utique citius apparet, quam altera, quia cum fit minoris elaborationis, citius illius abfolvitur ftructura.

E Spinali medula folent triginta nervorum paria proficifci, quæ per foramina vertebris fpinæ infculpta egreffa, ferè in omnes mufculos abfumuntur. Ulterius decem nervorum paria juxta plures Recentiores oriuntur à Cerebro, & medulla oblongata intra calvariem exiftentia, quorum defcriptionem proponam, ubi prius quid per nervos intelligendum fit, expofuero.

Sunt nervi vafa tenuiffimis fibris medularibus conflata, quæ fibræ Meningium interventu copulatæ, canales efformant, per quos fpiritus animales in fingulas corporis partes deferunt. In nervis non datur fenfibilis cavitas, nam nec ftilo, nec microfcopio detegi potett, effe tamen inconfpicuam viam, rum ex vulneribus, tum ex obftructionibus, nec non ex ligaturis, quæ in illis fiunt, eft inferendum. Cartefius, & alii in tenuiffimis nervorum filamentis, valuulas ponunt iis fimiles, quas in organis muficis intuemur, quæ ubi recluduntur permittunt fpiritus è cerebro in hanc, vel illam partem excurrere, fecus verò, ubi tubulos fiftulofos occludant. Has tamen tamquam imaginarias, & inutiles: multi reiiciunt: tumores quofdam variis in locis efformant nervi plexus nuncupatos, fibrillis fiquidem fuis fæpe circumvolvuntur, dextrorfum, & finiftrorfum, poftea ab illarum fibrarum explicatione fefe expedientes, fuum iter profequuntur.

Hifce expofitis devenio ad defcriptionem nervorum intra calvariam exiftentium. Primum illorum Par eft olfactorium, quod ad narium os cribrofum exporrigitur. Nervis olfactoriis immediatè fuccedunt Optici majores reliquis, qui in partem pofteriorem oculi inferuntur; tertii paris nervi funt oculorum motores, qui ad rectos præfertim oculorum mufculos feruntur. Non procul à tertiò nafcitur Par quartum, quod Vilifius pateticum appellat. Hi nervi, & ipfi ad oculos tendunt. Quintum Par valde infigne, cui nondum nomen impofuerunt Anatomici, amplam provinciam nancifcitur, nam non modo ad oculos, nares, palatum, linguam, dentes, & reliquas, tum oris, tum faciei partes excurrit, fed propagines quoque partibus, intra Thoracem, & Abdomen contentis impertitur. Sexti paris nervi, varios furculos promunt, quorum aliqui deducti in oculi orbitam abductorius mufculis inferuntur, alii verò ad anteriorem linguæ partem, alii ad alia loca. Septimum Par auditorium vocatum ad aures propagatur, pluresque furculos in multas faciei partes emittit. Octavum par, quod vagom vocant Anatomici, eo quod diverfis partibus, & ab invicem longè diftitis profpiciat, fuas propagines feré omnibus thoracis partibus, & nonnullis etiam Abdominis largitur. Par nonum valde gracile, quod linguæ motorium eft, circa linguæ radium plures promit furculos, quorum aliqui maxillaribus glandulis inferuntur, alii partim in offis Hyoides, partim in linguæ mufculos diftribuuntur. Tandem Par decimum in poftremò occipite, à medulæ oblongatæ mox mox fpinam ingreffuræ lateribus enafcitur, quod ubi furculum ramo quinti paris ad linguam tendenti communicavit, ferè totum in cervicis mufculos abfumitur. Nonnulli cum Villifio dubitant, utrum hoc Par, ultimum cranii, an vertebrarum primum appellari debeat. Decem hæc nervorum conjugationes in memoriæ gratiam aliquot veficulis inclufit Edmondus Purchotius iftis videlicet.

*O faciunt primi, videt altera copula motum,*
*Tertia fert oculis, quarta eft pattetica, quinta.*
*Olfacit, & guftat, faciemquè, & vifcera tangit.*
*Communi affectu, bus imm ttatur fexta, oculifquè*
*Aff ctus animi prodit, ramumquè miniftrat.*
*Interceftalem, fed feptima fertur ad aures,*
*Faucefque, & linguâ, per quæ vi difpergitur omne.*
*Octaum invadit nutriis præcordia fibris.*
*Par nonum, & decimum cum vertebralibus omnes*
*Quos ultrò expetimus, peragunt in corpore motus.*

Scitote Veteres feptem dumtaxat neruorum paria affignaffe, quia olfactorios à neruorum Claffe excludebant, par decimum inter neruos è fpinali medulla egredientes reponebant. Patetici multis erant incomperti, & à quibufdam perfunctoriè obferuati alterius paris rami cenfebantur.

Quales ufus defcriptis cerebri partibus affignaverint Anatomici in præfentiarum effet exponendum, verum cum nihil hactenus emerferit, quod curat Inoffenfo pede, fpartam hanc non aggredior. Dico rantum rationi confentaneum effe glandulas cerebri, fi dantur in rerum natura, uel faltem corticem ipfum fuis meatibus ab uberrimo, quo irrigatur fanguine, multas partes volatiles, & energeticas feparare, quæ è medulari fubftantia in neruos deductæ, motum, & fenfum exequuntur, aliafquè edunt operationes, de quibus inferius.

Dices contra hanc fententiam militant plurimæ obferuationes, nam mangetus meminit cuiufdam fætus novimenftris, in cuius capite, efto loco cranii, cerebri, & cerebelli reperiretur firma quædam fubftantia, adhuc tamen fætus in huiufmodi cerebri totali defectu, motus vividos peregit ufquè ad partus terminum, ergò uel non fubfiftit ex fententia, vel faltem datur aliquid, quod vices gerit fubftantiæ corticalis cerebri: multæ pariter iftoriæ, tum in Bibliotheca Anatomica à præfato Mangeto, nec non à Clerico edita, tum alibi reperiuntur plurium fætuum, & puerorum, in quibus loco cerebri, & cerebelli inuentæ funt maffæ veficularum, aut filamentorum, vifique funt Hydrocephali, in quibus defiderabatur cerebrum (hic loquimur de cerebro latè fumpto) uel fi aderat, erat fic depravatum, ut munus cerebro affignatum obire non poffet.

Refpondet Valfnerius illorum corporum minifterio eftò nullam viderentur habere cum cerebro cognationem potuiffe aliquos fpiritus animales feparari ad neruos faltem partialiter actuandos fupe-

tlas

tias postea serente spinali medula. Organa, quibus natura utitur pro edendis operationibus ad oeconomiam animalium spectantibus, sunt adeò exigua, ut saepè visum fugiant, quod probat praesatus Doctor argumento desumpto à quibusdam insectis à tene gr ...o centies minoribus, qua propter suspicatur in praesatis vesiculis, uel carnea substantia ...e vim organicam, qua spiritus separarentur, & in neruos deducerentur: loco sanè cerebri, & cerebelli natura poterat organum analogum condere, furrasse si pluries lota, & abstersa fuisset illa substantia carnis speciem praeseferens, emersisset album corpus glandularum, & vasorum excretoriorum, ut contingit in Hepate, renibus, aliisque visceribus, quae aquae ablutione rubedinem exuunt. Iure meritò sentiunt Thomas Bartolinus, Stenno, Bohnius, Malpighius, Bayle, Verheyn, Valsnerius, aliique plures auctores non omnes functiones animales à cerebro prodire, aliquae spinali medulae tribuende sunt. Moles cerebri in piscibus, exilis est, paucique hinc emanant nerui, pluribus e spinali medula prodeuntibus, quae in toto suo tractu eamdem crassitiem seruant, nec propè caudam, ut in aliis Animalibus contingit, attenuatur medula, quemadmodum cerebrum separare potest spiritus animales: habet siquidem haec non solum io extima superficie, verum etiam in interna parte substantiam cineream, quae ex innumeris glandulis iuxtà plures Anatomicos coalescit. In Bombice quoque medulae spinalis, singularis, & nodosus est apparatus, ut obseruat Bohnius, plus spirituum intrà spinam, quam intrà caluariam separatus; hinc nil mirum, si scripserit Robertus Boyle huius speciei faeminas capite truncato, non solum vivere, verum etiam actum venereum exercere.

## CAPUT DECIMUMQUARTUM.

### *De sanguine ad glandulas cutaneas deducto.*

GLandulae cutaneae à Stenone, & Borrichio detectae existentes in interiori cutis parte, sunt in statu naturali, adeò exiguae, ut vix percipiantur; in tabidis verò, & hydropicis sunt valdè conspicuae, in illis, quia pinguedinae non obducuntur, in istis, quia praeter naturam intumescunt. Singulae glandulae hiscè quatuor vasis donantur, arteria videlicet, vena, neruo, & ductu excretorio. Inseruiunt glandulae cutaneae ad separandam sudoris eam insensibilis transpirationis materiam; si humor in istis folliculis secretus aliquid crassitiei retineat, eggreditur sub specie sudoris, insensibiliter verò è corpore eliminatur, si redigatur ad minima materia sudoris, insensibilis transpirationis succi glandularum intestinorum, ut sentiunt cum Galeno Valessius, Bohnius, aliique contra Dioclem, nam ubi eadem est, insensibilis transpirario adaugetur, vel sudor est copiosus, urinae parcitas obseruatur, fitque alueus inobediens, si verò cum sudore transpiratio plurimum inhibeatur, ut succedit hyeme, vel aliis Anni temporibus, ubi flante Borea, aer frigus contraxit, urinae uberius fluunt, venterque laxarur Reuera supressionem insensibilis trasspirationis multoties excipit Diuresis, & Diarea, & saepè remedia exhibita ad conciliandam Diaphoresim, Diuresim promouent: quemadmodum urinae inest quarumdam rerum ingestarum odor, & sapor, ita hoc idem interdum in sudore, & insensibili transpiratione contingit: rustici namque Alium, & cephas olent: cereuisiae, vinorumquè assumptorum odorem Salmut, Thomas Bartolinus, aliique in sudore perceperunt ob diuturnā urinae supressionē: egri quandoq; in Diaphoresim incidunt Lotium redolentem. Thachenius ex sordibus, cutis, & ex urina sales eiusdē speciei extraxit.

Insensibilis traspiratio adeò copiosa est, ut si apparerent alitus perenniter ab animalibus erumpentes, viderentur insigni nube circundata. Sanctorius siquidem triginta Annorum obseruationibus detexit hanc excretionem solere esse longè pleniorem omnibus exalationibus sensibilibus simul unitis, plusquā excerni una die per insensibilem transpirationē, quam quindecim diebus per secessum. Vlrerius iovenit, quod si cibus, & potus unius diei, sit ponderis octo librarum, respiratio insensibilis solet ascendere ad quinque libras circiter. Quamobrem hac euacuatione inhibita, morbi non solum cutanei, verum etiam humorales procreantur, dumodò auxilares manus non affetant glandulae renales, & intestinorum. Tunc corpus ad diaphoresim, & insensibilem transpirationem dispositum est, ubi cutaneae glandulae cum suis vasculis excretoriis, meatusque cuticulae patentes sunt, sanguinis compages est laxa, illiusque Serum ope fermentationis est omnis glutinis expers. Undè calor ambientis aeris, motus localis aromata, vinum, aliaque adaugentia cruoris motum intestinum, & laxantia cutis spiracula has promouent excretiones; quibus plurimum fauent reciprocae arteriarum Diastoles, quae serum in milliaribus folliculis secretum trudunt ad exteriora, quod idem praestat nouum serum adueniens, necnon fibrae carneae suis contractionibus succumè glandulis exprimentes. Scitote (ut rectè adnotat Franciscus Boyle) non omnia animalia equè transpirationi obnoxia esse, alia siquidem magis transpirant ob maiorem agitatinnem partium vitale fluidum constituentium, ut Homo, alia verò minus, ut serpentes, quorum sanguis minorem habet motum intestinum, alia minimum, ut testudines cruorem nactae motu languidissimo praeditum, habentesque ferè totum corpus textura densa, parumque transpirationi idonea obductum. Motum intestinum massae cruentariae esse praecipuam transpirationis causam, inde deducendum est, quod estò multa animalia frigoris impatientia somno correpta in terrae latebris tota hyeme sine cibo, & potu degant adhuc tamen non emaciantur, nec contabescunt, quia in illis ferè extincto praesato motu, nulla, vel adeò modica fit transpiratio, ut corporis decrementum sit imperceptibile. Causa postea minus principalis transpirationis, est motus intestinus, qui in solidis quoque partibus reperitur, ut evincunt Robertus Boyle, ubi tractat de corporum atmospheris, Acta Philosophiae Burgundiae in tract. 3. de Physica generali, Dominicus Gulielminus in sua dissertatione de Ethere, aliisque magnae notae viri. Portasse ultra viam, ut sic dicam regiam respirationis superius indicatam, glandulas nempè cutanas, earumque vasa excretoria, dantur aliae minores, ut sentiunt Peclinus, Baile, Bohnius, Verhein aliique Anatomici, cum enim omnes partes Poris peruiae sint, aliquid ex ebulienti fluido per ipsos egredi poterit, ut contingit io corporibus vita destitutis. Amoleta, Ephithemata, aliaque topica remedia miros io sanguine effectus praestantia, hanc seotentiam confirmant; non rarò remedia membro, cuius os fractum est applicata, reperiuntur tincta sanguine à venis, vel arteriis disruptis egresso, quem à calore attenuatum per porros partium solidarum foras trudi necesse est (inquit praesatus Boyle) cum alia non detur ad exeundum via. Sudor, & insensibilis transpiratio

inferuiunt, non folum ad depurandum fanguinem, verum etiam ad humectandum tactus fenforium, quod ex affiduo ufu arefceret, & callofum euaderet, undè hoc ferunt hic indefeffus naturæ fcrutator, in locis tactus exquifitionis, qualia funt manuum vola, axilæ, latera thoracis, planta pedum, copiofiores dari glandulas cutaneas cum patentioribus vafis excretoriis.

## CAPUT DECIMUMQUINTUM.

*De fanguine ad omnes partes appellente pro illarum nutritione, & incremento.*

CUm vitales actiones ad hos fines fint directæ (inquit, & Molerus) ut corpus, & conferuetur, & roboretur in fuo vigore vitali, omnefque partes folidæ pro obeundis promptius, vel melius operationibus organicis debitam affequantur magnitudinem, idcircò illæ omnes nutritionem, & augmentationem potiffimum refpiciunt. Profectò corpus animalium (ut conftat ex nuperrimè traditis) cum perennem patiatur partium iacturam, ne tractu temporis in auras abeat, nutritione eget, ut in locum partium deperditarum nouæ fubftituantur, ficque manuteneantur in effe. Materia nutritioni dicata ex fanguinis Penu depromitur; cum omnes tamen illius partes in corporis alimoniam non facefcant, hic primo loco Inquirendum eft, quænam ex illis in hoc opus abfumantur. Pars maffæ cruentariæ ea, qua animalia nutriuntur, non videtur fanguis purpureus, fed illius ferum concrefcibile, quod fic probatur. Ex iis nutrimur, ex quibus conftamus, fed non conftamus ex fanguine, ergò ex eodem non nutriemur. Maior folet admitti, veluti tanquam axioma. Minor autem fic probatur. Viuentium corpora ex materia ferofa efformantur in fæminarum ouis contenta, ut conftabit in noftro de animalium generatione tractatu, ergo ex confimili materia nutrientur. Animalia fame enecata non funt exanguia, vel faltem non habent notabiliter imminutam fanguinis maffam, quorum alterutrum deberet contingere, fi fanguis effet partium pabulum. Nullum fluidum fanguine excepto per totum corpus diftribuitur, quemadmodum ferum: Omnes partes fero madent. Serum hoc igni admotum, cum ex Diaphano, & fluido fiat opacum, firmum, & glutinofum, poteft partibus tenaciter adhærere, hincque illarum fubftantiam immutari. Illa materia, ex qua fetus in utero nutritur, eft huius indolis Sanguis animalium, in quibus fit abundans nutritio juniorum videlicet plurimo fero concreffibili fcatet, quod in fenibus, ubi languet nutritio, modicum omninò eft. Animalia fame enecata fanguinem habent hoc fero omnimodè deftitutum.

Dices primò. Hippocrates, & Galenus docent offa, medula nutriri; ergo ferum concrefcibile non erit nutrimentum omnium partium.

Refpondeo conceffo antecedenti diftinguendo confequens, ferum concrefcibile non erit nutrimentum omnium partium juxta mentem horum medicorum concedo confequentiam, juxta rei veritatem nego confequentiam. Cum enim Hipocrates, & Galenus in multis erraverint, nil mirum, fi hic quoque dormitent.

Dices fecundò. Si ferum concrefcibile fanguinis, effet unicum principium materiale nutritionis partium, cum iftud folùm per vafa fanguinea ad partes feratur, fequeretur, quod illæ partes, quæ vafis fanguineis non irrigantur, quales funt offa, ut cum veteribus tradit Thomas Corn elius non poffent nutriri, fed de facto iftæ partes nutriuntur, nam funt majoris molis in adultis, quam in infantibus, & pueris; ergo ferum concrefcibile non erit folùm principium materiale nutritionis. Unde cum in offibus contineatur medulla, hæc erit illorum nutrimentum, ac proinde inconcuffo pede ftabit Hipocratis, & Galleni fententia, quæ tamquam à medicinæ oraculis profecta, poffet claufis, ut folet dici, oculis admitti.

Nos dicimus ad offa pariter vafa fanguinea exporrigi, illorumque multiplices porros fubire, ut fedulus indagator ftructuræ offium Havers detexit, indicavitq; in fua nova Ortheologia. Ad id, quod poftea additur debere citra difcuffionem admitti Hippocratis, & Galleni fententias, refpondemus nos iftorum auctoritatem floci facere.

Dices tertiò. Ventriculus immediatè alitur Chilo, fed Chilus non eft ferum concrefcibile fanguinis, ergo præfatum ferum non eft alimentum omnium partium. Probatur major delapfo in ventriculum cibo illicò ceffat fames, quæ eft alimenti appetitus, fed non ceffaret, nifi ventriculus ex tali cibo fugendo portionem Chili pro alimento ftatim reficeretur; ergo dicendum eft ventriculum Chilo immediatè nutriri.

Refpondeo negando majorem, & ad probationem ejufdem videlicet delapfo in ventriculum cibo ceffat fames, diftinguo, ceffat quia tunc attemperatur illa famis moleftia, nempe illa triftis fenfatio, quam primò patiebatur ventriculus, concedo, ceffat, quia tunc verofimilis ex cibo defcendēte ftatim reparet fibi novas partes fubftantiæ, nego. Dico igitur, quod ventriculus (ut patet omnium oculis) intra proprias tunicas habet multiplices arteriarum ramos, per quos fanguis ad ipfum, uti ad reliqua membra, continuò cum fucco, feu nutritivo nutritio appellit; unde cum ingeftis cibis ceffat fames, hoc non contingit, quia partes fubtiliores illorum, ftatim facefcant in ventriculi alimonium, fed quia huius receptaculi menftruum, quod deficiente materia, in quam ageret, vellicabat illius tunicas, ficque famem procreabat fuggefto illi per cibariorum fumptionem pabulo, convertit actionem à ventriculo ad cibaria.

Succus nutritius non eft adeò eterogeneus, ut pro partium nutriendarum diverfitate, diverfas actu contineat partes. Animalia inquit Entius eodem modo non nutriuntur, quo ædes extruuntur per appofitionem videlicet variarum materiarum, lignorum, lapidum, cæmenti, fed ex confimili prorfus materia internus artifex diverfa membra extruit. Ex eadem aqua pluviali incrementum plura vegetabilia, fecundum divrefas eorum partes capefcunt, quæ licet homogenea fit, & ferè infipida, amarefcit tamen in centaurea, acrefcit in flammula Jovis, dulcefcit in paftinaca, folidefcit magis in ligno, minus in frondibus, fluiditatem retinet in harum, nec non in fructuum fucco, ftipticam virtutem induit in plantagine, laxativam in aloe, & alias demum in aliis plantis contrahit affectiones.

Solent Doctores quæftionem excitare, utrum fuccus, ex quo animalia nutriuntur, debeat effe fubftantia vivens, in qua videlicet fit, vel alias fuerit vita. Fernelius, Cabeus, Maignanus, aliique fentiunt, viventia non nutriri, nifi ex re vivente, ideft, quæ alàs fuerit viva. Sic enim difcurrunt: Si alimentum debet adjungi viventi, ac proinde vivere, non poteft hoc obtinere, nifi in fe habeat, quafi vitæ femina. Quod fi plantæ addit Cabeus,

quæ tamen vivunt, non videntur nutriri re viva, non videntur quidem ab oculis vulgi, oculus tamen philosophicus videt plantam trahere succos, in quibus jam sunt spiritus vitales. Verum tamen longe communior sententia oppositum sustinet, hisce duobus potissimum innixa motivis. Alimentum antequam à vivente se nutriente, redigatur in substantiam propriam suarum partium, procul dubio est materia illarum, sicuti exempli gratia, metallum respectu orologii, sed non est necessarium, quod materia, quæ debet ordinari per unam formam, & actuari per illam, antecedenter à consimili forma ordinata, & actuata fuerit, ut patet in omnibus aliis casibus, hinc metallum inserviens novo orologio, vel lapis novæ statuæ, non requirunt antecedenter fuisse ordinata, & actuata per aliam formam orologii, & statuæ, quare.

Confirmatur, quia quantum constat, & adversarii ipsi, ut Maignanus fatentur, nulla species viventis necessariò requirit pro alimento rem suæ speciei, v. gr. Bos particulas bovis; ergo sicuti ipsa species viventis benè aletur ex re, licet non sit suæ speciei, ita ipsum genus viventis benè aletur ex re, licet non sit sui generis.

Dices cum Maignano. Sicuti impossibile est constitui quantum ex non quantis, & corpus ex non corporibus, & universaliter activum ex non activis, ita impossibile est constitui vivens ex nullatenus viventibus, & sensitiva ex omninò insensitivis; ergo dicendum est animal sensitivum constitui ex quodamodo sensitivis, nempe ex spiritibus, qui sint quilibet in sua specie suo modo vitales, & sensitivi.

Respondeo distinguendo antecedens. Est impossibile vivens, ex non viventibus, sensitivum ex non sensitivis constitui ex parte formæ ipsius, transeat antecedens, ex parte materiæ præsertim remotæ, uti est alimentum ordinabile deinde in alium statum per formam nego antecedens. Si argumentum valeret, probaret etiam, vivens sensitivum non posse ali, nisi ex viventibus sensitivis, contra id, quod manifestè appatet. Vixit siquidem Epicurus exigui letus plantaribus orti, ut cum Juvenali loquar; Vixerunt ante diluvium homines diutius, quam nos, & tamen tunc temporis animalia ad esum non enecabantur: vixerunt illi Philosophi, qui metemticosim, hoc est, animatum transmigrationem, de uno in aliud corpus admittentes, à brutis abstinuerunt. Ridiculum dictu est, animal vivere non posse, ubi aliis animalibus vitam non eripiat. Inter Bruta carnivora solum hac ratione in rerum natura darentur. Si dicatur in plantis dari quoddam genus spirituum, hanc sententiam tali dilemate impugno: vel isti spiritus in plantis otiantur, & sic ibi ineptè finguntur, cum natura nihil in rebus ponat otiosum, vel illi spiritus ibi exercent actus sentiendi, & licet hoc dicere aliquos modernos non pudeat (à quibus non omninò abhorret Maignanus) necessitate coactos proprium sistema fulciendi, attamen id non est per seniara philosophari, sed somnia in Philosophiam inducere.

Judicato principio materiali nutritionis, modo ad causam efficientem illius deveniamus. Non conveniunt Doctores in assignando principium, ut quod seu efficiens nutritionis. Veteres, Galeno duce, tradunt quamcumque partem, facultatem peculiarem habere illi à natura inditam, per quam alimentum vertat in aliti substantiam. Alii, ut plures Chimici sentiunt partibus inesse certa fermenta transmutativa, quæ succum nutritium appellentem ibi figant, reddantque partibus homogeneum. Plures demum Recentiores nutritionem ex licaturi ad pororum configurationem confugiunt. Nos dicimus primam sententiam voce tenus à secunda differre, ubi fermentorum indoles in propatulo non ponatur. Tertia sententia aliquid veri complecti videtur, cum enim hos exempli gratia coalescat ex partibus arctiorem nexum habentibus, quam musculus, materiam intrà meatus admissam, arctius pariter unit, ac proinde valde indurat. Corpus etenim, quo minus porrosum est, eo durius est. Quia tamen vis plastica nullis alligatur pollis, hæc opinio omnimode non satisfacit, quamobrem ego sentio illam causam, quæ ex materia ad sensum homogenea tot partes eterogeneas efformat, eamdem quoquè nutritionem absoluere. Porrò cum spiritus sint causa conformationis organici corporis in genitali materia, ut deducendum est ex salibus volatilibus plantarum combustarum, qui in fenestrarum vitra impingentes sæpe in illis vegetabilium icones efformant, iidem pariter erunt principium efficiens nutritionis. Huic placito fauet experientia, nam si ligentur nerui ad aliquam partem propagati, uel isti malè affecti sint, ut euenit in Paralisi, scorbuto, aliisque morbis, estò sanguis cum succo nutritio ad illam partem appellat, illa tamen emaciatur, & contabescit, magno sanè argumento spiritus animales ad nutritionem concurrere. Cum autem spiritus sint substantiæ summæ activitatis, & adeò subtiles, ut sensus fugiant, ad nutritionis opus passivè non concurrent (quidquid in contrarium scribant plures Anglici Doctores) quodnam incrementum ex insensibili substantia caperent partes? reliquum igitur est spiritus animales activè ad nutritionem concurrere. Hanc sententiam amplectens Villisius scribit spiritus animales esse ad instar cuiusdam principii energetici, quod alimentum ad partes delatum illis assimilat, atque spiritus animales gerere vices seminis masculini, humorem verò nutritium ab arteriis copiosè suggestum, esse tanquam alterius sexus genituram. Cur in infantia, pueritia, & pubertate, partes laxiores, & molliores sint, uberrimo sero concrescibili imbibuntur, hincque prodit corporis incrementum, nasciturque temperies callida, & humida. In iuuentute verò cum coarctata partium textura minorem succi nutritii quantitatem admittat, minuitur nutritio, & augmentatio, augetur tamen vitale robur: nam angustatis glandularum corticalium meatibus, defecatiores spiritus in cerebro separantur, qui per neruos octaui paris, & intercostales ad cor irradiati validius illud actuando, circulationis sanguinis velocitatem adaugent: sanguis ob perniciorem motum fit tenuior, & floridior. Quamobrem calida, & sicca iuuentus dicitur. Iuuentutem virilitas excipit, frigida, & sicca vocata, quia in hac ætate partes paulatim obrigescunt, textura magis condensatur, & massa cruentaria, ob diù protractam, nunquamquè interpollatam circulationem, glutinæ viduata, accidior, & nigrior euadit. Postremò cum in senectute partes corrugentur, & rigeant, glutinosa cibariorum portio è primis viis in sanguinem deducta, facilè in illis subsistit, ac nequit partium nutriendarum porros subire. Ab hac causa profluunt cathari, tusses, articulorum dolores, aliique morbi senes corripientes cum modica partium nutritione, cumque, ut innuit Tozzius portio florida & vegeta plurimum infringatur, id circò senectus extremè frigida, & sicca creditur, hinc iure meritò cecinit Virgilius.

*Optima*

*Optima quæque dies miseris mortalibus eui*
*Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.*

Scripsitque sermone pedibus instructo Cornelius Gallus.

*Contrahimur miroque modo decrescimus ipsi*
*Diminui nostri corporis ossa putes.*

Quod ætatum progressu sanguinis, & partium textura valdè alterentur, ex animi propensionibus, nutritione, & faciei lineamentis immutatis, necnon ex sensuum hebetudine, colligendum est. Variari ob ætates genium, unicuique est exploratum: quapropter sic scripsit præfatus Cornelius Gallus.

*Exultat leuitate puer, grauitate senectus.*
*Inter utrumque manens, stat iuuenile decus.*

In senibus corpus rugosum fit, caluescit caput, & modici qui supersunt capilli, albescunt, sensus hebetantur, totumque corpus in summum languorem incidit, quod eleganter hisce carminibus expressit indicatus Poeta.

*Jam minor auditus, gustus minor, ipsa minora*
*Lumina, vix tactu noscere certa queo*
*Nullus dulcis odor, nulla est jam grata voluptas*
*Sensibus expertem, quis superesse putet?*
*En lætbea meam subeunt obliuia mentem*
*Nec confusa seu jam meminisse potest*
*At nullum consurgit opus cum corpore languet*
*Atque intenta suis obstupet ipsa malis*
*Tu me sola tibi subdis miseranda senectus*
*Cui cedit, quidquid vincere cuncta potest*
*In te corruimus: tua sunt quæcunque fatiscunt*
*Ultima quæque tuo conficis ipsa malo.*

Cum autem istis alterationibus hominum anima obnoxia non sit (quidquid in contrarium docuerit Epicurus in hoc errore, quemadmodum, & in reliquis egregie impugnatus à Gasendo) est namque Hominum anima substantiæ spiritualis, istæ alterationes à corporis temperie, ac dispositione in deterius immutatis procreabantur.

Cum de ætatibus mentio facta sit, ut nihil inexplicatum relinquatur, hic breuem illarum descriptionem proponam. Ætas est spatium vitæ, quo corporis constitutio manifestè mutatur cum maiori operationum perfectione, vel earumdem læsione. Diuiditur ætas in pueritiam, juuentutem, virilitatem, & senectutem. Pueritia usque ad vigesimum quintum annum extenditur, complectiturque quatuor partes, infantiam scilicet usquè ad annum quartum, pueritiam strictè sumptam usque ad 14. pubertatem usque ad 18. & adolescentiam usque ad annos 25. Iuuentus à 25. usque ad 35. vel ad summum usque ad 40. extenditur, totaque sui similis existit. Ætas consistens à prædicto termino usque ad 45. vel 50. annum extenditur: dicitur consistens; quia perfectiones in hac ætate manent in eodem robore, & si remittantur, hoc fit sine notabili alteratione. Senectus à 50 anno usque ad vitæ terminum extenditur; hæc in tres diuiditur partes, in primam senectum, in hoc constituti satis firmo pollent robore, in ingrauescentem, qua fiunt imbecilliores, & delicatuli: Et in decrepitam, in qua viribus omnimodè destituti, coguntur in sedili, vel lecto jacere, quam rectè definiuit Tullius dicendo, quod sit *vitæ occasus*. Ætatem decrepitam postremò mors excipit.

Organa separantia succos necessarios pro animalium economia tractu temporis, adeò enormiter læduntur, ut hæc maxima læsio, curationem non admittat. Rem sic dilucido. In cerebro separantur spiritus animales, qui à cortice in medullarem substantiam profecti, neruosque subeuntes per totum corpus distribuuntur, ut omnes ferè operationes ad animalia spectantes peragant. Si autem porri glandularum, vel substantiæ corticalis cerebri à materia crassiori infarciantur, vel ob perennem per illos transitum, nimis laxentur, aut non secernentur hæ partes volatiles, & energeticæ in cerebro, vel ob meatuum laxitatem adnexas retinebunt moleculas crassas, torpidasque illarum energiam plurimum obtundentes. Ob defectum porrò spirituum animalium, vel eorumdem torporem, quis non videt totam subverti Corporis economiam? Cor siquidem (causa nempè potissima circulationis sanguinis, cui animalium vita est alligata) actuandum à spiritibus animalibus, vel nullatenus, vel languidè movebitur; undè sublato, vel læso cruoris circuitu, functiones animales eclipsim patientur, & sanguis ipse vitium contrahet. Cum autem præfati spiritus ad reliquos motus involuntarios, necnon ad spontaneos concurrant, sintque digestionis cibariorum causa saltem partialis, aliasque innumeras edant operationes, indicatum vitium structuræ cerebri, morborum illiadem pariter mortem inferentium. Quod valet de vitiis cerebri, militat quoque de aliis partibus separātibus succos cum animalibus necessarios, tum innutiles, & è corpore eliminandos. Hoc innotescet aliud pulmones v. g. perpendenti. Cum ex aeris sinu in inspiratione depromatur principium quoddam energeticum per pulmones in sanguinem deducendum, quo illum effectum ad nouam quodamodo vitam reuocet; læsis huius visceris meatibus, vel hoc principium massæ cruentariæ non affunderur, vel affusum non poterit in illa *exigitum* effectum producere ob congruæ virtutis defectum. Hoc pariter succeder in menstruo ventriculi, bile, succo pancreatico, fluido glandularum intestinorum, aliisque causis ad chilificationem concurrentibus, quæ vitiata organorum separantium structura, nequeunt non è statu naturali recedere, ac proindè imperfectè suis muneribus fungi. Quamobrem Chilus semicoctus, & minus feruentescibilis in languidum sanguinem transmissus, eum nequeat in illum immutari, augebit corporis perturbationem. Solent in moribundis extrema frigescere, quod vulgò refunditur in calidi innati defectum, nos verò explicamus per deficientiam sanguinis in illis partibus. Calidum innatum, ut superius visum est, non est quid distinctum à calore sanguinis, quapropter partes, ad quas sanguis non appellit, hoc calore destituuntur; cum autem in moribundis languescat vis impulsiua cordis parum à spiritibus animalibus actuari, nequit sanguis ad extremas corporis oras impelli, debilitato pariter Peristaltico vasorum motu plurimum ad vitalis fluidi circulationem conducente.

---

# DISPUTATIO
## QVARTA.

### De Animalium, & præcipuè Hominis Generatione.

NObis de Generatione Animalium acturis onus incumbit exactam partium huic operi dicatarum historiam præmittendi, nam eum istarum sæpe mentio fieri debear, ubi non describantur, obscura esset hæc disertatio.

Vasa

Vaſa tamen, reliquaſque predictas animalium partes generationi inſervientes cum celebriores Anatomici exactè deſcribant, nos peculiari ratione moti conſuetam methodum deſerendo harum partium anatomicam deſcriptionem omittemus. Lectorem tamen noſtrum dum ad præfatos celebriores Anatomicos hac de re ex profeſſò agentes libenter remittimus, ipſum interim monitum volumus, fieri non poſſe, ut qui de generatione diſſerit ſubindè partium, quarum miniſterio hoc opus abſolvitur, mentionem non faciat, quemadmodum qui de plantarum nutritione ſolidè tractat, de illarum partibus, radice nimirum, fiſtulis exſteriori cortice, fibro medulla, utriculis, trachæis, fermentis, aliiſque ad organicam plantarum ſtructuram pertinentibus ſubindè agit: ita qui non perfunctorie, ſed accuratè de Animalium generatione ſermonem inſtituit, de utero, tubis fallopianis, ovis, hydatiditibus, marium, fæminarumque teſtibus, mentula, coitu, ſemine ſæpè loquitur.

Inter varias porrò definitiones, quæ de generatione viventium à Philoſophis proponuntur, nulla nobis magis arridet, quam illa, quæ à Divo Thoma proponitur, videlicet *eſt origo viventis à vivente mediante principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ*: expendamus hujuſce definitionis particulas: dicitur *origo*, ideſt productio: dicitur *viventium*, ut diſtinguatur à productione rerum vita carentium, metalli videlicet, ignis, aeris: dicitur *à vivente*, ut innoteſcat efficiens principale viventis debere eſſe aliud vivens: dicitur *mediante principio conjuncto*, ut palam fiat in viventium geneſi aliquid ſubſtantiale proprium viventis generantis in genitum derivandum eſſe. Hoc ſanè contingit in omnium viventium, plantarum videlicet, bructorum, hominumque generatione; omne ſiquidem generans impertitur aliquid ſubſtantiale, puta ſemen viventi genito, ex quo illius corpus elaboratur. Ob hanc particulam excluduntur quædam generationes, viventium latè ſumptæ, ut illa, quæ fit à Demone incubo, de qua fusè tractat Martinus del Rio; Cum enim hæc generatio peragatur à Dæmone, qui ſumit aliundè humanum ſemen, illudque in muliebrem matricem, ſeù uterum immittit, non fit mediante principio Dæmoni conjuncto proles, quæ tunc concepta non dicitur filius Dæmonis, ſed hominis, undè ſemen deſumptum eſt. Principium conjunctum, ex quo vivens generatur, debet recipere genitum non paſſivè, videlicet tamquam pura materia, ex qua fiat, ſed tamquam principium, ut quod, ſeù efficiens ex nactura ſua ordinatum ad productionem illius. Hinc origo Evæ ex Adamo non dicitur generatio viventis ſtrictè ſumpta, nec Eva dicitur filia Adami, quia coſta ad illius formationem ex Adamo deſumpta merè paſſivè ſe habuit in Evæ generatione. Ob hanc quoque particulam excluditur productio, qua Deus ponit extrà nihil viventia creata; nam talis productio licet ſit origo viventis à vivente, non fit mediante principio conjuncto, quia nihil ſubſtantiale proprium Dei transfunditur in illud vivens creatum. Vltimò dicitur *in ſimilitudinem naturæ*, per quam particulam innuitur vivens genitum debere eſſe ſimile in natura viventi generanti. Per hanc particulam rurſus excluditur productio viventium creatorum facta à Deo, quæ ſanè non eſt in ſimilitudinem naturæ.

Dices cum mulus ex æqua, & aſino generatur, talis generatio non fit in ſimilitudinem naturæ; nam mulus differt ſpecie ab æqua, & aſino; Ergo ad generationem viventium non requiritur vivens genitum eſſe ſimile in natura viventi generanti.

Reſpondeo. Hanc generationem reverà fieri in ſimilitudinem naturæ; nam mulus eſt ſimilis ſuo principio generanti adæquato, æquæ videlicet, & aſino: participat enim naturam ſpecificam utriuſque: ſiquè hæc duo generantia poſſent in unum reduci, hoc animal profectò eſſet illius ſpeciei, cujus eſt mulus.

Dices 2. Generatio Bombicis, ſeù vermis ex ovo papilionis eſt generatio viventis regularis, & tamen non fit in ſimilitudinem naturæ; nam vermis natura differt à papilione.

Reſpondeo. Generationem vermis ex Papilione non eſſe in ſimilitudinem naturæ, ſi ſumatur hæc generatio tantum inchoata: ſecùs verò ſi ſumatur ubi abſoluta eſt. Vermis prodiens ex Papilionis ovo non eſt fætus completus, ad quem potiſſimum deſtinatur illud ovum, ſed eſt fætus nondum abſolutus, qui poſteà debet in perfætum fætum faceſſere ſeſe externè immutando pedetentim in Papilionem. De facto Recentiores microſcopio in verme ex Papilione profectò detegunt alas complicatas, quas poſtmodum explicat, ubi migrat in Papilionem.

Ad efficiendam viventium generationem ſemper ſemen requiritur: Hinc patet, nos generationem ex putri non admittere: eſt ſemen, ut rectè innuit Caſimirus, peculiare corpuſculum à generante ex ſuccis, & ſpiritibus in ipſo contentis apta elaboratione conformatum, ut tandem deciſum ad propagationem viventium inſerviat.

Hoc ſemen, ſi eſt plantarum, conſiſtit in ſubſtantia ſolida valdè oleoſa: ex nulla ſiquidem parte planta im plùs olei obtinetur, quam ex ipſo ſemine; ſemen verò animalium conſiſtit in ſubſtantia fluida, quæ in viviparis eſt valdè porroſa ad motum, & evolutionem, loquendo de illius energetica parte: undè ubi ejaculatum eſt præfatum ſemen, ſi ſtatim non recipiatur intra fæminæ matricem, infæcundum evadit, quod non militat de ſemine Oviparorum in fæcundis ovis latente.

Semen non ſolum in maſculi, verum etiam in fæminis procreatur, allucinatur namque Ariſtoteles, dum ſcribit fæminas non conficere, nec emittere ſemen.

In mulierum teſtibus exiſtunt quædam veſicæ humore lympido turgidæ, qui approximatus igni omnes cocti albuminis ovi paſſiones contrahens, colorem, videlicet, ſaporem, & conſiſtentiam, præbuit Recentioribus

LIIIII

bus fundamentum has vesicas appellandi ova, easque statuendi principium generationis, & earum receptacula ovaria nuncupandi. Cavendum tamen est, nè descripta ova confundantur cum alio vesicularum genere nonnumquam in mulierum testibus existentium, quas vocant Hydatides: hæ interdum, inquit Peyerus, inter ova, veluti zizania intrà frumentum enascuntur. Sunt Hydatides quædam vesicæ sepè ovis majores humorem subtiliorem continentes, qui igni admotus ex diaphano, & fluido non fit opacus, & firmus, ac proindè hæ vesicæ ovi nomine exprimi nequeunt. Non sunt audiendi, qui negant priores vesicas posse ova vocari, cum duro cortice non obducantur, & careant vitello. Non est de essentia ovi putamen. Ova siquidem ranarum, serpentum, piscium, aliorumque animalium duriori cortice non obducuntur, & in multis sensibilis non est partium ætherogeneitas.

In omnium animalium specie hæc ova reperiri, Steno, Svamerdamius, KerKringius, Van... Horne, Graphius, Malpighius, Gaspar Bartolinus, Boyle, Verheyen, aliique viri præstantissimi testantur collatis in unum propriis, aliorumque Anatomicorum observationibus, qui animalia in suis regionibus existentia secando, illa detexerunt.

Non sunt hæc ova per testium substantiam dispersa, sed in unum coeuntia, racemum constituunt coalescentem sepe ex viginti vesiculis mollioribus à se invicem omninò separabilibus, humorem continentibus, si rudes sensus consulamus homogeneum. Hæ vesicæ, quæ in puellis nuper natis vix granorum milii molem æquant supervenientibus pubertatis annis ad Pisi magnitudinem accedunt; non omnes tamen ad hanc molem perveniunt; in ovario siquidem adultæ fæminæ ova magnitudine plurimum differunt. A congressu venereo notabiliter immutantur, & earum una, vel altera non rarò intra tubas fallopianas reperitur: si Bruta paucis à coitu diebus secentur, vestigium vesicæ separatæ in testiculo apparet, ut testantur Bosiardus, Bochnius, aliique; magno sanè argumento has esse principium generationis. In quam sententiam me trahunt quoquè quorundam Recentiorum observationes, qui viderunt fætus cum in testibus, tum in præfatis rubis conformatos, ob aliquod impedimentum, quod non permisit ova fæcundata ad uterum deduci. Ulterius fætus in Abdomine reperti nostram confirmant opinionem. Ovum siquidem à testibus expressum antequam tuba illud amplectèretur in hanc cavitatem decidens, ibi in fætum est immutatum, qui ob alimenti defectum mortuus est.

Quamvis hæc ova firmiter racemo alligentur, adhuc tamen, ubi matura sunt, facillimè possunt ab eo separari: hoc in plantarum fructibus ubi debitam perfectionem adepti sunt, contingere quotidiana docet experientia; & nè recedamus ab animalibus: Placenta uterina, quæ gestationis tempore firmissimam habet cum utero adhæsionem, à partu, promptè ab illo separatur. Ova actuata ab aura seminali viri à racemo sanè debent expeditè secerni, cum intrà illorum fluidum quidam vegeti motus procreentur plurimum ad separationem conducentes: ad quam obtinendam non levem operam præstant fibræ carneæ à Malpighio in ovario detectæ, ubi validas exerant contractiones.

Solet à Recentioribus hæc quæstio institui, utrum videlicet aura seminalis, quæ debet ad fecundanda ova deduci, ad illa appellat vel per tubas fallopianas, ut Graphius, Nigrisoli, Munichs, aliique tradunt, vel ut sentiunt Steno, Gaspar Bartolinus, sanguini admisceatur, & ope circulationis ad ova deveniat. Nos hisce postremis anatomicis adhæremus, cum per observationes à Graphio in cuniculis animalibus fallacissimis institutas solùm post tres à coitu dies tuba fallopiana fiat testibus contigua, nequit per hujusmodi semitam ad ovaria seminalis aura deduci; nam in locum apertum prodiens vapida evaderet. Materia in tubis post coitum reperta, quamvis à nonnullis pro masculino semine sumatur, reverà semen non est; cum fæminis quoquè, ut tradunt Anatomici, & præsertim Bohnius antè coitum inexistat. Datur in fallopianis tubis peculiaris valvula, quæ non permittit auram seminalem seorsum tendere. Præfatæ tubæ sunt à natura destinatæ ut viam sternant ovo in testibus fæcundato, indè ad uterum descendente. Sicuti Amuleta, Epitemata, aliaque topica remedia corpori externo applicata quibusdam suis energeticis moleculis vasa sanguinea subeuntia vim suam in massa cruentaria vonservant, eamque exerunt, ubi ad talem determinatum locum perveniunt, ut experimur in quibusdam purgantibus, quæ diù in manibus detenta Abdomini, vel Fonticulo admota alvum subducunt: in unctione Mercurii prijalismum inducente: in pulvere cantharidum, qui manibus contrectatus dolores, & tormina in vesica urinaria excitat: ita etiam aura seminalis admixta sanguini poterit ibi suam vim tueri, eamque prodere ubi ope cirulationis ad testes deducta ibi subiectum inveniat suæ activitati proportionatum.

Cum aura seminalis, sivè una, sivè altera via in ovaria delata ad omnia ova ibi existentia extendatur, ut experientia constat in Galina, in qua per unam tantùm Galli compressionem (quidquid in contrarium scribat Diemerbrochius) ova omnia, vel si centena essent, fæcundantur, ut observationibus inixi tradunt Deusingius, Fabritius, Harveus, Aliique, magna insurgit difficultas, cur idem in mulieribus non contingat, videlicet cur in uno tantùm congressu omnia illarum ova non fæcundentur.

Ut hanc difficultatem tollam noto id, quod evenit in Galina, in omnibus aliis Animalium speciebus non contingere: In quibusdam avibus sex ova, in aliis quatuor, in nonnullis, ut in Columbis, duo tantùm vi prolifica imbuun-

buuntur, & excluduntur, non verò reliqua. In Raja, id atteftantibus Rondeletio, & Charletonio, efto illius ovarium aliquando centum ova complectatur, adhuc tamen unum tantum, vel ad fummum duo fimul fæcundantur. Unde, quod in hoc Pifce contingit, poterit quoque in muliere fuccedere.

Solet à quibufdam recentioribus hæc quæftio fieri, videlicet ficuti Gallinæ edunt ova incompleta, & fatua, quare in Viviparis etiam, ut in muliere non contingat exclufio ovi hujus indolis.

Kerkringius, Suamerdamius, Verheijen, aliique opinantur fimilia ova aliquando infenfibiliter emitti quidquid in contrarium fcribat Auctor utriufque fcepfis (Sbaralea nimirum) Quod fi non fuccedat, mulieres, columbas, & aves filveftres imitabuntur, quæ nulla ponunt ova, nifi cum mare coiverint. Fortaffe non excluduntur ova Vivipararum, nifi fæcundata ob firmiorem illorum conexionem cum tefticulorum fubftantia, & foraminis, per quod poftmodum tranfire debent anguftiam: ad has porrò refiftentias fuperandas infigne momentum exigitur, quod ovum dumtaxat per fæcundationem aquirit. In confirmationem hujus rei Francifcus Maria Nigrifoli in fuo tractatu italicè confcripto de viventium generatione à Dendranatome ad Zootomiam progrediens folidam rationem adducit, quam penès ipfum videre poffunt Lectores. Hanc opinionem de Viviparorum Genefi ex ovis, reiciunt Lamy, Barbatus, Du Verny, Sbaralea, aliiquæ motivis tamen parum firmis, ut conftat ex folidis Recentiorum, potiffimum verò Verheyen, & præfati Nigrifoli refponfionibus.

Hifce contra hanc celeberimam Recentiorum opinionem propofitis, tranfitum facio ad inquirendam caufam elaborationis partium animalis in femine. Ego cenfeo cum in Plantarum, & Brutorum ovis horum viventium rudimenta reperiantur, idem quoque militare de mulierum ovis: In iftis erit totalis organica humani corporis conformatio abfque tamen motu: quamobrem jueremerito hoc opus comparatur orologio abfque machina, & artifirio motivo: ubi poftea ab aura feminali ova funt actuata, fimilia funt eidem orologio pondere, feu vi movente inftructo. Ex qua doctrina inferendum eft marem effe folum caufam, ut fœtus partes explicentur, & augeantur, ac proinde nudis fenfibus confpicuæ fiant. Hoc idem contingit in Vegetabilium femine terræ comiffo, quod in Plantam manifeftam abie, quia fuci terraquei femen fubeuntes, plantulam ibi latentem, ampliando illius tubulos, ob oculos ponunt.

Dum in fœminarum ovis partes efformantur eas omnes fimul fieri rationi confentaneum eft, quia una non poteft effe, aut agere fine altera: Corpus, ut inquit Diemerbrochius, non poteft confiftere fine fundamento folidiore, poftea offeum futuro. Hanc fententiam fic dilucido, ut Cor operetur, contraharur nimirum, quot quæfo partes acquiruntur? debet in primis actuari à fpiritibus animalibus, cumque hi fpiritus folum per nervos ferantur, cor nervis indigebit: dum porrò contrahitur, debet aliquod fluidum impellere, ne illius actio fruftranea fit, eft enim inftrumentum hydraulicum, quando motum fluido impertitur, debent exiftere tubuli, per quos ifte humor excurrat; unde apparet requiri cum Sanguinem, tùm arterias, & venas. Si Cor non poteft agere fine fpiritibus animalibus, & ifti Spiritus folùm in cerebro feparantur, è quo nervorum minifterio deducuntur ad partes, operante corde nequit non cerebrum conditum effe: cum autem cerebrum non poffit propriis viribus fpiritus ad cor tranfmittere, ibi dabuntur caufæ hoc præftantes, quæ funt Arteriarum, quibus cerebrum irrigatur, diaftoles, & contractiones fibrarum carnearum in duræ matris finibus exiftentium à fedulo naturæ indagatore Pachiono detectarum. Quamobrem apparet ad folam actionem cordis, debere plures partes manus auxiliares afferre. Hypocrates ipfe fenfit omnes partes fimul efformari, ut ex variis ejus operibus colligitur, & potiffimum ex Libro de Locis in homine, ubi fic fcribit nullum mea quidem opinione Corporis eft principium, fed omnes partes ex æquo, & principium, & finis effe videntur, defcripto namque circulo principium non invenitur. Hinc patet à veritate aberaffe Gallenum fcribentem Hepar reliquis vifceribus antecellere: Entium, & Regium cum Ariftotele tradentes cor prius efformari. Alios cerebro primatum tribuentes, allucinati pariter funt, qui voluerunt tria dicta vifcera fimul fieri, poftea verò Inteftina, Pulmones &c. nec non illi, qui offa tanquam bafim, & neceffarium fundamentum corporis primò fieri ftatuerunt.

Cum omnes partes fimul efformentur, fœtus organizationem immediatè à Deo fieri opinamur, Agentia creata cum fint limitatæ virturis, & pro eodem tempore non habeant materiam, in quam agunt, difpofitam, non poffunt omnes partes alicujus operis fimul facere, ac proinde unam partem prius, poftmodum aliam, deinde reliquas efficiunt, ut quotidiè apparet in operibus Architectorum, Pictorum, Statuariorum, aliorumque Artificum pedetentim in lucem prodeuntibus. Hoc verò in primam caufam non cadit, cujus virtus cum fit infinita, eodem tempore aliquid opus nobis laboriofiffimum, ludendo inchoat, & abfolvit: Deus, ut uno fuæ vaftiffimæ mentis intuitu omnia attingit, ita, & eadem inftanti fua expeditiffima voluntate, cui nihil fe poteft opponere, omnia condit: ipfi fufficit velle, ut naturæ opera completa, è nihilo ftatim emergant; *dixit, & facta funt*. Dici poftea nequit materiam in ovo non effe difpofitam, Auctor naturæ per ambages non operarur, ut contingeret, fi rudem materiam primò crearet, quam poftmodum difpofitam, poftremò formà actuaret. Ulterius organizatio fœtus, eft opus adeo perfectum, ut folùm è Dei manibus poffit proficifci. In quolibet vivente datur fumma partium varietas, in partium folidarum ftructura portentofum artificium, fluida partes folidas actuantia funt ftupen-

pendæ activitatis, quodquè majorem admirationem faceſſit, ſingulæ partes ſunt ita diſpoſitæ, ut ſibi mutuo navent operam, omneſque illarum operationes tendant ad totius conſervationem. Iſte ad primam Cauſam pro explicanda viventium fabrica concurſus mihi vitio verti non debet. Me non latet Deum ratione à generali concurſu diverſa rebus intereſſe non debere niſi (ut cum Oratio loquar) dignus vindice nodus inciderit, qui ſanè viventium Geneſim accuratè perpendenti nequit non apparere: Profectò in hoc opere digitus Dei eſt: Plures Doctores magnæ notæ diſcuſſis exactè Cauſarum ſecundarum viribus, hanc ſententiam amplectuntur, inter quos præcipui ſunt Malembranchius, Sturmius, & Peyerus, quorum poſterior ſic ſcribit: *ne delires conformationem corporis tui, animaliumque, prætereà omnium ortum ſoli Deo adſcribe, neque ex Creatura Creatorem effice*. Huic opinioni favere videtur peculiaris Iſaiæ textus, cujus ſunt hæc verba: *hæc dicit Dominus Redemptor tuus, & Formatur tuus ex utero &c.*



# DISPUTATIO QUINTA.

## De Anima Rationali.



## CAPUT UNICUM.

### *In quo Præambula eruditio ad rationalem mentem ſpectans exponitur.*

PRopemodum infinita ſunt, quæ ſtultiſſimis mendaciis protulerunt antiqui circa animæ originem, & naturam. In hoc enim erratum eſt, quod de ipſa diverſas, & ineptas formaverint ideas. Præcipuos referam errores, qui in hac materia circumferuntur, inter quos celebris eſt Atheiſtarum dementia aſſerentium animam hominis mortalem eſſe, & de Epicuro fidem faciunt Lucretius *lib. 1. de rerum natura*, & Plinius *lib. 7. cap. 55.* Stoici verò cum Zenone hoc idem docuerunt, ut refert Auguſtinus *lib. 3. contra Academicos* illis verbis: *Quamobrem cum Zeno ſua quadam de mundo, & maximè de anima, propter quam vera Philoſophia*

*losophia vigilat sententia delectaretur, dicunt eam esse mortalem*. Ex Eusebio tamen *lib. 15. de Preparatione cap* 19. colligitur ulterius stoicos voluisse animas aliquantulum durare post hominis mortem. De mente autem Aristotelis in hac re non una est apud omnes mens, adeout si scriptorum auctoritati adhærendum sit, nihil positiui decerni poterit. Patres enim quamplures reffeiunt Petrus Gassendus *lib. 9 Physic sect. 3*, & Georgius Rhodes *lib 2. disp. 18. sect. 2.* qui expresse fatentur Philosophum animam hominis mortalem tenuisse, ut inter ceteros videri possunt Nazianzenus *orat. 13.* Iustinus *in Paranesi* sub initio. Nemesius *lib. de homine cap. 2.* Theodoretus *lib. 5. contra Grecos*, Nicetas *lib. 4. thesauri heresi* 40. Nissenus *lib. de anima ad Macrinam*, quibus addi solent Lactantius *lib. de Resurrectione carnis*, Plutarchus *lib 5. de Placitis cap. 2.* & Alexander *lib. de anima*, necnon Enæas Gazeus *dialogo de Immortalitate animæ*.

Econtra verò, qui Aristoteli fauent, alios recensent auctores, qui in hac re Philosophi doctrinam catholicam firmant, & precipuè magistrum illum vniversalem, sub quo Aristotelica doctrina exrulit caput, videlicet Angelicum Preceptorem, Eugubinum *lib. 9. de Perenni Philosophia cap.* 8. villalpandum *apologia de Immortalitate anime*, Palatium *lib. 3. de anima cap. 4 quæst.* 1. Albertum *tract 2. de anima cap.* 20. mirandulanum *lib. 21. Monomachiæ*, Contarenum, Suarezium *lib. 1. de anima cap.* 11. Toletum, aliosque plures. Inter quæ auctorum dissidia hoc unum certò eruitur, quod Philosophus obscurè in hac re sit locutus, atque omnibus prebuisse ansam, suam pro libito propugnandi sententiam, quamuis secunda nostris hisce diebus magis arrideat, quod an fiat in veritatis obsequium, an potius Sragyrite, non determino. Si enim attenta mente legamus, quæ Philosophus scripsit *lib. 1. de anima tex. 12. ac* 2. de anima *textu* 6. 15. 26. statuendum est aduersus Aristotelem, & Patribus priori loco laudatis fides iuremerito præbenda est, eo vel maxime, quod in lib. *de longitudine, & breuitate vitæ cap.* 2. mortalitatem expressè suadeat illis verbis. *Si namque anima non est secundum naturam, sed quemadmodum scientia in anima, sic & anima in corpore, erit quoque ipsius, & alia corruptio preter corruptionem, qua corrumpitur*, *& lib de anima text. 66. ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari corrumpitur, alio quodam interius corrupto* Quinimo reffert Vincentius Caprinian *lib. de animæ Immortalitate* librum composuisse, cui nomen indiderat *de morte animæ*. Cum autem librorum inscriptiones à rebus ipsis, de quibus agitur erui consueverint, procul dubio in illo opere interitus animæ explicabatur

Ex diametro verò, si alia Stagyrite oracula advertamus, iam in hac partes fidei, & rationi consona est eiusdem Doctrina. Secundò enim de anima *text 21. Videtur*, inquit, *genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, sicuti perpetuum à corruptibili*, per quæ verba aliaquè, quæ summa diligentia refert, & exponit accuratissimus scriptor Ioannes Cortunius in suo elaborato opere de *triplici statu animæ* disp. 5. plures fatentur cum eodem pro immortalitate stetisse. Ego tamen, ut fidem omnibus prestem, opinor Philosophum obscurè locutum fuisse, & quodamodo dubitatiuè, ut de Platone, Seneca refert Gassendus, sicque locum præbuisse scriptoribus diuersa de eiusdem mente sentiendi.

Hoc itaque omisso dissidio, quod aliquantulum diruit Georgius Rhodes loco allegato, non parum Gregorius de Valentia *punct 3. de animæ essentia quæst. 1. punct. 3.* & diffusè in suo insigni opere relatus *Cortunius*. hoc certum nobis est animæ Immortalitatem fundamentum nobis esse omnis probitatis, Iustitiæ, Innocentiæ, ac Religionis; Mortalitatem verò intrudere impuritatem, omnemque vitiorum colluiem, ut eruditè, & pulchrè expressit Aurelius Prudentius *lib. 2. contra Symmachum*, dum ita canit.

*Nam si tota mihi cum corpore vita preibit*
*Nec poterit superesse meum post funera quicquam*
*Quis mihi regnator Celi. Quis conditor orbis?*
*Quis deus aut quæ iam meritò metuenda potestas.*
*Ibo per impuros feruente libidine luxus*
*Incestabo Thoros, Sacrum calcabo pudorem,*
*Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui*
*Depositum tenues auidus spoliabo clientes;*
*Longæuam perimam magico cantamine matrem.*

Cui consona sunt ea, quæ Epicureorum ore intonuit sapiens *cap. 2. Venite ergò, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tamquam in iuuentute celeriter, nullum pratum sit, quod non pertranseat Luxuria nostra ubique relinquamus signa letitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

Alii verò animam corpoream voluerunt. Refert enim Augustinus *lib. 10. de Trinitate*, aliquos credidisse eam confici ex minutissimis, & indiuiduis corpusculis concurrentibus in se, atque cohærentibus, alios verò igneam substantiam esse, vel tenuissimum aerem, ut Anaxagoras, quorum insaniam pulchrè his verbis descripsit Seneca *in lib. 7. ad Lucilium. Habere nos animum* inquit, *cuius imperio, & impellimur, & reuocamur, omnes fatebuntur; Quid tamen sit animus ille rector, dominusque noster non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quemdam, alius vim diuinam, & Dei partem, alius tenuissimum aerem. Non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non potest liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipse se querat..... Ad inquisitionem tantorum, etas una non sufficit, ut tota Cœlo vacet.*

Quanplures verò in nouum abeuntes errorem docuerunt animas in plura migrare corpora, cuius impii dogmatis inventores refert Eusebius de preparatione Evangelica *lib* 9. fuisse Egyptios, à quibus Pictagoram errorem sumpsisse refert Seneca Epistola 107 ubi non obscurè Pictagoram Egyptiis adhæsisse scribit. *Pytagoras enim*, inquit, *omnium inter omnia cognationem esse dicebat, & aliorum commercium in alias, atque alias formas transeuntium. Nulla* (Si illi credas) *anima interit, nec cessat quidem: nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur*: Cui dementiæ Senecā subscripsisse, à verò alienum non erit si hoc affirmarem, cum modo animæ transmigrationem non improbet, modo propugnet: *si enim*, inquit, *vera sunt ista* (videlicet principia transmigrationis animarum) *abstinuisse animalibus innocentia est: Si verò falsa, frugalitas est*; & inferius. *His instinctus* (scilicèt iisdem principiis) *abstinere animalibus, cepi: & anno peracto non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis*. Et reuera locus suspicandi non remanet de Pictagorica dementia in hac re, quamuis nonnulli opinentur rectam fuisse Pictagoræ mentem circa transmigrationem, ipsum explicando de transmigratione quoad affectum, vel moralem, prout homines Voluptatibus dediti, necnon vitiis omnibus immersi in Brura se transformare dicimus, quia sicuti illa, ita isti non rationi, sed Voluptatibus indulgent. In quo quantum aberent, inde constat quod adhuc extat de Pictagora Epigramma nō mediocre *lib. 1. Epigram. Græc. cap.* 89. qui in cane, quem

quispiam percusserat, ait, se animam cuiusdam amici cognovisse. En Epigramma.

*Dum Samius libat superis in Sacra Iuvencum*
*Quod celebre in mathesi schema, novumque capit*
*Adspicit, & quendam duro lacerare catellum*
*Verbere, commotus talia verba dedit*
*Heù cessa; ne cæde: animus nam dulcis amici*
*Hic sedet: eius vocem exeipio, atque sonum*

stultitiam hanc secuti deindè sunt Manichei, uti refert Augustinus *lib. de Heresibus cap 46. docentes animas perditorum hominum in pecora redire, & in omnibus, que in radicibus fixa sunt, atque aluntur in terra; quapropter herbas, atque arbores, sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, & sentire credant, & dolere cum leduntur, nec aliquid inde cruciata eorum quemquam posse velle, aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas. habent.* Unde *agriculturam, que omnium artium est innocentissima, tamquam parum homicidium ream dementes accusant.* Hanc insaniam etiam Platoni tribuit Eusebius *lib.* 13. *cap.* 10. quam cum optimè explicet eiusdem verba referre placet: *divinam illam incorpoream rationalem, Deo que similem animam, ad Asinos, Lupos, Formicas Apes, ceterasque bestias descendere asserit Plato, & huic opinioni absque demonstratione aliqua ceteros adherere hortatur, stant que ventri, atque turpitudini dedite fuerant, Asinorum, & similium Bestiarum corpora ingrediantur, que rapaces, atque tyrannica Luporum, atque Accipitrum corpora ingrediuntur, que vero populares fuerant, & vulgarem modestiam, atque iustitiam consuetudine communi, non Philosophia, & mente approbarunt, vel formicarum, vel etiam hominum rursus accipiant corpora;* quæ verba omnino consona sunt istis, quæ habet Plato in Phedro *Hic, & in Bestie vitam humana anima transit, & ex Bestia rursus in hominem, si modo anima, quandoque prius fuerit hominis.* Quo non obstante Marsilius Ficinus in Platonicis rebus haud uulgariter instructus in argumento super 9 librum de Republica hæc scribit: *accipe etiam formulam, qua possis transitum animarum in Bestias ita interpretari, ut in Bestiarum affectus, & habitus potius, quam in corpora migrare videantur.*

Quamvis autem cum Platone non senserint Avicenna *lib.* 4. *sexti naturalium cap.* 4. & Origenes *lib.* 1. *Periarcon cap.* 1. tamen locuti sunt falsa. Posuerunt enim omnes animas humanas, & Angelos esse ejusdem speciei, & hoc ideò, quia Origenes posuit solùm diversitatem gradus in hujusmodi substantiis accidentalem, utpotè ex libero provenientem arbitrio. An autem error hic solùm Avicennæ, nec non Origini tribuendus sit, difficultas non mediocris est apud eruditos. Placet aliquibus Tertullianum etiam adhæsisse, quod tamen diffusè diffitetur Pamelius *Paradox.* 11. ubi opinatur tribuendum potius Tertullianistia, quàm Tertulliano. Placet aliis etiam Philosophum in hac parte Origenistam fuisse, ut D. Thomas *lib.* 2 *contra gentes cap.* 70. Marsilius Ficinus *de immortalitate cap.* 1. sub fine, Contarenus 1. *de immortalitate*, Balduinus *quæsit.* 12. *cap.* 12. Vasquezius 1. *part. disp.* 183. *cap.* 1. aliique plures. Ego tamen, ut verius loquar duo censeo in hac re veritati esse consona. Primum est Origenis lapsum non obscurè deduci ex Hieronimo *Epistola* 59. Augustino 11. *de Civitate cap.* 23. necnon Leontio *lib. de Sectis act.* 10. Secundum verò est, quod etiam Philo *lib. de Mundo* idem affirmavit, quod Origenes docens *Angelos, Demones, & Animas nomine differre, atq; re ipsa idem esse.*

Prisciliantistæ verò animam hominis docuerunt esse divinam substantiam, ex eo quod dicatur *Genes* 2. *in hominis faciem Deum insuflasse spiraculum vite.* In quam insaniam incidir etiam quidam Carpocrates, ut refert Ireneus *lib* 1. *adversus hereses cap.* 24. & lapsi sunt Epitectus *differt.* 1. *cap.* 14. ac Seneca *Epistola* 92. Cicero Tuscul. *quest*, & *lib.* 1. *de divinatione*, inter quos refferri solent etiam Manichei, & Priscillianistæ ab Augustino *lib.* 1. *de Heresibus cap.* 24. qui *lib. contra mendacium* istos redarguendo hæc scripsit: *magna hæc est, & detestanda blasphemia. Sequitur enim, ut Dei natura captivetur, decipiatur, fallatur, conturbetur, atque turpetur, damnetur, atque crucietur ...... non est itaq; de essentia divinitatis, de substantia Dei originem trahens, sicuti Manichei, & Priscillianistæ heretici falsa opinati sunt, sed ex nihilo à Deo create.* Eundem errorem Priscillianistis tribuunt Toletanum primum *in confessione Fidei*, Leo in *Epistola ad Turibium*, necnon *Concilium Bracharense primum sub Theodomiro* Svevorum Rege anno 563. celebrato sub Joanne Papa 3. Alii verò Charibdim hanc vitantes inciderunt in scillam. Sentiebant enim simul cum Origene *lib. Periarcon* animas rationales fuisse productas, antequam corpori unirentur, ut colligitur ex epistola 31. Leonis primi, Concilii Bracharensis primi *cap.* 6. & ex Baronio ad annum 538. in quem errorem inclinasse Augustinum *lib.* 3. *de Genesi* volunt aliqui. Originis autem error potissimum innitebatur supra 2. *Gen.* ubi dicitur *Deum cessasse ab omnibus operibus suis*, quorum legitima explicatio suo loco assignabitur.

Multi verò negaverunt esse formam corporis informantem, ut Plato 5. *de natura hominis*, Simplicius *lib.* 2. *de anima text.* 7. Philoponus ibidem *textu* 5. & Themist. *lib.* 2. *de anima cap.* 27. ac Nemesius reprobans *lib. de homine cap.* 2. Entelechiam Aristotelicam, qua fert animam esse corporis formam, à quorum sententia nullatenus discessit Averroes *lib.* 3. *de anima punct.* 1. de quo non mediocrem fidem facit Scotus *in* 4. *dist.* 43. *quest.* 2. illis verbis *licet ille maledictus Averroes in sua fictione tertii de anima, que non est intelligibilis, nec sibi, nec aliis contrarium ponat.* Horum dementiam decimo tertio seculo denuò amplexus est cum aliis nonnullis Petrus Joannes Oliva Minorita Conventus Biterrensis, quidquid iu oppositum referat Vadingus in annalibus Minorum ad annum 1278 ex Ubertino de Cassalis, quapropter doctrina Petri Joannis Oliva in *Concilio Viennensi* 2. sub Clemente 5. in dicto tempore Philippi Pulchri Galliarum Regis anno 1312. simul cum alia Begardorum, & Beguinarum damnatus est.

Post hæc non desuerunt, qui firmiter crederent, vel unam solùm esse animam, ut Averroes *de anima coment.* 5. vel æternam esse æternitate à parte ante, ut idem refert de Theophrasto, & Themistio, seu tandem intelligentias esse creatrices animæ rationalis, quos inter refferri solent Avicenna *lib.* 7. *Historia Tripartitæ cap.* 11. & Algazel, Simon etiam magus, & Meriander illius Discipulus, ut Auctor est Epiphanius *heresi* 21. & 17. Seleucus, necnon Hermes, ut constat *ex lib.* 7. *Historia tripartit. cap.* 2.

Sed hic finem non habent circa animam rationalem deliria. Manichei enim tertio seculo exorti admittebant duas animas in homine, bonam videlicet, & malam, hanc bona agentem, mala illam, hanc ex Deo, illam ex diabolo, hanc partem boni Dei, illam mali Dei. Proscripta istorum

demen-

dementia fuit ab Augustino *lib. de duabus animabus cap. 14.* illis verbis. *Quæro ex duabus illis animabus, cujus fit penitere peccati. Scio quidem, neque illius esse posse, quæ mala facere, neq; illius, quæ mala facere non potest. Pœnitendi enim illa affectio, quæ prodit male fuisse pœnitentem, & bene facere potuisse testatus, quamobrem, aut negent isti esse penitendi magnam utilitatem, & aut illa duo genera, unum ex quo nihil mali, alterum ex quo nihil boni sit, discere, atque docere jam desinant.*

Alii verò catholicè sentientes quoad ejus productionem, unitatem, & naturam, errabant tamen in hoc, quod fatebantur posse in hac vita visionem Dei claram viribus naturæ consequi, homines illos, in quos peccatum non cadit. Thomassinus in sua vetus. & nova Ecclesiæ disciplina *part. 1. lib. 3. cap. 38. num. 2.* refert hos floruisse tempore S. Ludovici Regis, ejusque Filii Comitis Alenconii. atq; exordium Beguinas habuisse apud Nivellam Belgii urbem, scribit *ex Cantipratensi lib 2. cap. 38. num. 2.* Quibus omnibus omissis certum hoc solùm mihi Beguinis rectè sentientibus ultra recensitum Sanctissimum Regem, & Philippum tertium testamento suo anni 1284. multa legasse: at postquam nonnullæ in absurdissimos errores jere præcipites in Germania, Concilium Vienense Generale ipsarum institutum extinxit, quorum decretorum Philippus Pulcher Galliæ Rex totus fuit in urgenda executione.

His Veterum erroribus novissimè accessit Cartesii delirium constituentis animæ rationalis naturam in sola actuali cognitione idonea omnibus omnis generis modificationibus, aut cognitionibus suscipiendis, cujusmodi sunt sentire, imaginari, & velle. Hæc enim habet *Epist.* 105. ad Patrem quemdam ex Oratorii familia Sorbone Doctorem *part. 1. Ratio cur credam animam semper cogitare, eadem est, quæ mihi suadet lucem semper lucere, licet nulli fuerint oculi, qui illam intueantur; calorem esse semper calidum, licet se nemo calefaciat, itaut longè facilius existimarim animam desinere esse, cum quis dicit illam à cogitando cessare, quam concipiam illam absque cogitatione existere.* Sed falsò hoc docet. Anima enim cum primum corpori infunditur, nihil potest cogitare, quod idem evenit etiam in profundissimo somno, cum tamen tunc sit ipsius animæ natura. Nec valet solutio Cartesii, animam nimirum etiam dormientibus nobis cogitare, conscïamque esse suarum cogitationum, quamvis non recordetur, quia illarum species in nostro cerebro vestigia non relinquunt. Non valet inquam, primò quia gratis hoc affirmatur. Nullus enim est, qui in somno se cognoscere experiatur; inconveniens autem est, ut optimè advertit Scotus ponere actum secundum semper in nobis, & perfectum, & tamen, quod lateat nos, sicuti quod ego essem Angelus, & lateret me.

Secundò, quia in somno vigiliæ opposito carentia cognitionis cujuslibet certè adest. Durante enim somno sensibilia adæquata (ut olim me docuerat Cartesianus quiddam non infimi nominis) & organa blandius afficientia nullam sui perceptionem excitant, nullique motus spontanei fiunt, immò internæ animæ sensitivæ potentiæ suos actus vix convenienter exercent propter nimiam spirituum à cerebro ad propria sensuum organa perfluentium inopiam. Sed qui plura optat circa hoc adeat Danielem Huetium Suessionensem Episcopum, Godartium, aliosque Recentiores, præcipuè tamen Dominum de la Forgè, qui de humanæ mentis natura præcipuè juxta Cartesii principia solidè scripsit.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum anima rationalis sit forma spiritualis.*

### CAPUT PRIMUM.

*Ponitur sententia affirmativa.*

PRiscis Philosophis placuisse ante Aristotelem animam esse corpoream, adeo certum est, ut à nullo erudito viro negari possit. Hoc enim manifestè deducitur nedum ex iis, quæ Seneca refert *lib. 7. ad Lucilum,* verum etiam ex eodem Philosopho *lib. 1. de anima à tex. 20. usque ad 55.* clarè colligitur. Et Augustinus Sedulus antiquitatis indagator hoc idem refert, & reprobat lib. 10. de Trinitate, ex quo manifestè infertur; nulla probabilitate ductum Adamum scripsisse etiam Augustinum rationalem mentem voluisse corpoream, eo vel maximè, quod etiam *lib. 10 de Genesi cap 21.* totus fit in proscriptione huius erroris, ut optimè in suis Vindiciis Augustinianis ostendit clarissimus *Cardinalis Henricus Noris* Illustrissimi Ordinis Sancti Augustini.

Priscis autem adhæsit ex scriptoribus Ecclesiasticis Tertullianus, ut fidem facit Augustinus Aureis illis verbis Epistolæ 157. ad Optatum: *nam & illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest?* Et revera Tertullianum animæ corporeitatem propugnasse non obscurè innuitur *lib. 1. de anima cap. 2* quemadmodum enim ex *cap* 9. manifestè colligitur arbitrio Muliercula animam, corpoream, coloratam, anthropomorphitam credidisse, ut optimè aduertit etiam Ludouicus Bail *de Conciliis Gallicanis Pagina* 514 His suppositis.

Veritatem Catholicam primò suadeo ex Patribus, qui quamuis in hac materia copiosissimi sint, Augustinum solùm referre placet clarissimè *lib. 10. de Genesi* docentem animam incorpoream esse. *Admoneo sane,* inquit, *quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex Parentibus credant propagari, quantum possunt se ipsos considerent, & interim sapiant, corpora non esse animas suas,* & idem repetit *heresi* 86. *& Epistola 28. ad Hieronimum.*

Secundò etiam ex pluribus Conciliis deduci potest, quorum primum sit *Constantinopolitanum* 3. vel sexta Sinodus sub Dono Papa Romano convocata aduersus Heteticos Monothelitas tempore Constantini Pogonati anno 681. quæ tamquam Catholicam approbauit Synodicam Sophronii Archiepiscopi Hierosolymitani Epistolam, in qua legitur animæ rationalis incorporeitas illis verbis; *nascitur Deus humano corpore, similiterque, & habitu animam rationalem, atque incorpoream habens, quod ipse in semetipso, & nequaquam alter rationali animauit spiritu.* Quæ Epistola cum approbata fuerit quoad omnes partes, ut fidei consona, remanet dicendum, quod de fide sit animæ incorporeitas.

Constantinopolitano accedit Lateranense 440. Episcoporum anno 1215. indictum tempore *Innocentii Papæ III. & Friderici Imperatoris* Celebrati contra Albigenses, Aimerici hæreses, necnon Abbatis Ioachimi errores. In hoc Concilio pariter in terminis nostra Thæsis legitur, & quidem in Extravaganti de summa Trinitate, & Fide *cap. 2.* illis verbis; *Deus, qui sua Omnipotenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit Creaturam,*

Spiri-

*Spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex Spiritu, & corpore constitutam* quibus inhærendo, etsi concedant omnes animam juxta Concilium incorpoream affirmandam esse, nolunt tamen aliqui de fide esse, quarum est ex Concilii huius auctoritate hac præcipuè fieri ratione, quia Patrum Concilii intentio solum fuit definire aduersus Albigenses Deum omnia condidisse, reliqua verò referre absque intentione definitionis, quibus adhærent Petrus Posttuanienfis *in 2. senten disp. 2. de creatione Angelorum concl. 1.* Caranza *ad act. 5* & nouissimè Gaspar Iuenin Instit. Theolog *Parte 3 dissert 1* necnon Sylvester Maurus *Tom 1. lib 3. quæst. 78.* quibus dissentiunt ex eadem Societate Iesu Georgius Rhodes *in Phil. lib. 2. disp 17. quæst. 6. sect. 5* & Gregorius de Valentia *punct. 1. de essentia animæ quæst 1.* Et revera his libenter subscriberem, nisi Doctores Catholici nonnulli post Sacrosanctum Concilium Lateranense propugnassent oppositum, maximè loquendo de Angelis, quod tamen omnino temerè affirmari potest, cum etiam indirectè definita à Concilio obedientiam exigant, animique obsequium, ut non obscurè patet in Concilio Tridentino, à qua estò indirectè *sess. 25* statutum sit (directè enim fuit solùm definita Sanctorum invocatio) animas nihil purgandum habentes, mox Deo frui post obitum, à nullo tamen veritas hæc negatur, sed recipitur, quam directè antea definivit anno 1439. Concilium Florentinum.

Probatur secundò ratione conclusio promiscuè, & primò, quia anima tendit circa res spirituales, vel materia immunes. Cognoscit enim Deum, Angelos, ceterasque res materia carentes; atqui si corporea esset, recensita objecta cognoscere non posset. Videmus enim materiales potentias objectis materialibus esse alligatas: visiva enim colori annexa est, auditiva sono, ipsaque phantasia ceteris sensibus perfectior, res ipsas cum materialitate nobis ostendit; ergo ex objecto optimè deducitur cognitionis animæ rationalis spiritualitas, consequenterque etiam ejusdem immaterialitas. Hoc argumentum promovent Tertullianus *lib. de anima cap. 6.* Claudianus Mamertus *l b. 2. de statu animæ* contra Faustum, Nazianzenus, & tandem Marsilius Ficinus *lib. 9* illis verbis. *Quando circa corporalia occupamur intellectus, aut nihil cernit omninò, aut non sincerè discernit, sensibus, & phantasia deceptus, vo luntas affligitur, dum multis inde vexatur curis. Contra quando corporalia despicit, & sopitis sensibus ex pulsisque phantasmatum nubibus animus per se aliquid speculatur, tunc intellectus sincerè discernit, claretque maximè, quod etiam in his apparet, qui per somni quietem, aut aliam quamvis alienationem à corpore, vaticinantur. Hinc sequitur non esse corpus Origenem animi, si quo longius animus discedit ab illo, eo se perfectius habet. Sed*

Dices primò animam rationalem immaterialia utique cognoscere, sed ad instar rei corporeæ, qua propter potius ex modo attingendi spiritualia infertur potius animam corpoream, quam spiritualem esse. Præterquamquod, & si contingat res spirituales ad instar sui cognoscere, optimè quoque ipsas cognoscere poterit, etsi materialis esset. Si enim potentia finita infinitum objectum attingere valet, cur non poterit potentia materialis rem spiritualem percipere, eo vel maximè, quod major adest distantia inter finitum, & infinitum, quam inter materiale, & spirituale. Sed

Contra. Mens enim, & spiritualia ad instar sui cognoscit, ut optimè ex societate Georgius de Rhodes *lib. 2. disp. 18. quæst. 1. sect. 1. §. 2.* distinguit enim intellectus corporeum ab incorporeo, utriusq; assignando naturam, & ideam; sed unom aliud cognoscere, prout ab illo discretum, non est ad instar illius ipsum percipere; sed ad instar sui; ergo incorporea ad instar sui cognoscimus. Hoc autem contingere nequit, nisi mens cognoscens spiritualis sit, cum spiritualia sint extra spheram potentiæ materiæ immersæ, unde est, quod alibi propugnamus potentiam visivam corpoream elevari non posse ad Dei visionem. Nec huic obstat doctrinæ paritas, quæ affertur, cujus ratio est, quia infinitum utpotè propriam veritatem habens est intra spheram potentiæ intellectivæ finitæ, quæ quodlibet objectum attingit, in quo ratio veri relucet. At verò in objecto spirituali non est objectum motivum, quod movere possit potentiam materialem, cum objectum spirituale sit extra latitudinem potentiæ materialis.

Dices secundò. Mens ex quo cognoscit materialia, & entia abusiva, non benè infertur, quod sit materialis, & ens abusivum; ergo etiam ex quo cognoscat spiritualia non benè colligitur, quod esse debeat spiritualis.

Sed hæc instantia nulla est, si superior ratio rectè intelligatur. Sensus enim ejus legitimus est, quod cognoscere spiritualia est opus potentiæ supra materiam elevatæ, itaut hæc elevatio inferatur ex ipsa tendentia ad objectum spirituale. Cur autem ex hoc, quod attingat objectum spirituale inferri possit, quod potentia sit spiritualis, non verò sit materialis ex attingentia objecti materialis, ratio est, quia potentia inferioris ordinis nequit attingere, quæ sunt ordinis sibi superioris, è contra verò, quæ superioris ordinis est, potest attingere, quæ sunt ordinis inferioris.

Secunda ratio illa est, qua etiã omnes Cartesiani utuntur, & in eo stat, quod mens rationalis intelligere valet res materiales absque omni specie materiali. Etsi enim dum corpori annexa est, speciebus à phantasia perceptis, utatur, hoc tamen contingit, ut rectè Gassendus advertit, ut per ipsas, tamquam per gradus ea assequatur, quæ sine phantasmatis intelligit. Hæc autem rebus materialibus non concedirur. Sensus enim, sive externi, sive interni res omnes cognoscunt mediis speciebus materialibus. Si autem mens rationalis, & ipsa materialis esset, modus hic cognoscendi etiam ab ipsa esset proscribendus.

Tertia ratio est, quia Intellectus se ipsum, suasque functiones percipit. Potentia autem solum materialis reflexas actiones habere nequit; unde Phantasia pariter cum corporea sit se ipsam, & suam Imaginationem percipere non ualet. Nec enim visus se ipsum videt, aut suam visionem apprehendit, aut auditus se ipsum audit, aut suam auditionem percipit, seu animaduertit se audire ut optimè monuimus, ubi de Brutorum anima. Hac ratione quamplures utuntur, & præcipuè Gassendus in Physica *sect. 3. lib. 9. de Intellectu, & mente*, Dauid Derodonis in Nemausensi Academia Professor *in 2. part. Physicæ art 4. de animæ rationalis natura*, & tandem Marsilius Ficinus in sua *Theologia Platonica lib. 11.* ubi hoc argumentum diffusè promovet. Quod si dixeris etiam in Brutis reflexionem quamdam cognosci, ut dum progrediendo interdum consistunt, dico consistentiam non arguere reflexionem illam eximiam qua de agimus, sed quamdam solum reminiscentiam ob interve-

tervenientem fortuitò nouam aliquam in Phantasia speciem.

Quarta ratio desumitur ex vniversalitate obiecti. Videmus enim mentem nostram rem quamlibet percipere, adeo ut nulla sit res, quam cognoscere aliquo modo non possit. Cognoscit enim materialia, Inmaterialia, positiua, negatiua, possibilia, impossibilia, atque universales notiones, de iis omnibus iudicando, naturam inquirendo; atqui hæc obiecti latitudo materialibus, & corporeis non conceditur, ut manifestè patet, si ad cuiuslibet sensus obiectum attendamus, qui non ipsa abstracta apprehendunt, sed concreta solum, ut non colorem sed coloratum, non saporem, sed sapidum.

Vltima tandem ratio desumitur ex libertate Voluntatis, & puritate amoris: Anima enim sæpe honesta diligit, & sæpe Deum amore amicitiæ, vel ratione illius summæ perfectionis, quam Deus habet, diligendo, amorem illum ab amore altero Concupiscentiæ distinguendo, simulque prioris excessum supra secundum cognoscendo. Non est autem credibile rem materialem hæc omnia efficere posse, ut experientia in Brutis compertum est. Ratione hac utuntur etiam Gassendus *Physic. sect. 3 lib 9. cap 2.*, & Marsilius Ficinus *lib. 9. de Immortalitate animæ.*

His rationibus, quæ efficaciter suadere possunt animæ spiritualitatem, aliqui alias adduot, ex quibus potissima ea est, quod anima rationalis immaterialis est, in fieri, inesse, & in operari. In fieri quidem, quia materia generationis, scilicet semen utriusque parentis nihil confert ad animæ rationalis productionem. In esse verò, quia extra corpus existere potest, & de facto existit in statu separationis. In operari tandem, quia etiamdum unita est corpori, quando se ipsam cognoscit intuitivè, à materia, sivè corpore non dependet, uti nec quando separata à corpore aliquid intelligit. Sed

Huic rationi, quam approbat Adrianus Heeretbord, non acquiesco. Ratio est, quia hic ostendi tur, quod in fieri spiritualis sit, quia utriusque parentis semen nihil confert ad ipsius productionem, alibi verò ostenditur, quod ex semine non fiat, quia spiritualis est, io quo afferendo Circulus vitiosus manifestè deprehenditur.

Nonnulli verò cum Lynceo ipsam spiritualitatem desumunt ex indivisibilitate animæ rationalis, quæ rei corporeę profectò cōvenire nequit. Res enim, quæ materialis est, quantitate afficitur, sicque proximè divisibilis.

Sed huic rationi non adhæreo, nedum quia hæc animæ indivisibilitas mihi non apparet, nec solidè à posteriori dignosci potest. Quod enim lo partibus corporis divisis non remaneat, indivisibilitatem non arguit, nisi facere velimus, etiam brutorum perfectorum animas indivisibiles, verum etiam, quia indivisibilitas in plures partes spiritualitati non obstat & maximè io illorum Sententia, qui accidentia spiritualia intendi per additionem gradus ad gradum firmiter sustinent, à quorum sententia etiam prescindendo hoc sufficienter videtur io ipsa ubicatione angelica, quæ estò spiritualis sit, divisibilis tamen unanimiter asseritur. Quod si dixeris cum eodem Societatis Doctore ipsam esse formaliter divisibilem, virtualiter verò indivisibilem, vel non esse totaliter spiritualem propter hanc divisibilitatem formalem ei convenientem, sed partim materialem, partim spirituale aduertendū est quamliber ex his solutionibus vim nō eneruare superioris argumenti, siquidem iam conceditur spirituale posse esse formaliter divisibile, adeoque ex formali indivisibilitate spiritualitas non deducitur, cum hæc esse possit sub prædicato opposito, ut patet in ipsa ubicatione angelica, quam concedit Lynceus formaliter divisibilem. Secunda verò solutio à vero distat: corporeum enim, & incorporeum differentiæ sunt divisivæ, ut Peripatetici docent, adeoque imperceptibile videtur formam aliquam accidentalem posse sibi utramque rationem vindicare.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

PRimum argumentum illud est, quod aduersus Catholicos ex Patribus promouet Caluinista David Derodonis, quos animam rationalem credidisse corpoream affirmat, & primò ex Ilario, qui *Serm in Matth.* hæc ait: *nihil est in substantia, quod non sit corporeum: nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantia corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur.* Secundò ex Hieronimo io Matth. 10 qui dum explicat illud, *nolite timere* eos, qui occidunt corpus, animam verò non *possunt occidere*, hæc habet: *animam esse corpoream non esse omnino negandum, sed modo solum illo crasso, quem in corpore nostro cernimus.* Tertiò ex Lactantio *lib. 2 Instit. cap 9* postquam dixit: *substantiam ignis Calorem esse, & substantiam aquæ esse humorem*, addit *Corporis materiam in humore esse, animæ verò in calore.* Quartò ex Tertulliano *lib de anima cap. 22* dicente *animam hominis esse corpoream, habentem figuram, & effigiem genitam cum corpore, & traductam ex substantia Patris ad Corpus Filii.* Quintò ex Clemente Alexandrino *lib 5 in 1.* Petri, ubi hæc habet: *anima hominis est corruptibilis, quæ generatur, & communicatur cum corpore.* Sextò ex Gregorio Nisseno *lib. de Opif. hominis cap. 29.* ubi legitur, *quod anima hominis est in semine, licet ibi non appareat*, & tandem ex Augustino *Tomo 2. Epistola 28. decernente animam Filii esse genitam ex substantia Patris, non minus, quam corpus.*

Sed quam insulsè, sic arguat recensitus auctor, inde patet; quod communis Patrum sensus idem penitus fuit, ac ille, quem propugnamus, ut optimè Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis diffusè ostendit in suo Insigni opere *de statu animæ lib. 3*, qui postquam ratione superius firmavit assertum, etiam ex Patribus ipsum colligere studet. Et reveta spiritualitatem animæ fatentur Gregorius Nazianzenus in Apologetico illis verbis: *Magnum videlicet inter animam, & corpus est discrimen. Atque, ut corpus corporalibus pasci, simul animam spiritualibus vegetari*, Secundò Ambrosius in Sermone ad Mediolanensem Ecclesiam: *Sequestramus nos à corpore, contra quod nobis, si salui esse volumus, jugc certamen est . . . Quis ergò iste sit, cui à corpore sequestrari conveniat quæro. Ex anima enim summus, & corpore. Ac cum sequestrari à semetipso nequeat animus, nihil in nobis est, quod sequestrari possit à corpore.* Tertiò Augustinus in *Epistola 28.* ad Hieronimum de origine animæ: *incorpoream omnem animam esse; etsi difficilè tardioribus persuaderi potest: mihi tamen fateor esse persuasum.* Et tandem Ilarius Pictauiensis: *Quærere inquam quidam solent, quomodo in Christo misceri potuerit homo, & Deus. Quærunt rationem huius Mysterii, quod semel factum est, quare eam ipsi reddere rationem, cum nequaquam possint eius rei, quæ fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo; ergò quomodo corporea rei, incorporeaque coniungitur, ut corpori anima misceatur, ut homo efficiatur. Ita homo coniunctus est Deo,*

*& factus est Christus* Quod si aliqnando contingat Patres humanam animam corpoream asserere, explicandi sunt, eo modo, quo Theologi, alia Clementis Alexandrini, Tertulliani, Basilii, Augustini Origenis, Nazianzeni oracula, dum asserunt Angelos corporeos esse, videlicet docendo Patres locutos fuisse, vel comparatiuè ad causam primam summè Immaterialem, ut ex his Augustini verbis *Epistol*. 28. Manifestè colligitur: *Si eam solam incorpoream places appellare naturam, quæ summè incommutabilis est, ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est*. Vel Patres locuti sunt de ente corporeo latè accepto, prout corporeitas simplicem presefert realitatem, in quo sensu certè solùm locutum esse Hieronymum, non verò in proprio, de quo inquiritur. Tertulliani verò Auctoritas non obest, quia Corporis Ideam pro substantia usurpauit, ut Tertullianum explicari posse contendunt Eminentissimus Cardinalis Ioseph de Aguirre *tract*. 3. de essentia, & proprietatibus diuinis in Monologion *cap*. 16. *disp*. 39 *sect*. 1. ex lib. contra Hermogenem cap. 35. lib. de Carne Christi cap. 12. necnon ex Societate nobilis Philosophus Richardus, Lynceus *lib*. 9. *tract*. 1 *cap*. 1. quam explicationem plausibilem redideraт Augustinus lib. de Hæresibus cap 86 cum in hoc sensu Tertullianum locutum esse probabile refferat. Ait enim. *Potuit enim propterea Corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non corporis, vel animæ qualitas: sed ubique totus, & locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura, atque substantia immutabiliter permanens*. Quod si propriè corpus accipiendum est, dicendum est veritati Catholicæ non obesse Tertulliani Sententiam. Concedimus enim libenter in hoc errasse, nedum animam Rationalem, verum etiam Deum corporeum esse affirmando. Quid mirum itaque, quod errauerit circa animæ Rationalis naturam, qui etiam errauit scribendo de Deo eiusdem auctore, vel quod erret in Ideato, quod prius labitur in Idæa. Sed Tertulliani mens videatur in *lib*. contra Praxeam *cap*: 7. *lib. de Resurect. Carnis cap*. 6. *lib* Contra Marcionem, necnon *in lib*. 10. Augustini de Genesi ad *litt. cap* 25.

Arguunt Secundò alii. Anima in Intelligendo pro statu Coniunctionis pendet ab organis juxta illud: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*; ergò etiam in essendo. Patet consequentia, quia modus operandi indicat modum essendi.

Hoc argumentum solutionem petit alterius difficultatis, an videlicèt veritate gaudeat allatum superius proloquium, in qua Gassendus *Physic. sect*. 3. *lib*. 9. *cap*. 3 volens veritatem presefferre, hoc sibi multipliciter suadet, & primò auctoritate Nazianzeni oratione 2. de Theologia docentis, quod sicuti fieri non potest, ut quis quantumcumque festinet umbram suam anticipet (quod quantum illam assequitur, tantumdem semper ipsa antecedat) aut, ut oculus sine luce, aereque intercedentibus, aspectabilia contueatur; aut, ut Pisces extra aquam natent: Sic fieri omninò non potest, ut qui animi conclusi corporibus sunt, citra rerum corporearum, sensibiliumque adminiculum Intelligendis iis rebus vacet, quæ animo solo, atque ratione percipiuntur. Et enim aliquid semper sensibile interuenit; quantocumquè nisu mens nostra sese à rerum aspectabilium contagio, veluti secernens, ac in se ipsam colligens *conetur cum rebus sibi affinibus, obtutumque oculorum fugientibus, habere commercium*.

Secundò à priori, quia cum anima informet corpus, necesse est, ut à corpore pendeant omnes operationes humanæ; non possunt autem operationes spirituales aliter pendere, quam exigendo necessariò consortium Phantasiæ operantis. Tertiò à posteriori, quia modus hìc operandi cum dependentia à Phantasia satis sufficienter colligitur. Videmus enim Caput fatigari diuturna contemplatione, quinimò læsa Phantasia læditur operatio Intellectus, ut patet in Amentibus, & dormientibus, ut optimè etiam aduertunt hìc ex Societate Lynceus *lib* 7. *Metaph. tract*. 7. Rhodes *lib* 2. *disp*. 18 *§*. 2. Suarez *lib*. 2. *de orat cap*. 11. Quinimo, ut ulterius Gassendus aduertit Phantasia somno, lethargouè sopita, & vino, aut morbo turbata, mens nostra, aut nullis, aut non aliis, quam quæ in Phantasia resident speciebus, moveatur, cum aliter tamen euenire deberet, si proprias quasdam, seu congeneas, vel repositas obtineret.

Præterea si aliqua esset, quæ independenter à sensibus cognoscerentur, profectò essent immaterialia, ut Deus, Angelus, Mens, ac uniuersales notiones, sicuti ea, quæ mens cognoscit extasi correpta, in qua quamplura attingit, ad quæ vis Phantasiæ non peruenit; sed hæc pariter cognoscuntur sub specie aliqua, quam Phantasia suppeditat, hoc est, vel media forma subtilissima, limpidissima, lucidissima, ut Deus à nobis in hac vita mortali, vel per modum substantiæ tenuis in hac pariter vita, ut Angelus, & anima rationalis, ut voluit Gasendus, vel per species sensibiles non quidem sui, sed rerum materialium, & singularium, ex quarum specierum analogia ipsa immaterialia, & uniuersalia cognoscantur, ut clarissimus Adrianus Heerebord in suo Collegio Physico dilucidè explicat, & verior primò mihi videtur, quatenus contingere optimè potest, quod Intellectus singularia primò cognoscat per sensus, deinde cognoscat rationes, in quibus conueniant, & differant. Tertiò rationem conueniendi abstrahat, cuius notio uniuersalis erit cum dependentia à sensibus. Nec pariter obstat Extasis. Hæc enim diuina, vel humana est. Si primum diuinitus quoque infunduntur species, quæ, ut supernaturales sunt, & res supernaturales, quæ Phantasiam superant, exhibere possunt. Si verò Extasis naturalis est, non tam sanè videtur mens ad cogitandum res magnas, & extraordinarias abduci, quam una cum ceteris facultatibus attonita fieri.

Alii verò econtra authumantes plura esse in intellectu, quæ prius non fuerint in sensu, suum assertum multipliciter suadere conantur, & primò, quia de facto quamplura Intelligimus, quæ numquam sub sensu, vel Phantasmate fuerunt, uti quod Deus infinitus, incorporeus, immaterialis sit, qui certè cognosci nequit per speciem corpoream v. gr. ad instar Senis Venerabilis, uti voluit Gassendus, quia hac specie corporea ducti, potius materialem, finitum, mortalem asserere ipsum deberemus. Secundò, dum mens ita cogitat, ut dubia sit, & se dubitare deprehændat, profectò dubium suum cognoscit independenter à sensu, & Phantasia, cum nulla sit assignabilis corporea Imago, quæ valeat mihi representare, & distinctè exhibere naturam mei dubii. Tertiò quia profectò mens, dum se ipsam cogitat, suique existentiam, & vitam, vel Deum colendum esse, virtutem animi amandam, Triangulum ex tribus lineis comprehændi, Chiliogonum ex mille lateribus constare, ex nihilo nihil fieri, & alia quamplura, quæ ubique referunt *Cartesiani*, hoc independenter à Phantasmate facit. Recensita enim nec per sensum transierunt, nec per Phantasma corporeum, nec sub Imagine rei materialis intelliguntur. Quartò, quia unio mentis cum corpore tollere non debet modum connaturalem ope-

randi

tandi eiusdem mentis, quemadmodum eadem unio non tollit à mente connaturalem modum essendi in loco definitiuè. Modus autem operandi animæ rationalis connaturalis, & maximè proprius est cum independentia à corpore, quam cum dependentia. Primus enim modus cognoscendi purè spiritualis est. Secundus verò materialitate permixtus. Ultimò tandem, quia si mens Phantasmatum concursu Indigeret, jam à corpore in operando dependeret, cum autem modus operandi modum essendi prefeserat, sequitur, quod etiam in essendo dependeret.

Quod si contingat aliquando, quod læsa phantasia lædatur operatio intellectus, hoc non contingeret, dicunt, quia organorum dispositiones, & corporum impressiones influant in ipsas mentis cognitiones, sed quia per modum conditionis exiguntur. Sicuti ad ambulandum vinculorum remotio requiritur, non quia vincula physicè in nostram deambulationem influant, sed solùm, quia nisi hæc removeantur, nequit homo motum progressivum exercere. Requiritur enim ad plures nostræ mentis operationes sedata, & tranquilla immaginatio, quia nimia corporis motio, & immaginationis tumultus animam in suis operationibus perturbant.

Sed quidquid sit de hoc Inter Epicureos, & Cartesianos dissidio, in quo Augustinum secundis propitium esse libenter subscribo ob clarissima hæc verba, quæ legimus in suis confessionibus: *audio tria esse genera quæstionum, an sit, quid sit, quale sit. Sonorum quidem, quibus verba confecta sunt, imagines teneo, & eas per aures cum strepitu transiisse, ac jam non esse scio. Res verò ipsas, quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attingi, nec usquam vidi, præter animum meum, & in memoria recondidi, non imagines earum, sed ipsas*. Censeo argumentum etiam Epicureis adhærendo solutionem habere, eamque esse posse, si dicamus dependentiam hanc contingere ratione status, vel unionis cum corpore, quam mens habet, non verò per se, & ob proprium connaturalem modum operandi, in quo discriminatur à cæteris formis viventibus, quæ formaliter, & per se hanc dependentiam habent, ut optimè ex societate Georgius Rhodes advertit loco superius allegato. Hæc autem dependentia tantum abest, quod ejus immaterialitati officiat, ut potius eam ab hac desumi posse satis solidum argumentum existimo. Videmus enim ita mentem per species sensibiles objecta percipere, ut ejusdem naturam pervadat, prædicata superiora ab inferioribus modo distinguat, modo identificat, quod nonnisi menti supra materiam elevatæ convenire potest.

Obiicies secundò Potentiæ materiales illæ sunt, quæ alteraris organizationibus exire habent in suas operationes imperfectas; atqui hoc evenit in intellectu, cum facta læsione cerebri in perfectas operationes non erumpat intellectus; ergo. Huic argumento respondet Doctor in summa his verbis: *quanto organa phantasiæ, & aliarum virium sensitivarum sunt melius disposita, & imagines puriores, habiliores, ordinatiores recipiunt, & conservent, quæ per hoc habiliores sunt, ut species intelligibiles ab eis abstrahantur puriores, habiliores, & ordinatiores, tantò intellectus mediantibus illis certius, & limpidius intelligat, & è converso* Et rationem affert Henricus quia perturbatio specierum in phantasia, multum disturbat actum intelligendi, & ex hoc oritur, quod infantes discere non valent. Uno verbo ex indispositione organorum impeditur intellectus à perfecta operatione tantùm extrinsecè, non verò intrinsecè, quod totum optimè stat cum animæ spiritualitate.

Tertium, & ultimum argumentum exhibet Dialogus Joannis Thessalonicensis à Concilio Niceno 2. *art*. 5. approbatus, in quo *solus Deus incorporeus, & incircumscriptus dicitur, intelligibiles verò creaturas, etsi incorporeitatem aliquam habent, non tamen penitus incorporeas esse*. Particula autem solum exceptiva est, itaut sensus sit solùm Deum incorporeum esse per cujuslibet alterius exclusionem: Etsi Dialogi verba spiritualitati angelicæ directæ officere videantur, nihilominus derogare etiam spiritualitati formæ rationalis negari nequit; ergo falsum est ex conciliis colligi superius assertum.

Respondeo variis omissis solutionibus, quas tamen *in tract. de Angelis* non omittam, breviter dico doctrinam Joannis non fuisse approbatam quoad illam partem de animæ corporeitate. Nihil enim de hoc curabat concilium, in quo erat solum sermo de imaginum usu conservando, & utrum dipingi possent spiritualia ad instar rerum corporearum, In qua controversia statutum est adversus Iconomachos *licitum esse Angelos pingere*: id autem revera licere, sic ex Ioanne Thessalonicensi colligerunt: *licitum est eos pingere, qui circumscribuntur loco, & hominibus apparent: & quidem secundum Joannis sententiam, in propria specie, secundum nostram verò in aliena, scilicet humana*.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Quid sit anima rationalis, & an fiat ex traduce*.

### CAPUT PRIMUM.

*Breviter prius insinuatur animæ rationalis essentia, & deinde resolvitur præcipua difficultas negativè*.

Animæ rationalis naturam explicandam aggredimur. Illius nimirum, quam Deus ad imaginem suam creavit. vel participem effecit comunium Dei attributorum, atque intellectu, voluntate, & memoria decoravit. Non est autem unicus modus, quo Patres ipsam explicant, & Philosophi. Chrysostomus enim, Ambrosius, Augustinus censent ipsam *esse deiformæ vitæ spiraculum*, & Auctor de spiritu, & Anima apud Augustinum *tom*. 3. *esse substantiam quandam incorpoream, rationis participem, gerendo corpori accommodatam*, definit. Seneca verò vult, quod sit *spiritus intellectualis ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus*, & Cartesius, ut in Animasticæ initio monui, quod sit *substantia cogitans finita cum corpore humano organico hominem constituens, aut constituere apta*: his omnibus adderem ego animam rationalem esse *spiritualem substantiam intellectualem corpus informare aptam, cuius Patria, & Quies Deus est*, de qua rectè hic cecinit Ovidius metam. t.

*Pronaque, cum spectent animantia cætera terram*
*Os homini sublime dedit, Cælumque videre*
*Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus*.

An autem hæc causetur ex semine, seu ipsa producatur à Parentibus, non modica est difficultas. In qua sententia fuit Luciferiani, Cyrilli, Tertulliani, Apolinaris, ut refert Doctor *quodl* 3 *quæst*.3. docentium animas cum corporibus per coitum seminari, ut de Tertulliano fidem facit etiam Hieronimus *in Epistola* ad Marcellinum, & Anapsychiam

ehiam. Quam insaniam plures impiè in scripturis contioeri audacter affirmabant, & præcipuè ex illis *Gen.* verbis *verf.* 46. *cunctæ animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob quadraginta sex*, vel ex aliis *cap.* 1. *crescite, & multiplicamini*, non advertentes, quod priori loco per Synedechen sumitur pars pro toto, hoc est anima, quæ pars hominis est, pro toto homine, ac significatur 46 homines egressos fuisse de femore Iacob per carnalem generationem. Secundò verò multiplicationem illam intelligendam esse de toto composito, non tamen secundum ejus partem essentialem, nisi virtute creatiua. An autem hanc sententiam aliquando approbaverit Augustinus, dissidium est apud Auctores. Diuus Bonaventura, Bellarminus, aliiquè altè huic sententiæ insedisse Augustinum existimant, & quidem *lib* 7. & 10. *de* Genesi *cap* 23. quam deindè retractasse in epistola 157. ad Optatum propugnant illis verbis: *itaquè illi, qui propaginem Animarum inconsiderata temeritate defendunt*, & ulterius in libro de Ecclesiasticis dogmaticis. Norisius verò sedulus mentis Augustini indagator, vult Sanctum Doctorem nunquam traducem propugnasse, & consequenter nunquam retractasse. In libro enim Genesis, inquit nihil determinauit, ut ex iis constat verbis. *His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis omnia paria, vel penè paria ex utroque latere rationum, testimoniorumque momenta pronunciarem*; in quo dubio perseverasse etiam in recensita *Epistola ad Optatum*, & *libro primo de origine animæ cap.* 6. scripto post Epistolam ad Optatum, refert idem Norisius ex illis Augustini verbis in eadem Epistola contentis; *quarum autem rerum, atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque dissceptem*. Sed quidquid sit de vera Augustini mente, quam plures existimant magis assecutum esse Norisium, quam Robertum Bellarminum, certum est animarum traducem, adeo inualuisse, ut hanc sentire solere occidentalem Ecclesiam scripserit Augustinus. Epist: 157., quæ tamen sententia nunc, ut hæretica habetur, quamuis nonnulli referant incertum esse, à quo proscripta sit. Leo enim magnus in Epistola ad Turibrum, hanc non proscripsit, ut optimè aduertit laudatus Norisius contra Bellarminum, eum in illa Epistola Sanctus Pontifex reprobet solum simultaneam omnium animarum creationem, atque Christi Animam prius in Cælo commoratam, quam Christus de Maria Virgine nasceretur, quod Eutiches eum Origene sentiebat. Quod autem asserit ulterius Bellarminus videlicet in Concilio Lateranensi 5. sub Leone Decimo *sess.* 8. *habita* 19. *decembris anni* 1513. pro pacificatione Ecclesiæ, fuisse proscriptam productionem Animæ ex traduce, existimo falsum esse. Summam enim totius sessionis refert Ludovicus Bail, cum tamen, nec verbum quidem habeat de Animæ rationalis Creatione. Solum enim decretum est Animam unicam non esse in omnibus hominibus, nec mortalem esse cogendo pro viribus resoluere argumenta mortalitatem suadentia. Ab his itaquè abstinendo, sit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Defenditur Sententia Catholica.*

EX non interrupta traditione ecclesiastica catholicam sententiam firmari posse efficaciter contendit hic Bellarminus, quam, ut adesse ostendat, refert quamplures Patres, & præcipuè Hilarium *lib.* 10 *de Trinitate*, Ambrosium *libro de Noë, & Arca cap.* 4 Hieronymum *in Commentario capitis postremi Ecclesiaste*, Ioannem Chrisostomum *homilia* 23. Gregorium Nissenum *in libro de Anima cap:* 6. Theodoretum *libro.* 5. *ad Græcos*, vel de natura hominis, Cyrillum *lib.* 1. *in Ioannem cap:* 9. Augustinum in celebri Epistola ad Optatum, Leonem ad Turribium *cap:* 10. & ad Iulianum. Sed

Ex traditione Ecclesiastica primam rationem non desumimus, non quia traditio vera, & legitima non sit optimus locus ad firmandas omnes veritates Catholicas. Quamplures enim Firmavit Ecclesia ex traditione, ut clarissimè constat in controversiis rebaptizationis ab Hæreticis baptizatorum, quartadecimanorum, librorum canonicorum, sed quia dubium est, an adsit hæc traditio Ecclesiastica, ut optimè Eminentissimus Cardinalis Norisius ostendit in suis vindiciis Augustinianis, ubi Patres ferè omnium sæculorum, semper de animæ origine dubitasse refert, nedum ante Augustinum, verum etiam post ipsum, in qua te Norisium Patrum rectam inteligentiam penetrasse conspicio. Eo vel maximè quod apud Occidentales, teste Hieronymo Epistola 27. ad Marcellinum, & Anapsychiam directa, traditio de traduce præualebat, sicuti altera, quod Pascha celebrandum esset quarta decima luna Martii in quacunque die incidisset, ut optimè Cardinalis Sfondrato in sua Gallia vindicata aduertit.

Aliter itaque Conclusionem suadeo, & primò ex Sacris litteris, quibus peculiare quid Deo tribuitur in productione animarum oppositè ad productionem corporis, aliarumuè rerum, ut Ecclesiastici 12. *sed pulvis reddit in terram, quemadmodum fuerat, spiritus autem ad Deum, qui dedit illum*. Zach. 19l. dictum Iehoue, *qui extendit cælos, & fundat terram, formatque Spiritum hominis in eo*: Et Hæbr. 12. 9. *Deus appellatur Pater Spirituum* oppositè ad Patres carnis nostræ; ergò jam anima rationalis, quæ spiritus est, à Deo solo producitur. Si enim ex semine propagaretur, quorsum Sacræ Scripturæ verificari possent verba? Sed

Hæc tamen scripturæ oracula non adeò veritatem propositam ostendunt, ut locus non remaneat ipsorum vim euertendi. Augustino enim superiores Textus fuerunt à Ieronymo obiecti, ut ipsi suaderet Ieronymus animæ continuam creationem, non traductionem. Augustinus tamen ingenii sui acumine Textus omnes adeo explicauit, ut ipsos non aduersari traditione opinetur, ut legenti nedum *Epistolam* 28 quam ad Hieronymum scribit, verum etiam, quæ *lib.* 10 *Genesis cap.* 8. & 9 docet, non parum colligi poterit. Existimat enim recensita Sacræ Scripturæ verba neutri sententiarum contra alteram suffragari, eo quia ex diuinis eloquiis unicè deducatur animam, primò homini solùm fuisse collatam, per creationem, vel ex nihilo sui, non verò ex aliqua jam facta creatura, quod non contingit loquendo de corpore, quod primò ex terra factum esse legimus in Genesi. Consequens autem est, quod anima ad Deum redeat, qui primò ipsam homini dedit, esto cæteræ animæ continuo fierent per continuam traductionem. Quam scripturæ explicationem promouet exemplo assumpto ex altera physica parte hominis, corpore videlicèt, quod per sui dissolutionem, non ad homines, ex quibus continuò producitur, sed ad terram reddit, unde primò homini formatum est. Quod autem hic sit legitimus scripturæ sensus juxta Augustini mentem, procul

cul dubio inconcussum erit adeunti; Augustinum in Genesim loco relaro, ubi hæc lego „*illud etiam, quod apud Ecclesiastem scriptum est, & conuertatur Puluis in terram, sicuti fuit, & spiritus revertatur ad Deum, qui dedit eum, neutri sententiæ contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistere. Cum enim isti dixerint (idest, qui volunt continuò animam creari) hinc probari non à Parentibus, sed à Deo animam dari, quod conuerso puluere in terram suam, idest carne, quæ de puluere facta est, reuertetur spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primò, quando in eius faciem sufflauit, conuerso puluere, idest humano corpore in terram, unde primitus factum est: neque enim ad Parentes erat spiritus redditurus, quamuis inde creatus ex illo uno, qui homini primò datus est, sicuti nec ipsa caro post mortem ad Parentes reuertitur, à quibus eam certè constat esse propagatam. Quemadmodum ergo Caro non reddit ad homines, ex quibus creata est, sed ad terram, unde primo homini formata est: ita & spiritus non redit ad homines, a quibus transfusus est, sed ad Deum, à quo primæ illi Carni datus est. Quo testimonio sanè satis admonemur ex nihilo Deum fecisse animam, quam primò homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicuti corpus ex terra, & ideò cum redit, non habet, quo redeat, nisi ad auctorem, qui eam dedit, non ad eam creaturam, ex qua facta est, quia ex nihilo facta est*„ ex quibus, quam optimè inferatur superiores diuini Verbi auctoritates non planè conuincere ad intentum, si vera est Augustini explicatio, nullus est, qui non videat.

Rationi itaquè inhærendo Probatur secundò, ratione, & cum propagatio solùm contingere possit triplici modo, videlicèt per semen corporeum; vel medio semine spirituali, vel tandem per substantiam animæ Parentum, traductio in quolibet sensu intelligatur, reprobatur. Probatur autem primò, quod traduci non possit per semen corporeum. Anima humana est nobilior corpore; sed nullus effectus est nobilior sua causa; ergò anima rationalis traduci nequit ex corpore. Secundò, quia si traduceretur per semen corporeum, cum hoc sit corruptibile, & mortale, jam anima rationalis esset corruptibilis, & mortalis, quod supra abundè refutauimus.

Dico secundò animam propagari non posse ex semine spirituali. Conclusio quoad hanc secundam partem ponitur aduersus Clarissimum Cardinalem Norisium, necnon Franciscum Macedo possibilem existimantes traductionem animæ ex materia spirituali, si hæc cum Suarezio, Ouiedo, Bubalo, & Arriaga non implicet. Hoc autem sustinent, quia talis traductio ex nullo capite implicaret, non quidem, quia anima rationalis incorporea, immortalis, & creata sit, siquidem primum adhuc optimè intelligeretur, quia materia ad traductionem deseruiens spiritualis esset. Posteriora verò nullatenus ab anima tollerentur, ut manifestè constat in ipsa materia prima, quæ esto traducatur, ex propagatione, tamen adhuc creata, & incorruptibilis est. Probatur tamen hoc pacto. Semen hoc spirituale, si adsit, corruptibile est. Etenim constat non generari hominem ex qualibet copula, atque multa esse semina irrita, ex quibus nihil fit; unde necesse est, ut semen illud spirituale, quod supponitur emitti una cum semine corporeo, sæpissimè pereat; atque corruptibile sit; ex corruptibili autem semine fieri nequit anima incorruptibilis, & immortalis, qualem esse animam rationalem alibi probauimus; secundò, quia si anima fieret ex semine spirituali, super redi-ret quæstio, scilicet, quænam sit causa eiusmodi seminis spiritualis, an sicuti corpus sumendo cibos corporeos producit semen, ex quo fit aliud corpus humanum, ita etiam anima sumendo cibos spirituales producit semen spirituale, ex quo fit alia anima humana, Apage has ineptias; sumpti enim ciborum spiritualium ab anima, nihil aliud est, quam cognitio, & meditatio rerum, à qua semen spirituale produci, ex qua fiat anima, est omnino ridiculum.

Hæc tamen conclusio quoad istam secundam partem, non ita certa est, ut olim Augustinus de ipsa non dubitaverit, ut manifestè colligitur, tum ex istis Doctoris verbis, quæ habet *lib 7. de Genesi ad litt. cap.* 6. ut optimè advertit Franciscus Macedo loco supra allegato: *sicuti caro etiam habuit materiam, scilicet terram, de qua fieret, ut omninò caro esset. Sic fortassè poterit, & anima antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondum esset anima, sicuti terra, de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro*, tum ex his aliis *ex Epistola* 157. ad Optatum, ut optimè notat in suis vindiciis Augustinianis Eminentissimus Cardinalis Henricus Noris. *Incorporeum semen anima sua quadam occulta, & inuisibili via seorsum ex Patre currat in matrem, cum fit conceptus in fæmina.* Quibus tamen non obstantibus Augustinus videtur in hac re dubius, quia eodem *lib. 7. de Genesi cap 6* & eadem epistola videtur ipsi difficilis materia hæc spiritualis, ex qua anima fiat propter superiores difficultates, & alias, quæ insurgunt posito illo semine spirituali, ex quo anima fiat.

Probatur tertiò animas non posse traduci ab anima parentum, quia vel tota anima parentum transiret in filium, vel pars tantum, vel anima parentum produceret animam filii: sed tota anima parentum non transit in filios, aliòquin parentes generantes filios, non haberent amplius animam, & desinerent esse homines, quod est absurdum: pars etiam animæ parentum non transit in filios, quia cum anima sit spiritualis, ut supra non habet partes, & sequeretur omnes animas omnium hominum fuisse contentas in anima Adami, & anima Evæ: & quamplurimas partes animæ Adami esse beatas in Cœlis, quamplurimas verò partes animæ Adami cruciati in inferis: nec etiam anima parentum producit animam filii, quia nihil creavit Deus ex nihilo, cui indiderit potentiam producendi sibi simile, ut patet inductione Cœlorum, Angelorum; sed anima Adami creata fuit ex nihilo, ut patet ex historia creationis *Genesi* 9.; ergo si corpus ex nihilo creatum non potest producere sibi simile, anima quoque humana ex nihilo creata, non poterit producere sibi similem animam. Deinde si anima Patris produceret animam filii, vel eam produceret ex nihilo, vel ex aliquo. *Si* ex nihilo eam crearet, & ita esset Deus, quod affirmari nequit absque blasphemia, cum Deus sit Creator rerum. *Si* verò ex aliquo, vel ex semine corporeo, vel incorporeo; atqui nullum ex his affirmari potest, ut superius dixi; ergo.

Obiicies primò. *Si* Deus crearet animam rationalem, hanc quoque produceret in corpore generato per adulterium; sed hanc creare nequit; ergo. Probatur minor, si Deus crearet animam in corpore generato per adulterium, jam acceptaret coitum adulterii; sed hunc acceptare nequit; ergo. Probatur sequela paritate. *Si* adultero daret gra-

animam, quæ sentit illam inordinationem inter utrumque appetitum sensitiuum, & intellectiuum. Hæc autem concupiscentia sic explicata vehiculum est originalis culpæ, quæ omninò traducitur in animam cum priuatione originalis iustitiæ.

Hic dicendi modus, ut superius dixi magis veritati accedit quoad illam partem, quod concupiscentia sit causa proxima transfusionis peccati originalis in posteris est: enim expressa Augustini mens pluribus in locis, præcipuè tamen *lib.* 3. contra Iulianum *cap.* 3. illis verbis: *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire in eam carnem non potuit, quem non per illam Virgo concepit.* Adhuc tamen animus non quiescit, quia cum formale peccatum Originis non sit ipsa concupiscentia (perseverat enim hæc post Baptismum, cum tamen non perseveret peccatum Originis) adhuc inquirendi locus remanet, quomodo formale peccati traducatur, atque ipsa contrahat rationem libidinis, quæ vehiculum peccati dicitur.

Vltimò arguere possunt alii promiscuè, & primò. Agens vniuocum ex genere suo producit effectum in eadem specie cum ipso; sed homo est agens vnivocum respectu alterius homiois, ergò cum homo sit in eadem specie cum altero per animam rationalem, ipsam recipiet in alio homine. Secundò anima, qua sensitiua, generatur ex semine; sed anima rationalis est identicè, & eminenter sensitiua; ergò ex semine erit generata. Tertiò actio totius productiua, est partium comproductiua; sed totus homo producitur ab altero homine, adeout homo productus sit terminus totalis & qui actionis productiuæ; ergo & partes producuntur; sed in his est forma rationalis; ergò

Respondeo varias esse solutiones huius argumenti quoad primam partem. In schola enim angelici Præceptoris est aliquorum solutio hominem per generationem solum disponere materiam ad introductionem formæ, quod evenit per virtutem seminis, ipsam disponendo ad ipsius susceptionem, & hæc vera Diui Thomæ solutio. Alii verò in eadem schola, sustinent actionem generatiuam terminari ad animam rationalem, non ut ipsam producat, sed solum, ut ipsam uniat, quæ solutio fuit à nobis alibi impugnata. Vera responsio in schola Solemnis, & subtilis est terminum generationis univocè esse ipsam formam corporeitatis, quam alibi defendimus, ui cuius optimè intelligitur quod agens agat in sibi simile. Ad secundum respondent aliqui animam sensitiuam præcedentem rationalem utique ex semine generari, non verò illam, quæ ab ipsa est indistincta, uti est sensitiua in homine. Ad tertium tandem dico argumentum exorbitare, cum probet etiam materiam ipsam generari; nec ostendat, unde opus sit actionem totius productiuam debere quoque omnes partes producere.

## QVÆSTIO TERTIA.

*In quo resideat præcipua differentia rei corporeæ à re spirituali.*

### CAPUT PRIMUM.

*Referuntur præcipuè sententiæ circa præsentem difficultatem.*

Quemadmodum in hac re non una est apud modernos sententia, ita nec unica apud Peripateticos. Cartesius *part* 2. *principiorum Philosophiæ pagina* 25. *num.* 4. In sola trina extensione primum distinctiuum reponit, quatenus hæc extensio individua est, & singularis, ut communis enim per Cartesium est propria spatii, diuisibilitatem verò, figuram, & impenetrabilitatem inter proprietates recenset, rarefactionem verò, motum localem, grauitatem, leuitatem, duritiem, mollitiem, quæ corpori insunt, non tanquam res, sed velut modos, vel accidentia communia concipienda esse, existimat.

Alii verò in impenetrabilitate, non verò in hac trina dimensione corporeitatem constituunt, quibus adhærent ex Peripateticis Arriaga, & Ouiedo. Nonnulli verò econtra utramque amplectentes sententiam, rationem corporis constituunt, tum in impenetrabilitate, tum in talibus determinatis extensionibus formalibus. Sic quamplures Atomistæ docent, quos inter hic Emanuel Maignanus.

Quarta sententia refundit rationem corporeitatis, vel in materia, & quantitate, vel in dependentia ab ipsa materia tamquam à subiecto, & cum ipsa quantitatis physicæ connaturali connexione. Pro hac stant Comptonius, Spinula, aliique quamplures, & ex nostris Magister Ventura.

Quinta in re parum diuersa à prioribus illa est, quam diffusè defendit Scotista Pontius, & explicat tribus propositionibus, ex quibus prima est: *Substantia corporea illa est, quæ connaturaliter impotens est occupare locum diuisibilem indiuisibiliter, itaut possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte illius loci.*

Secunda verò est *substantia spiritualis sic, est substantia potens connaturaliter occupare locum diuisibilem indiuisibiliter sine exigentia loci determinati, ut possit esse in maiori, vel minori.*

Tertia tandem: *forma verò spiritualis respectiua est forma potens subiectum spirituale ex sua natura intrinseca essentialiter.*

Hæ sunt sententiæ, quæ præcipuè propugnantur. Ex his aliquas reiiciam præcipuè verò, quæ à veritate dissident, hoc unum aduertendo me hic Cartesii sententiam in examen non vocare, non quia istam, ut probabilem recipiam, quod absit, sed quia in physicæ initio jam reprobata est.

### CAPUT SECUNDUM.

*Sententia reponens primum distinctiuum in impenetrabilitate refellitur.*

Sententiam hanc, quam reprobare contendimus, veritate esse destitutam agnouit etiam Arriaga, qui prospiciens gradus caloris homogeneos quamuis materiales inter se penetrari, dum intentionem efformant, sub aliis terminis rei corporeæ constitutiuum assignat, dicendo quod sit ens, vel quatenus impenetrabile cum altero eiusdem speciei, vel quod cum re impenetrabili commensuratur; sed his non obstantibus impugnatur; &

Primò quia nulla res corporea potest primò distingui à re spirituali ratione alicuius sibi superadditi posterioris, sed si differret penes impenetrabilitatem, hoc eueniret, ergò. Probatur minor. Res corporea, quæ diuersitatem sumit à quantitate, differt penes aliquod sibi superadditum, sed impenetrabilitas, vel est ipsa quantitatis essentia, vel eiusdem effectus, ergò si res corporea differt penes impenetrabilitatem jam differet penes aliquod posterius rei materiali. Major est certa; nullus enim est, qui non fateatur quantitatem esse quid superadditum distinctum à rebus omnibus materialibus, uti à materia, & qualibet forma

forma materiali, loquendo tamen in Peripateticorum sententia.

Secundò res quælibet materialis etiam præcisivè à quantitate materialis est, cum res materiales sint ab intrinseco, sicuti res, quæ sunt spirituales, tales sunt ab intrinseco, sed res quælibet præcisivè à quantitate non sunt impenetrabiles. Impenetrabilitas enim à quantitate desumitur; ergò

Tertiò quia si Deus per impossibile crearet substantias habentes partes extensas, quæ peterent penetrabilitatem, ut evenit in corporibus gloriosis beneficio dotis penetrabilitatis, illa nihilominus essent verè corpora, ergò jam ratio corporis ab impenetrabilitate non desumitur; alias hac ablata deberet quoque auferri ipsa corporis ratio.

Quartò quia per istam non rectè explicatur materialitas quantitatis, quia semel dato quod hæc sit quantitatis effectus, non essentia, quod sustinent aliqui, & ego censeo verum esse, consequens est, materialitatem ipsam quantitatis non posse per hanc explicari, cum in priori ad istum effectum secundarium corporea sit. Nec pariter explicari potest materialitas formarum substantialium per ipsarum dependentiam à materia, ur affecta quantitate, quia hoc dicendo non sistimus amplius in impenetrabilitate ipsam assignando pro ratione formali corporeitatis constitutiua.

## CAPUT TERTIUM.

*Pontii Scotistæ sententia reprobatur.*

CUm penes impotentiam rei corporeæ ad connaturaliter occupandū locū diuisibilē indiuisibiliter desumat hic Auctor rationē formalē primariā corporeitatis, ut supra vidimus, hanc impugnamus sententiam, & primò. Ideò in hac impotentia ad occupandum locum diuisibilem indiuisibiliter desumitur ratio corporis, & viceversa potentia ad occupandum locum diuisibilem indiuisibiliter ratio spiritus, quia nulla est dabilis res corporea, & spiritualis, cui hæc non conueniant; sed hoc dissimulato non benè infertur essentiam rei corporeæ in hac impotentia residere, ergò. Cum sola maior probationem expectet, ostenditur, quia res quælibet nedum non valet existere absque sua quidditate, sed etiam sine sua proprietate metaphisica, cum hæc non sit separabilis à re, ergò ex quo nulla sit substantia corporea, & spiritualis, cui tales conceptus non conueniant, non benè infertur talia prædicata esse quidditatem utriusque substantiæ, sed solum, vel quidditatem, vel proprietatem metaphysicam.

Secundò impugnatur hæc Pontii sententia, & quidem ad hominem. Quamuis omnis forma corporea connaturaliter pendeat à materia, tanquam à causa materiali, tamen illa dependentia non inuoluitur in conceptu primario formæ corporeæ, ut sic, ergò à pari esto res corporea dicat impotentiam ad occupandum locum diuisibilem modo indiuisibili, tamen in hac impotentia residere non poterit ratio corporis. Antecedens est Pontii. Illatum est nostrum, quod probatur. Ideo primum, quia si per impossibile anima rationalis haberet dependentiam à corpore in esse fieri, & conseruari, adhuc esset spiritualis, & ipsa Albedo adhuc esset materialis, esto nullam diceret dependentiam à corpore; sed etiam si forma aliqua materialis esset in pluribus locis secundum se totam, aut secundum easdem partes, adhuc forma ipsa esset corporea. Per hoc enim, quod esset tota in toto, & tota in qualibet parte, solum sequitur quod res corporea non existeret modo sibi connaturali, quod conceditur. Cæterum adhuc res esset corporea, cum per variationem modi essendi in loco, non mutet suam essentiam, atque adeo suum esse. Aliud ergò est rem corpoream connaturaliter loquendo esse non posse in loco diuisibili indiuisibiliter. Aliud verò in hoc sitam esse rationem corporis.

Tertiò impugnatur. Tunc rem non esse in loco diuisibili modo indiuisibili non esset prima ratio conceptibilis in gradu corporeitatis, quando in priori res esset corporea, & ut talis intelligeretur per judiciū verū; atqui revera sic intelligitur, ergo. Ostenditur minor, quia hæc est legitima argumentatio, veluti à priori. Res hæc est corporea, & materialis, ergò connaturaliter, nequit esse in loco modo indiuisibili; non verò hæc altera tanquam per rationem à priori: non est in loco modo indiuisibili, ergò est corporea, quia esto hæc secunda argumentatio teneat, tamen eodem modo tenet ac ista: est risibile; ergò est rationale, in qua argumentatione risibilitas non infert rationalitatem per modum causæ formalis ipsius sed per modum proprietatis necessariò connexæ identicè cum ipsa rationalitate.

Confirmatur hoc totum. Sicuti forma corporea connaturaliter existere nequit in loco divisibili, nisi modo divisibili, ita quoque nequit existere, quin ipsa sit impenetrabilis cum alia re eiusdem speciei, vel quin connaturaliter dependeat à materia; sed nihilominus essentia corporeitatis non residet in impenetrabilitate, & dependentia, ergo nec etiam in priori conceptu, quamuis si verum fateri debeo penitus sint unum, & idem, rationem corporis non consistere in impenetrabilitate, & non consistere in modo essendi indivisibiliter in loco divisibili.

## CAPUT QUARTUM

*Refellitur sententia affirmans rationem spiritus consistere in pura indivisibilitate in partes integrantes, & simul ponitur vera sententia.*

ASsertum hoc negatiuum multiplici via quamplures infirmare solent Auctores. Nos de more claritati simulque brevitati studentes hac unica, sed efficaci ratione ostendimus. Si habeatur in quibusdam formis formalitas spiritualitatis absque indivisibilitate in tales partes, immo potius cum divisibilitate, iam hæc non est reponenda in ipsa indivisibilitate; atqui de facto res ita evenit. Habitus enim fidei, spei, luminis gloriæ, gratiæ sanctificantis sunt formæ accidentales spirituales, & tamen sunt diuisibiles, vel constitutæ ex partibus integrantibus; capaces enim sunt intensionis, quam per additionem gradus ad gradum universaliter fieri edocent omnes extrà Divi Thomæ scholam, ergò.

Confirmatur quia in Scoti sententia, Angelorum duratio habet partes successiuas, & fluentes, quemadmodum ipsorum ubicationes habent diversas partes correspondentes diversis spatii partibus, sed nihilominus spirituales sunt, ergò indivisibilitas in partes nequit esse idea accurrata spiritus, quemadmodum materiæ non est ipsa trina extensio.

Post has sententias proscriptas aliquando ex cogitabam, in quibus prædicatis reponi posset rei corporeæ essentia. Post aliquod examen volui, vel decrevi consistere, vel in capacitate habendi partes integrantes extensas, vel in ipsa partium extensione,

ne,

ne quoad se. Sententia hæc sic disiunctivè proposita vitat vim omnium eorum, quæ aduersus alias superius dixi, & simul insinuat ideam communem omni rei materiali, primam, & incommunicabilem spiritualibus. Huius tamen fundamentum præcipuum est, quod omnes affectiones rei corporeæ ab hac extraneitate pullulant; siquidem ideo res est impenetrabilis, quia habet partes, quo ad se extensas, ideo verò divisibilis, extensa, mensurabilis propter eamdem penitus rationem; adeò ut ipsam extraneitatem intelligam, veluti omnium primam radicem; & quemadmodum in plausibili sententia essentia Dei metaphysicè inspecta reponitur in ipso esse à se, quatenus hoc esse iudicamus radicem primam omnium divinarum perfectionum, pariter hoc idem affirmare debemus de ipsa partium extensione quoad se, quam omnium primam volumus radicem.

Dixi autem, vel in capacitate, & exigentia, ut salvem rem materialem esse in priori ad ipsam quantitatem, quod optimè sustineo, quia in priori ad ipsam talis intelligitur exigentia. Hæc in sententia mihi adeò certa est, ut re verè inspecta, facilè eredam ad veritatem illam accedere, quam hic inquirimus, & quam aliundè in hoc cursu philosophico obiter sæpè sæpius firmavimus. Unum, vel alterum solùm adversæ partis argumentum remanet solvendum, sententiis impugnatis propitium, & maximè secundæ in ordine relatæ.

Arguunt itaque primò secundæ sententiæ defensores. Si posset salvari Idea, & conceptus rei materialis, etiam præcisa extensione quoad se, & divisibilitate iam de ratione rei corporeæ non est ipsa extensio, & divisibilitas, atqui res ita se habet; ergo. Ostenditur minor. Præcisè intellecta impenetrabilitate abstrahendo à qualibet extensione, & divisibilitate intelligitur res corporea distincta à qualibet re spirituali, & quidem sufficienter; ergo. Probatur antecedens. Per id sufficienter res corporea distinguitur à qualibet re spirituali, quod convenit cuilibet rei corporeæ, & nulli rei spirituali, atqui impenetrabilitas unius rei cum altera ejusdem speciei à se divisa convenit omni rei materiali, & nulli rei spirituali; ergo.

Confirmatur hoc argumentum. Puncta unitiva, & terminativa, quæ communiter admittuntur in schola peripatetica materialia sunt, sed ex altera parte, neque sunt extensa, neque divisibilia; ergo idea rei materialis præcensa, ut legitima, non est solida, cum omni rei materiali, qua tali non conveniat.

Argumentum hoc labrat totum falsitate suppositi; supponit enim possibilem esse impenetrabilitatem non præsuppositis in ipsa re partibus distributis, atque extraneizatis, quod penitus falsum esse judico, siquidem ideò res est proximè impenetrabilis, quia habet partes extensas, itaut impenetrabilitas consequatur ad ipsam extensionem partium quoad se, etiam in sententia Cartesiana. Res autem cum nequeat esse extensa, quin partibus constet, consequens est impossibilem esse casum, in quo res sit proximè impenetrabilis, si careat partium extensione, & consequenter divisibilitate. Ad confirmationem verò dico puncta ipsa esse suo modo divisibilia, nimirum terminativè, quatenus ad rem extensam terminantur.

Secundum agumentum, quod communiter proponere solent Cartesiani pro sua trina dimensione, sic procedit. Trina dimensio omni corpori convenit, nimirum tam terrestri, quam cœlesti: siquidem corpus omne, nonnisi, ut extensum, imaginari possumus. Convenit soli, quoniam nulla substantia intellectualis est extensa, & divisibilis. Si enim spiritus dicatur extensus, hoc non intelligitur secundum hanc trinam dimensionem, quam videlicet imaginamur; sed secundùm suam potentiam, quatenus nempè spiritus tunc in majorem, nunc in minorem substantiæ corporeæ partem suam diffundit agendi virtutem, adeòut, si nullum esset corpus, sive spatium, ad nullum spatium spiritus intelligeretur extendi. Convenit semper, quia semper extensio manet, quamdiù corpus adest. Convenit primò, quia nihil in re corporea prius extensione apprehendi potest. Et licet res materialis, sit quoque divisibilis in partes, divisibilitas tamen non est primum prædicatum, quod ei inesse concipimus. Hinc corpus est divisibile. Hinc corpus occupat locum, aliud minorem, aliud majorem: itaut tamen idem corpus in spatium, nec minus, nec majus expandi possit. Hinc non potest corpus penetrari. Hinc figuram, quiescere, moveri potest. Tandem hæc corporis Idea clara est, quia ex ea omnis Geometriæ evidentia.

Confirmant nonnulli Cartesiani hoc argumentum, qia hæc corporis Idea, tamquam substantiæ extensæ suppediiat certissimum nobis argumentum distinguendi mentem à corpore; nam in substantia extensa, sive in extensione solida, & plena, invenimus dumtaxat divisibilitatem, figuram, situm, motum, & quietem, minimè verò cogitationem. Unde cogitatio ad aliam substantiæ speciem necessariò est referenda; sed si corporis natura in alio sita dicatur, quam in extensione, non mediocriter infirmabitur huius argumenti vis; siquidem contendere poterunt nonnulli eandem substantiam, quæ capax est extensionis, tamquam modi adventitii esse pariter cogitationis participem; sive extensionem, & cogitationem esse duos ejusdem substantiæ modos; ergo.

Sed quam inefficax sit hic arguendi modus Cartesianis arridens, inde constat, quod Idea corporis vel substantiæ materialis recensita, nec omni corpori, nec soli conveniat. Non soli quidem, quia post panis consecrationem remanet huius extensio in longum latum, & profundum, cum tamen substantia panis non remaneat, aliàs non fieret transubstantiatio; quod est heresis Luteri. Nec omni, quia sub Eucharisticis speciebus, non est extensio externa Corporis Christi Salvatoris, cum tamen sit Corpus Christi Domini, ut adversus Calvinistas scitè, prudenter, & veraciter docet Ecclesia. Sed circa hoc, quæ docui in Physicæ initio videri possunt. Ad argumenti verò ulteriorem explicationem, dico adhuc adesse rationem distinguendi corpus à mente, vel penes impenetrabilitatem, ut volunt nonnulli, vel penes exigentiam extraneitatis partium quoad se, ut volunt alii, vel penes hoc quod substantia corporea sit principium operationum sensibilium, & capax suscipiendi sensibus nostris accidentia obvia; seu penes ipsam trinam dimensionem, sed per modum proprietatis soli rei corporeæ convenientis.

## QUÆSTIO QUARTA.

*An anima rationalis sit forma informans corpus.*

### CAPUT PRIMUM.

*Ponitur, & ostenditur sententia catholica.*

Quid sentiendum sit in præsenti controversia ostendit Sacrosanctum Concilium Viennense anno 1307. indictum sub Clemente V. per se ipsum Præside, quod *seff. 33.* proscribens Petri Joannis Olivi propositiones, inter ipsas, hanc etiam proscripsit: *anima rationalis non est forma informans corpus*, quæ propositio legitur in Clementina prima *de Summa Trinitate, & de fide Catholica* illis verbis *ad nostram doctrinam omnem asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, aut intellectiva verè, ac per se humani corporis non sit forma, veluti erroneam, & veritati Catholicæ fidei inimicam, sacro approbante Concilio reprobamus*. Nihilominus cum non desint aliqui, qui Platonis, & Averrois insaniam adhuc sustineant, & præcipuè non semel relatus Philosophiæ Professor in Civitate B edensi Joannes S huleri *in sua Psychologia lib. 4. quæst. 4.* placet ratione suadere propositam veritatem. Inter rationes autem prima sub hac forma proponitur. Homo dicitur juxta rei veritatem formaliter intelligens, & formaliter volens; sed operationes istæ conveniunt ei ratione animæ rationalis; ergo hæc debet esse actus informans corpus. Consequentia hæc ostenditur; nam si tantùm esset forma assistens, sicuti intelligentiæ assistunt Cœlis in illorum sententia, qui volunt Cœlorum motus ab extrinseco provenire, non amplius homo denominari posset formaliter intelligens, sicuti ex quo intelligentiæ intelligant, Cœlum non denominatur formaliter intelligens.

Dices primò, quod anima rationalis optimè poteit denominare suppositum formaliter intelligens, quamuis per suam entitatem non formet corpus; per hoc præcisè quod uniatur corpori mediis speciebus in phantasia existentibus, seu per phantasma.

Dices secundò optimè posse alicui denominationem aliquam formalem conuenire, quin opus sit formam ipsam tribuentem subiectum informare. De facto enim verbum intrinsecè denominatur unitum per unionem hipostaticam naturæ humanæ, tanquam per rationem formalem uniendi, & tamen unio hipostatica non est forma informans verbum, & qualitates omnes materiales denominantur formaliter quantæ à quantitate, & tamen ipsa quantitas non est forma informans qualitates, cum potius oppositum eueniat; & paries denominatur formaliter cognitus à forma non informante ipsum parietem; Sed

Contrà est; species enim in phantasmate existentes non sunt media, quibus anima corpori unitur, sed potius, quibus objectum unitur animæ, cum sint rationes obiectorum repræsentatiuæ. Secundò quia phantasma non recipit in se species, nisi prius corpus intelligatur anima informatum, ergò jam tales species nequeunt esse ratio uniendi. Tertiò tandè quia nulla forma unitur subiecto mediis suis potentiis, ut optimè aduertit Diuus Thomas *in quæstionibus disputatis art* 9. de anima; cuius ratio est, quia cum hæc prioritatem habeat respectu suarum potentiarum, prius intelligitur uniri corpori, quam eidem uniantur eius potentiæ, inter quas est phantasia.

Ad secundum verò dicendum est, quod esto verbum inhæsiuè non recipiat unionem, hæc tamen recipitur in natura assumpta, quod sufficit ad habendam denominationem uniti. Neque enim dico ad habendam aliquam formalem denominationem opus esse, quod forma ipsam tribuens informet omnes partes. Sed sufficit, quod aliquam partem informet, quando denominationem intrinsecam, tribuere debet. Secundum verò, & tertium non urgent; sermo enim hìc est de denominationibus actiuis, quæ intrinsecæ sint; cuiusmodi certè non sunt denominationes visi, & cogniti.

Secundum fundamentum pariter obuium est. Viuens rationale tam benè est unum per se, quam sit quodlibet aliud compositum non viuens, sed hoc stare nequit, nisi forma rationalis informet, ergò &c. Major est certa; Excessus enim in perfectione formæ rationalis super alias formas, non habet tollere rationem unius per se. Minor euidens est; Unum enim per se haberi nequit nisi per informationem formæ, cum haberi nequeat, quin materia actuetur intrinsecè, & intrinsecè perficiatur, sed hæc actuatio non habetur seclusa informatione, ergò.

Huic rationi quamuis efficaci occurrit Ariaga asserendo quod quemadmodum euidenter non constar, quod homo sit unum per se, ità nec euidenter constare poterit formam rationalem esse formam informantem. Sed

Contrà est, siquidem planè euidens est medium assumptum. Unum enim per se, est unum constans ex pluribus partibus substantialibus mutuo unitis, quarum una sit perfectibilis, altera verò perfectiua; atqui de facto corpus est pars perfectibilis, forma verò rationalis perfectiua; ergò ex corpore, & anima habebitur euidenter unum per se; dum uniuntur; Sed videamus quæso, an saltem efficaces sint rationes Ariagæ.

Docet itaque primò hic Auctor animam rationalem esse formam informantem, quia si non uniretur corpori modo informatiuo, nulla esset ratio, cur manentibus dispositionibus in corpore, anima pro suo libito non posset exire extra corpus, sicut potest Angelus à Cœlo, quod mouet. Sed bona pace huius Auctoris, hæc ratio nulla est. Affirmari enim potest adhuc animam exire extra corpus non posse manentibus dispositionibus, quia data esset à natura, ut semper assistat, quoties in ea manent dispositiones.

Docet secundò animam esse formam informantem, quia si aliter esset, non esset assignabilis ratio, cur homo moreretur, nam ea anima, sicut alibi manere posset absque dispositionibus ita etiam posset manere intra corpus. Sed hæc ratio non urget, siquidem adhuc est, undè homo moriatur, cum enim anima non assistat Corpori, nisi, ut in ipso eliciat suas operationes, hinc fit, quod deficientibus istis in materia, debeat forma deficere in assistendo.

Docet tertiò hoc probari efficaciter à simili. Cum enim videamus cæteras animas esse formas informantes, profectò iudicandum est, hoc etiam competere animæ rationali relatè ad corpus, maximè cum in hoc nulla sit repugnantia. Sed bona pace etiam hoc fundamentum non est validum, eo quia non euidens est medium assumptum in hujus Auctoris Sententia, nimirum animas materiales informantes esse.

Docet quartò, & ultimò esse formam informantem, quia in homine debet dari aliquod principium, quod petat omnia illa accidentia, quæ in ipso

ipso reperiuntur; quod principium nequit esse, nisi anima rationalis informans, materia siquidem non petit determinata accidentia, sicuti, nec forma assistens, ut videre est in anima separata existente absque prædictis accidentibus. Sed

Huic rationi facilis est euasio, nam potest optimè formam, ut præcisè assistentem subiecto, exigere in illo determinata accidentia; nisi dicere velimus principium exigens illa accidentia esse formam corporis, quæ in Schola Scoti defenditur. His ergò reiectis.

Probatur tertiò assertum pluribus rationibus conglobatis, quarum prima sic procedit. Unumquodque agit per illud, quod est in actu, sed omne ens est in actu per formam; ergò omnis operatio est à forma. Secundò principium cuiuslibet operationis naturalis est forma operantis, sed intelligere, & velle sunt operationes hominis naturales; ergò oportet ponere in homine aliquam formam, quæ sit earum principium, sed nulla esse potest, nisi intellectiua, ergò &c. Tertiò principium formale Physicum determinans ad talem, vel talem speciem entis completi est forma informans, ut docet Henricus ex Philosopho *in summa art* 43. *quæst.* 4 sed anima se habet ad corpus in ratione principii formalis determinantis materiam ad determinatam speciem; ergò

## CAPUT SECUNDUM.

*Occurritur argumentis.*

PRimum argumentum sit illud, quod refert relatus Auctor Scholæ Auriacæ, philosophiæ Lector sic arguens. Forma secundum Peripateticos dat esse rei; atqui anima rationalis non est ratio corporis, aut per quam corpus suam essentiam habeat; ergò &c. Secundò forma dicitur pars essentialis eius, cuius forma nuncupatur; atqui anima non est pars essentialis corporis humani; ergò &c. Tertiò forma dicitur informare materiam, ita ut illius esse in hoc solum consistat; sed essentia animæ non residet in sola informatione corporis humani; ergò &c. Quartò denique forma iuxta Aristotilem deducitur ex potentia materiæ; sed anima rationalis educi nequit, alias esset materialis, & corruptibilis; ergò &c.

In hoc argumento, quod minus displicet inscitia est arguentis, quod verò magis, illud est, quod improperiis sæpè sæpius afficiat Peripateticorum sententias, atque glorietur se excellentem aliquando fuisse in proponendis Peripateticis difficultatibus, necnon in earum solutione, cum tamen oppositum dignoscamus ex hac superiori arguendi methodo. Pro huius autem solutione ad primum dicendum est animam dare esse corpori in linea viventis. Ad secundum formam rationalem esse actum informantem, non constituentem corpus. Ad tertium falsum est, quod esse formæ consistat in actuali informatione. Vltimum autem procedit ex falsa intelligentia doctrinæ Aristotelicæ, non enim forma in tota sua latitudine educitur de potentia materiæ; sed tantum forma, quæ materialis est.

Arguunt secundò alii. Sicuti se habet intellectus ad partem corporis, ita tota anima ad totum corpus; sed intellectus non est actus partis corporis humani; ergò nec tota anima totius corporis. Maior certa est ex Philosopho, quia *sicuti se habet pars ad partem, ità totum ad totum*.

Respondeo falsam esse maiorem, ad cuius probationem dico Philosophi mentem solum esse, quod anima sensitiua sit forma totum corpus informans, quod, ut evinceret, sic arguebat: *Sicuti se habet pars formæ sensitivæ ad partem corporis, ita tota anima sensitiva ad totum corpus, sed quælibet pars animæ sensitivæ est actus alicuius partis corporis, ergò tota anima erit actus totius corporis.*

Arguunt ultimò alii. Actus, & potentia debent adinuicem proportionari; sed anima rationalis, & corpus adinvicem non proportionantur; ergo anima rationalis non est actus corporis.

Communis solutio huius argumenti est proportionem, quæ exigitur inter actum, & potentiam non esse entitativam, sed actus ad potentiam. Hæc autem verè datur inter animam, & corpus, cum anima sit forma perfectiva, & corpus perfectè organizatum perfectibile.

## QUÆSTIO QUINTA.

*Quot formæ viventes sint in vivente rationali.*

## CAPUT PRIMUM.

*Nonnullis præmissis defenditur sententia Peripatetica.*

NEgari nequit Angelicum Præceptorem voluisse plures animas in hominis formatione successivè introduci. Clarissimè enim ejusdem mens deducitur in 1. *part. quæst.* 76. *art.* 6. ubi statuit, quod prius Embrio habeat animam, quæ solùm est sensitiva, qua ablata adveniat deinde anima, qua simul sit sensitiva, & intellectiva. Non est tamen hæc adeò propria D. Thomæ sententia, ut antea ipsam nullus propugnaverit, cum quamplures priscos Philosophos referat Henricus *quodl.* 3. *quæst.* 6 quibus adhærent Conimbricenses *lib.* 2 *de anima quæst.* 4. *art.* 2 & novissimè Franciscus Macedo. *collat* 8. *diff.* 3 *pe traductione peccati originalis*. Recentiores verò, qui Atomistæ nuncupantur, etsi cohæreant aliquantulum in hac re, cum doctrina D. Thomæ, dissident tamen, quia ita D. Thomas vult animas successivè introduci, ut adveniente rationali, sensitiva abeat; isti verò propugnant utriusque coexistentiam, ut videri possunt in hac re Adrianus Heereboord *disp* 47. *thes.* 1. Joannes Schulerus *lib* 7. *in Physica exercit.* 49 Da. Deredonis 2. *part. Physicæ*, nec non novissimus Scriptor Edmundus Purchotius *parte* 3. *Physicæ sect* 2. *Corollario* 2. quibus libenter subscriberem, si sensitiva nil aliud esset, quam spirituum vitalium Systasis, & textura. Hi autem omnes Auctores esto inter se divisi inspiciantur in rationibus hoc assertum suadentibus, in hoc tamen conveniunt, non planè idem esse plures formas in homine existere, ac plures esse formas hominis. Primum enim ut verum tuentur, secundum verò falsum esse edocent, & benè, cum nulla detur forma hominis, quæ hominem, qua talem constituat, nisi sola Anima rationalis.

Verior tamen sententia ea est, quam magis communiter sequuntur Auctores Scholastici, nimirum in Embrione primum introduci animam rationalem, ipsamque solam in homine esse, ex quibus aliqui ipsam probare solent illo Genesis oraculo *cap* 2. descripto illis verbis: *formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, factus est homo in animam viventem*, supra quæ advertunt hi Auctores spiritum, quem Deus inspi-

tavit,

ravit, fuisse animam rationalem, atque cum simul affirmetur hominem fuisse factum per ipsam in animam viventem indefinitè, jam factus erit vegetans & sentiens, & hoc maximè, quod consimilis huius textus explicatio extat clarissima apud Augustinum *in lib. 2. Genesis* contra Manicheos his verbis expressa: *ipsi animæ sensus erat aditus ista exsuflatione, cum factus est homo in animam viventem, & non solùm vita sensus, sed omnis actus vitæ, qui ab anima haberi potest, ipsa insuflatione infusus est.*

Alii verò hanc nostram sententiam se colligere existimant ex universo Ecclesiæ sensu, & præcipuè ex Concilio generali octavo *Can. 11.* reprobante defensores multiplicitatis Animarum in vivente rationali illis verbis: *apparet quosdam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizent. Talis igitur impietatis inventores, & similia sapientes, cum vetus, & novum testamentum, omnesq; Ecclesiæ Patres, unam animam rationalem hominem habere asseverent, sancta, & universalis Synodus anathematizat.* Quæ definitio, quamvis non ad rem facere videatur, eo quod Concilium unicè excludat formarum rationalium multiplicitatem, ut patet ex iis verbis: *Omnesque Ecclesiæ Patres unam animam rationalem habere asseverent*, tamen si roboretur per hæc subsequentia ad rem facere Concilium dicunt iidem: verba sunt: *neque duas animas esse dicimus in homine, sicut Iacobus, & alii Syriorum scribunt unam rationalem, qua animatur corpus, & immixta est sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministrat, sed dicimus unam esse, eandemque animam in homine, quæ, & corpus sua societate vivificet & semetipsum sua ratione disponat*; per quæ ita denegatur animarum pluritas, ut excludatur etiam illa, quæ sanguini immixta esse potest, quæ profectò non est nisi sensitiva.

Sed nihilominus ex hujus Concilii generalis definitionibus, ut verum fatear parum efficax erui posse argumentum existimo. Certum enim non est in causa Photii, tres, vel duas animas diversas Concilium Constantinopolitanum 4. anno 889. die 5. Octobris inchoatum damnasse, ut optimè advertit hic Ludovicus Bail in sua summa Conciliorum *pag. 383. tom. 1.* In hoc enim certè non erravit Photius, cum plures sint viri Catholici, qui sententiam, quam impugnamus, defendunt, & præcipuè Phyloponus, Zabarella, Gandavensis, Iandunus, Paulus Venetus, Ochamus, Mirandulanus. Probabile itaque est Photium solum in eodem sensu posuisse formarum pluralitatem, quo Manichei ab Augustino *in libro de duabus animabus* proscripti inveniuntur, unde parum ad rem facere huius Sacrosancti Concilii auctoritatem judico.

Nec pariter urget ratio illa, quæ à quibusdam affertur in eo sistens, quod cum ad recessum formæ rationalis in homine, recedat quoque vivens sensitivum, signum evidens est formam sensitivam realiter indistinctam esse à rationali. Non urget inquam, quia ex hoc, quod ex defectu unius sequatur defectus alterius, non infertur per consequentiam legitimam utriusque identitas, cum provenire totum hoc optimè possit à sola connexione, uti in quamplurimis clarissimum est, & maximè in nostra sententia, in qua recedente forma rationali deficit forma corporeitatis, cum tamen nulla inter utramque adsit identitas.

Altera verò quam excogitavit Hurtado procedens ex superfluitate animæ sensitivæ, quatenus hæc formaliter continetur in rationali, pariter inanis est, siquidem ad sensitivæ superfluitatem habendam non video, quo jure opus sit asserere rationalem esse formaliter sensitivam, cum virtualis, vel eminentialis præcontinentia ad intentum sufficiat.

His ergo rationibus ommissis, & aliis minoris ponderis, quas affert ex nostris. Magister Ventura, & refert ex exteris Pontius, do duplicem, & utramque solidam, & prima sic procedit. Data pluralitate formarum non esset amplius Homo unum per se; ergo hæc non adest. Antecedens suadeo. Vbi danrur plures formæ non subordinatæ, ibi impossibile est, quod interueniat ratio unius per se; sed sensitiua est forma alteri non subordinata, cum ex genere suo nata sit facere unum per se completum, quod non valet subordinata; ergo &c.

Rationam hanc obuiam cognoverunt Recentiores superius relati, & proindè respondent adhuc Hominem forè unum per se, quia multiplicatio essentiarum non est à disponentibus, sed à principali forma, quæ in Homine unica est. Anima enim sentiens in eodem speciem ultimam non constituit, quia ordinatur ad superiorem: Quod in Brutis non evenit, quandoquidem ad perfectiorem speciem non est ordinata. Sed quam falsò isti sic respondeant, & præcipuè Adrianus Heerebort, vel melius Asinius Gallus ob nimiam huius linguæ libertatem, vir rudis mineruæ, & non infimæ temeritatis, ex Thebana stirpe, ex eo dignoscitur, quod ordo hic ommissus sensitivæ ad rationalem, ut liberaliter agam, non tollit quin forma sensitiua sit quantum est de se nata facere unum per se, ut clarissimè videtur in ipsis Brutis. Formæ autem, quæ natæ sunt facere unum per se completum, non est, vndè impediri possint in ordine ad tale esse conferendum. Præterquamquod hæc sensitiua gratis ponitur, tanquam forma disponens, cum in linea formæ disponentis alteram corporeitatis adstruamus.

Secunda ratio est, quia forma rationalis est cæteris formis perfectior; ergo optimè poterit earum operationes præbere, cum enim hæ sint vitales, ab anima provenire poterunt, concurrentibus organis effectiuè ad materialitatem conferendam eisdem operationibus.

Vtramque hanc rationem brevi calamo descriptam, recipiunt magis communiter scholastici. Priorem tamen impugnat etiam Arriaga edocens certum non esse quodlibet vivens esse unum per se; sed quam falsò hoc asserat, ex eadem societate videri potest Suarez *in metaphysica disputat. 4 sect. 3. lib 1.* vbi explicans in quo consistat ratio unius per se, firmat etiam de consequenti euidens esse vivens rationale esse unum per se. Secunda verò hac paritate à me excogitata impugnari potest. Esto divinitas possit per se ipsam elevare intellectum ad visionem, atque perfectior sit etiam in ratione principii elevantis, nihilominus elevatio facta medio lumine distincto non est superflua, ergo etiam esto anima rationalis sit in linea formæ cæteris perfectior, possitq; præbere operationes sensitivas, nihilominus sensitiua ipsas præstans non erit super flua. Sed

Facilis est disparitas, siquidem Divinitas elevationem hanc præstare nequit connaturaliter, undè oritur, quod non obstante eius potentia ad præstandam elevationem, subsistat lumen gloriæ eleuans distinctum At verò anima rationalis nedum simpliciter, sed etiam connaturaliter easdem præstare valet operationes sensitiuas, quas vivens sensitivum licet aliquando in minori perfectione propter inequalitatem dispositionis.

Cà

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

ARguunt primò Manichei. Ab eadem Anima oriri nequeunt appetitus contrarii simul, & semel, sed in eodem Homine sunt appetitus contrarii, illud enim sæpè ratio respuit, quod sensus appetit juxta illud Apostoli *ad Galatas* 6. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem*; ergò in eodem Homine sunt plures Animæ rationales.

Huic argumento non una est solutio. Vult Ruvius contrarietatem appetituum saluari per solam diuersitatem potentiarum animæ. Volunt alii hanc intelligi propter ipsius Animæ eminentiam supra cæteras formas. Volo ego contrarietatem illam prouenire ab Anima rationali sub diuersa sui inspectione, ita ut quatenus est actus Corporis, affectiones habeat Corporeas, quatenus verò rationalis spirituales, & honestas. Hanc existimo esse veram Augustini solutionem ab ipso traditam in *libro contra Manicheos sub his verbis: ita enim nunc constituti sumus, ut & per carnem voluptate affici, & per spiritum honestate possimus, quare non duas Animas hinc fateri cogor. Possumus enim melius, & multò expeditius intelligere duo genera rerum bonarum quorum tamen neutrum ab Auctore Deo sit alienum, unam animam ex diuersis efficere partibus inferiore, ac superiore. Neque enim nullo in supplicio sumus peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti. Ideo contingit, ut cum ad meliora conantibus nobis consuetudo facta cum carne, & peccata nostra quodam modo militare contra nos, & difficultatem nobis facere cæperint, nonnulli stulti aliud genus animarum, quod non sit ex Deo, superstitione ob tusissima suspicentur. Quinimmo addo, quod etsi concedamus per Animam inferiorem nos turpia patrasse, non indè sequeretur talem Animam malam esse, vel alteram benè operantem summum bonum esse. Fieri enim posset, ut ille propria voluntate appetendo, quod non licebat, hoc est peccando ex bonis facta sint mala, & rursus fieri possint bona.*

Arguunt secundò alii Recentiores, & communiter. Quæcumque à se inuicem possunt separari, idest distinctis locis, ac temporibus existere, illa distinguuntur realiter; At anima vegetans, sentiens, & rationalis, ita separari possunt; ergò &c. Maior Logicorum omnium consensu verificatur; Minor vero probatur, quia operationes vegetantis animæ, uti crescere, augeri, & nutriri, & sentientis, ut loco moueri in fætu reperiuntur ante aduentum animæ rationalis, quæ nonnisi post peractam organizationem accedit; est enim actus corporis organici; Sed istæ esse nequeunt ab Anima matris, vel à virtute so matiua, quæ est in Semine; Opera enim vitæ esse nequeunt à principio extrinseco; ergò erunt à forma sensitiua sub dispositionibus imperfectis existente, diuersæ tamen speciei ab illa Bruti, quamuis sub eodem genere vegetatiui, quæ expellatur ad aduentum formæ perfectioris.

Confirmant hoc argumentum Doctissimi Ad versarii, eo quia, si Fætus statim animaretur anima Rationali, non verò prius vegetatiua, & sensitiua, quicumque fætus abortiui etiam paucorum dierum, deberent baptizari, si in illis appareret aliqua etiam leuissima organizatio propria animæ vegetatiuæ, cum plurimi facienda sit animarum salus; Sed hoc est contra communem Ecclesiæ usum; ergò etiam quod prima forma viuens aduenisns sit rationalis. Ulterius abortus solum procuratus post 40. dies, vel 80. crearetur, & puniri solet tamquam homicidium, sed ante hos dies constat fætum fuisse animatum; ergò non anima rationali, sed vegetatiua, vel sensitiua.

Respondeo. Si Cartesii Doctrinam sequeremur, facilis esset argumenti solutio; cum in tractatu de fætus formatione capitè primo afferat nutritionem non prouenire à forma vitali, sed fieri vi sola mechanica. At cum hanc alibi reprobauerimus, difficilior aliquantisper euadit solutio. Quod si dicamus Animam rationalem infundi tertiò circiter die è feminis conceptione, ut docuit excellentissimus quidam Medicinæ Professor in Louaniensi Accademia, obstant quamplurima incommoda, quæ in hac sequuntur sententia, & præsertim, quæ in Levitico cap. 2. expressa habemus, nisi etiam addere velimus, quæ in superiori confirmatione adducuntur. Si verò occurrere vellimus cum nonnullis dicendo nutritionem hanc fieri ope animæ matris, primò non parum opponitur huic euasioni, quod plures Anatomici aduertunt, nimirum fætum non sese communicare cum matre, nisi quando ab eius visceribus elongantur venæ umbillicales, & se extendunt ad Pelliculam Uterinam, quod cum eueniat solum, quando in fætu anima rationalis jam residet, jam in priori nutritio hæc vi matris animæ fieri non poterit. Secundò verò, quia operationes vitales procedere debent à principio intrinseco, & consequenter ab ipso viuente, non verò à principio extrinseco, cuiusmodi sunt anima matris, necnon virtus feminis formatiua. Patet hoc, quia operationes virales illæ sunt vi quarum viuens ab intrinseco se mouet, ut optimè docet Diuus Thomas 1. *part. quæst* 18. *art.* 3 illis verbis. *Cum vivere dicantur aliqua secundum quod operantur ex se ipsis*. Cum autem fætus hi: ante aduentum rationalis operationes vitales exerceat: nutritur enim, & augetur motu vitali; sugit enim sanguinem per venam umbillicalem, qui intus susceptus in omnes distribuitur partes. Experientia enim comprobatum est, si fætus ante prædictum tempus pungatur, contractione dolorem, & sensum prodere. Unde. Fernelius *lib.* 1. *de productione hominis cap* 10. notat tunc fætum viuere, cum hepar solum est formatum cum venis quibusdam, quæ sunt instrumenta nutritionis, non tamen sentire, quia tunc si pungatur, nullo motu signum doloris, quod postea facit formato corde cum atteries, & Cerebro, cum neruis: dicendum remanet nutritionem illam Embrionis non procedere ab anima matris, vel virtute formatiua feminis, sed à principio vitali Intrinseco: at cum aliundè hoc esse nequeat forma rationalis, non quia hæc non sit apta ad effectiuè præbendas has operationes, sed quia non intelligitur applicata fætui propter perfectæ organizationis defectum, hinc denuò recurrit argumenti vis, quod super difficilis esse solutionis affirmaui pluribus in Thesibus arguendo, ut optimè etiam inter Recentiores ex Societate aduertit Syluester Maurus *lib.* 4 de Creatione animæ rationalis *quæst.* 291. § *quæres secundò*.

Confirmatio autem tangit difficultatem illam videlicet, quo tempore Fætus animetur anima rationali, in qua res omninò incerta est. Quod enim aliqui dicunt animationem hanc fieri die 30. ut Gallego, vel die 25. à Conceptione, ut Albertus Magnus, vel 17 Si Masculus, & 19 si fæmina sit, ut Nicolaus Roclei in lib Gynæciorum de Morbis Mulierum, vel 15. ut Thomas Thomay, vel die 10 vel ante diem 7. vel die 3. à conceptione, ut Auicenna, & nouissimè Daniel Senecti Medicinæ Professor in Accademia

demia Vvittembergensi, seu intervallo circiter septem horarum, si semen fuerit ab Utero retentum; vel etiam in primo conceptionis momento statim, ac semen conceptum est, & fermentatum, ac membraneæ incipiunt fieri, ut Gregorius Nyssenus de anima, & Ressurectione, & Cesarius lib. Dialo 3. in responsione ad 115. interrogationem, res omnes incerte sunt. In rebus autem dubiis fauorabilior pars pro delinquente est à lege eligenda; unde nil mirum si procurantis abortum ante 40. dies, si masculus, 80. si fæmina, homicidium non censeatur. Canonistæ enim, & Theologi, imò etiam Sacra Penitentiaria decreuit attendendum esse hoc Tempus contra Procurantes abortum, in quo tempore solum compertum est fætum viuere in actu secundo, seù indicia vitæ præbere. Sed qui plura optat in hac te adeat Hieronymum Florentinum Lucensem Congregationis Matris Dei in suo opere Typis Ædito, cui titulus Homodubius, siue de Baptismo abortiuorum, Lugduni Ædito in officina Anissoniana.

Tertium argumentum pariter à posteriori desumitur, quod non parum fauere, aduersè parti res penitus certa est. Videmus enim hominem elicere quam plures operationes proprias animæ sensitiuæ, quas sub nomine generali operationis sensitiuæ Philosophi compræhendere solent; atqui non mediocre inditium existentiæ formæ est eiusdem effectus, quapropter spiritualitatem animæ desumpsimus ex spiritualitate, quam adesse in eiusdem actibus demonstrauimus, sicuti excessum in perfectione voluntatis supra intellectum colligimus ex actibus utriusque potentiæ, & tandem surmæ sensitiuæ Brutorum imperfectorum diuisibilitatem propugnamus, quia videmus partes corporis seiunctas signa vitæ præbere; ergò. Quod si dixeris operationes sensitiuas à forma rationali haberi, contra est, quia cum istæ sint materiales, non minus, ac forma corporeitatis; profectò si anima rationalis gradum corporis tribuere nequit, nec illarum operationum erit principium.

Hoc argumentum à posteriori deductum vim suam non habet. Ratio est, quia estò operationes arguant suum principium, non tamen semper arguunt principium commensuratum, vel formaliter tale. Undè non valet illatio. *Sunt in homine operationes formaliter sensitiuæ; ergò est forma materialis formaliter sensitiua*: sicuti non valent hæ aliæ: *est in Patria intellectus fæcundatas ad quamplura cognoscenda extra Deum; est natura assumpta ultimò terminata; ergò, & in intellectu est species impressa ipsis commensurata formaliter ipsorum representatiua, & in humanitate subsistentia creata ultimò ipsam terminans*: cum in primo casu fæcundario fiat ab essentia diuina omnem speciem eminenter precontinente, & à subsistentia diuina, quæ supplet pro subsistentia creata. Et ratio totius est, qoia quoties aliquæ formæ conueniunt, vel se communicant in ordine ad dandum esse alicui effectui, vel in genere causæ formalis, vel efficientis, perperam infertur ex existentia illius effectus, unius determinatæ formæ existentia, sed solum unius, vel alterius. Cum autem anima rationalis, & sensitiua se communicent in ordine ad præbendas operationes sensitiuas, ita istæ poterunt à rationali haberi, ut forma sensitiua contradistincta, sit superflua, eo vel maximè, quod materialitas operationis sensitiuæ nihil obstat, ut dixi in Physica, ubi de forma corporeitatis. Sed

Instabis operationes sensitiuè prouenire debent ab anima formaliter sensitiua, sicuti gradus corporis prouenire debet à forma formaliter corporea, gradus viuentis, à forma formaliter vitali, esse album à forma, ut quo formaliter alba, nec nō effectus sanctitatis à forma formaliter sancta; atqui forma formaliter sensitiua non est, nisi anima sensitiua; ergò prouenire debent ab anima formaliter sensitiua, adeoque à rationali distincta. Sed instantia hæc nihil urget juxta veriorem doctrinam. Ratio autem est, quia estò effectus prouenientes à forma in genere causæ formalis petant, & exigant formam formaliter talem, non tamen petunt illam, si ab eadem proueniant in genere causæ efficientis, ut in confesso est apud omnes. Omnipotentia enim virtus adæquatissima est ad producendum quodlibet possibile, cum tamen solum virtualiter eminenter ipsa contineat, sicuti optimè patet in ipsa anima relatè ad suos actus, & causis uniuersalibus in ordine ad sublunaria, unde recensita exempla non urgent, quia procedunt de causa formali, non verò efficienti. Quod si absolutè velint doctissimi aduersarii animam Rationalem necessariò esse debere formaliter sensitiuam, atque vegetatiuam, libenter concedi poterit; dumodo vegetatiuū, & sensitiuum summantur, prout important rationes communes, & conceptus, ut sic abstrahentes ab inferioribus, Plantis scilicet, & Brutis, in quo sensu hoc certè negari nequit, ut optimè contendunt Scotistæ ex Scoto *in 2. dist. quæst. 5. §. potest etiam*, necnon noster Magister Sosteneus Cavalli: & ratio est, quia anima rationalis tribuit homini esse formaliter vegetatiuum, & sensitiuum; nequit autem aliquid in genere causæ formalis alteri suum tribuere effectum, quin formaliter ipsum effectum contineat.

Arguunt ultimò alii. In Cerebro sunt operationes sensitiuæ, & rationales, irascibiles in Corde, concupiscibiles in Iecore; ergò etiam in diuersis partibus corporis naturalis erunt ponendæ diuersæ animæ pro istis diuersis operationibus.

Hoc argumentum parui Roboris est, nedum quia tres facultates animæ potius mihi videtur suadere, quam tres animas; sed quia communiter sententia Cartesii, vel potius Erasistrati, & Democriti docentium animam, præcipuam habere sedem in Cerebro (non quidem secundum se totum alioquin nervi optici, quoad sui ortum, & Spinalis Medulla, cum sint eiusdem rationis cum Cerebro, Sedes essent interni sensus) ab Anatomicis, tanquam ridicula ludibrio habetur; & meritò cum Cartesius illius glandulæ, & aliarum glandularum usum, ut & uniuersam Anatomiam prorsus ignorauit. Sit glandula Connarion dicta, vel glandula pinealis in medio ventriculorum sita. Sit unica, & simplex, uti ex Cartesio refert Le Grand. Sit mobilis à minutissimis arteriis, illam cingentibus sustenta, certum est illius, & aliarum glandularum munus esse tantum substerni venarum diuaricationibus, ne in motibus violentis disrumperentur, & animam subito interitu miserè periret. Sed hoc mirum non est in Cartesio. Alia siquidem adsunt errata in sua diopt: sed temporis penuria ad alia maioris ponderis nos vocat. Hoc unum addo etiam in eo errasse hic Cartesium, quod existimaret nervos solum deriuari à Cerrebro, atque pertingere ad *glandulam Pinealem*, cum nerui deriuentur etiam à singulis vertebris *Spinæ dorsi*, parumque tubeant cerebri substantiam.

QUÆ-

## QVÆSTIO SEXTA.

*An Animæ rationalis immortalitas sola fide, an verò etiam ratione demonstrativè cognoscatur.*

Libentissimè abstinerem ab ista Controversia non mediocrem præseferente difficultatem, attamen cum communiter proponi soleat, ne in re necessaria deficere videar, ipsam discutiendam suscipio. In hac autem, sententia Scoti plausibilis est nullam propriè adesse rationem demonstratiuam immortalitatis animæ, quam sententiam nonnulli Thomistæ tribuunt etiam Caietano, esto ipsum defendat Magister Bannez, sed quidquid sit de hoc.

Aduertendum est primo cum quamplurimis Theologis, & Philosophis tripliciter posse dici aliquid immortale. Primò, quod nulla planè vi corrumpi possit, ac destrui. Hæc Immortalitas solius Dei propria esse potest, secundò, quod ex sua natura est tale, ut nulla planè vi creata possit destrui, si faciat contra talis rei exigentiam; illud vocatur immortale ex sua natura. Tertiò immortale dici potest, quod licet non exigat ex sua natura semper esse, divino tamen munere huiusmodi est, ut à nullo possit corrumpi agente naturali. Huiusmodi fuisset Adam, si perseverasset in statu Innocentiæ. Prima Immortalitas essentialis est. Secunda naturalis; tertia gratuita.

Advertere secundò placet Patres Scotistas hic improbandos non esse censura, quia docent in Philosophia immortalitatis Animæ nos non habere evidentiam, siquidem hæc propositio iuxtà sensum Scotisticæ Scholæ ab omni censura immunis est; undè ineptè Magister Cavino Thomista, scriptor novissimus, reprobat, ut hæresi proximam, vel temerariam. Mihi etiam displicet Scoti sententia, non tamen tanquam erroneam reprobo. Quid enim quæso mali est in hac propositione *animæ rationalis immortalitas evidenter, inhærendo rationi non habetur*. De facto enim multa mysteria fidei sunt, quæ talem subterfugiunt evidentiam, uti esse omnia obiecta simpliciter, & absolutè credibilia docent Theologi. Præterquamquod aliud est animam rationalem philosophicè mortalem esse, aliud immortalitatem ipsi convenientem, ut docet fides, demonstrativè non probari. Primum erroneum est, sed hoc non defendunt Scotistæ, quod sciam, ut optimè hic aduertit Pontius. Secundum verò immune est à censura, & hoc tantum sustinet Scotus.

### CAPUT PRIMUM.

*Animæ rationalis immortalitas nedum est obiectum fidei, verum etiam demonstrativè dignoscitur.*

Assertum hoc quo ad primam partem est dogma fidei contrà asserentes formam rationalem esse mortalem, in quo errore divisi fuerunt, qui aberrabant. Quidam enim docebant animam simul cum corpore interire, ita tamen ut in resurectione cum corpore sit reditura. Hic error, ut ait Eusebius *lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap* 26 exortus est in Arabiæ partibus. Alii verò volentes Animam, sic in morte Hominis cum Corpore perire, ut nusquam postea redeat, negaverunt resurrectionem. Hi censentur Sadducei, Epicurus, Lucretius, Plinius, Gallenus (quamuis de hoc res dubia sit) Democritus, Alexander, Tertullianus libro de Anima *cap* 6. Hermanus Ksuich Holandinus. Contrà hos omnes primo arguendum est, secundò contra Scotistas, quod antequam fiat, aduertere obiter denuo placet Philosophi mentem in hac re non certe cognosci posse. Aliquibus enim in locis asserit esse immortalem, ex eo quod disputando de Hominis beatitudine in primo Ethicorum ad ostendendam beatitudinis excellentiam, immortalitatem Animæ apertissimè confitetur. Cum verò de fortitudine disputat 3 Ethic: ad eiusdem perfectionis ostensionem asserit mortalitatem, docendo formas naturales, & physicas à materia inseparabiles & *primò de Anima textu* 12. ponit hanc propositionem conditionalem: *Si Anima non habet propriam operationem à corpore separabilem, nec ipsa est separabilis à corpore*, quam deinde absolutè profert abdicata conditione 3. *de Anima textu* 3. docens intellectionem Animam *non posse exercere sine phantasmate corporeo*; undè videtur Aristotelem sic fuisse locutum ad veritatem occultandam, uti Scotus, & Canus iudicant. Philosopho itaque relicto.

Dico primo de fide tenendum esse rationalem formam esse immortalem. Ex sacris litteris feliciter hoc colligitur. Sapientiæ etenim *cap.* 3. hæc habentur *non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, ideo autem sunt in pace*:, *& Ecclesiastici* 2.: *ibit Homo in domum æternitatis suæ*; & sapientiæ iterum 2.: *Deus creavit Hominem inexterminabilem, hoc est incorruptibilem, & immortalem*: His Sacræ Scripturæ oraculis addi potest Sacra Concilii Lateranensis auctoritas sub Leone decimo indicti, in quo hæc legimus: *Leo Episcopus servus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sacro approbante Concilio Apostolici regiminis sollicitudo nos assiduè pulsat, at medendis animarum languoribus, quarum nos ex Alto omnipotens Auctor curam habere voluit. Cum itaque diebus nostris* (quod dolenter ferimus) *zizaniæ seminator antiquus, humani generis, hostis, nonnullos perniciosissimos errores à fidelibus super explosos in agro Domini seminare, & augere sit ausus de præsertim natura animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis Hominibus, & nonnulli temerè philosophantes secundum saltem Philosophiam verum esse asseverent, contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes. Hoc Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse*.

Cum itaque quo ad hanc partem assertum certum sit, secundæ adæundum est, quam omnes defendunt, si schola subtilis excipiatur. Ex multis videantur Marsilius Ficinus *in libris de animarum immortalitate*, Annibal Rossellius in Asclepium Mercurii Trismegisti *lib. Commento* 6 Joannes Cortunius Veriensis Eques auratus S. Georgii in suo opere *de triplici statu animæ*, Fortunius Sicetus, qui solius Philosophi auctoritate, & ratiocinio volumen integrum conscripsit, Nicolaus Fabentinus *lib.* 1. *de immortalitate animæ* ad Clementem octavum directo, David Deredonis 2 *part. Physicæ*, & novissimè Michael Angelus Fardella Drepanensis *in sua animæ humanæ natura ab Augustino detecta*. Nos autem Auctores hos omnes relinquentes in suo pretio, assertum hoc rationibus suadere conabimur, quarum primam petimus ex diversa hominum in hoc sæculo vita, quibus indignum sæpè pro nunc contigit præmium; quæ ratio adeò mihi efficax videtur, ut etsi Scripturæ testimonium deesset, sufficeret ad convincendum animam post hominis mortem manere. Videmus enim in hac

vita

vita præsenti peccatores, sceleratissimosque homines sæpissimè prosperari, nullasque suis meritis dignas hic luere pænas, è contrario verò justos adversis vexari, morbis cruciari, & plurima pati incomoda. Si autem anima nunquam post hominis mortem maneret, posset Mundi Gubernator, cui hæc omnia subsunt, veluti iniustus accusari, & iniustè reprehendi, quod justos puniret, & sceleratos homines præmio afficeret; at cum nullo pacto Deus, tamquam iniustus sit accusandus, quoniam *Justus Dominus, & justitias dilexit*, profectò convincitur animam post hominis mortem, aliquam habere vitam, in qua unusquisque recipiet congrua suis meritis præmia. Hoc argumento præter Chrysostomum *serm. 4. de Providentia* usus est etiam Plato in Dialogo de animæ immortalitate hæc habens *iustum est scelestos homines post obitum, suorum criminum pænas dare, iustos præmia recipere*.

Nec infimum est aliud huic affine ex conscientia deductum, & cogitationibus hominum se ipsos accusantium, aut excusantium. Quid enim causæ sit, quod improbi pænas metuant ob scelera, quæ perpetrarunt, aut quod, qui iniustè affliguntur, sua se innocentia consolentur, etiam in ipso mortis articulo? nam si anima cum corpore interеat, nihil post mortem metuendum, aut bonis sperandum est. Hæc conscientiæ vis tanta est, ut nequissimi eam, etiamsi velint, ita ex animo eiicere nequeant, quin continuò recurrat. Cui argumento advertens Seneca *Epyt. 117. ad Lucillum* hæc scripsit: *argumentum enim est veritatis aliquid omnibus videri....... cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium*. Quo ratiocinio etiam Lactantius *lib. 2. institutionum cap. 1* usus est, ut Divini Numinis existentiam ostenderet illis verbis: *nam, & cum iurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut multos Deos, sed Deum nominant*.

Nec dicere juvat Sinderesim ipsam pænam esse iniustis, justis verò præmium esse ipsam animi tranquillitatem juxta illud Ambrosii: *magna est tranquillitas bonæ conscientiæ*, vel Claudiani *ipsa quidem virtus pretium sibi sola lata fortunæ secura nitet*; siquidem non desunt Patres ut Augustinus, & Chrysostomus: primus quidem *lib. 6. de confessione cap. ultim.* secundus verò *quarto de providentia, & facto*, qui præmium assignant in altera vita futurum, & consequenter distinctum ab illa pace interna, animiq; tranquillitate, qua in hac vita fruuntur boni. Hæc enim habet Chrysostomus loco relato: *Gentiles, Hæreticos, Iudeos, & cuiuscumque alterius sectæ manifestè fateri hanc veritatem; nam qui dicunt post hanc vitam futurum esse nihil, necessariò confitentur, neque Deum esse, nam si Deus est, iustus est, si iustus est iuxta merita uniuscuiusque distribuit. Si autem nihil est post hanc vitam, ubinam accipiunt singuli pro suis meritis*: secundò quia in ordine ad justos pax interna, voluptas, sunt proprietates virtutis; ergo afferri nequeunt pro præmio. Patet hæc illatio, quia meritum rei non respicit ut præmium, quod est illi jam debitum, & connaturale. Tertiò id nequit esse mali pœna, quod non semper conjungitur cum ipso malo patrato; sed ipsius animi mæror, seu dolor, & sinderesis non sequuntur ad malum, quod eligimus, uti in peccatoribus obstinatis, qui divinis inspirationibus toto vitæ decursu restiterunt, in quibus certè nulla est sinderesis, hac ad ostium amplius non pulsante; unde legimus Lutherum docuisse eos veraciter esse sui asseclas, quibus de vera Matre Ecclesia derelicta non amplius conscientia, & pudor retrahebant.

Dices secundò rationem hanc demonstrativam petitam ex Dei justitia distributiva non esse evidentem. Primò quia evidens non est Deum orbem gubernare secundum justitiam punitivam, & præmiativam, quamvis sit evidens hanc rectam universi dispositionem à Deo haberi. Secundò quia juxta communem Theologorum sententiam, si Deus vellet beare damnatos, & beatos damnare, non illicò Deus injustus diceretur, cum Deus supremus Dominus omnium, nec aliquod debitum retributionis habeat, quod tamen exigitur, ut verè injustus censeatur; sed

Contra est. Hæc enim solutio tota quanta est, ex Scoto desumitur; an verò sicuti subtilis, ita etiam vera sit, examinandum est hìc. Et in primis Authumo evidenter constare mundi gubernationẽ secundũ leges justitiæ punitivę, & præmiativę, vel quod in idem recidit in Deo justitiam distributivam etiam rationi inhærendo, ut optimè ex doctissima societate Silvester Maurus advertit *tom. 1. lib 2. de amicitia Dei quæst. 63.* & cum ipso Eminentissimus Cardinalis Ioseph Saenz de Aguirre *in Ethica Aristotelis lib. 5. cap. 3. de iustitia distributiva*. Virtus enim illa moralis in Deo ponenda est, quæ in suo conceptu formali nullam præsefert imperfectionem, econtra verò reprobanda, quæ ipsam essentialiter includit; atqui justitia distributiva in suo conceptu formali nullam præsefert imperfectionem, cum præcisè importet unicuique tribuere, quod illi debetur ad proportionem suæ dignitatis, & prout postulat bonitas, & sapientia dantis, in quo certè nulla est imperfectio; ergo non minus evidens est Deum de facto gubernare mundum justitia distributiva, ac evidens sit omnem perfectionem simpliciter simplicem Deo non fore denegandam. In hoc certè sylogismo nihil est, quod probationem expectet. Non major, quia, quod sciam à nullo Theologo negari potest, cum regulam universalissimam contineat, qua Theologi utuntur ad tribuendum aliquod Deo, vel idem ipsi denegandum, quapropter in eodem renuunt admittere virtutes morales temperantiæ, fortitudinis, gratitudinis, obedientiæ, & quamplures scientiam per modum habitus, quia hæc omnia in suis conceptibus formalibus includunt imperfectiones indignas Deo, cum facerent ipsum, vel capacem recipiendi beneficia, uti facit gratitudo, vel subditum alteri, uti efficit obedientia, vel subjectum esse passionibus, si in ipso esset temperantia, & fortitudo: econtra verò iidem Theologi firmiter propugnant in Deo alia plura, uti ipsum intelligere, simplicem esse per exclusionem partium, etsi metaphisicæ sint, ac unum esse unitate singularitatis, necnon concurrere ad actiones creaturarum concursu immediato, quia in his omnibus nulla innitur imperfectio, quinimmò potius summa perfectio, cum melius sit intelligere, habere perfectiones suas per simplicitatem, quam per compositionem, sicuti melius est habere perfectiones suas per illimitationem, quam limitationem, ac habere creaturas sibi perfectissimè subjectas etiam in linea operativa, quam illas non sic habere, sicuti revera non haberet, si solùm mediatè concurreret. Nec obstat, quod in calce solutionis affert Mastrius ex Scoto, siquidem estò verum sit, quod de potentia absoluta possit Deus damnare beatos, & damnatos beare, nequit tamen secundum hanc præsentem providentiam, secundum quam se

consti-

constituit debitorem pænæ, & præmii suppositis meritis, & demeritis, sed in Beatis relucent merita in via viribus gratiæ elicita, in damnatis demerita, viribus naturæ facta; ergo juxta præsentem providentiam nequit Deus beatum damnare, & damnatum beare, quidquid sit de potentia Dei ab soluta, sicuti dicere solent Theologi communiter in materia de divina gratia, quod estò non tenea tur Deus conferre gratiam sufficientem simpliciter, & absolutè, teneri tamen docent, ex suppositione obligationis humanæ ad observantiam preceptorum supernaturalium, quatenus obligans ad aliquod, ad illud idem etiam conferre debet potentiam.

Respondet tertiò superiori rationi Pontius, etiam concesso animam conservandam esse post separationem à corpore, ut pro meritis puniatur, vel præmietur, tamen non inde sequi quod sit immortalis, quia præmium, & pœna finitæ durationis v. gr. mille, vel bis mille annorum, posset sufficere quantum ad rationem naturalem: & certè si conservaretur in esse anima boni, & destrueretur anima mali, esset sufficienter observata justa gubernatio: & tamen inde non requireretur, quod quælibet anima est immortalis, quatenus immortale dicitur, quod perpetuò est duraturum; sed

Contra est. Hæc enim evasio non parum affinis est Platonis insaniæ ab omnibus sanæ mentis viris rejectæ, qua ductus de futuro judicio, præmiis, & pœnis animarum sentiebat idem penitus, quod nunc sentit Pontius Scotista. Quod ut appareat, do Platonis verba: *Philosophi anima, qui masculorum amore, & flagitiis se polluit, tres millenarias circuitione pœnas luit: itaque millesimo anno alata eijcitur, & abit.* Pæna autem peccati læthalis æterna, seu perpetua esse debet, nedum quantum ad durationem, verum & immutabilitatem, cujus pænæ utramque perpetuitatem satis dilucidè in Isaia *cap. ultimo* legimus illis verbis: *vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Quod si dixeris hic opus esse ostendere pænæ æternitatem solùm quantum ad rationem naturalem, ut via naturalis rationis deinde deduci possit animæ immortalitas, cum hic nullatenus sit controversia de animæ immortalitate secundum fidem, sed solum de ejus evidentia vi luminis naturæ. Benè est, sed censeo postea pænæ æternitatem culpæ lethali debitam etiam vi rationis colligi, & consequenter ex justitia Dei, si non evidenter, saltem probabiliter deduci animæ perpetuitatem. Etenim actio peccati, quamvis secundum se spectata, brevissimo tempore duret, nihilominus secundum affectum peccantis, quasi in totam æternitatem protenditur: qui enim, ut rectè D. Thomas *lib. 3. contra Gentes cap. 144.* propter fruitionem temporalem boni alicuius temporalis relinquit æternam summi, & æterni boni fruitionem, quod facit quicumque mortaliter peccat, rectè, ac justè censetur bono illo temporali in æternum frui velle, proindeque peccatum suum, quod in boni illius temporalis inordinata fruitione consistit in totam æternitatem velle prorogare: ex quo fit, ut cum illud peccatum sit in affectu æternum justo Dei judicio pæna æterna dignum censeatur.

Secundò ostenditur eadem veritas proposita ratione Henrici desumpta ex summa *art. 4. quæst 6. num. 27.* Anima rationalis naturaliter desiderat esse perpetuã; ergo naturaliter habet esse perpetuum. Consequentia hæc patet, nam alioquin frustra esset talis appetitus, quia numquam reduci posset ad actum; nec natura meliorem modum invenire potuisset nos torquendi, quam nobis conferre desiderium, quod numquam expleri posset. Antecedens autem breviter ostendimus, eo quia homo inter cætera sollicitus est, quid de ipso sentiant alii post mortem, quod indicat ipsum in se habere aliquid post mortem perseverans, quod anima est. Sed circa hoc argumentum videri possunt Conimbricenses, qui etiam eruditè hoc promovent.

Huic rationi respondet Mastrius, quærendo à nobis, an tale desiderium sit inclinatio naturalis, vel actus elicitus conformis tamen inclinationi naturali. Si primum dicamus, negat adesse in homine, cujus existentia numquam sufficienter demonstrabitur, quin prius ejus possibilitas demonstretur; si verò secundum monet nos, ut rectè inferamus ex ipsa immortalitatem, quod prius opus est ostendere talem appetitum elicitum esse conformem inclinationi naturali, quod fieri nequit, nisi prius ostendatur existentia talis inclinationis naturalis. Sed

Contra est, & ni fallor tota hæc solutio ad hoc reducitur, quod negetur talis inclinatio naturalis in Homine, naturalis, inquam, prout prouenit à natura, & ita negatur, ut eius existentia ostendi nequeat, nisi prius euidenter eius possibilitas demonstretur. Probanda est itaque sequenti Capite à nobis hæc possibilitas, ex qua colligi poterit eius existentia, ex existentia verò animæ perpetuitas, cum inclinatio naturalis non sit frustranea.

## CAPUT SECUNDUM.

*Ostenditur possibilitas appetitus innati, seù inclinationis naturalis ad animæ immortalitatem, & ultimò altera Diui Thomæ ratio proponitur.*

Ut cum ordine in Epigrafe præfixo procedamos, prius possibilitas huius naturalis inclinationis, quæ controuertitur, ostendenda est, quæ suadetur hoc medio. Si talis inclinatio naturalis, vel appetitus repugnaret, vel hoc esset ratione termini ad quem tendit, vel ratione sui, vel ratione subiecti, in quo est; sed ex nullo capite repugnare potest, ergò &c. Minor sola probanda est, & cum plures dicat partes, eius veritas, quo ad omnes, cum ordine ostenditur; & primò terminus talis inclinationis est æternitas à parte post, non per unicam durationem, sed per seriem durationum successiuarum, atqui talis duratio successiua non repugnat (vult enim Scotus Angelos sic durare) ergò non est, undè hic appetitus ex parte termini implicet, & consequenter nec etiam ex parte sui, cum appetitus ad aliquod possibile non est, cur repugnet, sed potius non est undè implicet, & hoc maximè quando adest proportio unius rei cum alia, tamquam cum suo perfectiuo, uti in casu. Quod verò non repugnet ex parte subiecti breui calamo, sed efficaciter suadetur, nam si adsit in viuente rationali hic appetitus, jam in eodem est possibilis; propositio hæc certa est, tenet siquidem illatio ab actu ad potentiam; sed reuera existit talis inclinatio naturalis; ergò. In minori stat tota difficultas, quam probo eo, quia omne imperfectum, quod se experitur imperfectum in aliqua linea, in eadem appetit perfici, undè Diuus Thomas *prima parte quæst. 12 art. 1.* ponit in Homine naturale desiderium videndi Deum, quia humana mens se imperfecta experitur in diuini luminis cognitione ex creaturis; atqui Homo experitur se imperfectum in durando, cum tantum contingenter, & temporaliter duret, ergò

 natu-

naturaliter appetit perpetuitatem. Adest itaquè talis inclinatio naturalis possibilis, & existens, si autem hæc existit, quis est, qui non videat prioris nostræ rationis robur in integrum redire?

Dices etiam concesso quod adsit hic appetitus in homine immortalitatis, non inde sequitur animæ rationalis immortalitas: quamplura enim appetimus, quæ tamen nec possibilia sunt, ut pater nedum in damnatis, qui appetunt, & vellent Deum non esse, cum tamen Deum non esse impossibile sit, verum etiam in quibusdam justis, ita claritate flagrantibus, ut appetant Deum diligere amore infinito, ipsum toto vitæ decursu, nec venialiter lædere; cum tamen primum sit absolutè impossibile, secundum verè moraliter implicet ex viribus gratiæ ordinariæ. Quinimò Theologorum sententia est plausibilis, & maximè apud Scotistas qualitatem cum Deo in natura fuisse Angelorum peccatum, itaut hæc fuerit obiectum appetitus angelici, cum tamen æqualitas hæc simpliciter sit impossibilis, sed contra est, & ab hoc ultimo incipiendo nos solum illis adhæremus Theologis, qui negant obiectum superbiæ Angelorum fuisse ipsorum qualitatem in natura cum Deo: hac unica, sed solida fieri ratione, quia cum hæc qualitas in natura sit impossibilis, & ut talis cognita ab Angelis, jam esse non poterat peccatum Angelorum, maximè cum hoc fuit patratum per voluntatem efficacem, & absolutam. Nec pariter obstat odium à damnatis conceptum aduersus Deum. Hoc enim nec est respectu Dei, nec ejus justitiæ, sed solum respectu effectus justitiæ, seu penæ contractæ per peccatum, unde talis appetitus circa impossibile non tendit. Ad illud verò, quod additur de conatu censeo istum impossibilem non esse, sed valde laudabilem, quia vitatio illa omnium venialium est solum moraliter impossibilis secundum præsentes vires non tamen secundum vires, quas potest Deus suppeditar, si nos gratia speciali instruat.

Dices denuò etiam Bruta, & res inanimatæ suum esse, suumque conseruari appetunt, cum tamen in ipsis nihil immortale sit.

Sed contra est, quia ut optimè hic aduertunt Conimbricenses res aliæ rationis expertes ad ipsam æternitatem sua desideria non dirigunt, vel extendunt, sed solus homo, cuius appetitus longe nobilior est, sicuti longe perfectior est cognitio ipsius regulatiua.

Sed tertiò, & vltimò remanet probanda conclusio ratione potissima Diui Thomæ, quam placet sic exponere Forma quæ est incorruptibilis, tum per se, tum per accidens est penitus incorruptibilis, nullus enim alter est corruptionis modus possibilis; atqui Anima rationalis utroque modo est incorruptibilis; ergò &c. Probatur Minor. Forma per se subsistens utroque modo est incorruptibilis, per accidens, inquam, quia hæc est corruptio per ablationem subiecti, à quo non dependet forma in esse; tum per se, nimirum per ablationem causæ formalis, quia est forma simplex, adeoquè non composita ex materia, & forma, sed Anima rationalis est forma per se subsistens, vel independens à materia, sicut ejus intellectio, independens est ab eadem, & ipsam excedens, ergo neutro modo corrumpi poterit. Remanet itaquè, quod solum esse ammittate possit per suspensionem influxus causæ efficientis, quatenus ab illo dependet existentia Animæ; sed huius remotio, vel suspensio solum annihilationem animæ rationalis imputaret, quæ non negatur, ergo &c.

Vidit Scotus rationem hanc, & ut ipsius vim eneruet respondet primo *tò subsistere* triplici gaudere posse sensu. Primus præsefert non inhærentiam alteri. Secundus circumscribit existentiam Compositi. Tertius verò dicit omnimodam independentiam à materia. In primò sensu, si tale vocabulum intelligatur, affirmat ex ipso nihil probari, cum etiam aliæ formæ substantiales modum illum essendi habeant, quæ tamen incorruptibiles non sunt. Secundus falsus est. Tertius verò, qui ad rem faceret, negatur, quia pro statu corporis ipsa dependet ab eodem tanquam ab eo, à quo accipit species; oportet enim intelligentem phantasmata speculari. Quinimmò addit Mastrius optimè compari independentiam in forma rationali à materia in operando, cum eius inseparabilitate naturali ab eadem, vel dependentia, uti patet in calore ageote in aqua calida, qui simul independens est in operando ab ipsa, & naturaliter inseparabilis.

Contra est, & in primis, in tertio sensu vocabulum subsistere authumo, & defendo; contra quem nil solidi objectat hic egregius Scotista ex Scoto. Exemplum enim caloris operantis in aqua tō urget, cum etiam hic agat dependenter ab aqua passivè concurrente per eiusdem receptionem, nisi dicere velimus, ideo ex ipsa independentia caloris in operando non sequi independentiam in essendo, quia talis modus operandi accidentarius est ipsi, connaturalis verò oppositus; At verò Anima rationalis agit ex sua essentia independenter, & per se ab ipso corpore, sicuti ex sua essentia eius operationes elevantur supra omnes alias.

Nec obstat dependentia, quam refert Mastrius, quia hæc vnicè est, vel tanquam à puro proponente, & ministrante, uti fert sanior schola, vel non est in omnibus cognitionibus. Plura siquidem sunt, quæ anima independenter à sensibus cognoscit, ut alibi diximus, explicando principium illud: *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, immeritò receptum à scholasticis. Sed de hac dependentia Animæ ratione status alibi erit sermo.

Responder secundo Dupasquier rationem substantiæ, & subsistentiæ non impedire corruptibilitatem. Homo enim est substantia, & subsistens completè, & tamen incorruptibilis non est. Sed

Contrà est. Auctor enim hic non percipit propositam Divi Thomæ rationem; Non enim sanctus Doctor ex ratione substantiæ utcumque, vel subsistentiæ infert incorruptibilitatem formæ rationalis, sed ratione utriusque simul cum formæ simplicitate, & spiritualitate. Quoties enim forma simplex est, & spiritualis, nequit desinere per corruptionem, ut hæc secernitur ab annihilatione, uti supra ostensum est. Quod autem asserit non adesse, unde desumantur eius spiritualitas, & indivisibilitas, patet utrumque falsum esse, juxta Auctores Scotistas, & præcipuè iuxta Mastrii doctrinam, qui in Animastica *disp.* 1. *n* 43. venatur animæ spiritualitatem, vel immaterialitatem, ex nonnullis cognitionibus spiritualibus in nobis existentibus, quæ cum esse nequeant, nisi in subiecto immateriali, & spirituali, & aliunde non nisi in Anima sint, iam hæc erit spiritualis, simulque indivisibilis, & inextensa, cum per hanc indivisibilitatem rem spiritualem secerni à materiali velit idem Mastrius.

His rationibus allatis aliæ accedunt videndæ apud Clarissimum virum *Petrum della Primaudaise* in continuatione *Accademiæ Gallicæ*, qui nedum ex cognitione divini numinis, quam pro libito mens nostra sibi efformat, verum etiam ex corporis stru-

ctura, motu, animæque quiete, atque ex eiusdem creatione, ex qua potissimum Animæ immortalitatem venatur. Irrationabile enim est Hominem cætera eminentem, creatum à Deo fuisse sibi solum proponendo durationem periodicam ipsi conferendam, quas omnes rationes, & alias eruditè refert Marsilius Ficinus in sua *Theologia Platonica à lib. 2.* usque *ad* 18. quæ adeo pondere suo, & delectu præstant, ut quænam veritati magis accedat, facilè non sit iudicare.

## CAPUT TERTIUM.

*Diluuntur quædam argumenta aduersæ partis.*

ARguebant aliqui hoc medio contrà me quibusdam in thesibus, dum veritatem propositam, & demonstratiuè probatam Neapolim defendebam. Incorruptibilitas intrinseca Ipsius Animæ rationalis nequit evidenter deduci ex aliquo prædicato sibi intrinseco, ergo erit indemonstrabilis. Antecedens ostenditur. Si ex aliquo intrinseco deduci posset, vel hoc esset ratio formæ, vel substantiæ, vel spiritualitatis; sed in nullo ex his deduci potest, non quidem ex prædicato formæ, quia forma, ut forma est corruptibilis, non ex prædicato spiritualitatis, quia actus vitales spirituales sunt corruptibiles, ergò &c. Quod si dicas inferri ex plexu omnium nimirum ex ratione formæ substantialis, subsistentis, & spiritualis, adhuc contrà instabant hac paritate. Si per impossibile Animalitas & rationalitas seorsim non inferrent esse discursiuum, nec etiam simul hoc idem inferrent; ergò si ratio formæ substantialis, & ratio spiritualitatis seorsim non inferunt incorruptibilitatem, nec simul.

Respondeo stando prævisæ solutioni, ad cuius impugnationem dico non semper tenere illationem à distributiuo ad collectiuum. Plura enim exstant, quæ ratione sui aliquod non inferunt, ipsum tamen collectivè inferunt. Exemplum clarum est primò in ipsa relatione prædicamentali, in qua esto fundamentum diuisum à termino, ipsam nō inferat, infert tamen simul cum ipso; secundò vero in ipsa ratione substantiæ, & formalitate supernaturalitatis, quæ esto non implicent diuisim, repugnantiam tamen dicunt, si simul sumantur, quia in plausibili sententia repugnat substantia creata supernaturalis quidquid sentiat in oppositum Ripalda. Pro omnibus itaque disparitas est quod inferre esse discursiuum provenit à forma ratione sui, adeoque si secundum se non infert, nec simul inferre poterit, at incorruptibilitas non infertur, nisi ex illis simul sumptis, vel ex plexu, quemadmodum hoc evenit in ipsa substantia creata supernaturali implicante ratione totius complexi.

Secundum argumentum nobis proponit soluendum Vasquez, sic arguens. Potest Deus animam rationalem destruere, ergò ab intrinseco erit destruibilis; ergò in ipsa erit capacitas naturalis ad destrui; ergò corruptio erit eidem debita, & connaturalis. Antecedens verum est. Prima Consequentia ostenditur à pari non stat Deum posse rem aliquam producere, & rem ipsam non esse ex se, & ab intrinseco producibilem, ergò etiam non stabit Deum posse rem aliquam destruere, & non esse ab intrinseco destruibilem. Secunda illatio tenet, cum capacitas sit ipsa animæ natura. Tertia illatio paritate hac roboratur Non stat capacitas obedientialis ad aliquem terminum, & istum non esse indebitum ergò etiam non stabit capacitas naturalis ad aliquod, quod illi non sit debitum.

Subtiliter de more retorquet argumentum hoc in materia de Angelis Illustrissimus noster Lodigerius affirmans eodem posse nos pari iure ostendere animam naturaliter posse gratiam ipsam recipere, quod tamen erroneum est. Patet hoc nam anima est ex se, & intrinsecè capax recipiendi gratiam iuxta illud Augustini: *posse habere fidem naturæ est fidelium, habere verò gratia est Christi*; sed hæc capacitas est naturalis, est enim identificata cum Anima; ergò naturaliter poterit recipere gratiam. Pro omnibus itaque in forma distinguo primum Consequens, ergo est ex se destruibilis, hoc est habet non repugnantiam, & potentiam logicam sibi identificatam concedo, habet exigentiam, & inclinationem, nego consequentiam, vel aliter est destruibilis naturaliter, nego, obedientialiter, concedo Consequentiam. Distinctio patet, unde explicatione non indiget.

Tertium argumentum illud est, quod in Collegio Sancti Ioseph quibusdam in Thæsibus fuit propositum. Est autem huiusmodi. Anima rationalis antequam crearetur non exigebat productionem; ergò neque creata exigit conseruationem perpetuam atqui si haberet natura incorruptibilem hanc exigentiam haberet; ergò antecedens à nullo negari potest. Consequentia autem ostenditur, primò, quia nullum jus aquirit aduersus Deum ulla creatura ex vi prioris suæ existentiæ; ergò si anima rationalis ante creationem non exigebat productionem, neque jam creata exigit conseruationem perpetuam. Secundò, quia eadem fuit bonitas animæ rationalis in statu possibilitatis, ac in statu existentiæ: non enim addit eis existentia maiorem bonitatem.

Huic argumento iisdem in Thæsibus exposito respondent aliqui exigentiam illam connaturalem perpetuæ conseruationis in anima rationali non ita oriri ex ipsa anima, ut hæc vi propria per sui existentiam absque ulla dependentia à Deo naturæ auctore aquirat jus aduersus Deum ut perperuò ipsam conseruet, sed solum necessitatem illam naturalem, quam iubit perpetuitatis, originem trahere ex diuina voluntate, quæ eodem tempore, quo ipsi existentiam impertitur, imponit sibi voluntariam necessitatem operandi juxta naturam, & exigentiam ipsi intrinsecam Nihilominus hac ommissa solutione aliam addere placet in eo sitam, quod jus illud perpetuitatis in anima rationali, absolutum non est, sed conditionarum, hoc sensu videlicet, quod si anima rationalis producatur, naturaliter exigat perpetuò conseruari, in quo jure conditionato, quam optimè omnia saluentur, nullus est, qui hoc negare possit; siquidem in exigentia perpetuitatis intelligimus, quod anima sit intrinsecè incorruptibilis; in hoc verò, quod solum sit conditionata, concipimus, quod in Deo remaneat libertas ipsam producendi: in eo tandem, quod ipsa exigentia solum sit connaturalis, concipimus, quod Deo insit potestas, etsi producta sit, ad ipsam destruendam, cum Deus de potentia extraordinaria facere possit aduersus naturam rerum.

Post hæc optabam hic argumenta referre, quæ pro animæ mortalitate ab Epicuri sectatoribus, & potissimum à Lucretio *in lib. 3. de natura rerum* in medium adducuntur, sed cum non minus subtiliter, quam eleganter, & eruditè hæc referat Ioannes Cottunius in suo elaborato Opere *de triplici statu Animæ rationalis disp 7 sect 12.* & nouissimè Michael Angelus Fardella Drepanensis in Patauino Lyceo Astronomiæ, & Metheororum Professor *in sua Animæ*

*mæ humanæ natura ab Augustino detecta*, ideo ommittimus hæc ibi videnda, & præcipuè, ubi Augustinus, & Epicurus invicem pugnantes in medium affert. Unum solum refero, quod dissimulare non audeo illudquè est, quod descriptum lego, ac totum in his continetur Epicuri verbis.

*Huc accedit, uti videamus corpus id ipsum*
*Suscipere immanes morbos, durumque laborem,*
*Sic Animum curat acres, luctumque metumque,*
*Quare participem lethi quoque convenit esse*
*Quin etiam morbis in corporis avius errat*
*Sæpe animus, dementia enim, delirague fatur,*
*Interdumque gravi lethargo fertur in altum,*
*Æternumque soporem oculis, vultuque cadenti,*
*Unde neque exaudit voces, nec noscere vultus*
*Illorum potis est, ad vitam qui revocantes*
*Circumstant lacrymis rorantes ora, genasque*
*Quare animum quoque dissolui fateare necesse est*
*Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi,*
*Nam dolor, ac morbus lethi fabricator uterque est.*

Sed quam infeliciter arguant Epicurei sic arguendo, optimè aduertit hic laudatus Fardella. Ex animi enim humani mutabilitate ineptè infertur eiusdem mortalitas, cum non pugnet immortalitas cum passibilitate rerum creatarum, sed solum ex ipsa inferri potest ipsam Animæ naturam esse finitam, & limitatam; Cum quidquid finitum est, & ab alio factum, passibile, ac mutabile sit. Indemnis etiam saluatur hæc corporis, & animi connexio in agendo, & patiendo, per hoc, quod ex liberrima facientis voluntate immortalis, & incorporeus animus tali lege organico corpori adnectatur, ut animus cogitans corpus immutet, ac perturbet, hoc verò vicissim, dum diversimodè movetur, & afficitur mutationes quasdam in animum inducat.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Utrum omnes Animæ rationales sint æqualis perfectionis essentialis.*

DEtur unicuique quod suum est. In hac controuersia verum est Henricum (quamvis non desint interpretes hoc negantes) utramque sententiam probabilem judicare, nimirum, & docentem animas æquales esse in perfectione, & negantem, uti videri potest *quodlib.* 3. *quæst.* 5. ubi quærens an Christi Anima fuerit nobilior in puris naturalibus alterius anima, & difficultatem extendens ad quamlibet formam spiritualem, siuè materiæ unibilem, ut est forma rationalis, siuè non unibilem, uti est natura Angelorum, post recensitas rationes utriusque partis fatetur se ignorare, quid sentiendum sit judicio rationis inhærendo. Nihilominus ego firmiter judico in affirmativam propendere sententiam, quod colligo ex quibusdam verbis fortuitò lectis *in summa art.* 2. *quæst* 5 quæ sunt: *quantum ad præsens nihil tamen circa hoc determinando, magis apparet esse ponendum, quod hoc non contingit ex dispositione animæ in se, sed ex dispositione corporis, & virium inferiorum, quibus intellectus unitur ad suam operationem, quoad specierum receptionem, ut quando organum phantasiæ, & aliarum virium sensitivarum organa sunt melius disposita, ut imagines puriores, subtiliores, & ordinatiores recipiat, & conservet, quæ per hoc habiliores sunt, ut species intelligibiles ab eis abstrahantur puriores, stabiliores, & ordinatiores, tanto intellectus mediantibus illis certius, & limpidius intelligat; econverso ut quandò ex indispositione organorum imagines impuriores, fluxibiliores, & inordinatiores recipiant, & conservent, à quibus habent abstrahi species intelligibiles impuriores, tantò intellectus mediantibus illis, minus certè, & obtusius intelligit.* Henrico adhærent ex Scotistis Sebastianus Dupasquier *tom* 4. *de anima rationali disp.* 12. *quæst.* 5. existimans Scotum pariter æqualitatem propugnare, & si aliquando inæqualitatem videatur adstruere, vult ipsum loqui non ex propriis principiis, sed solum ex aliorum mente. Adhærent etiam ex societate Hurtado *disp.* 3. § 4. Fonseca 5. *metaph. cap.* 28. *quæst.* 16. Cardinalis Toletus 3 *de anima quæst.* 18. oppositam sententiam docens in fide periculosam esse, Lynceus *lib.* 8. *quæst.* 8 *in animastica*, Bonafoes *lib. de anima dub.* 2. De Quiros *tract.* 6 *de anima disput.* 76. *sect.* 1. & Aversa. Sed hìc ultimus hortor, ut videatur in fonte, cum huius sententia aliquantulum diversa sit, ut optimè Quiros loco relato indicat. Ex Atomistis verò hanc etiam propugnat Gassendus *lib.* 9. *physicæ cap.* 6. cum hoc tamen discrimine, quod hanc æqualitatem, in omnibus reperiri diffentiat, cum opinetur Servatoris animam, Deiparæ, necnon Præcursoris ad majorem perfectionem fuisse evectas, in quo Parisiensibus adhæsisse conspicio.

Ab Henrico tamen diffident quamplures, inter quos ex Scoti alumnis Merinerus *lib.* 2 *dispur.* 2. *quæst.* 4. & novissimè Petrus à S. Catherina *lib.* 1. *de anima disp.* 1. *quæst.* 5. propugnantes Scotum in 8. *met. quæst* 3. sententiam de inæqualitate in perfectione indicare. Ex Societate verò Arriaga *disp.* 1. § 229. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *partem disp.* 50 *sect* 5. § 2 Oviedo *cont* 1. *de anima part* 8. Tellez *disp* 78. *sect.* 4 Albertus *coroll.* 5. *ex principio* 1. *complexo* 1. *num.* 7. Theophilus Raynaudus *tom.* 1. *lib* 4. *sect.* 1. *cap.* 3. de perfectionibus animæ Christi, & tandem ex domesticis Magister Ventura.

### CAPUT PRIMUM.

*Rationales formæ ejusdem sunt perfectionis entitativæ.*

COnclusio hæc suis non est destituta Auctoribus, ut optimè advertit Aversa, referens pro hac Angelicum Præceptorem, quamvis adversa pars S. Doctorem suæ adhærere sententiæ profiteatur. Nobis hìc non suppetit tempus, hoc vocandi in examen, quid nempè docuerit juxta rei veritatem in hac re S. Doctor, sed unicè probandi quod ostendere proposuimus; & ut celerius fiat, primò sic arguo. Si una forma esset entitativè perfectior alia, illa major perfectio, quæ reluceret in una supra alteram, vel esset de ratione speciei, vel extra; neutrum adversa pars affirmare potest; ergo nulla est inæqualitas. Major liquet ex partium sufficienti enumeratione. Probatur itaque minor, & primò quoad primam mihi res certa est, siquidem esse nequit de ratione speciei, id sine quo salvatur tota species, atqui absque illo excessu salvatur tota species, ut patet in illo supposito, in quo est tota essentia rationalitatis, cum tamen non adsit talis excessus; ergo. Nec etiam esse potest extra naturam speciei, siquidem, vel hic sequeretur tamquam proprium, vel tamquam aliquod extrinsecum, & adventitium naturæ specificæ, sed neutrum affirmare potest adversarius; ergo ille excessus nequit extra rationem speciei. Minor est evidens, nam adversarii affirmare nequeunt. Excessum hunc sequi ad naturam rationalem veluti proprium, quia hoc sequi debet uniformiter; ergo si natura rationalis

nalis est æqualis in omnibus entitativè etiam proprietates, quæ sequuntur, æquales esse debent. Nec secundum dicere possunt, quia hoc asserere est formalissimè ipsos incidere in sententiam, quam nos defendimus, aliundè ab ipsis impugnatam.

Huic argumento plausibilis solutio illorum est, qui distinguentes duplicem perfectionem specificam unam, individualem alteram, priorem fatentur in omnibus æqualem esse secus secundam, cui inæqualitati non obstare volunt ipsam identitatem specificam, primò, quia hæc optimè intelligitur per priorem æqualitatem. Secundò, quia de facto forma corporeitatis, qua unus homo constat, non est æquè individualiter perfecta, ac illa, qua alius constat, cum tamen prædictæ formæ sint intra eandem speciem infimam. Sed

Contra est primò. Hæc enim solutio, quamvis plausibilis sit, qua utitur etiã sapientissimus Magister Ventura docens unam formam alteram excedere non in gradu essentiæ, sed solùm secundum gradus perfectionis essentialis, à verò tamen, si benè attendamus, recedit. Ratio est, quia hæc major perfectio, quomodocumque vocetur, videlicet, sive individualis, sive secundum gradus perfectionis essentiæ, est tamen intrinseca naturæ ipsam habenti; ergo jam inter ipsam, & aliam naturam individualem intrinseca adesset inæqualitas; sed hæc diversitatem infert specificam; ergò. Secundò, quia hæc major perfectio individualis convenire nequit uni naturæ comparativè ad aliam in sensu adversariorum. Patet hoc, nam unam formam esse individualiter perfectiorem est excessum perfectionis illi competere, prout forma est hæc in individuo, & non alia; atqui prout forma est hæc in individuo, & non alia, hunc perfectionis excessum vindicare sibi nequit; ergo nequit esse individualiter perfectior in sensu adversæ partis. Ostenditur minor, quia forma prout hæc in individuo, est forma, prout affecta tali hæcceitate, vel in Henrici sententia tali numero existentia, & duplici negatione, in quibus fundamentaliter, & formaliter individuatio consistit, ut in logica diximus; atqui nec secundum existentiam, nec secundum duplicem negationem perfectior intrinsecè individualiter constitui potest: cuilibet enim formæ existere convenit per propriam existentiam, & quidem per modum actus physici, sicuti negatio divisionis in se, & identitatis cum alio; ergò.

Nec obstat exemplum formæ corporeitatis, siquidem inæqualitas omnis, quæ relucet in ipsis formis solum provenit ex diversa dispositione, quam talis forma connotat, atque adeò perfectio est adventitia, ad quam salvandam non occurrit ea difficultas, quæ aliunde viget in sententia, quam impugnamus.

Contra est secundò, siquidem hi gradus perfectionis essentialis intra eandem speciem, vel sequuntur ad ipsam formam specificativè sumptam, tamquam ipsius proprietates, vel ad ipsam, prout est entitativè perfectior; sed nullum ex his affirmari potest, non quidem primum, quia quod sic sequitur, sunt solùm gradus essentiæ, cujusmodi certè non sunt gradus hi perfectionis essentialis juxta partem adversam; præterquamquod id, quod sic sequitur, in omnibus sequitur; ergò cum ipsa natura formæ rationalis sit eadem in omnibus, jam non poterunt gradus perfectionis essentialis potius sequi ad unam formam, quam ad alteram. Nec tandem asserere possunt secundum, quia aliàs hi gradus perfectionis sequerentur ex se ipsis. Patet hoc, quia una forma, ut entitativè perfectior altera, constituitur per hos gradus perfectionis essentialis intra eandem speciem; ergo asserere quod sequantur ad ipsam, ut entitativè perfectiorem, est formalissimè asserere quod sequantur ex se ipsis.

Probatur secundò assertum, quia data hac sententia, cui refragamur, nedum numericè, sed etiam specificè differrent formæ rationales, siquidem esto illi gradus perfectionis essentialis non sint gradus essentiæ, tamen per ipsos verificatur, quod una forma sit essentialiter altera perfectior; sed inæqualitas in perfectione essentiali est illativa indispensabiliter diversitatis specificæ, quamvis non è contra ergo.

Dices primò; magis, & minus non variare speciem, quapropter forma entitativè perfectior potius in uno, quam in alio non infert specificam differentiam, quod maximè verum est, quando minus natum est fieri majus, ut in casu de anima rationali, quæ nata est suscipere, magis, & minus in diversis suppositis, quamvis non in eodem; sed

Contra est multipliciter, & primò; tunc verum est magis, & minus tale non variare speciem, quoties magis, & minus tale ab extrinseco desumuntur; at quando magis, minus sunt aliquod intrinsecum, & essentiale duobus, tunc varietas intervenit specifica. Cum autem in casu major perfectio iuxta adversarios, quæ est in una forma supra aliam sit ipsi formæ essentialis, & intrinseca, sicuti minor perfectio in altera, optimè ex hac inæqualitate infertur diversitas specifica. Secundò tunc magis, & minus differunt specie, quando minus non est natum fieri majus, nec in eodem, nec in diversis suppositis, sed forma entitativè imperfectior residens in uno supposito, etiamsi per impossibile poneretur in quolibet alio, non inde evaderet entitativè perfectior in contraria sententia, nec perfectiorem aquireret operandi modum, cum à perfectiori organizatione hic non desumatur; ergo magis, & minus in casu speciem variarent.

Dices secundo duas formas esse posse inter se inæquales in perfectione retinendo simul identitatem specificam. Patet hoc, nam cognitio de Petro, & Ioanne perfectior est cognitione, quæ sit solius Petri, & quidem essentialiter, cum essentialiter sit repræsentatiua plurium obiectorum; & tamen intervenit inter utramque identitas specifica. Secundò quia stat dissimilitudo absque differentia specifica ut patet inter Petrum, & Paulum dissimiles in unione, & tamen eiusdem speciei. Tertiò quia hæc inæqualitas non esset in ordine ad operationes specie diversas, sed potius ad easdem efficiendas, vel facilius, vel intensius. Sed.

Contrà est. Hæc enim evasio quoad omnes sui partes ad rem non facit. Prima quidem, quia recensitæ cognitiones specie differunt, cum in repræsentatione diversificentur, adeoque in aliquo intrinseco. Cognitio autem duplicis individui, esto essentialiter perfectior sit extensivè, non est tamen intensivè, cum dari possit casus, in quo intensivè perfectior sit cognitio unius tantum individui, in hipothesi, quod hoc cognoscamus actu magis penetrante. Secunda vero, quia esto sint relata individua dissimilia in unione, similia tamen sunt in natura, à qua desumitur identitas specifica. Tertia tandem non urget, quia esto hæc inæqualitas in perfectione entitativa, non ponatur in ordine ad operationes specie diversas, sed ad easdem facilius, & promptius, vel expeditius eliciendas, tamen cum modus hic operandi expeditior in una Ani-

ma potius, quam in altera, esset intrinsecus, & essentialis, nullatenus alteri conveniens, iam semper diversitas adesset intrinseca, & consequenter plusquam accidentalis.

Vltimo probatur Conclusio ex impugnatione præcipui fundamenti aduersæ partis. Si enim adesset aliqua ratio probans hanc animarum rationalium inæqualitatem in perfectione, maximè quia diversi Homines; diversas, & inæquales in perfectione operationes eliciunt; sed hæc ratio nullius est roboris, ergo ex capite relato non subsistit hæc inæqualitas. Maior est Parisiensium, aliorumque ratio præcipua, minor itaque ostenditur eo quia varietas in eodem Homine quoad operationes Animæ rationalis in intelligendo, & discurrendo, quæ intervenit decursu temporis non habet inferre eiusdem Animæ diversitatem, sed refunditur ab aduersariis in variam corporis temperiem, ergo pariter varietas, & inæqualitas in intelligendo, quæ reperitur in diversis Hominibus non erit refundenda in diversa Animæ natura, sed in diversis organizationibus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta Contraria.*

PRimũ argumentũ quod se se offert soluendum, illud est, quod proponit hic Celebris Teophilus Raynaudus loco allegato. Hoc autem sub his terminis exhibet. Possibilitas substantialis inæqualitatis indiuidualis non repugnat. Certum enim est duos actus posse distingui minus, quam specificè, & tamen plus distingui, quam duos alios actus indiuiduos eiusdem speciei, nam v. g duplex actio, qua idem effectus pendet à Petro, affinior est, quam alia specie eadem, qua pendet à Paulo. Et duæ visiones eiusdem numero albedinis, minus differunt inter se, quam duæ visiones, quarum una ad unam albedinem, altera ad aliam terminetur, cum utraque actio connotet essentialiter unum illum numero terminum, quod non habet alia visio. Et quamuis ea affinitas maior, minorque distinctio sit absque inæqualitate quoad perfectionem, ob idem utrobique objectum, & eundem in utraque actione tendendi modum, tamen habetur saltem inde possibilitas discriminis substantialis specifico minoris, & superioris discrimine mero indiuiduali. Inequalitas autem quoad perfectionem poterit discrimini illi conjungi, si una illarum actionum supponatur esse distantior, & expressior, altera verò confusior; nam expressum, & implicitum non variant speciem, & tamen inducunt in cognitionibus inæqualitatem, quæ cum sit minor, quam specifica, rectè appellatur indiuidualis.

Confirmat hoc argumentum ex eadem Societate Bernaldus de Quiros Si unum indiuiduum non esset alio perfectius, ideo esset, quia maior distantia unius indiuidui à specie, quam alterius facit nouam speciem; sed hoc non verificatur; ergò. Major potissimam continet rationem pro Thesi insinuatam. Minor autem probatur. Major distantia unius speciei secundum suam differentiam à genere, quam alterius, non facit nouum genus; ergo major distantia unius Indiuidui à specie, quam alterius non facit nouam speciem. Hæc consequentia certa est, nam quemadmodum est contra indiuiduationem differre in prædicato essentiali, ita est contra speciem differre in prædicato plusquam essentiali; sed nihilominus stat, quod aliqua species plus distet à ratione generica, quam alia, & adhuc sit eiusdem speciei; ergò etiam stabit, quod aliquod indiuiduum plus distet à specie, quam aliud, & simul sit eiusdem speciei. Probatur itaque antecedens. Si Major distantia unius speciei à genere, quam altera, faceret nouum genus distinctum à priori, jam nullum genus infimum posset continere tres species inæquales in perfectione, puta, ut una esset perfecta, ut duo, altera ut tria, quia genus haberet sub se aliud genus; sed hoc affirmari nequit; ergò.

Resp. in hoc argumẽro nihil esse, quod vim habeat. Concedo enim inter actiones recensitas adesse modo majorem, modo minorẽ affinitatem, vel quia in quibusdam habetur identitas termini, & principii, in aliis verò solum identitas termini, non verò principii, vel principii, non verò termini. At, quod nego est ex actionibus à formis eiusdem speciei prouenientibus unam esse posse alia perfectiorem attenta ipsa forma specifica ad indiuiduationem contracta. Quod autem additur inæqualitatem in perfectione conjungi posse iisdem actionibus, sicuti conuenit inæqualis affinitas, opinor hoc contingere non posse, quantum est ex parte formæ actiuæ specificæ. Quapropter si eueniat unam actionem, v. g. visionem unius, distinctiorem, ac expressiorem esse alia, hoc contingere arbitror ex organizationis inæqualitate, quod nedum non implicare etiam eruditissimus, & sapientissimus arguens propugnat, verum etiam congruentius à diuersitate organizationum haberi asserendum est. Videmus enim sensationes perfectiori modo aliquando fieri à Brutis, quam ab homine, ut superius monuimus, & de visione oculari penitus euidens est, cum Aquilæ visio longè excedat alteram hominis. Incredibile autem est, quod si ab anima proueniret in Aquila excessus visionis ocularis, hic ita esset in Brutis, ut homo: ipso perfectiori gradu visionis careret, cum homo, perfectius principium vitale includat; unde de primo ad ultimum videtur dicendum quamlibet diuersitatem operationis in graduali perfectione refundendam esse in diuersitate organizationis. Sic enim asserendo superior ratio cum aliis, amplius non urget, cum organizatio in Brutis ad quasdam obeundas operationes sensitiuas aliquando perfectior sit, quam in homine, sicuti diuersa est virtus seminis ad corpus organizandum concurrens

Ad confirmationem verò omissa arguentis solutione, negandum est antecedens, & suppositum, falsum enim est unam speciem, qua species est, secundum suam differentiam plus distare à genere, quam distet alia; siquidem species, qua talis, vel est natura, quæ subijcitur generi (loquimur hìc de specie relatè ad genus, de qua solum procedit argumentum) vel de qua genus prædicatur: in qualibet autem acceptione ex his, nequit una species magis distare à genere, quam altera; non enim certè species perfectiorem differentiam preseferens, vel magis subiicitur generi, vel genus magis de ipsa prædicatur.

Arguunt secundò alii promiscuè, & primò, quia hæc inæqualitas in perfectione indiuiduali cum identitate specifica manifestè constat in forma corporeitatis perfectiori, quæ ideo connotat in se ipsa perfectiores dispositiones, quia est in se indiuidualiter perfectior, quam sit alia. Secundò, quia videmus unum numero ignem esse altero calidiorem, etsi in quantitate materiæ æquales sint, itaut perfectior Calor ab uno igne consequatur, quam ab alio; sed hoc euenire nequit, quin unus ignis in perfectione indiuiduali sit alio perfectior. Præstantia

tia enim effectus causæ immediatæ naturalis,& non impeditæ solum ex præstantia, & majori perfectione ejusdem causæ prouenire potest; ergò. Tertiò, quia de facto qualitas intensa, intrinsecè perfectior est remissa, ipsi dissimilis, cum tamen ad eandem spectent speciem, sicuti unus gradus est alio perfectior. Quartò visiones beatæ sunt ejusdem speciei; sed nihilominus inæquales sunt in perfectione, quia inæquales in intrinseca claritate juxta luminis inæqualitatem; ergo stat ideotitas specifica cum inæqualitate in perfectione.

Quintò, quia saltem Inæqualitas in perfectione inter animam Christi, & aliam quamcumque est inoegabilis. Videtur namque decuisse, ut Christo domino anima valde bona, & optima, ceterisque individualiter perfectior præberetur. Quandoquidem ex anima compactum erat tam nobile compositum, & ipsi Deo tam conjungenda proximè, & arctè colliganda erat. Hoc enim dumtaxat argumento in plerisque ad Christum attinentibus contenti esse solemus, ut probemus ea verè facta esse diuinitus; unde non minus prudenter, ac sapienter defensores æqualitatis in perfectione intrinseca, & essentiali, inter Christi animam, & Iudæ fuerunt proscripti à Doctoribus Uniuersitatis Parisiensis.

Respondeo ad singula, & ad primum ex superius dictis satis solutio constat. Ad secundum verò nego unum ignem alio calidiorem esse. Calor enim in summo cuilibet igni convenit. Quod si calor magis sit sensibilis in uno, quam in alio hoc contingit propter diversam materiæ dispositionem, in qua est ignis forma ex qua diversitate fit, quod reddatur magis sensibilis. Ad tertium verò dicendum est qualitatem intensiorem, perfectiorem esse remissa, non specificatiuè inspectam, sed reduplicatiue, vel per præcontinentiam remissæ.

Ad quartum vero disparitas duplex esse potest. Prima est, quia inæqualitas illarum visionum, qua muis intrinseca non oritur ab exigentia intrinseca visionis, sed ab extrinseco, nimirum ex maiori lumine conferente maiorem claritatem in visione, ità ut quælibet visio intuitiua non exigat inæqualitatem claritatis, sed unicè præsentiam obiecti per se ipsum, ut docet Doctor. At vero in hipothesi illa maior perfectio esset oedum intrinseca, sed etiam exigita à tali forma rationali. Secunda verò est, quià visiones illæ non obstante inæqualitate in perfectione, habent idem obiectum formale, vide licet divinam essentiam, pro ut ab attributis, & relationibus distinctam; ab obiecto autem motivo desumitur in cognitionibus identitas specifica, vel diversitas. In formis autem essentialibus colligitur ex essentiali convenientia, vel disconvenientia identitas, vel diversitas specifica; Esset autem dissimilitudo essentialis in Aduersariorum sententia inter unam, & alteram formam rationalem, & consequenter diversitas specifica.

Quintum verò, & ultimum facilis est solutionis. Etenim, si aliquid probat, ostendit etiam materiam primam in Christo Domino perfectiorem fuisse, quam in Juda, quia pariter videtur decuisse, ut Christo materia perfectior tribueretur. Quod si inconveniens non est materiam sceleratissimi hominis æqualem fuisse materiæ Christi, nec quoque inconveniens erit loquendo de anima, eo vel maximè, quod Christi anima adhuc in quamplurimis excellit omnem aliam, cum dona supernaturalia ipsi concessa, nulli alteri conveniant, uti certè fuit gratia ipsa unionis hipostaticæ, vi cuius factum est, quod proximè impeccabilis redderetur atque aliis afficeretur donis de quibus diffusè Theologi in materia de Incarnatione. Ad id autem, quod additur de decreto Parisiensi non una est solutio apud auctores ex Scotistis Ioannes Gabriel Boyuin refert 3. *parte Physicæ de corpore animato* Doctores Sorbonicos solum determinasse animas esse inæquales, nihil tamen definiendo de modo, quo inæquales essent. Verior tamen solutio est *Parisienses Articulos ultra sequanam non transire*, quia decreta Sorbonæ, nec omnia, nec ubique sunt recepta. Etenim decreuerunt etiam Romani Pontificis infallibilitatem non esse extra Concilium, necnon huius superioritatem supra Christi Vicarium, in quo tamen errauerunt.

Tertium argumentum illud sit, quod promouet noster Magister Ventura, ut suam firmet sententiam, quam cum pluribus conetur firmare argumentis, præcipua breui calamo refero, & primò semel posito, quod animæ sint æquales in perfectione, consequitur, quod anima Christi, & Iudæ æqualis essent perfectionis, unde anima Christi optimè potuisset esse in Iuda, & viceuersa. Hoc autem implicat, sicuti repugnat animam primi Prædestinati, uti est anima Christi esse nequissimi proditoris, uti est illa Iudæ. Secundò, quia hæc inæqualitas in perfectione, adeo certa est, ut etiam Theologi hanc supponant, dum inquirunt, an Intellectus perfectior cum æquali lumine perfectiorem efficiat visionem, ut propugnat Molina cum Scoto, & Scotistis; an verò æqualem, ac eliciat alius minoris perspicacitatis. Tertiò, quia organa ad Intellectionem solum concurrunt subministrando materiam, & objectum intellectionis. Anima verò concurrit formaliter depurando species, quas organa suppeditant; ergò jam excessus in perfectione, qui reperitur in unica cognitione comparatiuè ad aliam animæ in eadem specie habenti majorem gradualem perfectionem, sed nullum ex his sententiam nostram impugnat. Non primum, quia nulla est repugnantia in hoc, quod anima Christi in puris naturalibus sit in Iuda, nec sequitur, quod Anima primi prædestinati esse potuisset anima proditoris, siquidem in anima Christi in solis naturalibus inspecta, non intelligitur prædestinatio, cum nullum intelligatur donum gratuitum, aliàs anima non acciperetur in puris naturalibus. Nec huic officiunt solutioni quamplures Instantiæ, quas addit Sapientissimus Magister Angelus Maria Ventura, quia in istis fit semper transitus ab anima Christi, prout verbo unita, ad eamdem animam in puris naturalibus inspectam. Secundum verò solutur, si legitimus controuersiæ sensus, quem Theologi mouent, proponatur. Eius itaque sensus est, utrum in hypothesi naturalium inæqualium, visionis inæqualitas ab illorum inæqualitate desumi posset, non obstante æqualitate luminis, in cuius difficultatis Epigraphe, ut vides controuersia oritur ex suppositione, quod purificaretur hæc, vel illa conditio. Est enim hæc difficultas alteri homogenea, quæ pariter proponitur in eodem tractatu, an videlicet, si Beati viderent omnia, quæ eminenter in Deo sunt, Deum comprehenderent, vel alteri, quomodo videret Deus futura, si hæc talia essent, etsi in Deo nullum esset decretum.

Tertium verò adeò facilis est solutionis, ut Theophilus Raynaudus eidem cum nostro Ventura subscribens sententiæ fateatur inefficaciter inæqualitatem animæ colligi ex diversis eiusdem operationibus. Sic enim habet. *Sententiæ huius mihi probationem non placet petere, unde passim eam petunt, qui inæqua-*

*qualitatem individualem animarum agnoscunt: nempe ex disparitate ingeniorum, & Inclinationum diversitate inæquali. Facilè quippe est disparitas, & diversitas alio referri potest, quam ad individualem animarum inæqualitatem. Ob diversam enim corporis dispositionem experimur nos uno tempore, & in una ætate acutiores, & subtiliores esse, in alia verò hebetiores.* Nec obstat, quod organa solum concurrant per modum Instrumenti, quia etiam ex sola instrumenti inæqualitate, consurgere potest diuersa operatio, sicuti consurgit in artefactis. A duobus enim in eadem arte æqualiter peritis diuersum artis opus haberi potest ob solam instrumentorum inæqualitatem. Quod si ex diuersitate operis artis, infertur perfectiorem esse in uno artem, quam in alio, hoc contingit, quia nulla est repugnantia artem in uno perfectiorem esse, quam in altero. At verò repugnat unam formam substantialem altera perfectiorem esse ratione sui propter superius dicta, unde opus internum perfectius ipsi tribui nequit. Sed

Dices primò Anima separata retinet illud magis intelligere, quod habebat in statu coniunctionis, uti etiam Henricus *in summa art. 2. quæst. 3. num. 12.* docens animam non posse perfectè veritates rerum videre nisi sit à corpore separata; atqui si solum proveniret ab organizatione perfectiori hac deperdita, & illud anima deperdere deberet; ergò

Respondeo illud magis intelligere retinere propter perseuerantiam specierum, vel habituum quos, dum erat corpori copulata, aquisiuit. Propugno enim aduersus Pontium *disp. 10. de anima separata quæst. 1. & 2.* animam separatam retinere species, quarum perseuerantiæ non obstat ipsarum dependentia ab obiecto Phantasticè proposito, quia esto dependeat ab ipso in fieri, non tamen dependet in facto esse.

Sed Instabis denuo. Perfectius intelligere animæ conueniens, refundi nequit in perfectiori specie, quia hanc propugnamus esse eiusdem rationis in omnibus, unde alibi dicimus, nec Aquilam perfectius videre solem, quam videat homo, nec hominem perfectius videre, quam videat Noctua, quia perfectiori specie solia Aquila supra hominem, & Noctuam gaudeat.

Respondeo me superius in prioris Instantiæ solutione sufficienter satisfecisse dicendo perfectius intelligere contingere in anima separata, vel ob perfectiores species, vel perfectiores habitus. Ad veritatem autem disiunctiuæ summulistæ docent sufficere, quod una pars vera sit.

---

# DISPUTATIO SEXTA.

## De Intellectu Animæ rationalis potentia.

## CAPUT UNICUM.

*Affertur breuis notitia Intellectus, eiusque actuum.*

NE in euodem incidamus errorem, in quem Cartesium incidisse deprehendimus *parte 12 principiorum num 32.* sub diuersis disputationibus, nobis placet hic exponere, quæ ad ordinem intellectiuum, & volitiuum pertinent, Intellectui tribuēdo, quæ ordinis intellectiui, voluntati verò, quæ volitiui. Hoc enim non fecisse Cartesium manifestè deprehendo *parte 1. princip. Phil. num. 19. ubi docet non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire, idem esse, ac cogitare*, & hoc, quia existimauit, *quod sentire, imaginari, & pure intelligere sint tantum diuersi modi percipiendi; ut & cupere, auersari, affirmare, negare, dubitare sunt diuersi modi volendi*. Ut itaque nos cum ordine procedamus, prius de intellectu agendum est. Hic autem in tota sua latitudine *est potentia spiritualis omnis veri cognoscitiua*; humanus verò prò statu corporis *est facultas spiritualis cognoscitiua omnis veri ad præsentiam phantasmatum*, à quibus dependentiam prò statu Corporis Animam in intelligendo habere docent nonnulli, ut alibi retulimus. Hic alius est Theoreticus, vel speculatiuus, acquiescens nimirum in obiecti contemplatione, alius verò practicus, vel qui versatur circa veritates practicas ad opus sua natura ordinatas.

Huius potentiæ actus est ipsa cognitio vitalis, nempè obiecti perceptio, quam Philosophi diuidere in plures species una simul cum Theologis solent. Alia enim est directa, reflexiua altera, abstractiua una, intuitiua alia, quarum omnium cognitionum naturam alibi indicauimus. Alia verò est comprehensiua, de qua ex Augustino quamplura dilucidè exposuerunt Theologi, & nouissimè exposuit noster Lodigerius, decus Præsulum, Theologorum splendor, ingenio ratus, morum probitate celebris.

Nonnullæ aliæ afferri possent cognitionum species, sed quia omnibus notæ sunt, eas reticemus, & præcipuè notissimam diuisionem cognitionis *in matutinam, atque vespertinam*, ex quibus prima est, per quam res cognoscuntur in Verbo Diuino, secunda, qua res in se ipsis videntur, quibus non caruisse Angelos censet Augustinus *lib. 11 de Ciuit. Dei cap. 7.* sed his ommissis, quæ spectant ad ordinem intellectiuum examinandum suscipimus.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum detur Intellectus agens.*

SEntentia affirmatiua quæ nunc plausibilis est apud Thomistas Henricistas, Scotistas, & Neotericos, non fuit tamen apud Priscos Philosophos, qui ut eiusdem existentiam tollerent, specierum infusionem fieri authumabant, vel ab ipso Deo immediate, qui ab eterno animas cum speciebus produxerit, vel ab ipsis intelligentiis, Inter quos extitisse Alexandrum *lib 2 de anima* Averroem, Auicennam multosque Arabes, nec non Platonem communiter credi solet. Hoc tamen mihi certum est in hac re noviter errasse Petrum Gassendum *in Physica sect 3. cap. 3. de functionibus animæ rationalis*, ubi, dum cum Iulio Scaligero Intellectum agentem à rerum natura abradere conatur satis sufficienter ostendit eiusdem penitus ignorasse naturam, dum agentem omnia agere existimat, patientem verò Intellectum nihil, sed solumodo passiuè se habere opinetur: cuius sententia ut non obscurè omnibus innotescat, sciendum est ipsum velle facultatem Intellectiuam ipsa Phantasia superiorem in statu coniunctionis cum corpore in eadem Phantasmata obiecta percipere, itaut tamen ex Imaginatione perceptis ea possit deducere, quæ Imaginari Phantasia non ualet. In statu verò separationis cognitiones anima efformat, quia Deus Angelorum instar, indit species rerum, quas nosse eius interest, siue ignoratæ in corpore fuerint, siue illæ sint, quarum cognitarum meminisse sit opus. Hanc autem

non

non ita propugnat, ut eiusdem solum propriam eſſe velit, cum etiam quibuſdam tribuat *Ariſtotelicæ Familiæ* præſtantiſſimis Theologis, quos inter Henricum noſtrum recenſet *in Quodl.* 9. non aduertens ibi ſolum doctorem excludere cum Thomiſtis poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ, quæ propria ſit ipſius Dei. Hæc eſt vera Epicureorum ſententia, quam in hac parte ſequi Petrum de Hurtado *diſp.* 5. *de anima ſect* 5. fert Lynceus ex eadem ſocietate *lib.* 7. *metaph. tract.* 3. *num.* 3. His autem ſuppoſitis ſit.

## CAPUT PRIMUM.

*Soluitur difficultas in Sententia Henrici.*

Omninò certum eſt Henricum poſuiſſe intellectus agentis exiſtentiam, præcipuè ſi ea legamus, *quæ art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 5 habentur, ubi ſimul rationem à priori reddit, cur neceſſarius ſit intellectus agens, quam referre hic placet tanquam poſitæ thæſis præcipuum fundamentum, & quidem ſub hac forma. Intellectus creatus non valet intelligere, niſi detur obiectum motiuum proportionatum movens intellectum ad obiecta intelligenda, ſed hoc dari nequit, niſi ponatur intellectus agens, ergò &c. Maior eſt certa, nam Intellectus non ualet intelligere, niſi detur principium adæquatum intellectionis; ſed abſque obiecto motiuo hoc principium non habemus; hoc enim conſtituitur teſte Auguſtino *ex obiecto, & potentia*, ergò &c. Secundò quia intellectus intelligere nequit, niſi habeat apud ſe obiectorum ſpecies, quæ intelligit; ſed ſpecies intelligibilis, eſt ſpecies obiecti motiui, immò ipſum obiectum motiuum (obiectum enim qua terminatiuum non exercet munus ſpeciei intelligibilis) ergò intellectus non ualet intelligere, niſi moveatur ab obiecto motiuo. Oſtenditur itaque minor. Obiectum motiuum movere nequit intellectum, niſi ſit actu intelligibile. Quod enim eſt tantum intelligibile in potentia, improportionatum eſt ad movendum, cum adhuc ſit in materia immerſum, & remotè tantum intelligibile; ſed obiectum motiuum non eſt actu intelligibile, niſi per intellectum agentem, ergò obiectum motiuum dari nequit, niſi detur intellectus agens. Probatur minor, nam munus intellectus agentis, eſt reddere intelligibile in actu, quod erat intelligibile in potentia.

Hæc eſt præcipua ratio, qua Henricus propugnat intellectum agentem, quam ſub his verbis expreſſit: *oportet ergò ponere virtutem aliam exiſtentem in actu, quæ intelligibilia in potentia faciat intelligibilia in actu, ut poſſint actu movere intellectum poſſibilem. Hæc autem eſt vis, quam appellamus intellectum agentem, qui ponitur altera potentia Animæ cum poſſibili, ut poſſibilis intellectus ſe habeat ad intelligibilia, ſicuti perſpicuum eſt in medio, & organo ad colores, & agens ad omnia iſta, ſicut lux:*

Secunda ratio fundamentalis huius aſſerti ab Angelico Præceptore *prima Parte quæſt.* 54. *art.* 4., *& quæſt.* 79. *art* 3. *& ſecundo contra Gentes cap.* 76. deſumitur, quæ tota in hoc brevi ſylogiſmo continetur. In quocunque genere, in quo datur potentia paſſiua, debet dari, & activa, quæ paſſiuam reducat ad actum; Sed in linea intellectiua datur intellectus poſſibilis, vel paſſibilis, ergò debet dari etiam potentia actiua, quæ eſt ipſe intellectus agens.

Tertia verò, & ultima ratio, Scoti eſt, à poſteriori oſtenſiua Henrici ſententiæ. Hæc autem ſic procedit. Datur ſpecies impreſſa, ergò dari debet cauſa productiua talis ſpeciei, ſed hæc eſſe nequit, niſi intellectus agens, ergò &c. Probant Scotiſtæ minorem ſubſumptam per excluſionem cuiuſcunque alterius, quod aſſignari poſſit pro principio talis ſpeciei; & in primis dicunt affirmari non poſſe ipſam produci ab Intellectu poſſibili formaliter tenro, quia hic habet ſolum recipere ſpeciem, non verò ipſam producere. Huius enim tota actiuitas eſt in ordine ad productionem Verbi, & cognitionis. Secundò affirmari non poteſt ipſam ſpeciem produci à phantaſmate, quia hoc longè inferioris conditionis eſt relatè ad ipſam ſpeciem impreſſam, in qua eſt formalitas ſpiritualitatis cum obiecti repreſentatione ſub ratione uniuerſali, quæ omnia non adſunt in phantaſmate. Nec tandem affirmare poſſumus ſpecies infundi in Animæ rationalis creatione, cum huc uſque hoc non ſit auditum in Scholis, ergò dicendum eſt principium productiuum ſpecierum eſſe intellectum agentem.

## CAPUT SECUNDUM.

*Soluuntur Obiectiones.*

Arguit primò Gaſſendus. Intellectus agens, ſi adeſſet, eo vel maximè daretur, ut ſpecies produceret in Intellectu; ſed hæc ſpecierum productio intellectus agentis ope impoſſibilis eſt; ergò. Minor oſtenditur, & primò hæc productio fieri non poteſt per hoc, quod Phantaſma res merè corporea tranſire ſe alterando poſſit in ſpeciem incorpoream: neque enim dici poteſt Phantaſma huiuſmodi ſpeciem continere potentia, eo ſcilicet modo, quo dicunt materiam continere formam, ut pari ratione ex eo educatur; quoniam ſi poſſet res incorporea ex potentia corporea educi, tum poſſet mens quoque, ſeu rationalis anima educi ex ipſa materia, quod Patres omnes, & præcipuè Auguſtinus reprobat *Epiſtola ad Optatum* 157. aduerſus Julianum. Non poteſt etiam dici ſpecies incorporea fieri intellectus agentis virtute, ad ſimilitudinem corporeæ, ut idem repreſentet intellectui poſſibili, quod Phantaſma Phantaſiæ; quippe rei partes habenti ſimilis fieri non poteſt res, quæ omnino partibus careat; Neque dici poteſt, quo pacto agens Intellectus videre ipſum Phantaſma valeat, utcumque Phantaſma illuſtret, quo illius inſtar ſpeciem effingat incorpoream, niſi eius ſpeciem præacceptam habeat, quæ eſſe tamen nulla poſſit, non corporea certè propter ſubiectum incorporeum: non item incorporea, quod talis non ſit, niſi poſtquam ab intellectu fuerit producta. Non rurſus poteſt intellectus creare illam, quia hoc opus eſt omnipotentiæ.

Hoc argumentum, ut ſoluatur petit, ut aſſignetur modus, quo Phantaſma concurrit ad productionem ſpeciei impreſsæ, quod ut expeditius fiat omiſſa ſententia Suarezii, quam firmat *lib.* 4. *de anima cap.* 2. *num.* 12. docentis concurrere in genere cauſæ materialis, ſubminiſtrando videlicet materiam, ex qua, veluti ex exemplari efformari poſſit ſpecies impreſſa, cuius ſententiam reprobat ex Thomiſtis Inſignis Ioannes à S Thoma *quæſt.* 10. *art.* 3 *de intellectu agente, & poſſibili*, dicendum eſt concurrere in genere principii effectiui, & quidem inſtrumentalis juxta plauſibiliorem, Thomiſtarum ſententiam, quam ſequitur relatus Thomiſta. Ad hunc autem non obſtat ipſa Phantaſmatis materialitas, quia non concurrit, qua materialis eſt, ſed qua immago, & obiecti ſimilitudo materialitate per accidens, & materialiter ſe habente ad concurſum, ſicuti in

Physica se habere diximus excessum unius formæ in perfectione supra aliam in ordine ad appetitum materiæ. Ex quo infertur, quod species impressa producta, estò spiritualis, optimè sit ad similitudinem corporeæ, estò materialis sit.

Arguunt secundò aduersarii. Tota ratio admittendi intellectum agentem, est, ut obiectum reddatur proximè intelligibile, & proportionatum ad intellectum secundandum, sed hæc ratio non ostendit sufficienter existentiam intellectus agentis, ergò &c. maior est doctrina Henrici superius insinuata. Minor ostenditur. Obiecta materialia fiunt proximè intelligibilia in intellectu Angelico per eorum species, quamuis in ipso non sit intellectus agens; ergò proxima intelligibilitas non infert intellectum agentem.

Ut huic argumento fiat satis, referenda est hic quædam Doctoris Controuersia, quam discutiendam sibi proponit *quodlib. 5. quæst. 14.* videlicet, an intellectus Angeli intelligat alia à se per suam essentiam, an per rerum similitudines, seu species; quam difficultatem dirimit docendo Angelos intelligibilia non percipere mediis speciebus à Deo impressis in Angelorum creatione, & hoc aduersus Scholam Diui Thomæ, cuius fundamentum præcipuum est, quia semel data necessitate specierum à Deo impressarum ad intelligendum, cum intellectui Angelico conueniat intelligere singula naturaliter intelligibilia, jam species infusæ essent infinitæ, sicuti Infinita sunt, quæ intelligi possunt ab eodem intellectu, quod totum ulterius firmat Doctor, eo quia si unus Angelus intelligens unam essentiam, non potest illam intelligere, nisi media sua specie, qua informatur, ergò eodem jure non poterit intelligere secundam, tertiam, quartam, quintam, aliasque quidditates in infinitum, nisi mediis speciebus infusis talium essentiarum, atqui intellectus angelicus taliter cognoscit unam essentiam, ut ordinatim post illam, aliam, & aliam cognoscere possit, ita ut non sit assignabilis una essentia, quam ita cognoscat, ut aliam, & aliam cognoscere non possit, ergò ita erunt species in intellectu angelico, ut non sit assignabilis certus numerus ipsarum, adeoque erunt infinitæ.

Huic rationi accedit alia pariter Henrici, propter quam denuò reprobat harum specierum existentiam in intellectu angelico. Hæc autem in eo consistit, quod intellectus speciebus instructus, infinita simul intelligere deberet, aut saltem posset. Patet hoc, quia ab agente necessario bene disposito non potest non prouenire illa operatio respectu cuius intelligitur agens necessarium, & benè dispositum, atqui intellectus angelicus informatus speciebus, est agens necessarium, & dispositum, ergò si haberet in se species omnium rerum deberet omnia intelligere, sed species aliundè essent infinitæ, ut superius dictum est, ergo deberet intellectus Angeli simul infinita intelligere, quod affirmari nequit obstante finitate, & limitatione virtutis cognoscitiuæ.

Hæ sunt rationes, quibus reprobat Doctor species in intellectu angelico, quæ tamen faciliter à Thomistis solutæ inueniuntur, uti in materia de Angelis diligentiori examine videbimus. Interim pro solutione argumenti juxta nostra principia pro certo tenendum est Henricum ponere in intellectu Angelico habitum quemdam scientialem connaturalem intellectui, à Deo concreatum, & omnia intelligibilia respicientem, quæ virtualiter continet. Per hunc enim vult Doctor intellectum angelicum omnia cognoscere, ut ex his verbis apparet: *idcircò dicimus simpliciter, quod id, quod apud intellectum angelicum, ut est intellectiuum, quod ex parte intelligibilis præsens intellectui, in quo præsens est ei ipsum intelligibile, non tamen, ut ei inhærens per illud; sed ut præsens, & insistens obiectiuè in illo, est habitus scientialis sibi connaturalis, & à Deo naturaliter concreatus ad intelligendum sub ratione intelligibilis suam essentiam, & cuiuslibet alterius creaturæ, & uniuersaliter, quidquid naturali cognitione cognoscibile est in creaturis:* Per quæ patet in Henrici Schola ad argumentum disparitatem esse, quod in intellectu angelico adest habitus quidam scientialis infusus, vi cuius constituitur intellectus in actu intelligendi, & obiectum intelligibile fit præsens intellectui, undè nil mirum quod in Angelo sit superfluus intellectus agens: At cum in intellectu humano, non detur hic habitus scientialis, nec aliundè ei species rerum infusæ sunt, ut impiè affirmauit Plato existimans ab eterno animas fuisse productas simul cum rerum speciebus, ideò in ipso adstrui debet intellectus agens, vi cuius reddatur obiectum actu intelligibile, & intellectus ipsæ fæcunderur per speciei impressæ productionem. Quod si juxta Scoti mentem nos respondere cupias argumento, negandum est antecedens. Scotus enim *dist. 45. quæst. 2. num. 2. & 5.* sustinet etiam in Angelis intellectum agentem: nec obstat specierum infusio, primò quia gratis recurrimus ad hanc infusionem, cum hæ species haberi possint virtute principii intrinseci. Secundò, quia hæc infusio, etsi detur, nullatenus tollit existentiam intellectus agentis, ut patet in Christo Domino, in quo simul cum speciebus infusis adesse intellectum agentem omnes testantur.

Tertiò, & ultimò arguunt alii. In potentiis materialibus non distinguitur potentia activa speciei productiva à receptiua eiusdem, ergo à pari in potentiis spiritualibus distingui non debet potentia actiua productiua speciei impressæ à receptiua. Consequentia patet paritate rationis.

Respondeo verum esse in schola peripatetica non distingui in potentiis materialibus sensum agentem à patiente. Et ratio communis est, quia species illa materialis emmissa ab obiecto proportionata est potentiæ, ad hoc ut ipsa exeat in exercitium, unde nulla est necessitas ponendi sensum agentem, vi cuius reddatur proportionata potentiæ. At Phantasma improportionatum est in ordine ad potentiam intellectiuam propter sui materialitatem, undè necessarius est intellectus agens, ut speciem proportionatam exhibeat intellectui; quemadmodum quia intellectus est improportionatus ad visionem beatificam improportione orta ex defectu virtutis supernaturalis, exigitur concursus comprincipii superioris ordinis potentiam intellectiuam elevantis.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Quomodo distinguantur inter se intellectus agens, & patiens.*

VT quæstio hæc in integrum dissoluatur, prò certo tenendum est cum omni schola discrimen interveniens inter intellectum agentem, & patientem in hoc situm esse, quod primus est specierum productiuus, secundus verò, econtrà ipsarum receptiuus, & ideò possibilis, vel passiuus dicitur, quia receptiuus est. Hoc autem supposito sciendum est triplicem in hac controversia esse sententiam. Prima est Thomistarum asserentium intellectum agentem realiter strictè à patiente distingui.

gul. Sic tenent omnes Thomistæ, quibus nonnulli ex societate adhærent, quos refert, & sequitur Ruuius iisdem fretus Thomistarum rationibus. An autem sicuti hæc est mens Thomistica, ità sit Divi Thomæ ualde difficile existimo, quamuis eius discipuli ipsum referant pro hac sententia *in 1. part: art 7 & 50., & lib. 2. contra gentes cap. 77. & 78 & opusc. 2. cap. 87 & 88.*

Secunda sententia est quamplurium Patrum societatis, qui ponunt inter intellectum patientem, & agentem solam distinctionem rationis ratiocinatæ. Afferunt enim ex parte obiecti hos intellectus esse unum, & idem, & solum per eumdem distingui. Dicitur autem cum fundamento in re, quia illa diversa munera, quæ præstat intellectus prout agens, ac prout patiens, dant fundamentum tali distinctioni.

Tertia sententia, quæ media est inter utramque assignatam, docet dari distinctionem formalem ex natura rei Hanc tenent Scotistæ omnes, & Henricistæ, cum quibus sit.

## CAPVT PRIMVM.

*Intellectus agens, & patiens realiter strictè non distinguuntur.*

Melius probari nequit thæsis hæc negatiua, quam evertendo partis aduersæ fundamentum præcipuum, quod sic dirimere placet. Ideo intellectus isti realiter distinguuntur inter se, quia habent diversa obiecta formaliter distincta, & actus realiter distinctos, sed hæc ratio nulla est, ergò. Maior est Aduersariorum, ut videre est apud Complutenses. Minor ostenditur. Eadem indivisibilis realiter potentia potest respicere, & producere diversos actus, atque habere diversa obiecta formalia; ergò &c. Probatur Antecedens supponendo prius quamdam communem doctrinam in schola Thomistarum docentium actus Logicæ docentis, & utentis inter se diversos, non procedere ab habitibus realiter distinctis, sed ab uno, & eodem habitu, quamuis utriusque diversum sit obiectum formale. Docens enim respicit præcepta Logicæ, ut tradenda; utens vero ut applicanda. Hac autem doctrina breviter supposita, sic illud Antecedens ostendo. Sicuti intellectus agens, & possibilis respiciunt diversos actus, & habent diversum obiectum formale, ità habitus docentis, & utentis, atqui hoc non obstante isti habitus non distinguuntur realiter inter se in sententia Thomistica, ergò nec intellectus agens, & possibilis. Maior est certa, siquidem sicuti intellectui agenti actus correspondens est productio speciei intelligibilis; patienti verò est perceptio ipsius obiecti, ita habitui docentis actus correspondens est traditio præceptorum, utentis verò est actualis applicatio præceptorum. Rursus sicuti intellectus agens respicit obiectum ut intelligibile in potentia, faciendum actu intelligibile per elaborationem intellectus patientis, intellectus verò patiens idem respicit obiectum, ut iam intelligibile in actu, ità obiectum formale docentis sunt præcepta ut tradenda, utentis verò ut applicanda; ergò &c.

Probatur secundò. Dum intellectus agens, & patiens desiderantur realiter distincti, vel hoc fit propter diversos actus, quos habent producere, vel ob diversam rationem formalem sub qua respiciunt idem obiectum; sed neutrum dici potest, ergo &c. Probatur minor per partes, & primo quo ad primam. Actus diversi benè possunt provenire ab eadem forma, maximè quando in ipsa est aliqua eminentia, ut de facto videmus in actibus charitatis erga Deum, & Proximum, qui esto diversi sint, proveniunt tamen ab eodem habitu charitatis, ergo bene possunt actus diversi provenire ab eadem potentia. Nec etiam diversitas obiecti formalis sufficiens est ad intellectum agentem à patiente distinguendum, cum eadem entitas sub diversa inspectione obiectum respicere habeat sub pluribus rationibus formalibus, ut plurima exempla declarant, inter quæ illud in præcipuum mihi est, quod eadem scientia Dei, prout est scientia simplicis intelligentiæ rem attingit secundum sua prædicata essentialia, prout vero est scientia visionis prædicata rei contingenter convenientia, & tamen scientia Dei vna, & simplicissima scientia est in ordine tantum ad diversa munera à se ipsa distincta.

Quod si Thomista dicat hoc prouenire ob Diuinæ Scientiæ eminentiam, hoc demonstrari etiam potest in creatis. Docent enim Thomistæ rem aliquam creatam propter sui eminentiam, & excellentiam verificare aliquando prædicata contradictoria ex parte objecti se tenentia, ut patet in ipsa Hominis entitate. Si autem hoc valet eminentia rei etiam creatæ, cur etiam non poterit intellectiua potentia propter eamdem eminentiam diuersimodè respicere obiectum, nimirum, & ut intelligibile in potentia, & ut intelligibile in actu?

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Arguunt primo Aduersarii Thomistæ. Repugnat unam, & eandem numero potentiam esse simul in actu, & in potentia respectu ejusdem; sed intellectus agens est in actu respectu speciei intelligibilis, quam producit: cum unumquodque agat secundum quod est in actu, intellectus autem possibilis est in potentia ad eamdem speciem, quam recipit; siquidem unumquodque recipit secundum quod, est in potentia; ergò intellectus agens, & possibilis, non sunt una, & eadem potentia.

Respondeo repugnare quidem aliquod esse simul in actu formali, & in potentia formali. At non repugnare simul esse in potentia formali, & in actu virtuali, ut patet in qualibet causa efficienti, quæ quamuis formaliter sit in potentia ad operandum, est tamen in actu virtuali, quarenus habet virtutem ad operandum, quæ virtus operatiua vocari solet nomine actus virtualis. Cum autem intellectus in ordine ad speciem sit in actu virtuali tantum, & solum in potentia formali, seu non purè subiectivè talis speciei, hinc optimè erit simul agens, & patiens. Sed

Instabis. Ut aliquis moueat se ipsum, non sufficit, quod sit in actu virtuali imperfecto respectu effectus, sed esse debet in actu perfecto formali, vel eminentiali; atqui repugnat quod idem sit in actu formali, & simul in potentia formali, vel eminentiali respectu eiusdem, ergò nihil potest per se primò moueri à se. Maior sola declaratione indiget; etenim præcontinentia virtualis est duplex; alia perfecta, quæ contingit, quando una entitas continetur in alia magis perfecta, sed modo perfectiori, quam habet res formaliter in se ipsa, quo pacto creatura continetur in Deo. Alia est præcontinentia virtualis imperfecta, & cui frequentius nomen præcontinentiæ virtualis adscribitur, quæ fundatur in

actu

actu virtuali, & minus perfecto, quam sit res præcontenta. Hac ratione motus præcontinet terminum, & semen animal, & quodlibet instrumentum effectum, quem producit. Constat autem quod ad rationem causæ principalis desideratur maior, vel saltem æqualis perfectio in effectu producendo, & consequenter præcontinentiam virtualem imperfectam esse insufficientem ad constitutionem causæ principalis, sed requiri continentiam perfectam formalem, vel eminentialem. Minor autem quo ad actum formalem admittitur ab aduersariis, & est satis manifesta, aliàs posset idem esse actu formaliter calidum, & esse in potentia formali ad calorem, quod manifestè repugnat.

Quoad actum verò eminentialem, seu virtualem perfectum suadetur. Primò quia id, quod est in actu eminentiali habet esse in actu perfectiori modo, quam id, quod est præcisè in actu formali, ergò si repugnat, quod aliquod sit in actu formali, & in potentia formali respectu eiusdem, multo magis repugnabit esse in actu eminentiali, & in potentia formali.

Secundò, nam id quod est in potentia formali ad aliquod recipiendum respicit, & recipit illud ad sui complementum, & perfectionem; sed quod continet eminenter aliquam formam, nequit eam recipere, aut per eam formaliter acceptam compleri, & perfici, cum perfectiori modo illam præcontineat, ergò id quod existit in actu eminentiali respectu alicuius formæ nequit esse in potentia formali ad illam recipiendam.

Tertiò nam ideo nequit idem esse simul in actu, & in potentia formali respectu eiusdem, ne simul sit perfectum, & imperfectum in ordine ad idem; sed causa eminenter continens aliquem effectum non est imperfecta respectu illius, cum ipsum perfectiori modo contineat, quam causa uniuoca, in qua continetur secundum actum formalem, ergò nequit in eodem, & respectu eiusdem effectus conjungi continentia in actu eminentiali, & potentia ad ipsum recipiendum.

Quartò. Agens naturale habens virtutem sufficientem ad producendum effectum necessariò illum producit, ergò si ratione eminentiæ, aut continentiæ virtualis valet illum in se ipso producere, eumdem de facto producet, & habebit actu in se, & consequenter non erit in potentia ad illum recipiendum. Unibilia itaque non sunt in eodem subiecto continentia eminentialis, & potentia eiusdem effectus receptiua.

Respondeo, per instantiam hanc, si benè aduertamus, Complutenses velle repugnare aliquod esse in potentia formali, dum est in actu eminentiali, quod quam apertè falsum sit, constat in ipsa anima rationali eminenter continente vegetatiuam, & sensitiuam, istarumque operationes, cum tamen sit in potentia formali ad istas; & in ipsa omnipotentia, quæ eminenter continet omnes creaturas, quamuis sit in potentia formali ad ipsas producendas. Secundò falsum est non adesse præcontinentiam virtualem perfectam in linea præcontinentiæ virtualis, quin hæc coincidat cum ipsa continentia eminentiali; nam ad eminentialem necessariò requiritur excessus in perfectione continentis supra rem contentam; quando ad præcontinentiam virtualem etiam perfectam sufficit æqualitas perfectionis inter continens, & contentum. In forma itaque omissa maiori, nego minorem, ad cujus primam probationem, nego iterum minorem, & distinguo Antecedens, quod subsequitur. Quod est in actu eminentiali habet esse in actu perfectiori modo, quam id, quod est præcisè in actu formali, hoc est id, quod est eminenter tale importat entitatem perfectiorem, quam id, quod merè formaliter continet, concedo Antecedens; hoc est habet majorem actualitatem, quam habet id, quod formaliter est in actu nego antecedens, & consequentiam. Dum enim dicitur, quod res quælibet creata, dum est in actu eminenter sit magis in actu, quam dum est in actu formali, duplex sensus fieri potest. Vel enim sensus est illud, quod est in actu eminentiali, perfectiori modo effectum præcontinere, atque esse entitatem perfectiorem, & in hoc sensu vera est propositio. Vel sensus est illud, quod eminenter aliquem effectum præcontinet, dicere majorem actualitatem, quam id, quod est in actu formali; & tunc falsa est propositio, cum res in actu [illegible]li dicat ipsam actualitatem formalem, quæ non [illegible]portatur per solam continentiam eminentialem.

Secundò ideò id, quod est in actu eminentiali, quamuis sit in actu perfectiori, quam id, quod est tantum in actu formali, adhuc est in potentia formali, quia actualitas eminentialis non opponitur potentialitati formali; stat enim benè aliquam causam eminenter effectum continere, & esse formaliter in potentia ad ipsum effectum producendum. At quamuis id, quod est præcisè in actu formali non sit in actu tam perfectiori modo, quam id quod est in actu eminentiali, tamen quia est in actu actualitate opposita potentiæ formali, ideò nequit res esse in actu formali, & in potentia formali, esto esse possit in actu eminenter, & in potentia formali.

Ad secundam probationem dico majorem esse veram, si Sermo sit de illo, quod sit in pura potentia formali passiua, ut est materia relatè ad formam, non verò de illo, quod sit etiam in potentia formali actiua.

Ad tertiam nego causalem. Non enim ideo nequit idem esse formaliter in actu, & formaliter in potentia, quia esset simul perfectum, & imperfectum relatè ad idem, sed quia esset simul in actu, & in potentia in eadem linea formali. At verò quod est in actu eminentiali potest etiam esse in potentia formali, quia esse in actu eminentiali non tollit hoc, quod est esse in potentia formali, cum actus eminentialis non opponatur potentiæ formali, qua tali.

Ad quartam probationem concesso antecedenti distinguo consequens, ergo illum de facto producet, & habebit actu in se eminentialiter concedo consequentiam, formaliter nego Consequentiam. Intellectus itaque in actu eminentiali existit; sed per hoc non tollitur, quin etiam sit in potentia formali in ordine ad ipsius speciei productionem, cum potentia formalis non tollatur, nisi per actum formalem.

Arguit secundo Ioannes à Sancto Thoma. Intellectus, vel ita est potentia cognoscitiua, ut eius actus adæquatus sit cognitio, vel habet duplicem actum inadæquatum, alterum non cognoscitiuum, & factiuum specierum, alterum cognoscitiuum, & non factiuum earum; nam uno, & eodem actu non potest fieri. Cognitio enim procedit eliciriuè à potentia actuata per species. Si primum dicatur, manifestum est agentem intellectum esse distinctam potentiam à pariente, siquidem si adæquatus actus intellectus cognoscentis est cognitio, non poterit alium actum elicere, qui cognitio

non

non sit. Si secundum contrà est; eo quia nequit uterque actus convenire uni, & eidem potentiæ, nisi detur aliqua ratio communis, sub qua conveniant illi duo actus; sed actus cognoscitiuus, & factiuus specierum, non conveniunt in tali ratione, sed sunt rationes ità distantes, ut fundare possint distinctas potentias. Nec Anima nostra est tantæ eminentiæ, ut virtus eius in unica ratione superiori, & eminentiori uniat illam duplicem virtutem, videlicèt faciendi species, & intelligendi; cum nec in Angelo detur talis perfectio, ut unica potentia sit factiua specierum, & cognoscitiua; ergo. &c.

Respondeo cogitionem esse actum adæquatum intellectus accepro tamen actu adæquato, prout dicit actum principalem Si vero in alio sensu accipiatur, cognitio certè non est actus adæquatus, cum ipsi etiam correspondeat productio speciei impressæ. Nec officit distinctio actuum, uti superius diximus in nostris probationibus, maximè cum omnes ordinentur ad constituendum intellectum actu intelligentem. In Angelis autem ideo non datur unica potentia, quæ sit specierum f. ctiua, & simul cognoscitiva, quia species deservientes ad cognitionem fuerunt concreatæ in Angeli creatione, uti sustinent Thomistæ, & Scotistæ nonnulli, vel quia in ipsis Angelis datur habitus scientialis infusus, adeoque superflua est potentia, quæ sit specierum productiua.

Arguit ultimò idem Thomista. Si productio speciei, & cognitio essent actus provenientes ab eadem virtute intellectiva, etiam cognoscere, & velle possent provenire ab eadem potentia, sed hoc falsum est in sententia communissima, ergò &c. Ostenditur maior. Nam ideò primi actus provenire possunt ab eadem potentia, quia sunt subordinati, specierum enim productio ordinatur ad cognitionem, sed etiam cognoscere, & velle se habent cum hoc ordine, videmus enim velle consequi ad cognoscere, ergò si primi actus sunt inadæquati potentes provenire ab eadem virtute, etiam secundi actus provenire poterunt ab eadem potentia. Sed

Disparitas obuia est. Actus enim intelligendi, & volendi, quamuis cum quodam ordine producantur ab Anima, pertinent tamen ad diversam lineam vndè provenire nequeunt ab eadem potentia. At verò dictio, & intellectio spectant ab eamdem lineam intellectiuam. Intellectus enim ut producens speciem impressam, est intellectus ordinatus ad intelligendum.

## QVÆSTIO TERTIA.

*Quodnam sit obiectum intellectus tam pro statu corporis, quam pro statu separationis.*

### CAPVT UNICUM.

*Resoluitur difficultas per varias Conclusiones.*

DE intellectu divino hic non est sermo. Ad Theologos enim spectat agere de eiusdem obiecto tum motivo, tum terminatiuo, tum etiam de modo, quo Deus res creatas cognoscit, nimirum an mediatè tantum, uti propugnant Diuus Thomas, & Henricus; an immediatè solum, vel utroquè modo ut Herice, Ariagha, Becano, aliisque placuit cum Vasquezio. De intellectu itaque creato solum sermo est. Pro cuius solutione aduerto, quod intellectus creatus dupliciter accipi potest: Primò prout est in se, secundò verò prout est in Corpore. Si secundum se accipiatur, eadem est difficultas de illo, ac de Angelico, immò etiam ac de Divino; nam idem est obiectum adæquatum omnium, licèt in modo illud attingendi valde differant.

Adverto etiam secundò objectum communiter primò distingui in adæquatum, & in inadæquatum: primum diximus in Logica esse illud, quod potentiam adæquat vero, quod est eorum pars, quæ attingit eadem potentia. Rursus distingui solet objectum in motivum, & terminativum, primum illud est, quod movet potentiam ad actum immittendo in illam speciem sui impressam, vel simul concurrendo cum potentia in genere causæ efficientis, ut actum eliciat. Secundum verò, quod solum terminat actum, nec illum causat Insuper objectum, sive motivum, sive terminativum distinguendum est in per se, & per accidens, vel in directum, seu proportionatum, & indirectum, & improportionatum. Primi generis dicitur illud, quod per propriam speciem ipsum per se immediatè repræsentantem, aut per se immediatè absq; specie percipitur, secundi verò illud est, quod nec per se immediatè, nec per propriam speciem impressam ipsum repræsentantem percipitur; sed per similitudinem aliorum, ut possibilia, impossibilia, spiritualia. His positis.

Dico primò, objectum adæquatum universalissimum intellectus nostri, sivè secundum se accipiatur, sive pro statu corporis comprehendere quidquid aliquo modo est ab eo perceptibile, sive per se, sive per accidens, sive per speciem propriam, sive per alienam, aut alio quocumque titulo est cognoscibile, itaut sit ens universalissimum in tota sua latitudine acceptum; prout scilicet comprehendit entitatem increatam, atque creatam, naturalem, & supernaturalem, substantialem, accidentalem, positivam, & negativam, realem tandem, & rationis. Conclusio consonat iis, quæ diximus in Logica, ubi de ente rationis Deinde hæc omnia, vel uno, vel alio modo, hoc est per se, vel per accidens, per speciem propriam, vel per alienam attingi possunt à nostro intellectu, non solum secundum se considerato, sed etiam pro statu corporis, ut discurrenti per singula parebit; ergo objectum adæquatum prout comprehendit directum, & indirectum est ens universalissimum.

Dico secundò objectum adequatum motivum nostri intellectus pro statu corporis esse solum ens sensibile. Probatur hoc multipliciter, tum quia ipsa testatur experientia nos ad cognitionem non moveri, nisi à rebus sensibilibus. Quidditas enim rei, sive materialis, sive spiritualis, de se impervia est sensibus, nisi aliunde reddatur sensibilis, nempe per accidentia, ergo solum ens sensibile, non verò quidditas rei, ut aliqui autumant erit nostri intellectus objectum motivum. Tum quia illud est objectum motivum intellectus nostri pro statu corporis, sine quo intellectus moveri nequit ad intelligendum, sed sic moveri nequit, nisi moveatur à sensibili, nam ita intellectus noster agit dependenter à phantasmatibus, ut nisi ab eis moveatur, non excitetur ad intelligendum.

Huic collige Deum, Angelos, Chimeras, possibilia, esse non posse objectum per se motivum nostri intellectus pro statu corporis. Item nec objectum per se terminativum, sive proportionatum, cum intelligi, & cognosci nequeant, nec per se immediatè, nec per species proprias, sed solum per

alienas. Unde hæc solum esse possunt objectum terminativum per accidens indirectum, & improportionatum nostri intellectus pro hoc statu. Quæ omnia clara sunt si benè percipiamus ea, quæ alibi diximus.

## QUÆSTIO QVARTA.

*Utrum ad constituendam potentiam adæquatè potentem intelligere sit necessaria aliqua species, quæ impressa dicitur, seu an intellectus per se ipsum sufficiens sit per modum actus primi adæquati ad cognitionem efficiendam.*

Controversia hæc, quæ in animastica proponi solet, procedit de intellectu humano in statu viæ accepto, non verò in Patria. Utrum enim Beati in patria specie distincta ab essentia divina indigeant, ut eandem intuitivè percipiant, ad Theologos inquirere spectat. Loquendo autem de intellectu in hoc statu, pro certo tenendum est, ipsum ratione sui non esse objecti repræsentativum. Quod verum esse percipio ex ipsa indifferentia, quam habet intellectus ad hæc, vel illa percipienda objecta. Si enim esset ex se objecti repræsentativus, jam non esset indifferens, sed determinatus, cum potentia, ut objecti repræsentativa, sit potentia ad objectum determinata. Eo, vel maximè, quod non est majoris perfectionis intellectus creatus, quam sit divinus, immo minoris perfectionis est, & quidem infinitè. Sicuti ergo intellectus divinus, esto infinitus in linea intellectus, adhuc tamen per se ipsum formaliter non est repræsentativus, sed est ipsa divina essentia, quæ ipsi omnia sub variis repræsentat respectibus, ita intellectus humanus non erit per se repræsentativus, sed ratione speciei impressæ advenientis.

Secundò aduertendum est nullam causam in suum opus exire, nisi prius completa sit in actu primò ad operandum; ab inadæquato enim actu primo nulla est operatio, quapropter dictum est in Physica quamlibet actionem Creaturæ non se tenere ex parte actus primi, quia actum primum supponit, & ideo hunc supponit, quia ab adæquato actu primo dimanat: & ratio totius est, quia nulla operatio sequitur ad causam, nisi intelligatur potens operari, & expedita sit; Causa autem expedita non est, nisi adæquatè proximè effectum præcontineat.

Tertiò prò certo tenendum est ad eumdem effectum plures causas partiales concurrere; non enim à natura assignata est semper una Causa, quæ ex se totalis sit, ut patet in ipsa visione beatifica, ad cujus productionem concurrunt lumen gloriæ, & intellectus, quidquid dicant Thomistæ excludentes secundi concursum immediatum immediatione virtutis.

Quartò sciendum est, difficultatis cardinem non esse, an Anima ad intelligendum se ipsam, specie indigeat. Certum enim est non indigere, ut docet Doctor *Quodlib.* 1. *quæst* 13. ubi rationem assignans asserit, quod species ibi solum exigitur, ubi intelligibile non est actu intelligibile. Cum autem Anima separata sit per se actu intelligibilis, hinc, ut intelligatur, ipsius specie non est opus.

His autem suppositis sciendum est circa propositam difficultatem triplicem esse sententiam: Prima est Cartesii, qui *cap. 4. in sua diopt.* vult speciem impressam, vel rerum imagines (quidquid sit hæc species impressa, de qua alibi diximus) non esse necessarias ad cognitionem; opinetur enim aliquando. *Preter imagines rerum, aliquando esse, quæ cognitionem excitent; ut v.g. verba, & signa, nullo modo similia iis, quæ significant.* In quo quantum à vero distet, inde constat, quod quamuis voces percipiantur sine Imagine propria vocis, non tamen sine propria rerum Imagine, v. g, dum concipitur hæc vox, *Domus*, efformatur in mente Imago Domus, ut patet attendenti, non imago vocis; nam voces percipere, est res iis significatas concipere: seu earum similitudinem efformare. Negatiuam hanc sententiam prius propugnarunt, diuersis tamen instructi fundamentis Bacconius *in 2. dist. 6 quæst. 1. art 7.* Durandus 2 *dist. 3. quæst* 6 Ochamus 2 *dist.* 17 negantes speciei impressæ existentiam, quæ inter Mastrius recenset Henricum, & quidem ex *quodlib.* 4 *& 7.* Sed immeritò hoc asserit hic Scoti Discipulus, nec istud asseruisset, si Doctorem solemnem locis descriptis vidisset. Eo enim in quodlibeto speciem impressam reiicit solum in Comprehensoribus; Cæterum hic in via hanc propugnat Doctor quodlibetis relatis sub his verbis: *Quibus suppositis discurrendo per singula* (suppositis inquam duobus principiis antiquorum Philosophorum, videlicèt *non esse multiplicanda entia absque necessitate*, atque speciem impressam esse formam quamdam in intellectu patiente receptam) *dicimus primò ad primum articulum, quod bene verum est, quod potentiam intellectiuam oporteat determinari ad intelligendum, ad hoc, ut ipsum intelligat; & quod hoc fit semper per speciem intelligibilis informantem intellectum, quando res intellecta per essentiam absens est intellectui*: ex quibus efformo hoc unicum argumentum. Non stat ponere speciem intelligibilem intellectum informantem, vi cuius hic determinetur ad intelligendum, & speciem impressam reprobare. Patet hoc, nam species impressa est forma intellectum informans, ipsumque determinans ad intelligendum; atqui Doctor Solemnis hanc speciem in rerum natura agnouit, ut ex superioribus constat, ergò &c.

Secunda Sententia, quæ communior in Scholis est, ponit, & vult necessariam esse hujusmodi speciem impressam. Hanc sententiam amplector, quæ certè Henrici est, nedum propter recensita, verum etiam propter hæc quæ lego in Summa *art 4 quæst. 1. num. 2 & 6 huiusmodi autem differentiæ in modo intelligendi ratio est, quod intellectus quantum ad actum intelligendi in Creaturis passiuus est, & ut passiuus in actum intelligendi non procedit, nisi per speciem rei intellectæ, quæ principium formale est, & ratio eliciendi actum intelligendi in intellectu*: itaque cum Doctore sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Intellectus per se ipsum consideratus non est principium adæquatum intellectionis, adeoque requiritur species impressa, seu forma intelligibilis.*

Conclusio nostra sub his terminis prolata est contrà Scotum, si fides præstanda est Mastrio asserenti necessitatem speciei impressæ non desumi ex parte potentiæ intellectiuæ, quæ in ordine suo completa est ad intelligendum, sed ex parte obiecti, quatenus huius concursum supplet ipsa species. Nos tamen etiam necessariam esse ex parte potentiæ pro-

propugnamus, non quia constituat ipsam potentiam vitalem in linea principii vitalis, sed quia principium adæquatum intellectionis non percipimus, nisi hæc species impressa intercedat. In quo sensu.

Probatur primò conclusio ratione ex Doctore eruta, & quidē ex verbis superius allatis, quæ sub hac forma proponitur. Non stat intellectum intelligere, quin prius hic determinetur ad intelligendum, sed hæc determinatio haberi nequit ab ipso intellectu; ergo haberi debet ab alio, sed hoc aliud non est, nisi species impressa; ergo &c. Major certa est, siquidem absque aliquo determinante nullo modo intellectus quidquam intelligere valet, ut patet in oculo corporeo, qui videri nequit colores, quin informetur aliqua specie determinante ipsam potentiam visivam. Et ratio totius est, quia ab indeterminato ut tali, nulla provenit operatio determinata. Probatur itaque minor. Potentia, quæ secundum se est indifferens, & quidem ab intrinseco ad hoc, ut cognoscat potius unum, quam aliud objectum, non est forma determinans potius ad unum, quam aliud; si enim esset forma determinans, jam non esset in ipso intellectu indifferentia, sicuti quia albedo est principium determinans ad disgregationem visus, non est indifferens ad eandem disgregationem; atqui iodifferens est, ut liquet; ergo. Minor verò subsumpta patet, cum enim quælibet species determinatè sit repræsentativa potius huius, quam alterius objecti, propterea optimè poterit aliud determinare, maximè cum habeat rationem formæ; dicitur enim forma intelligibilis. De ratione autem formæ est determinare. Sed

Probatur secundò. Si in cognitione sit aliqua formalitas exigens speciem impressam pro principio ejusdem cognitionis, jam necessariò est ponenda talis species, adeoque insufficiens erit intellectus per se ipsum in linea principii adæquati; sed de facto in cognitione est aliqua formalitas, per quam cognitio exigit concursum speciei impressæ; ergo necessaria est species impressa. Minor ostenditur in cognitione, in qua ultra formalitatem vitalitatis est etiam formalitas repræsentationis; cognitio enim suo modo est objecti repræsentativa, immò juxta doctrinam Henrici superius traditam cognitio magis assimilat intellectum objecto, quam ipsa species, cujus ratio ea est, quia species non assimilat, nisi sub ratione speciali; actus verò assimilat sub ratione cognoscentis; sed hæc formalitas repræsentationis exigit concursum principii dantis hanc repræsentationem. Cognitio enim quidquid habet, à sua causa haber, sed sola species potest dare hanc repræsentationem, cum sit apud omnes objecti repræsentatio, vel formalis, vel virtualis; non verò intellectus, cum non sit objecti repræsentatio, sed facultas intelligendi; ergo sola species potest dare hanc repræsentationem.

Urgetur. Formalitas vitalitatis, quæ est in cognitione, exigit pro principio aliquam potentiam vitalem; ergò formalitas repræsentativi, quæ est in cognitione, exigit principium objecti repræsentativum; sed hoc principium species est, cum munus speciei sit objectum repræsentare, quæ ideò fæcundare dicitur intellectum, quia intellectus hac specie informatus habet objecti imaginem, ad cujus objecti intelligentiam determinatur; ergò &c.

Tertium fundamentum, quod videtur affine doctrinæ Divi Thomæ, & Thomistarum, sub hac forma expenditur. Anima ut intelligens trahit ad se objectum, & ità ipsum trahit, ut Philosophus dicat, quod Anima mediante intellectu fiat quodammodo ipsa res intellecta; sed negata hac specie impressa non videtur hoc saluari posse; ergò &c. Minor ostenditur eò, quia negata forma intelligibili non videtur quomodo saluari possit, quod anima intelligendo trahat ad se objectum, & ipsum quodammodo fiat. Patet hoc; nam ideò trahit objectum, quia per cognitionem habet quodammodo suum esse intra se; sed intra se non habet esse objecti nisi per speciem sui, ergo negata specie impressa non saluatur, quomodo anima intelligendo trahat ad se rem intellectam, & fiat ipsa res intelligibilis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Soluuntur Obiectiones.*

Mirum est quot Aduersarios habeat firmata conclusio, Nos de more horum præcipua argumenta examinabimus, inter quæ non infimum est illud, quod procedit ex superfluitate speciei impressæ, quod sub hoc medio exponitur. Superflua est hæc species impressa, ergò non datur. Probatur Antecedens. Ideo non est superflua, quia debet tollere indifferentiam, quæ est in intellectu ad intelligendum potius hoc, quam illud obiectum, & ipsum determinare, sed ad hoc præstandum superflua est, ergò &c. Probatur minor. Tunc superflua esset, quoties species, quæ est in phantasia principium esset determinans intellectum, eius demve tollens indifferentiam, atqui res ità se habet; ergò &c. Probatur minor. Species quæ sit repræsentatiua potius unius, quam alterius obiecti, optimè potest determinare intellectum, ipsumque constituere principium proximè potens intelligere; sed species, quæ est in phantasia ita se habet, cum eius materialitas non tollat ab ipsa rationem repræsentatiui, sicuti non tollit rationem speciei, de cuius essentia est, quod sit similitudo, & imago obiecti; ergò &c.

Fateor rationem Imaginis adesse etiam in specie existente in phantasia, quia ut benè dicitur in argumento phantasma est obiecti repræsentatiuum; sed id, quod aduerto est, speciem illam materialem esse, adeoque improportionatam ad movendum immediatè intellectum, & ad concurrendum cum ipso immediatè ad cognitionem spiritualem. Intellectus enim est intrinsecè indifferens, & indeterminatus ad intelligendum, quæ intrinseca indifferentia tolli nequit nisi per receptionem qualitatis determinantis. Phantasma autem recipi nequit in intellectu patiente; & cum ex alia parte repræsentet obiectum tantum sub rationibus particularibus, non sub universalibus, hinc inservire non poterit ad cognitionem spiritualem, quæ etiam sub ratione universali obiectum attingit.

Quod autem species in phantasmate existens improportionata sit ob sui materialitatem ad movendum intellectum concedere debet etiam Pontius docens ipsam voluntatem, utpotè potentiam spiritualem moveri non posse, nisi à cognitione immateriali. Si ergò voluntati non nisi obiectum suo modo motiuum spirituale tribuit, cur intellectui propter sui non minorem immaterialitatem tribuendum non erit obiectum motiuum, vel determinatiuum spirituale.

Instabis. Species quæ est in phantasia, quamuis materialis sit, adhuc concurrit ad productionem speciei impressæ, & quidem immediatè; ergò etiam con-

currere poterit ad cognitionem. Consequentia osteoditur; quia non minor est spiritualitas in ipsa specie impressa, quam in cognitione, ergò si non obstante spiritualitate speciei impressæ, phantasma immediatè concurrit ad ipsius productionem, poterit etiam concurrere ad cognitionem.

Instabis secundo. Species, quæ est in phantasia, quamuis repprefentet obiectum sub ratione particulari, habet nihilominus concurrere ad ipsam speciem obiectum repprefentantem sub ratione universali, ergò à pari poterit concurrere ad ipsam cognitionem, quamuis hæc repprefentet obiectum sub ratione universali. Et ratio totius est, quià licet phantasma sit similitudo rei singularis, non est tamen necesse, ut producat in intellectu similitudinem rei singularis, quia non agit ratione propriæ naturæ, seu quatenus tale accidens est, vel ratione materialium dispositionum, ut optimè aduertit hic Diuus Thomas, sed prout similitudo est rei ad extra; ergò à pari poterit concurrere immediatè ad cognitionem, esto Phantasma repprefentet obiectum sub ratione particulari, & cognitio sub ratione universali.

Instabis tertio. Quia materialitas phantasmatis impedit tantum quod phantasma causet in genere causæ adæquatæ, non verò partialis, sicuti excessus perfectionis relucens in substantia respectivè ad accidens impedit solum, quod accidens ipsam substantiam producat in genere causæ efficientis adæquatæ, ergò semper phantasma concurrere poterit immediate ad cognitionem.

Instabis quarto. Non videtur minor proportio Phantasmatis ad actum intelligendi, quam obiecti materialii, sed hoc agere potest in intellectu separato, ergò, & Phantasma.

Instabis ultimò. Phantasma concurrit ad causandam speciem impressam per hoc præcisè, quod ei coniungatur per quamdam assistentiam, quam præstat intellectui agenti; ergò eodem modo coniungi poterit cum possibili ad causandam intellectionem. Patet hoc, quia non videtur, cur maior unio requiratur, & coniunctio ex parte specierum cum intellectu patiente, quam Phantasmatis cum agente.

Hæ instantiæ dificilis sunt solutionis, quibus, ut fiat satis, plurium sententia circa modum, quo Phantasma ad speciem impressam concurrit, denuò exponenda est. Sunt itaque primò, qui sustinent solum in genere causæ materialis causare speciem impressam, nullatenus vero in linea concursus effectiui. His adhæret Suarez *lib. 4. de anima cap. 2. num. 12.* Alii verò effectiuum concursum concedunt, sed hoc pacto, quod authumant ipsum concurrere per modum causæ instrumentalis. Sic Thomistæ omnes ex Diuo Thoma *quæst. 10. de veritate art. 6. & 7.* illis verbis: *quod in receptione, qua intellectus possibilis, species rerum accipit à Phantasmatibus Phantasmata se habent, ut agens instrumentale, intellectus verò, ut agens principale*, in cujus concursus instrumentalis explicatione, dissidium est inter ipsos, ut optimè aduertit Ioannes à S. Thoma *quæst. 10. art. 3.* de intellectu agente, & possibili, cum aliqui velint hoc contingere, quia deriuat in Phantasmate aliquid virtutis spiritualis vi intellectus agentis. Alii verò, & magis communiter, quia Phantasma concurrit ad productionem speciei impressæ per hoc, quod intellectus agens ipso utatur, ut instrumento eleuato. Hoc supposito dico priores instantias facilis esse solutionis cuilibet inhærendo sententiæ. Priori quidem dicendi modo, quia Phantasma ad speciem impressam concurrit solum in genere causæ materialis, cum aliundè species impressa, & quidquid hujus vices gerit, concurrat in genere causæ efficientis. Posteriori etiam sententiæ, quia Phantasma ad productionem speciei impressæ concurrit solum per modum instrumenti eleuandi vi intellectus agentis, cum species impressa concurrat per modum causæ principalis: plus autem requiritur ad concurrendum hoc genere causalitatis, quam per modum causæ instrumentalis.

Tertia vero instantia soluitur si dicamus cognitionem secundum se totam spiritualem esse, adeoque etiam secundum sui repprefentationem. Effectus autem, qui secundum se totum spiritualis est, habere nequit pro suo comprincipio productiuo aliquod materiale. Dixi comprincipio, quia pro instrumento inseruire potest aliquod, esto materiale sit, ut patet in ipsa organizatione, quæ non obstante sui materialitate per modum instrumenti ad cognitionem concurrit.

Ad quartam respondeo nec obiectum materiale agere in intellectum separatum, cuius ratio est, quia intellectus separatus, dum intelligit, vel ea percipit, quæ cognoscebat, dum erat corpori conjunctus, vel alia in statu conjunctionis non cognita. Si primum dicatur, paritas nulla est, quia objectum motiuum est species spiritualis perseuerans. Si verò secundum affirmemus, dico, tale objectum materiale non agere in intellectum patientem, sed potius obiectum, & intellectus agens agerent producendo tertiam speciem spiritualem intellectum secundantem.

Arguunt secundò alii. Posita in intellectu hac specie impressa intellectus deberet semper intelligere objectum illud, cujus datur species, sed hoc est falsum, ergo &c. Probatur major eo quia nil aliud requiritur, ut intellectus intelligat.

Respondeo coherenter ad doctrinam tradi solitam in materia de gratia, ubi communiter docent Auctores, quod etiam in Homine justificato ad obseruandam legem Dei supernaturalem requiratur necessariò gratia actualis, quamuis dentur habitus supernaturales proportionati ad actus eliciendos, & hoc ideo, quia ad operandum exigitur insuper excitatio ipsius voluntatis, quæ gratia specialis est. Cohærenter huic doctrinæ, respondeo hic talem intellectum speciebus instructum, non semper debere intelligere, quia ulterius requiritur ipsarum specierum excitatio, quæ cum non semper adsit, ideo intellectus non semper intelligit. Hæc solutio in integrum eneruat superius argumentum, quod obicit Pontius etiam inhærendo suis principiis, ut legenti ipsum, ubi de identitate inter animam, & ejus potentias patebit.

Arguunt tertiò alii. Intellectus cognoscit res spirituales, relationes, & priuationes; sed hæc omnia non attingit per species, ergo non requiruntur species ad cognitionem. Probatur minor, quia intellectus pro hoc statu non habet nisi species abstractas à Phantasmatibus, sed istæ repprefentare nequeunt res spirituales, relationes, negationes, ut certum est, ergò intellectus noster non cognoscit prædicta objecta per species.

Respondeo negando minorem, nam licèt illa objecta nequeant repræsentari per se, & immediatè in Phantasmate, repprefentantur tamen mediatè, seù per aliud, nam objecta directè in Phantasmate repprefentata deseruiunt, ut intellectus ducatur in cognitione aliarum rerum, quæ in iisdem expressè non relucent. Hæc quippè est nostri intellectus con-

conditio, ut ex uno objectò in alterius veniat cognitionem.

Arguit quarto Pontius. Si ſpecies impreſſa hæc ſpiritualis daretur in intellectu, jam hic intelligeret abſque dependentia à Phantaſmatibus, & quidem dum eſt in corpore; ſed hoc eſt falſum, & contra Scholam peripateticam, ergo &c.

Hoc argumentum patui, vel nullius roboris eſt, & retorqueri poſset in ſui Auctorem attenta quadam ejus doctrina, quam tradit in materia de Anima, ſed breuitatis gratſa hac ommiſſa reſpondeo dependentiam duplicem eſſe, mediatam ſcilicèt, & immediatam. Modo verum eſt intellectum in intelligendo à Phantaſmate non pendere immediatè, cum hæc dependentia ſolum ſit à forma proximè intelligibili. Dependet tamen hic dependentia mediata à Phantaſmatæ, quatenus dependet à ſpecie impreſsa, quæ dependenter ab ipſo Phantaſmatæ acquiritur.

Quintò, & ultimò arguunt alii. Sicuti ſe habet bonum ad affectum, ita verum ad intellectum; ſed bonum non eſt in affectu per aliquam ſui ſimilitudinem, ergò nec verum cognoſcitur ab intellectu per aliquam ſui ſimilitudinem, ergò intellectus ad intelligendum non indiget ſpecie.

Reſpondet huic argumento Sanctus Thomas *quæſt. 10. de veritate art. 9 ad 6.* his verbis: *dicendum quod motus, vel operatio cognoſcitivæ partis perficitur in ipſa mente, & ideò oportet ad hoc, quod aliquid cognoſcat eſſe ſimilitudinem aliquam in mente, maximè ſi per eſſentiam ſuam non coniungitur menti, ut cognitionis objectum, quod non evenit loquendo de voluntate.*

## QUÆSTIO QUINTA.

*An ſpecies impreſſa activè concurrat ad cognitionem, & quomodo.*

SUperius ſtatutum eſt dari ſpeciem impreſſam, eamque eſſe neceſſariam, fuit à nobis pro viribus oſtenſum. Modo inquirendum eſt, quomodo hæc concurrat ad cognitionem. Pro quo primò advertendum eſt concurſum eſſe, vel in linea principii effectivi, vel in linea ſimplicis conditionis unientis objectum potentiæ, & media hac unione illam formaliter determinando ad intellectionem. Secundi generis concurſus eſt ille cognitionis ad finalizandum, decreti ad eſſe medium, in quo Deus videt futura in ſchola D. Thomæ, & Henrici, quia verum medium, in quo eſt ipſa Omnipotentia, decreto ſolum concurrente per modum ſimplicis applicationis. Primi generis in noſtra ſententia, eſt concurſus præmiſſarum ad concluſionem, vel ſubſtantiæ in ratione principii proximi ad productionem alterius, & cujuslibet cauſæ efficientis ad ſuas operationes. Tertii verò generis eſt concurſus habituum naturalium, quos ſolum concurrere volumus ad actus determinando potentiam, ut hæc facilius agat, ut inferius oſtendam.

Hoc autem ſuppoſito diviſi ſunt in hac difficultate inter ſe Auctores. Aliqui enim volunt ſpecies concurrere per modum ſimplicis diſpoſitionis, uti Fromundus *lib 3. de anima cap. 3. art.* 10. & Bonaſpes *in lib. de anima diſp.* 10. *dub.* 1. *quæſt.* 2. Alii verò ipſis etiam concurſum effectivum tribuunt. Sic Complutenſes *in lib. de anima diſp.* 18. *quæſt.* 4. Salmaticenſes *tract.* 2. *de viſione diſp.* 2. *dub.* 3. Illuſtriſſimus Petrus de Godny *tract* 2. *diſp.* 2 *quæſt. de viſione Dei §.* 3. Ioannes à S. Thoma *in animaſtica quæſt.* 10, *art.* 3. *de intellectu agenti, & paſſibili*, & Magiſter Paulus Cavino *diſp. 3. quæſt. 3. §. 1. tract. 2.* quos ſequi D. Thomæ ſententiam certum eſt ex iis quæ habet S. Doctor *quæſt.* 56. *art.* 1. ubi hæc lego: *ita ſe habet objectum unitum potentiæ ad huiuſmodi actionem, ſicuti forma, quæ eſt principium actionis in aliis agentibus.* Diſſidium tamen eſt inter iſtos loquendo de eſſentia divina, prout habet rationem ſpeciei intelligibilis, quia aliqui volunt hanc ſolùm unire objectum potentiæ, illam formaliter determinando ad intellectionem, uti Bannez, Zumel, alii verò magis communiter eidem etiam concurſum effectivum concedunt cum Superioribus Thomiſtis, quibus addi poſſunt Scotiſtæ omnes ex Scoto *diſt. 2. quæſt. 7. num.* 26. ut optimè advertit Sebaſtianus Dupaſquier *diſp. 13. de intellectu quæſt. 8. concl.* 1. Et revera in hanc Scoti, & Angelici Præceptoris ſententiam inclinat Auguſtinus, cum *lib. 9. de Trinitate cap.* 12. docuit cognitionem etiam ex objecto oriri illis verbis. *Liquidò tenendum eſt, quod omnis res, quamcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui. Ab utroque enim notitia paritur à cognoſcente, & cognito.* In hac autem difficultate, quid ſentiat Henricus non una eſt omnium mens. Scribunt enim Complutenſes, Henricum docuiſſe ſpeciem impreſſam, ex quibus fortè hi Tomiſtæ occaſionem ſumpſerunt hoc ſuſpicandi, quæ ſunt: *Ideirco ergo dicunt tenentes eam non ſolum, quod intellectus non intelligit ſe, neque alia, quæ ſunt præſentia ei per eſſentiam, ſine huiuſmodi ſpecie media: quam* (ut dicunt) *res ipſa intellecta, maximè cum Deum videndo intelligit ex ſe ipſi menti imprimit, & diſponit ipſam ad intelligendum, ſive videndum,* & infra: *ſicut. ergo nunc ſpecies Balnei in anima eſt ratio, & diſpoſitio ſufficienter determinans intellectum ad intelligendum Balneum, quod eſt extra: ſic ſi ipſa eſſet vera eſſentia Balnei apud intellectum, ſe ipſa determinaret ſufficienter intellectum ad intelligendum ſe ipſam, dum tamen eſſet intellectus diſpoſitus ad intelligendum.* Ex his autem certè deduci nequit, quod affirmant Complutenſes. Non quidem ex prioribus verbis, quia ibi non loquitur Doctor in propria, ſed in quorundam ſententia docentium ad quælibet objecta intelligenda, & conſequenter etiam ad Deum ipſum videndum neceſſariam eſſe ſpeciem impreſſam determinantem, & diſponentem ipſam potentiam ad intellectionem, quam ſententiam in Quodliberi decurſu ſolidiſſimis rationibus, & Auguſtini oraculis impugnat. Loqui verò in aliorum ſententia, non verò in propria manifeſtum eſt ex his poſterioribus verbis. *Sciendum ergo eſt hic in principio, quod quorundam erat opinio de intellectu quocumque creato; quod ex ſe ſolum in potentia eſt ad actum intelligendi quodcunque; propterquod oportet ipſum determinari per aliquod ad illud, quod debet ab ipſo intelligi, quo de potentia fiat actu intelligens etiam ſi illud ſit intelligibile primum, quod Deus eſt. Idcircò ergo dicant tenentes eam non ſolùm, quod intellectus non intelligit ſe, neque alia, quæ ſunt præſentia ei per eſſentiam ſine huiuſmodi ſpecie media, quam res intellecta* (ut dicunt) *maximè, cum Deum videndo intelligit, ex ſe, ipſi menti imprimit, & diſponit ipſam ad intelligendum, ſive videndum.* Dum autem aliis in locis legimus ſpeciem impreſſam habere rationem diſpotionis, dici poteſt nomen diſpoſitionis extendere Doctorem etiam ad illa, quæ habent propriè rationem principii, quod patet nedum, quia poſt quam docuerat Doctor ſpeciem impreſſam eſſe diſpotionem, aſſervit etiam eſse principium activum illis verbis: *forma intellecta principium eſt, & ratio eliciendi actum intelligendi in intellectu*; verum etiam, quia non pa-

rum mos est nomen dispositionis tribuere etiam causæ efficienti, ut etiam facit D. Thomas *in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. art. 17.* siquidem de lumine gloriæ supplebili, cum tamen lumen sit visionis principium.

## CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Doctoris sententia, vel concursus speciei impressæ in linea principii effectivi.*

PRimum fundamentum, quamvis commune non sit, quia tamen solidum est ad firmandam propositam thesim, ideò ipsum afferre placet sub hac forma. Id quod effectui communicat suum esse, nequit relatè ad ipsum se habere per modum puræ conditionis, sed habere se debet per modum causæ; atqui de facto species impressa communicat suum esse effectui; ergo. Major est certa; pura enim conditio, seu dispositio suum esse effectui non communicat, sed tantum medium est, quo causa effectum producit. Probatur itaque minor, quia esse speciei impressæ est esse objecti repræsentativum, & quidem modo immateriali; sed hoc esse species ipsa cognitioni tribuit, cum repræsentatio aliquo modo relucens in cognitione haberi non possit nisi ab ipsa; Intellectus enim secundum se non est repræsentativus, adeoque ineptus ad causandam repræsentationem; ergo.

Confirmatur supernaturalitas, quæ est in visione benè infert lumen gloriæ principium esse activum relatè ad ipsam visionem; ergo repræsentatio, quæ est in cognitione optimè infert speciem impressam esse ejusdem principium activum. Consequentia hæc liquet paritate rationis.

Secundum, & ultimum fundamentum Conclusionis illud est, cui innititur communiter schola D. Thomæ sic procedens. Quod habet rationem formæ, seu actus respectu alicuius, respectu illius activè influit, atqui species impressa habet rationem actus, seu formæ relatæ ad ipsum intellectum; ergo cum ipso activè concurrit ad ipsius operationes; major certa est. Formæ enim sunt activæ, unde affirmari solet, quod forma in composito sit radix omnium operationum, quæ inveniuntur in composito, quod verum censeo loquendo de formis substantialibus. Probatur itaque minor: de ratione actus est complere aliquod in aliqua linea determinata; sed species impressa complet in linea intelligibili; ergo habet rationem actus. Major sui explicatione innotescit; existentia enim, quæ relatè ad essentiam habet rationem actus complet essentiam in linea existendi, & subsistentia quæ habet rationem actus in linea subsistendi complet ipsam essentiam pariter in tali linea, & ipsa forma substantialis, quæ est actus in linea physica substantiali complet materiam in eadem linea. Ostenditur autem minor, nam sine specie impressa non est potentia completa, & quidem ex defectu perfectivi; cum enim notitia teste Augustino non oriatur nisi ex objecto, & potentia, signum evidens est, quod potentia completa non est in linea principii adæquati, nisi adsit objectum motivum, quod cum adesse non possit; nisi per speciem, jam sine specie potentia cognoscitiva non erit completa. Dixi ex defectu perfectivi, quia species impressa perficit potentiam in linea intelligibili, cum reddat ipsam fœcundam ad omnia intelligenda.

## CAPUT SECUNDUM.

*Aduersæ Partis argumenta diluuntur.*

QUamuis Scotistæ huiusmodi speciem impressam maximè in ordine ad cognitionem abstractiuam admittant, quia tamen ipsam esse potentiæ perfectionem denegant, quemadmodum etiam quod potentiam compleat, vel rationem actus habeat relatè ad ipsam, ideo placet, quid dicant audire. Arguunt itaquè primò. Intellectus à specie impressa nullam recipit virtutem, nullam perfectionem; ergo ipsa species habere nequit rationem actus in ordine ad potentiam intellectiuam. Consequentia hæc est certa, nam ratio actus, seu formæ respectu illius cuius actus est, habet ipsum complere in linea determinata, atquè perficere. Ostenditur itaquè Antecedens. Ipse intellectus per se ipsum, & ex se ipso habet totam activitatem intelligendi, ergò non completur per ipsam speciem.

Confirmatur primo hoc argumentum, quia si species compleret virtutem actiuam Intellectus, iam se teneret ex parte ipsius, & non amplius ex parte obiecti, atqui iuxta comunem omnium consensum species se tenet ex parte obiecti, est enim virtus obiecti, eiusdemque semen, ergo. Patet sequela, siquidem ideo habitus intellectuales se tenent ex parte Intellectus, quia huius virtutem complent, & corroborant, ut optimè patet in ipso lumine gloriæ, quod Intellectum complet ad visionem.

Confirmatur secundò, quia etsi necessarius sit hic concursus speciei impressæ ad cognitionem, ex hac tamen necessitate impropriè infertur ipsam gerere munus conprincipii effectivi, ut patet in ipsa unione hypostatica ad humanitatem sanctificandam, habitibus naturalibus ad suos actus, cognitione ad finalizandum, & clarius in ipsa existentia creata ad causandum effectivè, formaliter, nec non in genere causæ materialis, quæ omnia esto necessaria sint ad suos actus, vel effectus præbendos, non exerceat tamen rationem causæ efficientis, vel formalis, nec enim unio hypostatica est forma formaliter sanctificans, sicuti cognitio non exercet rationem causæ finalis, ut, in Physica docuimus, quemadmodum nec existentia virtutem causandi, cum solum sit extrinseca conditio, ut causa physica agat. Cur autem hoc consimili modo species impressa cum potentiis, in quibus datur, concurrere, vel causare non poterit? eo vel maximè, quod sic causando attollitur, nec deprimitur virtus Intellectualis. Resp. ad præcipuũ argumentũ potentiã intellectivam dupliciter considerari posse, videlicet prout ipsa principium est vitale, secundò verò prout obiecti fæcunda, seù in proxima dispositione ad ipsum obiectum intelligendum. In priori sensu utique Intellectus per speciem non completur, cum per se ipsum completus sit, per propriam videlicet activitatem vitalem. Attamen specie indiget in secunda acceptione, ut superius ostensum est Per quod patet in forma.

Ad primam verò confirmationem solutio est ad huc speciem impressam se tenere ex parte obiecti, non obstante suo concursu effectiuo ad intellectionem; cuius ratio est, quia esset concursus actiuus supplendo vices obiecti. Quinimmò opus est, quod obiectum per sui speciem activè concurrat, quia ut optimè Theologi Salmanticenses aduertunt in tractu de visione Dei disp. 2. dub 3. intellectio in tantum specificatur ab obiecto suo primario, in quantum obiectum, vel per se, vel per sui speciem

prin-

principium est cognitionis. Nec obstat exemplum luminis gloriæ, siquidem estò tam hoc, quam species effectivè compleant virtutem Intellectus, nihilominus lumen se tenet ex parte potentiæ, non vero species, quia primum ipsam determinat determinatione se tenente ex parte potentiæ, species verò ex parte obiecti. Secunda vero confirmatio facilimæ est solutionis, quam excogitari possit. Cur enim species necessaria sit in linea principii coefficientis, superius recensendo nostras fundamentales rationes visum est, quæ aliunde non vrgent loquendo de recensitis in argumento, quod ut clarius appareat singulis paritatibus, quæ cursim in confirmatione adducuntur occurrendum est, & ut à prima Incipiam paritate, ex vnione hipostatica deprompta, solutio est hanc non habere rationem natu æ, vel formæ Sanctificantis, sed solum medii, applicantis formam substantialiter infinitè sanctificantem, unde huius indigentia ad habendam sanctificationem substantialem est solum medii, non formæ sanctificantis, è contra verò species impressa necessaria est ad coefficiendum, quia requiritur ad tribuendam aliquam formalitatem in cognitione Intellectuali refucentem, uti est ipsa repræsentatio. Paritas vero, quæ additur de subsistentia, ut soluatur: sciendum est circa modum, quo existentia concurrit ad causandum, duplicem esse sententiam. Prima propugnat, existentiam exigi per modum rationis formalis, physicè causantis. Secunda vero sustinet solum se habere, tamquam conditionem, sine qua non, cui subscribunt plures Thomistæ, cum Salmanticensibus tract. 21 de Incarnatione *disp. 7 3. 4 num. 110*. Cuilibet autem ex his sententiis inhærendo soluitur argumentum, iuxta primam quidem negando minorem, iuxta secundam vero dirimitur afferendo disparitatem in eo stantem, quod existentia supponit virtutem adæquatè productivam, cum supponat rei essentiam, unde nil mirum quod non sit ratio causandi. At species Impressa non supponit principium adæquatum cognitionis, cum non supponat potentiam fœcundam, & determinatam ad intelligendum potius hoc, quam illud. Secundū argumentum, quod à specie impressa excludit effectiuum concursum procedit ex propria speciei imperfectione relatiuè ad cognitionem: eis enim, quod altero imperfectius est, influere nequit in ipsum causando; sed species imperfectior est ipsa cognitione, cum sit In linea vitali, in qua procul dubio non est ipsa species, cum hæc nec vitalis sit per modum potentiæ, nec per modum actus, cum neque sit potentia, qua anima proximè intelligere potest, neque actus, quo intelligat. Certum est autem ea, quæ sunt de linea vitali, ordinis esse superioris comparatiuè ad ea, quæ sunt ordinis non vitalis, sicuti ordinis inferioris sunt ea, quæ sunt ordinis naturalis; comparatiuè ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, esto deinde magis excedat supernaturale naturale, quam vitale non vitale, cum supernaturale, si propriè supernaturale est, sit supra vites totius naturæ, secus vero vitale, quod cum non vitali continetur intra totā naturam, quamuis vitale in gradu superiori intelligatur ad non vitale; ergo species actiuè concurrere nequit ad productionem cognitionis. Major certa est. Causa enim efficiens præcontinere debet effectum, vel totaliter, si totalis sit, vel partialiter, si causa sit partialis; præcontinere autem nequit, si imperfectior sit, quia nullum imperfectius præcontinet effectiuè perfectius, quapropter diximus in libris de Ortu, & Interitu, nec accidens posse effectiuè attingere substantiam, nec calorem, ut sex calorem ut septem producere.

Confirmatur primò, quia cognitio quælibet creata, vel excedit speciem impressam secundum omnem sui formalitatem, vel secundum nullam, vel solum secundum aliquam sui formalitatem; sed si primum affirmetur omnis causalitas effectiua excluditur à specie impressa, cum nihil effectiuè attingat id, quod secundum omnem sui partem se ipsum excedit. Secundum vero cum veritate pariter concedi non potest, quia in cognitione vitalitas est, quæ aliunde non est in specie impressa secundum id, quod explicat ratione sui. Tertium itaque dicendum remanet; sed si hoc dicatur adhuc excluditur à specie concursus effectiuus, estò partialis; ergò. Probatur minor paritate: quia estò substantia excedat accidens, solum qua substantia, non qua ens, sic enim uniuocè, vel analogicè conuenit cum accidente, iuxta diuersa Philosophorum placita (ut in logica monuimus) nihilominus accidens excluditur à productione substantiæ, nedum in genere causæ efficientis adæquatæ, verum, & inadæquatæ; ergò à pari esto quælibet cognitio intellectualis excedat speciem impressam solum secundum aliquam sui formalitatem, non vero secundum omnem, nihilominus species excludenda est à productione cognitionis, etsi per modum principii effectiui.

Confirmatur secundò, quia Vitalitas transcendit omnem formalitatem repertam in cognitione; ergo cognitio totaliter vitalis est; ergo totaliter speciem impressam excedit; ergò species nullatenus effectiuè concurrere poterit ad cognitionem. Nihil est in hac confirmatione, quod certum non sit. Antecedens in primis evidens est; quia non minus transcendit vitalitas cognitionem, ac supernaturalitas visionem beatificam. Consequentia secunda liquet, quia vitalitas est ratio, cur cognitio sit ordinis superioris ad speciem. Certè enim nequit esse ordinis superioris, nisi vel quia spiritualis, vel quia accidens est, cum hæc omnia etiam speciei impressè conueniant; Ultima vero consequentia certior est, quam probari possit, quia ad effectum totaliter excedentem nulla datur præcontinentia in causa ordinis inferioris.

Huic argumento respondent Thomistæ plures speciem impressam habere genus aliquod vitalitatis, adeoque optimè posse effectiuè concurrere ad cognitionem Ratio istorum est, quia, nedum vis radicalis, ac proxima ad intelligendum, sed etiam species intelligibilis spectat ad eamdem lineam vitæ intellectualis, adeoque etiam ipsa suam peculiarem vitalitatem præseferre debet. Sed hæc solutio, quam referunt, & sequuntur doctissimi Patres Salmanticenses *tract. 2. disp. 2. dub. 3.* numquam nobis placere potuit, unde jure merito ipsam proscribit Lodigerius noster, nedum *lib. 2. disp. 3. quæst. 5 cap. 2.* sed etiam disp. 4. ubi aduersus Illustrissimum Petrum de Godoy propugnantem *in 1. part. tract. 2. de visione disp. 16 §. 5 à numero 92* lumen gloriæ esse principium quo vitale proximum supernaturale, statuit nec lumini, nec speciebus conuenire esse principium vitale, nisi analogicè, hoc est tantum nomine vitæ per attributionem ad vitam animæ, itaut tota vitalitas, quæ lumini, & speciebus conuenit sit, quia se tenent ex parte potentiæ vitalis, quam eleuant, & fœcundant, seu, ut etiam quamplures Thomistæ dicunt, quia species ab intrinseco est determinatio potentiæ vitalis, ut talis, in quo sensu solum peculiaris concedi potest vitalitas. Verius itaque dicendum est, quod esto cognitio excedat in perfectione speciem

speciem secundum suam vitalitatem, non excedat tamen secundum formalitatem repræsentatiui, cum iam bene fit repræsentatio obiecti in speciæ, ac fit in ipsa cognitione. In forma itaque concessa maiori distinguo minorem. Imperfectior est ipsa cognitione, si hæc accipiatur secundum se totam concedo minorem, secundum aliquid sui nego minorem, & consequentiam. Distinctio patet.

Quod verò additur pro priori argumenti confirmatione, asserere eligimus cognitionem solum secundum aliquid sui excedere speciem impressam, ex parte nimirum vitalitatis, non verò repræsentationis: nec obstat paritas, quæ additur desumpta ex accidentibus, quibus concursus quilibet effectiuus, etsi partialis negatur in ordine ad substantiam, quæ prout precisè prefesert rationem entis realis, accidens non excedit: disparitas enim non parum obuia est, ex eo satis sufficienter deducta, quod ideo accidens penitus excluditur ab effectiua productione substantiæ, quia etsi aliqua sit formalitas, ut ita dicam in substantia, quæ quoque est in accidente, hæc tamen etiam est in substantia producente. Gratis autem, & absque fundamento, quod saltem plausibile sit, pluralitas ponitur causarum pro effectu aliquo, quoties quælibet se sola apta, necnon sufficiens est. At non sic euenit in casu, cum formalitas repræsentatiui, quæ in cognitione qualibet reperitur, haberi nequeat à solo intellectu, unde non frustrà exigitur speciei impressæ effectiuus concursus intentionalis.

Ad secundam verò confirmationem nostra solutio est vitalitatem transcendere omnem formalitatem in cognitione repertam, quia nulla formalitas est, quæ vitalis non sit, cum etiam ipsa repræsentatio, quæ in cognitione residet vitalis sit, nihilominus hæc transcendentia nullatenus derogat partiali concursui speciei impressæ ad ipsam cognitionem, sicuti, quod supernaturalitas transcendat omnem formalitatem repertam in visione beatifica, non derogat io plausibili Theologorum sententia, extra Scholam Diui Thomæ, quod Intellectus cum lumine gloriæ effectiuè proximè per modum virtutis, proximè ad visionem ipsam concurrat. Cujus ratio est, quia hæc transcendentia vitalitatis in cognitione non tollit, quin sibi vindicet cognitio rationem repræsentatiui, adeoque quin species impressa effectiuè concurrat; unde in forma distinguendum est vitalitas transcendit quamlibet formalitatem repertam in visione, quia nulla est formalitas, quæ vitalis non sit concedo, quia non est formalitas repræsentatiui contracti ad vitalitatem, vel quæ sibi identificet in cognitione vitalitatem, & sic nego. Distinctio patet.

Arguunt tertiò alii, quia si species impressa effectiuè concurreret cum intellectu ad intellectionem, etiam essentiæ diuinæ gerenti munus speciei effectiuus concursus conueniret. Patet hoc, quia sicuti essentia diuina, si gereret vices luminis gloriæ effectiuè concurreret, quia effectiuè concurrit lumen gloriæ, pro quo suppleret, ita gerens munus speciei effectiuè concurrentis, effectiuè deberet concurrere, quia supplens vices alterius, præstare debet, quod præstat aliud, aliàs pro illo non suppleret, ut patet etiam in ipsa diuina subsistentia, quæ quia supplet in ratione terminandi vices subsistentiæ creatæ, sicuti hæc ultimò humanitatem terminat, hoc idem præstat quoque subsistentia diuina. Et ratio totius est, quia essentia diuina, prout species repræsentatiua nequit subterfugere id, quod est de conceptu abstractissimo speciei; ergo si speciei impressæ ex suo conceptu conuenit effectiuè concurrere, conuenire hoc etiam debebit unicuique gerenti munus speciei; atqui essentia diuina gerens munus speciei, nequit effectiuè concurrere; ergo. Probatur minor, primò, quia si effectiuè concurret, subordinaretur intellectui, concurreret enim per modum principii *quo proximi*, de cuius ratione est subordinari principio actiuo, ut *quod*. Secundò quia concurreret naturaliter, non verò liberè, quia obiectum ex se actu intelligibile, uti est diuina essentia, isfluit naturaliter, & quatenus est. Tertiò quia etiam relationes formaliter, vel ex se actiuè influerent, cum non minus, ac essentia uniantur intellectui in ratione speciei intelligibilis, & sint intimè præsentes intellectui per lumen gloriæ eleuato.

Respondeo concedendo libenter diuinam essentiam effectiuè ad visionem concurrere, in quo concursu nulla est reperibilis imperfectio, sicuti nulla involuitur in hoc, quod Deus suppleat pro causa efficienti, ut omnes Theologi conceduot cum Philosophis. Nec obstat, quod primò in contrarium affertur, siquidem ommissa Salmanticensium solutione docentium, quod estò species creata concurrat ad intellectionem cum subordinatione ad ipsam, quia ab intellectu substentatur, & suo modo accipit esse, tamen increata, utpotè forma per se subsistens, & actus perfectissimus non sic concurrit, quia cum hæc in suo esse ab intellectu non dependeat, nec etiam in operari dependebit, dicendum est speciem ex genere suo non concurrere cum subordinatione ad intellectum, cum non concurrat in genere causæ instrumentalis, sed principalis, ut optimè etiam ex Thomistis loco superius allegato aduertunt idem Godoy, & Joanes à S. Thoma.

Secundum verò non urget; nam sicuti stat, quod Verbi subsistentia terminet humanitatem ratione sui, & diuinitas pariter ratione sui humanitatem sanctificet, quin naturaliter humanitas terminetur, & sanctificetur, sed solum liberè, ita stabit, quod essentia diuina, prout species impressa immediatè influat in visionem beatificam, quin necessariò influat, sicuti per se ipsam determinat potentiam ad intellectionem, quin naturaliter determinet. Et ratio totius est, quia diuina essentia influit, ut applicata, applicatur autem contingenter, & liberè, unde liberè influit.

Ad ultimum verò dicendum est relationes diuinas ratione sui non influere in visionem, nec ad ipsam mouere, cum nec propriam habeant veritatem, ut docent Henricus *art. 34. quæst. 2.* & Angelicus Doctor *quæst. 1. de veritate art. 5. ad 18. & 19. & art. 7.* illis verbis. *Ratio autem veritatis non fundatur supra rationem Paternitatis, & Filiationis, in quantum huiusmodi, sed per rationem entitatis. Paternitas autem, & Filiatio sunt una essentia, & ideò una veritas utriusque*; nec prioritatem habeant respectiuè ad diuinam cognitionem, ut diffusè ostendit noster Lodigerius *lib. 3. disp. 2. quæst. 3. num. 2.* quæ tamen prioritas in ordine ad intellectionem necessariò exigitur.

QUÆST.

## QVÆSTIO SEXTA.

*Utrum detur, & ſit poſſibilis ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ deſeruiens ad cognitionem intuitiuam.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur ſententia negatina.*

QUamois ad Philoſophos non ſpectet propoſita difficultas, placet tamen hic ipſam proponere, ac dirimere, quia non parum manuducit ad uberiorem notitiam eorum quæ in præſenti materia diſcutiuntur. Cum enim aliquando ſint arguentes, qui Theologicas difficultates proponunt illis etiam, qui vix Philoſophi ſunt, non abſre erit hic refere, quæ aliqualem connexionem habent cum materia, quam ſub hac diſputatione repoſuimus. Quæritur itaque, an ſicuti intellectus indiget ſpecie ultimò ipſum complente, ut alia à ſe intelligat, opus etiam habeat in Patria, ut Deum intuitiuè cognoſcat; Ex cujus difficultatis reſolutione ſuperius dicta magis conſpicua euadent. Ut autem hoc fiat, ſciendum unicè eſt, in hac re multiplicem eſſe ſententiam. Prima eſt de facto dari ſpeciem hanc impreſſam. Huic adhærent Ricardus, Aureolus, Hurtadus, Egidius Luſitanus, Argentina, Lichetus. Secunda propugnat, quod eſtò de facto non detur hæc ſpecies deſeruiens ad viſionem intuitiuam, poſſibilis tamen ſit. Hanc ſequuntur ingenti agmine Patres Societatis, quos inter Molina, Vaſquez, Suarez, aliique plures, & extra iſtorum Scholam hanc amplectuntur ferè omnes Patres Scotiſtæ. Hic tamen notandum eſt, Vaſquezium peculiarem ſibi facere in hac re ſententiam, cum ponat de facto ſpeciem hanc, à lumine gloriæ indiſtinctam, ut optimè aduertit ex eadem Societate Syluester Maurus *Tomo 1. lib. 1. quæſt,* 31. de ſpecie impreſſa Dei.

Tertia ſententia vero eſt Thomiſtica, quorum auctores plures refert Illuſtriſſimus Petrus de Godoy *Tomo 1 tract. 2 diſp.* 11. § 1. *num* 6. necnon ex noſtris Illuſtriſſimus Lodigerius *Tomo 1. lib. 2. diſp. 2.* Ex his ſententiis tertiæ in ordine ſubſcribo, quam Henrici eſſe plures noſtri Theologi ſcitè oſtendunt, & præcipuè relatus Illuſtriſſimus Sapientiſſimus Magiſter Doctrinæ Henrici Interpres accurratiſſimus.

Probatur autem primo ratione Diui Thomæ, quam inſinuat *quæſt.* 12. *art.* 2. *ad* 3. Species impreſſa ponitur, vel ad reddendum objectum proximè intelligibile, vel quia idem objectum in eadem linea præſens non eſt intellectui; atqui eſſentia diuina, & eſt proximè intelligibilis, ſimulque præſens intellectui in linea intelligibili; ergò repugnat ſpecies impreſſa Dei. Conſequentia hæc liquet, quia ſpecies per ſe eſt ordinata, vel ad proportionem ponendam inter objectum, & intellectum, quod contingit, quando objectum eſt remotè ſolum intelligibile, ut euenit in rebus materialibus, quæ propter ſui materialitatem remotè ſolum intelligibilia ſunt, vel ad objectum intentionaliter uniendum cum intellectu, eſtò in ſe ſit proximè intelligibile. Repugnat autem ſpecies, quæ pro nullo ex his ſupplere habeat. Major autem eſt certa. Species enim dicitur Vicaria objecti, vel ejus vices gerens, non eſſet autem talis, ſi objectum, nec redderet proximè intelligibile, vel non redderet intentionaliter præſens intellectui, ſicuti diuina ſubſiſtentia non ſuppleret vices ſubſiſtentiæ create, ſi loco iſtius humanitatem non terminaret. Minor autem quoad primam partem liquet eſſentia enim diuina Summè immaterialis eſt per excluſionem cujuſcumque materialitatis, etiam Metaphiſicæ ut alibi dicam aduerſus de Quiros, Hurtadum, Arriagam, Pontium, alioſque. Quod autem eſt ſummè immateriale, ſummè eſt intelligibile. Nec pariter deficit præſentia intentionalis, quia intellectui eleuato per lumen gloriæ de facto præſens eſt, & quidem in linea intelligibili, quia præſens eſt ſub ea ratione, ſub qua intellectus ipſam cognoſcit.

Dices rationem hanc non urgere, primò quia Deus etſi præſens ſit phyſicæ intellectui Beatorum, præſens tamen non eſt intentionaliter, & obiectiuè, quæ præſentia aliundè exigitur ad intentionaliter determinandum intellectum ad cognoſcendum; hæc autem cum haberi nequeat per eſſentiam diuinam, quia unio intentionalis fieri petit per informationem, quæ Deo repugnat, remanet dicendum præſentiam hanc ſuppleri media ſpecie, adeoque locum eſſe, unde adhuc ſpecies ſuppleret objecti vices. Secundò, quia etſi Deus ſummè intelligibilis ſit, atque in linea proxime intelligibili ſit præſens intellectui, adhuc media ſpecie concurrere poteſt, fierique præſens. Patet hoc primo in ipſa natura angelica, quę eſtò ſe ipſa proportionata ſit intellectui proprio, illique unita, nihilominus poteſt Angelus ſe ipſum media ſpecie intelligere: & de facto eſtò verbum ratione ſui ordinetur ad conſtituendum intellectum intelligentem, vel effectiuè, ut propugnamus nos, vel formaliter, ut volunt quamplures Scotiſtæ, nihilominus datur verbum ad nullum iſtorum ordinatum, uti in Verbo diuino manifeſtè conſtat: & ultimò tandem hoc idem conſtat in ipſa diuina bonitate, quæ eſtò infinita ſit, nihilominus noſtram voluntatem mouet ad ſui amorem, media ſui cognitione, veluti ſpecie ſui expreſſa; unde poterit quoque diuina eſſentia, eſtò proximè intelligibilis intellectum mouere, determinare, complere media ſui ſpecie.

Sed Contra eſt: hæc enim ſolutio ſecundum ſui omnes partes à verò recedit, & à prima ſui parte incipiendo certum mihi eſt, quod præſentia objecti intellectui opus eſt, quod intentionalis ſit, & non ſolum phyſica; at quod opinor eſt diuinam eſſentiam poſſe per ſe ipſam præſentiam hanc intentionaliter ſortiri, quod melius oſtendi nequit, quam inquirendo, quid ſit præſentia hæc intentionalis, & an ab omni imperfectione ſit depurabilis. Hanc itaque nil aliud eſſe judico, quam objectiuam determinationem intellectus Beati per modum termini, adeo ut intellectum Beati fœcundet, moueat, determinet ad viſionem, uniendo ſe intellectui obiectiuè intrinſecè, non quidem informatiuè, quod repugnat Deo, nec à ſpecie exigitur, ut patet in ipſa ſubſtantia Angeli, quæ per ſe ipſam fœcundando proprium intellectum, vices gerit objecti, cum tamen intellectum non informet. Cum autem munus determinandi purè terminatiuè diuinæ eſſentiæ non implicet, hinc hæc uniri poterit intellectui eo modo, quo exigitur ad ſui fœcundationem. Quod ſi modus hic explicandi præſentiam hanc intentionalem, cui adhæret Petrus de Godoy, non arridet, approbari poteſt alter Syluestri Mauri, quem tradit *lib. 1. quæſt.* 31. *num.* 43. ubi affirmat illud intentionaliter mouere ad cognitionem, quod cognoſcitur propter ſe, unde cum Deus propter ſe cognoſcatur in Patria, ſicuti propter ſe diligitur, hine intentionaliter erit præſens intellectui Beatorum. Quæ tamen præſentiæ intentionalis explicatio parum nobis arridet ob quamplures difficultates,

quas patitur, & quas omittimus ob temporis penuriam.

Nec pariter obstat exemplum naturæ angelicæ. Variæ enim sunt solutiones. Sunt enim, qui dicunt ideo possibilem esse speciem impressam in quolibet Angelo sui ipsius determinatiuam ad sui cognitionem; quia substantiæ angelicæ possibilis est defectus unionis ad proprium intellectum, unde quoque possibilis est forma ordinata ad talem defectum supplendum, cum aliunde essentia diuina non solum non habeat hunc defectum, verum etiam illum habere nequeat. Sic respondet idem Godoy. Alii verò hoc contingere existimant, quia essentia Angeli etiam in esse intelligibili ulterius complebilis est ab alio distincto, cum etiam in esse intelligibili non sit actus purus, unde potest optimè intelligibilis fieri media specie impressa. Ita argumento occurrit Sylvester Maurus *Tomo 1. lib. 1. quæst. 31. num. 35.*

Sed utraque solutio claudicat. Prior quidem, quia cum in nostra sententia interueniat identitas realis inter intellectiuam potentiam, & substantiam, quæ intellectiua est, jam non est possibilis casus, in quo sit possibilis defectus unionis substantiæ intellectiuæ ad proprium intellectum, & quidem etiam in linea intelligibili, cum etiam in hac linea cum intellectu identificetur. Secunda verò, quia etsi verum sit essentiam Angeli etiam secundum intelligibilitatem non esse actum purum, & ulterius compleri posse per aliud distinctum, verum tamen est illam intelligibilitatem, quam ex intrinsecis habet ex se proportionatam esse ad mouendum, & ultimò complendum intellectum in linea intellectiua, cui intimè præsens est. Nec enim per speciem redderetur substantia angelica magis proportionata ad intelligi, cum intelligibilitas æqualis esset in specie Angeli, & sua substantia, sicuti æqualis esset utriusque immaterialitas; unde argumentum denuò reddit, si vera est hæc Mauri solutio, Instarique enim sic potest. Quamuis essentia Angeli non sint summè intelligibilis, quia non summè vera, est tamen quantum sufficit, ut sit proximè intelligibilis, necnon intellectui proportionata in linea intelligibili; Sed nihilominus fieri potest proximè intelligibilis media specie, estò hæc non esset data ad supplendum defectum substantiæ in ratione objecti; ergò etiam estò essentia diuina sit intellectui beatorum proximè intelligibilis, ipsique intimè præsens, adhuc poterit intelligi media specie, estò hæc non daretur ad supplendum defectum objecti.

Verior itaque solutio est, à vero recedere, quod sit possibilis species in Intellectu Angeli Gabrielis ad se ipsum intelligendum, siquidem species possibilis non est, nisi vel ad proportionandum obiectum potentiæ, vel ad ipsum eidem uniendum, atqui substantia Angeli Gabrielis respectu eiusdem Intellectus ita proportionata est, & unita, ut impossibilis sit casus, in quo improportionata sit, & non unita eidem Intellectui; ergo iam implicabit species impressa sui in angelis ad se intelligendum, si verum sit, quod species solum dentur ad supplendum utriusque defectum. Quod si velint species quoque dari, etsi nullum defectum suppleant, vel suppleré possint, disparitas esse potest, quod species substantiæ angelicæ non repugnat, sicuti non implicat immaterialitas æqualis immaterialitati Angelorum. Repugnat verò species impressa Dei, quia deberet esse equalis in immaterialitate cum ipso in linea repræsentatiua, quod fieri nequit.

Sed dices contra priorem solutionem: non minus species datur ad obiectum proportionandum potentiæ, ipsique vniendum, quam ad concurrendum cum Intellectu effectivè proximè ad visionem; sed est possibilis casus, in quo deficiat hic concursus, ut in casu, in quo Deus suspenderet suum concursum, ergo est possibilis casus, in quo in intellectu angelico, & divino detur species impressa. Consequentia hæc liquet, quia quemadmodum si deficeret, vel proportio, vel vnio obiecti ad potentiam, esset possibilis species suppiens defectum obiecti, ita si deficeret concursus effectiuus proximus obiecti in se, dari debebit species impressa, cum species non minus detur ad proportionandum obiectum potentiæ, ipsique vniendum, quam ad effectiuè concurrendum cum intellectu ad cognitionem.

Respondeo, quod si hæc instantia urget, probat possibilem esse ordinem specierum in infinitum in ordine ad idem obiectum cognoscendum. Patet hoc, quia sicuti deficere potest concursus effectiuus substantiæ Angeli Gabrielis ad sui cognitionem, potest quoque hic etiam deficere speciei impressæ sui, si daretur, cum Deo pariter liberum sit, speciei concursum effectiuum suspendere, & consequenter deberet poni alia species supra priorem, & cum aliundè superior ratio vigeat etiam de secunda specie, iam alia species poni deberet, sique in infinitum Itaque dicendum est speciem precipuè dari ad constituendum actum primum proximum, adeoque ad proportionandum obiectum, vel ad ipsum uniendum potentiæ, unde est quod si deficeret, vel proportio, vel unio obiecti ad Intellectum, admitti deberet species, non vero si deficeret simplex concursus, quia tunc non amplius daretur ad supplendum defectum actus primi. Ex hoc enim, quod deficere possit concursus substantiæ angelicæ ad propriam sui intellectionem, non sequitur, quod sit possibilis species ad talem defectum suppiendum, sicuti ex hoc, quod possit deficere concursus Intellectus ad propriam intellectionem non sequitur, quod sit possibile aliud comprincipium, quo habeatur ipsa Intellectio, cum hæc petat esse à principio intrinseco. Et ratio totius est, quia Deum suspendere concursum vel sui, vel substantiæ angelicæ ad cognitionem, vel sui, vel Angeli non est Deum velle concurrere per speciem distinctam, sed simpliciter nolle sui, & Angeli cognitionem

Quod solum itaque ingerit aliqualem difficultatem, illud est, quod ultimo loco obiecit adversa pars. Cui nihilominus posse fieri satis opinor, si dicatur disparitatem esse, quia bonitas divina estò in se infinita, non intelligitur tamen voluntati applicata, nisi media cognitione, cum hac solum supposita movere possit ad sui amorem, iuxta illud Celebre Proloquium *nil volitum, quin præcognitum*. At vero essentia divina, nedum intelligitur ultimò vel proximè intelligibilis, verum etiam se ipsa Intellectui Beatorum applicata, vel intentionaliter unita, quapropter superflua est omnis eiusdem species ad ipsam intellectui applicandam.

Probatur secundo ratione alia: Si esset possibilis species impressa deserviens ad visionem intuitiuam deberet repræsentare omnia, quæ Beatus videt, atqui videt infinitatem essentiæ, esse purissimum eiusdem essentiæ, eiusque Omnipotentiam; ergo in esse repræsentatiuo, repræsentare deberet hæc omnia prædicata; sed non stat hæc prædicata repræsentare, quin intrinsecè infinita sit, purissima sit, Omnipotens sit in esse repræsentativo; ergo hæc omnia esset in esse repræsentativo; sed hoc implicat;

plicat; ergo. Maior certa est, quia Intellectus nihil cognoscere potest nisi media specie. Minor evidens est, quia Beatus videt ea, quæ formaliter sunt in Deo, uti sunt relata in minori. Prima vero illatio optimè deducitur. Subsumpta de se patet; sicuti enim non stat illa prædicata convenire Deo in esse entitativo, quin Deus entitativè infinitus sit, Omnipotens sit; ita nec stabit convenire in esse reppresentativo speciei impresssæ, quin hæc intrinsecè in esse reppresentativo infinita sit & Omnipotens. Quod verò hoc repugnet, patet primò, quia recensita prædicata talia sunt, ut in illis Deus non se communicat. Secundò, quia quælibet species creata etiam in esse reppresentativo finita est, cum tam in linea entis, quam repprefentativi quid creatum sit, ut optimè advertit ex Thomistis sæpè relatus Petrus de Godoy ex Cajetano *tom. 1 tract. 2 disputat. 15. quæst. 12.* § 6. Si autem finita, jam nequit esse intrinsecè infinita.

Quod si dixeris illa prædicata speciei illi convenire solum extrinsecè, quatenus extrinsecè terminatur ad objectum infinitum, ut sentit Suarez, vel in esse diminuto, ut opinantur alii, sciendum est priorem evasionem non subsistere, quia objectum reppræsentativum debet intrinsecè in specie contineri in esse reppresentativo, sicuti intrinsecè habet rationem speciei; posteriorem verò à veritate recedere, quia species prædicata aliqua continenere in esse diminuto, est illa continere in esse reppresentativo, unde cum superius probatum sit illa continere non posse in esse reppresentativo, propter sui finitatem, probatum quoque est eadem prædicata continere non posse in hoc esse diminuto.

Probatur tertiò conclusio ratione Henrici, quam promovet noster Illustrissimus Lodigerius loco superius allegato. Si daretur species deserviens ad cognitionem intuitivam, deberet representare Deum per adæquationem representantis ad representatum, sed repugnat species Deum representans per adæquationem; ergo. Major certa est, quia hæc species deberet posse deservire perfectiori, & perfectiori visioni in infinitum: nec etiam unus intellectus Beati perfectius Deum videt, ac videat alius, quia perfectiori specie instructus est, sed quia inæquali lumine gaudet, vel inæquali potentiæ activitate, ut propugnant aliqui, unde est, quod eadem specie in perfectione, non alia, homo magis solem videat noctua; sed species, quæ deservire potest perfectiori visioni in infinitum, representare debet objectum per adæquationem; ergo. Minor autem ostenditur primò, quia species representans Deum per adæquationem, deberet esse intrinsecè infinita in linea representativa, quod implicat propter finitatem speciei, etiam in eadem linea: tum quia plus distat species creata, etiam in esse representativo à Deo, quam species unius creaturæ à qualibet alia creatura; atqui species unius creaturæ adeò dissimilis est alteri creaturæ, ut illam representare per adæquationem nullo modo possit, ut species lapidis substantiam Angeli; ergo multò minus species creata Deum representare poterit per adæquationem.

Arguunt primò contra positum assertum nonnulli. Potest Deus sub aliqua specie creata contineri in esse entitativo; ergo poterit etiam contineneri in esse representativo. Antecedens evidens est, siquidem Christus secundum divinitatem, & humanitatem continetur sub speciebus panis, & vini. Consequentia autem certa est, quia non minus Deus est infinitus in linea entitatis, ac in linea representabilis; sed estò infinitus in linea entitatis nihilominus continetur in esse entitativo sub specie creata; ergo etiam non obstante infinitate in linea representabilis contineri poterit in aliqua specie creata in linea reprentativa.

Respondeo disparitatem esse, quia diversimodè Deus continetur sub specibus Eucharisticis, ac continetur in specie sui representativa. Sub prioribus enim non continetur intrinsecè, quasi quod species Eucharisticæ, vel entitativè, vel representativè sint Deus; sed solum extrinsecè, in hoc sensu scilicet, quod Deus ad prolationem verborum consecrationis sub speciebus se constituat; ac verò si species in esse representativo esset Deus, cum species intrinsecè sit representativa, & imago objecti, sed.

Instabis. Nihil obstat, quo minus sit possibilis hæc species intrinsecè, clarè, & distinctè representativa Dei; ergo. Probatur antecedens. Si aliquid obstat ex parte divinæ essentiæ esset, quia hæc est de se proximè intelligibilis, & præsens intellectui, vi, cujus præsentiæ superflua redditur omnis species impressa; cum hæc detur ad supplendum defectum objecti, & ex parte speciei, quia hæc deberet esse infinita in linea representativa, sicuti ejusdem immaterialitatis cum divina essentia, cum esset ejusdem virtus proxima; atqui rationes istæ non obtinent huiusmodi speciei repugnantiam; ergo species hæc non implicat. Major rationem præcontinet potissimam, cur repugnet species impressa deserviens ad visionem intuitivam. Major itaque ostendenda remanet, quoad singulas sui partes, & quidem prima primò ostendi potest, quia sicuti essentia divina est proximè, & summè intelligibilis, ita divinitas est infinitè, & summè sancta humanitatem sanctificans, & Divina Omnipotentia est virtus infinita proximè operativa, sed nihilominus estò Divinitas sit forma infinitè sancta, & infinitæ sanctificans, & Omnipotentia sit virtutis infinitè, datur locus, ut adhuc sanctificetur humanitas per gratiam habitualem, & causæ secundæ ut operetur; ergo etiam estò divina essentia sit unita intellectui per se ipsam gerendo munus speciei, uniri poterit media specie.

Confirmatur hoc simulque urgetur primò. Non minus essentia divina est proximè intelligibilis quoad quid est, quàm quoad an est; sed estò sit proximè intelligibilis quoad an est, redditur de facto à nobis sic intelligibilis quoad sui speciem ex creaturarum cognitione; ergo etiam poterit reddi quoad quid est.

Confirmatur, & urgetur secundò, quia etsi instrumenta in causis naturalibus ordinentur ad supplendum defectum illarum, dantur respectu Dei physica instrumenta, quin ad aliquem Dei defectum supplendum ordinentur; ergo pariter quamvis species de facto dantur, respectu objectorum creatorum ad illorum defectus per modum actus primi supplendum ordinentur, dabilis erit de potentia absoluta species respectu Dei, quæ nullum ejus suppleat defectum; ergo.

Urgetur tertiò. Estò natura angelica proprio intellectui unita sit in linea intelligibili, non repugnat tamen, quod intellectus Angeli suam essentiam intelligat, media sui specie; ergo estò unita sit essentia divina intellectui Beatorum in linea representativa, nihilominus uniri etiam poterit media specie.

Probanda itaque est minor quoad secundam sui partem, videlicet, quod hæc species non deberet esse intrinsecè infinita, primò quidem, quia suffi-

ceret

ceret, quod esset extrinsecè infinita, seu ad objectum intrinsecè infinitum terminata. Secundò, quia deberet solùm deservire ad visionem intuitivam, quæ cum finita est, non est unde exigatur hæc intrinseca infinitas, sicuti non exigitur in lumine gloriæ ad eandem visionem. Ad effectum enim finitum virtus infinita non exigitur: non repugnat autem, quod finito modo per formam finitam repræsentetur. Tertiò quia etsi requireretur hæc infinitas, nihilominus posset illi hæc convenire, quamvis finita sit in genere entis. Patet hoc in ipsa Christi satisfactione, quæ etsi in genere entis limitata sit, illimitata tamen est, & infinita in genere moris, cum sit valoris infiniti, ut in materia de Incarnatione quamplures docent Theologi doctissimi cum Henrico; ergo hoc idem contingere poterit in specie, videlicet quod sit entitativè finita, & infinita in linea repræsentativa.

Ultima tandem pars ostenditur, quia æqualis immaterialitas, ut Deum repræsentet, non requiritur, ut primò evidens est in ipso lumine gloriæ, quod estò sit principium connaturaliter tendens in visionem beatificam, nihilominus cum Deo non convenit in eodem gradu immaterialitatis. Secundò in anima separata, quæ potest connaturaliter quidditativè cognoscere Angelum, quamvis non sit in eodem gradu immaterialitatis cum ipso, cum sit composita, saltem ut quo, quam compositionem certè non dicit Angelus. Tertiò in ipsa specie, qua Angelus inferior superiorem cognoscit, quæ non excedit immaterialitatem Angeli inferioris, aliàs connaturaliter in illo non reciperetur; sed Angelus inferior non est æqualis immaterialitatis cum superiori: differunt enim penes majorem, vel minorem immaterialitatem; ergo hæc æqualitas non exigitur; ergo impossibilitas speciei habentis æqualem immaterialitatem cum Deo non arguit repugnare speciem ejusdem repræsentativam.

Huic argumento, ut in integrũ diluatur quoad singulas sui partes occurrendũ est. Itaque quoad primam sui partem dicendum est ex divinæ essentiæ proxima intelligibilitate optimè inferri ejusdem speciem distinctam superfluam esse. Cum enim species detur solum ad supplendum defectum objecti, qui oriri potest, vel quia non sit intimè præsens intellectui, vel quia non sit proximè intelligibile, sequitur, quod superflua sit species impressa divinæ essentiæ, cum hæc sit proximè intelligibilis, & in linea intelligibili intimè præsens intellectui Beatorũ; unde quantum est ex proxima divinæ essentiæ intelligibilitate existimo superfluitatem solum inferri posse. Nec obstant paritates, quæ in oppositum afferuntur. Non quidem prima, quia congruum est, quod Christi humanitas sanctificetur omni modo possibili, unde sanctificata sanctitate increata, sanctificari quoque poterit per creatam: at verò non est debitum intellectui Beatorum fæcundari omni modo possibili, nisi etiam dicere velimus cum Godoy *quæst. 9. de visione Dei, tract. 2. disp. 11. §. 7.* discrimen provenire, quod sanctificatio per gratiam habitualem, non ordinetur ad supplendum defectum sanctitatis per essentiam, unde nil mirum, quod increata sanctificatio relinquat locum creatæ: non relinquit autem proxima divinæ essentiæ intelligibilitas, quia species ordinatur solum ad supplendum huius defectum. Per quod patet ad illud de Omnipotentia Species enim intelligibilis datur solum ad complendam objecti intelligibilitatem. Cum autem divina essentia sit per se proximè intelligibilis, hinc fieri nequit, quod ad visionem concurrat per speciem intelligibilem creatam distinctam: at comprincipia creata ad effectum aliquem producendum non dantur, ad hoc ut sint complementum divinæ Omnipotentiæ, sed solum veluti inadæquatæ, & finitæ participationes divinæ Omnipotentiæ, unde potest divina Omnipotentia attemperando suum concursum uti causis secundis, ut principiis participativis divinæ virtutis ad producendos effectus.

Ad primam confirmationem, vera solutio ea est, quam præbet Illustrissimus Petrus de Godoy *quæst. 2. de Deo uno tract. 5. disp. 3. §. 1. num. 12.* in eo consistens, quod Deum cognoscere ex creaturis *quod an est*, est Deum cognoscere per speciem mediatam, de cuius ratione non est, quod illi objecto mediatè cognito assimiletur, sed solum, quod habeat similitudinem cum objecto primario repræsentato *in quo*, vel *ex quo* res illa secundò repræsentatur: hinc intellectus noster per speciem entis realis, ens rationis cognoscit, quamvis talis species non assimiletur enti rationis, & Deus per propriam essentiam, ut speciem, cognoscit comprehensivè creaturas, quamvis divina essentia illis non assimiletur. At verò Deum cognoscere quoad quid est, est Deum cognoscere immediatè species autem repræsentans rem aliquam immediatè in se ipsa, debet illi assimilari.

Ad secundam verò confirmationem, pariter ex eodem Thomista solutio esse potest, quod estò instrumenta naturalia ex sua natura dentur per se ad supplendum defectum causæ, non tamen sic dantur instrumenta purè obedientialia; Sed potius hæc videatur arguere virtutem eminentem in causa, sicuti in simili diximus in Proemialibus Logicæ, quod estò habitus physici in creatis dentur per se ad tollendam difficultatem, morales tamen non sic dantur, ut in eodem Logicæ initio diximus. Respectu Dei autem solum datur instrumentum obedientiale: at verò species ex suis intrinsecis datur ad supplendum defectum objecti, & ad ejus loco concurrendum; adeoque non est dabilis, nec etiam de potentia absoluta species respectu Dei, quæ nullum ejus suppleat defectum.

Ad tertiam confirmationem respondet idem Thomista, ideo Angelum sua essentia, quamuis se ipsa proportionata sit cum proprio intellectu, posse intelligere media specie, quia possibilis est defectus unionis ad proprium intellectum; unde mirum non est, quod non repugnet forma ordinata ad talem defectum supplendum, & ad uniendam essentiam cum intellectu angelico. Diuina autem essentia, nec habet, nec habere potest defectum hunc unionis: sed verior solutio mihi est, ideo per propriæ essentiæ speciem Angelum posse intelligere, quia ita est proximè intelligibilis Angeli essentia, ut non repugnet species in eodem gradu immaterialitatis cum ipsa: at verò repugnat species creata in eodem immaterialitatis gradu cum diuina essentia.

Quoad secundam verò partem argumenti solutio est, quod species hæc deberet esse intrinsecè infinita in linea repræsentatiua, sicuti intrinsecè est similitudo, & objecti Immago, eo vel maximè, ut superius dixi, quia deseruire posset ad perfectiorem, & perfectiorem visionem in infinitum. Quod si de facto non deseruit essentia diuina, gerens munus speciei, hoc prouenit, quia capacitatem non inuenit in intellectu, per lumen glorie eleuato, sicuti quod species solis non deseruiat ad perfectiorem visionem in Noctua, defectus non est ex parte speciei solis, sed potentiæ organicæ egrè dispositæ, & quod humanitas

tas non redatur infinitè subsistens per diuinam subsistentiam, defectus non est ex parte subsistentiæ, quæ infinita est, sed humanitatis. Nec obstat, quod additur, videlicet hanc representationem comprehensiuam non esse, unde in specie desumatur, si quidem quamuis verum sit, si ipsam speciem consideremus comparariuè ad visionem finitam, falsum tamen est, si ipsam consideremus comparatiue ad objectum, cujus est species; Hac enim cum infinitum sit, jam hæc species in linea representatiua hanc infinitatem habere deberet, quod implicat, nedum quia infinitas est prædicatum in quo Deus nullatenus se communicat cum creaturis, verum etiam quia species, etiam in linea representatiua finitae est, & limitata, cum creata sit, adeoque non in hac linea esse potest infinita, sicuti esse possunt merita Christi, attento eorum valore, quia respiciunt principium intrinsecum infinitè dignificans, cujusmodi est dignitas verbi: nisi dicere velimus cum laudato Thomista disparitatem esse, quod in specie genus entis in ratione immaterialitatis, & representatiui, nedum identificantur, verum etiam commensurantur, quatenus ratio representatiui fundatur in immaterialitate, unde cum species improportionata sit in linea immaterialitatis, erit quoque in linea representatiua. At verò genus entis, & genus moris estò identificentur, non tamen delumuntur ex iisdem, sed potius ex diuersis principiis, ut patet in Christi satisfactione, quæ infinitatem moralem recipit à Persona Verbi infinita, physicam verò entitatem ex physicis principiis finitis.

Ultima tandem pars argumenti sua destituta est veritate, quia æqualitas in immaterialitate non est, unde excludi possit inter speciem impressam, & obj ctum, seu inter virtutem objecti proximam, & objectum ipsum. Lumen autem gloriæ, visio beatifica, & alia hujusmodi ideo hanc non postulant æqualitatem; quia non habent rationem imaginis, vel virtutis proximè ab objecto emissæ. Quod idem, etiam dici posse arbitror ad illud de anima connaturaliter cognoscente Angelum in statu separationis, nisi dicere velimus etiam æqualitatem hanc in immaterialitate necessariam esse inter potentiam, & objectum, ut potentia connaturaliter in objectum tendat, propter cujus defectum volunt quamplures Thomistæ cum Illustrissimo Petro de Godoy *tract. 2. disp. 13 quæst.* 3. §. 4. nec animam in statu separationis connaturaliter cognoscere quidditatiue Angelos; quam tamen doctrinam non recipimus, alioquin nec intellectui eleuato per lumen gloriæ posset esse connaturalis Dei visio, quia etiam prout eleuatus non est in eodem ordine immaterialitatis cum Deo.

Quod itaque aliquam ingerit difficultatem, ni fallor, illud est de specie, qua Angelus inferior superiorem intelligit; Si enim hanc dicas esse æqualem in immaterialitate, obstat ipsius connaturalis receptio in intellectu Angeli inferioris. Si dicas inferiorisesse immaterialitatis; ergò jam non requiritur æqualitas in immaterialitate inter speciem, & objectum. Si verò tandem dicas æqualem esse speciem immaterialitati objecti, vel Angeli superioris quoad gradum, quatenus excludit potentiam physicam, estò includat metaphysicam, non verò quoad speciem, adhuc opponi potest, eo quia nulla assignari possit ratio, cur conuenientia in gradu exigatur, & non conuenientia in specie, eo vel maximè, quod species illa non solum representat illam immaterialitatem quoad gradum, verum etiam quoad speciem. Quod si dicatur speciem Angeli superioris in Angelo inferiori receptam æqualem esse in immaterialitate quoad speciem, & quoad gradum in esse representatiuo, non verò entitatiuo, ut reuera occurrit Godoy hic, dicam ego; ergò jam genus entis in ratione immaterialitatis, & genus representatiui, nec commensurantur, nec debent commensurari, quod non concedit hic Thomista. Ut itaque huic argumento solidius occurreret Lodigerius noster, aliam excogitauit solutionem, quam in eo consistere docet, quod inferior Angelus, non media specie superiori intelligat, sed per essentiam ejusdem Angeli superioris, intimè intellectui inferioris præsentem.

Non renugno huic solutioni, sed solum addo, & illam speciem æqualem esse in immaterialitate, si attendamus, quid sit objectum formale, & primarium cognitionis Angeli inferioris. Hoc itaque est Angeli substantia, prout excludit potentiam physicam, & includit metaphysicam potentialitatem, partiale verò quælibet Angeli substantia, prout hanc inclusionem, & exclusionem importat, & materiale ipsa substantia Angeli superioris, prout præfert excessum in sua specifica immaterialitate. Hoc autem supposito dico ipsam speciem debere esse commensuratam in immaterialitate cum objecto formali, & primario, non verò materiali. Prior autem commensuratio etiam in casu interuenit inter speciem Angeli superioris in inferiori Angelo existentem, & Angelum ipsum superiorem, quæ tamen aliundè interuenire nequit inter quamlibet speciem creatam, & diuinam essentiam, quæ objectum primarium est visionis intuitiuæ.

Utramque hanc solutionem viderant doctissimi Patres Salmaticenses, quibus, cum prior Illustrissimi Domestici Auctoris non arrideat ipsam inpugnant primò. Essentia Angeli superioris uniri nequit intellectui Angeli inferioris, nisi eidem illabatur; sed nulla substantia creata illabi sic potest, cum illapsus proprius sit solius Trinitatis, ut docent Sancti Patres, Augustinus, Fulgentius, Thomas, Bonaventura; ergò. Major ostenditur, nam in priori ad unionem in linea intelligibili presupponi debet unio in esse naturali; sed hæc haberi nequit nisi illapsu intercedente; ergò.

Instant secundò, quia essentia Angeli superioris cum sit immaterialior potentia intellectiua Angeli inferioris improportionata est cum intellectu ejusdem Angeli inferioris, & quidem in linea immaterialitatis, in qua linea aliunde proportio exigitur. Instant tertiò, Ideo nulla species creata deseruire potest ad visionem intuitiuam Dei, quia nequit esse æqualis in immaterialitate cum diuina essentia; ergò quia Angeli superioris essentia non est æqualis, sed inæqualis immaterialitatis cum Angelo inferiori, non poterit deseruire per modum speciei.

℟. ad singulas. Instantias, & ad primam aduertendo quinam est illapsus, qui solius Dei proprius est. Hic itaque est illapsus per modum objecti beatifici, præbens virtutem proximam ad actus supernaturales visionis, & fruitionis. Ulterius illapsus est omnia liber, ipsam potentiam, cui illabitur continendo. Sic autem non illabitur essentia cujuslibet Angeli intellectiui Angelico, ut certum omnino est. Quinimo essentia diuina illabitur per modum formæ infinitæ, etiam in linea representatiua, tum intensiue, quo sensu profectò non illabitur essentia cujuslibet Angeli.

Ad secundam instantiam dico, quod proportio, quæ requiritur in immaterialitate non est inter speciem impressam ex una, & potentiam ex altera parte,

te, sed inter speciem objecti, & objectum ipsum, cum species sit virtus objecti, ejus naturam participans, quapropter dicendum est aliàs, quod nulla sit dabilis species impressa diuinæ essentiæ, quia nulla est, quæ æqualis esse possit in immaterialitate cum ipsa. Quod si exigatur æqualitas inter speciem, & potentiam, jam Angelus superior, nec per sui speciem cognosci poterit, cum etiam hæc tam benè excedat in immaterialitate Angelum inferiorem, quam Angelus superior, cujus est species. Proomnibus itaque dico inter speciem, & potentiam debere interuenire proportionem, non quidem mathematicam, sed habitudinis, quæ profectò non deficit in casu.

Ad Tertiam verò solutio est, quia illatio non benè deducta est, siquidem in antecedenti fit comparatio inter speciem, & objectum; in consequenti verò inter speciem, & potentiam, inter quæ æqualitas non requiritur in immaterialitate, uti perspicuè patet inter essentiam diuinam gerentem munus speciei, & potentiam intellectiuam Beati, quæ non est certè æqualitas in immaterialitate, nec quoad speciem, nec quoad gradum.

Obiiciunt ulterius alii probando de facto Beatos intelligere media speciæ impressa. Quod essentia diuina per se presens sit intellectui Beatorum non tollit, quo minus isti forment verbum; ergò nec etiam quo minus intelligant per sui speciem impressam. Probatur antecedens. Præsentia diuinæ essentiæ intellectui Paterno non obstat, quin Pater eternus notitia intentionali verbum formet; ergò à pari præsentia ejusdem essentiæ intellectui Beatorum non obstabit, quin idem intellectus verbum efficiat, sicuti Angelos efficere, dum se ipsos intelligunt, volunt Thomistæ cum Diuo Thoma 4. *contra Gentes cap.* 12.

Respondeo disparitatem latissimam esse, & illa est, quam huic argumento assignat Petrus de Godoy, loco superius allegato, docens Patrem verbum formare in notionali cognitione essentiæ ex fœcunditate, in quantum diuina natura, & diuina cognitio ad intra fœcunda est ad verbi increati productionem, non verò ex necessitate, quasi quod opus sit, quod Pater formet Verbum ad diuinæ essentiæ cognitionem. Beati autem, neque ex fœcunditate formare verbum creatum possunt, quia huc implicat; sicuti implicat species expressa creata æqualis immaterialitatis cum diuina essentia.

Arguit ultimo Vasquez Potest accidens evadere in esse repræsentatiuo substantiam; ergo poterit etiam id, quod est ab alio in esse entitatiuo, esse à se quoad esse repræsentatiuum. Antecedens constat in ipsa specie impressa substantiæ repræsentatiua, quæ in esse entitatiuo accidens est, in esse vero repræsentativo est substantia. Consequentia verò ostenditur, quia non magis opponuntur esse à se, & esse ab alio, quam esse per se, & esse in alio; sed nihilominus id, quod est entitative in aliu, repræsentative per se esse potest; ergò etiam id, quod entitative est ab alio, poterit esse repræsentative à se.

Respondeo primò disparitatem esse, quod ideo species, quamvis accidens potest repræsentare substantiam, quia potest habere equalitatem cum ipsa in immaterialitate, quinimo ipsam excedere, ut patet in specie impressa repræsentatiua substantiæ materialis, quæ certe species, utpore depurata à physica materialitate, ipsa substantia immaterialior est. At verò non est possibilis creatura, sive in esse entitativo, sive repræsentativo, quæ sit æqualis immaterialitatis cum Deo, cuiusmodi esse deberet species ipsius Immediata, & propria.

Secunda verò disparitas est, quod ideo accidens in esse repræsentativo potest esse substantia, quia in esse repræsentativo univocari potest cum substantia, et ideo univocari potest, quia sub eodem esse non explicat, esto implicet inherentiam, ratione cuius tollitur univoca convenientia, inter ipsam, & substantiam. At species creata, nec in esse repræsentativo univocari potest cum Deo, Ratio à priori est, quia hæc species explicaret sui dependentiam à Deo, tum in esse repræsentativo, tum entitativo; priorem quidem sub conceptu intelligibilis ab intelligibilitate divina, posteriorem verò sub conceptu entis à divina entitate, ut optimè aduertit Godoy, loco Superius allegato.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*In quo formaliter consistat intellectio.*

### CAPUT PRIMUM.

*Præmittuntur nonnulla scitu necessaria.*

Controversia hæc non parum difficilis est, pro cuius solutione non una est omnium mens, quam antequam aperiamus, non incongruum est primò aduertere, satis communem esse doctrinam in Schola Divi Thomæ, intellectionem non esse actionem, de prædicamento actionis, quam doctrinam ideò tuentur Thomistæ, quia actio, quæ de prædicamento actionis est, habere debet rationem motus, necnon esse alterius productiuam; intellectio autem non est alterius productiva, nec habet rationem motus, cum non relinquat intellectum in potentia ad ulteriorem, & perfectiorem actum, sed ipsa sit ultimus actus illius perfectiuus. Secundò quia actio prædicamentalis est ratio, seù forma, qua agens trahitur de potente operari ad actualiter operandum, aliquod inferendo in passum, sed intellectioni, quæ est actus immanens hoc competere nequit, cum nec transeat in passum, nec imprimat formam suam simpliciter, & phyicè transmutando illud, sed solum intentionaliter, & secundum quid; ergò nequit esse de prædicamento actionis. Sic loquuntur Salmanticenses, disp: 2. dub. 9. §. 4. & Ioannes à S. Thoma in Physica disp: 15. art. 6. in solut: ad 3.

Secundò aduertendum est, *intelligere* dupliciter sumi posse, primò quidem pro tota intellectus negotiatione circà obiectum intelligibile, & hoc modo *intelligere* importat omnia, quæ ad intelligendum concurrunt, ut intellectum agentem, phantasma, speciem impressam, ipsius receptionem, productionem verbi, & verbum ipsum: Secundò verò accipitur pro sola obiecti perceptione, seù cognitione. Hic *intelligere* accipimus in secundo sensu, non verò in primo. De hoc autem loquendo multiplex est sententia.

Prima est omnium Thomistarum, asserentium intellectionem consistere in ipsa dictione, seu actione verbi productiva, unde sustinent intellectionem, & dictionem non esse duas actiones realiter distinctas, sed tantum distingui eo modo, quo actio modificata distinguitur à se ipsa considerata, absque modo. Sicuti enim actus, quo producitur habitus scientificus, non est actus diversus ab habitu scientifico, sed est ipse habitus scientificus, modificatus per quemdam modum fæcunditatis, feù fæcundus; ità dictio non est actio diversa ab intellectione

sed

sed solum ipsa intellectio, ut exprimens quamdam rationem fœcunditatis, & causalitatis respectu verbi Sic hanc Thomisticam sententiam exponunt doctissimi Complutenses *disp. 21. de Intellectione quæst 4*, Ioannes à Sancto Thoma *quæst: 2. de Intellectione art* 1. ex Divo Thoma 3. *parte quæst: 27 art* 1. docente, *quod quicumque intelligit, producit verbum*. Ad quam tamen Thomisticam sententiam melius percipiendam ulterius sciendum est, iuxta veram Divi Thomæ sententiam intellectionem priorem esse verbo in genere causæ efficientis, & hoc modo vocatur dictio, & cognitio in fieri, posteriorem verò ipso verbo in genere causæ formalis, quia cõtemplatur obiectum in verbo secundum quam considerationem solum est cognitio in facto esse, & perfecta. Quæ doctrina non parum affinis est, & connexa alteri, in qua docent, quod accidentia ultimò disponentia sua priora ad formam in genere causæ materialis, posteriora verò in genere causæ efficientis, ut alibi diximus.

Secunda sententia, quæ tribuitur Ægidio, Capreolo, Aureolo, & aliis sustinet ipsam formaliter consistere in receptione speciei intelligibilis, ità ut per hoc, quod Intellectus patiens recipiat species intelligibiles constituatur formaliter intelligens.

Tertia Sententia defendit consistere in verbo mentis, seù specie expressa, & hæc opponitur primæ, cum prior velit intelligere conuenire in priori ad verbum.

Huic adhærent Pontius *disp 6. de anima quæst.* 9. Petrus à S. Catherina *lib. 3. de anima disp. 3. quæst.* 4. Dupasquier *disp 13. de intellectu concl* 2. cum Vasquezio, & aliis ex Scoto *in* 1. *dist.* 27 *§. ad quæst istas*, versu *posset igitur*. In hoc tamen sensu hæc Scoti sententia intelligenda est, quod verbum semper sit ipsa actualis intellectio, non tamen e contra, sed solum illa, quæ naturaliter genita est, atque producta à memoria fœcunda. Quapropter Scotistæ dicunt, quod in divinis intellectio essentialis non dicitur Verbum, quia à memoria fœcunda non est verè producta, sed solum refulgat ex quadam emanatione, nec visio in Beatis Verbum est, quia ab essentia divina non naturaliter producitur, sed liberè.

Quarta tandem propugnat intellectionem actionem esse peculiarem, realiter contradistinctam à receptione specierum, ab ipsa dictione, & tandem ab ipso verbo mentis, ad ipsum subsequentem, & hæc est vera Henrici sententia, ostendenda. Quod antequam fiat, sciendum ulterius est pro huius controversiæ uberiori notitia, Patres societatis in hac re non uniformiter loqui, ut optimè advertit Lynceus *lib. 7. methap. tract* 3 *cap* 6 *&* 7 Aliqui enim volunt intellectionem hic in via consistere in sola actione Verbi mentis productiva, Verbum ipsum excludendo. Almainus *in* 3 *part. summ. Phylosoph. art.* 1. Hurtado *disp.* 6 *de anima sect* 1. *& subsect.* 1. Arrubal *tom* 1. *in primam partem disp.* 19. *num.* 4. Suarez lib. 2 *de attributis divinis cap* 12. *& lib.* 3. *de anima cap.* 5 *& disp.* 45 *metaph. sect.* 5. *num* 13. quibus adhære Benaspes *part.* 4. *in lib. de anima resol.* 3. cum hoc tamen discrimine, quod censent intellectionem consistere formaliter in actione sine termino à se realiter distincto productiva. Alii verò volunt cum Scoto consistere in verbo menti, ut Vasquez *tom.* 2. *in primam part. disp.* 54. *cap.* 4 Valentia *tom.* 1. *disd* 6 *quæst. &* §. 5. *punct.* 1. Arriaga *disput.* 6. *de anima sect* 2. *subsect.* 4 Salas *tomo* 1. *quæst.* 3. *tract.* 2. Nonnulli verò ipsam reponunt in complexo ex actione, & verbo mentis, ut Georgius Rhodes *lib.* 2. *disp.* 18. *sect.* 4 Lynceus verò peculiarem sibi constituens sententiam, vult intellectionem formaliter consistere in actione productiva verbi, & in verbo ipso, quapropter duplicem in nobis excogitavit intellectionem propriè, ac perfectè talem, duplici ductus ratione, quarum prima est, quia quemadmodum absque ulla absurditate ponitur duplex intellectus, agens scilicet, & patiens, ita quoque poni poterit duplex intellectio. Secundò, quia de facto quodcumque objectum cognoscente duplex intervenit intellectio, ut v.gr. in Filio cognoscente per cognitionem absolutam, & omnibus personis communem, & per cognitionem notionalem soli Filio propriam per identitatem, quæ cognitiones inter se virtualiter distinctæ sunt ob prædicata illa contradictoria, quæ utriq; conveniunt. Cur autem & in Creatura duplex intellectio dari non poterit? sed quidquid sit de hac ultima huius Auctoris sententia, quæ tamen inferius reprobabitur, hic priores, quæ magis plausibiles sunt, reiici debent, solumque quarta recipienda est. Itaque sit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Intellectio formaliter non est ipsa dictio, sed quid realiter ab ipsa distinctum.*

NOn unica ratione suaderi potest hæc conclusio Nos de more brevitati studentes præcipuas rationes afferemus, ex quibus prima sit. Tunc intellectio distinguetur à dictione distinctione reali, quoties dabilis sit intellectus intelligens formaliter, quin sit formaliter dicens; atqui dabilis est intellectus actualiter intelligens, quin sit dicens; ergo. Major certa est, siquidem si intelligere consisteret formaliter in ipsa actione productiva verbi, profectò non esset dabilis intellectus intelligens, quin esset dicens, cum in nullo supposito dari possit constitutum sine forma constitutiva. Probatur itaque minor. Quamvis suppositum dicens esse nequeat, quin sit intelligens, tamen potest esse suppositum intelligens, quin sit dicens, ut patet in Filio, & Spiritu Sancto, in quibus est intelligere, cum tamen non sit dictio, & in ipsis Beatis, qui clara visione Deum vident, & tamen non dicunt, cum non forment speciem expressam Dei visi; ergo dabilis est intellectus actualiter intelligens, quin sit dicens.

Dices primò. Verbom dupliciter sumi posse; primò pro ut expressum est, ac formatum ab ipso intellectu; secundo verò, pro ut est, quid intellectum vel sub ratione intellecti. Modo quamvis verum, sit, quod intellectio possit esse sine verbo primo modo considerato, adeoque sine dictione, ut productiva verbi, à se formati, & expressi, ut patet in Filio, & Spiritu Sancto, quibus non convenit verbum, ut à se formatum, & expressum, nunquam tamen contingit intelligere, sine habitudine ad verbum sub ratione intellecti, in qua habitudine consistit intelligere.

Dices secundo. Ideo Filium, & Spiritum Sanctum non formare verbum, quia intelligunt per intellectionem improductam; Beatos verò, quià obiectum, quod Deus est, illis est intimè præsens, adeoque gerens vices speciei expressæ, sicuti gerit vices impressæ. Sed

Contrà est, cum enim intellectio formaliter sumpta sit unum, & idem cum dictione, necessario debet dicere illum respectum ad verbum, quem di-

cit

cit ipsa dictio; sed dictio respicit verbum, ut à se expressum, & formatum, ergò etiam intellectio deberet sic verbum respicere, quod tamen non coincidit cum solutione primi argumenti. Secundò, dum Filius habet intelligere per comprehensionem Spiritum Sanctum, tunc est vera intellectio, & tamen tunc neque interuenit verbum, ut expressum, & formatum, neque sub ratione cogniti. Non enim talis visio filii comprehensiva Spiritus Sancti dicit respectum ad verbum proprium sub ratione intellecti.

Secunda verò solutio ad rem non facit. Quæcumque enim ratio assignetur ad ostendendum, cur in Beatis non formetur verbum, nec à Filio, & Spiritu Sancto, semper tamen hoc verum est, & innegabile, quod in his est intelligere, in quibus tamen non est dicere, ergò intelligere formaliter ex genere suo non erit dicere. Si enim intelligere esset dicere, ubicumque esset intelligere, deberet esse etiam dicere, & ubi esset Incapacitas dicendi, deberet quoque esse intelligendi, quemadmodum, quia intelligere est ipsa obiecti perceptio, ubicumque est intelligere, necesse quoque est quod sit etiam ipsa perceptio.

Probatur secundò. Intellectio quamvis vera actio sit, non est tamen actio de prædicamento actionis, in satis communis Thomistarum sententia; atqui si intellectio esset ipsa dictio, intellectio esset actio de prædicamento actionis; ergo. Major liquet ex superius tradita doctrina Thomistica. Probatur itaq; minor; ideò intellectio non est actio de prædicamento actionis, quia non habet rationem motus, atqui semel concesso, quod ipsa intellectio sit ipsa dictio, hæc jam haberet rationem motus; ergo esset actio de prædicamento actionis. Probatur minor, actio, quæ est alicuius termini productiva, & relinquit subjectum in potentia ad ulteriorem terminum, habet rationem motus. Patet hoc, motus enim est actus entis in potentia, prout in potentia, hoc est vi motus formaliter adhuc subjectum est in potentia ad ulteriorem terminum; sed intellectio in hypothesi esset alicuius termini productiva, nempè verbi, & per ipsam esset intellectus in potentia ad ulteriorem formam, nempè ad speciem expressam recipiendam; ergo intellectio haberet rationem motus. Minor est certa, nam cum dictio sit alicuius termini productiva, & per ipsam intellectus sit in potentia ad ulteriorem formam recipiendam, nempè ad speciem expressam, profectò si intellectio sit unum, & idem cum dictione deberet aliquid producere, & simul esset actus entis in potentia, prout in potentia.

Dices intellectionem esse unum, & idem cum dictione, non tamen prout hæc habet exercere causalitatem respectu verbi, ut sic enim est aliquid ultra ipsam intellectionem; sed

Contra est; ergo intellectio formaliter non erit ipsa dictio, patet hoc, quia id, quod non est ipsa actio exercens causalitatem circa verbum, non est ipsa dictio tenta dictione secundum suam naturam; atqui juxta hanc solutionem intellectio non est ipsa dictio, prout hæc importat causalitatem respectu Verbi; ergo non erit ipsa dictio.

Dices secundò; de ratione actionis prædicamentalis esse nedum quod actio sit causalitas agentis, sed etiam quod sit causalitas agentis cum motu, qui est actus entis in potentia, prout in potentia, & ulterius quod sit essentiale fieri termini distincti, ad quem essentialiter ordinetur. Hæc autem non conveniunt intellectioni, cum non afferat motum, qui est actus entis in potentia, nec essentialiter petat producere terminum à se distinctum, nec ad ipsum ordinetur, sed potius terminus sit propter ipsam. Sic respondent Complutenses. Sed

Contra est. Quamvis enim hæc doctrina vera sit in sententia distinguente realiter intellectionem à dictione, falsa tamen est in sententia, cum eadem dictione ipsam identificante. Ratio est, quia ipsa dictio est actio intellectus cum motu, cum per ipsam intellectus sit in potentia ad ulteriorem formam, ad quam essentialiter ordinatur, tam quam ad terminum à se distinctum. Dictio enim est primò, & per se instituta à natura propter formationem Verbi; ergo si intellectio est ipsa dictio, jam intellectio erit actus entis in potentia, prout in potentia, & termini à se realiter distincti productiva. Nec officit, quod intellectio non sit propter Verbum, sed è contra, siquidem cum intellectio per ipsos sit in priori ad verbum, cum producatur per notitiam, quomodo quæso Verbum ordinari poterit ad ipsam intellectionem?

Tertiò ostenditur eadem conclusio, supposita prius alia doctrina Thomistarum, quamvis non communissima. Docent enim isti, & præcipuè qui propugnant actiones transeuntes recipi inhæsivè in agente differentiam inter ipsas, & immanentes non esse desumendam penes subjectum, in quo tales actiones recipiuntur, sed penes productionem alicuius realiter à se distincti, ad quod sub ratione productivi ordinentur, ita ut actiones transeuntes distinguantur ab immanentibus, non quia non recipiantur in eodem principio, à quo sunt, sed quia ordinantur à natura primò, & per se ad alterius productionem, quod non faciunt actiones immanentes, prout immanentes. Hac autem doctrina supposita ad rem placet sic arguere. Si intellectio esset unum, & idem realiter cum dictione, hæc non esset de natura, vel de specie actuum immanentium; sed hoc à verò recedit; ergo etiam quod intellectio identificetur cum dictione. Probatur sequela. Si intellectio esset realiter unum, & idem cum dictione, jam esset productiva alicuius effectus à se realiter distincti in rerum natura; sed hoc ipso non esset de natura actuum immanentium, cum isti in eorum doctrina non sint productivi alterius, per modum effectus à se realiter distincti; ergo. Probatur major, nam dictio, ut dictio est essentialiter alterius productiva, verbi videlicet, ergo si intellectio est idem cum dictione, pariter & ipsa esset alterius productiva à se realiter distincti.

Dices intellectionem cum dictione identificatam, aliquid in rerum natura producere, sed per se non ordinari ad talem productionem, qui ordo aliundè essentialiter exigitur ad actionem transeuntem constituendam.

Contra est. Siquidem dictio, ut dictio per se ordinatur ad productionem alterius à se distincti, ergo si intellectio formaliter est ipsa dictio, & ipsa ordinabitur ad productionem alterius à se distincti. Quod si dicas dictionem, pro ut intellectio est non exprimere causalitatem, & verbi formationem, sed causalitatem addere intellectioni. Contra est primo, ergò dictio pro ut dictio non est ipsa intellectio, sed aliquod distinctum ab ipsa. Probatur hæc consequentia, quia dictio pro ut dictio est importat causalitatem, & verbi formationem, sed sic est aliquod superadditum intellectioni, adeoque ab ipsa distinctum, ergò &c. Præterea stante hac solutione sequitur quod dictio non sit actus immanens, quod

tamen

tamen est falsum. Probatur hoc, quia actio, quæ primò, & per se ordinatur ad aliquod producendum in rerum natura est actio transiens, non immanens, uti loquuntur plures Thomistæ; sed dictio ordinatur à natura ad verbi productionem, & formationem, ergò

Dices dictionem producentem aliquid in Thomistica sententia adhuc non cadere à ratione actus immanentis, quia solum productio alicujus in externo subiecto, diuerso ab operante facit actionem non esse amplius immanentem, sed transeuntem; cum autem dictio sit productiua verbi recepti in eadem potentia intellectiua, hinc adhuc est actio immanens; Sed

Contra est, siquidem distinctio actionis immanentis non est desumenda penes hoc, quod prima non producat opus externum, benè verò secunda; sed præcisè penes alterius productionem, & sic erit transiens, vel penes non alterius productionem, & sic erit immanens, quod totum colligitur ex Phylosopho illis verbis, *quorum non est aliud opus, præter actionem ipsismet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante.*

## CAPUT TERTIUM.

*Sententia Ægidii Columnæ reiicitur.*

Cum hæc secunda sententia non gaudeat ea probabilitate, qua Thomistica, faciliusà nobis impugnabitur, & prius tamen supponendo quamdam doctrinam ab omnibus receptam, in eo sitam, quod potentiæ Animæ non mere passivè, se habeant, sed etiam activè erga suos actus, quod definitum esse ab Ecclesia, maximè loquendo de libero Hominis arbitrio in ordine ad actus salutares, extra controuersiam est legenti verba, quæ habentur *in Tridentino sess.* 6. *can.* 4 contra Hæreodoxos, ubi hæc habentur: *Si quis dixerit liberum Hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, & præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, & merè passivè se habere anathema sit:* Hac autem doctrina supposita sic arguere placet contra hanc sententiam. Si intelligere consisteret in sola specierum receptione jam intellectus intelligendo merè passivè se haberet; sed hoc est penitus falsum, ergò &c Minor est certa, nedum ex communi doctrina, verum etiam paritate ipsius voluntatis; cum enim hæc non merè passivè se habeat erga suos actus, non est cur merè passivè se habeat intellectus in ordine ad suos. Probatur itaque sequela majoris, quia intellectum intelligere, per hanc sententiam, est formaliter illum recipere species, sed intellectum recipere species est merè passivè se habere; ergò

Confirmatur. Ideo intellectus in sententia opposita non purè passiuè se habet circa suos actus, quia cum receptio specierum, & actuale intelligere distinguantur, licet circa species se habeat passivè, circa intelligere tamen se habet activè producendo intellectionem per realem productionem, quæ est objecti formalis perceptio, ergò cum in hac sententia, quam impugno intelligere nil aliud sit, quam simplex specierum receptio, jam intellectus intelligendo solum passiuè se haberet.

Secundò probatur Conclusio ratione mihi solida. Id quod se tenet ex parte actus primi ipsum constituendo, nequit esse causalitas in actu secundo, qua causa causet; sed receptio specierum se tenet ex parte actus primi, ipsumque adequatè constituit, ergò nequit esse id, quo intellectus actualiter intelligit. Maior est certa, siquidem si illud, quod se tenet ex parte actus primi esset causalitas in actu secundo præsuponeretur existens sibi ipsi, quia præsuponeretur existens ad actum secundum. Probatur itaque minor. Quod adequatum actum primum constituit, iam se tenet ex parte actus primi, sed receptio specierum adequatum constituit actum primum; ergo &c. Maior est certa; nam actus primus non constituitur, nisi per ea, quæ se tenent ex parte actus primi. Probatur itaquè minor, quià adequatus actus primus ille est, qui potens est dare effectum in rerum natura secundum totum suum esse; sed absquè receptione specierum intellectus dare nequit totum effectum, vel cognitionem secundum omnem sui formalitatem, ergò species constituit intellectum potentem, & consequenter in actu primo proximo ab intellectione.

Confirmatur. Sicuti agens naturale agere nequit, nisi prius supponat materiam tanquam subiectum, in quo agat, & nisi prius moveatur à fine, ita intellectus nequit intelligere, nisi prius obiectum sit actu intelligibile, si enim sit intelligibile tantum in potentia ita est improportionatum ad hoc, ut actu intelligatur, sed quià agens agere nequit, quim prius supponat materiam, in qua agat, vel finem, propter quem operatur, ista omnia se tenent ex parte actus primi, & nullatenus ex parte actus secundi, ergò à pari ipsa receptio specierum se tenebit ex parte actus primi ad intelligendum, non verò ex parte actus secundi.

Tertiò probatur Conclusio. Si intelligere nedum præsuppositive, sed etiam formaliter consisteret in specierum receptione, intellectus deberet semper intelligere, atqui experientia constat esse falsum, ergò. Probatur sequela maioris. Quoties est forma in subiecto apto tribuens formalem denominationem, toties esse debet illa denominatio in subiecto, quam forma tribuit, atqui receptio specierum est forma per aduersarios, qua intellectus formaliter denominatur intelligens, ergo quoties perseverant hæ species in intellectu, intellectus deberet intelligere, atqui de facto tales species permanenter existunt in intellectu, cum sint qualitates permanentes in subiecto incorruptibili receptæ, ergo intellectus deberet semper intelligere.

Vltimo ostenditur conclusio negatiua, quià per operationem vitalem aliquo modo potentia exercetur circà obiectum, sed intellectio est operatio vitalis, ergò per ipsam exercetur potentia intellectiva circà obiectum, sed per solam receptionem speciei non exercetur intellectus circà obiectum, quin potius, ut ità dicam, obiectum exercetur circà intellectum, ergò intellectio non consistit in pura receptione.

His omnibus rationibus occurrunt Aduersarii, & primo ad primam dicunt intellectum non mere passivè se habere, & hoc quià antequam species recipiat ipsas producit adeoqè etiam activè se habet. Secundo quià requiritur quædam aduertentia, hæc autem cum non semper sit, hinc nec semper potentia intellectiva intelligere deberet; sicuti quia per nos requiritur inter alia ad intelligiendum etiam specierum excitatio, quæ semper non habetur, hinc semper intellectus non intelligit, esto semper apud ipsum residèant obiectorum species, Sed

Contrà est, Siquidem hæc solutio nullatenus euadit vim residentem in superioribus fundamentis

Aaaaaaa allatis,

non quidem primum, nam esto concedi possit in sententia, istorum quos impugnamus intellectum non merè passivè se habere in ordine ad species, cum antequam ipsas recipiat, prius producat, tamen negari nequit, quod intellectus merè passivè non se haberet in ordine ad intelligendum, cum intelligere explicet per ipsos solam receptionem speciei impressæ. Nec secundum satisfacit, quià hæc aduertentia vel est quid indistinctum ab ipsa receptione, vel aliquod distinctum: non primum dicere possunt alias reccurreret argumentum non secundum, quia vel hæc aduertentia est ipsa tendentia actualis in obiectum, vel non, si primum, ergò iam ponunt intellectionem realiter distinctam à receptione, quæ sit actus vitalis productus ab intellectu, cum ponant tendentiam actualem distinctam à receptione, quæ tendentia est ipsa intellectio. Si vero dicant secundum iam erit insufficiens ad denominandum intellectum naturaliter intelligentem, cum intellectus actualiter non intelligat obiecta sibi proposita, nisi actualiter tendat circà ipsa.

## CAPUT QUARTUM.

*Intellectio distinguitur realiter à verbo.*

CONclusio hæc est Diui Thomæ, & Doctoris. Primus enim ipsam sustiner *lib. de potentia quæst.* 6 *art.* 1. ubi hæc lego: *Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem, quæ intelligitur, & ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, & ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt:* undè meritò propter hæc verba Thomistæ supradictam tuentur sententiam Doctor verò ipsam defendir *in Summa art* 3 *quæst.* 2 *num.* 26. *ad quartum*, ubi hæc habet: *in nobis autem verbum, quod est aliud ab actu intelligendi est formalis ratio intelligendi in comparatione ad cognita, non autem in comparatione ad actum intelligendi, nisi ut forma ipsius, quia non est elicitiuum actus, sed formatur per ipsum in cognoscendo, & informat ipsum, & distinctum est ab eo:*

Cum his ergo ostenditur Conclusio ratione hac efficaci. Intellectio non est dictio, ergò nec est verbum. Antecedens constat ex dictis. Probatur itaque consequentia. Ideo intellectio non est dictio, quia in aliquo supposito reperibilis est intellectio sine dictione, ut patet in Beatis, & in ipso Filio, & Spiritu Sancto; atqui hæc ratio probat etiam intellectionem realiter distingui à verbo; ergò. Probatur minor. Sicuti est reperibilis intellectio absque dictione, ita est reperibilis intellectio absque verbo, ut patet in iisdem agentibus intellectualibus, supra adductis; ergò si ex quo sit reperibilis intellectio absque dictione, inrelligere non est dicere, pariter quia reperibilis est absque verbo, intelligere non erit ipsum verbum.

Confirmatur, quia in sententia Scoti *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *§. ad auctoritatem*, potest intellectus intelligere per inrellectionem à solo Deo productam, intellectu solum passiuè se habente, ut etiam diffuse ostendit Pontius *disp.* 6 de anima *quæst.* 9. præcipuè tamen, quia intellectus relatè ad intellectionem exercet munus causæ efficientis, pro qua Deum supplere posse certum est, & aliunde ratio actus vitalis non petit produci ab intellectu, cum sufficiar, quod intellectus, vi ejusdem objectum percipiat, ad quod impertinens est, quod producatur; Sed talis intellectio non esset verbum mentis, quia de ratione verbi mentis est, quod producatur naturaliter tamquam proles; ergò dari potest intellectio creata absque verbo mentis, adeoque in verbo mentis non consistit.

Urgeo fortius. Intellectio non est semper notitia genita ab ipsa potentia, ut in hypothesi, quod à solo Deo produceretur. Verbum verò est semper notitia genita à memoria fœcunda; ergò intellectio nequit esse verbum apud Scotistas.

Confirmatur secundò. Ideo intelligere non est formaliter actio, apud Scotistas, quia si Deus solo produceret intellectionem, & illam in intellectu aliquo, merè passiuè se habente reponeret, hic intellectus diceretur intelligens, cum tamen non esset formaliter actio; ergò à pari, quia intellectus intelligens per intellectionem à Deo productam non formar verbum, intellectio non erit verbum.

Dices cum Scotistis verbum nil aliud esse, quam notitiam naturaliter productam ab intellectu fœcundato specie impressa; Sed notitia naturaliter producta est intellectio; ergò

Respondeo primò falsam esse majorem. Verbum enim nullatenus est notitia, non quidem confusa, quia procedit ex notitia confusa, quam memoria tenemus; non clara, quia hæc subsequitur ad verbum in iis, in quibus verbum formatur. Secundò dico falsam esse minorem, quia in Beatis ipsa visio est notitia producta, cum tamen proprie non sit verbum, unde corruit præcipuum Scotistarum fundamentum.

Probatur ultimò conclusio, Id quod est medium, in quo intellectio objectum ipsum percipit, nequit esse medium in quo; atqui verbum est medium, in quo intellectio objecta ipsa percipit; ergò verbum non est ipsa intellectio. Major evidens est, quia si medium, in quo intellectio objecta ipsa cognoscit, esset intellectio, jam intellectio in se ipsa alia à se videret, quod implicat, cum aliorum intelligibilitatem in esse representatiuo non contineat: præterquamquod medium in quo aliquod cognoscitur, aliquo modo distingui debet ab ipsa cognitione, maximè in illorum sententia, qui Dei essentiam in diuina actuali cognitione non constituunt, ut plures Thomistæ sustinent cum pluribus Theologis. Et ratio totius est, quia medium in quo, deseruiens ad cognitionem, intelligitur ratione nostra in priori ad ipsam, cum sit ipsius cognitionis principium determinatiuum, nihil autem intelligitur in priori ad se ipsum. Minor autem certa est, quia verbum mentis similitudo est expressa objecti, & quidem formalis, unde non minus est aptum ad esse medium in quo, ac sit species impressa, cum non minus in illo, quam in ista obiectum perfectè in esse representatiuo contineatur, tamquam in imagine.

Quæres hic, an saltem vera sit sententia Patris Lyncei ultimo loco proposita, docentis intellectionem consistere, tum in actione productiva Verbi mentis, & in Verbo ipso, ita ut duplici intellectione simul intelligat intellectus.

Respondeo negativè. Primò, quia constat, quod quamplures plausibiliter negant possibilitatem in intellectu eliciendi plures cognitiones, quam etsi suadere conentur ex societate Georgius Rhodes *lib.* 2. *disp.* 18. de anima, & Theuphilus Raynaudus *dist.* 4 *quæst.* 1. *art.* 8. aliique plures, cum ex paritate potentiæ visivæ, attingentis simul album, & nigrum, quod evenire opinatur per diversos actus, eo quia, cum actus visionis imago sit obiecti visi, unus actus representare non potest plura contraria, tum quia de facto in ipsis mendacibus, simultanea actuum pluralitas satis deducitur, cum isti

isti aliud scientes dicant, aliudque concipiant, quam interius sentiant; negari tamen nequit intellectus limitationem, satis solidam esse rationem Thomistis ad eruendam impossibilitatem plurium actuum simul, eo vel maximè, quod Rainaudi superiora fundamenta, facilis sint solutionis, sicuti illud est, quod refert de Intelligentiis, quæ simul notitiam habent naturalem, & beatificam.

Secundò, quia una ex illis cognitionibus esset superflua, maximè cum Lynceus uni non concedat modum perfectiorem attingendi objectum, quem non tribuat alteri. Cum aliunde necessitas multiplicandi cognitiones sæpè sæpius desumatur, quia per unam perfectius objectum attingitur, quam per aliam. Nec rationes incontrarium superius allatæ validæ sunt. Non quidem prima, quia distinctio intellectus agentis à patiente necessaria est ob diversa munera, quæ ipsis conveniunt, non parum conducentia ad intelligendum. Opus enim est, quod intellectus reddat objectum proximè intelligibile, quod fieri nequit, nisi virtute intellectus agentis, nisi dicere velimus has species à Deo, vel ab Angelis produci in animæ creatione, cui tamen & benè non subscribit Lynceus *lib. 7 tract 3.* ne in Platonis, Averroes, Avicennæ sententiam incidamus. At duplex intellectio superflua est ad idem objectum simul cognoscendum, cum æqualitate cognitionis in perfectione. Quinimmò addo, quod verbum mentis, utpotè non virale, fortiri nequit nomen cognitionis Nec obstat ultima ratio hujus Auctoris, superius allata. Si enim in nobis duplex cognitio distinguenda esset, quia duplex in Verbo distinguitur, ergo pariter in nobis duplex Sanctitas distinguenda erit, quia pariter duplex in Verbo distinguitur, substantialis nimirum, & accidentalis. In Christo enim utraque invenitur, vel sicuri in Verbo una est cognitio eminenter, formaliter omnes continens, hoc erit quoque in nobis, quod tamen falsum est. Adest enim ratio distinguendi in Verbo duplicem cognitionem, quam Lynceus refert, quæ tamen, vel consimilis non reperitur in creatis. His itaque omnibus sententiis rejectis, de facili constare poterit, quænam sit nostra sententia, nam si intelligere formaliter non consistit in ipsa receptione specierum, nec in ipsa actione, qua producitur verbum mentis, nec in ipso verbo mentis, quid aliud remanet affirmandum, nisi quod habeat consistere in ipsa actione subsequenti ad verbum mentis, sive proprium, quod est imago à re intellecta distincta, formans cognitionem, sive improprium, quod est formatio actus, habita per objectum ipsum immediatum, absque ulla forma simillima media.

## CAPUT QUINTUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

CUm qualibet sententia, superius rejecta suos habeat Defensores, ideò multipliciter ejus Auctores arguere solent, & in primis Thomistæ, stantes pro intellectione, à dictione indistincta, arguunt sic. Notitia rei intellectæ est formaliter intellectio, sed verbum procedit ex notitia rei intellectæ; ergo procedit per intellectionem, cum ergo processio verbi sit dictio sequitur dictionem non distingui ab intellectione. Probatur minor primo, hoc ipso, quod verbum producitur, objectum habet esse cognitum, sed si verbum non procederet ex notitia rei intellectæ, jam non hoc ipso, quod verbum produceretur, haberet esse cognitum; ergo Secundò in divinis verbum procedit ex cognitione essentiæ, & aliorum; cum enim cognitio divina sit infinitè fæcunda, nequit non producere verbum; ergo etiam in creatis verbum procedere debet ex cognitione. Tertiò intellectus non intelligens, non potest producere verbum; ergo verbum debet procedere ex notitia; aliunde procedit ex dictione; ergo dictio est intellectio.

Confirmatur: verbum procedit per operationem propriam intellectus, sed operatio propria, & adæquata intellectus est notitia, sicuti actus adæquatus potentiæ visivæ, est visio corporea; ergo verbum procedit ex notitia rei.

Respondeo negari nequit verbum oriri ex notitia, seu ex scientia, quam memoria tenemus, insinuante etiam Augustino *lib. 15. de Trinitate cap. 10.* illis verbis *necesse est enim, cum verum loquimur, idest quod scimus loquimur ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum*; sed tamen advertendum est cum Doctore *art. 34. quæst. 9.* quod alia est notitia simplex, altera verò declarativa, seu manifestativa. Prima præcedit verbum, secunda subsequetur. Ex prima verbum producitur, ex secunda non producitur, sed potius quodammodo, ut ita dicam ipsa ex verbo producitur. Prima est notitia imperfecta, adeoque dicitur, quod sit declaranda per verbum; secunda est perfecta, cum sit notitia formata ab ipsa re, quam scimus. Modo in forma facilis est solutio, tum ad argumentum, tum ad sui confirmationem; si excipias paritatem deductam in productione verbi divini, cujus disparitas est, quod verbum divinum produci debet perfectissimo modo, ita ut modus ipsum producendi teneatur esse perfectissimus, qui certè talis non esset, nisi procederet ex perfecta cognitione essentiæ, at verò verbum in creatis non tenetur sic produci; cum nulla sit ratio, cur sic produci debeat.

Arguunt primò Thomistæ aliqui implicat actio, quæ sit absque termino, sed intellectio est actio; ergo habere debet proprium terminum productum, sed nisi dicatur, quod producat verbum mentis, nullum habebit terminum; si enim ad ipsum subsequatur, quid quæso producet? ergo dicendum est, quod intellectio consistat in actione, qua verbum mentis producitur.

In hujus argumenti solutione, divisi inter se sunt auctores. Thomistæ nonnulli inter quos Salmaticenses *disp. 2. dub. 9, §. 4.* & Ioannes à S Thoma *disp 5. art. 6. in solut. ad 3.* sustinentes intellectionem non esse de prædicamento actionis; sed solum qualitatis, volunt intellectionem nullius termini debere esse productivam, quia de conceptu essentiali qualitatis non est habere rationem productivi, quæ solutio non parum coincidit cum illa quam exhibet hic Mastrius ex Scoto. Alii verò cum Cajetano concedentes intellectionem actionem esse de prædicamento actionis, nihilominus dicunt de ejus ratione non esse primò, & per se terminum respicere, & hoc, quia hoc proprium est solius actionis transeuntis, quæ non propter se, sed propter suum terminum est. His Thomistis adhærer illustrissimus Petrus de Godoy *Tom. 5. tract. 2. disp. 13. quæst. 12. num 49* Quod si terminus ab ipsa intellectione productus exigatur, non desunt, qui cum M. Gonzalez *disp. 15. sect. 4* assignant modum quemdam per intellectionem productum, cujus munus sit intentionaliter intellectum objecto unire, de quo plura Lodigerius noster *Tomo 1. lib. 2 quæst. 3. cap. 3. num 30. & 39.* & ex Thomistis idem Petrus de Godoy loco superius

uperius allegato. Sed his omnibus solutionibus omissis, plausibilior solutio est, quamlibet intellectionem realiter habere simul rationem actionis, & termini (quidquid sit formalirer) cum enim per se ipsam, absque ullo influxu intermedio dimanet à suo principio effectiuo, jam erit terminus, & actio, unde asserit Lodigerius noster, quod estò repugnet dari actionem sine termino, non repugnat tamen dari actionem absque termino per ipsam producto. Sed aduersus hanc solutionem.

Instabis primò ex Godoy. Terminus factus, & productus à suo fieri, & productione dependet; sed idem à se ipso dependere non potest; ergò nequit esse productio, & fieri sui ipsius. Secundò, quia idem per se ipsum produci nequit, nedum ut principium productiuum, verum etiam nec ut per actionem, & viam; sed si idem posset simul habere rationem termini, & actionis, hoc contingere posset; ergò

Sed contra est. Superior enim solutio, quæ placere non potuit Petro de Godoy, nobiscum propugnanti visionem beatificam non debere necessario respicere verbum, tamquam terminum productum, Henrico, ejusdemque Alumnis non parum arridet; siquidem estò terminus productus à suo fieri dependeat, quando dimanat à principio effectiuo intermedio influxu, non dependet tamen à suo fieri, nec ab ipso distinguitur, quando absque intermedio influxu, sed per se ipsam à principio dimanat, ut evenit in ipsa actione, adeoque hæc optimè poterit habere simul rationem termini, & actionis. Per quod patet ad secundum.

Arguunt secundo tertiæ sententiæ defensores Verbum *ex Augustino 9. de Trinitate est notitia*; sed notitia est formaliter cognitio, ergò cognitio est ipsum verbum. Secundo intellectio formaliter est similitudo obiecti, sed similitudo obiecti est verbum, ergò ipsa intellectio est verbum. maior liquet ex Augustino 9. *de Trinitate cap* 10., *&* 11. ubi affirmat cognitionem esse similitudinem rei cognitæ, hæc enim ibi habet *In quantum Deum novimus similes sumus, sed non ad æqualitatem similes, quià non tandem ipsum novimus, quantum ipse est*.

Respondeo ex Testimoniis Augustini duos in errores lapsos esse aduersæ partis Auctores, Thomistas quidem, & Scotistas. Primi enim videntes Augustinum docere verbum procedere ex notitia, asserverunt dictionem esse ipsam notitiam, cum procedat ex ipsa dictione. Secundi verò, aliique, quos inter Vasquez *disp*: 36. *cap. primo*, Suarez *lib: de Trinitate cap:* 6., & Molina *prima Parte quæst*. 27. advertentes ad definitionem verbi, traditam ab Augustino, in qua affirmat verbum esse formatam cognitionem ab ea re, quam scimus, duxerunt intellectionem in verbo mentis considere, sed sicuti ineptè hoc deducunt Thomistæ, ità infeliciter sententia, Scoti, Vasquezii aliorumque deduci potest ex Augustino, nam hic dum tuetur verbum esse ipsam notitiam, non asserit, quod sit ipsa cognitio, sivè actus cogitandi, sed solum, quod verbum sit forma, qua formatur ipsa notitia, ut patere potest *ex libro octavo de Trinitate cap*. 6. illis verbis: *ipsa enim phantasia eius in memoria mea verbum eius, non sonus iste trisyllabus, cum Cartago nominatur, vel etiam tacitè nomen ipsum per spatium temporis cogitatur; sed illud, quod in animo meo cerno, cum hoc trissilabum voce profero, vel antequam proferam:* Cui explicationi Textus Augustini, ut optimè notant Patres Thomistæ, arridet Diuus Thomas, prima parte, in solutione ad secundum; illis verbis *cum verbum dicitur, quod est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectionis cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo*.

Ad secundum non una est omnium solutio. Sunt enim qui dicunt, intellectionem esse similitudinem obiecti, non secundum se acceptam, sed ut immediatæ formatam ab obiecto ipso, ut evenire docent in Patria, vel ab aliqua forma media, distincta à re, quam cognoscimus, ut evenire solet hic in via in qualibet cognitione: sic ex nostris Illustrissimus Lodigerius. Sunt alii, qui affirmant, Beatos esse quidem similes Deo videndo ipsum, sicuti est in se, non quia visio sit formalis similitudo Dei in esse intentionali, quod est proprium verbi, sed quia habet sibi unitam essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis, per quam fit ipse Deus in ratione intelligibili. Sic Patres Complutenses. Sunt tandem alii, qui sustinent visionem ipsam in Beatis non esse verbum, quià quamuis sit naturalis similitudo divinæ essentiæ, non tamen ab ea naturaliter producitur, sed liberè, cum ad eam ut volens concurrat. Verbum autem petit nedum produci vera productione, & non pura emanatione, sed etiam naturaliter, & non liberè, undè ob hunc defectum visio Dei non est verbum. Sic Mastrius, aduersus Pontium propugnantem visionem Dei habere rationem verbi. Quælibet ex his solutionibus soluit in integrum secundum argumentum.

Arguunt tertio Intellectio est pura actualis obiecti manifestatio, sed verbum est actualis manifestatio obiecti, ergò verbum est ipsa intellectio. Maior liquet; rem enim actu intelligere, est formalissimè rem fieri mihi manifestam. Minor pariter certa est, cum verbum sit actualissima repprefentatio obiecti.

Huic argumento respondent nonnulli utriquè intellectionem esse actualem obiecti manifestationem, at non esse illam, quæ residet in specie impressa, hæc enim est manifestatio per modum puri termini, repræsentantis obiectum, cum illa intellectionis sit per modum operationis vitalis tendentis in obiectum. Cui solutioni placet aliam addere quorumdam docentium verbum non esse actualem obiecti manifestationem, quamuis perfectissima sit eiusdem repprefentatio. Aliud enim est, dicunt, ipsam esse actualem obiecti manifestationem, aliud verò esse ipsius repprefentationem; species enim impressa est perfecta obiecti repprefentatio, at tamen non est ipsius actualis manifestatio.

Arguunt quartò. Intellectione constituitur intellectus in actu secundo intelligens; sed verbo constituitur intellectus in actu secundo intelligens; ergo. Major probatur primò. Intellectus eo formaliter constituitur intelligens in actu secundo, quo formaliter fit res intellecta in eodem actu secundo; sed verbo fit intellectus res intellecta in actu secundo, ergo. Secundò id præstat intellectui verbum in actu secundo, quod illi præstat in actu primo species impressa; sed hæc facit intellectum potentem intelligere; ergo etiam illud actu intelligentem.

Confirmatur primò. Si intellectio, & verbum distinguerentur entitativè, ut res, & res, requireretur duplex passio, una ad receptionem intellectionis, & altera ad receptionem verbi; sed hoc asserere est ineptum; ergo.

Confirmatur secundò. Eadem res est in fieri, ac in facto esse, sed intellectio se habet, ut fieri, & verbum, ut factum esse; ergo intellectio, & verbum sunt idem entitativè.

Respondeo negando majorem, ad cujus probationem nego majorem. Id enim quo intellectus

fit

sit res intellecta in actu secundo præsupponitur ad intellectionem, cum sit in quo per intellectionem percipit rem objectum. Non sunt ergo unum, & idem rem intelligere, & intellectum in actu secundo fieri rem intellectam. Quoad secundam probationem dico facilem esse solutionem, quinimmò, & retorsionem, si proportionaliter loqui velint Adversarii de specie expressa, ac de impressa, nam cum species impressa non sit actus primus ad intelligendum, sed actus primi determinatio, ita & expressa non erit actus intelligendi; sed potius ipsius formatio.

Ad primam confirmationem respondere solent Complutenses, quod licèt eadem indivisibilis res fiat, & sit facta; actio tamen, qua res fit, & est de facto, ab eo distingui debet, undè licèt verbum sit in fieri, & in facto esse, debet nihilominus distingui entitativè ab intellectione, per quam producitur; sed hac omissa negatur minor, intellectio enim nequit esse fieri verbi, cum ad verbum ipsum subsequatur.

Ad secundam confirmationem negant alii sequelam; primò quia ad hoc ut sequatur duplex passio requiritur duplex actio. Quamvis autem intellectio, & verbum distinguantur entitativè, adhuc non intervenit duplex actio. Sic Thomistæ cum doceant intellectionem non esse actionem distinctam à dictione. Secundò quia requiritur duplex terminus, qui certè non invenitur in casu, sed quidquid sit de istorum pariter solutione concedo libenter duplicem passionem intervenire; patitur enim intellectus recipiendo formam formantem ipsam intellectionem, quia hæc contradistinguitur ab objecto, & patitur etiam ipsam intellectionem recipiendo.

# DISPUTATIO SEPTIMA.

De Voluntate.

## CAPUT UNICUM.

*Explicatur voluntatis natura, ejusque præcipui actus referuntur.*

Quemadmodum intellectus est manus Animæ, sic & voluntas est ejus pes; sicuti enim manu ea, quæ sunt extra nos trahimus; sic intellectu res absentes, & remotas oobis quasi præsentes sistimus (hinc quemadmodum in manu sunt quinque digiti, quorum quatuor sunt tribus articulis distincti; sic in intellectu nostro sunt quinque virtutes, quarum quatuor, quæ ratiocinio comparantur, tribus terminis, veluti articulis constant) similiter voluntate in res veluti pede extra nos ferimur; Undè anima plus est ubi amat, quam ubi animat. Voluntas autem humana est appetitus rationalis, vel ut explicat in tractatu de voluntate Dei *quæst.* 1. *cap.* 1. Illustrissimus Lodigerius *est appetitus cum ratione liber*, vel ut insinuat Scotus *est facultas appetitiva spiritualis*. Potissimus verò voluntatis actus est amor, qui vel est appretiativus, seu quo aliquid magni facimus, ipsumque alieri præferimus, vel effectivus, quo erga rem amatam studio inclinamur, vel tandem effectivus, quo aliquam opere colimus, qua propter triplici amoris ratione exigit Deus se à nobis super omnia adamari, ut constat ex illo præcepto. *Diliges Deum tuum ex tota mente, ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, & ex totis viribus tuis.*

Alii ulterius sunt actus voluntatis, uti amoris concupiscentiæ, quo alteri bonum volumus utilitatis nostræ gratia, vel amicitiæ, quo alterum diligimus, quia dignos est, qui propter se ametur, v. g. amor ipse quo quis amat virtutem propter honestatem, sed circa hos actus, aliosque immorandom non est, cum de his, aliisque diffusè occurret sermo, vel ubi de actibus humanis, vel ubi de diuina voluntate, vel de diuinæ gratiæ adiutorio, vel tandem ubi de beatitudine nostra supernaturali disputatio erit, cum nostrum munus hîc sit non de actibus à voluntate procedentibus, sed tantum de ipsa voluntate controuersiam instituere.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An voluntas excedat in perfectione intellectum, vel è contra.*

## CAPUT PRIMUM.

*Defenditur Henrici sententia.*

Titulus difficultatis propositus non est, an intellectus sit perfectior voluntate, vel è contra loquendo de perfectione, & excessu secundum quid. Hunc enim aliquando tribui voluntati supra intellectum, aliquando intellectui supra voluntatem certum est: nec ulli dubium esse potest iis, quibus Principia Thomistica, tum Scotistica perspecta sunt. Thomistæ enim etsi propugneot intellectum perfectiorem esse voluntate, non diffiteentur tamen volitiuam potentiam aliquandò excedere intellectiuam, etsi excessum hunc diminutum esse velint, & hoc quia aliquandò contingit voluntatem excedere intellectum in quibusdam suis actibus, uti v. g. dum eligit actum amoris supernaturalem erga Deum, qui cum rectitudinem, libertatem, necnon affectivam afferat conjunctionem animæ ejusque potentiæ volitiuæ, cum Deo, nequit non conferre excessum aliquem supra intellectiuam. Controuersiæ itaque legitimus sensus solum est, quænam sit potentia simpliciter, & absolutè perfectior, in qua sententia est communissima apud Thomistas intellectum voluntatem excedere excessu absoluto, quam ex eadem Schola sequuntur nobiles Theologi, quos inter Complutenses *disp ultima quæst.* 4 Ioannes à S. Thoma *quæst.* 12. *art.* 5. *de anima*, & nouissimè Paulus Cauuino *disp.* 3. *quæst.* 3. § 1. *Tract.* 2. de anima, quibus plures Theologi Societatis adhærrent, non mediocris nominis, uti Suarez *de actibus humanis disp.* 7. *sect* 1. Ruuius, Vasquez 1. 2. *disp.* 12. *cap.* 7. Syluester Maurus *lib.* 5. *de Beatitudine quæst.* 4. Esparza *lib.* 3. *de actibus humanis quæst.* 3. de Beatitudine formali aliique plures: & merito si sequi velint Diui Thomæ doctrinam, cum huic adhærrere sententiæ Sanctum Doctorem manifestè deducatur ex *prima parte quæst.* 26. *art.* 2 *quæst.* 82. *art.* 3. & alibi, ut inferius videbimus.

Sententiam tamen oppositam omnes Scotistæ, & Henricistæ propugnant, & merito cum voluntatem simpliciter perfectiorem esse doceat Scotus *in* 4. *dist.* 49 *quæst.* 4. docet Henricus pluribus in locis ex professo quidem *Quodl.* 1. *quæst.* 14. & 15. & obiter in summa *art.* 48. *quæst.* 2. *num.* 1. & 22. 23. ubi non obscure Henrici mens deducitur. Habet enim:

*Voluntas, & intellectus etiam comparati ad volitum, & intellectum simpliciter, & absolutè, & in uniuersali inuenitur, quod voluntas est; perfectior, quam sit intellectus*. Cum his itaque.

Dicendum est voluntatem perfectiorem esse, ac nobiliorem potentia intellectiua. Probatur primò ratione Doctoris: Illa potentia perfectior est simpliciter, & absolutè comparatiuè ad aliam, cujus objectum formale perfectius est in esse objecti; atqui objectum formale voluntatis perfectius est in esse objecti, ac sit illud intellectus; ergò &c. De majori non est dubium apud Thomistas concedentes, & ubique docentes potentias ab objectis specificari, atque potentiam perfectiorem donari perfectiori objecto formali motiuo, quapropter vult Illustrissimus Petrus de Godoy, objectum formale motiuum intellectus Diuini perfectissimi esse perfectissimum, uti est diuina essentia etiam formaliter inspecta. Probatur itaque minor. Objectum formale voluntatis est bonum, qua bonum (loquor hic de objecto prosecutionis) objectum formale vero intellectus est verum, qua verum; sed bonum ut bonum, seu res sub ratione boni perfectior est quam sub ratione veri; ergò perfectius est objectum formale voluntatis, quam intellectus. Probatur minor. Ratio boni est ratio conueniens rei quatenus est in se; ratio veri est ratio conueniens rei (quamuis intrinsecè) quatenus nata est perficere intellectum; sed perfectior est ratio illa, quam habet res, quatenus est in se, quam illa, quam habet res in ordine ad aliud; ergò &c. De minori nulli dubium esse potest. Nam perfectio quam res aliqua habet ex eo, quod est in se, est illi essentialis, & adæquata ratione sui conueniens. Perfectio verò quam res habet in ordine ad aliud, quamuis sit essentialis, ut in casu de veritate, tamen quia est in ordine ad aliud perficiendum, ideò non est perfectio tam intrinseca, quã sit illa quæ conuenit rei, quatenus est in se. Quis autem non videt perfectiorem esse rem, cui conuenit perfectio secundum se, quam cui conuenit solum in ordine ad aliud. Major pariter liquet, & fundatur in doctrina Phylosophi docentis, bonum, & malum esse in rebus, verum verò, & falsum in intellectu.

Totus hic discursus continetur in his Henrici verbis, quæ habet in *summa art. 48. quæst. 11. perfectior tamen est ratio boni, quam veri, quia rationem boni habet res ex eo quod est in se perfectam rationem habens perfectionis; veri autem ex eo, quod nata est dare perfectionem alteri ut intellectui. Nunc autem perfectiorei, quam habet ex eo quod est in se simpliciter est perfectio, & essentialis respectu perfectionis, quam habet aliquid ex eo, quod natum est perficere aliud. Undè quia simpliciter perfectior, & nobilior est ratio boni, quam veri simpliciter, & per se, actus terminatus, & perfectus à bono est simpliciter perfector, & nobilior, quam actus terminatus in verò*: Sed

Dices cum Patribus Thomistis objectum voluntatis esse utique perfectius objecto intellectus in esse rei, non verò in esse objecti. Excessus autem in perfectione unius potentiæ supra aliam non desumitur à majori, vel minori perfectione objecti in esse rei, sed in esse objecti. Modo autem objectum voluntatis perfectius est in esse rei, quia istius objectum est res sub ratione boni; At in esse objecti perfectius est objectum intellectus, cum hujus sit quid abstractum, nimirum ens uniuersalissimè acceptum prout abstrahit ab existentia. Quinimo bonum perfectiori modo attingitur ab intellectu; quam à voluntate cum ista solum attendat exercitium boni, non attingendo ejusdem quidditatem, secus verò intellectus.

Contrà est primò. Si enim Henrici ratio inspiciatur, profectò patebit objectum voluntatis etiam in esse objecti perfectius esse objecto intellectus; siquidem Doctoris discursus hic est. Objectum formale voluntatis est res sub ratione boni sed res sub ratione boni perfectior est se ipsa sub ratione veri, ergò res sub illa ratione, sub qua est objectum voluntatis est perfectior illa, sub qua est objectum intellectus. Quid est autem hoc rem esse perfectiorem sub ratione boni, nisi objectum voluntatis in esse objecti esse perfectius objecto Intellectus.

Urgeo bonum ut bonum est objectum voluntatis, ergò quod est perfectius in ratione boni etit perfectius in linea objecti voluntatis; sed Henrico teste & ratione suadente perfectius est objectum. Sub ratione boni, quam veri, ergò perfectius est in linea objecti.

Secundò contra est, quia non minus voluntas, quam intellectus habet obj ctum abstract us: Sicuti enim objectum intellectus est ens in tota sua latitudine, ita quoque est illud voluntatis. Patet hoc, quia sicuti in quolibet ente inuenitur ratio intelligibilitatis, quæ est ratio motiua intellectus, ita in quolibet ente, vel inuenitur ratio boni, cum omne ens saltem bonitate transcendentali bonum sit, vel ratio disconuenientiæ, & conuenientiæ, adeoque ratio sub qua voluntas fertur in objectum fuga, vel prosecutione, ut contingit etiam in ipsis creaturis possibilibus, quæ etsi fecundum plures Thomistas terminare nequeunt amorem efficacem, terminare tamen valent amorem complacentiæ, sicuti hoc idem contingit in impossibilibus, quæ si cognoscantur, ut talia, objecto sunt fugæ, & auuersionis, cum ad illorum consecutionem ordinari nequeant media, nec directè sint bonum naturæ; ergò jam objectum intellectus non excedit in abstractione, & uniuersalitate illud voluntatis, sed potius parificantur. Sicuti enim objectum intellectus est quodlibet verum, & quodlibet fal um. Primum quidem assensus, posterius verò dissensus, ita objectum voluntatis est bonum, vel malum Primum prosecutionis, secundum fugæ, & auuersionis. Si autem utriusque potentiæ objectum eadem gaudet uniuersalitate, ubi est quæso objectum intellectus nobilius? Quod si non adest, quid dicendum remanet, nisi quod potentiæ istæ parificentur in uniuersalitate objecti, & voluntas intellectus excedat in quamplurimis.

Probatur secundò conclusio, pariter ratione Henrici. Tunc voluntas est perfectior potentia, & excellentior, quam intellectus, quando voluntas imperaret tam intellectui, quam cæteris Animæ potentiis, sed res de facto ita se habet, ergò. Major est certissima, eamque docet Henricus *Quodl. 1* illis verbis: *semper superiori, & principaliori attribui debet principatus, & imperium, siuè dominium*: Probatur itaque minor. Illi potentiæ competit Imperium supra cæteras, quæ illas compellere potest ad exequendum, quia nimirum imperio respondere debet obedientia in eo ad quod dirigitur imperium, sed quamuis voluntas, utpotè in se habens libertatem arbitrii, à nulla alia potentia compelli possit ad obediendum, ipsa tamen cæteras potentias compellere potest, & compellit, ergò voluntas imperat tum intellectui, tum reliquis Animæ potentiis.

Huic validissimæ rationi communiter Thomistæ respondent voluntati gratis attribui imperium, cum hoc spectet ad intellectum; ad voluntatem enim solum attinet applicare, seu efficere ex imperio intellectus cum subordinatione ad ipsum. Immo voluntas subordinatur intellectui, non verò intellectus voluntati.

voluntati. Videmus enim, quod nullus est actus voluntatis, ad quem intellectus non moueat, & applicet ipsam voluntatem; cum tamen multi sint actus intellectus, qui eliciuntur sine applicatione voluntatis, ut est visio intuitiua in Patria, & assensus conclusionis positis præmissis dispositis, & penetratis; Sed

Contra est; ex multis enim, quæ habentur in hac solutione illud in primis falsum est, quod imperium sit actus intellectus, ut in tractatu de actibus humanis per extensum ostendam; interim esse voluntatis actum demonstro hic ratione ab Illustrissimo Lodigetio in materia *de Deo sciente: Tomo primo* insinuata in eo sita, quod ille, cui imperatur debet esse talis dispositionis, ut ab imperante compelli possit ad exequendum, quia nimirum imperio respondere debet obedientia; sed voluntas in se habens libertatem arbitrii à nulla alia potentia compelli potest ad obediendum, sed omnis alia potentia ab ipsa voluntate aliquando compellitur; ergo in anima non est intellectus imperans, sed voluntas.

Secundò, quia hoc imperium, quod intellectui Thomistæ tribuunt, vel est imperium per modum iudicii dictantis hic, & nunc hoc esse faciendum, vel per modum præcepti, quod explicari solet per hos terminos *fac hoc*, vel potius est imperium latè acceptum, seu prout est simplex motio intellectus alliciens voluntatem, eo modo, quo meum consilium, atque petitio v. gr. allicit alterum ad faciendum aliquid. Si hoc tertio sensu imperium accipiatur, ad rem non facit superius cogitatio, quia hic termo est de imperio priori modo accepto, de quo procedit argumentum ad obtinendum excessum potentiæ volitivæ supra intellectivam. Si verò imperium intellectui uno, vel altero ex prioribus modis tribuatur; ergo cum hoc imperium ex sua natura connectatur cum actu voluntatis, necnon illum antecedat iisdem subjacet difficultatibus, quibus præmotio physica Thomistica in ordine ad saluandam indemnem libertatem actuum voluntatis, sicque in conferendo imperio intellectui, denuo in figimus voluntati præjudicia, uti procul dubio sunt imperium ab ipsa abradere, necnoc libertatem sibi connaturalem evertere. Quod si dixeris imperium intellectus adhuc relinquere, actus voluntatis liberos, quia prius sit ex motione ipsius voluntatis, unde necessitatem consurgentem ex tali imperio solum esse consequentem, adhuc contra est; quia ulterius inquiri potest de actu illo, quo voluntas liberè movet intellectum ad operandum, an procedat ex imperio intellectus, vel non. Si primum dicant, dabitur processus in infinitum, nam cum etiam illud imperium liberum sit voluntati, jam procedere deberet ex alia motione voluntatis, & hæc ex alio imperio, & sic in infinitum. Si verò secundum dicant; ergo jam non omnis actus voluntatis procedit ab imperio intellectus; ergo ut voluntas se ad aliquem actum determinet, non erit necessarium intellectus imperium; Si autem se ipsam determinet ad unum actum, non indiget intellectus imperio præcedente; cum itaq; etiam non poterit se ipsam ad quemlibet actum determinare.

Tertiò, quia eatenus voluntas subordinatur intellectui stante superiori solutione, quia intellectus habet movere, & applicare voluntatem ad omnes actus, non verò voluntas intellectum ad suos; atqui hæ motiones, & applicationes factæ ab intellectu in ordine ad voluntatem, si legitimè explicentur non probant subordinationem propriã voluntatis ad intellectum; sed potius intellectus ad voluntatem; ergo gratis asseritur voluntatem subordinari intellectui. Probatur minor, nam pari jure voluntas subordinari debet intellectui, quo voluntas ab ipso movetur, & applicatur; atqui voluntas ab intellectu impropriè movetur; intellectus verò à voluntate propriissimè; ergò. Probatur minor sui explicatione: siquidem intellectus habet solum movere voluntatem per hoc, quod ipse concipiendo finem per modum intentionis, ipsum proponat voluntati, & voluntas deinde ab ipso fine moveatur. Voluntas verò movet intellectum propriè, & per modum agentis, & impellentis in opus; atqui prima motio est motio metaphorica, & impropria: secunda verò propria est; ergo voluntas ab intellectu impropriè movetur: intellectus verò propriè à voluntate.

Respondet secundò parum dissimiliter Siluester Maurus: ratione Imperii Voluntatem non excedere Intellectum, nec econtra, cum hoc in utraque potentia resideat; Voluntas enim, & Intellectus se mutuo movent, & sibi mutuo imperant; nam Intellectus mouet voluntatem, illique imperat, proponendo voluntati bonum, & finem, ideoque voluntas debet parere rationi sivè Intellectui imperanti; Quinnimo, licet Intellectus, & voluntas se mutuo moveant, & sibi mutuo imperent, tamen Intellectus in genere moventis, & imperantis prior est, & perfectior voluntate, quia Intellectus intelligendo movet se ipsum, & voluntatem ad multos actus, absque eo quod prius moveatur à voluntate: Quæ autem ita se movent, ut unum aliud moveat, absque eo quod prius moveatur ab alio, primum perfectius est in ratione moventis. Sed

Contra est, quia etsi verum sit aliquos esse actus Intellectus, qui ab imperio, & motione voluntatis non dependent, uti de primo actu intelligendi, qui nobis occurit, ut fatetur etiam Doctor *art* 60. *quæst:* 4. *num.* 10. illis verbis: *voluntas ab intellectus volitita dependet, nisi ut à causa, sine qua non voluntas habet verum imperium supra intellectum, licet non quoad terminationem primi actus intelligendi, qui occurit, sicuti contingit ab obiecto*, falsum tamen est Imperium propriè acceptum voluntati convenire. Esto enim verum sit intellectiuam potentiam voluntati proponere obiectum prosequendum simulcum mediis, quibus ipsum assequi possumus, & voluntatem ipsam allicere suo modo, propriæ tamen ut diximus supra imperium Intellectui non convenit, sed soli voluntati, quia solum huius est per modum agentis, & Inpellentis in opus impellere, ut optimè aduertit Doctor illis verbis, quæ habet in Summa *art.* 4. *quæst.* 1. num 6. *& ideo istæ duæ potentiæ voluntas, & Intellectus ad invicem sese movent: imò (ut magis propriè loquar) ipsum volentem, & intelligentem, quia Intellectus concipiendo finem per modum intentionis sub ratione veri, proponit ipsum voluntati, quæ ab ipso fine movetur sub ratione boni, & sic intellectus movet voluntatem metaphoricè ad modum, quo finis movet efficientem. Contra voluntas movet intellectum propriè, & per modum agentis, & impellentis in opus.*

Tertium verò conclusionis fundamentum petitur non ex parte objecti, ut innititur primum neque ex parte potentiæ, ut secundum, sed ex nobilitate, & perfectione actuum elicitorum ab ipsis potentiis, ex quibus sic breviter argui potest. Ex duabus potentiis illa est perfectior quæ perfectiorem elicit actum; sed actus voluntatis perfectior est actu intellectus; ergo & voluntas perfectior erit intellectu. Majorem existimo

mo evidentem in sensu, quo ipsam exhibeo, etsi enim regula universalissima, & infallibilis non sit, si comparatio fiat inter actum perfectissimum unius potentiæ cum minus perfectis alterius, est tamen, si comparatio fiat inter actum perfectissimum utriusque potentiæ, in quo sensu ipsam libenti animo concedunt ex Thomistis Cajetanus *prima parte quæst. 26. art. 2. & quæst. 82. art. 3* necnon sæpè laudatus insignis Thomista Joannes à S. Thoma loco superius relato, in quo asserendo à verò non recedunt, cum potentiæ non minus ab actibus, quam ab objectis formalibus specificentur, essò diversimodè, quatenus ab objecto motivo specificantur à priori, ab actibus verò à posteriori. Quod adeò verum est in Thomistica sententia, ut velint animam non sibi realiter identificare potentias, ne sequatur ipsam intrinsecè specificari à suis actibus, seù ab aliquo extrinseco, sicuti specificantur potentiæ à suis actibus, ad quos sunt per se primò à natura institutæ. Minor itaque ostendenda est, quæ sic ostenditur. Actus nobilissimus voluntatis est amor Dei supernaturalis, & præcipuè amor Patriæ: nobilissimus verò inter actus intellectus est visio intuitiva Dei; atqui inter istos actus primus simpliciter, & absolutè excedit secundum; ergo actus voluntatis perfectissimus intellectus, perfectior est, quàm sit perfectissimus intellectus. Probatur minor, sui explicatione, nam Beatus per amorem, & fruitionem Dei transformatur in amantem se in illud transferendo, & quodammodo ei inhærendo: *Deo enim* (ait Augustinus de moribus Ecclesiæ) *hærere non valemus, nisi amore, dilectione, & Charitate*. Visio autem solum trahit objectum ad intelligentem, qui quodammodo ipsum in se recipit, nec transformat intelligentem in Deum, sed solum Deo assimilat intelligentem, sive intelligenti assimilat Deum. Longè autem nobilius, & perfectius est transformari, & veluti converti in Deum, quam ipsum sibi assimilare, & Deo inhærere, & quodammodo habere esse in illo, & ab illo perfici, prout habet esse in se, quam Deum nobis veluti inhærere, habere esse in nobis, nosque perfici ab illo, prout in nobis est; etenim infinitè perfectiori modo existit Deus in se realiter, quam existat intelligibiliter in nobis.

Huic rationi variè occurrunt adversæ partis Auctores. Respondet primò Silvester Maurus negando fruitionem perfectiorem esse visione, sed potius contrarium evenire, unde si excessus unius potentiæ supra aliam est desumendus ab actu perfectiori, potius intellectus erit supra voluntatem, quam è contra. Rationem autem assignat, quia effectus magis perficitur per formam, qua causæ suæ similis redditur, quam per illam, per quam ad ipsam inclinatur, quapropter omnibus norum est imaginem perfectiorem esse, quia exemplari similis est quam quia ad idem inclinatur, sicuti in physicis materia ipsa perfectior evadit formas recipiendo, quam per hoc, quod formis receptis ad ipsas inclinatur. Cum autem creaturæ rationales per visionem Deo assimilentur, tum quia visio est ipsa species expressa Divinitatis, tum quia hoc insinuat Joannes 3. illis verbis: *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Per amorem verò solù inclinant in Deum, quia antecedenter similes, hinc visio, ejusque potentia perfectior erit voluntate, ejusdemque actibus.

Sed contra est. Hæc enim Mauri evasio parum vexat superius statutam rationem principiis Henrici innixã. Supponit enim cognitioni formaliter, vel ratione sui rationem imaginis, vel speciei expressæ convenire, quod penitus alienũ esse à veritate satis probabile redditur ex eo, quod species expressa divinæ essentiæ ab ipsa contradistinctæ repugnet, non implicet verò visio Dei. Sed hoc dissimulato dico verum esse potentiam illam perfectissimam esse, vi cujus actus Deo assimilatur, quam illa sit, vi cuius tantum ad ipsum inclinat: at difficultas est, quod vi actus amoris in patria, voluntas nedum inclinat, verum etiam ipsum possidet sub ratione boni, se ita transformando in Deũ, ut unum, & idem effectivè cum ipso evadat. Sic autem inclinare excedit profectò unionem per solam similitudinem. Magis enim est esse unum cum objecto, quam solum esse illi simile; cujus rationem insinuat Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 2 quia essò utraque potentia habeat operationem propriam in se, & æqualiter objectum beatificum per illapsum, per actum tamen voluntatis perfectiori modo unitur objecto, ut in se, quam per actum intellectus, & manifestum est, quod multum nobilius esse habet objectum beatificum in se, quàm in intellectu*. Nec exempla allata oppositum suadent. Ratio enim pro ipsis peculiaris est. Ideò enim immago perfectior est, quo magis exemplari similis, quàm quia ad exemplar tendit, quia immago, qua talis in conformitate cum exemplari consistit. Sed

Instabis denuò ex eodem Mauro. Perfectior est transformatio, quæ habetur vi visionis, quam vi amoris. Transformari enim in aliud est ejusdem recipere similitudinem, per quam sit quodamodo illud; sed Beati videndo Deum recipiunt visionem, quæ est species expressa similitudo, & forma intelligibilis ipsius Dei: diligendo verò recipiunt amorem, qui non est objecti similitudo; ergò titulo transformationis potius perfectior est visio, quam fruitio.

Contra est transformatio enim, quæ vi visionis habetur, perfectior non est illa, quæ habetur vi amoris, qui fruitionis sit. Ratio est, quia tota transformatio, quæ intellectui conuenit, ut optimè dicitur in instantia, est recipere in se similitudinem obiectiexpressiuam: Transformatio verò, quæ voluntati conuenit vi fruitionis, est fieri unum, & idem affectiuè cum re qua fruimur. Ex his autem duabus transformationibus, profectò secunda perfectior est: Perfectiori enim modo Deus possidetur per identitatem, & unitatem, quam per solam similitudinem, quia illa possessio perfectior est, quæ magis accedit ad illam possessionem, qua Deus dicitur possidere se ipsum Deus autem se ipsum perfectissima ideotitate possidet: *Quid enim magis tuum, quam tu*, inquit Augustinus.

Respondent secundò Thomistæ concedendo actus voluntatis perfectiores esse actibus intellectus, uti sunt actus amoris Dei, sed hæc maior perfectio non est physica, sed moralis, vel penes rectitudinem & libertatem Excessus enim in perfectione unius potentiæ physicæ suprà aliam non petitur penes actus moraliter consideratos, sed penes ipsos secundum entitatem physicam inspectos. Cum autem actus voluntaris physicè inspecti non sint perfectiores actibus intellectus, immò potius imperfectiores, cum dimanent à potentia non ita accedente ad Animæ essentiam, sicuti accedit intellectus, & non versentur circà obiectum altius, & abstractius, sicuti actus intellectus versantur, ideo non sunt physicè perfectiores actibus intellectus.

Respondent tertiò paulo aliter alii Aliquos actus voluntatis utiquè perfectiores esse actibus intellectus, non tamen in modo specificandi, quasi specificentur ab obiecto perfectiori, quod continge-

gere nequit, cum objectum voluntatis in esse obiecti non sit perfectius obiecto intellectus pariter in esse obiecti, sed esse perfectiores ratione rei attactæ, & coniunctionis cum ipsa. Sic actus Amoris Dei perfectior est actibus intellectus, quia speciali modo coniungitur voluntas Deo quam intellectus; cum prior potentia modo affectivo tendat in Deum se uniendo prout est in se unione affectiua, in quo sensu solum intelligendus est Diuus Thomas, dum asserit actum amoris esse cognitione nobiliorem.

Contrà est primò. Siquidem ille actus est etiam in esse physico perfectior alio, cui coouenit magis vnire creaturam Deo, quam cui non convenit. Patet hoc, quia unire nos primæ causæ est perfectio intrinseca actus sic vnientis, atqui actus amoris Dei unit nos primæ causæ, quod non præstat visio quælibet, quamuis perfecta sit, ergò. Probatur minor. Actui cuicumque Amoris Dei repugnat directa, & physica aversio à Deo, actui verò cognitionis non repugnat, sed actus ille magis habet unire nos alicui obiecto, cui est incompossibilis aversio ab eodem obiecto, quam ille, cui non est incompossibilis talis auuersio; ergò.

Contrà est secundo, quia iam suprà ostensum est obiectum voluntatis perfectius esse obiecto intellectus, & consequenter etiam ostensum remanet actus intellectus esse perfectiores in modo significandi objectivè. Vlterius potentia illa censenda est absolutè perfectior, quæ speciali titulo unitur summo bono; sic enim uniri est perfectio potentiæ, & quidem entitatiua, cum dicat maiorem accessum ad primam radicem omnium perfectionum, magis autem accedere ad primam radicem perfectionis, non stat sine maiori perfectione rei sic accedentis, quapropter docent Thomistæ intellectum esse voluntate physicè perfectiorem, quia magis accedit ad sui radicem; sed iuxtà hanc solutionem voluntas magis accedit ad summum bonum, cum magis ipsi coniungatur, ergo erit entitativè perfectior intellectu.

## CAPUT SECUNDUM.

*Refelluntur fideliter argumenta contraria.*

MUltipliciter arguere solent Thomistæ, & primò ex nobilitate actus intellectus. Illa potentia est nobilior, quæ importat actus entitatiuè perfectiores, sed hos dicit intellectiua supra volitiuam, ergò &c. Minor ostenditur. Illa actio est perfectior in vivente rationali, per quam hoc differt à viuentibus infimis, & inanimatis, quam illa, per quam conuenit, sed per intelligere spirituale viuens rationale differt à viuentibus infimis, & ab inanimatis, per velle verò conuenit, ergò &c. Maior est certa, nam actio, per quam viuens rationale differt ab aliis viuentibus conuenit naturæ rationali, prout natura rationalis excedit viuentia, & non viuentia.

Probatur itaque minor, quo ad secundam partem cum prima euidens sit omnibus, nam velle est formalissimè appetere aliquod tanquam suum bonum; quælibet autem natura, quamuis infima esse possit siue inter viuentia, siuè non viuentia, appetit bonum sibi proportionatum, quopropter docuimus in physica etiam materiam, quamuis turpem, & propè nihil formas appetere.

Confirmatur. Per intellectionem intellectus fit quodammodo res intellecta habendo ipsam in se; per volitionem verò res volita non fit in Anima, sed adhuc est extra Animam; Sed actus faciens rem nobilem esse in potentia, est magis perfectiuus potentiæ, quam illæ, qui non facit rem nobilem esse in potentia; ergò

Confirmatur secundò. Si supremus actus unius potentiæ sit perfectior supremo actu alterius, signum est, quod absolutè, & simpliciter potentia talem actum supremum habens, est perfectior alia; atqui supremus actus intellectus nobilior est supremo voluntaris, ergò &c. Major regulam infallibilem continet cognoscendi excessum unius potentiæ supra aliam. Minor ostenditur. Actus supremus intellectus est visio intuitiua, voluntatis verò est amor beatificus, sed primus actus est perfectior actu amoris; in eo enim consistit beatitudo nostra formalis, quæ certè reponi debet in actu perfectiori; ergò

Respondeo argumentum præcipuum non urgere. Estò enim appetitus transcendentalis, vel pure sensitiuus proprius non sit viventis rationalis, proprius tamen est appetitus liber à ratione regulatus.

Primam autem Confirmationem soluit Henricus de more subtiliter considerans aliquam potentiam dupliciter posse comparari ad aliquam perfectionem. Primò tamquam ad purum terminum, eo modo, quo visio comparatur ad coloratum, & quælibet cognitio ad suum objectum terminatiuum; quæ comparatio contingit, quando potentia, quæ comparatur, est omnino extra rem, cui comparatur, & è contra. Secunda verò comparatio est, qua potentia aliqua ita compararur ad aliquam perfectionem, ut illam subintret. Potentia, quæ primò modo comparatur, utique verum est ita comparari, ut ab ipso termino perfectionem non acquirat; tamen potentia, quæ secundo modo comparatur, ita comparatur, ut ab ipso trahat majorem perfectionem nobilitatis. Modo voluntas comparatur ab objectum suum, oimirum ad bonum secundo modo, quatenus voluntas per volitionem boni subintrat quodamodo perfectionem ipsius boni. Melius enim objectum voluntatis esse habet in voluntate, vel potius voluntas in objecto, quam objectum intellectus in intellectu, siquidem objectum intellectus non habet esse in intellectu, nisi ratione speciei impressæ, quæ cum sit ejusdem illustratiua, sequitur, quod merè dispositiuè objectum intellectus esse habeat in intellectu. At verò non sic objectum voluntatis, nam istud habet esse in ipsa non per modum puræ dispositionis, sed in se quodammodo ipsam voluntatem conuertendo, sicuti flamma existens in aere conuertit in se aerem. Perfectius autem est se conuertere in objectum hoc secundo modo, quam primo.

Ad secundam Confirmationem concessa majori nego minorem, ad cujus probationem ommissa doctrina, quæ, ut certa traditur, negatur minor, ad cujus iterum probationem nego minorem. Beatitudo enim formaliter in nostra sententia non consistit in actu intellectus, sed voluntatis, vel in actuali fruitione summi boni, ut docet Doctor *art* 49 *quæst.* 6. *num.* 8 & hoc quia perfectior possessio summi boni habetur per actum volitiuæ potentiæ, quam intellectiuæ. Sed circa hoc diffusus erit sermo in materia de beatitudine aduersus Thomistas, in quorum sententia procedit argumentum.

Arguunt secundò, ex causalitate, quam exercet intellectus. Illud est alio perfectius, quod exercet munus causæ perfectioris, sed intellectus relatè ad voluntatem exercet munus causæ perfectioris; ergò. Major est certa; sicut enim productio effectus nobilis, & perfecti indicat perfectam entitatem in producente,

Cccc,ccc

ducente, sic producens per causalitatem perfectiorem indicat sui esse perfectius. Probatur itaquè minor. Intellectus in ordine ad voluntatem exercet munus causæ finalis, quatenus objectum ipsi proponendo ipsam allicit, & mouet; sed munus causæ finalis, munus est causæ perfectioris, quam sit causæ efficientis, quod exercetur à voluntate, ergò intellectus relatè ad voluntatem exercet munus causæ perfecionis.

Respondeo intellectum non exercere munus causæ finalis, siuè hæc in actu primo, siuè in actu secundo accipiatur. In actu primo inquam, nam vis motiua non est ipsa cognitio, sed bonitas cognita, & apprehensa. Apprehensio enim se habet per modum puræ conditionis intrinsecæ, quatenus bonitas non mouet, nisi ut cognita, juxta illud: *voluntas non fertur in incognitum*. Nec in actu secundo, quia hujus causalitas consistit in ipsa actuali allicientia, ut diximus in Physica. Undè patet in forma.

Arguunt tertiò. Intellectus est ratio voluntatis, ergò perfectior est voluntate. Consequentia liquet. Quod enim est ratio alterius, est illo perfectius. Causa enim quælibet, quæ est ratio suorum effectuum, est suo effectu perfectior. Probatur itaque antecedens. Cognoscitiuum est ratio appetitiui, ergo intellectus est ratio voluntatis. Probatur antecedens. Cognitio est ratio appetitus; appetitus namque nòn mouetur, nisi ab obiecto cognito, ergò cognoscitiuum est ratio appetitui. Sed

Contrà est. Dum enim dicimus intellectum rationem esse voluntatis, vel sensus est quod intellectus sit potentia prior voluntate, vel quod sit causa, cur voluntas sit appetitiua, vel tandem, quod ipsa cognitio sit ratio, cur voluntas appetat appellando supra conditionem. In primo sensu verum est antecedens, sed hæc prioritas ad rem non facit. In secundo vero falsum est, quia voluntas non ab intellectu habet, quod sit appetitiua boni, sed ex suis intrinsecis. In tertio verò sensu verum est Antecedens, sed ejus veritas thæsi non obstat.

Arguunt quartò ex modo tendendi nobiliori intellectus. Illa potentia est nobilior, quæ viliori se minus inficitur, sed intellectus minus inficitur, intelligendo se viliora, quam voluntas in diligendo inferiora se; ergò. Probatur maior, nam eatenus lux nobilior est aere, quia hæc minus inficitur, vel ut melius dicam nullatenus inficitur, vel fœdatur transeundo per loca fœda, quam aer; ergò

Respondeo ex Henrico, cujus est argumentum, Dupliciter contingere aliquod fædari viliori se. Passivè primò, secundò actiuè. Passiuè fædatur aer, dum transit per loca fæda; actiuè verò tunc aliquid fædari dicitur à viliori se, quando illa fædatio contingit ex parte fædati propter vigorem virtutis actiuæ. Ad rem itaque quando aliquod fædatur à viliori se passivè, utique imperfectius est illo, quod sic non fædatur, ut euenit in aere respectu lucis, qui passiuè fædatur odorem noxium recipiendo, & ob hoc aer vilior luce dicitur, quæ sic non fædatur; At quando actiuè fædatur, tunc non sequitur quod talis potentia sit imperfectior, & ignobilior. De facto enim (est Henrici exemplum) primus Angelus magis se fædauit in peccato suo, quam primus homo propter maiorem vigorem liberi arbitrii, & tamen primus Angelus fuit Homine perfectior. Cum autem voluntas hoc secundo modo fædetur, dum fædari contingit, noxia diligendo, hinc imperfectior non erit intellectu.

Arguunt quintò Thomistæ omnes ex nobilitate obiecti intellectus; Excessus in perfectione unius potentiæ supra aliam desumitur ab objecto perfectiori in esse objecti, sed objectum potentiæ intellectiuæ est nobilius in esse objecti, ergo. Probatur minor. Quidditas abstrahens ab existentia, licèt sit minus perfecta in esse rei, quam quidditas importans existentiam, tamen talis quidditas abstrahens ab existentia, est perfectior in esse objecti; sed obiectum potentiæ intellectiuæ est quidditas abstrahens ab existentia, cum sit res prout importat intrinsecam veritatem, & intelligibilitatem, in qua ratione res abstrahit ab existentia, ergò objectum potentiæ intellectiuæ est nobilius in esse objecti objecto volitiuæ. Major ostenditur. Quidditas præscindens ab existentia est obiectum potens attingi per potentiam eleuatam, & subtilem, quæ habeat vim, ut possit quamlibet rem, & sub qualibet præcisione attingere essentiam ab existentia ipsam separando; sed objectum petens attingi per potentiam magis eleuatam est perfectius in esse objecti, ergò

Hoc argumentum illud est, quod habet D. Thomas *prima parte quæst.* 82. *art.* 2. sub his verbis. *Objectum enim intellectus est simplicius, & magis absolutum, quam objectum voluntatis, nam objectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis; bonum autem appetibile, cujus ratio est in intellectu, est objectum voluntatis. Quantò autem aliquid est simplicius, & abstractius, tantò secundum se est nobilius, & altius. Et ideò objectum intellectus est altius, quam objectum voluntatis. Cum ergò propria ratio potentiæ sit secundum ordinem ad objectum, sequitur quod secundum se, & simpliciter intellectus sit altior, & nobilior voluntate.*

At nihilominus respondeo, simulque adverto argumentum hoc prævidisse Doctorem solemnem, ipsumque sibi objecisse *quæst.* 2. *art. verò* 48. in summa, ubi quærens, utrum velle in Deo sit actio principalior, quam intelligere hæc habet sibi objectando. *Objectum intellectus est verum, voluntatis autem bonum; verum autem simplicius est, & magis abstractum bono; ergò videtur, quod intellectio sit spiritualior, & simplicior, & magis abstracta, quam volitio*. Cui respondet Doctor, utique actionem circa abstractum semper esse simpliciorem, spiritualiorem, nobiliorem, principaliorem illa, quæ est circa rem concretivè sumptam; sed nobilitate, & excellentia secundum quid, non simpliciter, & absolutè, seu ut verbis loquar Doctoris, *non prioritate simpliciter, sed secundum quid*, & hoc, quia taliter potentia intellectiva, quæ versatur circa objectum abstractius est, voluntate perfectior, quo verum est bono perfectior; cum autem hoc sit nobilius bono secundum quid, sic etiam potentia intellectiva volitiva nobilior erit secundum quid. Per quod patet in forma ad argumentum.

Quod autem ex eo, quod objectum alicuius potentiæ sit altius, & nobilius in aliqua linea, non inferatur ipsam potentiam esse simpliciter, & absolutè perfectiorem, sed solùm secundum quid, ex eodem Angelico Præceptore clarissimè deducitur, & quidem ex iisdem locis, ex quibus Thomistæ argumentum allatum deducunt. Asserit enim ibi Sanctus Doctor, quod voluntas interdum invenitur altior intellectu, *secundum quid, & per comparationem ad alterum, quod contingere videtur, quando objectum voluntatis in altiori ordine invenitur, quam objectum intellectus, ut quando res, in qua est bonum est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta, & tunc per comparationem ad talem rem, voluntas est altior intellectu*. Ex hac autem doctrina sic arguo contra scholam D. Thomæ. Ex quo contingat

ali;

aliquando voluntatem habere objectum altius comparativè ad intellectum, non ſequitur in voluntare per S. Doctorem major perfectio, vel nobilitas ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſolum ſecundum quid; ergo à pari ex quo intellectus habeat objectum altius, & abſtractius, non ſequitur intellectum fore ſimpliciter, & abſolutè perfectiorem.

Quod ſi dicas hoc non affirmare D. Thomam. En ejus verba. *Secundam quid autem, & per comparationem ad alterum, voluntas invenitur interdam altior intellectu ex eo ſcilicet, quod objectum voluntatis in altiori re inveniatur, quam objectum intellectus. Quando igitur res, in qua eſt bonum, eſt nobilior ipſa Anima, in qua eſt ratio intellecta per comparationem ad talem rem, voluntas eſt altior intellectu.*

Alii verò diverſam amplectentes viam argumento occurrere ſolent dicendo, quod ſicuti objectum intellectus eſt ens in tota ſua latitudine, non verò ſolum hoc, & illud, ſic etiam hoc ſit illud voluntatis; cum etiam hæc in bonum in tota ſua latitudine, non verò ſolum in hoc, vel illud tendat. Juxta quam ſolutionem à Pontio *diſp.* 13 *queſt.* 3. *de anima*, receptam, ſatisfieri optimè poteſt argumento dicendo, quod quemadmodum intellectus tendit in objectum abſtrahens à ſingularitate, vel exiſtentia, ſic quoque ad ſuum terminetur voluntas, cum bonum reſpiciat in tota ſua latitudine, ut optimè etiam inter ipſos Thomiſtas advertit ſæpè laudatus Petrus de Godoy *tom.* 1. *diſp.* 14. *§.* 1. ubi ſimul rationem aſſignat, in eo ſitam, quod quemadmodum intellectus poſſibilis à verò ſpecificatur ſub communi ratione, quia immaterialis eſt, ſeu materia caret, à qua provenit limitatio, ita etiam voluntas propter ſui materialitatem ſpecificari debebit à bono in communi, non verò à bono particulari, ad quod ſit determinata.

Arguunt ultimò Thomiſtæ ex modo, quo potentiæ dimanant ab anima. Inter duas potentias dimanantes ab eadem eſſentia, & ſecundum eumdem gradum illa ſimpliciter eſt perfectior, & nobilior, quæ prius, & immediatius dimanat, ſed intellectus prius fluit ab eſſentia Animæ, quàm voluntas; ergo eſt illa ſimpliciter perfectior. Majoe oſtenditur, nam quod magis accedit ad principium ſuæ perfectionis, magis de perfectione participat, ſicuti actus, qui immediatius ſummæ veritati innititur, magis participat de infallibilitate, quàm actus, qui ſolùm mediatè, quapropter in Logica diximus, ubi de fide, & ſcientia fidem divinam infallibiliorem eſſe quolibet actu ſcientiæ, ſed eſſentia eſt principium perfectionis potentiarum, quæ ab ipſa emanant, ergo illa potentia eſt ſimpliciter perfectior aliis, quæ magis accedit ad eſſentiam, illa autem magis accedit, quæ prius fluit; ergo inter potentias dimanantes ab aliqua eſſentia, illa eſt ſimpliciter perfectior, quæ prius ab eſſentia dimanat. Minor etiam conſtat, quia ſicuti volitio præſupponit Intellectionem, & ea mediante fit, ita voluntas ſupponit intellectum, quapropter vera eſt hæc cauſalis homo eſt volitivus, quia eſt intellectivus, & non è contra; ergo intellectus prius dimanat ab anima, quam voluntas.

Etiam hoc argumentum fuit ab Henrico prævisum, & ſolutum Docet enim ex immediatiori dimanatione Intellectus relatiuè ad voluntatem, inferri tantum in intellectu maiorem nobilitatem, & perfectionem ſecundum quid, non vero ſimpliciter, & abſolutè, quæ unicè conſiſtit in ipſa prioritate. Hoc autem dilucide explicat in ipſo eſſe, quod eſto ſit nobilius prioritate rationis, quam vivere, non eſt tamen nobilius abſolutè, & ſimpliciter in perfectione, quam ſit vivere. ſic elementum nobilius dicitur mixto, mixtum vegetabili, vegetabile ſenſibili, ſenſibile rationali nobilitate tamen prioritatis, non perfectionis, cum nobilitas perfectionis potius deſumenda ſit à mixto, quam à mixto. & ratio totius eſt, quia poſterius ſæpè ſæpius præſefert nouam perfectionem ſuprà prioris propriam.

Prætерea dupliciter aliquid accedere poteſt ad ſui perfectiuum; nimirum vel per hoc, quod magis participet de perfectione perfectivi, uti accedunt Angeli ad Deum magis, quam Homines & actus Fidei ſummæ veritati magis accedit quam quilibet ut naturalis, vel per hoc, quod una res producatur in priori ad aliam. Hoc tantum ſecundo modo magis accedit intellectus ad Animam, quam accedat voluntas, adeoque acceſſu non inferente maiorem perfectionem in potentia ſic accedente.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*Vtrum Deus diligat creaturas poſſibiles.*

SErmo hic eſt de amore complacentiæ, non vero de Amore efficaci, quem communiter negare ſolent Auctores circa purè poſſibilia. In huius autem difficultatis reſolutione non unica eſt ſententia, & præcipuè in Schola Thomiſtica, ut optimè aduertit Illuſtriſſimus Petrus de Godoy, nonnullis aſſerentibus amorem complacentiæ circa poſſibilia dari poſſe, aliis vero negantibus; ſed quidquid ſit de hoc domeſtico litigio, & mente Diui Thomæ quem tamen ſtare pro parte affirmatiua docet Vaſquez *diſp.* 79. *queſt.* 9. *cap.* 2. explicans omnes Divi Thomæ textus in contrarium exiſtentes de amore efficaci, quem ſolum Angelicum Præceptorem poſſibilibus negaſſe contendit, adhæreo Henrico, Scoto, Alarcon, Maſtrio, Vaſquezio, Hericæ, aliiſque, cum quibus ſit.

### CAPUT PRIMUM.

*Deffenditur Sententia affirmatiua.*

COnclusio hæc multipliciter probari poſſet, ſed nobis ſolum duplici medio confirmanda eſt, & primum ſit. Res ut poſſibilis terminare poteſt divinam intellectionem, ergo etiam divinam volitionem. Probatur hæc Conſequentia. Ideo primum, quià in re ut poſſibili invenitur ratio motiva intellectus, ſed etiam invenitur ratio movens, & alliciens voluntatem ad amorem ergò &c. Probatur minor. Ratio actualiter movens voluntatem ad Amorem complacentiæ eſt bonitas ut cognita, ſeu oſtenſa, ſed hæc inuenitur in re poſſibili perfectiſſimè cognita, ut de facto cognoſcitur ab intellectu divino, ergo &c. Probatur minor. In re poſſibili invenitur ratio entis nominaliter, ſeù ratio entis pro ut hæc eſt obiectum metaphyſicè, ſed ad hanc rationem entis ſequitur bonitas, ergo.

Dices bonitatem hanc eſſe ſecundum quid, & incompletam. Sed

Contra eſt, quia ex hoc, quod ſit bonitas ſecundum quid, & incompleta, non vero completa propter carentiam exiſtentiæ, fit ſolum, quod diligi nequeat amore efficaci non vero complacentiæ.

Secundo ſuadetur Concluſio, quamplura aſſerendo poſſibilia, quæ apta ſunt terminare amorem
ſimplicis

ſimplicis complacentiæ, vel etiam eumdem termi- naverint. Da enim Deum revelare alicui incarnationis poſſibilitatem cum hoc fine principaliter intento, ut ſequatur, laus omnipotentiæ potentis tale myſterium facere. In hac hypotheſi arguo ſic. Poſſet quis diligere poſſibilitatem incarnationis, quatenus medium ad conſequendam æternam Dei gloriam, ergo puré poſſibile terminare optimè poteſt ſui amorem.

Quod ſi dicas amorem verſari circà Dei gloriam, quæ conſequitur ad revelationem poſſibilitatis incarnationis, non vero circà poſſibilitatem eiuſdem Incarnationis.

Contrà eſt, quià quamuis verum ſit, quod incarnationis poſſibilitas nun eſſet finis, hæc enim in hypoteſi diligeretur non propter ſe, ſed quatenus ex ipſa laus omnipotentiæ orietur, eſſet tamen medium, quo Deus deſumeret ſui gloriam, ergo cum finem diligens, & media diligere, ſuo modo opus ſit iam poſſibilitas incarnationis diligenda erit amore ſaltem complacentiæ.

Dices, ſecundo ipſam amari, ſed non ratione ſuæ poſſibilitatis, ſed quatenus actio ipſa eſt oſtenſiva divinæ Omnipotentiæ, adeoque id, quod movet ad ſui Complacentiam non eſſe pure poſſibile ſed aliquid actu. Sed

Contra eſt. Siquidem quamuis oſtenſio Omnipotentiæ Dei eſſet motiuum attrahendi ad ipſam poſſibilitatem cor noſtrum id tamen, ad quod amor complacentiæ terminaretur, eſſet ipſa incarnationis poſſibilitas; ergo amor ſimplicis complacentiæ terminari poteſt ad pure poſſibile. Secundò quia ſemper in hypoteſi motiuum amoris poſſibilitatis incarnationis non eſſet, quia hoc non eſſet oſtenſio omnipotentiæ, ſed Dei gloria, quæ ſequeretur ſtante revelatione ſed hæc non eſt exiſtens, ſed futura ergo voluntas poteſt aliquod non exiſtens diligere, atque adeo etiam poſſibilia, & ſi non exiſtant.

Dices tertio obiectum Amoris non eſſe ipſam Incarnationis, poſſibilitatem, ſed eiuſdem revelationem, quæ actu eſt, adeoque eſſet aliquod exiſtens actu. Patet hoc, nam poſſibilitas incarnationis diligeretur, quatenus ex ipſa ſequeretur Dei gloria, ſed hæc ſequeretur ex ipſa, non ſecundum ſe acceptа, ſed ut revelata, ergo. Sed

Contra eſt, quià quamuis ipſa Dei gloria non ſequeretur ex pura poſſibilitate incarnationis, ſed ex ipſa ve revelata; cum tamen revelatio ſe haberet unicè per modum conditionis in ordine ad Dei gloriam, & poſſibilitas ipſa incarnationis ſe haberet per modum rationis motivæ, iam de poſſibilitate ipſa Incarnationis poſſet quis ſibi complacere, quatenus poſſet movere ad Dei gloriam; ſed hæc ex alia parte eſt pure poſſibilis, ergo &c.

Tertiò ſuadetur aſſertum, quia de facto Deus amore complacentiæ diligit reproborum ſalutem, ſed hæc eſt puré poſſibilis, ergò. Major oſtenditur. Non ſtat Deum velle voluntate generali reproborum ſalutem, & ipſam amore ſaltem concupiſcentiæ non diligere; Sed Deus vult voluntate generali ſalutem omnium, & conſequenter etiam reproborum, ergò. Minor autem primi ſillogiſmi liquet; ſi enim ſalus reproborum eſſet extracta a ſtatu puré poſſibilitatis, jam eſſet futura; ſi autem futura, jam non eſſet ſalus reprobi, ſed prædeſtinati. Gloria enim futura, qua talis eſt, gloria prædeſtinatorum.

Ex his duobus argumentis Illuſtriſſimus Petrus de Godoy *quæſt. 19. de voluntate Dei tract. 6. diſp. 51. §. 4.* ſolum huic ſecundo conatur occurrere dicendo ſalutem reproborum, quamuis neque ſit exiſtens, neque abſolutè futura, eſſe tamen conditionatè futuram ex vi diuinæ voluntatis volentis omnibus ſalutem conferre, ſi per ipſos non ſteterit, undè nil mirum, quod terminare poſſit ſimplicem amorem concupiſcentiæ. Sed

Contra eſt, & quidem in primis dò libenter reproborum ſalutem quantum eſt ex parte diuini decreti generalis futuram euadere ſub conditione; at id quod aduerto eſt, quod hac ſolutione ſtante non ſubſiſtit doctrina Godoy, quam tradit in hac controuerſia, ſiquidem ideò vult, quod voluntas diuina amore ſimplicis complacentiæ diligere non poſſit pure poſſibilia, quia objectum voluntatis, ut ſit contradiſtinctum ab illo intellectus, non abſtrahit ab exiſtentia exercita, à qua aliundè docet quod abſtrahat obiectum intellectus; ſed res etiam, ut futura ſub conditione, & quidem numquam implenda abſtrahit ab exiſtentia exercita, ergò ſi hoc non obſtante poteſt circa ipſam rendere actus amoris complacentiæ, poterit quoque circa puré poſſibile.

Præterea Ideo creaturæ poſſibiles diligi non poſſunt amore complacentiæ hoc Illuſtriſſimo Thomiſta, quia quamvis dicant bonitatem fecundum quid, ſeu bonitatem tranſcendentalem, quæ conſequitur ad eſſentiam, non dicunt tamen bonitatem abſolutè talem, ſed hoc idem militat loquendo de creaturis futuris ſub conditione numquam purificanda, ergò. Probatur minor. Ideo puré poſſibilia talem bonitatem perfectam non dicunt, quia eis deficit exiſtentia, ſed hæc pariter deeſt futuris ſub conditione numquam purificanda; ergò &c.

Ulterius. Ratio boni, & perfectio ſimpliciter ex Godoy ſupponit exiſtentiam intrinſecè in re; ſed hæc quamuis non ſupponatur in re ſub conditione futura, adhuc hæc poteſt eſſe objectum complacentiæ, ergò etiam quamuis eadem exiſtentia actualis intrinſecè recepta in eſſentia rei poſſibilis in ipſa re poſſibili non ſupponatur, diligi poterit eadem res, ut poſſibilis amore complacentiæ tandem, quia etiam hac ommiſſa ſolutione tanquam legitima, adhuc remanet ſoluendum primum argumentum petitum ex prima hypotheſi, juxta quam objectum amoris complacentiæ eſt pura rei poſſibilitas, videlicèt incarnationis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur Argumenta contraria.*

ARguit primò relatus Illuſtriſſimus Thomiſta. Objectum voluntatis non abſtrahit ab exiſtentia, ſed creaturæ poſſibiles abſtrahunt ab ipſa, ergò. Probatur major. Objectum intellectus abſtrahit ab exiſtentia, ergò illud voluntatis abſtrahere non debet ab eadem exiſtentia. Probatur conſequentia. Intellectus eſt potentia perfectior, quam ſit voluntas; ſed exceſſus in perfectione unius potentiæ ſuprà aliam ex hoc deſumitur, quod objectum potentiæ perfectioris abſtrahat ab exiſtentia, imperfectioris verò non, ergò cum intellectus ſit potentia perfectior quam ſit voluntas, jam objectum intellectus abſtrahet ab exiſtentia, non vero illud voluntatis.

Argumentum hoc quamplura ſupponit, quæ quamuis vera ſint in ſententia arguentis, falſa tamen ſunt Henrici Schola ſupponit enim primò intellectum perfectiorem eſſe ſimpliciter voluntate, quod in hac diſputatione negauimus; Supponit ſecundò objectum intellectus perfectius eſſe objecto voluntatis in linea objecti, quod inhærendo ejuſdem ſolemnis Doctoris doctrinæ pariter falſum eſſe docuimus.

mus. Nihilominus hoc toto omisso respondeo ex objecti diversa abstractione non posse erui regulam infallibilem pro inæqualitate perfectionis unius potentiæ respectivè ad aliam; siquidem aliquando contingit, intellectum respicere rem non abstrahentem ab existentia, sed ut existentem, ut evenit, quando objectum percipit per cognitionem intuitivam, quæ certè ad existentiam terminatur; & aliquando voluntatem ipsam posse velle aliquod non existens, nec cum ordine ad existentiam per simplicem complacentiam, quamvis hoc non possit per amorem efficacem, quia ut optimè docet Godoy, amor efficax tendit ad conferendum liberè possibilibus bonitatem aliquam, quæ certè iisdem quoties perseverant in statu possibilitatis conferri nequit.

Arguit secundò Quilibet Amor Dei erga creaturas, liber est; solùm enim se ipsum necessariò diligit; atqui si amor esset possibilium hic liber non esset, ergò. Probatur minor, primo quia ideo Deus liberè diligit creaturas, quia bonitas divina subsistere potest sine ipsis, nec cum illis necessariò connectitur; sed bonitas divina necessariò connectitur cum possibilibus, nec sine illis subsistere potest omnipotentia in Divi Thomæ, & Henrici Schola, ergò &c. Secundò ideò Deus possibilia necessariò intelligit, quia sunt intelligibilia, & quia connectuntur cum Deo primo intellecto, ergò si sunt diligibiles necessariò diliguntur ab ipso.

Antequam huic argumento fiat satis, sciendum est dissidium esse apud illos, qui sustinent amorem hunc Complacentiæ erga possibilia, an nimirum sit libera ipsa dilectio, vel necessaria; in quo aliqui sustinent liberam esse, inter quos Valentia, & De Quiros; nonnulli verò necessariam, ut Mastrius, Vasquez, Alarcon, Annibal, Suarez, Henrice, Ruvius, Cajetanus, quos refert idem Alarcon *tractat. 3. de voluntate Dei disput. 3. cap. 4.* Ratio potissima, & ferè communis illorum est, quia actus liber non est in voluntate divina, nisi interveniat aliqua variatio, aut in ipso actu, aut in objecto, sed nulla potest esse in casu; non quidem in actu, qui penitus est invariabilis, cum realiter sit ipse Deus; non in objecto, quia possibilia semper possibilia sunt, semperque retinent eandem bonitatem transcendentalem, qua gaudent; ergo dilectio nequit esse libera. Sed quidquid sit de veritate huius secundæ sententiæ, quam pro nunc non placet in examen vocare, sto primæ mihi plausibiliori, juxta quam censeo dicendum esse voluntatem divinam non necessitari ad amorem, quamvis possibilia diligibilia sint secundum se, cujus ratio ea est, quia voluntas divina simpliciter, & absolutè non necessitatur, nisi à summo bono, cujusmodi certè non sunt ipsa possibilia. Secundò quia quemadmodum Deus necessitatur ad possibilia intelligenda, solùm in divina essentia, quatenus hæc est infinitè omnium repræsentativa, adeoque etiam possibilium, non verò in se (sic enim ipsa intelligere in sententia Henrici, atque eiusdem Godoy est impossibile) ita pariter necessitabitur Deus ad amorem possibilium in divina bonitate, non verò extra, ob rationem superius expensam. Sed.

Dices contra primam solutionem. Estò possibilia non sint summè vera, adhuc intellectus divinus necessitatur ad ipsa intelligenda per hoc præcisè, quod sint secundùm se intelligibilia; ergo à pari esto non dicant summam bonitatem, tamen semel posito, quod sint diligibilia, necessitabitur voluntas divina ad Amorem.

Respondeo disparitatem esse, quia intellectus potentia est necessaria in ordine ad quodlibet verum, quoties hoc se offerat intellectui, unde nil mirum si necessitetur ad verum intelligendum, quamvis sit verum infra summum; at verò voluntas est potentia libera, unde bonum infra summum bonum, quia bonum immixtum malo potest non amari.

Arguit tertiò idem Godoy. Nullus sanitatem appetit, qua solum possibilem, sed tantum ut futuram, nec in sanitate purè possibili quispiam delectatur; sed in illa ut, vel existente in re, vel in proxima spe; ergo signum est, quod objectum voluntatis est res, ut existens exercitè; sed res ut purè possibilis non dicit hujusmodi existentiam exercitam; ergo connumerari non potest inter voluntatis objecta.

Confirmatur; etsi contingat intellectum aliquando existentiam attingere, & voluntatem rerum quidditates, hoc tamen ita fit, ut intellectus existentiam cognoscat per modum quidditatis rei, voluntas verò è contra attingat ipsam quidditatem solùm, ut existentem; ergo objectum voluntatis est res unicè existens.

Respondeo: ideò nullus optat sanitatem, quà purè possibilem, quia ipsam optat amore efficaci, & ut sibi propitiam; sub præciso autem statu possibilitatis sanitas esse nequit objectum amoris efficacis, nec desiderii; at verò prosequi potest amore solius complacentiæ, quemadmodum Deus in casu nostro purè possibilia diligit, quæ non diliguntur à Deo ut ipsi bona.

Ad Confirmationem Cajetani, quam maximè extollit Godoy, authumo falsum esse intellectum, quoties attingit rem cum existentia, ipsamque percipere veluti quidditatem ipsius rei; etenim si sic conciperet, in tali perceptione inesset falsitas. Patet hoc, quia attingere existentiam creatam, ut ingredientem creaturæ quidditatem est rem ipsam cum falsitate attingere.

Arguunt ultimò alii. Si Deus creaturas illas diligeret, in illis aliquam bonitatem causaret, sed in possibilibus, qua talibus hanc causare nequit; alias diligi possent amore efficaci contra communem Theologorum sensum; ergo: Probatur sequela, quia Deus diligendo creaturas illis tribuit quandam bonitatem, ut patet in illo maximo dilectionis actu, quo sic nos dilexit, ut filium suum unigenitum daret, & in amore quem quotidie peccatoribus præstat, quia ad se convertuntur ipsis impertiendo gratiam suam, quia denuò illos recipit filios adoptivos.

Hoc argumentum tam parvi roboris est, ut Thomisticæ doctrinæ Defensores ipso non utantur ad excludendum amorem complacentiæ in ordine ad possibilia, sed unicè ut ostendant hæc diligi non posse amore efficaci effectivè, ut optimè advertunt hic Godoy, Mastrius, cum quibus sustineo solum amorem efficacem Dei conferre bonitatem aliquam objecto dilecto, non verò amorem complacentiæ. Hic enim ut ex ejusdem ethimologia constat solùm complacet de bonitate, quam invenit in objecto, habita tamen ab ipsa divina bonitate.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An voluntas amare possit malum, qua malum.*

## CAPUT UNICUM.

*Resoluitur difficultas negatiuè.*

THesis hæc negatiua nedum est Scoti *in 3. dist. 33. num. 3. Pontii disp. 64. quæst 1. concl. 2.* & ferè omnium Patrum Societatis, verùm & Henrici, qui pluribus in locis ipsam insinuat præcipuè verò *in Summa art. 3. quæst. 2. num 6.* ubi solum bonum sub ratione boni statuit objectum appetitus: *dicendum*, inquit, *quod verum est, quod nonnisi bonum est obiectum appetitus, sed hoc, vel bonum simpliciter, quod est bonum sibi immediatè, vel bonum huic, quod est proprium bonum alicujus potentiæ sub ipso. Undè obiectum appetitus non est verum, ut verum sub ratione veri, sed sub ratione boni potentiæ inferioris, ut intellectus, & per hoc ipsum appetit, ut dictum est, sicuti è conuerso obiectum intellectus non est bonum voluntatis, ut bonum sub ratione boni, sed sub ratione, qua verum est, & art. 47. quæst 2.* ait: *Loquendo autem de tali ratione actus, actus volendi Dei quicumque, & similiter cujuscumque volentis est ejusdem rationis, quia eadem est ratio voliti, scilicèt bonum sub ratione boni, per quam differt actus volendi ab actu intelligendi, qui est veri sub ratione veri, & hoc secundum duplicem habitudinem, quam habet res ad naturam intellectualem.*

Probatur autem primò ex communiori Philosophorum, ac Theologorum consensu, quibus accedunt Patres Plures, uti Anselmus *lib. de Casu diaboli cap 12. Bonum enim sibi omnes volunt, & malum esse volunt*, & Diuus Dionisius *lib. de Diuinis Nominibus* prope finem illis verbis *nemo intendens ad malum operatur*. Ad quod etiam allusisse videtur Philosophus moralis illis verbis: *nullus tantum à naturali lege desciuit, & hominem exuit, ut animi causa malus fit.* Ratio autem potissima in hac re est, quia voluntas per amorem inclinat, ac propendit in objectum, sed inclinare nequit nisi in id, quod, vel re ipsa bonum, vel ut tale apparet; ergò. Probatur minor, nam inclinari est formalissimè attrahi; Sed malum non attrahit, sed potius auertit; ergò voluntas inclinare nequit, nisi in id, quod bonum est.

Confirmatur ex Henrico. Sicuti se habent prima principia in speculabilibus, ita se habet ultimus finis, & proinde omne bonum in communi in operabilibus ex Phylosopho 7. Etich. & 2. Physic. Sed prima principia in speculabilibus, utpotè per se nota necessariò cognoscuntur ab intellectu; non enim potest intellectus illis dissentiri; ergò pariter bonum, qua tale necessario amatur, & appetitur à voluntate, itaquod non possit illud odisse.

Obiicies primò. Possibilis est casus, in quo summum bonum possit odio haberi; ergò voluntas in bonum, nedum actu amoris, verùm etiam odii tendere potest. Probatur antecedens in ipsa Beatitudine supernaturali, quæ esto bona sit, tamen ut proponitur aquirenda per hæc, vel illa media ardua, potest odio haberi, & de facto Luxuriosi Beatitudinem supernaturalem, ut incompossibilem cum voluptatibus libidinosis, nedum non diligunt, verùm & odio habent.

Confirmatur. Sicuti connaturale est voluntati tendere in bonum per inclinationem, & appetitum, ita connaturale ipsi est tendere in majus, quàm in minus bonum primum secundo præferendo; sed nihilominus possibilis est casus, in quo voluntas minus maiori præferat bono, ut constat in ipsis bonis spiritualibus, quæ estò sint longè majora temporalibus, nihilominus voluntas nostra posteriora magis, priora minus diligit; ergo etiam poterit bonum sub pura ratione boni odisse.

Respondeo ex Epigrafe conclusionis solutionem satis claram haberi. Diximus enim circa bonum sub simplici ratione boni sufficienter cogniti voluntatem prosilire non posse in actum odii. In casu autem ideo contingit aliquos odio habere Beatitudinem supernaturalem, quia hanc apprehendunt, ut respectiuè malam, videlicèt comparatiuè ad nos, quatenus cum ipsam assequi solùm sit datum per modum premii, opus est, quod merita præcedant, quæ nobis ardua videntur præcipuè illis, qui terrena sapiunt Ceterùm nullus est, qui odio habere possit Beatitudinem secundùm se, quia sic omne bonum includit.

Ad Confirmationem verò dico minus bonum aliquando magis mouere, atque voluntatem in ipsum magis tendere, quam in majus bonum, non comparatione facta ad majus bonum, sic enim potius hoc, quam illud magis esset diligendum, sed quia minus bonum mouet, ut præsens, & ut cognitum clariori sui cognitione, quam cognoscatur maius bonum, quod ut futurum mouet. Cum autem magis nos moueant præsentia, quam futura, hinc ratio est, cur aliquando minus bonum magis moueat comparatiue ad majus bonum.

Dices. Summè bonum, qua tale esse potest objectum odii; ergo nulla distinctio. Probatur antecedens primo, quia est possibilis casus in quo Deus præcipiat nobis odium Beatitudinis in uniuersum consideratæ; ergo est possibilis casus, in quo ipsam liberè odio habeamus. Antecedens patet, quia nulla in eo præcepto apparet implicantia. Probatur autem consequentia, quia si esset impossibile tale odium, esset etiam impossibilis obseruantia præcepti; ad impossibile autem nemo obligari potest, ergo esset etiam impossibile præceptum; ergo si hoc præceptum possibile est, possibile erit etiam ipsum odium.

Secundo, quia est possibilis casus, in quo videns Deum intuitiuè, ipsum odio habeat; atqui videns Deum intuitiuè, videt suum bonum sibi præsens; ergo est possibilis casus, in quo voluntas odio habeat suum bonum. Major, in qua stat difficultas videtur certa, si supponamus, quod Deum videns intuitiuè, videat etiam se à Deo priuandum visione, & damnandum in eternum; in qua hypothesi videtur, quod adsit sufficiens motiuum ad Deum odio habendum. Nec iuuant, quod tunc istæ talis odio haberet summum bonum sub aliqua ratione mali, quatenus esto Deus in se sit summè bonus, tamen tunc apprehenderetur, ut malus extrinsecè, & comparatiuè ad damnandum, cum Deus, ut infligens æternam miseriam, sit extrinsecè malus, seu relatiuè ad ipsos damnatos. Non prodest inquam, siquidem etiam Deus, prout infligens penam damnatis, bonitatem preseferr, cum Deus, ut reprobans, sit Deus, ut exercens suæ justitiæ æquitatem, ergo jam odium ipsum esset in bonum sub expressa ratione boni.

Tertio, quia potest quis velle Deum odisse, quin apprehendat in ipso odio aliquam rationem boni; ergo potest voluntas velle malum sub præcisa ratione mali. Probatur antecedens, quia apprehendere odium Dei sub ratione boni, est maxima intellectus obcæcatio; Sed excæcatio intellectus, cum sit pœna peccati, non prærequiritur ad peccatum; ergo

potest

potest quis velle odium Dei, quin in ipso odio appræhendat aliquam rationem boni.

Quartò, quia potest alicui proponi, quod bonum sit amare purum malum; sed in tali casu poterit diligi purum malum, quia proponitur sub ratione boni; ergò. Quod si dixeris tunc actum amoris esse in malum sub ratione boni, quatenus per cognitionem falsam judicamus malum bonum esse contra est, quia per illam propositionem non tollitur ab obiecto ratio puri mali, sicuti ratio scientiæ fidei adveniens non tollit fidem ipsam, sed solùm sequitur in facta hypothesi, quod purum malum esset obiectum actus prosecutionis ex falsa propositione facta, & deceptione.

Denuo idipsum euidentius apparet, in Petro, qui optimè potest amare Paulo effectu inimicitiæ malum, in quo amore profectò nihil boni relucet Paulo. Ulterius hic idem actus amoris, si in qualitate consistat, fieri potest diuinitus, quod ponatur in Paulo, ergò cum ille actus sit essentialiter amor objecti, quia malum est Paulo, ipse Paulus ratione illius determinabitur ad amandum malum, quia sibi malum est.

Respondeo ad singula, & à primo incipiendo censeo tale præceptum esse penitus impossibile, quandoquidem tendit ad impossibile, quod scilicet odio habeatur bonum appræhensum, ut bonum. Hoc enim æquè implicat, ac amari malum sub ratione mali. Ad secundum verò dico est eleuatum ad visionem Dei, & decreti suæ damnationis futuræ non posse Deum odio habere. Ratio est, quia beatus ille videret tunc æquitatem suæ damnationis futuram, ac proinde non posset Deum ob illam odio prosequi, cum videret in ipso Deo eam justitiam, & æquitatem cum summa ipsius Dei bonitate conjunctam. Quod si dixeris etiam damnatos scire se justissimè damnatos, & nihilominus Deum summo odio prosequi, dico hoc contingere, quia damnati Deum, ejusque bonitatem non intuentur, nec appræhendunt bonitatem, & æquitatem judicis, bonumque uniuersale, cui omne bonum particulare postponendum est. Beatus autem ille videret necessariò summam Dei æquitatem, bonitatem, atque justitiam, ac proinde non posset illum, ut æquissimum judicem non venerari.

Ad tertium respondet Syluester Maurus *Tomo 2. lib. 5. quæst. 17. num* 31. odium illud sequi ex falsa appræhensione alicujus boni in ipso. Ratio est, quia odium Dei, cum sit peccatum, & simul pæna peccatorum antecedentium, jam supponit intellectus excæcationem, quæ pariter est pæna peccati antecedentis, vnde probabile est, quod odium proueniat ab illa excæcatione contracta per peccatum antecedens, ex qua cæcitate fit, quod odium Dei proponatur sub ratione boni. Non diffiteor huic solutioni, sed solùm addo odium Dei non esse possibile, si in ipso odio aliqua ratio boni apparentis non appræhendatur, unde cum ante peccatum hæc appræhensio haberi nequeat, nec quoque haberi poterit odium.

Ad quintum verò dico, quod sicuti si aliquis existimaret, quod bonum esset videre sonum, & vellet videre sonum, nihilominus non posset videre sonum, quia sonus non est objectum visus, sed solius auditus, sic etiam, si quis existimaret bonum esse amare purum malum, & nihilominus vellet diligere purum malum.

Ad ultimū verò resp. aliqui amorem sui non posse transire in altero supposito, quia sequeretur, quod amor concupiscentiæ qualis est ille, quo me diligo transiret in amorem amicitiæ. Sed hac solutione omissa dicendum est amorem Petri non moveri ratione mali: nam sicuti Petrus dum volebat malum Paulo, movebatur ex bonitate honestatis, vel utilitatis ipsius Petri, ita similiter cum Paulus per eumdem amorem sibi vult malum, adhuc movebitur ex bonitate honestatis, vel utilitatis Petri, in quo sensu optimè potest quis moveri ex malo, quia malo sibi, si hoc cedat in bonum alterius, sicuti justus, qui dolores appetit, & pœnas sibi ex desiderio Deo placendi.

# DISPUTATIO
## ULTIMA.
### De Habitibus.
## CAPUT UNICUM.
*Habitus natura exponitur.*

Habitus naturam physicè inspectam suscipimus explicandam, & hoc ideò, ne hac notitia neglecta, quæ ad rem faciunt, à nobis omitti dicantur. Quo sensu enim species impressas vel expressas ponant, nedum Peripatetici, verùm, & Cartesiani, Gassendistæ in Animasticæ limine adnotavimus; unde hic nil aliud remanet, quam claram habitus præbere notitiam. Hoc autem melius fieri nequit, quam varios dicendi modos secernere. Inter hos autem satis plausibilis est hisce nostris temporibus ille quamplurium Recentiorum, qui nobiscum distinguentes habitus in naturales, & supernaturales, priores opinantur consistere in hoc, quod viæ, per quas spiritus animales transeunt, sint magis lubricæ, & planæ, majorique promptitudine ipsas percurrant, vel in vestigiis à cerebro altius, & inconfusè impressis, seu per hoc, quod species inconfusè in phantasma elucescant. In quo asserendo præcipuum fundamentum illud est, quod obiter tangit Ed. mundus Purchotius, & prolixè refert Petrus Gassendus, videlicet, quia præcisè his intellectis, intellectus expeditè, faciléve intelligit. Ex quo manifestè colligitur velle istos Recentiores potentias intellectivam, & volitivam inhabituabiles esse; volitiva quidem, quia potentia est necessariò sequens intellectus dictamen, à quo determinatur in suis operationibus sine difficultate exercendis; intellectivam verò, quia si habitus aquisiti in ipsa adessent, nihil esset, quod posset ipsos delere, cum intellectus nulla vi contraria oppugnetur, unde juxta istos habitus non aliò, quàm in cerebro imprimuntur, & quidem quando organi veluti rigiditas quædam repetitis actibus quodammodo subigitur.

Alii verò Peripatetico nomini minus adversi habitus naturales in animæ rationalis potentiis, idest intellectu, & voluntate non negant, sed expressè fatentur: diffident tamen, quia istos non recipiunt eo sensu, quo à Peripateticis explicantur, itaut sint qualitates intentionales absolutæ, sed solùm sint modus Spiritus, si spirituales, corporis verò, si materiales sint, adeòut nihil aliud sint, quàm spiritus, & corporis modus, qui quoad contrario modo deleatur constanter perseverat. Malebranchius verò in illustratione ad 5. *cap.* 1. aliquaotulum à priori-

prioribus dicendi modis diversitatem affectans, docet habitus intellectuales in hoc consistere, quod mens illa, quæ de aliquo objecto sæpius cogitavit, de eodem facilius postea cogitat, atque ejusdem objecti postea clariorem habeat ideam, unde naturam habitus intellectualis explicando sic scripsit: *Habitus intellectualis consistit in divina voluntate efficaci*, repræsentandi mentis ideam claram, & vividam illius objecti, quod sæpius mens cognovit, & in ipso jure, quod mens sibi vindicat cognoscendi facilius res illas, quæ sibi fuerint objectæ.

At cum videant his omnibus dicendi modis solum naturales explicari, si explicentur; alia incedunt via, ut supernaturalium naturam indicent: communiter enim existimant istos consistere in continua actuali motione Dei Auctoris supernaturalis, in qua motione quosdam audivi propugnare lumen gloriæ consistere, itaut tamen hæc motio indistincta sit à movente, & moto, in quo sensu Bononiæ ipsum lumen propugnabat eruditissimus Pater Marius Calvani Illustrissimi Ordinis S. Francisci de Paula, Theologiæ Lector in Malgnani principis longè excellens.

Sed firmiter opinor nullam ex his explicationibus ad rem facere, ac vitare, quod alioquin non mediocri studio vitare contendit adversa pars, & præcipuè secunda in ordine, quæ erit habitus in sensu peripatetico, respuere videatur, re ipsa tamen admittit. Pater hoc, siquidem quid quæso eit hic modus spiritus, & corporis, nisi habitus Peripateticus. Etenim qualitas est rei adventitia, ad agendum, vel patiendum: quatenus res uno modo affecta, facilius alio simili modo affici potest. Ulterius est animi affectio, aut corporis longo tempore perseverans. Quid autem hæc sunt, nisi munera habitus, quos Peripatetici adstruunt.

Nec magis verò accedit prior dicendi modus, qui fortasse inter cæteros Recentioribus magis arridet, siquidem habitus in intellectu, ac voluntate absolutè negari nequeunt, & supernaturales quidem alioquin tot Patrum, Conciliorum oracula, quorum veritas inconcussa manet, essent reprobanda, quod absit, cum Fidei, Spei, Charitatis habitus, aliique plures in intellectu, & voluntate reponantur, & de virtute sapientiæ clarè testatur Augustinus *tract.* 15. *cap.* 4. in Evangelium Joannis illis verbis: *ubi verò intellectus sapientia imbutus regere cœperit animam, scit jam non solum fugere foveam, & ambulare in æquali, quod oculi ostendunt animæ infirmæ*. Ubi itaque sunt tutissima fundamenta, quibus intellectui virtutes plures primis sæculis à Philosophis, ac Theologis concessæ denegentur?

In cerebro fortasse dices reperiri. At si intellectus est, qui dirigere, ac dirigi debet, cur non in ipso virtutes ponimus, in quo indigentia percipitur. Dices fortasse voluntatem inhabitualem esse, quia hæc absque difficultate operatur. Ar hoc à vero recedere experientia quotidie suadet, & clarius inferius apparebit, dum etiam rationi inhærendo intellectum, & voluntatem habitu instrui posse sua debimus.

Nec pariter solida est explicatio habituum supernaturalium. Nimis enim opponitur iis, quæ decreta sunt in Concilio Vienensi, & præcipuè iis, quæ habentur in Clementina unica de Summa Trinitate, & Fide Catholica, ut videri potest *lib.* 1. Clementinarum, ubi Clemens V decrevit probabiliorem esse sententiam illam, quæ docet in Baptismo parvulis informatorem gratiam, & virtutes conferri. Si autem gratia habitualis v. gr. esset solùm continua motio divina à movente indistincta, cum hæc informans non sit, jam non verificaretur, quod S. Pontifex edocet, videlicet gratiam habitualem in Baptismo collatam informantem esse. Præterea si lumen gloriæ habituabile in continua motione consistit, per motionem non interruptam, pariter alii habitus supernaturales erunt explicandi: non enim est potiori ratio de uno, ac de alio, & consequenter gratia habitualis in infante baptizato residens, erit continua Dei motio, quod tamen affirmati nequit, quia motio divina supernaturalis propter actus salutares exercendos datur, quos certè elicere nequit homo in infantia degens.

Habitus autem natura diversimode explicatur ab Auctoribus. Peripatetici Aliqui enim volunt, quod sit *qualitas quædam permanens, & de se stabilis in subjecto per se primò ordinata ad operationem non tribuens primam facilitatem operandi, sed adjuvans, & facilitans ipsam potentiam*. Alii vero brevius quod sit *qualitas impressa animæ ipsam facilitans ad actus similes illis, à quibus primo fuit producta*. Scotus vero (cui assentior) *nihil habitum esse facilitatem conferentem potentiæ melius agere*.

Habitus autem isti aliqui sunt naturales, supernaturales verò alii. Primi naturæ viribus acquiri possunt, secundi verò à solo Deo infunduntur. Hi autem duplicis sunt generis. Aliqui enim sunt supernaturales per se, quià solo Deo infunduntur, & objectum supernaturale respiciunt, alii vero supernaturales per accidens, vel qui à Deo quidem infunduntur, sed respiciunt objectum naturale, vel qui hanc infusionem non petunt, uti Theologi dicere solent loquendo de virtutibus moralibus, quæ in Adamo extiterunt. Una autem ex differentiis præcipuis, quæ communiter afferri solet inter habitus naturales, & supernaturales per se ea est, quod naturales dant solam facilitatem operandi, non verò simpliciter posse, supernaturales autem simpliciter posse tribuunt, maximè in ordine ad illos eliciendos perfectè, & permanenter, quapropter huic differentiæ nos inherentes in Logicæ Proemialibus demonstravimus habitum Logicæ artificialis non esse simpliciter necessarium relatè ad alias Scientias acquirendas in statu perfecto, quidquid dicat in oppositum Bernaldus Quiros Societatis Iesu cum Schola Divi Thomæ.

## QUÆSTIO PRIMA.

*An habitus intellectuales distinguantur à speciebus.*

NOn accipio hic habitum, pro ut præcise est determinativo potentiæ, quia in hoc sensu ipsæ species habent rationem habitus, sed ipsum accipio iuxta superius dicta, in quo sensu non una est omnium sententia.

Comptonius enim quamplures ex sua societate refert propugnantes in Intellectu habitus indistinctos à speciebus, & bene. Vasquezius enim hanc identitatem inter species, & habitus adeo sustinet, ut 1. *part. disp.* 30. velit speciem deservientem ad visionem beatificam identificari cum lumine gloriæ, adeoque sicuti de facto lumen gloriæ datur, dari quoque etiam speciem inpressam, cuius sententiam probabilem esse asserit Sylvester Maurus *lib.* 1. *quæst.* 31.

Alii vero è contrà volunt esse qualitatem distinctam à congerie specierum. Pro hac secunda sententia stant innumeri Auctores, inter quos *Scotus dist.*

*d st.* 3. *quæst.* 8 *Zumel quæst.* 58. *art.* 1. *Gabriel in* 2. *dist.* 3 *quæst.* 2. *Banez quæst.* 58. *art.* 1. Henricus *quodlib.* 5. *quæst.* 14. Suarez. *disp* 44. *sect.* 4. *metaph.* Quænam autem sit mens Divi Thomæ in hac re apud Auctores, res incerta videtur, uti ex nostris aduertit Henricus Antonius Burgus ubi *de habitu scientiali cap.* 5. *in suis Paradoxis*, & ex Thomistis Caietanus *prima secundæ quæst.* 54 *art.* 4. Ferrariensis 1. *contrà Gentes cap.* 56. Sotus *quæst.* 30 *Prol.* & ex Societate Suarez hic; sed quidquid sit de hoc quod insinuasse sufficiat sit.

## CAPUT PRIMUM.

*Habitus intellectuales realiter distinguuntur à speciebus.*

ASsertum hoc duplici ratione ostendo, quarum quælibet infert infallibiliter realem distinctionem, & prima sit. Ex iis, quæ sunt realiter idem evenire nequit, quod unum augeatur alio non aucto, vel alio augmenti inepto, atqui habitus intellectuales augeri possunt tum intensivè, tum extensivè: intensivè, dum ad maiorem claritatem cognitionis conducunt, extensivè verò, dum deserviunt ad maiorem numerum cognitorom; species vero è contrà augeri nequeunt, cum sint simplices quædam obiectorum repræsentationes, quapropter alibi dicimus perfectiorem visionem Aquilæ respectivè ad visionem hominis non provenire ab intensiori solis specie existente in Aquila, quàm in homine, sed solùm à diversa organizationis dispositione, ergò,

Secunda ratio ex separabilitate desumitur, quæ certè infert distinctionem realem. Certum enim est in pluribus potentiis esse species, in quibus tamen non sunt habitus; ergo species re ipsa non identificantur cum habitibus. Antecedens liquet in ipsis potentiis sensitiuis, vel internis, vel externis. Consequentia vero patet.

Dices hoc verum esse in cæteris potentiis ab intellectu, non tamen in intellectu, in quo solùm asseritur, quod habitus sint indistincti à speciebus, in quo certè habitus, & species inseparabiles sunt.

Contrà est, siquidem etiam in intellectu habitus sunt realiter distincti à speciebus, quam distinctionem egregiè suadet prima ratio in ordine. Ex hoc enim, quod species residentes in intellectu sint inseparabiles ab habitibus, inferri nequit, quod sint cum ipsis identificatæ. Inseparabilitas enim duorum non infert determinatè inter ipsa identitatem, cum oriri possit à simplici connexione, ut patet manifeste in unione, quæ inseparabilis est ab extremis perseverando in esse absqoe ipsis, & in re qualibet, quæ separari nequit ab omni ubicatione in plausibili sententia, quin ubicatio, & unio identificentur cum extremis modificatis. Vlterius etiam in Intellectus de pluribus adsunt species, de quibus tamen non adest Scientia per modum habitus, ut manifestissimè patet in Intellectu divino, & Angelico, qui etsi mediis speciebus intelligant, essentia enim divina gerit munus speciei Impressæ respectu Intellectus divini; hoc tamen evenit absque habitibus, cum in Intellectus divino, & Angelico scientiam habere rationem habitus negent propter difficultatem, quam hic indispensabiliter habet supponere in potentia, quæ certè non adest in Intellectu angelico, & multo minus divino; ergo habitus scientificus, utpotè separabilis à speciebus, erit ab ipsis realiter distinctus.

Et hic aduerto inanem esse eorum rationem petitam ex diverso specierum munere, & habituum ad distinctionem realem inter ipsos colligendam, uti primo, quod species habeant unire obiectum potentiis ipsum repræsentando; habitus vero non, sed solùm tribuant potentiæ facilitatem. Secundo, quod species se teneat ex parte obiecti, habitus vero ex parte potentiæ. Tertio qood species requirantur simpliciter ad actum, non vero habitus acquisiti. Quarto quod species præcedant omnem actum, habitus vero subsequantur. Quinto quod habitus inclinent potentiam ad actum, non vero species. Sexo quod species solum inclinent ad cognitionem propriorum obiectorum, habitus vero etiam ad cognitionem rerum omnium consimilium. Septimo, quod species numquam corrumpantur secus vero habitus. Vltimo tandem, quod species concurrant effective, habitus verò in plausibili sententia sic non concurrant. Hæ inquam rationes non urgent, cum aduersæ partis Auctores faciliter respondeant dicendo, species dupliciter considerari posse, primo videlicet prout repræsentiue obiectorum, secundo vero ut intensissimæ sunt & vivaciores. Primo modo docent species non habere rationem habitus, sed solum secundo modo, iuxta quam diversam specierum acceptionem optimè occurrunt superioribus rationibus asserer..., species pro ut sunt pure repræsentatiuæ non sortiri rationem habitus, ut optimè probant rationes adductæ, non vero qua intensissimæ, quia in hac acceptione ipsis conueniunt ea omnia. quæ habitibus tribui solent, nimirum subsequi ad actus, non ipsos præcedere, non esse simpliciter necessarias ad actus, se tenere ex parte potentiæ, & sic de singulis. Et revera optimè potest idem sub diversa ratione aliud præcedere simulque ad illud subsequi, atque se tenere ex parte obiecti, & potentiæ, quorum primum patere potest in plausibili Thomistarum sententia docentium accidentia dispositiua in linea causæ efficientis præcedere formas substantiales, ad istas vero subsequi in genere causæ materialis Secundum vero manifestum est in specie impressa, quæ quamuis effective remotè se teneat ex parte obiecti, inhæsivè tamen, & fæcundativè se tenet ex parte intellectus. Diversa enim munera ex genere suo non inferunt distinctionem realem, ut patet in plausibili sententia negante distinctionem realem inter essentiam, & existentiam in creatis, atque inter animam, eiusque potentias, quibus omnibus aliundè diversa munera conveniunt. Sed

Dices. Si hæ rationes nullæ sunt, nulla profectò erit prima ratio superius exposita, quià pro libito respondere quilibet poterit affirmando speciem ipsam augeri non posse, pro ut præcisè est species obiecti, posse tamen prout induit rationem habitus.

Contrà est, quià augmentum vnius sine altero ex genere suo semper infert realem distinctionem in illis, in quibus est tale augmentum; ergò evasio hæc ad rem non facit.

## CAPUT SECUNDUM.

*Satisfit Obiectionibus.*

ARguit primò Comptonius. Nullus actus intellectus requirit habitum; ergo non datur ex parte intellectus. Probatur antecedens inductione, & primo non requiritur habitus, ut intellectus assentiatur obiecto euidenter proposito, siquidem

circà tale ob'ectum intellectus est ex se determinatus ad assentiendum. Secundò non requiritur ad assentiendum obiecto non evidenter proposito, quià ad sic assentiendum sufficienter intellectus determinari potest ab imperio voluntatis. Tertiò nec requiritur ad assentiendum conclusioni, cum ad ipsum assensum determinetur à præmissis, nec tandem ad iudicium eliciendum, cum ad hoc determinetur à prævia apprehensione; ergo.

Respondeo actus illos, qui faciliter eliciuntur, & scientificè habitum exigere. Intellectivæ potentiæ enim non est concessum ex se faciliter scientificè intelligere. Dum autem io casu dico exigi habitum ad obiectum euidenter cognoscendum, seu ad illi assentiendum modo scientifico. Vlterius exigitur habitus ad conclusionem, quià quamuis intellectus ad ipsam sit proximè determinatus à præmisis, radicaliter tamen determinatur ab habitu scientiæ, vel etiam dici potest, quod intellectus à præmissis determinetur efficienter, à scientia verò formaliter. Si verò obiectum non sit claré propositum, iuuat scientia ad hoc ut proponatur evidenter intellectui, atque ipsi sic assentiatur, quod totum certè præstare nequit solum voluntatis imperium.

Arguunt secundò alii. Tota facilitas, quam intellectus experitur in perceptione obiecti sæpius cogniti refundi potest in species; ergo superfluus est omnis habitus distinctus. Antecedens probatur, quia quo sæpius obiectum percipitur, eo magis intenditur ejus species; species autem quò magis intensa, eò clarius repræsentat obiectum, quod deinde clarius propositum magis allicit intellectum, & quandoque rapit; ergo tota facilitas in operando in species intensiores est refundenda.

Hoc est præcipuū argumentum illorū, qui negant habitus in intellectu. Afferunt enim ideò intellectum aliquando pati difficultatem in intelligendo quædam intelligibilia, quia ipsorum species parum intensæ sunt, vel quia objecta proponuntur intellectui mediis obscuris apprehensionibus. Quapropter sufficere docent speciem intensiorem ad difficultatem tollendam. Nihilominus argumento occurro, dicendo ipsum inniti falso supposito, supponit enim objectorum species suscipere magis, & minus, cum aliunde consistant in indivisibili, idest in perfecta repræsentatione objecti. Aliæ quamplures sunt solutiones huic argumento, quæ videri possunt apud Pontium.

Arguunt ultimò alii. Habitus ponuntur ad tollendam difficultatem in operando, sed in intellectu positis in omnibus requisitis nulla est difficultas; ergo. Probatur minor. Potentia necessaria positis omnibus requisitis non potest non operari, sed determinatur necessariò ad operandum, quantum potest; sed intellectus est potentia necessaria; ergò.

Confirmatur. Si in potentiis necessariis omninò determinatis ad operandum ponantur habitus, cur etiam non ponuntur in sensibus externis, immò in lapide ad cadendum, in igne ad ascendendum.

Respondeo. Vel Adversarii volunt inter omnia requisita ingredi ipsos habitus, vel non. Si primum jam concedunt, quod negant. Si secundum nego, quod sint omnia requisita in intellectu absque habitibus, & consequenter, quod nulla sit difficultas, siquidem omnia requisita non habentur quoties perseverat carentia facilitatis in operando.

Ad confirmationem dico nullum ex his, quæ intendit arguens sequi. Potentiæ enim externæ, & inanimatæ nedum sunt determinatæ ad operandum, verùm etiam nullam experiuntur difficultatem in operando, nec majorem facilitatem in continua operatione, quod signum est potentiæ inhabituabilis. Intellectus verò difficultatem experitur in ordine ad procedendum scientificè, unde exiguntur habitus.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*An in voluntate sint admittendi habitus, vel an voluntas sit potentia habituabilis.*

### CAPUT PRIMUM.

*Defenditur sententia affirmativa.*

Sententia, quam quidam Recentiores sustinere solent nimirum voluntatem non esse habituabilem, plausibilis fuit apud nonnullos antiquos, quos suppresso nomine refert, & reprobat Doctor *quodlib.* 4. *quæst.* 22. affirmans hos posuisse habitus solùm in parte sensitiva, irascibili, & concupiscibili propter huius indeterminationem ad bonum secundùm judicium rationis. Cum enim magis distent à ratione irascibilis, & concupiscibilis, passionesque habeant rationi contrarias, adeoque possint judicio rationis contrariari, opus est (ajebant) quod istæ potentiæ solùm sint habituabiles, sed contra istos stat communior Auctorum sententia, quæ propugnat, sicuti in intellectu, ita & in voluntate habituum existentiam, quæ aonequam ratione à nobis confirmetur.

Advertendum est tripliciter considerari posse voluntatem humanam. Primò prout natura est. Secundò verò prout deliberativa. Tertiò tandem ut est prædita arbitrio. Priori modo naturaliter inclinat in bonum quà bonum, quo sensu Augustinus dixit *lib* 7. supra Genesim *cap.* 15. *naturale esse omnibus, velle benè vivere.* Secundò verò accipitur, quando postquam intellectus repræsentavit bonum sub ratione veri, voluntas differt prosequi tale bonum, & impellit intellectum ad scrutandum, an ipsum bonum sub determinatis circumstantiis prosequendum sit nec ne, qui actus intellectus dici solet consiliatio. Tertiò verò modo inspicitur, quando ipsa non obstante habitu naturali inclinante ipsam voluntatem ad unum, ut est natura, neque habitu morali inclinante voluntatem prout est deliberativa, adhuc est libera ad utrumque, & differre potest sui determinationem, simulque velle potest contra utramque determinationem. Modo dum inquirimus an in voluntate dentur habitus, difficultas procedit de voluntate prout est deliberativa, in quo solùm sensu Henricus difficultatem hànc sibi proponit *quodlib.* 4. *quæst.* 22 Priori enim modo voluntas jam est ex se determinata, unde non indiget habitu. Tertio verò modo non est habituabilis, cum non sit aliquo habitu determinabilis, in quantum est arbitrio libera, quia hoc est contra naturam libertatis. Solùm ergo asserimus habituabilem esse secundo modo, quod primò suadeo ejusdem Doctoris ratione. Potentia quæ de se est indifferens, & indeterminata respectu finis, in quo debet acquirere propriam perfectionem per suam operationem, indiget habitu virtutis, ut determinetur ad finem, à quo potest deviare sua operatione stante indeterminatione; sed de facto ita se habet voluntas, ergo. Major est certa, & patet in ipsa intellectiva potentia, quæ quia errare potest existimando aliquod verum esse, quod tamen falsum est, ideò in ipsa ponuntur habitus intellectuales scientifici

tifici. Probatur itaque minor sui explicatione. Licèt enim voluntas sit naturaliter determinata ad bonum, ita ut si præcisè præsentetur rationi, & voluntati, non possit non assentiri, neque voluntas ab eo resilire, & per hoc voluntas, & intellectus sint determinata ad verum, & bonum simpliciter, quatenus manifestatur ratio boni, tamen in hoc nihil remanet ex parte rationis, & voluntatis in eis, quæ sunt extra primum verum, & bonum, quod sit verum, aut bonum simpliciter, vel apparens, unde potest circa aliud bonum intellectus errare in judicando, & voluntas in eligendo, quapropter indiget habitu virtutis, quo determinetur in electione boni.

Secundò probatur alia ratione pariter insinuata à Doctore. Ubi est nata esse bona delectatio, ibi potest esse virtus, atqui bona delectatio habet esse in voluntate rationali, non verò in parte aliqua sensitiua, ergò virtutes erunt etiam in voluntate. Rationem hanc confirmat Doctor eo quia signum generati habitus est ipsa superueniens delectatio, quapropter docet bonam delectationem de bono simpliciter, signum esse boni habitus, & delectationem de bono apparenti signum esse mali habitus.

Probatur tertiò, & ultimò conclusio ratione communi, quæ tamen verè est explicatio prioris adductæ. Ubi inuenitur potentia, quæ in operando difficultatem sentiat per repetitionem plurium actuum amouibilem, ibi est potentia habituabilis; atqui potentia volitiua sæpè sæpius in prosecutione aliquorum objectorum difficultatem experitur, quam deperdit per exercitium, ergò. Minor euidens est, major constat. Habitus enim creati dantur, vel ad tollendam difficultatem, uti naturales, vel improportionem uti supernaturales.

## CAPUT SECUNDUM.

*Diluuntur argumenta contraria.*

Arguit primò contra positam Thesim Illustrissimus Spinula hoc medio Facilitas illa quam ex repetitione actuum, experitur voluntas ad similes actus, saluari potest in ipsa voluntate etiam secluso habitu distincto, ergò ex facilitate, quæ aliquando videtur conuenire voluntati in ordine ad aliquas operationes, ineptè infertur existentia habitus in eadem. Probatur Antecedens, facilitas illa optimè potest haberi per hoc præcisè, quod sæpius ab intellectu voluntati proponatur objectum, & cum majori efficacia, & sub majori ratione boni, ita ut species in intellectu resurgant viuaciores, atque cognitiones sint magis expressiuæ bonitatis objecti, quam erat prima cognitio. Ex his autem præcisè optimè oriri potest major facilitas in operando in voluntate, etiam excluso habitu.

Confirmant alii hoc argumentum. Difficultas, quam experitur voluntas in prosecutione alicujus boni prouenit ex cognitione, quod illud bonum, aut acquiri non possit absque labore, aut quia ipsius boni possessio impedit assecutionem alterius boni, quod magis optamus, ergò per hoc præcisè, quod tollatur talis apprehensio, tollitur omnis difficultas; sed hæc apprehensio tollitur absque habitu, ergo.

Respondeo verum utique esse, quod ex clara objecti propositione, & quidem cum majori efficacia, & sub majori ratione boni voluntas ipsa magis mouetur, & allicitur ad amorem, ad ipsumque magis inclinatur; sed hæc omnia solùm remotè concurrunt, & causant hanc facilitatem, inclinationem, atque promptitudinem in voluntate. Proximè enim desumitur ab habitu acquisito ex variis actibus circa obiectum elicitis; quemadmodum dicere solent Theologi, dum loquuntur de impeccabilitate naturæ à Verbo assumptæ, quæ estò remotè reddatur impeccabilis per unionem hipostaticam, proximè tamen per ipsam non redditur, sed per visionem, vel etiam loquendo de ipsa gratia sanctificante, quæ quamuis sit radicaliter operatiua in ordine supernaturali, non est tamen proximè nisi per habitus supernaturales distinctos ex natura rei in sententia Henrici, & Scoti ab ipsa. Præterea, ut etiam aliqui aduertunt in hac re, facilitas in operando non semper sequitur ex descriptis in argumento. De facto enim sæpius contingit aliquem habere species perfectissimas de honestate alicujus objecti, v. g. condonationis injuriæ, & simul intellectum voluntati proponere bonitatem ipsam in eadem condonatione existentem, & nihilominus istam inclinare adhuc ad vindictam aliquando experimur.

Ad confirmationem egregiè respondet Pontius difficultatem hanc non oriri ex apprehensione, sed ex natura actus, quem experitur difficilem voluntas habitu non instructa. Secundò quia si oriretur unicè difficultas ex absentia talis apprehensionis jam hujus præsentia posita non esset amplius habituabilis potentia volitiua. Patet hoc, quia ipsius præsentia esset præsentia habitus. Hoc autem patet esse falsum, ut in illo, qui non obstante apprehensione quod sobrietas voluptate priuet, adhuc sobriè vitam ducere.

Arguunt secundò alii. Pro pia affectione in ordine ad credendum fide diuina, in voluntate non ponitur habitus in plausibili Theologorum sententia, ergò etiam pro aliis actibus à voluntate eliciendis.

Respondeo facilem esse solutionem. Disparitas enim est, quia habitus in Henrici Schola non ponuntur nisi propter actus perfectos, & ultimatos, cujusmodi certè non est pia affectio, vel prima motio voluntatis, quia hæc solùm datur per modum viæ, tendentiæ, & incoationis actus fidei; at verò cum sint reperibiles quamplures alii actus voluntatis perfecti, & ultimati, pro iis optimè dari poterunt habitus, ut faciliùs, & connaturaliùs eliciantur à potentia volitiua.

Arguunt tertiò. Habitus morales ideò dantur potentiæ, ut hanc ordinent in bonum ipsam in hoc inclinando; sed voluntas non indiget inclinante in bonum, sicuti non indiget concupiscentia in delectabile, & auditus in sonum, ergò. Probatur minor. Voluntas ex se ipsa ordinatur, & inclinatur in bonum; posito enim judicio rationis mouetur naturali inclinatione ad bonum ab eadem ratione ostensum.

Huic argumento respondet Henricus his verbis: Quamuis enim voluntas inclinet in bonum, ut natura, illa inclinatio non sufficit, quia adhuc manet indifferens, & indeterminata ante electionem, ut est deliberatiua; & ideò cum inclinatione ad bonum simpliciter, ut est natura, indiget inclinatione per habitum, ut est deliberatiua ad determinatam rationem boni, qua voluntas, ut libera attrahatur, ut faciliter, & expeditè eligat, licèt liberè ad quod habitus inclinat. Licèt enim ratio ostendens objectum, voluntatem determinet, ut possit eligere ostensum, eo quod nihil possit appeti, nisi cognitum, tamen potest benè eligere contra ejus determinationem.

At-

Arguunt ultimò. Alii ex Philosopho, hic enim in fine primi Ethicorum determinat solas virtutes intellectuales esse in rationali, idest in intellectu principaliter; morales vero in irrationali, & consequenter solùm in parte sensitiua, ergo voluntas per ipsas non est habituabilis.

Huic argumento respondet Doctor docens Philosophum ponere habitus solùm in eo, quod est rationale per participationem, uti est appetibile, quod aliqualiter rationem participat. Sub appetibili autem nedum intelligitur irrascibile, verum etiam volitiuum. Quando verò asserit virtutes morales esse in irrationali judico Phylosophum loqui de irrationali prout includit rationale per participationem, uti voluntatem esse censeo. Rationalitas enim tripliciter accipi potest videlicet communiter, largè, & strictè. Largè dicitur rationale pars volitiua, quia nata est rationabiliter moueri. Communiter dicitur pars appetitiua, quia nata est rationi obedire. Strictè pars intellectiua, quia nata est rationabiliter discernere; & hæc dicitur simpliciter rationalis per essentiam, & nullo modo irrationalis, quia se ipsa de cognito judicat rationabiliter, & nullo modo dependet ab altero ejus judicium. Secundum dicitur irrationale simpliciter, quia de se nec rationabiliter judicat de cognito, nec mouet ad ipsum rationabiliter. Ex hac autem doctrina colligi potest alia solutio.

## QUÆSTIO TERTIA.

*An potentiæ materiales agant per habitus.*

### CAPUT UNICUM.

*Negatiua amplectitur sententia.*

Difficultas vt vides, procedit de omnibus potentiis materialibus, siuè internis, siuè externis, siuè in homine, vel in brutis, quinimmò etiam de innanimatis; circa quam non unica est omnium mens. Prima est Suarezii, qui quamuis in sua *Metaph. disp.* 44. *sect.* 5 de habitibus propugnet, voluntatem, intellectum, & appetitum sensitiuum hominis habituabiles esse propter aliquam indifferentiam in his recognitam, variasque inclinationes quodamodo repugnantes, negat tamen in omnibus aliis potentiis tum internis, tum externis, cui adhærent Comptonius, Spinula, Arriaga, aliique. Pontius verò quamuis neget existentiam habituum in potentiis sensitiuis externis, admittit tamen ipsos in membris externis, & in omnibus potentiis sensitiuis internis, siuè in hominibus existant, siuè in brutis, quod etiam docet Mastrius hic ex Scoto.

Ex his sententiis eligo primam, quæ Henrici est, ipsamque sustinet in summa *art.* 1. *quæst.* 11. illis verbis: *Quod nec etiam aliquis habitus in ipso sensu generatur ex sensibilium comprehensione, sicuti generatur aliquis habitus in intellectu* (En in sententia Henrici Intellectus habituabilis) *ex comprehensione intelligibilium*; in quibus verbis apparet Doctorem indefinitè loqui adeoque excludere existentiam habituum à qualibet potentia virali materiali, siuè interna, siuè externa sit. Hujus autem sententiæ veritatem ostendo, ac unica ratione satis solida. Habitus creati dantur ad tollendam difficultatem, quæ relucet, vel relucere potest in potentia secundùm se inspecta ad operandum, atqui potentiæ omnes materiales sunt ex se determinatæ ad suum objectum, & sunt ex se faciles ad eliciendum suos actus, ergò

Dices primò cum Mastrio rationem hanc veram esse de externis, non verò de internis potentiis materialibus. Secundò intellectum operari per habitum, quamuis non sit indeterminatus, & indifferens ad plura, sed ad unum determinatus, cum sit potentia naturalis. Tertiò quia ad hoc ut aliqua potentia habituabilis sit, sufficit, quod eius modus operandi reddi possit facilior, promptior, vel intensior. Hic autem modus operandi optimè interuenire potest in potentiis materialibus internis, ut clarius patet in appetitu sensitiuo Hominis, qui cum rebus sensibilibus sæpius vacet maxima facilitate ipsa prosequitùr; ipsæ enim potentiæ brutorum de facto per plurium actuum repetionem, facilius, & promptius operantur; Sed

Contra est, & adversus primum sic arguo. Eatenus potentiæ externæ per Mastrium non sunt habituabiles, quia nullam habent indifferentiam, nec intensius, atque facilius tendunt circa objecta, seu quia nunquam acquirunt majorem facilitatem in suis operationibus, quam semel habuerunt, ut asserit Pontius, sed hoc idem evenit de internis, ut speculanti patebit; ergo. Quod si contingat potentias sensitivas internas aliquando intensius operari, dico hoc provenire non ab habitu acquisito per consuetudinem, sed à phantasmatis firma adhesione, vel à specie objecti sensibilis vehementer impressa, & actuum repetitione. Velle autem ponere existentiam habitus per hoc præcisè, quod aliqua potentia possit ultra facilitatem sibi convenientem facilius operari, rationabile non est; alias nulla esset potentia, quæ non esset habituabilis, cum quælibet capax sit operandi modo faciliori illo, quo de facto agit. Quod enim non persectè accedit ad expeditissimum operandi modum primæ causæ capax est, ut agat majori promptitudine illa, qua de facto operatur.

Quod verò secundo loco obiicit Mastrius ad rem non facit, ego enim non sustineo carentiam habitus in potentiis materialibus ob solam ipsorum determinationem ad unum, sed ob carentiam difficultatis in operando ex se convenientem potentiæ. Nihilominus etiam dato, quod præcisè ex hoc capite conclusio deduceretur, ut ipsam ostendere solent Comptonius, & Arriaga, respondeo rationem hanc non improbari paritate intellectivæ potentiæ, quia hæc, ut optimè advertit Henricus in ordine ad rectè discurrendum non est potentia naturalis, cum ad hoc non sit determinata, sed indeterminata.

Dices; saltem in membris externis habitus exercitio acquiruntur. Experientia enim constat, quod Scriptores, Pictores, Sculptores, continuo exercitio expeditus operantur, quod certè non eveniebat in initio.

Respondeo circa existentiam habituum in membris externis non unicam esse omnium mentem. Pontius vult habitus in ipsis dari propter rationem superius allatam. Alii verò etiam in his negantes rationem habitus dicunt expeditiorem operandi modum non provenire ab habitu acquisito, sed vel à laxitate nervorum, vel agilitate quadam aquisita ex actuum frequentatione, vel etiam, ut aliqui dicunt ab intensiori specie in immaginativa relicta. Ex his solutionibus secunda in ordine recipitur.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum habitus acquirantur exercitio plurium actuum, vel solum per unicum.*

Henricus *quodlib.* 5. *& quæst.* 18 quamvis sermonem non habeat de omnibus habitibus in genere, ipsum tamen instituens de habitu scientiæ, de quo præcipuè hìc est difficultas, docet ipsum aquiri plurium actuum exercitio, quod his verbis insinuat: *Qualibus actibus frequenter eliciis generatur in ipsa habitus scientialis, adeò ut per primum actum aliquid habitus scientialis producatur.* In hac Doctoris sententia conspirant Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3 Durandus *quæst.* 8. Vasquez, Conimbricenses, Hurtado, Mastrius, Suarez, quamvis hic ultimus Doctorem nostrum referat pro contraria sententia. Adversam verò partem sustinent Thomistæ contra quos sit.

### CAPUT UNICUM.

*In generatione habitus scientialis omnes actus seorsim operantur ad ejus generationem, ita ut aliquid habitus generetur.*

Hic sermo est, ut vides, de habitu scientiæ, de quo conclusio proposita cum Henrico suadetur primò. Sicuti se habet in formis accidentalibus habentibus latitudinem, & divitibilitatem, ita se habet in habitu, sed in omnibus hujusmodi formis per quamlibet actionem generatur aliquid formæ; ergo etiam aliquid habitus per quamlibet actum. Patet major. Minorem verò suadet Henricus exemplo generationis albi ex nigro, ubi dum album agit circa nigrum, necesse est ut nigrum aliquod nigredinis ammittat, & aliquid albedinis acquirat.

Dices priores actus disponere potentiam ad introductionem habitus, non verò esse aliquid habitus. Certum est enim quod antequam forma recipiatur in subjecto, hoc disponi debet ad ipsam, nam forma non recipitur in subjecto nisi dispositum sit.

Contra est, quia non aliter potentia indisposita est ad operandum, quam quia difficultatem experitur in operando. Modo primi actus eliciti, vel tollunt aliquam difficultatem, vel non; si primum ergo ita disponunt, ut sint aliquid habitus; quod enim habet tollere difficultatem in operando habitus est; si verò secundum dicant; ergo jam non disponunt potentiam, cum hæc remaneat æquè difficilis, in qua difficultate stat tota indispositio. Secundò haberi nequit effectus formalis permanens per formam transeuntem, quapropter dicunt Theologi formalem justificationem non haberi per actum contritionis, quia hic transiens est, & propterea diximus extrema permanenter uniri non posse per actionem adductivam, quia hæc transiens est; atqui actus primi, qui disponentes dicuntur, non sunt permanentes, sed transeuntes; ergo non poterunt permanenter disponere potentiam ad habitum.

Probatur secundo assertum pariter Henrici ratione. Per primum actum temperantiæ, v. g. vel aliquid producitur, vel nihil, si nihil; ergo potentia post ipsum actum est æquè indisposita, ac antea, quod est contra experientiam; & deinde non esset maior ratio, cur aliquid produceretur per secundum, vel tertium, & alios sequentes actus, um omnes isti sint eiusdem naturæ; ergò dicendum est, quod producatur aliquid, sed hoc aliquid esse non potest nisi aliquod ipsius habitus; ergò per unicum, & primum actum aliquid habitus producitur.

Obiicies primò. Est possibilis casus in quo aliquis habitus totaliter destrui possit unico actu contrario; ergò etiam erit dabilis casus, quo possit produci totaliter per unicum actum. Antecedens patet, si enim daretur habitus aliquis in gradu remisso, & actus oppositus illi intensus, in tali hipothesi talis actus haberet vim corrumpendi totaliter præsuppositum habitum. Consequentia verò liquet, quià pariter talis actus ità esse potest intensus, ut possit se solo habitum generare, sicuti potest destruere.

Confirmatur per quemlibet actum non semper incipit diminutio habitus oppositi, ergò per quemlibet actum non semper generatur aliquid habitus. Antecedens patet, maximè quando actus est valdè remissus, & habitus oppositus est valdè intensus, in quo casu certè actus remissus nihil destruit habitus quoad intensionem. Consequentia verò probatur, quià actus non generat aliquid novi habitus nisi contrarii habitus aliquid corrumpant. Generatio enim unius est corruptio alterius, quod verò maximè verum est in contrariis; ergò si actus summopere remissus nullatenus destruit opositum valdè intensum iam nihil de novo habitu generabit.

Respondeo verum esse Antecedens, sed censeo talem actum vi sua totius habitus destructiuum multiplicem esse virtualiter, quamuis formaliter unus sit. Ideò autem esset virtualiter multiplex, quià præstaret quod præstant nunc quamplures. Hoc tamen verificari nequit de actibus in ordine ad productionem habitus, quià longè plus requiritur ad rei productionem, quam ad ipsius destructionem, ut optimè aduertit *Severinus Boetius* supra prædicamentum de qualitate his verbis: *Non qui semel iuste indicat, iustus est, neque qui semel adulterium facit, adulter est, sed cum ipsa voluntas, & cogitatio perseverant.*

Confirmatio verò non urget, quià per quemlibet actum habitus diminuitur, quamuis hæc diminutio aliquando insensibilis sit propter actus remissionem, & habitus excellentiam.

Obiicies secundò. Habitus est qualitas difficile mobilis à subiecto reddens facilem, & expeditam potentiam ad operandum, atqui habitus secundum priores actus non habet rationem difficile mobilis à subiecto, atquè facilem non reddit potentiam ad operandum, ergò habitus non generatur secundum primos actus, sed potius isti erunt puræ dispositiones.

Respondeo me non fortuitò dixisse in epigrafe Conclusionis priores actus generare aliquid habitus, non verò habitum ipsum in statu suo connaturali, seù perfecto, & hoc propter rationem in argumento insinuatam. Recensita enim in argumento definitio habitus solum convenit habitibus in sua excellentia acceptis, non verò in ipsorum initio. Quod verò addunt Aduersarii in calce argumenti actus videlicet primo elicitos mere dispositivè se habere ad acquisitionem habitus, verum est; at tamen ità sunt dispositiones, ut etiam sint aliquid ipsius habitus, cum primi actus inchoent habitum, ultimi vero virtute propria, & etiam præcedentium perfectum producunt habitum in natura.

## QVÆSTIO QVINTA.

*Quomodo habitus concurrant ad actus.*

IN hac re non unicam invenio sententiam. Do præcipuas. Cæteras ommitto. Primà docet habitum effectivè concurrere ad actus. Pro hac stant Suarez. Ocamus, Caietanus, Capreolus, Valentia, Oviedo, Granado, Herueus, Almainus, aliique. Dissidium tamen inter istos est, quidam enim volunt effectiuum concursum non esse unicum habitus effectum, sed ulterius ipsum censent inclinare, & allicere potentiam illam, in qua est ad actum suum producendum, alii verò authumant solum concursum effectiuum intervenire.

Secunda sententia tribuit habitui munus causæ formalis, ideft per informationem potentiæ, & hi pariter divisi sunt. Quidam enim volunt potentiam solùm per habitus facilitari, deindè non explicando, in quo formaliter hæc facilitas consistat. Huic adhærent Durandus, Paludanus, Hurtado, & alii quamplurimi. Alii verò è contrà volunt facilitatem istam consistere in intensione actus, quatenus agens per habitum producit actum intensiorem. Alii vero vltrà munus causæ formalis simul tribuunt illud causæ efficientis, sic sentiunt Hurtado, & Arriaga. Ex his sententiis assumo Henricisticam defendere, quam sub hoc capite sequenti expono.

### CAPUT PRIMUM.

*Habitus concurrunt solùm in genere causæ formalis, ideft informando potentiam, ut faciliùs, & promptiùs agat.*

COnclusio hæc ut vides aduersatur omnibus iis, qui causalitatem effectiuam habitibus tribuunt, siuè posteà sit in ordine ad substantiam actus, ut Mastrius sentit cum Scoto, sive respectivè ad modum actus, sivè sit ipsa cactus intensio, vel maior facilitas, & delectatio in opere, ut docent Gotfredus, & Vasquez, & breviter suadetur paucis quibusdam rationibus, quarum prima est, quià si habitus effectivè concurrerent ad actus, à natura dati deberent propter virtutem perfectam constituendam, & non solùm propter facilitatem eiusdem virtutis in operando, atqui solùm dantur propter facilitatem in operando, ut patet ex ipsa habitus descriptione; ergò.

Secundò si habitus effectiuè concurrit, vel hic concursus est in ordine ad substantiam actus, vel ad modum actus, atqui neutrum affirmari potest, ergò Probatur minor per partes, & primò incipiendo à substantia actus suadetur. Si potentia ex se habet virtutem sufficientem productiuam actus in priori ad omnem habitum, jam superfluus est concursus habitus ad substantiam actus, atqui de facto ita est, ergò. Maior liquet, ideò enim exigitur, & ponitur plurium causarum concursus ad nonnullos effectus, quia quilibet concursus disiunctiuè acceptus ab alio alterius causæ est ex se insufficiens, ut patet in ipsa visione beatifica, ad quam ideo ultra intellectum, etiam lumen concurrit, quia concursus intellectus disiunctiue ab illo luminis insufficiens est ad dandum totum esse visioni beatificæ. Probatur itaque minor. Si in priori ad habitum intelligatur potentia potens producere actum quo ad substantiam jam habet virtutem sufficientem, atqui reuera in priori ad habitum intelligitur potens producere totam actus substantiam ergò. Minor patet, primò quia de facto in priori ad habitum potentia aliquos actus produxit. Secundò quia habitus hi, de quibus præcipuè est controuersia, conferunt potentiæ solùm facilitet, non verò simpliciter operari; quod falsum esset si potentia in priori ad ipsos producere non posset totam actus substantiam.

Minor ostenditur itaque quo ad secundam partem. Si habitus actus efficerent quo ad modum, hoc eueniret, vel quia efficerent majorem actus intensionem, vel ut volunt aliqui, vel modum facilitatis, ut sustinet Vasquez, atqui de facto neuter modus esse potest effectus habitus, ergò. Probatur minor, & primò, nequit esse intensio actus, quia intensio non est modus distinctus à forma, sed est ipsa entitas formæ prout hæc habet plures gradus, vel etiam dato, quod sit modus distinctus, potentia ipsa per se habet virtutem producendi actum secundum quamlibet intensionem; habitus enim solùm dat maiorem potentiæ promptitudinem. Secundò nec esse potest ipsa facilitas, nam hæc ut optimè aduertit Auersa ex Cajetano residet ex parte operantis, non verò ex parte actus, ut ex ipsa habitus definitione optimè colligitur; ergò.

Hæc est præcipua ratio, quæ efformari potest pro euersione contrariæ sententiæ, quæ multiplici via impugnata videri potest ab eodem Auersa, & Pontio.

### CAPUT SECUNDUM.

*Occuritur argumentis Contrariis.*

ARguit primò Comptonius. Si habitus præcisè haberet facilitare potentiam media informatione, deberet semper actu eandem potentiam facilitare, cum semper informet, sed hoc est omninò falsum, cum habitus non facilitet potentiam ad actum nisi prius posita objecti cognitione, ergò

Huic argumento non aliam exhibeo solutionem, quam illam assignatam ab hoc Auctore cuidam instantiæ, quam refert in materia de voluntate, ubi docet per habitum se tenentem ex parte voluntatis haberi solùm, qood voluntas vim habeat se inclinandi ad amorem alicujus objecti, non verò quod actu sentiat inclinationem nisi quando ei proponitur obiectum; quod totum exemplificat in ipsa Physica prædeterminatione, quæ licèt habeat virtutem inclinandi voluntatem, tamen actu hoc non præstat, nisi posita objecti cognitione. Eadem solutione etiam ego argumento occurro asserendo habitum semper facilitare potentiam in actu primo, non tamen in actu secundo, nisi dum potentia est sub exercitio.

Arguit secundo Scotus. Voluntas quò habet habitum intensiorem eò cum minori labore actum efficit; ergo; hoc prouenit, quia voluntas tonc minori conatu operatur, & minori concursu; sed ideò concursus minor est, quia hic pattitur cum habitu, ergo etiam habitus concurrit effectiuè. Antecedens liquet experientia. Prima consequentia suadetur, quia si non obstante præsentia habitus potentia adhiberet æqualem conatum, falsum esset, quod minus defatigaretur.

Respondeo ommissa solutione quorumdam negantium potentiam cum habitu minori conatu agere, quia etiam prout est conjuncta cum eodem indiuisibiliter totum actum producit, non verò solùm sui partem, do ipsam simul cum habitu agere minori conatu, non quidem in linea efficientis,

quasi

quasi quod locum relinquat habitui effective concurrendi; sed præcisè quia promptius, & facilius operatur, in qua majori facilitate operandi communicata potentiæ, vel communicanda stat tota causalitas habitus respectu actuum.

Arguit tertio Suarez. Habitus confert potentiæ, ut facilius, promptius actum efficiat, sed hoc non præstat, nisi quia juuat potentiam ad actum efficiendum, ergo simul cum ipsa potentia verè per se efficit actum. Major ab omnibus admittitur. Probatur minor. Primò quia intelligi nequit, quomodo habitus juuent potentiæ nisi cum illa efficiendo. Secundò habitus quatuor solùm modis juvare possunt potentiæ, primò auferendo impedimenta secundo melius disponendo potentiam, tertiò augendo ejus virtutem actiuam, quartò coefficiendo cum potentia, atqui nequit juuare potentiæ nisi quarto modo, ergò solùm juuat effectiuè concurrendo. Probatur minor. Primò quia nequit juuare per ablationem impedimentorum, quia sæpè nullum est impedimentum positiuum, quod auferat sæpe enim acquiritur virtutis habitus, ubi nullum erat contrarium vitium, vel è contra vitium ubi nulla erat virtus, & scientia non semper tollit errorem, sed solùm ignorantiam priuatiuam. Secundò juuare nequit melius passum disponendo. Primò quia ipsa potentia per se est apta ad hoc, ut uniatur suis actibus, ipsosque recipiat, nec enim sunt in potentia contrariæ dispositiones, & repugnantes, quæ remoueri debeant per nouas. Nec tandem juuare potest augendo per se virtutem effectiuam hujusmodi actus illam intendendo, quia potentia est indiuisibilis, quapropter intrinsecè augeri nequit, ergo remanet, ut vivet ipsam actuando potentiam tamquam virtus influens in actum cum ipsa potentia.

Respondeo habitus non juuare potentiæ cum ipsa efficiendo vel actus substantiam, vel ejusdem modum; sed solum efficiendo in ipsa per informationem modum operandi expeditiorem, quod euenire solet in habitibus physicis remouendo difficultatem aliquam anteriorem ex se conuenientem potentiæ, & conferendo facilitati. Nec officiunt ea, quæ in argumento refert Suarez, non quidem primum, quia quamuis sæpè acquiratur aliqua virtus de nouo in illa potentia, in qua in priori non erat vitium contrarium, non acquiritur tamen nisi prius in ipsa esset difficultas ad similes actus virtutis exercendos, quod præcipuè verum est loquendo de virtutibus physicis, quæ primò, & per se dantur ad tollendam difficultatem; undè omisso, quod scientia non semper tollat errorem positiuum, semper tamen tollit difficultatem. Nec secundum pariter efficit, quia quamuis potentia ex se disposita sit ad producendos actus simpliciter, & absolutè, non est tamen ad producendos faciliter, ut idem Suarez fateri debet loquendo de ipsis potentiis, quæ sunt habituab les.

Arguunt quartò Arriaga, & Comptonius. Impulsus in lapide productus ideo inclinat lapidem ad motum deorsùm, quia illius motus est productivus, ergo similiter habitus ideò inclinant voluntatem, vel potentiam illam, in qua sunt, quia de se ordinantur ad faciendum, & illum efficere conantur.

Respondeo ad aliud inclinare ex genere suo non semper esse effectivè ad illud concurrere, ut optimè in hac re advertit Ponrius. Intentio enim finis inclinat ad electionem mediorum, & delectatio inclinat potentiam sensitivam, & volitivam ad objecti consecutionem, cum tamen nec delectatio, nec intentio finis effectivè concurrant ad electionem mediorum, & ad prosecutionem objecti delectationis. In forma itaque primò satisfieri potest negando causalem, siquidem etsi impulsus non esset causa effectiva motus deorsum adhuc inclinare deberet lapidem ad motum deorsum. Secundò respondere possumus asserendo disparitatem in hoc stantem, quod impulsus rationem habet virtutis motivæ ex se comparativè ad motum, unde nil mirum quod inclinet producendo; non sic autem loquendo de habitu.

Arguunt quintò alii, & primò. Habitus infusi ad actus supernaturales effectivè concurrunt; ergo etiam habitus acquisiti respectivè ad actus naturales. Secundò concursus speciei est in linea causæ efficientis; ergo etiam concursus habituum.

Respondeo disparitatem esse (illa omissa quam tradit Aversa supra hoc argumentum) quod species, & habitus supernaturales tribuunt actibus formalitatem aliquam, quæ in ipsis reperitur, videlicet repræsentationem, vel supernaturalitatem, quod proprium est concursus effectivi; at verò habitus acquisiti nullum prædicatum ex illis, quæ in actibus reperiuntur ipsis communicat. Quod si dicas adesse ipsam actus intensionem, quæ ab habitu tribuitur; ultra ea quæ superius dixi loquendo de hac actus intensione, dico nunc verum esse potentiam cum habitu intensiorem actum producere, quam seorsim ab habitu non quia habitus operetur cum ipsa potentia, sed quia hæc validius, & vehementius agit per habitum completa. Quod totum exemplificari potest exemplo ignis magis agentis in lignum dispositum, quando magis est ipsi approximatum, non quia approximatio sit virtus activa, sed quia igni convenit validius agere, quoties major est conditio, seu ipsa approximatio.

Arguit sextò Mastrius ex Scoto. Habitus reddit potentiam operantem delectabiliter, & promptè, sed hæc omnia respiciunt potentiam prout activam non ut passivam; ergo habitus habebit rationem causæ activæ, & efficientis. Probatur minor, quia promptè operari convenit illi principio, quod potest difficile reddi, impediri, & retardari; hoc autem propriè est principium activum, non passivum.

Respondeo aliud esse, quod habitus respiciant potentiam ut operativam, aliud verò, quod habitus cum ipsa potentia sint activi. Primum verum est, & hoc optimè ostendit argumentum. Secundum verò, de quo controvertitur falsum est, nec hoc tamquam verum suadetur. Ulterius dico habitus etiam activos esse, quia informando potentiam, in qua sunt efficiunt in genere causæ formalis ipsam magis expeditam, & promptam ad operandum. Sed

Dices cum Mastrio. Habitus informando potentiam, vel auget ipsius virtutem, vel non. Si secundum; ergo eodem modo se habet potentia sivè habituata, sive non; si primum ergo non solum in genere causæ formalis, verum etiam efficientis concurrit ad actum coagendo, & multiplicando virtutem activam.

Respondeo habitum informando potentiam non augere virtutem, sed solum ipsam facilitare per informationem in ordine ad operandum, quæ facilitas in operando ipsi in priori non conveniebat, adeòquè non sequitur, quod potentia eodem modo se habeat habituata, quo sine habitu, quamvis virtus activa non augeatur quoad substantiam, sed solùm quoad modum.

Arguit ultimò Scotus. Prius essentialiter depen-

dere

dere nequit ab aliqua causa, à qua non dependet essentialiter posterius; sed actus prior est essentialiter suo modo; ergo nequit actus quoad modum pendere ab habitu, quin etiam pendeat quoad entitatem.

Respondeo argumentum hoc urgere solùm illos si urget, qui sustinent habitus effectivè concurrere ad modum actus, non verò ad substantiam actus, inter quos superius Vasquezium retuli. Cæterum ad rem non facit contra eos, qui negant habitibus omnem effectivam causalitatem respectivè ad suos actus, quibus Henricus adhæret. Dixi si urget, quia Defensores causalitatis effectivè quoad modum, respondere possunt majorem veram esse, si causa effectum producens, vel præcontineat ipsum quoad substantiam, vel alia non adsit causa tribuens effectui suam entitatem.

Quæres primò utrum habitus concurrere possint cum potentia ad actus ipso perfectiores.

Respondeo negativè contra Scotum. Ratio potissima est, quia nullus effectus perfectior est sua causa, sive deinde effectus procedat à causa formali, sive efficienti; sed habitus concurrit ad actus vel in genere causæ formalis, vel efficientis juxta sententiarum diversitatem; ergo.

Instabis ex Mastrio. Habitus ut duo concurrere potest ad actum perfectum ut quatuor secundum omnes gradus perfectionis, sed actus quatuor habens gradus perfectionis perfectior est habitu duos solùm habente; ergo. Probatur major. Si habitus ut duo dum actu concurreret ad actum perfectum ut quatuor solùm concurreret secundùm duos gradus, idest conferendo solùm duos gradus, non cæteros, potentia facilius eliceret actum secundùm duos priores gradus, quàm secundùm subsequentes, sed hoc falsum est experientia magistra; ergo.

Respondeo hanc instantiam nullam esse. Prius enim opus est ostendere quod habitus ut duo producere possit actum perfectum ut quatuor, & deinde hoc ostenso optimè probaret Mastrius debere habitum producere actum secundùm omnes quatuor gradus, non verò solùm secundùm duos priores, at cum hoc non probet arguens, hinc nec urget instantia.

Quæres secundò an potentia cum habitu producere possit actus excedentes vires potentiæ.

Respondeo negativè propter rationem superius attactam, & ulterius quia habitus non auget virtutem activam potentiæ illam intendendo, cum hæc sit indivisibilis, ut fatentur etiam illi, qui habitibus causalitatem efficientem tribuunt; sed quoties habitus non auget virtutem potentiæ, hæc non poterit simul cum habitu producere actus perfectiores; ergo.

Dices cum eodem Mastrio. Ex habitu, & potentia integratur, & resultat perfectior causa, quam sit sola potentia; ergo optimè produci poterit perfectior actus à potentia habitus instructa. Ad hoc enim ut perfectior effectus habeatur, sufficit quod totum aggregatum ex causis partialibus sit perfectius, & proportionatum ad effectum, nec requiritur, quod una ex causis partialibus sit virtus ad illam majorem perfectionem.

Respondeo. Ex habitu, & potentia resultare causam perfectiorem, quia resultat causa potens expeditius operari; sicuti docent nostri Theologi in tractatu de visione Dei volentes habentem intellectum perfectiorem cum æquali lumine, faciliùs, & promptius altero visionem ipsam elicere. Causa autem potens expeditius operari certè perfectior est, cum hic operandi modus perfectionem præseferat. Hoc tamen non obstante non resultat perfectior causa, idest perfectior virtus activa, quo ad substantiam per virtutis naturalis multiplicationem, quidquid in oppositum sustineat Suarez. Ad ultimum verò concedo quod sufficiat complexum perfectius ad habendum effectum perfectiorem, sed nego deinde complexum ex habitu, & potentia perfectius esse in linea virtutis activæ, quamvis perfectius sit in modo operandi faciliori, atq; magis expedito.

Quæres tertiò qua ratione habitus corrumpantur?

Dico primò cum Henrico *quodlib* 3. *quæst* 8. Habitus effectiuè corrumpi per actus contrarios actibus ex quibus genitus fuit habitus. Probatur. Actus injustitiæ frequenter exerciti destruunt habitum justitiæ; sed actus isti sunt contrarii actibus, ex quibus genitus est habitus justitiæ; ergò. Major ostenditur, quia actus injustitiæ frequenter exerciti gignunt habitum injustitiæ; sed habitus injustitiæ importat corruptionem habitus justitiæ; ergò. Aduertendum est hic actus contrarios effectiuè corrumpere habitum mediatè non verò immediatè; hanc autem corruptionem mediatam vult Doctor oriri, quia cum in eodem esse non possint inclinationes contrariæ, ideò actus generantes habitum inclinantem ad unum necessariò corrumpunt alium habitum ad oppositum inclinantem, non quidem propter aliquam contrarietatem actionis ad habitum, qui corrumpitur, sed quia ejus effectus illum non compatitur.

Dico secundò fomitem ex originali peccato in nobis manentem esse causam per accidens corruptionis habituum, siue moralium, siue intellectualium. Probatur. Quod facit cessare potentiam ab actibus horum habituum, & exercere potius actus appositos actibus habituum virtutis est causa corruptionis horum habituum; sed fomes est hujusmodi; ergò. Major patet, minor sul explicatione ostenditur; nam fomes obnubilat intellectum, & ipsum inclinat ad errores, pigritiam inducit, undè cessare facit ab actibus bonis, & ad prauos voluntatem inclinat; ergò.

Dices sola cessatione ab actibus per notabile tempus corrumpitur habitus, experimur enim difficultatem in eliciendis actibus, ad quos inclinabat habitus deperditus; ergò absque actibus contrariis advenientibus per solam cessationem ab actibus corrumpitur habitus.

Respond. cum Henrico per cessationem ab actibus corrumpi habitus priuatiuè, non effectiuè, quatenus cessatio se habet per modum removentis prohibens, exercitium enim actuum conseruando habitum, ipsumque augendo prohibet ne habitus destruatur. Quę dicta sufficiant pro præsenti philosophico cursu.

Laus itaque eterna mentis, Cordis, Linguæ, omniumque vitium nostrarum Deo optimo maximo in cuius honorem, & obsequium cedat, quidquid hactenus, quamuis ruditer admodum diximus. Si quid aberravimus precipuè à doctrina Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ Ecclesiæ, non pertinaciæ alicui, sed ruditati, & inscitiæ nostræ tribuatur. Orationibus tuis Catholicæ Lector, faue, & fove. Longa enim adhuc restat via ad prosequendum opus Theologicum iuxta Henrici mentem iam inceptum.

